

R. P.

COSMÆ MAGALIANI

BRACHARENSIS

E SOCIETATE IESV

In ſacram Ioſue hiſtoriam commentariorum

Tomi dvo,

Nunc primum in lucem editi,

Quibus accessit appendix rerum ab eo geſtarum, ante ingressum terræ Sanctæ.

TVRNONI,

Sumptibus Horatij Caedon.

M.DC.XII.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D. MICHAELI A CASTRO,

OLYSSIPONENSI METROPOLITANO, &c.

COSMAS MAGALIANVS. S. P. D.

SI operi, quod in lucem profero, patrocinium eſſem à principe aliquo efflagitaturus, non debuit menti alius ſuccurrere, à quo id ſperare poſſem, contra mortalium huius ſeculi inuidiam, aut obtrectationes, præſentius, quàm à te vno, PRAESVL ILLVSTRISSIME. Cui enim hominum, tua in me beneuolentia non eſt comperta? ſolet abſentia, multorum dierum obliuionem adducere: ſolet, ſed non in illius pectore, vbi vera charitas radices egit. Nuper Conimbrica, vbi aſſiduus ſum, Olyſſiponem veni, vt congregationi ſociali, quæ tertio quoque anno haberi ſolet, intereſſem. Quid tum? Confeſtim cupidè adij domum tuam, quæ mihi ſemper fores aperuit, & hoſpitalis fuit. Poſt ſalutationes, vt extinctæ longa abſentia amicitiæ ſuſpicionem amoueres, ſanctè affirmaſti, viuam conſeruari in tuo pectore mei memoriam. In quo verbo, Deus bone! quanta ineſt felicitas! quanta obſequij, ſi quod tuis rebus vnquam præſtiti, & quàm inſignis remuneratio! Num quiſpiam parum eſſe putabit, cum ſui meminiſſe, cuius in pectore pietas, miſericordia, charitas, & virtutum omnium decora, ſedem habent? Non poſſunt non Deum experiri placabilem ſibi & propitium, quorum frequens cum Chriſto & diuino ſpiritu, tam ſacro pectori hæret recordatio.

2. Ad colloquium ventum eſt: Mox de meis in Pontificias D. Pauli epiſtolas commentarijs ſermonem intuliſti: tuóque de eruditione, ſtylo & totius operis concinnitate, interpoſito iudicio, ea me beneuolentia complexus es, vt ingratus haberi debeam, ſi ea amoris ſignificatio, aliquando ab animo exciderit meo. Eram dubius, maríne, an terra, quos ad finem perduxeram in Ioſue librum commentarios, mitterem Lugdunum: Tu, ne periculo exponerentur alicuius infortunij, quod in mari ex varijs accidere ſolet incommodis, mari vt ne mitterem perſuaſiſti; opem, ſi opus eſſet, vt per veredarium ferrentur, pollicitus. Tanto amori, & tam inſigni beneuolentiæ, quid obſequij non largiar? Habent à te patrocinium mei commentarij; habēt & amoris teſtificationē. Libuit tamē, quia in Ioſue libro verſor, qui Hebræis & Græcis IESVS eſt, IESVM CHRISTVM patronum aſſumere, cui meæ euigilant curæ, & omnis vtiliter deſudat induſtria. Tu verò, PRAESVL ILLVSTRISSIME cùm, ſatis omnibus perſpectum ſit, tuum ab omni aſſentatione alienū ingeniū, & in diuinū IESV nomē, pia affectio, cōſilium hoc, vt ſpero, laudabis, imò IESV Regi immortali, noſtrum Ioſue ſa-

cris offeres manibus. Moris antiqui fuit, vt qui itineris, aut nauigationis dubiæ atque difficilis, duci Deo aliquid vouerat, is ad finem optatum ſe diuino beneficio perueniſſe lætatus, Pontificem aliquem quæreret, quo præeunte, vota, & pietate offerentis, Deo redderentur accepta; & laude digna apud homines reputarentur eius viri interuentu, in quem, ob inſignem dignitatem & autoritatem, omnium ora eſſent & oculi defixi. Quid nos? certè, cùm primùm difficilem hanc, commentarijs Ioſue librum illuſtrandi, ſum viam ingreſſus, voui fore, vt immortali Deo & fauenti, ſi voti euaderem compos, noſtrarum lucubrationum munus, quale quale illud tandem eſſet (veluti confecta nauigatione, ad Numinis genua prouolutus nauta, ceratam tabulam, aut donum precioſius, ſi quod fortè vouerit) darem, dicarémque. Nunc voti compos quid faciam? imò quid non faciam? ſoluendum eſt votum? quidni? ingratus ero, niſi perſoluam. At IESV Regi & Deo immortali, quis hoc muneris offeret myſtagogus? Felicitas ſumma eſt, eum nanciſci antiſtitem, qui IESV CHRISTO, cæli terræque moderatori, ſummè placeat, multíſque modis ſit acceptus. Eam profectò operi noſtro annuit Numen felicitatem. Adeſt enim mihi antiſtes, cuius præter nobilitatem à Regibus ductam, quæ Deo, cum virtute copulata, grata ſemper fuit, pectus ſyncerum & puræ manus, non qualecunque, vt olim in veteri teſtamento Hierarchi, ſed Euchariſticum, ac prorſus diuinum offerre ſolent ſacrificium. ſequar igitur præeuntem, ſic & mei voti, & mei operis compos haud dubiè futurus. Donum, inquis, exile eſt & exiguum, fateor, ſed quæ exigua ſunt, magna facere poteſt animus offerentis. In templi Gazophylacium argenteos & aureos nummos intulerunt ſacerdotum principes. Num propterea laudati? Obtulit æra minuta mulier paupercula; obtulit, & laudata eſt. Puritas mentis, & manuũ offerentis, dono etiam exiguo magnitudinem confert & gratiam. Iam inde ab ineunte ætate, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, meditatus videris, præferendam eſſe animi puritatem, quę inſpectorem habet Deum, omnibus vitæ commodis. Vt de te id dici poſſit, quod Amphiarao ſuo tribuit Æſchylus:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλεις.

III. Quis enim eum non laudet, qui optimus eſſe mauult, quàm videri? Altè ſpectans, atque ad cæleſtem ſedem, & æternum domum contuens, neque ſermonibus vulgi te dediſti, neque in præmijs humanis ſpem poſuiſti rerum tuarum, ſed ſuis te illecebris virtus traxit ad verum decus. Credo equidem, ſi in libræ Critolai vna lance virtutis tibi tantillum proponeretur, & in altera dignitates omnes & principatus, te non in hanc diuitijs & imperio elatam, ſed in illam, vel exiguo virtutis ponduſculo depreſſam, manus & ſinus omnes iniecturum. O manus puræ, & ab omni liberæ humanæ fæcis contagio. Non poſſunt non Deo illæ placere manus, quæ illius bonitatem imitantes, in virtutis opere ſemper ſunt; pluríſque faciunt mores, quàm potentiam. Annon Deus, cùm omnipotens ſit, miſericordiam, qua erga homines benignus eſt, poteſtati antefert, qua Angelos cruciat apoſtatas? Certè Tertullianus in Apologetico, iure oratorum principem laudaſſe exiſtimatur, quòd ideò Deum putauerit Optimum dici priùs quàm Maximum, quia benefacere, quàm multa poſſe, ſit præſtantius. Teſtes ſunt

IV. Viſenſes ciues, quibus olim Epiſcopus præfuiſti, eximiæ in omne genus hominum, & præcipuè in pauperes, liberalitatis. Teſtis Olyſſipo, regni & imperij Luſitani caput, cuius Pontificiam tiaram, non ambitione aliqua,

ſed

ſed diuina ſortitus es electione: Teſtis inquam, ſingularis prouidentiæ tuæ, quæ in rebus afflictiſſimis, pabula corporis & animæ ſaluti neceſſaria, iis qui indigebant, largitus es. Graſſante in ea vrbe peſtilentia, & fameſcente populo, quid tuæ manus? omnibus domus tuæ angulis perluſtratis, cùm nihil iam cibi, potus, aut pecuniæ ſupereſſet, vaſa omnia argentea, quæ plurima erant, & domeſticis vſibus neceſſaria, vrbis magiſtratibus donarunt, vt ex eorum pretio conflata pecunia, ægrotantium, & fameſcentium ſubleuaretur inopia. Teſtis iterum Olyſſipo, cùm te ab aula Regis Catholici, quò te fidei negotia cum tanto principe tranſigenda ire compulerunt, læta reuertentem excepit. Nam præter optimates, quibus propter ſingulare vitæ frugalis, & ad virtutis amuſſim conformatæ exemplum, quo ouibus tuis, bonus paſtor anteſtas, pauperum turbæ ad Tagi ripam, in quam ex ſcapha deſcenderas, accurrentes, lætis te vocibus ſalutarunt: te pauperum leuamen, te pupillorum, & viduarum parentem, quà ibas, identidem acclamantes, vitam ſibi atque ſpiritum, tuò aduentu reſtitutum, aduenis, qui plurimi aderant, admirantibus, prædicarunt. Teſtis denique Olyſſipo, cùm te Philippi primi, regis optimi & maximi, iuſſis, quæ deprecari nefas erat, obſequentem, gubernatoris munus ea modeſtia & æquitate exercere vidit, vt ſecus ac tui eſt genij, omnes, qui negotia haberent, tempore ad id præſcripto, audires; & quantum ratio temporis, aut cauſæ pateretur, iuuares: vt, quod de Athanaſio ſcriptum reliquit Greg. Naz. tibi videatur peculiariter conuenire. *Athanaſius* (inquit) *vita ſublimis erat, verùm animo humilis, atque ea virtute, vt nemo ad eam aſpirare poſſet. Cæterùm, ea comitate vt ad eius congreſſum facilis omnibus aditus pateret: alienus ab ira, miſeratione præditus, ſermone iucundus, moribus iucundior. Forma Angelicus, animo magis Angelicus: in obiurgando placidus, in laudando, erudiendi vim habens.* Hæc Nazianzenus.

V. Poſſem multa, quæ mihi in promptu ſunt, commemorare, quæ tamen prudens ac ſciens prætermitto, tū ne epiſtolæ modū excedā; tum præcipuè, quia omnia tibi deberi Pontificij muneris ornamenta comperiet, qui perſpexerit, id quod D. Cyprianus ſummo Pontifici Cornelio laudi dat, de te dictum videri. *Non iſte* (inquit) *ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad ſacerdotis ſublime faſtigium, cunctis religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum ipſum, nec poſtulauit, nec voluit. Nec, vt cæteri, quos arrogantiæ, ac ſuperbiæ tumor, inflat, inuaſit: ſed quietus & modeſtus; & quales eſſe conſueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi, & cuſtoditæ verecundiæ. Non, vt quidam, vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus acciperet.* Hæc Cyprianus.

VI. Eſt igitur, quòd operi meo applaudam, & felicitati adſcribam: poſt tot vigilias & labores, in illuſtranda noſtris commentariis, Ioſue hiſtoria poſitos, eum diuino beneficio datum Pontificem, qui hoc, quidquid eſt doni, ſuis abſolutum numeris, & perfectum partibus, IESV CHRISTO Regi immortali, cui votum & dicatum eſt, vitæ puræ, & Deo hominibúſque gratæ, commendatione præeunte, ſacris offerat manibus, reddátque cùm numini gratius, tum hominibus multò quàm ſperare poſſem, commendabilius. Vale PRAESVL ILLVSTRISSIME, Méque tibi multis nominibus deuinctum, & nouū hunc ingenii mei fœtum, qua ſoles beneuolentiæ ſignificatione diu complectere. Olyſſipone XVI. Aprilis M.DCXI.

DE FELICI EX AVLA REGIA D. MICHAELIS A CASTRO, VLYSSIPONENSIS ARchiepiſcopi, in patriam reditu, Dialogiſmus.

INTERLOCVTORES.

Nuntius. *Vlyßipo.*

N. Pande fores, vrbs magna, tuas. V. Quæ cauſa? N. triumphat
Caſta fides. V. hoſtes? N. conſcius horror agit.
V. Dux facti? N. Michael tuus eſt. V. Quid gaudia differs?
Dic vbi ſit. N. prope te. V. Quàm prope? N. littus adi.
V. Quæ mora? Feſtinent populi læto agmina plauſu;
Agnoſcántque ſuum diues inópsq; patrem.
N. I, propera. V. Quid tu? N. vulgabo per oppida famam.
V. Quam? N. illam, quam expertes ambitionis amant.
V. Nempe? N. decus patriæ, Fidei incrementa; latentis
Exitium fraudis. V. pluráne? N. plura canam.
P. Pupillo & viduæ pater eſt. V. ſcio. at iſta referri
Abnuit ille. Fides ſola triumphet, ait,
E. Fraude hanc afflictam, vt vidit. Moror ecquid? adibo
Terram, atq; aſtra; Fides ſola triumphet, ait;
N. Caſtra ſuperba alter Michael, V. Hic? N. perfida vicit.
Cauſa eadem fine eſt; auſpiciis eadem.
V. Laude? N. Eadem. V. Ergo Fidem, & Michaelem læta ſaluto.
Illa ſtante, pia: hoc ſoſpite, ſoſpes ero.

ILLVSTRI POTENTIQVE DOMINO D. IVSTO LVDOVICO DE TOVRNON, COMITI DE ROSSILLION; BARONI DE Chalançon, Domino D'Arlan, Sericres & Sancti Agreuij, Regis Chriſtianiſsimi vtriuſque Ordinis Equiti Torquato, & ab vtroque Conſilio, Quinquaginta cataphractorum equitum præfecto, Prætori Viuarienſium, & Aluernorum Seneſchallo meritiſsimo.

HORATIVS CARDON S. P. D.

QVOD in more fuit Perſis, Principes Viros non ſine munere ſalutare, idem illud mihi ex voto faciendum duxi in iſta R. P. Magaliani in Ioſue Commentariorum oblatione, quos tibi ſacros iam dudũ volui, & nunc nominis tui ſplẽdore illuſtres, COMES NOBILISSIME, prodire iubeo. Aliũ illis adſciſcere Geniũ nec potui nec debui: expoſcebant, aut potiùs id à me extorquebant, HVMANITAS TVA, NOBILITAS & SPLENDOR, ipsúmque operis ARGVMENTVM. HVMANITATEM ſanè beneficiorum multitudine obrutus animus, perpetuò teſtabitur: quid enim benignè aut dici aut fieri poteſt, quod ego in te per te non expertus, cùm adeuntem blandè excepiſti, exceptum nullo non candoris & beneuolentiæ teſtimonio beaſti, vt abeuntem totis comitatis tuæ torrentibus non inundares ſed obrueres? Stupui, fateor, & in ea altitudine qua nobilibus multis longè perſpicuus emines, Amplitudini tuę humanitatem præpollere miratus ſum, colebam priùs ſplendorem, animi deinceps affectum, à quo ſic affectus, vt totum me tibi quaſi per æs & libram addixeris. Peccabam itaque ſi muneris typographici hoc quantillum eſt aris tuis non ſiſterem, quod felici deuotóque auſu ad eas adſpirabat. Sed parce ſi tam parcè de beneficijs acceptis: velut enim antiqua deorũ ſacra myſterioſò ſilẽtio venerationẽ acquirebãt; ita apud me illa: at nõ NOBILITAS nominíſque AMPLITVDO quæ iampridem peculiarem à me cultum ſibi vendicat: etenim ſiue quæ pro meritis in te congeſta ſpectentur, ſiue quæ auiti ſanguinis ſplendor, nobiliſsimorúmque parentum illuſtris longa

ferro ſeries auxit, audacter ſed verè pronunciem paucos tibi pares ſupereſſe:vix vnum aut alterum ſuperiores. Quæ enim eſt ex antiquis illis proſapiis quæ vetuſtiſsimæ gentis tuæ ſplendori ſe præferat?Illæ ſæpius aut aſſenſum famæ prædicant, aut traditiones; aut tẽpori fidem debent:at tu certiſsimis celebratiſsimíſque Annaliũ noſtrorũ monumẽtis ab ea familiæ ſtemma deducis, quę ſtatim poſt ſalutares Chriſti annos inGallijs effulſit,vt æternum. Inde Eccleſiæ,Galliarum,gentíſque tuæ perpetuum decus IVSTVS: in cuius nomen familiæ Primogeniti adoptati eam pietatem effingunt,quã nominis author,ipſa res nobilitáſque expoſcunt,ſed hæc tibi communia cum pluribus,quos cœlum beat & fama;illa magis propria, quamuis ab illis hæreditaria, veræ nobilitatis æterna comes VIRTVS,virtutis FELICITAS,felicitatis CONSTANTIA,cum tuorum bonorúmque omnium applauſu. VIRTVTEM ſanè qui inde liuet liuor (gloria etenim ac VIRTVS etiam infenſos habet) non neget, ſiue ea publica ſiue priuata ſpectet: norunt vtramque qui te,& neſcio vtrùm maiore exemplo antiquam ſanguinis gloriam probaueris. Plerique turgent originis faſtu,& virtutis putant non fortunæ per auorum atauorúmque decus fulgere,tibi contrà faſtus ille nefaſtus,nihil à virtute auerſum perſuaſit, vt nobilitatem non in atauis ſed in te ipſo numerares: generari enim & naſci à principibus viris,fortuitum eſt, nec vltra æſtimatur: Vt mobilem illam deam cæteri inter dubia; ita VIRTVTEM inter certa computas: Quibuſdam fortuna pro virtutibus fuit,tibi VIRTVS pro fortuna: vnde vnum illud tibi inſatiabile ſtudium proſperã tui memoriam parare. cætera enim mortalibus in eo ſtant conſilia,quid ſibi conducere putent,at virorum nobilium diuerſa ſunt quibus præcipua rerum ad famam dirigenda:contemptu enim famæ contemnuntur virtutes. Quid miramur igitur VIRTVTIS ſociam FELICITATEM, tuam quoque?Licèt enim hominum cum fortuna euntium non curſus ſit ſed volatus, neſciántque ſtare ſucceſſus,& quoties prodire felicitas non poteſt, redeat,huic tamen inſignis prudentia tua clauum quaſi fixit, quæ ſola fortunam ſi qua eſt accerſit tegítque: ita vt dubium non ſit quin illa qua potiſsimùm excellis duce, hæc (piè voueo) ſequatur & perennet. At felicitatem non proſpero ſolùm euentu rerum metiri velim: illa illa virorum Principum tuáque,feciſſe felices,interceſiſſe inopiæ, & dediſſe hominibus quaſi nouum fatum:quod de Theodoſio olim dictũ quidni vſurpem? fidem facient Turnonenſes tui, quibus tanquam Dioſcurus & Auerruncus fulges, præes. Hæc fuit altera operis dedicati ratio, ARGVMENTO ſuffulcienda, quod te dignum, ſi aliud: Pium enim illud & bellicum votiuum tibi fuit,qui rara mixtura pietatem bellicis artibus,bellicas artes pietate inſtruis,

exornas

exornas. Non poterat electi populi ducum maximus, & verè poliorcétes, quíque non modò debellatos populos ſed & Solem ipſum in obſequium traheret, alio auſpice apud noſtros prodire, quàm eo, qui non diem vnam aut alteram ſed iam tot annos prudentiæ ſuæ ſole illuſtrat. Nam à te ille lucem expoſcit, eandem mutua reflexione delaturus: ferent enim æuum hi Commentarij: nec dubito quin famæ nunc pietatíſque candidati poſtquam totis Centurijs proborum doctorúmque acceperint ſuffragia, prætextati & curules deinceps inter magiſtratus maiores ſedeant. Operis ergo, apud Turnonenſes tuos lucem nacti, conſecrationis cauſas habes COMES NOBILISSIME: patere itaque pro titulo nomen hîc tuum patere, vt obſeruantiæ in te meæ & affectus perpetua ſuperſint monumenta.

FACVLTAS SVPERIORIS.

EGo Hieronymus Dias Societatis IESV in Prouincia Luſitaniæ Prouincialis,facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum patre noſtro Generali Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt *Commentarij in Librum Ioſue in duos tomos diuiſi, & à P. Coſma Magaliano,ſacræ Scripturæ olim profeſſore compoſiti* : atque grauium Doctorúmque virorum Societatis noſtræ, iudicio approbati, typis mandentur. In cuius rei fidem hoc teſtimonium noſtra manu ſubſcriptum,& ſigillo munitum dedimus.

Olyſſipone 16.Aprilis. Anno Domini.1611.

HIERONYMVS DIAS.

Iudicium Cenſorum in Commentarios libri Ioſue.

PErlegi hoc commentarios P. Coſmæ Magaliani ſacrarum literarum profeſſoris ſuper duodecim capita Hiſtoriæ Ioſue,opus quidem ſumma induſtria elaboratum,in quo nihil reperi,quod vel ab ipſius ſacræ paginæ veritate alienum, vel à ſanctorum patrum expoſitione & ſenſu ſit diſſonum:Imò & tanti Autoris ſunt digni ingenio, & omnibus ſtudioſis, præſertim diuini verbi acclamatoribus neceſſarij. Vnde meritiſſimum iudico, quòd in publicam vtilitatem typis mandentur. Olyſſipone in Conuentu D. Franciſci de Enxobregas.17.die Auguſt.Anno Domini.1610.

Fr.Ludouicus ab Angelis.

LEgi commentarios Reuerendi P. Coſmæ Magaliani,religioſiſſimæ ſocietatis IESV, ſacræ Scripturæ, in Collegio eiuſdem ſocietatis, Conimbricæ profeſſoris:in librũ Ioſue. In quibus, præterquam quòd nihil ſit, fidei aut bonis moribus contrarium; multa ſunt,quæ ſtudioſum lectorem iuuare poſſunt. Ineſt illis politioris literaturæ cultus; ſanctorum Patrum accurata lectio,& cognitio exacta; Eruditio varia,& multiplex, & ſemper inhærens ſacri contextus ſententiæ explanatio.Ex quibus,ad vſum ſacrarum concionum diues exiſtit ſupellex. Olyſſipone 4. Nonas Decembris.An.1610.

Fr. Antonius Saldanha.

Nihil obſtat quominus excudantur hi commentarij.

Fr. Manuel Coelho Dominicanus.

FAcultas ſupremi Luſitaniæ Senatus ſanctæ inquiſitionis. Poſſunt excudi hi commentarij ſuper librum Ioſue ſicut approbati ſunt;& poſtquam excuſi fuerint, hûc adducantur,vt cum Autographo collati,paſſim legi poſſint. Olyſſipone. 31. Ianuarij. Anno Domini. 1611.

Bertholameu d'AFonſeca.

FAcultas Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Alphonſi à Caſtelbranco Epiſcopi Conimbricenſis,& Comitis Arganilij.

Imprimantur hi Commentarij ſuper Ioſue.2.Martij, 1611.

Epiſcopus Conimbricenſis.

APPRO

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacta Theologia Magiſter, & Diuini verbi Prædicator; in ſancti Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi, à Domino CLAVDIO DE BELLIEVRE, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, Librorum Cenſor deſignatus: Fidem facimus, nos hos *Commentarios in librum Ioſue in duos tomos, diuiſos, & à P. Coſma Magaliano, ſacræ Scripturæ olim profeſſore compoſitos:* perlegiſſe: omniáque in illis iuxta Orthodoxam Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſanam doctrinam, ſumma cum eruditione & pietate exponi. Lugduni apud ſanctum Paulum XIIII. Cal. Auguſti MDCXII.

DEVILLE.

Facultas R. Prouincialis Societatis Ieſu in prouincia Lugdunenſi.

LVDOVICVS MICHAELIS Prouincialis Societatis IESV, in prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunenſi Bibliopolæ, vt librum qui inſcribitur, *Commentarij in librum Ioſue, in duos tomos diuiſi, & à P. Coſma Magaliano, ſacræ Scripturæ olim profeſſore, compoſiti*: ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni, 5. Octob. 1611.

MICHAELIS.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo regno, aliíſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Commentarij in librum Ioſue in duos tomos diuiſi, & à P. Coſma Magaliano, ſacræ Scripturæ olim profeſſore, compoſiti*: præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 24. die menſis Octobris 1611.

De mandato Regis,

Signatum,

LE BOSSV.

IESV CHRISTO, REGI IMMORTALI, COMMENTARIORVM IN IOSVE HISTORIAM D. D.

IOSVE, Hebræi populi ducis optimi, & maximi, enarraturus hiſtoriam, non alterius patroni auſpiciis rem tantam támque difficilem ſum aggreſſus, quàm IESV Chriſti, Regis ſeculorum immortalis, cuius ille re & nomine typus fuit, præſenti numine atq; auxilio. Quem ergo alium, opere iam ad coronidem perducto, aduocare debui patronum? Num regem aliquem, ſceptro & diademate venerabilem? Facerem: ſed operi immortalitatem ſpectanti, regum obſtat mortalitas. Tibi igitur, Chriſte ſancte, cuius me ſanctiſſimæ Societati à puero tradidi: tibi, cui hæc ipſa Societas, iam inde à ſuis primordiis, Ieſu nomine, hoc eſt, tuo, inſignita, multos vt tuæ obedientiæ adducat populos, nullum non adit laborem: Tibi, non alicui ex iis, quos homines affixas habentes humi cogitationes, purpuræ & auri natiuo fulgore capti, quaſi numen aliquod admirantur: Tibi, inquam, meas ego vigilias, mea ſtudia, & quidquid à me lucem aliquam ſortietur, grati animi conſecro monumentum. Erunt quidem noſtri commentarij amplitudine tua & maieſtate longè inferiores (quid enim par tantæ amplitudini dici aut excogitari poteſt?) erunt tamen quales quales extiterint, mei erga te obſequij indices: Et Societatis tuæ, quæ à te magiſtro, humilitatis imbuta documentis, inter religioſas familias minimam ſe prædicat, ſeruum minimum commendabunt, ſi non ex ingenij felicitate, ſaltem ex facilitate genij, & de ſe ſubmiſsè ſentientis animi docilitate. Quare non tam oberit autoris humilitas, quominùs æternitas ſit operi, quàm proderit patroni maieſtas, vt beneuolo annorum conſequentium foueatur complexu.

2. Miraris, quòd tantam auſim meis commentariis felicitatem polliceri? Mirari deſine: *Dico ego opera mea Regi.* Cui Regi? Illi nimirum, cui miro delibutus gaudio ſanctiſſimus Dauid, diuinum dedicat epithalamium. Cui canticorum canticum, à ſapientiſſimo Salomone, Chriſti & Eccleſiæ colloquia meditante dramatis concinitur ſtylo. Cui legem pentateuchus: cui vaticinia prophetæ: cui cæli terræque principatum omnia attribuunt oracula. Atque, vt vno verbo multa complectar, cui nomen eſt IESVS. In hoc nomine quid non inuenies? Sapientiam deſideras? ineſt illi ſapientia. Optas legis & prophetarum oracula? In eo omnes legis & prophetarũ impletæ ſunt prædictiones. Conſilium in rebus dubiis requiris? *magni eſt conſilij Angelus.* Fortitudine indiges? *Deus fortis* nũcupatur. Pacẽ vis? Pacẽ mũdo affert, mirifica charitatis dulcedine ſociatã. Annon ipſe eſt *princeps pacis?* Quid ſi cæleſtem meditaris beatitudinem? *Pater eſt futuri ſeculi.* Certè patriarcha Iacob, morti iam vicinus, æthereas omnium virtutum pulchritudines, & quam poſt mortem ſperamus felicitatem ſecum meditatus; quidquid magnum & admirabile eſt, in hoc nomine contineri, obſcurè quidem, ſed verè ſignificauit. Vbi nos legimus: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* 70. Interpretes loco illorum verborum: *Donec veniat, qui mittendus eſt:* vertunt: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ: Id eſt, *Donec veniant repoſita ei.* Vel, vt alij codices habent: ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται: hoc eſt, *Donec veniat, cui repoſitum eſt.* Quorum verborum is eſt ſenſus: Iudæ ſceptrum eouſque permanebit, donec ille veniat, ad quem omnium gratiarum, & donorum cæleſtiũ pertinet theſaurus. Quis autem ille eſt theſaurus? Non alius profectò, quàm IESVS ipſe. Vnde id tibi in mentem venit? Animaduerto, ſi fontem conſulo, dictionibus illis: *Donec veniat, qui mittendus eſt:* præfigi eas litteras quibus apud Hebræos ſcribitur IESVS. Hoc nimirum eſt illud ſalutare, cuius expectatione bonus ſenex, deficientibus præ nimia imbecillitate corporis viribus, animum ſic erigebat, vt videns in manu Ioſephi virgam, totus in crucis Chriſti repræſentatum myſterium conuerſus, IESV ſanctiſſimum nomen adorauerit, quod in tabella crucis faſtigio ſuperpoſita, internis oculis eſt intuitus. Vnde 70. Interp. Spiritus ſancti magiſterio ducti: vbi vulgata editio habet: *Adorauit Iſrael Dominum, conuerſus ad lectuli ca-*

Pſal. 44.

Ieſu nomen omnia decora includit.

Iſai. 9.

Geneſ. 49.

70. Interp.

Georg. Ven. Harm. cant. 2. tom. 6. c. 8.

Geneſ. 49.

Geneſ. 47.

70. Interp.

(Gen. 47.) *pat*: καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ: Hoc eſt, *Et adorauit Iſrael ad faſtigium virgæ eius.* Quid eſt, ô bone ſenex: in virgæ typicæ faſtigio, quod te ad ſui alliciat venerationem? I E S V M video (inquit) mente: I E S V M, quem cogito, adoro, in quo ſunt omnes theſauri diuinitatis repoſiti.

3. Hæc ego cùm mecum tacitus recolo, ſiue opus aliquod aggredior, ſiue abſoluo, ad I E S V M confugio; vt, à quo ducitur operis principium, illi deſinat. Omnia in eo repoſita (Nomen I E S V, quod contineat Iſa. 9 Admirabile.) præſidia inuenio. Quidni? Includit venerabile I E S V nomen ea omnia, quibus Iſaias, in carne Dei filium manifeſtatum iri, multò antè prædixerat: *Vocabitur* (inquit) *nomen eius, Admirabilis, Cõſiliarius, Deus Fortis, Pater Futuri ſeculi, Princeps pacis.* Atque, vt à primo ordiar, (Exod. 10. 11. &c. Num 20. Pſalm. 77. Exod. 3.) nihil mirabile, & cum ſalute coniunctum à magnis olim eſt viris patratum, quod ope huius nominis ad proſperum exitum non ſit perductum. Miraris, Moſen in liberatione populi ab Ægypriaca captiuitate innumeris coruſcaſſe miraculis? Miraris, in ſolitudine aquam de petra fluxiſſe, & manna fameſcenti populo de cælo datum? Ad I E S V M oculos conuerte, Auctorem haud dubiè agnoſces. Quomodo? rogas. Ad rubum vocato, Dei vo- (Exod. 6.) ce, Moſi diuinum I E S V nomen, quod nulli anteà Patriarchæ, aut prophetæ fuerat mani- (Iuſt. in Dial. contra Tryph.) feſtatum, innotuit. Cuius beneficij memoria Exod. 6. recolitur: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: Et nomen meum, Adonai, non indicaui eis.* Adonai, putat Iuſtinus Martyr pro I E S V nomine ſubſtitui. *In libro* (inquit) *Exodi nomen eiuſdem* (Conuiuium ſpirituale.) *Dei* I E S V S *etiam fuiſſe, quod ait Abraham annunciatum non eſſe, nec Iacobo:* Moſe in myſterio, & obſcurè ſimiliter expoſitum eſſe, nos quoque intelleximus, &c. Quomodo ais? In rubo I E S V nomen ſanctiſſimum fuit indicatum? Sanè. Præcepit Deus Moſi, vt ſolue- (Ioan. 4.) ret pedum calceamenta: Scio: ſed quid ad rem? Deus ſpiritale conuiuium Moſi apparabat in rubo, id eſt, executionis diuinæ voluntatis iniunctionem: quæ iuxta illud: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei*, lautiſſimum eſt iuſtorum epulum. Moris autem antiqui (Plaut. in Truc.) fuit vt exuerent, epulantes, calceos. Hinc Plautinus conuiua: *Deme ſoleas: Cedo vinum*: &c. Quod idcirco faciebant, ne ſordibus contaminarent tapetia. Decebat quoque hîc aliquid ſimile fieri. *Locus* (inquit) *in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Epulo igitur ſpiritali inſtructo, non deſunt fercula? Nequaquam. Pro cibis, Dei adeſt iubentis imperium; & Moſis, ad iuſſa exequenda, impedimentis ſublatis, promptum obſequium. Summa eſt, eundem eſſe cum legatione ad Pharaonem populúmq; Iſraeliticum, ſignis, & prodigiis ex Ægyptiaca (Iuſt. Martyr contra Tryph.) ſeruitute liberandum. Rogat Moſes vt nomen ſibi indicetur, cuius virtute tot patranda erant miracula. Indicatur I E S V nomen (vt Iuſtinus affirmat.) At quorſum (inquis) in epulo nomen? An neſcis in conuiuiis, pro numero literarum nominis acclamati, *Cyathos*, propinari? Huc alluſiſſe videtur vates regius, dum multa & præclara beneficia, ſibi veluti in (Pſal. 115.) conuiuio ſpiritali à Deo oblata recordatus ait: *Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.* Et quidem hanc fuiſſe prophetæ mentem, vel illud declarat, quòd pro numero quinque literarum, quibus I E S V S pronuntiatur, quinquies repetit Dei nomen.

4. Credo equidem in myſtico rubi conuiuio, Moſi ad res magnas, & maximè memora- (Exod. 1. Exod 14. Luc 22.) biles ituro, inter primos cibos, I E S V, quod eſt ſalutis & liberationis nomen, factam fuiſſe mentionem. Ac ſi dixerit Deus: Tu, ô Moſes, incipies eſſe Hebræi populi ſaluator, aqua in ſanguinem cõuerſa; & in primogenitorũ morte negotium abſolues: Chriſtus, cuius tu typicam geris imaginem, ſudorẽ, qui natura ſua aqueus eſt, initio cruciatuum, quos pro ge- (Deut 33.) neris humani liberatione tolerabit, in ſanguinem conuertet, & in morte ſua, qui primogenitus eſt Dei, mandatã ſibi à Patre perficiet redemptionẽ. Huc illã reor benedictionẽ ſpe- (Ambroſ. Procopius.) ctare, quam Moſes Ioſepho, qui Chriſtum præfigurauit, antequam de vita diſcederet, impertitus eſt: *Benedictio* (inquit) *illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticẽ* (Aug lib. 2 in Exod q 93.) *Nazareni.* Certè D. Ambroſius, & Procopius, nõ alij, quàm Chriſto ſeruatori cõuenire affirmãt. Neq; id temerè. Iuxta regulam namq; D. Auguſtini, Quãdo perſonę, de qua agitur, cõuenire nequit, quod in ſacro dicitur eloquio; Chriſto, in tali perſona præfigurato, aptari (Ioſue 24.) debet. Quare cùm benedictio eius, qui apparuit, in rubo fuerit populi liberatio, quomodo ſuper caput Ioſeph, qui multò ante Moſis ætatẽ, vita functus erat, cadere potuit? Nec verò ille populũ ex Ægypto eduxit, imò propter illũ, regnante amico & beneuolo rege, eò eſt (Exod. 1.) inductus Iſrael. Quæ cùm ita ſint, cõſequens eſt, vt Chriſto I E S V, qui nos à peccati & dæmonũ dira captiuitate in libertatẽ aſſeruit, accõmodãda ſit benedictio. ſicut enim, qui apparuit in rubo, à ſanguine exorſus eſt, per Moſẽ, populi libertatẽ, vt dictũ eſt, & in sãguine primogenitorũ eandẽ conſũmauit: ita Chriſtus, non verò Ioſeph, ſalutẽ noſtrã à ſui sãguinis effuſione, auſpicatus, in sãguine perfecit redemptionẽ. Vnde cùm clauis ſuffixus pẽderet in cruce; verè benedictio eius, qui apparuit in rubo, venit ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticẽ Nazareni, hoc eſt, floridi, non roſis, aut liliis, ſed ſpinea corona: quam tamen IESV

nomen

nomen ſuperinſcriptum reddebat gemmato diademate pretioſiorem.

5. Quæris conſiliarium? I E S V M adi; in cuius nomine, quicquid eſt ſani conſilij, reperies. Tanti hoc fecit munus officij, vt omni hominum generi & ætati, quid optimum ſit, ſemper ſuaſerit. Quin probro deputat, ſiquis, cùm ſæua viget neceſſitas, alios adeat conſiliarios. Hinc Amos 2. exprobrat Hebræis, quòd ſe neglecto, abierint ad conſulendos alienigenarum Deos: *Accubuerunt* (inquit) *ſuper veſtibus pignoratis iuxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui:* Locus difficilis, ſed aperiendus. *Vinum damnatorum* vocat, quod emptum ex proſcriptis damnatorum bonis, in epulari accubatione dabatur conuiuis. Hic Iudæi, Ethnicis permixti, intererant idolorum ſacris: & vt reſponſa poſcerent, *veſtes pignoratas*, quæ videlicet templorum ſimulacris, in amoris & deuotionis ceſſerant pignus, ſibi aptabant. Sic enim idololatræ, quos illi imitabantur, in delubris dormientes, reddenda ſibi oracula, aut potiùs ſomnia, expectabant. Queritur ergo Deus, quòd non more maiorum, à populo Iſraelitico ipſe conſulatur. Eóque magis querimoniã exaggerat, quòd id in blaſphemiam & contumeliã cedat diuini nominis. Ac ſi dicat: Hoccíne ferendum eſt, vt cùm ego ſim conſiliarius, aliò ad conſilia petenda populus pergat? *Væ filij deſertores, vt facerent conſilium, & non ex me.* Nónne per Eliam, Ochoziæ regi impio exprobrat, quòd Deũ cõſulat Accaronitarũ? *Nunquid non eſt Deus* (inquit) *in Iſrael, vt conſuleretis Beelzebut, Deum Accaron?* Ad arcam fœderis, vnde Deus reſponſa dabat, cùm de magnis rebus incidebat deliberatio, olim tamquam ad locum fatidicum vel cortinam, itum eſt. Quod tandiu in vſu fuit, dum magni conſilij Angelus in terris viſus non eſt, & cum hominibus conuerſatus. Philiſtæi ergo & Azotij, Arcæ Dei præſentia variè puniti, de illius à finibus ſuæ regionis eiectione deliberarunt. Plauſtro nouo, quod ſine bubulco, à duabus vaccis trahebatur, eam impoſuere. Iuſtinus Martyr ſcitè myſterium ſcrutatus, aduertit, non veniſſe eò vaccas, vnde primùm arca fuit deducta, ſed in agrum cuiuſdã viri Ioſue nomine, eodẽ videlicet, quo ille qui I E S V S appellatus eſt. Cùm in agrũ (inquit) Ioſue veniſſent, conſtiterunt. Si quæras, à quo conſiſtere vaccæ ſunt iuſſæ? à I E S V (inquit Martyr Iuſtinus) à quo ad eũ quoque locum ſunt perductæ. Quorſum? ais. Nimirum, vt intelligerent, qui Arcam conſulebant, à I E S V, qui ſanis præeſt conſilijs, oracula pendere, ipſúmque eſſe magni conſilij Angelum; in cuius duntaxat agro, quæ eſt Eccleſia, recta, & humanæ ſaluti conſentanea, audiuntur reſponſa.

Conſiliarius. Amos 2. Iſidor. Clar. Iſai. 30. 4 Reg. 1. 1. Reg. 6. Iuſtinus Martyr. 1. Reg. 6.

6. Iam fortitudinem quis non videt in I E S V nomine, qui, *El*, id eſt, *fortis*, paſſim nuncupatur, contineri? Annon ille de mundo expulit fortem armatum? De illo dictum eſt: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos.* Huius fortitudine Dauid, ſuperbum proſtrauit gigantem, atque vnius hominis, qui inſtar validiſſimi erat exercitus, interitu laudẽ promeruit ſempiternã. In Antiquitatibus Bibl. auctor eſt Philon, pugnaturũ cum gigante Dauidem, in lapidibus, quos in perã paſtoritiam quinos immiſit, quinque illuſtrium virorum, qui inter Iſraelitas, ſanctitatis opinione, admirationi erant, nomina eo ordine inſculpſiſſe, vt nimirum in primo inſcriptus eſſet Abraham, in ſecundo Iſaac, in tertio Iacob, in quarto Moſes. Quid in quinto? in quinto (inquit Philon) inſcripſit nomen Fortiſſimi. Quã phraſi intelligi Ioſue, qui (vt Origenes ait) figura fuit Chriſti vſque ad nominis expreſſionem, quis non videt? Cùm ergo Dauid lapidem vltimum in pera repoſuerit, I E S V nomine inſignitum; & hunc primum in fundæ ſinu poſitum intorſerit, eóque occiderit Philiſtæum; quis dubitare poteſt, I E S V nomine allatam illi fuiſſe victoriã? Tanti nominis erectus fiducia ingenuus adoleſcens, in certamen venire cum gigante non recuſauit. Quare in ipſo conflictu: *Tu venis* (inquit) *ad me in haſta & clypeo: Ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* Ac ſi dicat: licèt egregio armorum integumento, & giganteæ molis proceritate accedas fretus, vel lapide vno Fortiſſimi Dei, hoc eſt I E S V nomine inſcripto, ad terram deiectus, arrogantiæ, qua inflatus intumeſcis, pœnas lues. Dubitas? *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* Dictum experieris ac factum.

Deus fortis. Luc. 11. Pſ. 43. 1 Reg. 17. Philon Iud. Origenes 1. Reg. 17.

7. Quid ſi clypeo ſimile dixerim I E S V nomen, quo non ſolùm hoſtes deiicit; ſed nos etiam iniecta hoſtibus protegit formidine? In fabulis eſt, principem virum extitiſſe, qui ſecum quemlibet ſingulari certamine pugnare cupientem, cryſtallino ſcuto, quod tectum ſemper geſtabat, repentè ſine operimẽtis oſtẽſo, ita obcæcabat radiorũ fulgorẽ eiaculantiũ luce, vt ſubita oculis oborta caligine, ad pedes abiectus, humiliter ac demiſsè errati veniã poſtularet. Eſt profectò Chriſtus princeps cæli terræq; maximus, qui ſcutũ ſalutis pluſquã cryſtallinũ, hoc eſt, I E S V nomen, quoties oſtendit, virtute pluſquam adamantina, mira operatur. In horto Gethſemani cùm ſe hoſtium cuneis circunſeptum videret: *Quem quæritis?* inquit I E S V M, *Nazarenum*, reſpondent. Tunc ille vt ſuos protegeret diſcipulos, radiantem I E S V nomine exerens diuinitatis clypeum: *Ego ſum*, inquit. Quid

Ieſu nomen eſt Clypeus. Ioan. 18.

putas? Iniecta oculis,ſplendore tanti nominis,armatis hoſtibus caligine, *ceciderunt retrorſum*: nec antè ſui ſunt compotes facti,quàm recto clypeo, ſurgendi accepêre facultatem.

Princeps pacis.

8. Ineſt quoque pacis gratia in IESV nomine.Quam profectò agnouerunt illi,qui in libro Sapientię,muniri videntes Chriſti clypeo,iuſtorum,quos nihili fecerant,glorioſum cœtum:ſéque ipſos,quòd principem pacis non fuerint ſecuti, multis modis cruciari, admirati dixerunt: *Illi autem ſunt in pace.* Pacem Eccleſia,dum viuitur,ſibi optat;& filiis ſuis æternam poſt mortem exorat.Eam Iſaias,non aliunde,quàm à IESV,generis humani ſeruatore, ſperandam eſſe, myſticè quidem,ſed verbis tamen rem ipſam opportunè exprimentibus,ſignificauit: *Propter Sion non tacebo,& propter Hieruſalem non quieſcam: donec oriatur, vt ſplendor,iuſtus eius,& ſaluator eius,tanquam lampas accendatur.* Nullam(inquit)mihi fore quietis horam,aut pacis optatæ vſuram prævideo,donec veniat Saluator,qui inſtar fulgentiſſimi lychni,flammas quoquouerſum diffundentis, mundum, quà latè patet, illuminet errorum tenebris obſcuratum.IESVM, quod eſt Saluatoris noſtri nomen, quis in verbis hiſce deſcriptũ non agnoſcit?In hac voce, media litera,apud Hebræos eſt ש quæ lychnuchi vitrei figurã gerit.Eadẽ litera prima eſt in voce Sabbath, quæ denotat quietem. Infert igitur IESVS radiãtem animis noſtris optatæ ſalutis lãpada,& quietis ſabbathũ. Die Veneris Iudæi,ſub ſolis occaſũ,lucernas accendebant magna ceremoniarũ ambitione:Idque pręcipuè in domus regiæ feneſtris apparebat,penſili lychnucho,nouenis flãmis in omnem partem emicante.Cuius moris meminit Satyrographus,vocans ſabbatha,Herodis dies,in cuius aulæ feneſtra,pridie ſabbathi ſub noctem,ritu Iudaico,ingens, & omnibus conſpicua appendebatur lucerna.Negat ergo Iſaias,fore ſibi veram quietem, donec IESVS, in cuius nomine ineſt lampas & vera pacificatio,in homines effundat oleum,ex quo lux diuinitatis exiſtat,& populo Dei ſuus concedatur ſabbathiſmus.Quam felicitatem præuidens ſponſa Cant.1. Oleum effuſum,qui paciferæ oliuæ ſuccus eſt, diuinum hoc nomen nuncupauit.Quid,quòd IESV nato,pacem Angeli cecinerunt?

Sap. 5.
Iſai. 62.
IESVS, inſtar lampadis.
Ritus Iudæorum.
Perſ. Sat. 5.
Iſai. 61.
Cant. 1.
Luc. 2.

Pater futuri ſeculi.

9. Quòd ſi quis de immortalitate ſolicitus, propitium exoptat numen, à quo de vitæ ſtatione demigrans,paterno recipiatur affectu,ad IESVM oculos mentis adiiciat. Ipſe enim *pater eſt futuri ſeculi.* Abrahamus quidẽ ob hoſpitalitatem, aliáque inſignium virtutum promerita,Pater nuncupatur:ad cuius ſinum,iuſtorum animæ,ante Chriſti Domini mortem redemptionem conſummatam,poſt deceſſionem è corpore,lætæ conuolabant. Vnde illi clamores, *Pater Abraham,mitte Lazarum*,&c. Sed nihil ad IESVM.Nonne ille iuſtorum animas,vel vitæ huius laboribus,vel,purgatorio igne, à vitiorum labe expiatas,veluti diuinus magnes,ad ſe pertrahit?& ſingulos plus quàm paterna alloquens benignitate, ait: *Euge ſerue bone,& fidelis*,&c. *Intra in gaudium Domini tui*:Quid exiſtimas in virga Ioſeph filij ſui vidiſſe Iacobum patriarcham,cùm faſtigium illius moriturus adorauit? Profectò patrem futuri ſeculi agnouit IESVM,in virga(vt diximus) Cruci pręfiguratæ ſuffixum:atque idcirco manus,aperto latere,extendentem,vt vtriuſque populi iuſtorum cœtum cęlo inferendum,in amicum ſinum inuitaret. Quare, corpuſculi ſui cymbam mortis naufragio diſſoluendam,ita attemperauit,vt è duabus partibus quibus illa compingitur; vnam terræ,vnde ſpes reſurgendi eſſet,tradi iuberet:alteram,IESV protectioni, & paterno cõmitteret affectui.Sic enim fore intellexit,vt è fragili phaſelo, in tutiſſimum crucis nauigium,quod IESV nomen pręfert,tranſlatis mercibus, pręſto eſſet diuini nauarchi pręſidium,qui fidum amicorum carinis,interim dum aduentum differt, pręberet ſtationem, poſt modò ſempiternam largiturus aduentu ſuo, in deſiderato portu felicitatem.

Sinus Abrahæ.
Luc. 16.
Matth. 25.
Gen 47.

10 Verùm ſciſcitaberis, cur Deus tantopere velit à nobis coli venerabile IESV nomen? Cauſa in promptu eſt. In Dei nominibus, quædam iuſtitiam & maieſtatem; alia,pietatem & miſericordiam ſonant: Pſalm, 61. *Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt; & tibi Domine miſericordia.* Deus ergo de nimio iure multùm remittens, cùm viſcera pietatis, adueniente temporum plenitudine, vellet hominibus exhibere, nomina iuſtitiæ,in vnum IESV nomẽ,quod miſericordiam, & ſalutem præfert,transfudit. Conſecuta eſt hanc gratiam,magna Dei Patris,& Chriſti,generis humani ſeruatoris,toto orbe notitia;idque tanta benignitate, vt meritò,oleo effuſo cõparetur nominis diuini claritudo.Et quoniam diuina interdum maieſtas,hominum ſe accommodat moribus; nihil non fecit,quo præclarum hoc nomen perinde magnum redderet,atque homines ſolent, cùm buccinatricem ſui nominis famam anxiè procurãt. Fidenti animo mortales pericula adeunt,nihílque non faciunt,vt tandem magni nominis aſſequãtur famam.Nec ea appetitio,cùm à natura ſit inſita,ſi honeſtas adſit, vituperanda eſt. *Melius námque eſt nomen bonum,quàm diuitiæ multæ.* Cæterùm homines plerique ad terram cernui,& à cęleſtium rerũ cogitatione mentem auocantes, quo ſe iniquis artibus via pãdit,ad honores obrepũt. Phryne famoſa mulier,videns Alexandri catapultis Thebarum muros complanatos,quo

Pſ. 61.
Super his diuerſorum nominum diuiſio.
Prou. 2.

ſibi gloriam & immortale nomen compararet,ſumptus omnes, ad murorum inſtauratio-
nem neceſſarios,ſenatui,cuius erat exhauſtum ærarium, liberaliter obtulit, qui id lucri
ex quæſtu turpi proueniſſe reſciens,laudata voluntate munus recuſauit. Annon eadem *Turris Babel.*
cupiditas eos inuaſit,qui turris Babel culmen cælo inſerre ſunt moliti? *Celebremus*(inquit) Gen. 11.
nomen noſtrum, antequam diuidamur. Philon auctor eſt, ab hiſce fabricatoribus,futuri ſeculi Philon de
gloriam affectantibus, ſua circunquaque nomina in lapidibus fuiſſe inciſa. Quo exem- Ant. Bib.
plo ducti,qui magna ædificia,aut etiam ciuitates poſtea extruxerunt,ſua pro foribus, vbi
legi facilè poſſent, incidi fecerunt nomina,aut ea ipſis indidere ædificiis. An alia eſt cauſa
cur tres florentiſſimæ vrbes, ab Alexandro, à Cæſare, à Conſtantino nomen acceperint?
Huius moris non immemor rex propheta:*Vocauerunt* (inquit) *nomina ſua in terris ſuis.* Quid Pſal. 48.
eos commemorem, qui nomen à Machabæis, illuſtribus partum factis,inuidentes, dixe-
runt: *Faciamus & ipſi nobis nomen:*Sed quia horum par virtus non erat, nec par fuit felici- 1 Machab. 5.
tas.In primo congreſſu fuſi fugatique ſunt. *Non enim* (inquit ſacra hiſtoria) *erant de ſemine*
virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Virtute nimirum & honeſtis actionibus vera
gloria,non inuidia,aut temeritate comparatur.
11. Homines ad nominis claritudinem pacis ferè aut militiæ ſtudiis adnituntur. In bel- *Quibus modis*
lo,periculis vitam exponunt, vt ſi fortè victores extiterint,popularem,& plauſibilem au- *nominis gloria*
diant ſui nominis acclamationem. Pacis tempore, vt magni habeantur & prædicabiles; *comparetur.*
pecuniarum & munerum largitione, multorum ſibi conciliant voluntates. His quoque
modis Deus, ſuum illuſtre reddidit nomen. Armis quidem vſus eſt,contra populi ſui ho-
ſtes, non in Vulcani officina fabricatis, ſed in diuinæ potentiæ theſauris, ad nutum ſibi
repoſitis. Quid enim exempla recolā, quæ ſunt pænè infinita? Quid non obtinebit, qui
cyniphum, ranarum, aut crabonum agminibus,cùm libuit, innumeras barbarorum pro-
ſtrauit chiliadas? Quoties, quos gladius non iugulauit, repentinus ſtupor in fugam con- Pſal. 85
uertit? Quid hinc effectum? *Omnes*(inquit Propheta)*gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adora-*
bunt nomen tuum, Domine, quoniam magnus es tu. Quid in pace? exulem Abrahamum, opi- Gen 12.
mis diuitiis inſigniter locupletem reddidit. Dauidem verò(vt alios præteream) ex paſto- 2. Reg. 2.
ritio cultu ad regiam enexit purpuram. Num ingratus Dauid? *Pſallam*(inquit)*nomini Domi-* Pſalm. 12
ni, qui bona tribuit mihi. His tamen factis Deus, licèt nomen apud homines fama nobile
comparauerit, ea tamen gloria fines Iſraelitici ſoli non eſt egreſſa: *Notus in Iudæa Deus, in* Pſal. 75
Iſrael magnum nomen eius. Erat hæc diuini nominis gloria in Palæſtina, anquam ſuaue o-
leum, aut ópobalſamum,in vaſe anguſti orificij incluſum. Opus fuit, vt ad plures gentes
odor funderetur. Quod factum eſt, quando *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris* Tit 3.
*noſtri Dei,*erudiens non ſolùm Iudæos, ſed nos etiam ex gentium ſtirpe prognatos. Quod
perſpiciens ſponſa, Cant.1. *Oleū*(inquit) *effuſum nomen tuū: ideò adoleſcentulæ dilexerūt te.* Vbi
Gloſſa: nomen I E S V venit in mundum,& ſtatim prædicatur: *Oleum effuſum*: id eſt, in vni- Cant. 1.
uerſa terra, nomen I E S V prædicatur,&c. Theodor. *Quemadmodum* (inquit) *vnguentum in*
vaſe concluſum, incluſam continet & ipſam odoris fragrantiam: Sin autem effundatur ipſum quoque Theodor.
replet aërem: Sic Dominus Chriſtus ante paſſionem paucis notus erat: at poſtquam crucem mortémque
ſuſtinuit, ac veluti corporis vas aperuit, continuò beati Apoſtoli ſuauitate illa repleti ſunt; terram per- Bern. hom.
currētes, & maria traiicientes, odoris ſuauitate mundū vniuerſum complerunt, &c. Iam D. Ber- 15 in Cant. 7.
nardus amore diuini nominis,& ſuauitate impulſus, magno ingenio, & pari eloquentia,
Scripturæ ſacræ annectit ſententias,quibus diuinum I E S V nomen oleo comparans, cæ-
teris Dei nominibus eò anteponit, quòd hoc vnum ad hominum ſalutem maximè per-
tineat. Tandémque illa referens verba: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob:*
quibus ſe Deus magnifacere Sanctorū virorū præſtita ſibi obſequia declarat; ſtylo placi- Exod 3.
do,& quodā modo præ lętitia geſtienti, mundū ad ſalutē, in I E S V nomine propoſitam,
inuitat. *Currite*(inquit)*gentes, ad manum eſt Salus. Effuſum eſt nomen, quod quicunque inuocauerit,*
ſaluus erit. Angelorum Deum, & hominum ſe Deum nominat. Oleum miſit in Iacob, & cecidit in Mich. 25.
Iſrael. Dicite fratribus veſtris, Date nobis de oleo veſtro.
12. Hæc cùm ita ſint, nemo mihi ſuccenſere debet, quòd tantum auſus ſim aſſumere *Ieſus patronus.*
huic operi patrocinium. Multæ me cauſæ ab ea cogitatione potuerunt deterrere: plures
tamen & validiores, in eandem, vt fidenti animo id facerem, pertraxerunt. Prima qui- *I. Ratio.*
dem & potiſſima fuit, ipſa Ioſue, cuius explano hiſtoriam, conſentiens cum Ieſu Domi-
no noſtro, felix numenclatura. Non poteſt quippe grata non eſſe factorum Ioſue iis
enarratio, qui in illius factis, actionum Chriſti & nominis conſiderant præfigurationes.
Altera cauſa eſt, quia in I E S V, vel ipſo nomine audito, omnia inuenio præſidia, omnia
decora, omnia ornamenta. Siue enim facta quædam, ſupra naturæ vires, memorantur
patrata: ſiue deliberationes incidunt; ſiue fortitudinis mentio fit: ſiue de pace agitur: ſiue

de propoſita poſt hanc vitam,iuſtis beatitudinis ſpe, IESVM, qui habet,nihil non ha-
III. bet; à IESV qui abeſt,nihil habet. Tertia, quia dulcis mihi eſt huius Sanctiſſimi nomi-
nis crebra repetitio. Exemplo mihi præit Apoſtolus,qui ſine IESV nomine,nec ſtylum
in manus ſumere, nec characteres exarare,nec ſalutationem vel vnam adhibere con-
D Hieronym. Epheſ. 1. ſueuit.Vnde,in illius Epiſtolis multiplicem hanc,& fortè non neceſſariam interdum,ite-
rationem expendens D.Hieronymus ſuper Epiſt. ad Epheſios, ſic ſcribit: *Hoc patiebatur Paulus ex nimio amore Chriſti,vt eum,quem diligebat, ſuperfluè & extraordinariè nominaret*, &c.
Chryſoſt. 1. Cor. 1. Ad imitationem D.Pauli,me diuinus Chryſoſtomus accendit ſuper primam ad Corin-
thios Epiſtolam, dum ait:*Tu autem conſidera,quo pacto Paulus Chriſti nomen,auditorum cordibus frequenter affigat,& ſemper eum quem deſiderat, nominet*,&c.

IV. Societas IESV. 13. Poſtrema,non poſtremo fortaſſe loco ponenda,eſt ipſa IESV ſocietas;cui ego, iam
inde à teneris annis, perpetuo adſcriptus ſum autoramento.Ducis militiæ,quam ſequor,
agnoſco teſſeram.Expertus ſum,commilitonum, qui eadem mecum ſequuntur caſtra,
placendi tanto principi ſtudium. Scio nil tam gratum eſſe poſſe ſocijs meis, qui inſtau-
ratis cæleſti ope viribus,contra importunas Tartareæ cohortis quotidie dimicant incur-
ſiones; quàm ſi illis, in ipſo operis mei veſtibulo, IESV nomen offeram, quod inſtar
diuini fulminis,Societati noſtræ ſemper extitit, aduersùs omnium hominum, qui eam
perſequi conati ſunt, fraudulentas molitiones.Bono nos animo,ô Socij, eſſe iubet Apo-
1. Cor. 1. ſtolus. 1.Cor.1.ſiue proſpera incidant,ſiue aduerſa,ſub IESV,in cuius Societate viuimus,
patrocinio: *Fidelis*(inquit)*Deus,per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius*,IESV *Chriſti Domini noſtri*,&c. Certè eos alloquitur Paulus,qui ſub IESV militant. Quid nos? Huius diuini
nominis auſpicio,Societatis eius ingreſſi ſumus hoſpitium.Hoc freti præſidio, ab vmbra
ad ſolem & puluerem læti deſcendimus.Hac anchora ſuffulti vitæ naufragia non formi-
damus. Cùm ergo tot, & tam graues cogitanti animo ſeſe obtulerint rationes, quibus
impulſus,Chriſto IESV, regi ſeculorum immortali, meos conſecro commentarios:næ
ille mihi erit iniurius,qui quod facio,adſcripſerit arrogantiæ. An quòd tu patrocinia pu-
Auguſt. lib. 4.Confeſſ. 4. tas humana,more veterum,qui libros ſcripſerunt,quærenda, atque victuro operi præfi-
genda, in eam me vis adducere ſententiam? Non euinces profectò. Antiquitatem vene-
ror,ſed non morem.Non enim faſtoſo alicuius humani principis elogio viuunt libri, ſed
genio ſuo,& quaſi ſucco.Quòd ſi hæc vna res victuro ſufficit libro; quid autumas fore, ſi
inſuper IESV nomine,quod eſt ſuper omne nomen,fuerit prænotatus? Placuit D. Au-
guſtino Hortenſij Ciceroniani eloquentia,ſed in eo minùs grata fuit, quòd inter legen-
dum, in dulciſſimum IESV nomen nuſquam inciderit, ſine quo nihil illi poterat place-
re,qui miro perfuſus gaudio,IESVM ſolebat vitam ſuam appellare. Auguſtini ego ver-
Meditat. cap 31. ba, quoniam ex intimo pectore pium amoris affectum erga Chriſtum promunt, quo va-
leo ſtudio & affectu,ex meditationũ libro ſumpta, Coronidi huius operis libenter atte-
xo,& mea,ſi licet,facio.*Melius* (inquit) *mihi eſt,non eſſe,quàm ſine* IESV *eſſe.Melius eſt,non viuere,quàm ſine* IESV *viuere.* Illud ego inſuper profiteor, nec hoſce commentarios, nec
alia vitæ maiora decora,imò nec vitam ipſam iucundam mihi aliquando fore ſine IESV,
cuius aſtrictus beneficijs,diuinũ illius huic operi affixi nomen.Trahe igitur,ô bone IESV,
me ad te; vt ſicut tuus ſum redemptione & vocatione; ita tuus ſim imitatione atque di-
Habacuc. 3. lectione. Sic enim dum alij humana quærunt patrocinia,& ſibi, quòd ea inuenerint,ap-
plaudunt:*ego in Domino gaudebo,& exultabo in Deo* IESV *meo.*

COSMÆ MAGALIANI
E SOCIETATE IESV,
SACRÆ SCRIPTVRÆ PROFESSORIS,

Ad Lectorem

Sacræ Ioſue Hiſtoriæ commendatio.

1, SACROS libros vniuersè omnes, ſemel nobis grauiſſimis verbis tanquam θεοπνεύστους, hoc eſt, diuino ſpiritu dictatos, & Reipublicæ Chriſtianæ valdè vtiles, Apoſtolus commendauit, 2. Tim. 3. *Omnis* (inquit,) *ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Apoſtolo concinit ſummus in terra, Chriſti Vicarius, B. Petrus, ad finem cap. 1. Epiſt. 2. dicens: *Omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia. Sed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quare cùm à Deo, qui autor eſt cuiuſcunque Canonicæ ſcripturæ, quidquid vtile eſt & laudabile, tanquam à fonte promanare, nemo, niſi peruicax ſit, dubitare poſſit: profectò illius libri lectio vtiliſſima videri debet, qui & Deum, vt cæteri, autorem habet, & admiranda inſuper rerum maximarũ continet ſpectacula. Atqui in noſtro Ioſue, vt iam, quò te ducat oratio, intelligas: præter hæc duo, quæ & fidem conciliant hiſtoriæ, & vel ſuperbo legentium faſtidio remedio ſunt: multa alia, cùm in contextu, tum in commentariis occurrent, quæ & Principes ad rectam publicæ priuatæque rei adminiſtrationem erudiunt: & duces in bello, qua prudentiæ & pietatis ſignificatione, in vtraque fortuna ſe gerere debeant, inſtituunt. Atque vt paucis multa complectar, veterum hic Iſraelitarum agnoſces

Magnanimóſque duces, totiúſque ex ordine gentis,
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia.

Et verò, vt vtilitates aliquot celebriores enumerem, quæ lectori ſtudioſo gratæ erunt & periucundæ: Primùm ſubit animum, Dei in Chananitidis terra, Abrahæ poſteris, ſub Ioſue aperienda & tradenda, conſtans decretum. Anni erant elapſi, plus minúſue quadringenti ſupra quinquaginta, vt dicitur Act. 13. à Natiuitate Iſaac, vt Beda interpretatur: imò 475. ſi annos numeres, ex quo id fuerat Abrahæ à Deo promiſſum, quod in hoc libro, ipſius præſtitum nepotibus narratur: qui tamen tam diſſimiles ſæpe illi ſuo parenti extiterant, vt multam illos dediſſe operam crederes, quo ſe tantis facerent indignos promiſſis. Hic ergo haud obſcurè apparebit Dei incredibilis, etiam in peruicaces, benignitas, & in tuenda verbi ſui veritate conſtantia. Quid enim non fecit Deus, vt Hebræos poſt condonata ſæpius Idololatriæ, ad quam proni erant, fœdiſsima peccata, in terram induceret promiſſam? Id meditatus Habacuc, cap. 3. Deum inſtar bellatoris deſcribit. Qui populum ſuum antecederet, Morte & Diabolo, veluti duobus diuinæ iuſtitiæ ſatellitibus, ad profligandos Iſraelitarum inimicos præeuntibus. Sic enim intelligo carmen illud, *Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius,* Pro, *Cornua in manibus eius*; Pagninus, & Vatablus vertunt, ſplendores de manu eius fuerunt ei. Relatiuum *ei* referri putantes ad Moſen; cuius facies ex conſortio ſermonis Dei, cornuta facta eſt. Alij verò ad Deum referunt relatiuum *eius*, cornua autem, tabulas legis interpretantur: ex quibus veluti lucis cornua, hoc eſt, flexuoſos flammarum radios, affulſiſſe, aliquorum opinio eſt: eo fortè argumento, quòd Deut. 33. dictum ſit, legem ignitam in dextera Dei fuiſſe. Ineſt autem in radiis & flammis, figuræ pyramidalis, quæ cornua imitetur, nonnulla effigies. Ego cornua interpretor, diuinæ maieſtatis, præeuntis populum ſuum in promiſſæ terræ ingreſſu, duos veluti ſatellites, mortem dico & diabolum Propheta quippe confeſtim ſeſe explicat, & de more diuinis vatibus vſitatiſsimo, id quod meta-

Sacri libri omnes Reip. vtiles.

2. Tim. 3.

1. Petr. [illegible]

Liber Ioſue [illegible]

Virg. 4. Georg.

Conſtans Dei [illegible] promiſſis [illegible]

Habacuc 3. [illegible]

Pagn. Vatabl.

Exod. 34. [illegible]

Deut. 33. [illegible]

phoricè & ænigmaticè dixerat, apertè declarans, addit: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius.* An nouum eſt in ſacris literis, eos dici ventilare cornu, à feris cornupetis ſumpta tranſlatione, qui hoſtes debellant, & proculcant? Duo tantùm proferam teſtimonia, cùm ſexcenta poſſem. Vnum ex Pſal. 43. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.* Alterum, ex Deut. 33. vbi Moſes benedicens Ioſeph, ait: *Quaſi primogeniti tauri, pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis, cornua illius: in ipſis ventilabit gentes.*

Ventilare cornu hoſte, quid ſit? Pſal. 43. Deut 33.

Iam Deum, mortis, ac Diaboli miniſterio, quaſi cornibus in hoſtes ſuos intentis ferri; num vno tantùm loco ſcriptura teſtatur? Pſal. 77. *Miſit* (inquit vates regius) *in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immiſſionem per Angelos malos viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, & non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte concluſit.* Vides, Diabolo & morte, tanquam cornibus, in Ægypto vſum Deum, ad hoſtium populi ſui vltionem? Idem vates, morte, ac Diabolo feriri Doeg Idumæum, alióſque hoſtes efflagitat. Pſ. 108. *Diabolus*, inquit, *ſtet à dextris eius: fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* His ſimilia commemorat Habacuc, Deum nempe, pro Hebræorum iniquitate, id eſt, pro ſupplicio, illorum ſceleribus debito: morte ac Diabolo, tanquam duobus cornibus, ad feriendum concinnatis, in Chananæos, vt Iſraelitas in eorum opima regione, ad modum ſelectæ vineæ, plantaret, irruiſſe, tandémque funditùs profligaſſe. Porrò in his cornibus abſcondita dicitur Dei fortitudo: quia & Diabolus & mors, vt dictum eſt Ezech. 9. *Vaſa interfectionis* Deo ſunt. Cornua autem aſſeruandis aliquibus rebus, olim vſui fuiſſe quis neſcit? Nónne cornu olei vngendis Regibus, ſacerdotibus, & Prophetis deſeruit? Cæterùm Hebræa verba, quæ ita habent (*cornua è manu eius*) indicant hæc duo, mortem ſcilicet, quæ *fortis* dicitur, Cant. 8. & Diabolum, qui Luc. 11. *fortis armatus* vocatur, à valida manu, & fortitudine, ſiue potentia Dei irati in Hebræorum hoſtes, ex vaſis, in quibus tanquam gladius in vagina ſeruantur, fuiſſe immiſſa. Hoc ipſum declarant illa verba (*ibi abſcondita eſt fortitudo eius*) Pro Diabolo, vox Hebræa, *peſtiferum*, ſtrages quoquouerſum dantem, & ignea vi, obuia quæque funeſtantē, ſignificat. Quo pacto Homerus furiam confinxit de cœlo deturbatam, quam Aten, id eſt, noxam appellauit, quæ miſeros homines innumeris implicat malis. Quid, ſi quem Habacuc Diabolum hic vocat, ille ipſus eſt, quem Deus Exod. 23. terrorem appellat, & ante filios Iſrael ſe pollicetur immiſſurum? *Terrorem meum* (inquit) *mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris.* Fortè hi ſunt Crabrones illi, de quibus agitur Deut. 7. & Ioſue 24. *Crabrones* (inquit Moſes Deut. 7.) *mittet Dominus Deus tuus, donec deleas eos*, &c. Annon duorum patrum Canticum, Ambroſij, inquam, & Auguſtini, morti, quendam quaſi veſpæ tribuit aculeum? Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cęlorum. & D. Paulus, *vbi eſt*, inquit, *mors, ſtimulus tuus?* II.

Deus morte & Diabolo, tanquam cornibus, in ſuos hoſtes ferire. Pſal. 77.

Pſ. 108. Imprecatio grauiſſima Dauidis contra Doeg Idumæum.

Ezech 9. Vaſa interfectionis. Cornu olei vnctionis Regum & ſacerdotum inſeruiit. Cant 8. Luc. 11.

Homerus. Aten ſine noxam è cœlo exturbatam fuiſſe Homerus. Exod. 23. Terror immiſſus à Deo in hoſtes, diabolus dicitur. Deut. 7. Ioſue 24. Ambroſ. Auguſt. Mortis aculeus 1. Cor. 15.

Altera vtilitas, ex cognitione exiſtit perſeuerantiæ, qua Deus morte & Angelo, ſcelerum vltore, præcedentibus, tandiu Chananæos attriuit, donec ſtetit tandem in terra promiſſa, eámque menſus, duce Ioſue, in funiculo diſtributionis, diuiſit tribubus Iſrael; pulsíſque hoſtibus, pacificum populo ſuo attribuit dominatum. Hoc autem non bellico apparatu, aut humanæ induſtriæ opibus peractum eſt: cùm gentes illæ, longè Iſraelitis numeroſiores eſſent, & viribus pollentiores: ſed ſolo Dei pręſentis Numine: cuius Ioſue audiens oracula, cadentibus ad tubarum ſonitum Hierichuntis mœnibus, aliarúmque vrbium ciuibus, terrore diuinitus iniecto, paſſim terga dantibus, omnium potitus eſt. Hinc illud: *Neque enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & Brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua Domine, & illuminatio vultus tui*, &c. Solo Dei aſpectu profligatæ ſunt illæ gentes; quæ terram Chanaan multis ſeculis inhabitauerãt, magnáque potentia, & Giganteis fultę viribus, pelli ſe ab hęreditario ſolo, non poſſe exiſtimabant; mox, vt Deus, cui Reges & principes *montium* & *collium* nominibus ſignificati, incuruantur, cum populo ſuo, ingreſſus eſt; ſolo illius vultu in ſtuporem conuerſi, & ad terram proſtrati, iacuerunt. Hęc explicuit Habacuc illis verbis: *ſtetit, & menſus eſt terram: aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi: incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius*, &c. III.

Deus tandiu in Chananæos morte & Diabolo, ſatellitibus ſuis, vſus eſt, donec ſtetit, & terram Iſraelis partitus eſt.

Pſal. 43.

Dei præſentia ad terram deuicti Chananæi terram Iſraelis. Explicatur Habacuc. cap. 3.

Tertia vtilitas, percipitur ex cognitione modi, quo plerique interpretantur, Deum in terra Chanaam ſtetiſſe, vt populo ſuo pręſens & fauens adeſſet. Etenim Dei arca, cùm antea per omnes, quę expugnabantur, vrbes circumferretur, vt in Galgala ventum eſt; annis ibi quatuordecim, erecto & immoto conſtitit Tabernaculo; donec cunctę vicinę gentes ſunt debellatę. inde Deus, omnibus veluti è regio ſolio, pręerat negotiis; inde iuſſis & interdictis cum populo agebat; inde Ioſue reſponſa dabat · inde metiri agros iuſſit: inde, *aſpexit & diſſoluit gentes*, hoc eſt, vt Hebræa ſonant, veluti noxias herbas agricola, ſic Deus ſceleratos incolas extirpauit & funditus ſuſtulit; & quia Deus (vt, inquit, Baruch. 5.) conſtituit *humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes; itineribus æternitatis*; hoc eſt, maie- IIII.

Arca Dei 14. annos fuit in Galgala, donec vicinæ gentes ſunt debellatæ. Ex tabernaculo Deus reſponſa dabat, & tanquam rex e regio ſolio Iſraelem gubernabat. Baruch. 5.

ſtatis

ſtatis ſuæ; principes,qui inſtar collium & montium, nimia potentia intumuerant,ad terram deiecit, atque contriuit. Quid,quòd in his omnibus mirabilibus, tanta Dei affulſit clementia, vt cùm populus Hebræus ob flagitia,quæ paſſim admittebat, præſertímque ob inſignem ingratitudinem, mille dignus eſſet cruciatibus,mille damnis:ille nihilominus memor verbi ſancti,quod habuit ad Abraham puerum ſuum; *pro iniquitate* (vt Habacuc phraſi vtar) hoc eſt,loco pœnæ, qua grauiſſima digni erant, cumulata eis præſtiterit beneficia.

Principes inſtar collium ſunt.

Pro iniquitate, Deus non pœnis affecit Iſraelitas, ſed donis cumulauit.

V. Quarta ex Ioſue ſtudioſis actionibus colligitur. Exhibet ille nobis, quæ principem aliúmue, domi militiæque florentem, magiſtratum decent, præcipuas virtutes: quarum ſumma eſt, cum Sacerdotibus agere; Deum in rebus dubiis conſulere; diuina oracula omnibus humanis conſiliis anteponere;Deo,qui ſolus nouit,quæ facto aut non facto opus ſint, fidere. Hinc principum autoritas dependet: hinc rerum gerendarum ſucceſſus:hinc felicitas. Neglecta religione, ſi humana Reges ſectentur conſilia, quò tandem euadent imperia? Bellum,pacem,omnia in præceps trahet temeritas.

Ioſue exemplar boni ducis. Deum & ſacerdotes in rebus dubiis boni principes conſulunt.

VI. Quinta ex vulgi fide,& religioſi cultus conſideratióne elicitur. Quis ignorat, eximia popularium religione,& pio in Deum affectu,Reſpublicas,nõ ſolùm conſeruari,ſed etiam quod valdè optandum eſt,beata ciuium pacificatione efflorefcere?Quanta modeſtia & in obſeruatione legis conſtantia, Iſraëliticus populus,Ioſue imperante,vixerit: & contextus ipſe facet luculenter oſtendit, & nos ſuis locis annotabimus. Proinde Imperator, atque adeò quilibet magiſtratus, Ioſue principis optimi & religioſiſſimi exemplo diſcere ex ſacra huius libri hiſtoria poteſt,quàm deceat,non ſolùm ſe ipſum pium, ac ſtabilem erga Deum exhibere cultorem: verùm etiam procurare,vt clientes,& alij quocunque nomine ſibi ſubditi,religionem inprimis colant,& ſanctiſſimè tueantur.

Reſpub. ex populorum pio in Deum affectu efflorefcunt.

Principem decet eſſe pium & ſtabilem Dei cultorem.

VII. Sexta in eo eſt, quod ſacri eloquij ſtudioſis, non poteſt non eſſe gratum. Proponitur namque & quaſi oculis ſubiicitur vniuerſæ Chananææ regionis deſcriptio:quæ etſi ignotarum vocum numero, lectori moleſtior videri poſſit, quàm vtilior:neceſſaria tamen eſt ad difficiles plurimorum ſacræ ſcripturæ locorum nodos rectè & vtiliter explicandos. Nec verò mei ingenij eſt,ita in nominum Hebræorum, aut cuiuſcunque alterius idiomatis literulis,ſyllabis, & compoſitionibus; quod plerique faciunt,immorari; vt in huiuſmodi grammaticis meditationibus hebetari guſtus debeat,aut ſatiari. Id ſolùm perſequar, quod & explanationi, horum delibatione inſeruiet,& faſtidio affine non ſit. Scio plerosque in eo gloriari, quòd in ſacris literis exponendis Hebræa corrigant: Græca obeliſcis confodiant;Latina cum fonte comparent. Inuenies alios,qui in eo ſunt toti, vt ex variis M.S. exemplaribus,multos ſe locos à mendis purgaſſe confirment.Hoc,inquiunt,in Vaticano codice: illud in Conſtantienſi,aut in Complutenſi eſt. Aliter Chaldaica,aliter Syriaca tranſlatio habet. Quaſi verò omnes M.S.codices,& quos illi duntaxat viderunt,emendatiſsimi ſint? At ſint emendatiſsimi. Quid neceſſe eſt,poſtquam vnum correctum codicem indicaſti,in cęteris enumerandis ſeneſcere? Præterquam quòd,qui huiuſmodi grammaticationum affectator eſt,lectores magis importunitate deterret, quàm voluptate vlla, aut fructu allicit. Nos igitur,in locorum deſcriptione,& vocum explicatu,eiuſmodi adhibebimus temperamentum, vt non coacta, ſed inuitata in ſuum locum veniſſe, quæ in hoc genere tractanda occurrerint, videantur. Fortè olim operæpretium fuit in corrigendo contextu, ob varietatem codicum & tranſlationum immorari: (quanuis etiam tunc Hieronymi, Auguſtini,& cæterorum Patrum(ſi vnum Origenem excipias, qui quod in ea re fieri neceſſe fuit,peregit) in vocabulis verſionum iugulandis, aut notandis, mira fuit ſemper modeſtia)nunc,poſtquam iuſſu Sixti V.Põtificis Maximi vulgata editio Latina,& 70. Interp. tranſlatio,ſuo nitori reſtituta eſt; quid mihi tu ſexcentas, quas videris,ad ſingulos cuiuſcunque capitis verſus enumeras tranſlationes? Cum Hebræo, Græco, Latino, Interdum cum Chaldaico:rarò cum Syriaco exemplari,nobis negotiũ erit. In Latino contextu, ſecundùm correctam editionem,ab Eccleſia receptam, explicando verſabimur: ſi quid interim quod ad mores,aut eruditionem pertineat, ſeſe obtulerit,id quoque, veluti in epulo vario conuiuarum,palato adipales eſcas reponemus.

Deſcriptio terræ ſanctæ in hoc Ioſue pro manu habenda eſt.

In re grammatica non eſt immorandum.

Quorundam pertinax cura in emendando in collatione idiomatum & codicum M S.

Affectator grãmaticationum in ſacris literis lectorem deterret.

Hieronymi & Auguſtini par cura in tractando & conſeruando codices. Origenes. Sixti 5 editio. 70. Interpr. emẽdatus codex.

Proponitur nobis explicanda vulgata Latina editio.

VIII. Poſtrema & maxima vtilitas,ex integra huius hiſtoriæ narratione conſtat. In ea quippe non tam Ioſue Iſraelitici populi ducis res geſtas legimus, quàm IESV Chriſti, Dei & hominis,ſacramenta,ipſamque ſalutis noſtræ in typo œconomiam.Profectò Ioſue & nomine & factis Chriſtum admirabili modo adumbrauit, ſuóque exemplo nos docuit,nonniſi labore & induſtria, iugulatis vitiis,virtutes,quibus ad cæleſtem quam ſuſpiramus hæreditatem,iter obtineri, quod ex Auguſtino,Adamantio ,Ruperto, aliiſque patribus ſuo loco annotabimus. At dicet aliquis,quid laboris pertulit Ioſue? Illi, fluuius, vt ſicco pede cum exercitu in terram promiſſam tranſiret,alueum miraculo ſiccauit.Illo acies in gyrum

Ioſue exemplo ſuo nos docuit, iugulatis vitiis ad cœlum iter patere. Auguſtinus, Adamantius. Rupertus.

ſepties

Miracula Ioſue ducis quæ ſint. ſepties circumducente, muri ceciderunt Hierichuntini: Archangelus Michael, cui ſynagogą curæ fuit, de futuro rerum euentu ſolicito, certiſſimam pollicitus eſt victoriam. Quid multa? Chananæorum Reges, Gabaonitas, cum Iſraeliticis paulò antè fœderatos, ſociali bello oppugnantes, non militari catapulta, aut diſtricto ferro attriuit, ſed cœlo ipſos, geminatis fulguribus, tanquam haſtis & lapidibus grandinum, tanquam emiſſis ab ſclopetto plumbeis globis, ad internecionem vſque feriente. Quid? quòd pro votis Ioſue, ne *Ioſue 10.* nox perfecti triumphi ſpem interciperet, *ſol, & luna ſteterunt in habitaculo ſuo?* ſunt iſta: ſed quid hæc anteceſſerit, non commemoras? Quis illo vnquam fuit magis in præfectura ſo- *Ioſue in præfectura ſolicitus quàm fuit.* licitus? quis in vigiliis, pro populi ſibi commiſſi ſalute ſuſcipiendis, magis frequens? quis in precibus, Deo religioſè pro felici bellorum exitu fundendis, magis aſſiduus? Quis in populi ſceleribus vlciſcendis conſtantior? Quis in Eleazari ſummi ſacerdotis, quem vt Dei interpretem colebat, obſequio promptior? Quis in diuinis oraculis ſciſcitandis, & irato Numine placãdo religioſior? ſiccine? Nullam putas incidiſſe Ioſue difficultatem; modò mittendis opportuno tempore ad pugnam militibus; modò apud ſe, ne, Deo inconſulto, *Prudentia Ioſue in militum diſſidiis componendis.* pugnent, retinendis? An nulla fuit in ſpoliorum, iugerum, & aliarum rerum diſtributione contentio? Litigant milites pro vno aureo nũmo donariui nomine à duce recipiendo: idque interdum cum non dubio capitis periculo: Quid pro opimæ prædæ diuiſione, in tot ac tam inſignium vrbium expugnatione factum putas? Iam quantus labor fuit, eniti, vt ex ſexcentis hominum millibus, aliáque turba, nemo non circumcideretur? plebem ad idololatriam ſponte effuſam, à ſuperſtitioſis ritibus ad pietatem traducere, num leuioris brachij res fuit? In rebus ferè omnibus gerendis, nonne verum eſſe experimur, quod à Poeta, dictum eſt,

Vulgi ſtudia quàm diuerſa. *Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.*

Quid in tam numeroſo exercitu? Quid in tam multiplici negotiorũ varietate? Quàm diuerſa inter ſe ſunt Principum & Tribunorum arbitria? Quàm incerta vulgi furentis ſtudia? Quid populus rebus ſecundis laſciuiens, aut aduerſis querimbundus? ***Bellua,*** inquit ille, *Horatius.* ***multorum capitum eſt.*** Proteo ipſo mutabiliorem dixeris, ſi pernoueris. Quoties opus fuit Io- *Ioſue Deum precatur, ne in rebus gerendis animum noceatur.* ſue, ad ſedanda tumultuantis populi diuerſa ſtudia, vt pax rebus eſſet, Deum conſulere; ſacco indui; ieiuniis macerari; zelo diuinæ gloriæ, ab ignominia aſſerendæ, preces fundere: ac randem fœdè & impiè inter ſe diſſidentes contribules, partim clementia, partim ſeuero ſupplicio, ad ſana conſilia adducere? Fuit profectò fuit Ioſue, dum vixit, variis catenati laboris & difficultatum nexibus implicatus: à quibus nihilominus ille ſe, Deo bene iuuante, non ſegniter, vt alij, ad dedecus & ignominiam nati, expediuit. Multa tulit: multa perpeſſus eſt, donec populum, ſibi Dei iuſſu commiſſum, in promiſſam maioribus *Virtus ſudore parandaeſt Adamantius.* ſuis terram victor induxit. Sanè ſudore multo parandam virtutem docuit: nobíſque, ſi promiſſa à Chriſto, militiæ noſtræ duce, cuius ille, vt inquit Adamantius, nomine & factis typus fuit, felicitate frui volumus, vt ſimilem ad gloriam & præmia viam ineamus, exemplo eſt.

HISTORIA IOSVE
AD LECTOREM.

I. NON acies,non regna odiis alterna profanis
Decertata canam: non fulmine tacta Gigantum
Corpora: non quicquid patratum Græcia iactat
Herculis auſpicio. Procul hinc iubet ire profanos
Ioſue: cuius, Chananitidis accola terræ,
Obiiceret quanuis minitantia corpora cladem
Mole gigantea,virtutem exhorruit:illi
Iſacidum poſtquam ſunt tradita iura;Tyrannos
Sceptráque iurato pugnantia fœdere vicit.
II. Conſiliis actus cœleſtibus impulit vndas
Iordanis refugos tunc primùm agnoſcere curſus:
Et vada ſiccato pedibus dare peruia fluctu. Ioſ. 3.
Abrami apparent promiſſa nepotibus arua:
Hic vbi melle fluit tellus:vbi lactea paſſim
Flumina decurrunt. Suadent oracula,gentem,
Quæ colit arte hominum ſimulacra inſculpta figuris,
Ferro atque igne ſequi.Mora nulla:accingitur armis
Ioſue:Properant biſſeni in bella manipli.
Mira fides:vrbis,quæ primùm occurrit,ab alto Ioſ. 6.
Culmine deiecti venerantur Numina muri.
Sacra ſacerdotum ſepteno inflata tumultu
Cornua complanant turres.Subit agmine ductor
Compoſito.Iſacidæ iugulant mucronibus hoſtes.
Nil ſupereſſe ſinunt:vindex vorat omnia flamma. Ioſ. 6.
Sic placitum, viuat Rahab,dux inclytus,vna
Viuat,ait.Referam Achani quid furta?piabit
Ab miſer!igne nefas.Non temnere diſcite Numen Ioſ. 7.
Mortales:ſcelus occultum vindicta ſequetur.
Quid Regum memorem peſſum data colla?cohortes Ioſ. 9.
Quanuis mille trahant,auro & fulgentibus armis
Inſtructas:licèt æratis ter mille quadrigis
Gentis Amorrhææ tumeant:In bella Tyranni
Ter deni coeant:Ferrum patientur & ignes.
Regalem abiiciet ventoſa ſuperbia faſtum.
Ioſue armati vocem experietur,& iram
Miles Amorrhæus .Sta ſol,ait ille,Triumphi Ioſ. 10.
Tu quoque Luna mei ſta conſcia.Differat vmbras
Nox vicina ſuas:donec caſtra impia Regis
Vnius agnoſcant,parent cui ſydera,Numen.
Dixerat:attonitum ſtupet ad miracula vulgus: Ioſ. 10.11.
Reges enſe cadunt:Miles dat terga:Maniplos
Dum fugiunt,inſtar lapidum,premit horrida grando.
Grandine deiicitur,quem non iugulauerat enſis.

Ioſ. 12. Victores læti arua colunt; promiſsáque Abramo
Ioſ. 18. Regna patri. Tandem monumentum fœderis Arcam
Sede locant : auidè auſcultant oracula. Flammis,
Falſa ſuperſtitio quas olim erexerat aras,
Incendunt. Pax alma beat Chananitidis oram.
Ioſ. 13. 14. 15. 16. 18. Miratur Tribubus metantem iugera vulgus
Ioſue: cui victori ſtant iura, cadúntque.
Poſſeſſæ non lata ſibi atque vberrima terræ
Ioſ. 19. & 24. Deſignat ſpatia: in ſterili ſed vertice collis
Eligit oppidulum: nec magna mole ſepulchrum.
Proh pudor! Haud magno tu qui inſidiaris agello,
Aſpice Ioſue. Poſt funeſtata cruento
Agmina Marte : Tribus biſſenas auget honore,
Ioſ. 24. Atque opibus. Moriens, diuinæ fœdera legis
Iſacidæ ſeruate, inquit; non viribus vllis
Vicimus humanis. Cœli indulgentia totum eſt
Quod ſumus. Ingreſſi veteres migrare colonos
Iuſſimus. Impietas ollis fatum attulit: at nos
Intulit huc pietas. Colite hanc; ne fortè Tyrannos
Concitet in vos ira Dei. Sic fatus, Ieſum
Nomine quem expreſſit, factis & pectore toto
Haurit. Ioſue felix qui exempla ſecutus,
Moribus exornat vitam, & prece numen adorat:
Quo duce, nos virtus promiſſa in ſceptra reponet.

ADMONITIO.

TE in Exordio, amice lector, monitum velim; ſi inter legendum noſtros Commentarios, ſæpius interdum, quàm fortè velles, in Rabbinorum incideris interpretationes; id me neceſſitate feciſſe magis quàm voluntate. Perſpexi enim, ab illis inter nenias & nugamenta, quibus eorum ſcatent libri, aliquid interdum inueniri, quod lucem afferre poteſt difficilioribus ſcripturæ locis tractandis. Quare iis vti, omiſſis inutilibus & commentitiis eorum interpretationibus, in vtroque tomo, parcius tamen quàm alij, operæ pretium eſſe, animum induxi meum. At, ſunt hoſtes iurati Rabbini? ſunt. Nunquid vitio fuit alicui, in hoſtes, etiam iuratiſſimos, telis, ab ipſorum acceptis armamentariis, inuadere? ſuis miſeri à nobis iugulantur gladiis; & errorum, quibus fœdè deturpantur, conuicti, pœnas luunt obſtinatæ impietatis.

IN LIBRVM IOSVE

PRÆFATIO.

De Ioſue imperio & pietate, Anacephaleoſis.

SECTIO PRIMA.

1 AGGREDIMVR hiſtoriam, res à Ioſue, Dei prouidentia, & hominum commodo, præclarè geſtas continentem. Hic eſt ille princeps omni memoria digniſſimus, qui cœlo conatus illius ſecundante promiſſam Abrahamo, & cæteris patribus terram, Hebræis patriarcharum nepotibus, poſtquam bello domitæ ſunt nationes, diuino conſilio obſiſtentes, tradidit poſſidendam: Huic conuenit, ſi illius laudes percenſere libet, illa Homerica inuocatio,

Gen. 12 & 16

Homer. Odyſ. 1.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον,

Et quod ſequitur

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Quas enim gentes non vidit Ioſue? Quorum hominum mores non pernouit? Ipſis fuit gigantibus metuendus. Non hic Circæos adiit ſcopulos vbi homines, in feras, aut cicures animantes, veneſica demutabat Circe: vbi, vt Poëtarum princeps ait,

Virg. Aen. 7.

——Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu: tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Vbi exaudiebantur

——Gemitus iraque Leonum
Vincla recuſantum, &c.

Non vidit Ætnæos fratres cœlo capita alta ferentes. Non Alcinoi hortos. Hæc enim omnia nugæ ſunt, fabulæ, logi. At nos, quicquid ſacram ſecuti hiſtoriam de Ioſue narrauerimus, haud dubium eſt. Multa inter explicandum inſident, quæ nulla vi, aut arte fieri poſſe videbuntur: Illa tamen vera ſunt & indubitata: Natus eſt ſtrenuiſſimus hic Iſraëlitici populi imperator in Ægypto; ſed non ex Ægyptiis parentibus. Ephremitarum gentilitiam nobilitatem & hæreditariam, ipſe heroica virtute factiſque clariſſimus illuſtrauit. Quid pugnas illius referam? Quid victorias? Non ille mentitam Palladem habuit adiutricem, vt Vliſſes; non Vulcanum, vt alij, ſed vnius & veri Dei, præſens numen: quo ſuccenturi antè mare rubrum, ſicco tranſiit veſtigio: Iordanis ſolutis in Libano niuibus, alueum, in ſuperſtantes ripas immodicè effuſum: coercitum vidit: & vt iter Dei populo præberet, refugis fluctibus in fontes commeantem. Non Circen magam timuit: ſed Rahab Cauponam, ex meretrice diuinæ laudis buccinatricem, Dei populo adiunxit. *Viuat (inquit) Rachab meretrix*: cæteri vtriuſque ſexus, vrbis Hierichuntinæ ciues moriantur. Erat mortua in infidelitate, viuat in fide. Laudat Xenophon Cyrum ſuum, quod prudentia & induſtria, facilè, ſibi homines reddiderit obedientes. Idque meritò: cùm D. Gregorius Nazianzenus in Apologetico affirmet, ſitque dogma ſapientum facilius eſſe mutum pecus, imò & feras animantes regere, quam homines. Additque Xenophon, nihil eſſe facilius, quicquid cæteri Philoſophi obloquantur, hominum gubernatione, modò in principe moderatio eluceat, & prudentia. Noſter Ioſue præterquam quòd diuino ſemper fuerit præſidio in rebus laudabiliter gerendis communitus: naturam etiam habuit, ad conciliandas ſubditorum voluntates, quaſi factam. Vnde non legimus Hebræos in monſtroſam idololatriæ fœditatem, aliorúmque vitiorum, Rempub. deformantium labem, illo duce; perinde atque imperante Moſe, viro cæteroqui ſanctiſſimo fuiſſe prolapſos. Eximiam, noctes diéſque ſpectans bonus imperator, ſolidæ virtutis pulchritudinem; legiſque diuinæ exactam obſeruationem, rebus omnibus antiquiorem reputans, incredibilem laudem vel ab ipſis hoſtibus, tanta eſt virtutis vis, in vita & poſt mortem eſt aſſecutus. In virtutem non in purpuram, aut in faſces vehebatur: quippe qui gloriæ inanitatem, qua plerique inflati tument, ſemper neglexerit. Virtus enim, vt quidam ait,

A

Ioſue non abstulit eorum.

Ioſue 6.

Xenophon.

Nazianz.

Facilius hominum gubernatio ſi adſit prudentia.

B

Ioſue virtutis pulchritudinem ſemper admiratus.

C

Fortuna ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuque petit clareſcere vulgi.

Claud. de Conſulatu Theodoſij.

Et infrà,

Diuitiis ammoſa ſuis, inimicitur cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce:
Hanc tamen inuitam blande veſtigas & vltrò
Ambit honor, &c.

2. Ioſue virtutem imitatus eſt Barac, dux Iſraëlitarum ſtrenuiſſimus, qui euocatus Iudic. 4. à Debora contra exercitum regis Iabin, cui præerat Siſara, ſecutus eſt fœminam dicentem illi prophetice; *In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara, &c.* Nam qui non proprio conſilio, ac ſenſu, ſed Dei iuſſu ad capeſſenda magna negotia aguntur; ij ſuæ

Iudic. 4.

gloriæ obliti, quid Deus velit tantum curant, à quo fœlicitas & gloria dimanat. Qui verò fauorem vulgi captant, vt Dathan Abiron, & Core, Dei iuſſa obliti, diuina vltione puniuntur, vt patet Num. 16. Ioſue igitur, non tam vulgi fauorem emereri ſemper ſtuduit, quàm Dei nutum ſequi. Accepit ille, anno ab orbe condito 2727. iuxta Genebrard. ſiue, vt mauult Adrichomius 2493. vt ego puto, 2888. mandatam ſibi à Moſe dum adhuc viueret exercitus gubernationem ad Iordanis ripam, cùm iam ab exitu de Ægypto vnus ſuper quadrageſimum ageretur annus, regnante Cadmo Thebis Beotiæ à ſe conditis, ante Iaſonis expeditionem vt in chronologia refert Genebrard. Tanta autem fœlicitate munus officij ſui obiit, vt tranſito Iordane; tribus menſibus tres ciuitates occupauerit, nempe Hiericho, Hay, & Gabaon, vt cæteras ferè omnes intra 7. annos, ſuo victas adiecerit imperio. Partitus eſt ſortitò agros victis Chananæis hoſtibus ſuis, inter Hebræorum tribus, Leuitica excepta, quæ vndecim fuere. Nam duodecima pars Enachim, data eſt Caleb. De qua diuiſione, ſuo loco plura dicemus.

Qui vulgi captant fauorem à Deo puniuntur. Num. 16. — *Magiſtratus Ioſue.* — *Anno 2727.* Genebrard. — Adrichomius. — *Vixit Ioſue regnante Cadmo.* — *Ioſue ſeptem annis innumeras ſuo imperio adiecit vrbes.*

3. Tempus adminiſtrationis eius, annis octodecim definitur (ſi Genebrardo credendum eſt) Anno namque poſt partam quietem quarto, vita functus eſt. Hebræi ferè eum deceſſiſſe putant, decimo tertio, aut decimo quarto, quo eius principatum annorum faciant 27. aut 28. Audiendi non ſunt, qui affirmant eum 14. tantùm poſt Moſen annos vixiſſe, vt Rabbi Moſes, in more lib. 2. cap. 32. qui hanc ſententiam eo non dubitauit aſſerere, quòd nulla fiat mentio in ſcriptura annorum, quos vixerit poſt illos 14. in debellanda diuidendaque terra conſumptos. Multa enim ſubticentur in ſacris litteris, quę neceſſe eſt intelligere, vt chronologiæ ratio conſtet. Quibuſdam Ioſephus placet dum ait, eum decimo poſt finem bellorum anno obiiſſe; vt hac ratione 24 aut 25. annos principatus illi attribuat. Sed quo modo à Genebrard. adminiſtratio eius, duo de viginti annis abſoluitur, morte in quarto anno, poſt quietem Iſraëlitis partam, interueniente? ſubductis (inquit ille) temporum rationibus, & in vnam ſummam collectis facilè perſpicimus, quid ſummæ 480. annorum de quibus agitur 3. Regum capite 6. deſit, & qui anni ad eam explendam ſint neceſſarij. Communior tamen ſententia ad Hebræorum calculum accedit. Imperaſſe namque Ioſue annis 26. completis, aut 27. inchoatis; multa confirmant argumenta, quæ in procurſu hiſtoriæ cumulabunt. Atque ad hanc ego ſententiam, quia veritati magis concinit, libenter accedo cum Clemente Alex. lib. 1. ſtromat. Euſeb. lib. 10. de præparat. Euang. Sulpitio lib. 1. ſacræ hiſtor. Auguſt. lib. 19. de ciuit. c. 22. Bedæ & Ioſepho qui prædictam ſummam ferè attigit; & accuratioribus Chronologiæ ſcriptoribus.

Ioſue 18 annis gubernauit Hebræos ex Genebrardi ſententia. — R. Moſes in more. — Ioſephus Antiq. lib. 5. c. 4. — Genebr. lib. 1. Chron. — 3. Reg 6.

4. Fuit illius mira cum Deo familiaritas, & flagrans perpetuo animus ad ſtudium legis diuinæ obſeruandæ. Tranſtulit de Galgalis tabernaculum, atque in Silo fixit: vbi ad extrema vſque Heli tempora perſeuerauit, mole lapidea infernè extructa, & cortinis ad fœderis diuinæ arcæ, operimentum, ſuperne, decenter compoſitis, vt cap. 14. explicabitur. Vide Genebrardum libro 1. Chronologiæ.

Ioſue 14. Genebrard

De nomine & factis Ioſue, ducis Hebræorum clariſsimi, qui multis modis Christi Domini figura fuit.

SECTIO II.

1. QVEM nos, cum Latinis interpretibus vocamus Ioſue, appellant ferè Græci omnes Ieſum filiũ Naue: Et D. Hieronymus, Ioſue filium Nun. Non quòd binominis eſſet, tam ipſe quam illius pater: ſed quia quem Hebræa lingua vocat, יהושע. Iehoſua; pro quo Hieronymus vertit, Ioſue. Sept. interpretes quos Eccleſiaſtici cap. 46. Latinus interpres ſecutus eſt, vocant Ἰησοῦς: eodem nempe nomine, quo generis humani ſeruator, appellatur & colitur. Et quem Hebræa origo vocat Nun, Sept. interpretes dicunt Ναυή. vocabatur anteà vir ſanctus, de quo agimus Oſee ſiue, vt in Hebræo eſt הושע. Hoſea: Sed Moſes in imponendis nominibus ſemper felix; vt ſolent parentes filiis chariſſimis interdum facere adiectione vnius litteræ, & mutatione vnius pũcti, vocauit eum Iehoſua, vt legitur Num. 13. Hoſea igitur dictus primùm fuit, ab Oſe ſiue Hoſa, quod eſt ſcribe ſiue ſcribito. Erat enim veluti amanuenſis, & ſecretorum Moſis conſcius. Et quia bene ſe geſſerat, cùm in cæteris factis ad populi ſalutem ſpectantibus, tum in illo fideliſſimi amanuenſis munere rectè obeundo: Ieſus, ſiue Iehoſua, hoc eſt, Saluator vocatus eſt ad ſpem gerendi res maiores, & tanto dignas nomine. Sunt, qui nomen Ioſue, non idem eſſe putant, quod Ieſus: cùm prius nomen compoſitum ſit ex nomine Dei præcipuo Iehoua & Ieſuach, vt idem valeat, quod Deus per eſſentiam Saluator, vel Saluabit. Quod nomen optimè congruit perſonæ Ioſue Imperatoris, qui fuit typus veri Saluatoris Chriſti Domini: licèt interdum more ſcripturæ, per contractionem Ieoſuagh vocetur Ieſuagh, id eſt Ieſus. Sicut Eliachim per aphæreſim, interdum dicitur Elim. Vide Pagninum in expoſitione nominum, Hebræorum, & Appart. Bibl. Confirmat quoque hanc opinionem illa ratio, quia Iehouagh eſt nomen quinque litterarum; Ieſuagh, quatuor, vnde concludi videtur non eſſe idem nomen: ac proinde nec Ioſue, & Ieſus. Nihilominus Græci patres, quem nos Ioſue cum D. Hieronymo vocamus, eundem illi Ieſum appellant, quos multi ex Latinis imitãtur.

Hieronymus. — *Ioſue Græci Ieſum vocant.* — *Sept interpretes* יהושע Eccl. 46. — *Nun Sept. Interpretes dicunt Naue.* — *Moſes felix in nominibus imponendis.* — *Nomen impoſuit Ioſue* Num 13. — *Ioſue fuit amanuenſis Moſis.*

2. Laudes & facta illuſtria huius inſigniſſimi ducis: prætérquamquod curſim ſectione præcedenti perſtrictæ ſunt; egregiè indicantur Eccl. cap. 46. his verbis. *Fortis in bello Ieſus filius Naue ſucceſſor Moſis in prophetis. Qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſraël. Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & iactando contra ciuitates romphæas, &c.* Singula expendamus. Laudatur in primis à fortitudine in prælijs manifeſtata. Nam vt infrà dicetur cap. 12. vnum & triginta reges expugnauit, & occidit. Et in lib. Exod. cap. 17. ſcribitur, viuente adhuc Moſe, & ſpirante, cùm Iſraëlitico præeſſet exercitui; Amalechitis atque Amorrhæorum regibus debellatis, muniſſimas vrbes quæ populo Dei cederent in ſortem, occupaſſe. Victorias verò poſt mortem Moſis de Chana-

Eccl. 46. — *Ioſue vnum & triginta reges occidit.* Exod. 17.

næis

næis partas, non opus eſt recenſere; cum in hoc ipſo, in quo ſumus, libro illius nomine inſcripto, contineantur.

Ioſue prophetico ſpiritu fuit afflatus.

Deinde eo celebratur, quòd Moſis viri laudatiſſimi, meruit eſſe ſucceſſor, cùm in imperio, tum in ſpiritu prophetiæ. Facit, vt ſpiritum prophetię intelligamus Græcus codex, qui vbi noſtra vulgata editio habet *in prophetis* legit ἐν προφητείαις; hoc eſt, in prophetiis, ſignificans nimirum Ioſue in ſpiritu prophetico, ſucceſſiſſe Moſi, vt nemini iam dubium ſit, cum non humana ſolùm prudentia rexiſſe populum; ſed etiam afflatu cœleſti, atque adeò ſicut Moſes, inſpiratione diuina. Quare cum prophetis, & cū viris familiariter cùm Deo agentibus numerandus eſt: de quibus Philo Iudæus, in lib. de præmiis & pœnis, ſic ait. *Hoc genus hominum propè Deum habitans, imaginatur ſemper æthereas pulchritudines, & cœleſti amore ducitur, &c.* Vnde de eo Deut. 34. ſcriptum eſt. *Poſt mortem Moſis Ioſue filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moſes poſuit ſuper eum manus ſuas.* Quare quod nos legimus in vulgata editione *ſucceſſor Moſis in prophetis*, ſic intelligēdum eſt, vt poſt Moſen fuerit inter prophetas numeratus, ſeu quod idem eſt, propheta fuerit, cui Dominus ſuā voluntatem indicauit, ſicut priùs Moſi.

Ioſue propheta fuit.
Philo Iud.
Sancti viri cogitant ſemper æthereas pulchritudines.
Deut. 34.

3. Tertiò, laudatur ab Etymologia & dignitate ſuæ appellationis cùm dicitur, *qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum.* Cùm enim nomen IESVS, Saluatorem ſignificet, ſicut & Iehoſua, quod à ſalute deriuatur viſus profectò eſt, ſui impleuiſſe nominis menſuram in præſtanda ſalute & pace populo ſibi commiſſo. Verba autem illa, *expugnare inſurgentes hoſtes*, poſita ſunt Græco more, pro gerundio, *expugnando.* Hac ſanè in re magnus eſt Ioſuë, quia, & hoſtes inſurgentes expugnauit, & vt Iſraëliticus populus promiſſam obtineret hæreditatem, effecit: ſed multò maior oſtenditur, quia typum geſſit nomine & factis noſtri Saluatoris. Vt enim ille dictus eſt à Moſe Iehoſua à ſalute corporis, quā populo Dei contulit: ita Chriſtus Dominus generis humani Saluator, à Deo patre nomē accepit, ob ſalutem animarum, quam præſtitit electis, hoſtium animæ confractis viribus: terræ eis promiſſæ, diuiſione facta.

Nomen Ioſue, & IESV ſigura nominis Chriſti.
Ioſue, nomine & factis typum geſſit Saluatoris.
Chriſtus cur ſaluator dictus.

4. Quartò commendatur illis verbis. *Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & iactando contra ciuitates romphæas, &c.* Ibi alluditur ad præclaram gloriæ lauream, quam aſſecutus eſt in prima illa victoria, quam ſua fortitudine, & manu obtinuit, de vrbe Haj. Sic enim dicitur cap. 8. huius lib. *Ioſuē verò non contraxit manum quam in ſublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Dicitur hæc victoria etiam parta manu illius, & fortitudine, quia victoria Hiericho, quæ præceſſerat, miraculo adſcribitur, & nō fortitudini. Quod ſequitur, *in iactando*, græcè eſt ἐν τῷ ἐκτεῖναι. Hoc eſt, in extendendo: Romphææ verò vocabulo in ſcripturis, ſępè ſignificatur gladius, vt ſit ſenſus; & extendendo gladium contrà ciuitates, vel gladios, vt noſtra editio ſonat, vertens pro romphæa, romphæas. Fortè, per romphæas intelligit tela miſſilia, quæ ipſum nomen etiam ſignificat, præſertim ſi longa ſint, & præpilata. Aptius tamen interpretaberis, ſi dixeris iactare romphæas, idem eſſe quod vibrare gladios, cùm de gladio Ioſue mentio paſſim fiat, de iaculis non item.

Ioſue fortitudine & induſtria Hai expugnauit.
Ioſ. 8.
ἐκτεῖναι.
Hiericho miraculo capta fuit, nō viribus humanis.
Quid ſit iactare romphæas?

5. Quanti Deus fecerit hunc populi ſui ducem, illa verba ſequentia declarant. *An non in iracundia eius impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo, &c.* Vt enim commemoratur cap. 10. huius libri, cum pugnaret pro Gabaonitis contrà quinque Reges, & dies præcipitaret in occaſum, præcepit ſoli & lunæ, vt motum inhiberent, atque adeo ſol ſpatio vnius diei retardauit occaſum, vt opportunitas daretur Hebræis ſumendi de hoſtibus vindictam. Aduerte hoc loco, pro *iracundia eius*, Grecè legi ἐν χειρὶ αὐτοῦ. hoc eſt in manu eius, vt ſignificetur, imperio illius, quaſi freno manu iniecto, ſolem à progreſſu ſuo fuiſſe impeditum. Noſtra latina tranſlatio ſignificat, hoc factum aſcribendum eſſe zelo & iræ iuſtę, qua hoſtes Dei perſequi, ad internecionē vſque cupiebat. Quod, quia orationibus eſt aſſecutus, additur. *Inuocauit altiſſimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit eum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valdè fortis, &c. Non habuit fiduciam in virtute ſua, ſed in Dei admirabili potentia, in oppugnādo inimicos vndique.* Hoc eſt, cùm eum hoſtes vndique oppugnarent. Inſurrexerant namque in illum Reges quinque. Inuocauit enim Deum, qui & ſolem retinuit, vt daretur locus victoriæ, & miſit ſuprà hoſtes lapides grandinis, valde fortis, & potentis efficaciæ, quia, vt dicitur prædicto cap. 10. cùm hoſtiles copiæ fugerent Hebræos inſequentes Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos iugulauerant Iſraëlitæ.

Ioſue ſolem ſtare fecit.
Ioſ. 10.
ἐν χειρὶ αὐτοῦ.
Oratio Ioſue audita, qui non ſuæ, diuinæ virtuti fidebat.
Lapides grandinis miſſi de cœlo contra hoſtes Hebræorū.
Grando opprimit gladiū effugientes.

6. Longum eſſet omnes Ioſue laudes perſequi. Illud ſextò commendat virtutem, qua in caſtris Hebræorum cæteris præluxit, quod ſcribitur Exod. 33. *Ioſue filius Nun puer Moſis, non recedebat à tabernaculo* Quibus verbis indicatur, eum à Moſe viro ſanctiſſimo, non niſi ob probitatem morum fuiſſe electum, vt ſibi miniſtraret, & contubernalis eſſet. Ob hanc cauſam, cum aſcendit in montem legem accepturus, ſolus cum eo aſcendit Ioſue vſque ad caliginem montis, vt patet Exod. 24. qui non deſcendit in caſtra, donec reuertentem cum tabulis decalogi comitari potuit, vt dicitur Exod. 32. De amore Moſis erga Ioſue ita Philo in lib. de charitate ferè in principio. *Erat ei* (inquit) *amicus & familiaris penè à puero* IESVS *nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, ſed amore integro cœleſti, ex quo omnes virtutes prouenīūt: is etiam conuictor, contubernaliſque prophetæ fuit, niſi ſi quando ille ſeceſſum quæſiuit propter diuina colloquia. Idem adminiſtrationis Reip. particeps & tantùm non principis vicarius, &c.*

Sextò laudatur Ioſue qui à puero miniſter fuit Moſis.
Exod. 33.
Exod. 24.
Exod. 32.
Philo Iud.
Ioſue conuictor & contubernalis prophetæ à puero, adminiſtrationis Reip. particeps & tantum non vicarius.

7. Illa eſt prætereà illuſtris laus Ioſue, quod typus fuerit Chriſti Domini, & nomine, & introductione populi in terram promiſſam, vt docet Orig. Hom. 1. in Ioſue & D. Aug. tom. 6. lib. 16. contrà Fauſtum Manichæum cap. 19. vbi explicās illa verba, quibus Deus promiſit ſucceſſorē Moſi, *Suſcitabo illis prophetam de fratribus eorum ſicut te vel ſimilem tibi.* Sic ait. *Multi prophetæ, poſteà fuerunt, ſed vtique vnum quendam intelligi voluit, qui populum ex Ægypto liberatum in terram promiſſionis induxit.* Deinde addit, *improbatum fuiſſe Moſen in Ioſue comparatione, vt non ipſe introduceret populum in terram promiſſionis: ne videlicet lex per Moſen, non ad ſoluendum, ſed ad conuincendum peccatorem data, in regnum cœlorum introducere putaretur: ſed gratia & veritas per Ieſum Chriſtū facta, &c.* conſiderans rurſus Iudæorum cæcitatem. *Quæram* (inquit) *à Iudæo, cur eidem ipſi futuro ſuo ſucceſſori Moſes nomen mutauerit: Vocabatur enim Auſe, & Appellauit eum Ieſum?*

Ioſue typus Chriſti fuit & nomine, & introductione populi in terram promiſſam.
Orig.
Auguſt.
Ioſue Auſe vocabatur, ſed mutatum illi nomen quando Miſſus eſt ad explorandā terram promiſſionis cur.

8. Cur denique tunc appellauerit, quando ex conualle Pharan, præmisit ad eandem terram, vt patet Num. 13. quò erat populus duce ipſo venturus: dicit enim verus ipſe IESVS Ioan. 14. *Et ſi abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad me.* Huc etiam adducit Auguſt. illud Abac. 3. *Deus ab Auſtro veniet*, ſiue Africo, vt ille legit, *& Sanctus de monte Pharan*, & hic interpretatur. Quaſi diceret, eius nominis veniet Deus Sanctus, cuius nominis erat ille, qui venit ab Africo de Pharan: id eſt, IESVS. Et quod magis mirere, affirmat D. Auguſt. idem ipſum Dei verbum loqui, vbi promittitur Moſi ſucceſſor, per quem populus in terram promiſſionis induceretur, eumque Angelum nominari. Sic enim ſcribitur Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui: obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo*, &c. Quæ verba referens Auguſt. ita commentatur. *Qui ergo dixit, nomen meum eſt in illo IESV, ipſe eſt verus IESVS, rector & ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ, ſecundum teſtamentum nouum, cuius figura eſt teſtamentum vetus: Ita quantum attinet ad propheticum apparatum, nec geri, nec dici poſſet aliquid inſignius, quandoquidem res perducta eſt, vſque ad nominis expreſſionem.* Deinde ad initium cap. 20. veluti gaudio geſtiens ob conuenientiam figuræ cum re figurata. *Supereſt* (inquit) *vt Iudæus ille, quo vult reputari verus Iſraelita, in quo dolus nõ eſt, recordetur in figura illum mortuũ Ieſum, qui introduxit in terram morientium. & agnoſcat in veritate viuum Ieſum, quo duce intret in terram viuentium.* Hæc Auguſt. vide eundem lib. 12. contra Fauſtum cap. 30. Scio verba Exodi citata in ſenſu literali a Carthuſ. & aliis, Archangelo Michaeli accommodari. Quod non impugno. Poteſt enim idẽ locus ſcripturæ, plures habere literales ſenſus. Reijcitur tamen Caiet. Moſi hanc applicans literam.

Num. 13. Ioan. 14. Auguſt. Abacuc. 3.

Ipſum Dei verbũ loquitur vbi promittitur Moſi ſucceſſor qui vocatur Angelus, & IESVS ſiue ipſum verbum.

Ipſum Dei verbũ loquitur vbi promittitur Moſi ſucceſſor. Exod. 23.

Auguſtinus. *Vetus teſtamentum, eſt figura noui. Ioſue, in figura Chriſti vt prophetia donatur, fit vſque ad nominis expreſſionem, inquit Auguſt.*

Auguſtin. in Ioannem.

9 D. Chryſoſtomus in cap. 1. Matth. Hom. 2. reddens rationem, quare Chriſtus in humilitate natus & manifeſtatus ſit cum Rex eſſet Iudæorũ inquit: *Saluare, non terrere ſtuduit. Et idcirco hac appellatione continuò nominatur ſcilicet Angelus, Ieſum vſque nuncupando. IESVS enim non eſt Græci ſermonis vocabulum, ſed Hebraica lingua IESVS dicitur, quod eſt in noſtro ſermone Saluator*, &c. Deinde inſignem Chriſti figuram Ioſue multo antè illius aduentum fuiſſe ait, illum nempe qui poſt Moſem populum in terram promiſſam induxit comparanſque typum cum re typo adumbrata ſic ait. *Vides figuram, perſpice veritatem. Ille in terram repromiſſionis, hic verò introduxit in cælum, & ea quæ ſunt, in cælis bona. Ille poſtquam Moſes mortuus eſt, iſte poſtquam lex per Moſen lata ceſſauit. Ille ducis dignitate pollens, iſte verò Regis maieſtate præfulgens*, &c. Et tom. 5. Homil. 5. de pœnit. commendans Chriſti benignitatem, ſic ait, *Reſpice nouæ clementiæ prædicatorem, qui Leuit. 20. & Deut. 5. dixerat, Non Mœchaberis, verbum tranſmutans de clementia, clamat per beatum Ieſum Naue cap. 6. Raab meretrix viuat. Imago erat Domini IESV, dicentis Matth. 21. Meretrices, & publicani præcedent vos in regnum Dei*, &c. Non potuit laudari maiori præconio Ioſue, quam hoc tam honorifico, quo Chriſti ſeruatoris imago à Chryſoſtomo appellatur. Accedit etiã illud laudibus Ioſue, vt notat Abulen. in præfatione huius lib. q. 5. quod de tribu Ephraim electus ſit a Moſe, vt exploraret Chananæorum terras, terramque promiſſionem, vt Num. 13. vniuerſuſque morum & gratia cæteris, vno Calebu excepto contradicentibus de ſoli & fructuum vbertate, & munitione vrbium nunciauit. Qua in re Chriſtum exploratorem promiſſæ nobis in cælo fœlicitatis ſignificauit. Qui Iudæis contradicentibus, eorum, quæ vidit certam & indubitatam fidem ſuis dictis conciliauit. Vide, ſi placet, Rupertum lib. 1. comment. in Ioſue cap. 1. vbi ait. *Ioſue Chriſti reſurgentis, & cælum ingredientis typum geſſiſſe ſpeculationque redemptoris noſtri fuiſſe, qui nos in terram viuentium introduxit, vbi prior ingreſſus, reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6.

D Chryſoſt. *Chriſtus Rex Iudæorum in humilitate natus eſt, quia ſaluare non terrere ſtuduit* Chryſoſtom.

Comparatio Ioſue cum IESV. Vides figuram, perſpice veritatem Chryſoſtom.

Leuit. 20. Deut. 5. Ioſue 6. Matth. 21. *Imago erat Domini IESV dum dixit Viuat Rahab, &c.*

Abulenſ. *Ioſue, verax nunciator de terra promiſſa.*

Num. 13.

Rupertus. *Ioſue fuit typus Chriſti reſurgentis, & in cælũ ingredientis.*

10. Illa tandem laus eſt præclara Ioſue, quòd cœlebs fuerit vnde Hierony. contra Iouinianum tom. 2. *Sicut ergo legimus, quod Moſes, id eſt, lex habuerit vxorem, oſtende mihi Ieſum Naue, vel vxorem habuiſſe, vel filios. Et ſi potueris monſtrare, victum me eſſe fatebor.* Et infra. *Sepelitur*, inquit, *in Thamnat. Sarere*, id eſt, *in perfectiſſimo principatu*, ſiue, *in numero operimenti noui, vt virginum ſignificaret greges, Saluatoris auxilio coopertos in mõte Ephraim. hoc eſt, in monte frugi ero: ab Aquilone montis Gaas, qui interpretatur commotio* &c. Hæc Hieronym. Quis ergo dubitet, Ioſue, Chriſti, vel ob virginitatem eximium fuiſſe typum? Et dum ſepultus dicitur in perfectiſſimo principatu, virtus indicatur qua ſibi virgines imperat, tectæ legis nouæ operimento ornatiſſimo, quo decorati cæleſtem ſequũtur Agnum, &c. Hæc, de Ioſue nomine, & factis, breui compendio accipe, plura ad finem commentariorum, veluti parerga, in appendice, oſtonam ... us, à natali die, vſque ad Iordanis tranſitum, habiturus.

Rom. 6. *Ioſue cœlebs vixit.* Hieronym.

Sepultura Ioſue indicat vt genere mari in perfectiſſimo ſuo principatu.

Quam auctoritatem habeat apud Hebræos liber Ioſue: & a quo ſcriptus ſit.

SECTIO III.

1. SACRAE ſcripturæ totus Canon in tres librorum ordines diuiditur apud Hebræos. In legales, prophetales, & agiographos. Legales ſunt, qui ab illis Thora, id eſt, lex vocatur, quia in eis tota lex Moſaica continetur, quinque tractationibus, quæ pentatheucum abſoluunt. Prophetales, a Ioſue principium ducunt. qui apud eos Ioſue Benum, id eſt, filius Nun dicitur: poſt quem numerant lib. Iudicum, duos lib. Samuelis, hoc eſt, 1. & 2. libros Reg. Dehinc Malachim 1. Regum, quem nos 3. & 4. Reg. appellamus: itémque Iſaiam, Hieremiam, Ezechielem & librum duodecim minorum Prophetarum: Atque adeo omnes prophetales, octo ſunt, ſicut legales quinque. Agiographa volumina, id eſt libri ſacræ doctrinæ, ſunt Iob. Dauid (quem nominant pſalmorum librum quinque continentem ſectiones) Salomon, qui tres habet libros, Prouerbia, Eccleſiaſtem, Cantica canticorum. Daniel ſextus eſt. Septimus Paralipomenon. Octauus Eſdras qui in duos libros diuiſus eſt. Nonus Eſther ... librum etiam Ruth, & Threnorum, quidam inter Agiographa collocant, aptius tamen vt ait Abulen. in præfat. in Ioſue quæſt. 1 in ordine prophetalium conſtituuntur. Vide D. Hieronymum in prologo Galeato, vbi tres prædictos ordines af-

Tres librorum ordines apud Hebr.

Libri ad Hebræos. legales, prophetales, & agiographi.

Octo libri prophetales ſunt apud Hebr.

Agiographa volumina quænam ſint.

Abulenſ. *Ruth, & Threnorum prophetales libros rectè numerantur.* Hieronymus.

firmat

firmat apud Hebræos contineri in canone ſacræ ſcripturæ.

Iudæi lib. Iudith, Machab. Sap. Eccl. & Tobiæ non recipiunt in canonem.

2. Addit Abulen. alios eſſe libros, qui in Hebræorum canone non ſunt, cùm ad ſacram pertineant ſcripturam; obtinent tamen quartum auctoritatis locum, nempe Iudith, & Machabæi, liber Sapientiæ, & Ieſu Sirach, ſiue Eccleſiaſticus & Tobias. Hos autem apocryphos cenſent Iudæi, vnde ſi quid ex illis in confirmationem fidei adducatur, apud eos auctoritatem non habebit: ſolum conuinci ſe patiuntur auctoritate librorum, qui ſunt in ipſorum canone & viginti duarum literarum numero reſpondent. Cæterum Eccleſia Catholica Spiritu Sancto afflata, melius quàm Iudæi, quinam libri canonici ſint, definiuit, vt patet ex ſeſſ. 4. Concil. Trident. in decreto de canonicis ſcripturis, vbi numerantur liber Iudith, liber Tobiæ, Machabæi Eccleſiaſticus, & Sapientia inter canonicos. Cùm igitur conſtet de auctoritate libri Ioſue, tum ex canone Hebræorum, tum ex Eccleſiæ præcepto, dumtaxat explicandum eſt quiſnam ſit auctor libri huius. Secundùm Hebræos (vt refert Abulen. Deut. vlt. quæſt. 5.) auctores Sacri canonis varij fuerunt. Occurrit in primis Moſes. Is ſcripſit quinque libros ſiue Thorat, & librum Iob. Deinde Ioſue ſcripſit caput vltimum Deuteronomij & librum qui vocatur Ioſue. Samuel, qui ſcripſit iudicibus lib. Iudicum & Ruth, & duos primos libros Regum. Hieremias tertium & quartum Regum & librum ſuum, qui dicitur. Prophetiæ Hieremiæ, & lamentationes. Iſaias librum ſuum, & Parabolas, Eccleſiaſten, & Cantica canticorum. Sapientiæ librum quidam aſſerunt Salomonis eſſe; Verùm D. Hieronymus in prologo illius, & de viris illuſtribus, putat ſcriptum à Philone, non Alexandrino, qui vixit Apoſtolorum ætate, ſed ab alio longè antiquiore. Pſalmos, Dauid & decem ſeniores ſcripſerunt. Ezechielem, Danielem, & 12. minores prophetas, Paral. Eſdras ſcripſit. Eccleſiaſticum Ieſus Sirach nepos Ieſu Ioſedech. Eſdram & Neemiam, Eſdras ſcripſit. Heſter auctor creditur eſſe Eſdras. Tobias & Iudith ſolùm habentur apud Chaldæos, & ex Chaldæo idiomate, tranſlati ſunt libri Machabæorum, quamuis primus Hebraicè inueniatur ſcriptus inter Iudæos, Græci magis ſunt, quàm Hebræi. Omiſſis tamen Hebræis, inter Catholicos varietas eſt opinionum circa ſacrorum librorum ſcriptores. Omiſſis interim aliis, ſiquidem hac de re ex inſtituto modò non diſputamus.

Eccleſia aptiùs quàm Synagoga diffiniuit, quinam libri ut canonici ſint recipiendi. Concil. Trident.

Abulenſ. Primus ſcriptor ſacrorum librorum Moſes. Deinde Ioſue. Tertiò Samuel. 4. Hieremias. 5 Iſaias. 6 lib. Sapientiæ dubius auctor. Hieron. putat ſcriptum à Philone. 7. Dauid. 8 Eſdras. 9. Ieſus Sirach.

Tobias & Iudith ſolum habentur apud Chaldæos. Primus Machabæorum Hebraicè inuenitur ſcriptus.

3. Abulenſis in caput primum Ioſue, quæſt. 1. & 3. primùm ſtatuit non fuiſſe hunc librũ à Ioſue ſcriptũ, eo argumento permotus, quia in eo quædam commemorantur, quæ non potuerunt vllo modo ab eo ſcribi, qualia ſunt ea, quæ in vltimo capite ad illius mortem & funus ſpectãt, & quædam alia, quæ poſt eius obitum euenerunt: Deinde affirmat, eum à quodam Propheta ſcriptum fuiſſe, ſiue is fuerit Samuel, ſiue Eſdras ſiue alius: atque hanc eſſe cauſam putat, cur inter prophetales numeretur. Hanc ſententiam videtur mutuatus fuiſſe ex D. Athanaſ. in ſynopſi diuinæ ſcripturæ, vbi poſtquam totum pẽtateuchum à Moſe ſcriptum eſſe confirmauit, ſic ad librum Ioſue quem ſextum facit poſt quinque libros Moſaicos, præfatus eſt. Quæ deinceps ad Eſdram vſque leguntur volumina, non prorſus ab illis ſunt conſcripta, quorum inſcriptiones præferunt, & de quibus tractant. Fuerunt autem à Prophetis qui ſingulis temporibus vixerunt eſſe ſcripta, &c. Præter Athanaſium, Theodoretus quæſt. 13. in Ioſue, explicans illa verba: Nonne hoc ſcriptum eſt in lib. Iuſtorum? *(Conſtat* (inquit) *ex hoc loco, poſterorum quempiam alium à Ioſue, librum hunc conſcripſiſſe ex alio libro capta occaſione.* Andreas Maſius eos miratur qui aliter ſentiunt eodem vſus ſuper eadem verba argumento, præſertim cùm paſſim legamus in libro Ioſue hoc vel illud geſtum ſub Ioſue, durare vſque ad præſentem diem.

Alius poſterior Ioſue ſcripſit librum ab ipſo Ioſue.

4. Alij, cum Hebræis arbitrantur ab ipſo Ioſue (cuius propterea inſcriptionem habet, quia illius hiſtoriam, & res geſtas continet) ſcriptum fuiſſe hoc volumen. Ita Dionyſ. Carthuſianus in proœmio & Vatablus in ſcholio cap. 1. cuius hæc ſunt verba: *Pendet principium huius libri à fine Deuteronomij: quòd Ioſue, qui hunc librum ſcripſit, ſcripſerit quoque finem Deuteronomij, ab eo ſcilicet loco, vbi ſcriptura commemorat mortuum Moſen. Et hinc eſt quòd hic liber incipit, à coniunctione copulatiua. Et factum eſt poſt mortem Moſi,* &c. Nec verò repugnat huic opinioni narrari in extrema parte, vltimi capitis mortem & funus Ioſue; Potuit enim illa appendix adiungi à Samuele, vel Eſdra, vel ab Ezechia, qui parabolas Salomonis, & librum Regum in ordinem fertur redegiſſe vt adnotauit Briton Minorita in commentariis ſuper prologum D. Hieronymi in Ioſue. Nec mirum eſt, quòd ille, qui Eccleſiaſt. 46. *maximus* dicitur *in ſalutem electorum Dei*; ad exemplum poſterorum, diuinitus impulſus fuerit ad edendos rerum à ſe geſtarum commentarios: quod feciſſe Cæſarem notum eſt, non ad poſteritatis vtilitatem, vt Ioſue; ſed ad gloriæ bellicæ virtutis immortalitatem.

Contraria ſententia.

Carthuſ. Vatab.

Briton Minorita.

Eccl. 46.

Cæſar rerum à ſe geſtarum edidit commentarios.

Ex his duabus ſententiis, mihi propter firmam rationem Theodoreti, Athanaſijque auctoritatem, probabilior eſt prima. quamuis ſecunda ad hiſtoriæ dignitatem aliquid videatur conferre. Cæterum quamuis non magni interſit quis ſit auctor cuiuſque libri diuinæ ſcripturæ, cum certa fides nos doceat, potiſſimum auctorem eſſe Spiritum Sanctum; tamen Prophetam fuiſſe, qui Ioſue librum ſcripſit omnes conſentiunt. Nam inter prophetalis propterea vocatur, vt notum eſt; licet ob hiſtoriam à pleriſque hiſtorialis dici ſoleat: Quod ſi Ioſue illius auctor fuit, vt plerique arbitrantur. quis dubitat eum fuiſſe vnum de inſignioribus Prophetis? ſcriptum eſt enim Eccleſiaſtici 46. *Fortis in bello IESVS Naue ſucceſſor Moſi in prophetis, &c.*

Athanaſij auctoritas.

Liber Ioſue inter prophetales annumeratur.

Eccl. 46.

A quo fuerit Ioſue liber in latinam linguam tranſlatus.

SECTIO IV.

1. HEBRAICAE veritatis duas habuerunt olim Patres tam Græci, quàm Latini verſiones, alteram in Græcum ſermonem ante Chriſti aduentum 300. ferè annis à Sept. interpretibus factam: alteram à Chriſti in terram aduentu concinnatam latino ſermone, in quam, quia multi errores, temporum iniuria, ſicut & in Græcam, quæ tamen perſeuerat, irrepſerant; reprobata fuit ab Eccleſia. Illa Hieronymi quæ nunc extat & ab Auguſtino commendatur lib. 18. de Ciuitate c. 41. tom. 5. & lib. 4. de doctrina Chriſtiana, cap. 7. tom. 3. vbique recepta eſt. De ver-

Duæ verſiones Patrum ætate celebres.

D. Hieronymi verſio commendata ab Aug.

Verſio Græca vel interpretum quando latinitati donat.
Salmeron. tom. 1.
Bib. Compluteſ.
Sixtus V.

tione à Sept. interpretibus facta, vel (quod cenſeat Salmeron tom. 1. prol. 5.) Eam donauit latinis auribus Franciſcus Ximenius Cardinalis, in præclara illa ſua trilingui editione Bibliorum & demum correctam habemus Sixti V. Pont. Max. induſtria. Certè hoc beneficium ex interpretatione Sept. virorum conſecuti ſumus, quia (vt ait Hieronymus in præfatione 4. Euangeliorum tom. 5. in principio) *Poſt Sept. nihil in ſacris literis veteris teſtamenti poteſt immutari aut peruerti, quin ex eorum tranſlatione omnis fraus & dolus patefiat*, &c.

Hieron.

Intellige tamen non ita fuiſſe D. Hieronymi editionem quæ vulgata dicitur approbatam, vt propterea reiecta ſint, vel Græca, vel Hebræa volumina. Id tamen verum eſt D. Hieronymum ita à Deo linguarum peritia ornatum fuiſſe, tantamque auctoritatem in Eccleſia conſecutum, vt Gelaſius Papa affirmauerit teſte Gratiano d. 15. cap. Sancta Romana Eccleſia. ſe ea omnia ſentire, quę ipſe tum contra Ruffinum tum contra alios ſcripſit, & Concil. Trident. ſeſſ. 4. in decreto de canonicis ſcrip. videns noſtri ſæculi Hæreticos palam contemnere vulgatam, ſiue antiquam Diui Hieronymi editionem; nouaſq; pro ſuo quemque arbitratu, producere; ſic ait: *Conſiderans ſacroſancta Synodus, non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit innoteſcat; ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat, vel præſumat*, &c.

Auctoritas D. Hieronymi.
Gelaſius Papa.
Gratianus.
Conc. Trid.
Editio vulgata D. Hieron. eſt.
Editio vulgata à Con. Trid approbatur.

2. In hoc decreto, nihil agitur de Hebræis aut Græcis exemplaribus. Atque adeo illorum vſus relinquitur, vt tanquam à fontibus eruere poſſint ſcripturæ vulgatæ interpretes, aliquid quod ad fidem, & bonos mores pertineat. Quod autem Ioſue liber à D. Hieronym. peculiariter fuerit ex Hebræo in latinum conuerſus, aſſerit ipſe in prologo, quem ei præfixit. Sic enim ait. *Tandem finito pentateucho Moſi, velut grandi fœnore liberati, ad Ieſum filium Naue, manum mittimus, quem Hebræi Ioſue Benum vocant, id eſt, Ioſue filium Num. Et ad Iudicum librum, quem Sophtim appellant: ad Ruth quoque, & Eſther, quos eiſdem nominibus efferunt*, &c. Eos autem reprehendit qui præter 72. interpretum, tranſlationem nullam aliam putant recipiendam. Ait enim tom. 3. circa initium in præfat. ſuper Paralip. *Si Sept. interpretum pura, & vt ab eis in Græcum verſa eſt editio permaneret, ſuperfluè me Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime, atque doctiſſime impelleres, vt Hebræa volumina latino ſermone transferrem* &c. Significat his verbis, ſuo tempore, non tam puram ab erroribus conſeruari Sept. editionem atque in principio fuit; ſicut nec Hebræum cōtextum, vbi Rabbinorum malitia permutatis punctis, ſenſuum varietas ſuborta eſt. Facile enim eſt præſertim Hebræis variare ſenſus ſillabarum, verbi gratia אל. cum *sere*, ſignificat Deum ſub ratione fortitudinis: Cum *ſegol*, אל. eſt præpoſitio, *Ad*: Cum *patach*, אל. negationem denotat. Et *Debar*, atque *Dibar*, cum eiſdem ferè litteris ſcribantur, illud ſignificat *verbum* hoc *peſtem*.

Conc. Trid. in decr. de canonicis ſcripturis nihil diffinit de Hebræis & Græcis exemplarib.
Ioſue liber latinitati donatus à D. Hieronym.
Aliqui olim putarunt nullam tranſlationem præter Septuaginta recipiendam … Euſebius ſanctiſſimus dicitur à Hieronymo.
אל. cum sere ſignificat Deum ſub ratione fortitudinis … אל eſt præpoſitio Ad. patach אל negationem denotat.

Maneat ergo, Latinam veteris teſtamenti, atque adeo libri Ioſue editionem tanquam proprio auctori, & interpreti, B. Hieronymo eſſe attribuendam. Quod ipſe confirmat in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis tom. 2. circa finem. *Nouum*, inquit, *teſtamentum Græcæ fidei reddidi: vetus iuxta Hebraicam tranſtuli*. &c. Excipe tamen libros paucos, qui vt conſtat ex antiqua Eccleſiæ verſione, hoc eſt, ex verſione Sept. interpretum Latinitati donati ſunt, non verò ex Hebræis fontibus. In hoc numero cenſetur liber Pſalmorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, liber Baruch, & Epiſtola Hieremiæ prophetæ. Quorum ex Græco verſiones Hieronymus, aut fecit ipſe, aut emendauit, collatis diligenter cum Hebræa fronte editionibus Sept. Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliorum. Quare magis correctam nobis tradidit editionem quàm fuerit illa, quæ circa ipſa Apoſtolorum tempora latina ab ignoto interprete ex Græco facta eſt, & ab Auguſt. Cypriano, Ambroſ. & Tertulliano citatur, vt rectè aduertit Auguſt. Eugubinus in recognitione veteris teſtamēti, ad veritatem Hebraicam contra Paulum Foro-ſemproníenſem Epiſcopum, qui vulgarem editionem Hieronymi eſſe negabat.

D. Hieronym. tranſlat. libri Ioſue ex hebræo.
Libri Pſalmorum, Sap. Eccl. Mach. liber Baruch, & epiſtola Hieremiæ à D. Hieronymo vel tranſlati, vel correcti ſunt.
70. Interpretes.
Aquila.
Symmachus.
Theodotio.
Biblia à D. Hieronymo tranſlata, id eſt, correctiora nobis relicta excellunt aliis verſionibus.
Auguſt. Eugubin.

De annis, quibus in Aegypto vixit Iſraeliticus populus. Quiſnam fuerit illius ſtatus imperante Ioſue.

SECTIO V.

1. POSSEM ſumpta Mantuana lyra, ſi mauis tuba, exordiri mentionem temporum, & ſtatus, quo res erant, cùm induxit Ioſue Iſraelitas in terram promiſſam; & quem curſum, vſque ad Chriſti aduentum, cuius ille figura fuit, tenuerunt, ſic enim ille Æneid. 7. bella ſcripturus, opus ſuum exorditur.

Nunc age, qui Reges, Erato, quæ tempora rerum:
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus: aduena claſſem
Cum primùm Auſonijs exercitus appulit oris
Expediam, & primæ reuocabo exordia pugnæ.

Et infrà.

—— dicam horrida bella,
Dicam acies. actoſque animis in funera Reges.

Ego, res maiores & admirabiliores enarraturus dicam, ſi comparatio fieri debet, Maior rerum mihi naſcitur ordo, Maius opus moueo. Cæterum rem ipſam de ſuo aggrediamur exordio.

2. Iſraelitici populi parens, & conditor Abrahamus, circumciſionis præcepto Dei iuſſu accepto, & promiſſione Meſſiæ, quamuis ſobolem habuerit non tamen populum ſiue nationem ſuæ ſtirpis habuit, niſi poſtquam filij Iacob Nepotis ſui, in Ægypto ad tantam multitudinem excreuerunt, vt populum efficere poſſent, qui Iſraeliticus, & Hebræus vocaretur. Circa numerum annorum, quibus in Ægypto vixit hic populus, diſceptatio eſt, vixiſſe 400. annis confirmari poteſt ex oraculo illo facto Abrahamo, Geneſ. 15. *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti. & affligent* 400. *annis*, &c. At verò Exod. 12. dicitur. *Habitatio filiorum Iſrael qua manſerunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum*: Sic enim habet noſtra verſio vulgata, & illa quæ à Sept. facta eſt interpretibus. D. Paulus Act. 13. *Deus* (inquit) *plebis Iſrael elegit patres noſtros, & plebem exaltauit, cùm eſſent in-*

Abrahamus parens Iſraelitici populi.
Variæ opiniones circa tempus commorationis Iſraelitarum in Aegypto.
Gen. 15.
Exod. 12.
Act. 13.

tuis in terra Ægypti. Deinde addit. *Et deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan ſorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt* 450. *annos*, &c. vbi vides excreuiſſe numerum annorum.

Conciliantur ... ſcriptura ... qui ſue... Hebræos ... Ægypto ... D. Thom. Gal. 3. Abulen. Auguſt.

2. Conciliantur tamen inter ſe hi loci ſacræ ſcripturæ, Primus ſi dicas. Genſ. 15. numerari 400. annos non ab ingreſſu in Ægyptum, ſed ab ortu Iſaac, vſque ad liberationem, Moſe duce, factam, quæ eſt opinio D. Thom. ad Gal. 3. Abulenſ. & aliorum, etiam Hebræorum, & D. Auguſt. in quæſtion. ſuper Exod. q. 47. *quia* (inquit) *ſcriptum eſt Gen. 21. in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Ex natiuitate Iſaac, vſque ad annum egreſſionis ex Ægypto computantur anni* 405. &c. Quare dum Scrip. Gen. 15. annos numerat ſolum 400. negligit, vt ſolet minorem, quinque annorum numerum. Itaque non numerantur ibi duntaxat anni habitationis & ſeruitutis Ægyptiacæ: ſed cum iis, anni quibus ante illam, Abraham Iſaac & Iacob peregrinati ſunt in terra Chanaam. Vnde illud 400. *annis*, non eſt coniungendum cum verbo *affligent*. Sed cum particula illa *Peregrinum erit*. Secundus locus Exod. 12. nihil habet difficultatis, ſi dicamus hos 430. annos numerandos eſſe ab egreſſu Abrahami de Vr Chaldæorum; Ex quo tempore cœpit peregrinari (vt Auguſt. affirmat quæſtionũ in Exod. quæſt. 47. vſque ad exitum ex Ægypto Hebræorum, qui ab ipſo prognati ſunt, conſentit Ioſeph. 2. lib. antiq. c. 13. Euſeb. in Chronico. Auguſt. 16. de Ciuit. cap. 16. Tertius locus Act. 13. facilè intelligitur, ſi ad quadringentos annos, de quibus ſermo eſt Gen. 15. addidiſſe Paulum dicas 40. in ſolitudine tranſactos, Et ferè decem alios in expugnandis Chananæis, & pace ſtabilienda conſumptos: ideoque pro concione numeraſſe 450. Quod rectè annotauit Ludouicus Legionenſis in cap. 3. ad Galat. Et Ioannes Benedictus, vſque ad nonum annum Ioſue ab exitu de Ægypto, annos numerans ferè 50. Genebrard. verò contendit ab ingreſſu Iacob in Ægyptum computandos eſſe 430. annos de quibus agitur Exod. 12. Et ad Gal. 3. imò, Et 450. Act. 13. non ab ortu Iſaac, vt Beda, & alij computant. Eum tamen doctè confutat Pererius noſter diſp. 19. in cap. 12. Exod. numerans annos prædictos a tempore promiſſionis factæ Abrahæ. Cùm vero ad Galat. 3. (inquit Paulus) *teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt* 430. *annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandam promiſſionem.* Loquitur de annis, de quibus ſermo eſt Exod. 12. Poſt illos enim 430. annos, lex data eſt in monte Sinay. Si quis obiter quærat ne id indictum relinquatur quot annis Hebræi in Ægypto ſeruierunt: certum eſt, eos nõ ſeruiſſe omnibus annis, quibus in ea prouincia habitarunt; ſed vel 144. annis, vt vult Auguſt. vel 100. tantummodo, vt placet Abulenſi Gen. 15. vel. vt Hebræi in ſua chronologia malunt, annis 87. quantus fuit Mariæ ſororis Moſi numerus annorum. Vnde (inquiunt alij) Maria vocata eſt ab amarore, quem tota illius ætate ſeruientes Iudæi Ægyptiis, ſunt experti. Cum Maria ſorore Moſe natus eſt amaror populo, vnde illi nomen eſt inditum; Cum Maria Virgine Deipara orta eſt mundo lætitia, iuxta illud, *Natiuitas tua*, Dei genitrix gaudium annunciauit vniuerſo mundo. Cæterùm Lorinus noſter doctè eam ſeruitutem, 122. annis contineri ait; Cui ego libenter accedo.

Exod. 12.

Auguſt.

Ioſephus. Euſebius. Auguſt. Act. 13. Gen. 15.

Gal 3.

Exod 12.

Iudæi non ſeruierunt ... in Ægypto ... annos duntaxat. Gen. 15.

Natiuitas Mariæ ... amarore ... Maria ...

A *Primus ſtatus Reip. Hebrææ.*

4. Primus ergo ſtatus Reipublicæ Hebrææ, initium habuit in ſolitudine, Imperante Moſe & legibus a Deo datis populum regente. Moſi, Ioſue ſucceſſit qui hoſtibus bello fractis, agros & regiones populo metatus eſt. Hunc iudices quindecim ſucceſſerunt Reipub. ſuo ordine clauum tractantes, contracta tamen aliquantulum iuriſdictione, quæ in Moſe & Ioſue fuit ampliſſima. Hunc iudicum ſtatum pluſquam 500. annis perſeueraſſe auctor eſt Ioſephus lib. 11. cap. 4. non tamen placet illius enumeratio. Enimuerò 3. Regum cap. 6. ab exitu Hebræorum ex Ægypto
B vſque ad annum 4. Salomonis, quo templi fundamenta primum iacta ſunt, cenſentur anni 480. Si ergo detrahas 40. annos regni Dauidis, qui hoc numero continentur, & 20. Saulis, in quibus miſtum cum Samuele habuit imperium, ſuperſunt anni 420. ex quibus adhuc, excludendi ſunt quatuor illi quibus Salomon regnum obtinuerat. Summa igitur annorum ab egreſſu ex Ægypto, vſque ad Saulis primi Regis principatum, conficit 416. in quibus Moſes Ioſue, & iudices quindecim Hebræis præfuerunt. Pontifices, qui intra id tempus res ſacras tractabant varij fuerunt. Primus Pontifex, à Deo electus Aaron Moſis frater fuit: poſt quem Eleazar in patris Aaronis
C demortui locum ſubſtitutus ſecundus Pontifex fuit, terramque promiſſam cum Ioſue ingreſſus, Iſraëlitis, vt in hoc lib. narratur cap. 19. ſortitò poſſeſſiones diuiſit. Tertius Pontifex fuit Phinees Eleazari filius de quo dicitur Pſalm. 105. *ſtetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt ei in iuſtitiã*. &c. Vbi alluditur ad locum Num. 25. vbi commemoratur à Phinee zelo Dei permoto, virum Hebræum, fœminamque Madianitidem, in lupanari fuiſſe pugione transfoſſos. Cæteros Pontifices enumerat Abulenſ. lib. 1. Reg. cap. 2. q. 30. omnes fuere ex familia Eleazari, donec vt Ioſephus ait, tranſlatus eſt Pontificatus in familiam Ithamari, ex qua ſummũ Sacerdotium
D primus obtinuit Heli, quod illius proli addictum fuit vſque ad tempora Salomonis, quando ad antiquam rediit, veluti poſtliminio Eleazari familiam.

Primus ſtatus imperatus Moſe, Ioſue, & Iudices ... annos ... 416.

Moſes & Ioſue ... ampliori ... quam ... Iudices ... Ioſephus.

Moſes Ioſue & 15. Iudices ... populo, vſque ad Saulem Regem ... 416. annis.

Primus Pontifex, Aaron Secundus Eleazar.

Tertius Phinees ... Pſal. 105.

Num. 25.

Abulenſ.

Heli primus ex familia Ithamar, ... Pontificatus ... ad tempora Salomonis. Barradas tom. 1. lib. 1. cap. ...

Secundus ſtatus Reipublicæ Hebrææ.

5. Secundus ſtatus, à Saule ducitur, is Samuele, qui Iudicum poſtremus fuit, Rempub. gubernante, Rex fuit declaratus, mutato ſcilicet Reipub. ſtatu à iudicibus ad Reges. Durauit autem Saulis regnum annis 40. vt dicitur act. 13. ſic enim ait ibi D. Paulus. *Poſt hæc dedit Iudices vſque ad Samuelem prophetam, & exinde poſtulauerunt Regem, & dedit illis Saulem filium Cis virum de*
E *tribu Beniamin annis* 40 &c. Hos tamen 40. annos Beda & omnes ferè, non de ſolo intelligunt Saulis regno, ſed de principatu etiam Samuelis. Samuel enim ampliùs 20. annos Iudex fuit, vt conſtat ex 1. Regum 7. Sauli verò regnanti concedendi ſunt alij, qui ſuperſunt anni ferè 20. in quibus ſine Samuele ius dixit. Saulem excepit Dauid, Dauidem Salomon; Salomonem Roboã, quo regnante diuiſum eſt regnum, cuius diuiſionem conſecuta etiam eſt religionis diuiſio occaſione vitulorum, aureorum, quos Ieroboam auctor & princeps diuiſionis propoſuit adorandos, alterum in oppido Dan, alterum in Bethel, ne po-

Mutatio ſtatus Reip. a iudicibus ad Reges.

Act. 13.

Beda.

1 Reg. 7.

Diuiſionem regni factam tempore Roboã conſecuta eſt religionis diuiſio.

Vituli aurei.

pulus decem tribuum, cui præerat ad templum quod erat Hieroſolymis religionis ergo amplius iret. Fuit hæc regni diuiſio ſciſſione pallij ab Ahia propheta præſignificata 3. Reg. 11. ſciſſo enim ſuo pallio nouo in duodecim partes ait ad Ieroboam; *Tolle tibi decem ſciſſuras*, &c. Sola tribus Iuda, cui adnumeratur tribus Beniamin, & Leuitica relicta eſt Roboamo, quem conſecuti ſunt 19. ſucceſſores regni, quorum vltimus fuit Sedecias, in cuius regno incenſa ciuitate & templo, populus Nabuchodonoſoris viribus fractus, Babylonem captiuus eſt perductus. Aduertit Ioſephus lib. 10. antiq. incenſum fuiſſe templum, annis 470. & menſibus ſex, ex quo extructum fuerat elapſis. Præter hos Reges fuere alij quoque 19. qui regno 10. tribuum præfuere. Regnũ autem 10. tribuum extinctum eſt cum Samaria, quæ regni caput erat à Salmanazar Aſſyriorum rege, qui regnum occupauerat Phacee Romeliæ filio de medio ſublato; & Iſraëlitis (Ezechia optimo Rege Iudam Gubernante) in Aſſyriam tranſlatis. Poſt hanc captiuitatem Iſidorus Clarius Ezechiëlis 16. putat, decem tribus, in gentes degeneraſſe; Genebrard. lib. 1. Chronolog. in Tarraros. Ioſephus lib. 11. antiq. cap. 5. trans Euphratem commorati arbitratur; duabus per Aſiã, & Europam ad obſequium Romanorum diſperſis. De ſummis Sacerdotibus ſecundi huius ſtatus, vide Lyranum 1. Reg. 2. Abulenſ. & Carthuſ. ibidem Genebrard. in Chronologia, qui ait, Heli Sacerdos factus iudex tranſtulit Sacerdotium de domo Eleazari, ad ſuam, quæ propagata eſt ex Ithamar fratre Eleazari. Idem ſentit Hugo Cardinalis. Alij tranſlatum Sacerdotium aiunt ob peccata poſterorum Eleazari, qui in ſuo munere negligentes fuerunt. Manſit autem Pontificatus in domo Heli, vſque ad Abiathar, quem Salamon 3. Reg. 2. Pontificatu priuauit, quod fauiſſet fratri ſuo Adoniæ, regnum affectanti; reſtitutúſque eſt Pontificatus ad familiam Eleazari. Nam 11. Pontifex fuit Sadoc, ex domo illius, ſub Salomone. Hic fuit primus Sacerdos ſummus in templo Salomonis. Ita Ioſephus lib. 10. antiq. c. 11. & Clemens Alex. lib. 1. Strom. quicquid dicat Abulenſ. fuerunt Regum tempore varij prophetæ, quorum in ipſorum libris, & in Regum hiſtoria paſſim fit menſio.

3. Reg. 11. — *Sedecia Regis tempore Hieroſolymis incenſis ciues captiui Babylonem ierunt, anno à templo extructo 470.* — *Ioſephus.* — *Iſraelitarum captiuitatis.* — *Iſidorus Clarius.* — *Genebr.* — *Ioſephus.* — *Lyranus.* — *1. Reg. 2.* — *Abulenſ.* — *Carthuſ.* — *Genebr.* — *Hugo Card.* — *Sacerdotium tranſlatum eſt è domo Eleazari quia illius poſteri negligenter habebant ſuum munus.* — *3. Reg. 2.* — *Sadoc Pontifex ex familia Eleazari.* — *Ioſephus.* — *Clem. Alex.* — *Abulenſ.*

Tertius ſtatus.

6. Tertius gentis Iſraëliticæ ſtatus, eam Reipub. formam continet quæ à Græcis ἀριςοκράτεια vocatur, & poſt captiuitatem Babylonicam, initium ſumpſit. Penes optimates, hoc eſt penes Pontifices vt Ioſeph. lib. 11. antiquit. ait cap. 4. ſumma fuit auctoritas, donec Machabæi mutato rerum ſtatu, regnum obtinuerunt. Primus Sacerdos Summus ſiue Pontifex fuit Ioſue filius Ioſedec, vnde 1. Eſdræ 3. dicitur; *ſurrexit Ioſue filius Ioſedec, & fratres eius Sacerdotes*, &c. Ioſedec autem pater Ioſue ſummus etiam erat Sacerdos, quo tempore ductus eſt populus in captiuitatem Babylonicam, vt patet ex 1. Paralip. 6. Hic eſt ille Ioſue, qui à Zach. 3. dicitur IESVS. *Oſtendit mihi Dominus Ieſum, Sacerdotem magnum.* Tempore huius Pontificatus, cum nondum Pontifices rem prophanam gubernarent, ex familia Dauidis Dux fuit Zorobabel. Poſt Ioſue, & Zorobabelẽ, Eſdras è Babylonia venit, qui frater fuit Ioſedec ſummi Sacerdotis, vt patet 1. Paralip. 6. Et 1. Eſdras 7. Is auctore Hieronym. in prolog. Galeato Hebræos qui nunc in vſu ſunt characteres, inuenit, cum ad illud vſque tempus, iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint. Idem ſentit Euſeb. in Chronico, Beda, Eſdræ 7. *Ideò* inquit, *non ſolùm ſcriba, ſed etiam velox nominatur*. Suffragantur Lyranus, Carthuſianus, Eſdræ 7. D. Iſidorus in lib. de vita & morte Sanctorum, Genebrardus lib. 2. Chronol. Arias Montanus in præfatione Maſoreth, conſtare ait, apud omnes, Iudæis Hebraicæ linguæ vſum, in Chaldaicum primum ſermonem, deinde ex illa captiuitate, in patriam reſtitutis, in Syriacum degeneraſſe. Guido etiam Fabritius, in Epiſtola ad Ariam, quæ eſt in principio dictionarij Syrochaldaici in regiis bibliis, ait Iudæos ex captiuitate reuerſos, nouam linguam Syriacam inſtituiſſe. In præfatione verò Euangelij Syriaci, hac lingua credit Chriſtum, & Apoſtolos locutos quippe quæ Iudæis, per id tempus vulgaris eſſet & vernacula. Idem opinatur Bellarm. lib. 2. de verb. Dei cap. 4. & alij ducti argumento vocabulorum linguæ ſyriacæ, quæ ſunt in Euangelio.

ſ ſtatus fuit optimatum adminiſtratio, cuius initium ducitur poſt reuerſionem populi à Babylone. — *Ioſephus.* — *Ioſue filius Ioſedech Pontifex ſummus.* — *Eſdr. 3.* — *1. Paralip 6.* — *Zachar. 3.* — *Zorobabel ex familia Dauid.* — *1. Paralip. 6.* — *Eſdras characteres quos nunc habent Hebræi inuenit.* — *Hieronym.* — *Euſebius.* — *Beda.* — *Lyran.* — *Carthuſ.* — *D. Iſidorus.* — *Genebr.* — *Arias Mont.* — *Guido Fabritius.* — *Bellarm.* — *Tempore Chriſti vulgaris lingua erat Syriaca.*

7. Non eſt tamen improbabile conſeruatam fuiſſe puritatem Hebrææ linguæ, ſi non ad vſum loquendi vulgarem, ſaltem ad conſeruationem diuinæ legis, & ſacræ hiſtoriæ. Conſtat enim Sacros libros, ab Eſdra, poſt captiuitatem 70. annorum fuiſſe reparatos. Inquit enim D. Irenæus lib. 3. cap. 25. *Temporibus Artaxerxis Perſarum Regis inſpirauit Deus Eſdræ Sacerdoti præteritorum prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quæ data eſt per Moſem*, &c. Tertull. in lib. de Habitu muliebri cap. 3. ſic ſcribit. *Potuit Noë, ſcripturam Enoch abolefactam in ſpiritu rurſus reformare, quondam etiam Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletis, omne inſtrumentum Iudaicæ literaturæ, per Eſdram conſtat reſtauratum* &c. Auguſt. ſiue auctor de Mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 33. ſic ait. *Eſdras combuſtam à Chaldæis in archiuis templi reſtituit legem, nempe eodẽ ſpiritu. quo antea ſcripta erat, plenus fuit.* Equidem Euſeb. in Chronic. Eſdram memoriter ſacros libros pronũtiaſſe ſcribit, & cæteri qui eum legem flammis abſumptam reuocaſſe aiunt, vt Tertull. Ireneus. D. Iſidorus. Probabile nihilominùs eſt, & fortaſſe probabilius Eſdram, cùm vir induſtrius eſſet, Sacros libros in exemplari aliquo à ſe cuſtoditos, ne perirent conſeruaſſe, ac tãdem protuliſſe, & dictaſſe, atque eo ordine digeſtos, quo ab Hebræis habentur, prophetico ſpiritu correctos in vnum corpus contuliſſe, vt auctor eſt Athanaſius in ſynopſi. Præter Sacros libros, qui in canone Hebræo numerantur, dicitur in 4. lib. Eſdræ (qui Apocryphus eſt) cap. 14. ducentos quatuor, ab eo libros ſcriptos fuiſſe ipſo ſcilicet dictante, & quinque viris, diuinitus dictata excipientibus. Ex quibus libris 70. qui iubentur à Deo tradi ſapiẽtibus de populo, exiſtimat Mirandulæ Comes, ſcientiam Cabalæ complecti: Cabala autem receptionem ſignificat. Putant enim Rabbini. Moſem non ſolam legem, ſed etiam arcanas quaſdam interpretationes, in monte Sinai, à Deo accepiſſe non vulgandas, ſed apud ſe primùm, deinde apud Ioſue cuſtodiendas, vt eas Ioſue alijs deinceps Sacerdotum principibus, pro tempore ſuccedentibus, religioſo ſilentio commendatas aperiret.

Sacri libri ab Eſdra reparati ſunt. — *Irenæus.* — *Tertull.* — *Auguſt.* — *Euſeb.* — *Tertull.* — *Irenæus.* — *D. Iſidorus.* — *Eſdras conſeruauit ſacros libros, ac poſt captiuitatem pronunciauit, ac dictauit.* — *Athanaſius.* — *4. Eſdræ 14.* — *Mirandulæ Comes.* — *Cabala.* — *Arcanæ interpretationes legis non vulgandæ.*

8. Poſt Ioſue Ioſedec filium, in lib. 2. Eſdræ cap. 12. Pontifices recenſentur ſex, vſque ad Alexandri Magni Imperium, cuius aduentum in ſanctam ci-

2. Eſdr. 12. — *A Ioſue filio Ioſedech vſque ad tẽpora Alexandri 6. Pontifices.*

etiam ciuitatem ſcribit Ioſephus.11.de Antiquit. cap. 8. Et inter alia affirmat, admonitum fuiſſe in ſomnis Iaddum Pontificem,qui vaſtitatem vrbis & templi incendium timebat, & propterea orationibus cum populo vacabat, vt portas ei aperiret obuiamque ipſe Pontificali ornatu, & lineis induti Sacerdotes irent. Quam pompam, vt vidit Alexander, candore veſtium Sacerdotalium præfulgentem, præſertimque ipſum Pontificem tiaram cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei nomine capite geſtantem, Solus ad Pontificem accedens, poſt ſalutationem, nomen Dei adorauit. Soluebant eo tempore Iudæi tributum Perſis, ſicut poſteà Romanis. Nam, vt eſt apud Ioſephum loco cit. Pontifex ab Alexandro poſtulauit, vt immunitas tributorum ſeptimo quoque anno Iudæis concederetur. Poſt Monarchiam Perſarum,quæ 14. Regibus conſtitit, & ſex Pontifices Iudæorum, qui Perſis profana obtinentibus, res ſacras curarunt, Alexãder Macedo a Perſis ad Græcos tranſtulit. De Pontificibus, qui poſt Monarchiam Græcorum vſque ad Antiochum Epiphanem vixerunt, agit Ioſephus lib. 11. Antiquit. cap. vlt. vbi affirmat, poſt Monarchiã Perſarum, ſummum Pontificem fuiſſe Oniam filium Iaddi, qui fuerit ſeptimus poſt captiuitatem. Octauus fuit Simon, qui magnis laudibus illuſtratur Eccleſ. cap. 46. *Simon* (inquit,) *Onię filius Sacerdos Magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum & in diebus ſuis corroborauit templum*, &c. Alius fuit Onias diuerſus à patre Simonis. Is enim 13. Pontifex fuit & auctore Ioſepho lib. 12. cap. 4. poſt mortem pro populo orans apparuit. 2. Mach. 15.

Alexander Iaddum Pontificem veneratur & Dei nomen adorat.

Iudæi Perſis tributarij fuerunt.

Ioſephus.

Laudatur Simon Pontifex, & Onias filius.

Eccl. 46.

2. Machab. 15.

9. Ab hoc pontifice, Machabæorum hiſtoria ſumit exordium & quidem ſecundi libri Machabæorum cap. 3. principium eſt hiſtoriæ; ſunt enim duo illi libri de eadem ferè re a diuerſis autoribus conſcripti. Ait enim ſacer textus, floruiſſe pacem & legum obſeruantiam in Hieruſalem ob Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala. Tanti intereſt boni Pontificis pietas ad legum obſeruationem. De perſecutione Antiochi Epiphanis & Machabæorum geſtis, vide lib. Machabæorum; vbi etiam agitur de Pontificibus Iudæorum illius ætatis: Pontificum denique vſque ad Herodem ſucceſſionem, & gubernationem, nunc placidam, nunc turbulentam texit Ioſipus in Compendio, & Ioſeph. lib. 14. qui legendus eſt, præſertim cap. 8. vbi narrat, quo pacto Pompeius Magnus templum vi oppugnauerit, multiſque Iudæis interfectis, occupauerit. Nam ingreſſus eſt ipſe & non pauci cum eo; Eaq; inſpexere, quæ ſolis Sacerdotibus videre fas erat. Nihil tamen ex tot diuitiis rapuit. Reliquit ex auro menſam, candelabrum, pocula, & in theſauris Sacræ pecuniæ circiter duo talẽtorum millia intacta. Iudæos tamen Romanis ſubiectos, & ſtipendiarios fecit. Tum primũ, ait Ioſephus, libertatem amiſimus ſubiecti Romanorum imperio. Vide lib. 14. de Antiq. cap. 8. vſque ad cap. 26. & lib. 15. cap. 0. vbi agitur de Herode à ſenatu Romano primùm, deinde ab Auguſto etiam Cæſare, Rege confirmato, quo regnante Chriſtus Dominus ortus in mundo eſt.

Primus & 2 liber Machab. eandem ferè continent hiſtoriam à diuerſis auctoribus ſcriptam.

Ioſipus.
Ioſephus.

Pompeius vi templum oppugnat, [illegible] Iudæos [illegible] Romanis [illegible]

Herodes in regem ab Augusto confirmatur [illegible]

10. His tribus ſtatibus poterat. 4. adiungi, quem Iſraeliticus populus habuit in ſeruitute Ægyptiaca, ſed quia nec duces eo tempore nec magiſtratus habuerunt proprios, & iis parebant, qui à Pharaone ciuitatibus præficiebantur, formam Reipub. habuiſſe nequaquam exiſtimandi ſunt.

Iudæi in Ægypto formam reipub. non habuerunt.

A Ex dictis facile colligitur, quem ſtatum habuerit populus Iſraeliticus imperãte Ioſue. Ille enim ſtatus, nec Reges vt ſecundus, nec Pontifices, vt tertius habuit adminiſtratores; atque adeo ad ariſtocratiam, hoc eſt gubernationem optimatum, quales fuerunt Iudices, cum quibus numero Moſem & ipſum Ioſue, pertinere indubitatum mihi eſt. Quamuis, aliqui aliud ſentiant, tribuentes Moſi & Ioſue maiorem iuriſdictionem, quam iudices cæteri habuerint. Nobis ſuffragatur Abulenſ. in præf. lib. Iudicum q. 11. & 13. Lorinus noſter Act. 13. v. 20. §. iudices porro. Certè fuiſſe magis ariſtocraticã eam regiminis formã, quam monarchicam, vel ex eo cõſtat, quia huiuſmodi iudices,

Ioſue & Moſes gubernatio, amplioram habuit poteſtatem, quã Iudicum qui illos conſecuti ſunt.

B ferre mortis ſententiam, abſque legis præſcripto non poterant: quo vinculo poſtea ſoluti fuere Reges. Moſi ergo & Ioſue, quamuis plerique iuriſdictionis amplioris poteſtatem, verè attribuant, non eſt, cur eos, ſi Reges non dicunt, à Iudicum numero excipiant. Si obijciant, eorum libros, non Iudicum, Sed libros Moſis, & Ioſue appellari; reſpondebimus, id propterea fieri, quia inſigniores fuerunt cæteris iudicibus, & digni quorum nomine inſcriptiones librorum prænotentur, vt commendatiores ſint legentibus. Non negauerim tamen, ſtatum, quem populus Iſraeliticus habuit imperantibus Moiſe & Ioſue, in eo diuerſum eſſe à tribus ſequentibus, quod in his duobus ducibus,

C omnia ſimul ornamenta extiterint, quæ in aliis diſperſa fuerunt. Vnde Lyranus in Præfatione lib. Regum, tres tantum numerat ſtatus populi Iſraelitici, qui initium habuerunt, poſt ingreſſum, & poſſeſſionem terræ promiſſionis. Hi autem ſtatus Iudices, Reges, & Pontifices reſpiciunt: ſtatus quem habuit populus ſub Moſe & Ioſue non meminit. Cæterùm Philo Iudæus ad finem lib. 3. de vita Moſis, ſic ſcribit. *Huiuſmodi ſunt vita obitúſque Moſis Regis, legiſlatoris, vatis, & Pontificis, ſicut ſacris literis proditur.* Hæc ille. Idem dicere potuit de Ioſue, vt manifeſtum eſt, excepto ſacerdotij & legiſlatoris præconio. Fuit enim

Lyranus.

Tres ſtatus Iſraelitici populi, initium habuerunt poſt ingreſſum terræ promiſſæ.

Philo Iudæus

Moſes Rex, Legiſlator, & Pontifex.

D Ioſue, non tam legiſlator quam legum obſeruator: nec Sacerdos, ſed ſacerdotij cultor & cuſtos. De cuius in locum Moſis ſubſtitutione, vt aliquid dicamus, de Moſis etiam morte agendum eſt.

De Morte Moſis, & ſucceſsione Ioſue.

SECTIO VI.

1. QVoniam facilior erit interpretatio libri Ioſue, non ſolum cognito ſtatu populi, quem ſub id tempus habuit; ſed etiam modo, quo dux ipſe renuntiatus, populi gubernationem iniE re cœpit, operæpretium erit de morte Moſis & ſucceſſione illius, aliquid Præfari. Nec verò opus erit, ad præfationem hanc adire Sacros aut profanos hiſtoriographos; quicquid ad eam facit, habemus in poſtremo capite Deuteronomij, quod Philo Iudæus ad finem lib. 3. de vita Moſis, ab eodem, mortem ſuam, & quæ illam conſecutura erant præuidente, ſcriptum fuiſſe affirmat. Sic enim ait. *Iam enim aſſumendus, & in ipſis ſtans carceribus, vnde ad cœleſtem metam erat euolaturus; tunc quoque afflatus diuinitus, viuens adhuc prophetauit de ſe ipſo tanquam mortuo; ante obitum enarrans, ſe mortuum ſepultúmque ſpectante nemine; videlicet manibus*

Deut. vlt.
Philo Iud.

Moſes, vt Philo putat, vterus ſcripſit vltimum cap. Deut. in quo agit de ſua ſepultura.

non

A *non mortalium, ſed virtutum immortalium; ut maio rum quidem monumentis, illarum quippe, ius monimen tum contigit eximium haud cuiquam notum homini.* Hæc Philo cuius ſententiam impugnat Abulenſ. ſuper caput Deut. citatum. q. 3. quia licèt Moſes propheta eſſet, & potuerit præuiſam diuinitus mortem ſuam ſcribere, eo modo, quo euentura erat, dum ait: *Mortuus eſt autem Moſes, & non cognouit homo ſepulchrum eius*, tamen id, quod ſequitur, nempe *vſque ad præſentem diem*, verè à Moſe dici non potuit ante mortem. Oportet enim hæc verba referre, non ad diem, quo Moſes hæc ſcribebat, ſed ad diem, in quo verè dici potuit, eum mortuum eſſe & ſepultum, & ignorari locum ſepulturæ.

Impugnatur Philo ab Abulenſ.

B Probabilius eſt ergò iuxta ſententiam Abulenſis, Dionyſ. Carthuſ. & Vatabli, à Ioſue fuiſſe additum Deuteronomio vltimum caput; atque adeò antequam illius hiſtoriam aggrediamur, hoc caput, quod cum ea connexionem habet, explicemus. In quo illa duo, quæ inueſtigamus continentur. Et in primis mors Moſis præludium habuit: quod his verbis explicatur. *Aſcendit Moſes*, ſcil. poſt benedictionem, quam ſingulis tribubus propriam, finem vitæ præuidens impertiuit *de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo in verticem Phaſga contra Hiericho, oſtenditque ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan*, &c. Deinde additur. *Dixitque Dominus ad eum: Hæc eſt terra pro qua iuraui Abraham, Iſaac & Iacob, dicens: Semini tuo*

Abulenſ. Carthuſ. Vatabl. explicatur cap. vlt. Deut.

Moſes moriturus ſingulis tribubus benedixit.

C *dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illã*, &c. Agitur hic de loco, ad quem iuſſus eſt Moſes moriturus aſcendere de terra campeſtri ſiue plana, Iordanis ripæ adiacenti verſus terram Chanaan. Iuſſus, inquam, fuit non hic, ſed ſuprà Deut. cap. 32. aſcendere in montem Abarin, in quo eſt, quædam pars, quæ dicitur mons Nebo. Vertex autem montis Nebo phaſga habet, id eſt collem, vnde ob nimiam altitudinem patebat proſpectus in omnem terram promiſſionis, quam conſideraturus erat Moſes ſtans contra Hiericho. Hic impletum fuit à Moſe præceptum ſibi impoſitum aſcendendi in montem prædictum.

Moriturus Moſes aſcendit in montem Nebo.

Deut. 32. Nebo pars eſt montis Abarin.

D Ob meritum autem obedientiæ conſolatus eſt Deus illũ proſpectu terræ promiſſæ, quod beneficium non cõceſſit Aaroni, Is enim mortuꝰ eſt in mõte Hor, vt patet Num. 20. & 33. Dum autẽ legis illa verba: *Oſtenditque ei Dominus omnem terram.* Non intelligas oſtenſionem ſimdem ei, qua ex monte edito videre potuit partem Iordanis interfluentis, culmina aliquarum vrbium, & nemorum comantem viriditatem: ſicut & alius, qui in eo loco eſſet, ſed fuiſſe potentiam videndi huius principis vi ſupernaturali eleuatam, vt diſtinctè, & cum voluptate, non aliter videret totam terram promiſſionis, quam Beatus Benedictus totum in radio mundum, vt refert D. Greg. 1. Dialog. & Abulen. ſuper hoc cap. vlt. Deut. qu. 1. & c. 32. q. 6. vbi

Ob meritum obedientiæ conſolatur Deus Moſem conſpectu terræ promiſſæ. quod beneficium negatum eſt Aaroni. Num. 20 & 33.

E ait vidiſſe Moſen totam terram Chanaan, ſicut in eo cap. & hoc loco exprimitur: tribuit namque Deus, illius oculis ſpecies creatas omnium illarum rerum, quæ potentiam viſiuam immutarent. Atque adeò miraculoſam fuiſſe hanc viſionem affirmat, maximè propter illa verba, *& oſtendit ei Dominus omnem terram Galaad vſq. Dan.* Fortè in vnam tantum ſpeciem contulit Deus virtutem. qua multa, ſimul poſſet repræſentare, quod mihi valde videtur veritati affine.

Vidit Moſes diſtinctè terram per eleuationem potentiæ viſiuæ. D. Greg. P. Abulenſ.

2\. Poſſumus etiam dicere perinde oſtendiſſe Dominum Moſi omnem illam terram, atque, vt refert Matt. cap. 4. diabolus Chriſto dicitur oſten-

Fortè vidit Moſes terram, eo modo quo diabolus dicitur oſtendiſſe omnia regna ex hoc ipſo monte. Matth. 4.

A diſſe *omnia regna mundi & gloriam eorum*, & quidem vt probabile eſt, licet Euangeliſtæ, id non exprimant, ex hoc ipſo monte. Porro fuiſſe hunc ipſum montem affirmat Hieronymus Natalis in Annot. cap. 4. D. Matth. Beuxamis ſuper idem cap. dicens hunc montem eſſe excelſiſſimum. Non diſſentit Salmeron. 4. tom. tract. 14. nec Autor operis imperf. hom. 5. ad cap. 4. Matth. dum vltra Iordanẽ eum conſtituit. Sunt, qui id ſola animi viſione factum velint, vt Cypr. in ſer. de Ieiunio, & tẽtationibus Chriſti. Putat enim omnes Chriſti tentationes inuiſibiliter contigiſſe; quemadmodum ea, quæ de prophetis legimus, vt Ezechielem raptum fuiſſe ex Chaldæa in Hieruſalem, vt

Cyprianus.

Non tamen ſola animi viſione interna.

B vrbem metiretur Ezech. 40. & alia ſimilia. Cui ego ideo non aſſentior, quod indigna res videatur, & fortaſſe abſurda, diabolum Chriſto eodem modo, quo prophetis Deus, viſiones animo iniciſſe. Præterquam quod illa, quæ prophetis acciderunt, non re ipſa, ſed viſione accidiſſe, prophetæ ipſi affirmãt, vt Ezech. cap. indicato. Et ſi non declaraſſent eo ipſo intelligi poterat, quòd prophetæ erant. Euangeliſtæ verò, non per viſionem, ſed re ipſa, tentationes Chriſti eueniſſe ſignificant. Quo enim modo, ſe per viſionem præcipitaſſet? &c. Alij volantem per aera raptum exiſtimant, quod videtur aſſumendi verbum ſignificare, vt annotarũt Hieronymus, Autor operis imperfecti,

Ezech. 40.

Euangeliſtæ re ipſa euenisse Chriſti tentationes non ſola viſione ſignificãt.

C D. Greg. & Strabus. Alij ductum pedibus, vt Euthymius in cap. 4. Lucæ; quod magis probabile eſt. Cùm omnes affirment (vt aduertit Suarius diſput. 41. Sect. 4. ad finem. 3. p. tom. 2.) dæmonem in ſpecie viſibili, ad tentandum acceſſiſſe. Par autem eſt, vt more, & modo humano omnia ſint tranſacta. Quare adduci non poſſum, vt putem permiſiſſe Chriſtum diabolo, vt ab eo deportaretur. Si ergò quæras quomodo potuerit ex vno monte diabolus, omnia regna mundi Chriſto oſtendere, arbitror non eſſe confugiendum, ad internam animi viſionem, vt Cyprianus, & Strabus volunt, ſed externam & realem cogitandam eſſe, vt malunt Euthymius, & Autor operis

Hieronym. Autor operis imperfecti. Greg. Strabus. Euthymius

Quomodo diabolus Chriſto oſtendit omnia regna.

D imperfecti. Ita nimirum, vt oſtenderit reuera, & digito deſignauerit cuiuſque regni plagam, quam tamen videndam oculis non ſubiecerit. Atque ad hunc modũ oſtendiſſe Deum, ſiue Angelum nomine Dei, Moſi terram promiſſam ex monte Nebo, probabile eſt. Quod ſi velis obieciſſe Deum, res illuſtriores per vnam, aut plures ſpecies creatas illarum rerum, quæ potẽtiam viſiuam immutarent, vt Abulenſis opinatur, non abnuam: Modus enim loquendi id videtur indicare: *oſtenditque ei Dominus omnem terram &c.* Quod autem ſubiungitur: *vidiſti eam oculis tuis & non tranſibis ad illam*, & cap. 32. ad eundem ſenſum, *& non ingredieris in eam, quam ego dabo filijs Iſrael*: rationem habet pœ-

Deut. 32.

E næ, quam Deus impoſuit Aaron, & Moſi quod contradicente populo, & diffidente ad aquas contradictionis: Num. 20. v. 10. oportuit bonitatem & poteſtatem Dei commendare. Debuerant enim Moſes, & Aaron dicere lapidi: Lapis, Dei nomine præcipimus tibi, vt ruptis venis, aquam profundas abundantem iſti populo. Illi autem murmurantem populum increpare cœperunt vocantes eum, cum iurgio rebellem; & ſic populus Deum non benedixit. Hinc illa querimonia ad finem cap. 32. *Præuaricati eſtis contra me, in medio filiorum Iſraël, ad aquas contradictionis in Cades deſerti Sin & non ſanctificaſtis me inter filios Iſraël*, &c. Additque poſt querelam ſtatim pœnam. *Et contra videbis*

Propter præuaricationem interdixit Moſi, & Aaron ingreſſum in terram promiſſam. Num. 20.

Terra promiſſionis latè & propè ſumitur.

debis

debi- eam, ... non ingredieris, &c. Quod refertur ad terram Chanaan, ad quam Moſes non eſt ingreſſus. Ne tamen aliquis putaret ſolam terram Chanaan, de qua hic ſermo eſt, eſſe terrã, quæ vocatur terra promiſſionis, aduertit Abulenſis, Deut. cap. 32. q. 6. regionem, quam habitabant duæ tribus, ſcilicet, Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, vocari terram promiſſam, & hanc intraſſe Moſen, cum eſſet in valle cõtra phanum Phogor. Non tamen intraſſe in terram promiſſionis propriè & preſſe dictam. Hæc enim intra Iordanem eſt, ad quam ille non peruenit.

... terrã promiſſam poſt ... dictam.

Deut. 32.

3. Cum ergo Deus Moſi ait, *non ingredieris in eam*, non intercludit aditum ad omnem regionem terræ promiſſæ, ſed ad eam peculiariter, quæ erat comparatione Moſis vltrà Iordanem, ad quam maior & potior Hebræorum pars tranſitura erat. Hanc enim peculiariter iurauit Deus ſe daturum Abrahæ poſteritati. Gen. 13. *Leua oculos tuos in directum, & vide*, &c. *Deinde omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo*. &c. Habitabat tunc Abraham in Hebron, quæ eſt in ſorte Iudæ non tanquã incola, & indigena, ſed tanquam peregrinus. Indigenæ enim erant Chananæi Amorrhæi, & alij populi, quibus poſt captiuitatem Ægyptiacam bello à Ioſue ſublatis, abſolutaque peregrinatione 400. annorum Iſraëlitici populi, quæ Abrahamo prædicta fuit, Gen. 15. patuit ingreſſus, & data eſt poſſeſſio Iſraëli: Cùm ergo Abraham, cui facta eſt promiſſio, ipſo tempore quo locutus eſt illi Deus, habitaret intra Iordanem, eámque potiſſimum regionem videre ad ſpem futuræ poſſeſſionis iuberetur, profectò, eam, quaſi per quandam excellentiam, terram promiſſionis, Iſraëlitæ ſemper vocarunt, ad quam, qui non ingrediebantur, licet ad alias partes terræ promiſſæ venirent, vt Moſes reuera venit, non dicebantur ingredi terram promiſſionis. Qua pœna, multati ſunt, vt diximus Moſes & Aaron, quod ad aquas contradictionis in iurgio Deum non glorificauerint.

Abraham peculiariter promiſſa ſuit terra Chanaan cum ... moraretur. ... 13.

Abra... poſt 400. ... pere... ... 15.

Moſis mors.

Iam ad mortem Moſis, quæ vitam laudabiliter a... iam conſecuta eſt, veniamus; quam ſacer textus ita enarrat. *Mortuuſq; eſt ibi Moſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino. & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque ad præſentem diem.* Cum audis. *Mortuuſq; eſt Moſes*, &c. Intellige nulla ægritudine præcedente, ſed Dei voluntate animam de corpore educente, & vt creditur cum exiguo, aut nullo doloris ſenſu. Pro *iubente Domino*, in Hebræo eſt, *iuxta verbum Domini.* Commendat tamen noſtra vulgata editio Moſis obedientiam Deo præſtitam, ſiquidem iniuſſu Dei, nec viuere nec mori illi gratum vnquam fuit. Atque, vt mors illi ſuauis eſſet, ob meritum obedientiæ, Deo iubente, ipſóque volente mortuus eſt vt typus eſſet Chriſti, *qui inclinato capite factus obediens vſque ad mortem*, tradidit ſpiritum. Moſes ergo poſtquàm cap. 32. recitauit canticum ſuum coram populo audis auribus audiente, de morte ſua his verbis a Deo fuit admonitus. *Aſcende in montem iſtum Abarim, id eſt, tranſituum, in montem Nebo* &c. ... *morere in monte*, &c. Nota illud, *morere in monte*: nam mori ex obedientia ad typum mortis Chriſti conſolatio fuit Moſi. Mori autem in monte in proſpectu terræ, quam non erat vi... ...ius pœnæ ... tionem habuit, vt intelli-

Deut. 34.

... moritur ... do- ...

Moſes ... ... conſolatur

gant prælati, & qui in monte dignitatis ſunt, iræ Dei ſignum interdum eſſe, in monte dignitatis, cui renuntiare viuentes laudabiliter potuerunt, morte præueniri. Vitam enim deſiderant huiuſmodi homines, vt dignitate & terra optata fruantur, quemadmodum Moſes optabat terra promiſſionis frui. Deus tamen, cum imperio illi ait, *Morere in monte.* Vtinam qui ita moriuntur grati ſint Deo, ſicut Moſes, quem Deus ipſe, aut Angeli ſepelierunt, & ſacræ literæ laudatũ, tum ob alias cauſas, tum quia aſcendit in mõtem Deo iubente: illi autem aſcẽdunt interdum fauore humano in montem honoris: & Moſes aſcendit, vt in mõte moreretur: illi vt in monte viuant obliti Chriſtũ, cuius figura fuit Moſes, qui nunquam aſcendit in montẽ, niſi vt oraret, aut prædicaret, aut vt moreretur. Porrò mite Moſis ingeniũ, & ſuaue, populi totius fletibus audita illius morte ſtatim futura, declaratũ fuit: vix ipſe potuit ſe cohibere, dum flentes conſolabatur. Ioſephus Antiquit. Iud. lib. 4. ad finem ait vix potuiſſe Moſen a lachrymis temperare, quo tempore vicinæ mortis ſuæ ſignificationem populo à quo valdè amabatur, aſcenſurus in montem, dedit. Eum comitati ſunt ſeniores, & Pontifex Eleazarus & princeps IESVS. Cúmque veniſſet ad montem, qui vocatur Abarim, terram optimam Chananæorum, & amplam ſenioribus oſtendens, illos dimiſit. Et dum valediceret Eleazaro & IESV, eiſque adhuc loqueretur, nube ſubito ſuper eum aſtante, in quadam conualle ſublatus eſt. Addit Ioſephus eum mortuum ſuiſſe, propter metum, ne ob excellentiam virtutis qua prælucebat ad diuinitatem abiiſſe putaretur; Philo Iudæus ad finem lib. 3. de vita Moſis, inter facta Moſis, illud mirandum eſſe credit, quod viuens adhuc & ſpirans prophetauerit de ſeipſo tanquam mortuo, ante obitum narrans ſe mortuum ſepultumque inſpectante nemine. De ſepultura, ita loquitur textus: *Et ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Ex quibus verbis colligitur, non fuiſſe ſepulchrum eius in vertice montis Nebo, ſed in deſcenſu ad vallem contra Phogor, in qua erant Hebræi: dum Moſes in mõte fuit. Eſt autem Phogor nomen idoli, quod in editiſſima parte montis Moabitarum colebatur, ad quam Balac deduxit Balaam ad maledicẽdum filiis Iſraël. Num. 24.

Contra ambitioſos prælatos.

Mite Moſis ingenium.

Ioſephus.

Amor populi erga Moſen in morte declaratur.

Moſes nube tectus moritur.

Philo.

Phogor nomen idoli Moabitarum.

Num. 24.

4. Additur, *& non cognouit homo ſepulchrum eius.* Vatablus in ſcholio, ſic explicat hunc locum. *A Deo*, ſcilicet, *Angelo Dei ſepultus fuit, in valle quæ erat in vertice montis Nebo, qua parte reſpicit terram Moab non terram ſanctam, è regione phani Phogor idoli Moabitarum.* Refert ibidem ex quodam Hebræo, dicente ſepeliſſe ſemetipſum Moſen. *Ingreſſus eſt*, inquit, *ſpeluncam quæ fuit illi loco ſepulchri cum ſe prius compoſuiſſet.* Cæterùm rationem quam ſacri interpretes reddunt, quare non fuerit cognitus ſepulturæ locus, eſt, ne Iudæi quibus diuinus homo exiſtimabatur, inuenientes illius veſtigiũ aliquod, eum, vt Deum, idololatricè colerent. Amoris & affectus erga illum, euidens indicium fuit, luctus triginta dierum ab vniuerſo populo obſeruatus. Vnde Ioſephus loco citato, ſic ait. *Nunquam Hebræos triſtitia magnum ... tanta detinuit, quanta fuit in tranſitu Moſis. Diligebant enim eum, non ſolum, qui fuerunt experti, ſed etiam qui eius legebant leges.* Hæc ille. Hinc illa orta contentio eſt inter Michaelem Archangelum occultãtem Moſis corpus, & Diabolum volentem illud Iudæis indicare, vt coleretur. De qua, Iudæ cap. 1. ita ſcribitur: *Cum Mi-*

Moſen ſeipſum ſepeliſſe Rab. quidam refert

Occultatum fuit ſepulchrũ Moſis, ne populus eum coleret, vt Deum.

Ioſephus.

Explicatur contentio de Moſis corpore. Iudæ 1.

chaël

Iudæ Commentar.

chael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moſis corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Deus, &c. Hoc eſt, Michael diſputans cum Diabolo, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, id eſt, illum blaſphemare ſiue conuitiis & maledictis inceſſere; ſed dixit; *Imperet tibi Deus*. ſeu, *increpet te Deus*. Nam ita Græci legunt, Ἐπιτιμήσαι σοι, & Hieronymus aduerſus Ruffinum. Vt autem intelligas vim huius loci, aduerte illum referre ad id quod præceſſit, *Maieſtatem autem blaſphemant*. & ad id, quod ſequitur: *hi autem quæcumque ignorant, blaſphemant*, &c. quaſi dicat; non verentur impij homines, neque Deum, neque hominis auctoritate pollentes blaſphemare, cum interim Michael diabolum conuitijs, & blaſphemiis dignum, ſecum de Moſis corpore diſputantem, & cauſam iniuſtā tuentem, non ſit auſus blaſphemare, aut contumelioſo verbo corripere. Vt hinc diſcamus, etiam cum bonam cauſam aduerſus aliquem proteruum & maledicum hominem tuemur; nefas eſſe vti increpatione & aſperitate verborum; maximè ſi is, qui nos oppugnat, vel in donis naturæ nobis ſuperior eſt, vt reuerà Lucifer ſuperior fuit Michaële (ſi fortè cū Lucifero altercatio hæc fuit) vel, in donis gratiæ. Quod ſi Michael etiam in natura ſuperior erat illi Angelo malo; certè docet ſuperiores etiam cum argunnt ſubditos reprehenſione dignos abſtinere debere à conuitiis, ſolúmque illis licere reprehendere, quod contra regulam commiſſum eſt ſine iniurioſa increpatione ingenij, ſanguinis, aut naturæ, &c. Vt enim Tullius ait. *Omnis obiurgatio carere contumelia debet*. Hac modeſtia vſus eſt Abraham apud Lucam agens cum diuite qui Lazaro fuerat in vita iniurioſus. *Recepiſti bona in vita tua* &c. Relinquamus ergo Deo increpationem, & noſtra modeſtia etiam blaſphemantes in Deum, & homines conciliemus, ſummum iudicem appellantes, ac dicentes homini proteruo, & importuno; *Imperet tibi Deus*. Beda aſſerit à nonnullis, nomine corporis Moſis, intelligi plebem Iudaicam, cuius ille Dux fuit, ſicut Eccleſia gentium, corpus Chriſti dicitur.

Hiero.

Archāgelus modeſtus in increpatione Diaboli altercantis de Moſis corpore.

Lucifer in donis naturæ ſuperior fuit Michaële.

Prælati cum arguunt ſubditos abſtinere debent à conuitiis.

Tullius.

Beda.

5. Sed hic ſenſus myſticus eſt, & allegoricus. Omnes enim ferè intelligunt aliam eſſe vim literæ, vt nimirum diabolus voluerit impedire occultationem corporis Moſis ab Angelo procuratam, ne populus ad idololatriam pronus, ſi illud inueniret, diuinis coleret obſequiis: Ita Caiet. in epiſtolam Iudæ, Gagnæus, & ferè interpretes, quibus accedit Abulenſ. in cap. 14. Deut. q. 2. ad finem: vbi pro, *Imperet tibi Deus*, legit, *imperet Deus in te Satan*. Et enarrans illa verba, *vſque in præſentem diem* hoc eſt, vſque ad tempus, quo hoc caput ſcriptum fuit à Samuele, vel Ioſue, ignoratum ait locum ſepulturæ Moſis, poſtea tamen reuelatum fuiſſe Hieremiæ prophetæ, qui tempore vaſtationis Hieruſalem, illatæ ſub Nabuzardan principe Coquorum, tulit arcam fœderis, & tabernaculū, & altare incenſi, & poſuit in ſpelūca in qua Moſes ſepultus fuerat, & clauſit oſtium, vt dicitur 2. Mach. 2. Dicitur enim ibi facta repetitione verborum ſcripturæ Hieremiæ prophetæ, quam Baruch excepit, ipſo dictante. *Erat autem in ipſa ſcriptura, quomodo tabernaculum & arcam iuſſit propheta diuino reſponſo ad ſe facto comitari ſecum, vſque quo exiit in montem, in quo Moſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem & veniens ibi Hieremias, inuenit locum ſpeluncæ & tabernaculum & arcam, & altare incenſi in-*

Diabolus voluit impedire occultationem corporis Moſis.

Caiet.
Gagnæus.
Abulen.
Deut 14.

Moſis corpus reuelatum fuit Hieremiæ.

2. Mach. 2.

[illegible] & oſtium obſtruxit. Et acceſſerunt quidam ſimul qui ſequebantur, vt notarent ſibi locum, & non potuerunt inuenire. Hæc ibi. Quod autem Lyranus videatur de auctoritate lib. 2. Mach. dubitare, eo argumento, quia non videtur probabile Chaldæos in deprædatione permiſiſſe Hieremiæ arcam, & altare incenſorum cum aurea eſſent: id quantum hæreticis non ſit, cum præceſſerit decretū Concilij Tridentini ſeſſ. 4. vbi hic liber canonicis annumeratur: hodie tamen hæreſis eſſet, de fide hiſtoriæ lib. 2. Machabæorum dubitare. Quare dicendum eſt, Deum, qui Hieremiæ oſtendit ſpeluncam ſepulturæ Moſis, vt in eam inferret, arcam & tabernaculum, virtute diuina, excitaſſe animos Chaldæorum vt Hieremiæ, cui ipſi propitij erant, ea ſpolia largirentur, fortè pretio rei ignorato, vt cum Moſe arca, quam tanti faciebāt Iudæi, & tabernaculum ſepeliretur, & Iudæi diſcerent de Meſſia, & noua lege cogitare. Quid quod Chryſoſt. & Theod. propterea aiunt, non fuiſſe Moſen terram promiſſam ingreſſum, ne Iudæi, diuinos illi deferrent honores?

Lyranus eſt [illegible].

Seſſ. 4. Trid.

lib. 2. Mach. canonicus eſt.

Cum Moſe ſepeliuntur tempore Hieremiæ arca, &c. vt Iudæi diſcerent tanto tempore de Meſſia & lege noua cogitare.

Moſes non fuit tranſlatus in Paradiſum.

6. Hinc infertur; primò, nemini fas eſſe ſuſpicari Dominum tranſtuliſſe viuum Moſen in paradiſum, ſicut tranſtulit Enoch, quia ambulauit coram eo, vt patet Geneſ. 5. & Eccl. 45. Et Eliam prophetam in curru igneo, 4. Regum 1. Etenim ea opinio erroris notatur ab hiſtoria ſcholaſtica, & Abulenſ. hic. q. 13. Eam tamen videtur approbare. D. Ambro. in lib. de Cajn & Abel. c. 2. D. Hilarius in cap. 17. Matt. can. 20. Ioan. Arboreus lib. 11. ſuæ Theoſophiæ. Ambr. Cathar. ſuper illa verba, Plantauerat Dominus paradiſum, & in illa Gen. 3. Collocauit ante paradiſum Cherubim, ait, Moſen vnà cum corpore, viuentem in voluptatis paradiſum fuiſſe tranſlatum, vt ibi vſque ad conſummationem ſeculi viueret cum Enoch, Elia, & Ioanne. Ab hac ſentētia non eſt alienus noſter Maldonatus ſuper cap. 17. Matt. permotus auctoritate Apoc. 11. quæ ſic habet. *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus 1260. amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ* &c. *Et ſi quis eos nocere voluerit ignis exiet de ore eorum. Hi habent poteſtatem claudere cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum.* Quæ verba ad Eliam referuntur: *& poteſtatem habent ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* Quibus verbis Moſes (inquit Mald.) apertè deſcribitur.

Moſes non eſt viuus in paradiſo ſicut Elias.

7. Hic tamen locus à patribus, commodius exponitur de Enoch & Elia, qui pari poteſtate præditi ante ſecundum Chriſti aduentum, Euangelium prædicabunt. Ita D. Thom. D. Aug. tra. 124. in Ioannem, Abulenſ. in cap. 34. Deut. 9. Rupert. li. 2. de Trin. & operibus eius ſuper cap. c. 34. Deu. Et Patres ferè omnes tam Græci, quàm Latini. Deinde Moſes magis gratus & acceptus Deo fuit, quàm prædicti prophetæ, vt dicitur ad finem huius capitis. *Non ſurrexit vltra propheta in Iſrael, quē noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis atque portentis.* Ac proinde, aliis modis indicari potuit illius gloria. Deinde quia ex multis locis conſtat eum prędixiſſe ſe moriturum ante tranſitum Iordanis. Dictum namque illi fuit diuino oraculo, Num. 27. *Aſcende montem iſtum Abarim, & contemplare terram quam Dominus Deus daturus eſt filiis Iſrael, cùmque videris eam, ibis ad populum tuum, ſicut iuit Aaron frater tuus, quia offendiſti me in deſerto*

Num. 27.

Sin

Deut. 3.

ſin, &c. Prætereà Deut. cap. 3. cùm precaretur Moſes Dominum, vt permitteret ei tranſitum vltra Iordanem: hæc audiuit: *Sufficit tibi, nequaquam loquaris ad me vltrà de hac re: non enim tranſibis Iordanem hunc.*

8. Idem colligitur ex cap. 4. 31. 32. Nec verò facilè debemus inferre res præter omnem ordinem à Deo fieri, cùm id ex ſcriptura manifeſtè non conſtat. Vnde non eſt idonea illatio quorundam interpretum qui volunt D. Ioannem Euangeliſtam ſimul cum Enoch & Elia viuum conſeruari adhuc à Deo, vt tempore Antichriſti Euangelium tunc moriturus prædicet. Id enim inferunt, tum ex cap. 10 Apoc. vbi Ioanni dicitur ab Angelo: *Oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis & Regibus multis*: tum ex vlt. Ioan. dicente Chriſto: *Sic eum volo manere donec veniam.* Addunt nonnulli Matth. 20. *Calicem quidem meum bibetis*, &c. Accedunt huic ſententiæ Hippolitus in orat. de Conſumat. Theophil. ſuper cap. vlt. Ioan. Euthym. in Matth. cap. 43. Simeon Metaphraſt. Sabellicus lib. 1. cap. 8. Trapezunt. c. 15. in illa verba: Sic eum volo manere. Catharin. Gen. 2. D. Anton. 4. p. ff. 13. cap. 4. §. 3.

Ioannes Euangeliſta non eſt in paradiſo voluptatis.

Non eſt prædicaturus tempore Antichriſti. Apoc. 10.

Ioan. vlt. Matth. 20.

9. Contraria tamen ſententia longè probabilior eſt, cùm communis Patrum opinio ſit, Ioannem eſſe iam vita defunctum. Tertul. lib. de anima cap. 50. D. Auguſt. tract. 124. in Ioannem. Epiphan. hæreſi 79. D. Iſidorus in lib. de vita & obitu Sanctorum cap. 74. D. Hieronym. ſuper 20. caput. Matth. Theophyl. & Beda Ioan. vlt. Accedit, Cæleſtinum Papam facere mentionem reliquiarum eius, in epiſtola ad Concil. Epheſinum, in quo iubentur adorari Martyrum reliquiæ, & potiſſimùm Ioannis Theologi. Ad teſtimonia ſcripturæ facilè reſpondetur conſiderata vera interpretatione. Ad illud enim Ioan. 21. *Sic eum volo manere donec veniam.* Dicimus variam eſſe eius loci lectionem, cæterùm ſenſum vnum eſſe, quo Chriſtus loquitur de ſuo aduentu, non ad iudicium, ſed ad Iudæos, per Titum ſupplicio mulctandos: ac proinde ſignificare, Ioannem ante Hieroſolymorum vaſtationem non moriturũ, quod ita euenit. Mortuus eſt enim anno Domini 99. nempe poſt vrbem euerſam, cuius euerſio accidit 42. anno poſt Chriſti Domini paſſionem. Verbum enim, *veniendi*, punitionem inferendam adſignificat: quemadmodum eiuſdem Apoc. cap. 2. cùm dicitur Angelo Epheſi: *Sin minus, venio tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris*, &c. Vel fortè loquitur Dominus de ſuo aduentu in morte: *donec veniam*, hoc eſt, donec illi adſim morituro, non violentia vlla, ſed iuſſione, ſicut adfuit Dominus Moſi, de quo Deut. vlt. *Mortuus eſt Moſes iubente Domino* &c. Hoc eſt non violentia vlla, ſed Deo volente. Ad aliud teſtimonium. Oportet te iterum prophetare, &c. reſpondendum eſt, ſignificari Ioannem ex inſula Pathmos, vbi tunc erat, reuerſurum in Aſiam; ibique per ſeipſum; in reliquo verò orbe per euangelium, quod ſcripturus erat prædicaturum Chriſti fidem multis populis & Regibus. Atque hæ duæ, ad duo loca ſcripturæ allatæ reſponſiones, conſentaneæ ſunt modo loquendi diuinarum litterarum, & ad dirimendam aliquorum interpretum controuerſiam.

Tertul. Auguſt. Iſidorus. Hieronym. Theophyl. Beda.

Explicantur loci in quibus videtur ſcriptura fauere Ioãnis in paradiſo manſioni.

D. Ioannes poſt Hieroſolymorum euerſionem mortuus eſt.

Verbum veniendi, aliquãdo futuram punitionem ſignificat. Apoc. 2.

Chriſtus adeſt aliquando morituris. Deut. vlt.

10. Quod autem Matth. 20. Chriſtus prædixit Ioannem bibiturum calicem paſſionis, impletum fuiſſe D. Hieronym. ibidem annotat, quando Domitiani iuſſu in feruentis olei dolium miſſus fuit. Licèt enim miraculo à morte liberatus ſit, mors tamen pro fide Chriſti libenti animo acceptata, inſtar fuit Martyrij, vt verè calicem paſſionis bibiſſe dici poſſit. Quare nec Ioannes nec Moſes, de quo agimus, ſi ſacræ litteræ, & Patrum libri euoluantur, mortem euaſerunt, nec viui cum Enoch & Elia, in paradiſo reſeruantur. Probabile tamen multis eſt, Ioannem quidem obiiſſe, cæterùm diuino beneficio, mox in cælum abiiſſe rediuiuum. Ita Nicephor. lib. 2. cap. 42. Ianſen. 21. cap. Ioan. Petr. Damian. in ſerm. de Ioanne Euang. Auctor ſermonis de Aſſumpt. B. Virginis, qui Hieronymo adſcribitur: *Plurimi*, inquit, *aſſerunt, Ioannem Euang. ſimul cum B. Maria Dei matre, & Chriſto beata immortalitate in cœleſtibus veſtiri*, &c. Idem aſſerit D. Thom. lect. 5. in c. 21. Ioan. & noſter Suarius diſp. 21. ſect. 2. tom. 2. in 3. partem: licèt diſp. 3. aliud ſentiat. De vita, tranſlatione, & loco, vbi nũc agit Enoch, latè diſputat noſter Benedictus Pererius ad finem comment. tom. 1. in Gen. vbi de Elia multa inſerit.

Matth. 20. Hieron.

Ioannes Euangeliſta quomodo bibit calicẽ paſſionis.

Enoch & Elias ſoli in paradiſo. Pererius.

Locus ſepulturæ Moſis.

Secundò infertur, neminem cognouiſſe locum ſepulturæ Moſis, vſque ad ætatem Hieremiæ; nec tunc quidem vulgò innotuiſſe, ſed ſoli prophetæ & paucis ſociis, qui illum, vt commodè Arcam fœderis occultaret, ſecuti ſunt; qui poſteà loci illius obliti ſunt. Nec verò ſuſpicari aliquis debet, relictum fuiſſe corpus Moſis demortui inhumatum: Inſepultum enim manere cadauer, infortunium, & pœna cenſetur, vt ait Seneca de remediis fortuitorum; & Palinurus 6. Æneid. dolet ſuum cadauer ſepultura carere: dicens,

Tu mihi terram inice, &c.

Sedibus vt tandem placidis in morte quieſcam.

Multò id minùs locum habere potuit in cadauere hominis obſequio Dei, & diuinæ legis ſemper mancipari. Quis autem eum ſepeliuerit indicant illa verba: *Et ſepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab* &c. *quæ erat in ſorte tribus Gad.* Cui hæc felicitas contigit, iuxta benedictionem, ab ipſo Moſe illi datam capite præcedenti, vbi Moſes ait; *Benedictus in latitudine Gad*, &c. *& vidit principatum ſuum quod in parte ſua doctor eſſet repoſitus, qui fuit cum principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cum Iſrael* &c. Ex quibus verbis, licèt intelligatur in terra Moab reponendum eſſe corpus Moſis, non tamen exprimitur, in montibúſne, an in vallibus. Quare prophetico ſpiritu afflatus huius capitis auctor indicauit, non in monte, ſed in valle terræ Moab, id fuiſſe ſepultum; non hominum officio, ſed Dei & Angelorum beneficio.

Locus ſepulturæ Moſis à Hieremia cognitus eſt.

Carere ſepultura cenſetur pœna.

Virg. Aeneid. 7.

Deut. 33.

Corpus Moſis, in valle terra Moab ſepultum fuit.

Aetas, & valetudo Moſis.

11. De ætate Moſis morientis, & valetudine ita ſcribitur, in eodem cap. *Moſes centum & viginti annorum erat quando mortuus eſt. Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt. Fleuerúntque eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus, & completi ſunt dies planctus lugentium Moſen.* &c. Aduertit Abulenſ. 31. Deuter. eum ipſa die, qua mortuus eſt compleuiſſe centum viginti annos. Illud mirabile eſt quod ſubiungitur: *Non caligauit oculus eius*: In ſenibus enim ſenſuum viuacitas attenuatur; Vnde viuendi potentia hebes fit.

Deut. 34.

Oculi Moſis viguerunt vſque ad mortem.

Planctus 30. dierum in morte Moſis. Abulenſ. Deut. 31.

Vatab. 70. Interpretes. Chald. Paraphraſtes.

Senectus Moſi nullum incommodum attulit: valebat adhuc acie oculorum. *Nec dentes illius ſunt moti*: vel, vt legit Vatablus, *Maxillæ eius nihil de fecerant.* Hebraicè, *Nec fugit vigor*, Sept. *Nec corcorrupta ſunt labia.* Chald. *Nec mutatus eſt ſplendor vultus.* Incommoda ſenectutis enumerat Salomon Eccleſ. 12. ſic enim ait: *Quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina*, &c Hortatur nos Salomon, vt iam inde à iuuentute, Dei recordemur. *Memento*, inquit, *creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent*, &c. Senectus námque vix poteſt Dei obſequio, ob virium defectum, niſi in adoleſcentia aſſueuerit, ſe accommodare: Vt enim D. Auguſt. ait, quando ætas vergit ad occaſum, ſenex plenus eſt querelis. Rurſus ait: cùm homines cupiunt ſenectutem, quid aliud optant, niſi longam infirmitatem? & D. Gregor. ipſe, inquit, defectus corruptionis, quid aliud eſt, niſi quædam prolixitas mortis? Addit Salomon: *Antequam tenebreſcant Sol, & lumen, & ſtellæ, & Luna.* Quibus verbis, vt notat Rabbi Moſes, ſignificatur in ſcriptura, hominum aduerſitates. Cùm enim hæc luminaria, & orbes cæleſtes hominum cauſa conditi ſint, mœrere & obſcurati dicuntur, quando homines mœrent & in tenebris ſunt. Vnde Ezech. 32. Dominus ſic alloquitur Regem Ægypti. *Operiam, cùm extinctus fueris, cælos*: Deinde addit, *Omnia luminaria cæli mœrere faciam ſuper te.* Similiter in Iſaia cùm dixiſſet ſcriptura, *Interfecit eos*, &c. Et mox adiecit, *& complicabuntur ſicut liber cæli, & omnis militia eorum deſluet.*

Eccleſ. 12. Explicatur Eccl. cap. 12. vbi Caiet. 16. colligit ſenectutis incommoda.

D. Auguſt.

Senex plenus eſt querelis.

Greg.

R. Moſes.

Ezech. 32.

Iſai. 14.

12. Igitur iuxta hunc loquendi modum intelligimus ſignificari à Salomone, homini in anguſtiis ſenectutis conſtituto, & morti vicino ſolem & lunam, & ſtellas tenebreſcere, cùm vix vllum ei præſtent vitæ ſolatium. Non diſplicet tamen expoſitio interpretum, qui per illa lumina, ſenſus intelligunt præ debilitate vigoris in ſenectute hebeſcentes. Per cuſtodes domus intelliguntur coſtarum crates, quæ ambiunt, ne diffluat, mollitudinem ſtomachi: Viri fortiſſimi qui in ſenectute nutabunt, ſunt pedes qui corpus ſuffulciunt, vegetum modò & robuſtum: tunc autem ægritudine debile & incuruum. *Otioſæ molentes, in minuto numero*, ſunt dentes, qui inſtar molæ comminuunt cibos, & imminuto numero, pauci erunt, nec cibis diuidendis apti: Videntes per foramina, ſunt oculi, qui per orbes ſuos & organa, quaſi per foramina luce adiuti cernunt. In ſenectute verò, luce imminuta caligant, vt caligarunt oculi Iſaac Gen. 27. & Iacob Gen. 49. præ ſenectute. Hæc detrimenta ſenibus gaudium adimunt. Nam, vt Hieronymus Epiſt. 25. ait ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ vxoris tom. 1. *Quid boni habeat ſanitas langor oſtendit.* Plus ſenſimus, quod habuimus, poſtquam habere deſiuimus. Idem Epiſt. 20. ad Paulum Concordienſem. *Quotus enim quiſque, aut centenariam tranſgreditur ætatem? aut non ad eam ſic peruenit, vt perueniſſe pœniteat? ſecundùm quod in lib. Pſalmorum ſcriptura teſtatur. Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni: ſi autem multùm, octoginta: quidquid reliquum eſt, labor & dolor.* Hæc Hieron. Quod ergo Moſes hæc ſenectutis incommoda non ſit expertus, centum viginti annos natus, ex Dei præſentia illi accidit, vt annotauit Abulenſ. Deut. cap. 34. quæ. 3. Conſtat enim illum, per 40. dies cum Deo fuiſſe abſque vllo vſu cibi aut potus, vt dicitur Exod. 34. Hinc illi, candor & ſplendor vultus vigorq; in membris, quo ipſo anno quo mortuus eſt ad bellum contra duos Reges Og, & Seon animosè proceſſit. Num. 21. 22. & 23. Meritò D. Hieronymus virtuti adſcribit Pauli Concordienſis, conſeruatum in ſenectute vigorem iuuentutis. Sic enim ait in Epiſt. citata. *Ecce iam centenus ætatis circulus voluitur. Et tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ, per præſentia exempla meditaris. Oculi, quo lumine vigent? pedes imprimunt certa veſtigia; auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum & ſucci plenum; cani cum rubore diſcrepant; vires cum ætate diſſentiunt.* Et poſt pauca. *Futuræ nobis reſurrectionis vigorem in te Dominus oſtendit, vt peccati ſciamus eſſe, quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne; iuſtitiæ, quod tu adoleſcentiam in aliena ætate mentiris*, &c.

Gen. 27. & 49.

Hieronymus.

Quid boni habeat ſanitas, langor oſtendit.

Abulenſis. Deut. 34.

Exod. 34.

Num. 21. 22.

Paulus Concordienſis ob virtutem multum vixit.

13. Hinc diuinus Sponſus, virtutis ſtudio intentam Sponſam, totam pulchram vocat Cant. cap. 4. tum ob conſeruatam cæterarum partium integritatem, tum ob dentium candorem. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro*, &c. Vbi cùm ſermo bucolicus ſit, alludit ad paſtores, qui ſolent certis anni temporibus lauare oues, vt lana albior, & mollior fiat; ſimúlque candorem dentium ad pulchritudinem pertinere ſignificatur. Legimus enim apud Iulium Capitolinum, tam inſignem extitiſſe candorem in dentibus Zenobiæ Reginæ, vt margaritas eam habere putares, non dentes. Videtur etiam huic cantici metaphoræ, & ſimilitudini, ſimilis eſſe comparatio illa, Gen. 49. vbi Iacob benedicens Iudæ filio ſuo ſic ait: *Dentes eius ſicut lac candidi.* Cæterùm Ariſt. cùm 5. de generat. animal. cap. 8. affirmet, potiſſimùm locutionis gratia dentes homini eſſe datos, certúmque ſit, ad exprimendas literas plurimùm conferre primos dentes; probabile mihi eſt adnotaſſe ſacram ſcripturam, non fuiſſe motos Moſis dentes, vt intelligeremus conſeruari à Deo dentes qui inſtrumento eſſent Moſi ſeni, ad pietatem docẽdam, Deúmque laudandum ſine offenſione obſonæ pronuntiationis. Prætereà, dignos eſſe dentes hominis, qui non conſueuerat dentes ad carpendum, & mordendum exercere, hoc frui beneficio, vt ne in ſenectute quidem mouerentur: Dentes námque qui ad mendacium, & maledicentiam voces efformant, digni ſunt qui vi excutiantur, ne dum ante tempus cadant.

Cant. 4.

Dentes conſeruant pulchritudinem

Iulius Capitolinus

Zenobiæ dentes margaritarum inſtar.

Gen. 49.

Ariſt.

Dentes, qui neminem lædunt maledicentiæ morſu, digni ſunt diuturnitate

De Comploratu in morte Moſis.

1. Comploratus in morte Moſis declaratur illis verbis, *Fleuerũt eum in campeſtribus Moab*, nempe in eo loco, in quo ipſe populum allocutus fuerat, contra phanum Phogor. Nec enim inde receſſerunt Iſraelitæ, donec planxerunt Moſen triginta diebus, vt ſolẽne erat apud Iudæos, in obitu principum. Triginta quoque dies planxerunt Aaron. Num. 20. Iacob patriarcham 70. adnumeratis ad 30. dies planctus, diebus 40. in condiendo aromatibus corpore conſumptis. Gen. 49. Quo beneficio caruerunt Moſis & Aaronis corpora. Additur, *& completi ſunt dies planctus lugentium Moſen*, hoc eſt, intra ſpatium 30. dierum fletui vacarunt, nihil de populi duce futuro interim deliberantes: qui mos hodie ſeruatur. Nec enim ſucceſſor Regni, aut dignitatis Eccleſiaſticæ, agno-

30. dies luctus dati ſunt Moſi, & Aaroni, 70 Iacobo patriarchæ

Num. 20.

Gen. 49.

Non deliberatur de principe futuro antequã defuncto lacrymæ perſoluantur.

cæ agnoſcitur, nec publico honore colitur, antequam exequiæ, & lachrymæ indices luctus, mortuo principi perſoluantur. Moris autem antiqui fuit, vt in iuſtis perſoluendis, laudes demortui decantarentur etiam inter Chriſtianos. Vnde Gregor. Naz. in funere Baſilij magni, orationem habuit, in qua inter cæteras laudes, illam addit, quod non ſolum Chriſtiani, ſed etiam Iudæi & Ethnici lachrymis deſiderium demortui Epiſcopi, teſtati ſint. Subiungit præterea populi affectũ, *Efferebatur*, inquit, *vir Sanctus, Sanctorum manibus exaltatus, atque omnes operam dabant, partim, vt fimbriam arriperent, partim, vt vmbram, partim vt feretrum, quo Sanctus portabatur, vel ſolum attrectarent (quid enim illo corpore Sanctius ac purius?) partim, vt propius ad eos, qui corpus ferebant, accederent: partim, vt aſpectu ſolo fruerentur, tanquam eo quoque vtilitatis aliquid afferente.* Hæc Naz.

Mos laudandi in funere defunctos etiam apud Chriſtianos. Amor erga D. Baſilium in funere declaratus.

2. In morte Samuelis luxiſſe populum dicitur 1. Reg. cap. 28. *Samuel autem mortuus eſt, planxitque eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum*, &c. Dauid autem in morte Saulis, & trium filiorum illius, inuitauit ad planctum, commemoratione beneficiorum etiam fœminas 2. Reg. 1. *Conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt, ſuper excelſa tua vulnerati*, &c. deinde addit. *Filiæ Iſrael, ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delitiis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro*, &c. Idem in morte Abner dolo Ioab occiſi 2. Reg. 3. plangens, ait; *Nequaquam, vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner. Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui, compedibus grauati non ſunt*, &c. Vide Ioſephum ad finem cap. 6. lib. 4. Antiq. vbi agit de Moſe, vel à pueris infantibus fletu decorato Phil. Iud. ad finem lib. 3. de morte Moſis D. Ambroſ. tom. 4. in lib. de obitu fratris ſui Satyri, vbi poſtquam omnes ætates fleuiſſe demortuum commemorauit, ſic ait, *Fleuerunt & pauperes, & quod multò eſt pretioſius, multóque vberius, lachrymis ſuis eius delicta lauerunt. Iſta ſunt lachrymæ redemptrices, iſti gemitus, qui dolorem mortis abſcondunt. Itaque, licet priuatum funus fletus tamen eſt publicus*, &c. Et tom. 5. in concione funebri habita in obitu Valentiniani Iunioris Augusti, quem optantem baptiſmum nondum Ambroſius baptizauerat. Explicat namque & ſpem, quam bonus Imperator reliquit æternæ ſalutis adeundæ, & deſiderium illius, populi lachrymis declaratum. Sic enim, ait. *Soluamus bono principi ſtipendiarias lacrymas quia ille nobis ſoluit etiam mortis ſuæ ſtipendium. Nec tamen flẽdi admonitio neceſſaria, Flent omnes, flent ignoti, flent & timentes, flent & inuiti, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. Parentem publicum obiſſe domeſtico fletu doloris illachrymant, ſuique omnes funera dolent. Amiſimus enim imperatorem, in quo duo pariter acerbant dolorem: annorum immaturitas, & conſiliorum ſenectus*, &c. Idem in obitu Theodoſij ſenioris Augusti, ipſa elementa quodammodo fleuiſſe optimi imperatoris mortem affirmat. *Ipſa*, inquit, *receſſum eius elementa mœrebant, cælum tenebris obductum, aër perpeti horrens caligine, terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluuionibus. Quidni mundus ipſe defleret eum principem continuò eſſe rapiendum, per quem dura mundi iſtius, temperari ſolerent, cùm criminum pœnas, indulgentia præueniret? Ergo tantus imperator receſſit à nobis, ſed non totus receſſit. Reliquit enim nobis liberos ſuos ſcilicet Arcadium & Honorium, in quibus eum & cernimus, & tenemus*, &c. Vide Hieronym. ad Heliodorum, in Epitaphio Nepotiani, vbi fletum temperare vix poteſt.

1. Reg. 28. — *Dauid laudat in funere Saul & Abner.* — *2. Reg. 1.* — *2. Reg. 3.* — *Ioſephus.* — *Philo Iud.* — *D. Ambroſ.* — *Funus Satyri fratris D. Ambroſij.* — *Sunt lacrymæ redemptrices, quibus in funere pauperes demortuum plorant.* — *Lacrymæ in funere Valentiniani Imp.* — *Valentiniani annorum immaturitas, & conſiliorum ſenectus.* — *Luctus in funere Theodoſij Maioris.* — *Theodoſius criminum pœnas, indulgentia præuenit.* — *Hierony.*

Succeſſio Ioſue in imperio.

3. Iam ad electionem Ioſue veniamus, de qua ita ſcribitur. *Ioſue vero filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moſes poſuit, ſuper eum manus ſuas. Et obedierunt ei filij Iſraël, feceruntque ſicut præceperat Dominus Moſi*, &c. Finitis 30. diebus luctus, in ducem electus fuit Ioſue loco Moſis, à quo fuerat deſignatus ob inſigne Dei donum, hoc eſt ſapientiam, qua cæteris omnibus prælucebat. Hoc donum ad rectam ſubiecti populi gubernationem petiuit Salomon à Deo 2. Paralip. cap. 1. Quanta ſapiẽtia pollere debeat is, qui alijs præeſt D. Bernard. ad finem lib. 4. de Conſid. ad Eugen. exprimit his verbis. *Oportere te eſſe formam iuſtitiæ conſidera, Sanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, doctorem gentium, Chriſtianorum ducem, cleri ordinatorem, paſtorem plebium, magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum aduocatum, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, vltorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrãnorum, poſtremò Deũ Pharaonis. Intelligo quæ dico. Vbi malitiæ iuncta potẽtia eſt, aliquid tibi ſupra hominẽ præſumendum. Cui iraſceris tu, Deum ſibi iratum, non hominem putet*, &c. Iure igitur Iſraelitæ, eum ſibi ducem aſciuerunt, quem experti fuerant, adhuc viuente Moſe ſapientiæ donum a Deo accepiſſe. Nam vt Nazian. ait Apolog. 1. *Homini, cum difficile ſit, ſcire parere, tum multo difficilius eſſe videtur, ſcire hominibus imperare ac præſertim in hoc noſtro imperiõ, quod in lege diuina verſatur, hominéſque ad Deum ſubuehit, cuius, quo ſublimius eſt faſtigium eo grauioris quoque periculi metus impendet*, &c.

Electus Ioſue poſt 30 dies luctus. — *2. Paralip. 1. Donum ſapientiæ prælato neceſſarium. Bernard. prælatum definit.* — *Bern.* — *Vbi malitiæ iuncta eſt potentia aliquid præſumendum eſt prælato ſupra hominem.* — *Naz.*

Iuſſu Dei imponit Moſes manus Ioſue.

4. Illa verba. *Quia Moſes poſuit ſuper eum manus ſuas.* Indicant, Sapientiæ Ioſue donatæ, non tam cauſam fuiſſe impoſitionem manuum, quàm ſignum. Nam Num. 27. præceperat Dominus Moſi, vt poneret manum ſuam ſuper Ioſue, & daret ei partem gloriæ ſuæ, hoc eſt, partem auctoritatis ſuæ. Quare per impoſitionem manuum, Ioſue nõ accepit maiorem ſapientiam, duntaxat declaratum fuit populo, in illo diuinitus datam exiſtere ſapientiam, quæ in eo (vt benè aduertit Abulenſ. ad finem quæſt. 3.) iam præextiterat, iuxta illud Num. 27. *Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus Domini, & pone manum tuam ſuper eum*, &c. Quare impoſitio illa manuum, eò ſpectabat vt populo conſtaret, electionem Dei decreto confirmari. In eo autem facto à Philone Iudæo commendatur virtus Moſis, quod cùm ſciret ſe moriturum & pater eſſet duorum filiorum, neutrum ſucceſſorem ſibi optauit, victor affectuum erga cognatos, ac domeſticos. Poterat quidem ſi filios ſuſpicabatur parum idoneos; certè fratris filios extollere, iam virtute meritos Sacerdotium. Sed fortaſſe, aut non placebat eos à diuinis rebus diſtrahi: aut potiùs cogitabat impoſſibile eſſe eundem hominem rectè curare ſimul regnum, & Sacerdotium; aut fortaſſe non putauit rem tam magnam pertinere ad ſuum iudicium: maluitque iudicandam Deo committere, qui pro ſua potentia perſpicit etiam intima pectorum. Quare nec Ioſue, quidem, cuius probitatem pernouerat ſucceſſorem nominauit, niſi præmiſſis precationibus Deum conſulens. Hoc feciſſe Moſen,

Impoſitio manuum Moſis ſignum fuit ſapientiæ Ioſue communicatæ ad rectè gubernandum. — *Num. 27.* — *Abulenſ.* — *Num. 27.* — *Cur Moſes filios ſuos non adoptauerit in ſucceſſores imperij. Nec fratris. Philone. Moſes victor affectuum erga cognatos, & domeſticos.* — *Ioſue electus præmiſſa precatione.*

ut Philo, quia cùm ipſe noluerit principatum, niſi ex Dei ſententia ſumere, ſic nec ſucceſſorem arbitratu ſuo eligere voluit.

Moſes moriturus electũ a Deo Ioſue populo commendauit.

5. Poſtquam autem optimus eius diſcipulus, imitatórque IESVS, propter mores amabiles, princeps à Deo creatus fuit & confirmatus, Moſes haudquaquam triſtis ob fratres, filiósque præteritos, ſed plenus gaudio, quòd proſpectum eſſet genti de rectore modis omnibus incomparabili, apprehenſa eius dextera, produxit eum ad concionem: vbi de imminente morte minimè ſolicitus, Ioſue electum à Deo his ferè verbis populo commendauit. Succedet in meam curam hic electus à Deo; ſimúlque protulit oraculum cui mox creditum eſt. Hæc ferè ſumpta ſunt ex Philone in lib. de charitate in principio. Moſen imitatus eſt D. Baſilius iamiam moriturus, & penè exanimis in impoſitione manuum; dum quoſdam, quorum virtus Eccleſiæ vtilis eſſe poterat, promouit ad gradus. Sic enim ait Naz. in orat. in laudem illius, propè finem. *Cùm ferme mortuus, & exanimis eſſet circa extremos ſermones inualeſcit, vt cum pietatis verbis abſcederet, ac fideliſſimis ſuis cultoribus ad Eccleſiaſticos gradus prouehendis, manum & ſpiritum praberet, ne ſacrario fraudarentur, quos diſcipulos, atque in Sacerdotio adiutores habuerat.* Hæc Naz. de Baſilio, cuius impoſitio manuum, cum eſſet Epiſcopus videtur fuiſſe conſecratio, & promotio ad ordines facta non ab eo, cui dictum eſt, vt ibidem annotauit Naz. *Aſcende in montem & morere.* verum morere, atque ad nos aſcende.

D. Baſil. moriturus quoſdam viros virtute claros promouit ad gradus Eccleſ.
Naz.

Hebræi obediunt Ioſue.

6. Ioſue electo à Deo, & à Moſe ad concionem producto & laudato, obedierunt filij Iſraël libenti animo, agnoſcentes Dei prouidentia eum ſibi in ducem, & principem dari. Atque in ea re fecerunt ſicut præceperat Dominus Moſi, vt ſacer textus annotauit. Electum Ioſue Deus eo honore decorauit, vt à populo coleretur, quo nec Moſes quidem legitur decoratus. Curſum namque ſolis precibus illius auditis retardauit, vt victor de hoſtibus triumphum reportaret. Viſúſq; eſt ipſe Deus obedire voci hominis cui voluit, vt populus obediret. Vide caput 10. vbi agitur de obſidione Gabaon.

Deus ſignis mirabilibus electũ Ioſue in ducem, decorauit.
Ioſue 10

Laudes Moſis.

7. Abſoluitur vlt. caput Deut. commemoratione laudum Moſis his verbis. *Et non ſurrexit vltra propheta in Iſraël ſicut Moſes* &c. quod additum eſt, ne quis ſuſpicaretur Ioſue æqualem fuiſſe illi, propterea quod dictum ſuprà ſit, Ioſue fuiſſe repletum ſpiritu ſapientiæ & quidem Iudæi, vt notat Gloſſa, hinc colligunt Moſen, omnibus veteris teſtamenti prophetis excelluiſſe. Vnde Ioan. 9. arroganter à quibuſdam dictum eſt. *Nos Moſis diſcipuli ſumus.* Poſtquam tamen Dominus prophetarum in mundo natus eſt, & cæcos illuminauit, ceſſauit illa dignitas, & vmbra futurorum: quia *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum* Ioan. 1. & quidẽ, excelluiſſe Moſen aliis prophetis antiquæ legis, conſtat Num. 12. vbi Deus, Aaroni & Mariæ ait: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquor ei, & palam, non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, &c. vbi ad-

Moſes omnibus veteris teſtamẽti prophetis excelluit
Ioan. 9.
Ioan. 1.
Num. 12.

A uertit Lyranus cognitionem propheticam tribus modis fieri. Vno modo per abſtractionẽ à ſenſibus exterioribus, vt in ſomno vel extaſi; Alio modo ſine abſtractione tali: fiunt tamen aliquæ formæ, virtute diuina, in imaginatione, in quibus diuina luce illuſtratus intellectus, videt intelligibilem veritatem ordinis ſupernaturalis. Tertio modo, quando ſine abſtractione à ſenſibus, & ſine viſione imaginaria, intellectus à Deo immediatè illuſtratus, cognoſcit intelligibilem ſupernaturalis ordinis veritatem. Ex his modis, ſecũdus præſtat primo, & tertius ſecundo. Vnde Hebræi per locutionem in ſomno, intelligunt primum gradum prophetiæ; per viſionem, ſecundum, qui duo B gradus ſunt inferioris notæ, tertium gradum tribuunt Moſi, qui ſupremus eſt. Q. D. Deus Aaroni & Mariæ; vos, in inferioribus propheticæ cognitionis gradibus verſati eſtis; ſupremum ad quem Moſes aſcendit, non attigiſtis. Os enim ad os loquor ei, palam, non per ænigmata. Hinc colligit D. Auguſtinus conceſſum fuiſſe Moſi, videre in vita diuinã eſſentiam; putat enim omnem cognitionem diuinæ eſſentiæ citra viſionem ænigmaticam eſſe iuxta illud 1. Cor. 13. *videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate.* Auguſtinum ſequitur D. Tho. 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. qui 12. ſuper Gen. ad litt. & in lib. de videndo Deum, opinatur Moſen, C qui fuit Magiſter Iudæorum, & Paulum, qui fuit doctor gentium, vſque ad viſionem eſſentiæ diuinæ eleuatos fuiſſe. Non ita tamen eleuatos fuiſſe putat D. Thom. vt mens eorum ſic illuſtrata, ſenſibus carnis vteretur. Confirmant hanc ſententiã illa verba 2. Cor. 12. *Scio hominem in Chriſto antè annos 14. ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum*, &c. Quod tamen D. Tho. negat in Moſe, admittit Lyranus; Arbitratur enim, relicto ſenſuũ vſu, communicari alicui diuinam cognitionem ſupernaturalem, maius beneficium eſſe, atque adeò Moſi conceſſum. Hebræi tamẽ negant Moſen diuinam eſſentiam vidiſſe, propter illud Exod. 33. D *Non videbit me homo & viuet*; Quam ſententiam multi Patres, tam Græci, quàm Latini veram exiſtimant. Vide interpretes D. Thom. loco citato.

Triplex propheticæ modus in excellens Moſe

Putat Auguſt. vidiſſe Moſẽ diuinam eſſentiã, idem ſentit de Paulo.
1. Cor. 13.
D. Thom.
2. Cor. 12.
Lyranus.
Hebræi negant Moſem vidiſſe diuinam eſſentiam.

8. Illud mihi certũ, nec ex hoc loco nec ex cap. Num. 12. rectè colligi, Moſen ſupremum fuiſſe prophetarum, vt bene aduertit Abulenſ. ſed hoc tantum, nempe neminem illi fuiſſe æqualem, in aliquo excellentię gradu; quod indicat particula, *Sicut Moſes*, ſenſus enim eſt habuiſſe Moſen quãdam excellentiam mirabilem in patrandis miraculis, & in familiari conſuetudine videndi, & alloquendi Deum. Hinc tamen non colligitur, alteri prophetæ plura & maiora myſteria, etiam in E lege veteri reuelata non fuiſſe. Vnde Dauid ab omnibus vocatur maximus prophetarum; & per antonomaſiam, propheta. Illa verba. *Quem noſſet Dominus facie ad faciem*, licet ponatur Dominus in recto, debent intelligi in obliquo, & poteſt fieri hypallage, id eſt, *qui noſſet Deum facie ad faciem*: Deus enim, æqualiter omnes homines nouit, homines verò Deum nõ item. Quare Moſen excellentiori modo, quàm alios Deum cognouiſſe ſignificatur, ſicut & plura ſigna & prodigia in Ægypto perpetraſſe; Quid quod in ſolitudine inſigniora opera, quàm reliqui prophetæ, quorum vita miraculis coruſcauit edidit? Hæc libuit præfari, vt commodiori aditu, ad hiſtoriam explicandam pateat ingreſſus.

Num. 12.
In quibus excellat Moſes aliis prophetis
Dauid maximum prophetarum est.

De Inſcriptione Libri Ioſue.

SECTIO VII.

יהושע

1. INſcriptio operis enarrandi, ſic habet. Liber Ioſue, Hebraicè יהשע Iehoſua. Eſſet hic explicandum prophetalis ne ſit hic liber, ac potius hiſtoricus nominandus. Cæterum ab eo labore, liberati ſumus in præfatione Sect. 3. ſolùm hic admonuerim à nobis interdum vocari debere librũ prophetalem, more Hebræorum; interdum hiſtorialem more Patrum, cùm vtraq; appellatio, idonea ſit, illa, ſi auctorem conſideres, qui propheta fuit; hæc ſi materiã ſpectes, quæ ferè hiſtorica eſt. Porrò libri appellatio legentem tacitè hortari videtur, vt attentè hiſtoriam conſideret, vnde ad vſum vitæ ſtudioſæ, virtutum exẽpla promanant, & diligenter euoluat. Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, vt D. Chryſoſt. ait Hom. 1, in Matt. tom. 2. ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam, vt librorũ vice gratia Spiritus ſãcti vteremur: & ſicut atramẽti illi, ita corda noſtra inſcriberẽtur à ſpiritu. Quia verò hanc noſtro vitio depulimus gratiam; vel ad ſecũdam nauigationem animum adiiciamus. Et quidem, primum illud fuiſſe ſublimius, verbis, & operibus ſignificatum eſt. Nam & Noë, & Abrahæ, eiúſq; poſteris, & Iobo, & Moſi, nõ per literas, ſed per ſemetipſum locutus eſt. Quia ſcilicet munda eorũ corda repererat. Poſtquam verò omnis populus Iudaïcus vitiis fœdiſſimis inquinari cœpit, neceſſe fuit admonitionibus vti, literis & tabulis, ad ſcelerum licentiam frænandam, deſcriptis. Hinc libri legales, hinc prophetales, hinc ſapientiales, vt à legalibus modus rectè viuendi petatur: à prophetalibus, exẽpla morum: ab agiographis, & ſapientialibus, Dei, & virtutis cognitio. In nouo etiam teſtamento hunc ſtylum ſeruari à Chriſto Domino videmus. Siquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquid tradidit Chriſtus, ſed pro literis, ſancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit Ioan. 14. *Ille* (inquit) *docebit vos omnia.* & Dominus Hierem. 31. prædicẽs legis nouæ felicitatem, ſic ait. *Diſponam vobis teſtamentum nouum, dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum perſcribam eas, & erunt omnes docibiles Dei.* Paulus quoque tanto lætus beneficio 2. Cor. 3. dicebat ſe accepiſſe legem non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Poſtquam tamen hominum mores, ad impietatem obliuione rerum diuinarum defluxerunt, ea rurſus, quæ conſtat literis, admonitione fuit opus. Hinc Euangelia, hinc Apoſtolorum literæ, hinc conciliorum Canones. Quare qui ab illa gratia excidimus, librorum auxilio & admonitione vtamur ſpiritui ſancto corda pro paginis præbentes. Sic enim fiet, vt diuinus Spiritus, aureas in pectoribus noſtris literas efformet infinita luce emicantes, faſtidióq; erunt prophanæ hiſtoriæ, narrationes, è quibus, præter mẽdacia, fumus oculos mentis occæcans exit, qui lacrymas elicit interdum, vel ab inuito, vt Chryſoſt. ait.

Ioſue liber interdũ prophetalis, interdum hiſtorialis dicitur.

Libri nomen excitat ad legendum.

Chryſoſt.

Deus per ſe cũ loquitur qui munda habent corpora.

Chriſtus nihil reliquit ſcriptum. Ioan. 14. Hierem. 31.

2. Cor. 3.

Poſt morum corruptionem opus eſt literis.

Hiſtoriæ profanæ fabulis, velut fumo occæcant oculos mentis.

Vita Ioſue.

SECTIO VIII.

2. DE Ioſue nomine, & ſignificatu, dictum eſt Sect. 3. Vita illius ex Athanaſio, in ſynopſi, & ex Iſidoro in lib. de vita & obitu ſanctorum cap. 27. & ex aliis, ſic habet. Ioſue filius Nun, ex tribu Ephraim, in Ægypto natus, Moſis diſcipulus & poteſtate ſucceſſor, nouiq; prælij triumphator, qui quouſque expediretur victoria, vt ſol ſtaret, cœlo imperauit. Iordanis etiam curſum tranſitu ſuo ſtare fecit. Ciuitatis Hiericho inexpugnabiles muros ad ſtrepentium tubarum clangore, ad terram deiecit Chananæorum obtinuit regna, Reges occidit; Populum Dei in terram patribus promiſſam, ſolus induxit, & ſorte diuiſit. Viginti ſeptem annis, vel, vt alij malũt, duo de viginti tantùm, Hebræis præfuit; diem ſuum obiit annos natus 110. & ſepultus eſt in Thamnaſar ciuitate ſua; quæ ſita eſt in latere montis Gair cõtra Aquilonem. Vbi teſte D. Hieron. in Epiſtola 26. ad Euſtochium quæ inſcribitur Epitaphium Paulæ matris, inſigne monumentũ eius oſtenditur, ſic enim ait. *Sepulchra quoque in monte Ephraim IESV filij Naue, & Eleazari filij Aron Sacerdotis è regione venerata eſt, quorum alter conditus eſt in Thamnathſare è ſeptentrionali parte mõtis Gaas: alter in Gabaa filij ſui Phineas ſatiſq; mirata eſt, quod diſtributor poſſeſſionum, ſibi montana & aſpera delegiſſet,* &c. Illud non eſt tacendum, Ioſue cum inſigni fortitudine, caſtitatem copulaſſe, vt in Epiſtola ad Philadelphios annotauit Ignatius Martyr citatus in Gloſſa ord. emendata. *Vtinam,* inquit, *fruar veſtra ſanctitate, ſicut Heliæ, ſicut IESV Naue, ſicut Melchiſedec* &c. qui in caſtitate de vita exierunt. Idem ſentit D. Chryſ. in Serm. de Martyribus tom. 3. nuper correcto; *Abraham,* inquit, *fidelis probatur, Moſes manſuetus dignoſcitur, IESVS caſtus,* &c. Hæc, ne longum facerem, ſatis eſſe nunc putaui: reliqua ex ipſa hiſtoria, quam narramus, facilè lector percipiet.

Athanaſius. Iſidorus.

Hieronymus.

Sepulchrum Ioſue, & Eleazari.

Ioſue elegit ſibi monticulum, nõ vt in eo viueret, ſed vt in eo ſepeliretur.

Gloſſ. ord. *Ioſue fortitudinem cum caſtitate copulauit.* Ignat. Martyr. Chryſoſt.

In librum Ioſue Iſraelitici populi ducis.

ARGVMENTVM.

3. LIBER hic, in tres diuiditur partes. In prima agitur de ingreſſu populi Hebræi in terram promiſſam, & variis præliis quibus Chananæorum vrbibus debellatis victor, ſemper extitit Iſraelitarum exercitus. Hæc pars vſque ad cap. 12. extenditur. In ſecunda, hoc eſt à cap. 13. vſque ad cap. 22. agitur de agrorum diuiſione, & prouinciarum aſſignatione victori populo facta. In tertia conceditur facultas tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe reuertẽdi ad terras ſibi vltra Iordanem aſſignatas, vt nouem tribubus pace illarum auxilio fruentibus, ampliora ad habitandum intra Iordanem ſpatia relinquãtur. Tandem rebus ad ſtatum Reip. ſpectantibus rectè cõſtitutis, moritur Ioſue, nemine qui ſibi in Imperio ſuccederet, electo. Hęc à c. 22. vſq; ad 24.

Diuiſio libri Ioſue.

Libri Ioſue.

IN CAP. I. PERIOCHA.

4. IN hoc cap. diuino colloquio excitatur Ioſue, ad fortitudinem, in præliis aduerſus gẽtes barbaras ſuſcipiendis, declarãdam; populúmque Dei, ex præſcripto legis gubernandum, atque in terram promiſſam inducendum. Nos ſingula capita per ſectiones illuſtrabimus, quę plana fuerint in contextu hiſtorico prætermittentes, cætera, quæ difficilia fuerint explicantes.

CAPITIS PRIMI.

SECTIO PRIMA.

Explicatur contextus.

1 *Et factum eſt poſt mortem Moſi ſerui Domini, vt loqueretur Dominus ad Ioſue filium Nun miniſtrum Moſi, &c.*

Aliæ verſiones.

In Hebræo, iuxta Pagninum, & Vatablum.

Factũ verò eſt poſt mortem Moſch, &c.

70. Interpretes, nihil diuerſum habent, à vulgata editione.

Cur hic liber inchoatur à coniunctione Et?

CONiunctio, *Et*. indicat pendere principium huius libri à fine Deuteronomij; ſaltem ab eo loco, in quo ſacra pagina refert mortuum fuiſſe Moſen, & ſepultum, vbi Deo placuit; eique pietatis officium à populo triginta dierum luctu perſolutum: vt ſit ſenſus, apparuiſſe Deum Ioſue, poſt mortem, & iuſta perſoluta Moſi: vnde Chaldæus paraphraſtes, *Poſt quam mortuus eſt Moſes*, &c. Aliter reſponderet Greg. Mag. ſiquis eum interrogaret, cur à particula, *Et*, inchoetur liber Ioſue. Nam hom. 2. in Ezech. enarrans principium primi capitis, quod ſic habet, *Et factum eſt in triceſimo anno*, &c. Quærit, cur propheta, qui nihil adhuc dixerat, dicat, *& factum eſt*, &c. Reſpondétque, in mente Prophetarum ita coniuncta eſſe exterioribus, interiora, vt ſimul vtraque videant, ſimúlque in eis fiat, & intus verbum, quod audiunt, & extrà, quod dicũt. *Patet*, inquit, *cauſa, cur, qui nihil dixerat inchoauit, dicens, & factum eſt in triceſimo anno. Quia hoc verbum, quod foris protulit, illi verbo, quod intus audierat coniunxit.* Hæc D. Greg. Quod autem prophetæ orationem externam coniungant, aliquãdo cum interna patet ex Pſalm. 86. Cuius exordium eſt, *Fundamenta eius in montibus ſanctis*. Nam relatiuũ, *eius*, refertur ad Pſalmum, vt ſit ſenſus fundamẽta, ſiue fundamentum, ſiue argumentum huius pſalmi à me præcogitati, eſt de Sione, & Moria montibus Domino cõſecratis, hic eſt meus ſcopus, &c. Sic Rabbini. Noſtri malunt eſſe relatiuum ſine antecedente exterius poſito, interius tamen adhibito, dum Dauid Eccleſiæ, vt vult Arnobius, vel Chriſti, vt mauult Euthymius, dignitatem cogitaret. Eius enim fundamenta ſunt in ſanctis montibus. Inde enim Eccleſia orta eſt; ac proinde Hieruſalem apud Damaſc. lib. 4. cap. 13. in Liturgia D. Iacobi vocatur, τῶν ἐκκλησιῶν ἡ μητρόπολις, id eſt, Eccleſiarum matrix. Augu. ſuper eundem pſal. tom. 8. ad cœleſtem Hieruſalem refert relatiuum, *eius*, ſic enim ait. *Ciuitas quædam in iſto pſalmo cantata, & commendata eſt, cuius ciues ſumus in quantũ Chriſtiani ſumus, & vnde peregrinamur, quandiu mortales ſumus, & ad quam tendimus, per eius viam, quæ quaſi dumetis & ſentibus interclusa non inueniebatur; Rex ipſius ciuitatis ſeſe fecit viam,* &c. Deinde repetens hæc verba, *Fundamenta eius*, &c. ſic ait. *Quomodo dicitur, eius, de qua nihil dictum eſt? ſed multa, vt dixi ſecum in ſilentio de illa ciuitate parturiens clamans ad Dominum erupit etiam in aures hominum.* Vide cætera: Vocat eo loco (vt alia omittam) montes ſanctos, Prophetas, & Apoſtolos, iuxta illud Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto* IESV.

Chald. Paraph. — *Greg. Mag.* — *Propheta aliquando internam orationem coniungunt cum externa.* — *Pſalm. 86.* — *Rabbinorum interpretatio.* — *Arnobius.* — *Euthymius.* — *Damaſcenus.* — *Auguſt.* — *Epheſ. 2.*

2. Cæterum, licet interpretatio particulæ, *Et*, à D. Gregorio adducta locum fortaſſe habeat in prophetis; aptius tamen loquetur qui dixerit eam etiam in hoc principio libri Ioſue, & in aliis ex cõſuetudine Hebræorum nihil ſignificare; Quod annotauit Orig. hom. 19. in lib. Num. propè finẽ; *Sciendum* inquit, *eſt quod vernaculum eſt linguæ Hebrææ*, Et, *coniunctione frequenter vti, ita vt interdum abundet, & in non neceſſariis, vt in noſtra appareat lingua, videatur inſerta*, &c. Producit exemplum ex Pſalm. 4. vbi dicitur; *Et ſcitote, quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum.* Deinde ait. *Si quem mouet coniunctio ſuperaddita*, & ſcitote, *facilè eſt, vt in ſcripturis animaduertas huius locutionis genus familiare eſſe illi linguæ qua prophetæ locuti ſunt. Nam ſæpè inuenies ita cœptum. Et dixit Dominus ad illum; Et factum eſt verbum Domini*, &c. In nouo etiam teſtamento exempla ſunt, Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Et Rom. 2. *Iis, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati*, & Luc. 2. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Ibidem: *mirati ſunt & de his, quæ audierant à paſtoribus ad ipſos.* & 1. Petr. 3. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis.* In omnibus prædictis locis, *Et*, redundat ſicut, & apud Virg. Æneid. 1. non ſine elegantia.

Particula, Et, eleganter ponitur apud Hebræos, etiam cum nihil ſignificat. — *Origenes.* — *Pſalm. 4.* — *Ioan. 5.* — *Rom. 2.* — *Luc. 2.* — *1. Petr. 3.* — *Virg. Æn. 1.*

Multa quoque & bello paſſus dum conderet vrbem.

Item:

Et quiſquam numen Iunonis adoret,
Præterea?

3. Quanuis autem, *Et*, ſuperfluum ſit in multis Scripturæ locis, non ſine elegantia Hebræi idiomatis, præcipuè tamen id cernitur, in librorum principiis & capitum initiis, vt 1. Reg. 1. *Et fuit vir vnus de Ramathaim Sophim.* & Ionæ. 1. *Et factum eſt verbum Domini.* & apud 70. Interpretes, omnia ferè librorum Regum, & Paralipomenon capita à coniunctione Græca, καὶ, id eſt, *Et*. incipiunt; quanuis in tranſlatione D. Hieronymi ſæpe ſupprimatur. Coniunctio autem hæc, non ad antecedentem, ſed ad ſequentem ſententiam adiungitur. Quam linguæ Hebrææ proprietatem, D. Gregor. aduertens: ingenioſè tamen aliam rationem interpretandi particulam, *Et*, meditatus eſt apud Ezech. ſicut & D. Auguſt. in verſiculo Pſalm. 4. *Et ſcitote quoniam mirificauit*, &c. *Iunctura*, inquit, *coniunctionis, cum ſententia non præceſſerit, cui ſequens annectatur: mirabiliter fortaſſis inſinuat prolationem veritatis in voce, cum ea viſione, quæ fit in corde eſſe coniunctam*, &c.

Et, eleganter ponitur apud Hebræos in principio librorum. — *1. Reg. 1.* — *Ionæ 1.* — *70. Interpr.* — *Hieronym.* — *D. Greg.* — *D. Auguſt.*

Cur Moſes dicatur ſeruus Dei.

Error impiorum contra Moyſen.

Num. 20. & 27.

4. Vocatur hîc Moſes ſeruus Domini, vt quorundã opinio refellatur dicentium, Moſen ignibus æternis fuiſſe addictum ob peccatum admiſſum ad aquas contradictionis. Num. 20. & 27. Quorum hæreſim, præter alia ſcripturæ loca, verba illa Eccleſ. 45. ſatis confutant: *Dilectus Deo, & hominibus Moſes, cuius memoria in benedictione eſt. Elegit eum ex omni carne.* Verùm hic etiam maniſeſtè retunditur hæretica perfidia. Quem enim ſacra Scriptura ſeruum Dei appellat, eum ſi quis dicat fuiſſe damnatum, temerarius profectò erit. Hic autem bis dicitur Moſes Dei ſeruus, & Malach. 4. ſic ait diuinum oraculum, *Mementote legis Moſis ſerui mei.* Nec argumentum quod aduerſarij obiiciunt, vim habet, vt bene aduertit Lyranus hîc, & Abulenſ. quæſt. 5. & 6. legitur, inquiunt, peccatum fuiſſe patratum ad aquas contradictionis: non tamen conſtat huiuſmodi peccatum per pœnitentiam fuiſſe dimiſſum. Reſpondemus tamen, Moſen peccati ſui pœnituiſſe. Primò, quia ipſe precatus eſt ſæpe Dominum, vt condonaret ſibi illam culpam Deut. 3. Deus autem nolens temporariam pœnam condonare, eum ſic allocutus eſt: *Caue ne vltrà loquaris ad me de hac re; ſufficit tibi. Aſcende cacumen Phaſga, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & Aquilonem, & Auſtrum, & Orientem, & aſpice, nec enim tranſibis Iordanem iſtum.* Vnde apparet condonaſſe ei Deũ pœnam æternam. Fieri enim non poteſt, vt qui orat pro remiſſione ſui peccati quod deteſtatur, dolens offenſionem Dei, non exaudiatur: ait enim Deus Exech. 18. vt D. Greg. papa & D. Bern. verba, non prout in contextu ſunt, ſed ſententiam ſpectantes referunt: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Secundò, vt Lyranus annotauit, ſatis ex ipſa ſcriptura colligitur pœnitentia, quòd ſententiam mortis temporariæ à Deo ſibi impoſitam, ante ingreſſum terræ promiſſæ, æquiſſimo animo acceptauit, in peccati ſui pœnam. Quam acceptationem ex obedientia gratam Deo fuiſſe mors declarauit & ſepultura, quam illi Dominus præparauit. Deut. vlt. Tertiò, addo ex Abulenſ. peccatum illud Moſis, licèt Caiet. Num. 20. aliter ſentiat, non ita magnum fuiſſe, vt inter mortalia ſaltem grauiora debeat numerari. Quod ferè cenſent Catholici interpretes; vt refert Lyranus: Moſes enim non dubitauit de potentia Dei, qua aquam poterat concedere, ſed de effectu, qui impediri poterat ob populi incredulitatem. Viderat Exod. 17. aquas è petra Dei iuſſu ſcaturientes, atque adeò dubitare non potuit, id iterum, & ſæpiùs à Deo fieri poſſe. Quare non placet Gloſſ. Iſidori, qui ob dubitationem Moſen læthiferæ culpæ reum facit. Et quidem Abulenſ. putat computari poſſe inter venialia: Nihil enim obſtinato ad malitiam animo fecit, ſed ex omiſſione quadam peccauit. Cùm enim oporteret excitare Hebræos, propter beneficium aquarum ex percuſſo lapide manantium, ad laudem diuinæ liberalitatis, zelo Dei impulſus aliò cõuertit orationem, & populum infidelitatis accuſauit graui obiurgatione, & propè declamatoria adhibita. *Audite*, inquit, *rebelles, & increduli, num de petra hac, aquam vobis poterimus eiicere?* Num. 20. Peccauit ergo Moſes, non quidem intentione mala, ſed omiſſione circunſtantiæ temporis, quæ laudem Dei exigebat magis, quàm populi quamlibet infidelis, reprehenſionem. Laudandus enim erat Deus, qui, vt dicitur Pſalm. 113. *Conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*, & vt quidam eleganter vertit:

Malach. 4.

Lyranus. Abulenſis.

Deut. 3.

Noluit Deus Moſi condonare pœnam temporariam, quam meruit ob peccatum contradictionis, &c.

Exech. 18.

Lyranus.

Moſes acceptauit pœnam ſibi pro peccato commodo [illegible] impoſitam

Deut. vlt. Abulenſis. Caiet. Num. 20.

Moſes peccauit venialiter ad aquas contradictionis ex omiſſione.

Num. 20.

Non laudaſſe Deum cum debuit laudari culpa fuit.

Qui lapidum venas laticis laxauit in vnum;
Cui manat largo flumine dura ſilex.

Pſal. 113.

5. Vbi notã cum Genebrad. ſignificari rupem, quæ ferro ſecari non poſſet: Rurſuſque conuertendi verbum, hic accipi propriè pro commutatione ſcilicet ſubſtantiæ rupis, in aquæ ſubſtantiam. Bis autem hoc miraculum contigit in Raphidim Exod. 17. & in Cades Num. 20. Atque vt prima petra fudit prope Sinai, fluuium conſequentem Iſraelitas, vſque ad terminos terræ ſanctæ, per annos 39. Ita ſecunda in Cades prope Moab, fontem dumtaxat, quem proinde Hebræi appellant, puteum Mariæ. De prima petra agi putat D. Thom. 1. Corinth. 10. cùm dicitur: *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra*, &c. Eámque vocari ſpiritualem, ait, ob effectum miraculoſum: Aquæ namque, vt ille explicat, ſequebantur vbique eos, &c. Vnde meritò Caietan. ita connectit verba: *Bibebant autem de ſpirituali petra conſequente eos.* Quod proptereà ita dictum eſſe ait Gloſſa, quia quocumque irent Hebræi, aquæ inundantes ſecutæ ſunt eos. Deinde, vt allegoriam elucidet, addit: *Sic Chriſtus in deſerto huius mundi ſuos comitatur*, &c. Applaudit huic interpretationi Lyranus.

Genebr.

Exod. 17. Num. 20.

Puteus Mariæ.

An in vigilia locutus ſit Deus cum Ioſue.

ANNOTATIO I.

1. VT loqueretur Dominus ad Ioſue, &c.] Quæri poteſt, an locutus Deus ſit Ioſue per ſomnium, an in vigilia reali apparitione: quo pacto Angelus, qui erat ſuper arcam inter duo Cherubin loqui ſolebat, vt cum idem Ioſue iacuit coram Domino capite puluere conſperſo; tunc enim, vt dicitur infrà cap. 7. dixit ei Dominus, Iſraelem aliquid furatum fuiſſe de anathemate Hierico. Hic tamen modus, huic locutioni accommodari non poteſt, cùm Deus de propitiatorio loqui non conſueuerit, niſi iis, qui intentione audiendi diuinum oraculum, eò ſe conferebant; quod Ioſue non contigit. Nec verò dicendum eſt, conſuluiſſe Ioſue Dominum per Eleazarum ſummum ſacerdotem, vt ex reſponſione intelligeret, quid agendum eſſet; quoniam etſi Deus iuſſerat, vt Eleazarus conſuleret Dominum pro Ioſue, Num. 27. tamen non legimus præcepiſſe Ioſue Eleazaro, vt conſuleret Dominum ſed ante omnem iuſſionem, & deliberationem Deum locutum fuiſſe ipſi Ioſue.

Ioſue 17.

Ioſue poterat conſulere Dominum per Eleazarum.

Num. 27.

2. Cùm ergo Deus locutus fuerit, non interrogatus, ſupereſt, vt vel in ſomno, vel in vigilia acciderit hæc locutio. In ſomniis locutus eſt Deus Regi Abimelech Gen. 20. admonens eum de nocte ne tangeret Saram vxorem Abrahæ. Quibuſdam etiam prophetis, per ſomnium reuelatio facta eſt iuxta illud Num. 12. Si quis inter vos fuerit propheta Domini, in viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad illum. Danieli quidem interdum fiebant viſiones per ſomnium: dicitur enim cap. 7. *Anno primo Balthazar Regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit. Viſio autem capitis eius in*

Deus locutus eſt aliquando in ſomnis. Gen. 20.

Num. 12.

Dan. 7.

Moſi ſolebat Deus loqui in vigilia. *Exod. 3.* *Ioſue locutus eſt Deus in vigilia.* *Ioſue 5.*

cubiculo ſuo, &c. In vigilia vero conſueuerat Deus loqui Moſi, vt conſtat ex cap. 3. Exod. & ex toto pentateucho. Hæc igitur locutio, de qua agimus facta fuit Ioſue in vigilia vt arbitror, Deus enim perinde loquebatur cum Ioſue ferè atque olim cum Moſe: Nam cap. 5. ſic ait ſacra hiſtoria. *Cùmque eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos ſuos, viditque virum ſtantem contra ſe, & euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait, Noſter es, an aduerſariorum? cui reſpondit, Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio,* &c. Quare, cùm in vigilia locutum fuiſſe Dominum Ioſue conſtet, & numquam per viſionem nocturnam, locutionem quæ refertur hoc loco, vigilanti factam eſſe, credibile eſt.

Cur Ioſue dicatur miniſter Moſis.

ANNOTATIO II.

3. MINISTRVM Moſi.] Vocatur Ioſue miniſter Moſis, quia non aliter ei miniſtrabat, quam Eliſæus Eliæ, vel Giezi Eliſæo, aut Baruch Hieremiæ. Habebant enim prophetæ miniſtros olim, quos ad cultum Dei egregiè inſtructos, participes faciebant laborum, & diuinæ familiaritatis. Hos vulgus appellabat pueros prophetarum: & quidem de Ioſue ſic ſcribitur Exod. 33. *Cùmque ille reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filius Nun, non recedebat de tabernaculo,* vel, vt eſt, *in fontem: Et reuertebatur ad caſtra,* ſcilicet Moſes, *Et miniſter eius Ioſue filius Nun puer, non recedebat de medio tabernaculi.* Vbi exprimitur obſequentiſſimum fuiſſe Moſi, & tanta familiaritate coniunctum, vt mediam, & intimam tabernaculi partem obtineret; nec inde ſine iuſſu magiſtri ſui recederet. Aſcendit cum Moſe ad montem, quãdo lex in tabulis ſcripta fuit, expectauitque eum cum Deo loquentem, in inferiori montis latere Exod. cap. 34. & poſteà deſcendit cum deſcendente. Illum Moſes impensè amauit ob ſingularem morum probitatem, & in rebus gerendis induſtriam, qua res difficiles ad fœlicem exitum perducebat. Hinc colligitur, quanta fuerit prudentia Ioſue cum præclara indole coniúcta. Nouit enim à latere illius viri, non diſcedere, quem inſignem eſſe Dei cultorem egregiè nouerat: eius verò imitari mores, palmarium eſſe arbitratus eſt. Sic olim (vt refert Nazianz. in oratione in laudem Baſilij habita) multi virtutem D. Baſilij admirati, eum quoad poterant imitati ſunt, videntes ab eo, omnibus illius memoriæ hominibus, in virtutis ſtadio palmam fuiſſe præreptam. Hi tamen imitatores comparandi non ſunt cum Ioſue, qui non res minimi momenti moribus exprimebat ex Moſe, ſed, ſerias, etiam cum virtutis ſublimitate copulatas. Res enim quaſcumque ſine delectu, ſolo amore ſancti Baſilij ducti, imitabantur. Sic enim ait Nazianz. *Tanta ipſius virtus fuit, gloriæque affluentia, vt multa ex paruis ipſius rebus, atque adeò ex corporis vitiis ab aliis ad gloriam, nominiſque claritatem parandam, excogitata ſint. Cuius generis ſunt, pallor, barba, certus incedendi modus, tum etiam non admodum cupidè, promptéque loqui, ſed vt plurimùm cogitabundum, intróque ad ſe conuerſum eſſe (id quod multi non rectè imitantes, nec animaduertentes in triſtitiam, atque in amœnam quãdam auſteritatem inciderunt) veſtis etiam genus, & lectuli forma, & eſitandi ratio: quorum ille, nihil ſtudio, atque de induſtria, ſed ſimpliciter ſemeréque faciebat. Ac multos iam Baſilios, ſpecie tenus videre licet, quaſi in vmbris: nimis enim illos laudero, ſi eos reſonabilis Echus voci ſimiles eſſe dixero. Nam illa, quamuis poſtremam dumtaxat vocis partem, expreſſum tamen refert atque exprimit; hi verò longiùs ab eo diſtant, quàm quantum accedere concupiſcunt.* Hæc Nazianz.

Prophetæ habebant miniſtros.

Exod. 33.

Ioſue obſequentiſſimus fuit Moſi.

Exod. 30.

Ioſue imitator Moſis.

D. Baſilium multi imitati ſunt etiam in corporis vitiis, ob amorem virtutis.

4. Ioſue verò ſic exprimebat excellẽtẽ magiſtri ſui virtutem, vt Moſes eum ſibi vicarium adhuc viuens, & ſpirans in rebus magnæ auctoritatis interdum ſubſtitueret, nimirum in imperij adminiſtratione, & publicis concionibus, idque Deo iubente, qui dixit Moſi Num. 27. *Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ; vt audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſrael,* &c. Volebat enim Deus, vt qui mores Moſis induerat, etiam imperio aſſueſceret. Commendat Ioſephus Moſen lib. 1. Antiquit. cap. 2. quod idoneum ſibi miniſtrum elegerit, etiam virtutis imitatorem dilexerit: Sic enim ſcribit, *Moſes ex multitudine pugnacem eligens iuuenem, ſuper Hebræos inſtituit IESVM Naue filium, validè robuſtum, & labores tolerare fortiſſimum: ad cogitandum ſimul & loquendum nimis idoneum, qui noſſet decenter Deum, & Moſen doctorem colere pietate.* Idem lib. 4. cap. 5. *Moſes cùm eſſet ſenex, Ioſue ſucceſſorem ſibi conſtituit ad prophetias, & ad militiæ principatum, ſicubi neceſſarium foret iubente Deo, vt rerum teneret imperium, Ioſue verò omni doctrina legum, diuiniſque myſteriis, Deo docente, erat inſtructus.* Hæc ille. Eò tandem peruenit imitatione, vt cognomen Saluatoris, quod Moſi, quia populum de Ægypto liberauit, conceditur, illi proprium ſit, vt aptior eſſet figura Chriſti ſaluatoris, quàm Moſes. Vnde Tertull. aduerſus Iudæos, & aduerſus Marcionem l. 3. *Dum Moſi ſucceſſor deſtinaretur Auſes filius Naue transfertur, certè de priſtino nomine, & incipit vocari IESVS. Certè, inquit, hanc primi dicimus figuram futuri fuiſſe.* &c. Obiiciet aliquis; Moſis in ſuam gentem charitatem tantam fuiſſe, vt nullus eam princeps ſit aſſecutus imitatione, nedum Ioſue. Sic enim ſcribit Philo Iudæus in lib. de charitate fol. 593. *Solus Moſes, vt apparet habita magis ratione cognationis cœleſtis, quàm illius vulgaris totam gentem ſuam hæredem omnium bonorum, quorum natura humana capax eſt, inſtituit: de ſuo dans, quod ipſe habebat: quæ non habebat à Deo impetrans: cùm gratiarum perennes fontes ſciebat patere, non tamen omnibus, ſed ſolis ſupplicibus: ſunt autem ſupplices qui honeſtatem amant; quibus ſitientibus fas eſt haurire e ſacris fontibus ſapientiam.* Hæc Philo. Cæterùm hic auctor; licèt omnia ſumma tribuat Moſi: non tamen ait, eum ita ſolùm omnia bona tribuiſſe genti ſuæ, vt excludat Ioſue. Is enim cum populum in terram promiſſam hoſtibus deuictis intulerit, vrbes & regiones populo diſtribuit, nihil ſibi adſcribens, præter vnam ciuitatem nomine Thamnathſare, à populo ſibi conceſſam, poſt diſtributionem prouinciarum factam. Vnde D. Hieronym. in Epiſt. ad Euſtochium, ſiue in Epitaphio Paulæ peregrinationis, quam Paula vidua fecerat mentionem faciens, ait, eam veneratam fuiſſe ſepulchrum Ioſue in prædicta vrbe ſitum. Deinde ſubiungit: Satiſque mirata eſt, quod diſtributor poſſeſſionum, ſibi montana, & aſpera delegiſſet. Quare cum in cæteris virtutibus Ioſue Moſis imitator fuit, tum in charitate erga Deum, & homines, vel maximè.

Imitatores Baſilij ſimiles Echo, quæ non integram vocem reddit.

Ioſue viuentis adhuc in ſe partem gloriæ aſſecutus eſt. *Num. 27.*

Ioſephus.

Moyſis elegit loco Moſis in prophetia & principatu & nomine ſaluatoris.

Tertul.

Auſes filius Naue.

Charitas Moſis in Iſraelitas.

Moſes totam gentem ſuam hæredem omnium bonorum inſtituit.

Dei gratiarum fontes patent, non omnibus, ſed ſolis ſupplicibus.

Ioſue imitatus eſt charitatem Moſis, omnia populo largiens.

Hieronymus.

An vocabulo Domini loquentis, intelligatur perſona diuina?

ANNOTATIO III.

5. QVÆRI poteſt, an vocabulo, *Domini*, loquẽtis cum Ioſue debeat intelligi perſona Patris, an Filij, an potius alicuius Angeli. Et quidẽ gloſſ. Interl. hoc loco vocabulo, *Domini*: Deum patrem intelligit. At verò Euſebius Cæſar. lib. 5. de demonſtr. Euang. cap. 19. exiſtimat Dei verbum, hoc eſt, Filij perſonam, tum Moſi & antiquis Patribus; tum Ioſue dediſſe reſponſa, à quo in hominis forma viſus ſit in agro Hiericho euaginato gladio cap. 5. ſic enim ait, *ſed illud quoque oſtenſum eſt, quod idem & Dominus & Deus, & Chriſtus ſit, qui à patre oleo exultationis eſt vnctus. Abrahæ igitur apud quercum viſus in hominis forma quieta, habitúque pacifico ſe oſtendit, cum ex illo vſque tempore ſalutarem ſuum ad homines aduentum, exordiretur. Ipſi verò Iacob tanquam exercitabundo, & certatori, qui aduerſus hoſtes, & luctaturus, & præliaturus eſſet, velutí homo; ſed Moſen & populum in ſpecie nubis, atque ignis ducebat, terribilem, interim atque adumbratum ſeipſum oſtendens. At quoniam Moſi ſucceſſor* IESVS, *contra hoſtes erat inſtruẽdus, qui antehac terram Palæſtinam incoluerant, externas vtique maximéque impias nationes, meritò cum gladio vagina exuto, & contra hoſtes acumen præ ſe ferente demonſtratur, tali propemodum viſione ſignificans, quemadmodum ipſe diuina virtute, tanquam inuiſibili gladio cum ſuis interim ſimul exultans, eiſque opem aſſiduè ferens, erat impios vlturus.* Hæc ille, indicans perſonam, quæ cum Ioſue loquebatur, non perſonam Patris eſſe ſpecialiter, aut ſpiritus Sancti, ſed Filij, cuius ille typum gerebat. Potuit autem vno in loco apparere cum gladio, in alio ſine gladio pro commoditate temporis.

6. Cæterùm illud certum eſt, cùm opera Trinitatis ad extrà (vt Theologi loquuntur) ſint indiuiſa; vocem externam, aut omnibus, aut nulli perſonæ peculiariter ſic attribui poſſe, vt ab ea tantùm efformari dicatur. Quare cùm nulla diuina perſona per ſe loquatur, ſed aliquis Angelus illius loco; (vt bene annotauit Abulenſ. hic q. 9.) Ad quæſt. propoſitam reſpondendum eſt, *Dei*, ſiue *Domini* vocabulo, hic intelligi Angelum, qui ſermonem habuit cum Ioſue, nomine Filij Dei, vt vult Euſebius ſicut Matth. 3. & Luc. 3. cùm vox patris dicitur de cœlo audita ſuper Chriſtum, vocem intelligimus alicuius Angeli, nomine ſolius Patris, & non alterius perſonę, inſonantem. Gloſſa autem Interl. myſticè videtur loqui, & non literaliter, dum *Domini* vocabulo ait, intelligi Patrem. Addit enim ſtatim nomine Ioſue ſignificari filium. Nam ad illa verba (*vt loqueretur Dominus ad Ioſue*) ſubiungit, *vt loqueretur ad Ieſum Filium Dei.* Occaſio fuit Gloſſæ huius commentarij, quem nos vocamus Ioſue, vocari in Hebræo IESVM eiſdem literis, quibus & ſaluator noſter. Imò & in verſionibus Latinis, quæ teſte Hieron. & Auguſt. antè hanc vulgatam, erant plurimæ ex Græco factæ, toties ponitur IESVS quoties in noſtra eſt IOSVE. Vide ſi placet Abulenſ. Exod. 23. & 25. & Leuit. 1. vbi explicat quomodo Deus loquatur cum hominibus miniſterio Angelorum, ſubeuntium vices ipſius: modus ipſe infrà à nobis explicabitur. Interim vide D. Gregor. 28. Moral. cap. 2.

Gloſſ. Inter. — Euſeb. Cæſ. — Perſona filij Dei apparuit Patribus, & Ioſue. — Cur Deus cum gladio apparuit Ioſue. — Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. — Abulenſ. — Euſebius. Matth. 3. Luc. 3. Vox Angeli audita eſt patris nomine, in Chriſti baptiſmate. Gloſſ. Inter. — Græce pro Ioſue ſemper legimus IESVM. Hieron. Auguſtin. — Abulenſ. — D. Greg.

Cur Deus tam benignè alloquatur Ioſue?

ANNOTATIO IIII.

7. NON eſt ſilentio prætermittendum, quid cauſæ ſit, cur Deus ſucceſſorem Moſis, in ipſo ſtatim rerum gerendarum exordio, tam familiariter ſit allocutus. Triplex autem huius rei ratio, animo ſuccurrit. Vna eſt, quia humeris Ioſue graue incumbebat imperium, ac proinde indigebat cœleſti præſidio, ne onere oppreſſus ſuccumberet. Inſtruit ergo illum Deus, & quid acturus ſit prædocet; ne conſiderata difficultate ingreſſus in terram promiſſam, belli gerendi cum Chananæis, animo caderet; ſicut olim exploratores à Moſe miſſi. Hi enim quamuis laudauerunt vrbium terræ promiſſæ magnificentiam, & ſoli cœlique benignitatem, conturbauerunt tamen Iſraelitas dicentes, Num. 3. *Populus, quem aſpeximus procera ſtatura eſt; ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enach, de genere gigantæo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur*, &c. *Hæc audiens populus fleuit tota nocte, & murmurauit dicens. Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine; vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam. Nonne melius erat reuerti in Ægyptum?* Cùm ergo Ioſue in maiori nunc eſſet diſcrimine, quàm cũ Hebræi auditis exploratoribus admurmurarunt, decebat, vt Deus timore depulſo, Ioſue ad res ſtrenuè gerendas, diuinis colloquiis excitaret. Altera ratio eſt, vt Hebræi intelligentes ducem ſuum diuinis illuſtrationibus perfrui: & nihil niſi ex Dei conſilio moliri, audacter eum ſequerentur, vel per vndas Iordanis, & hoſtium cuneos; ſicut olim Moſen, non timentes ſuſpenſos maris rubri fluctus, nec hoſtes obuiam occurrentes, ſicuti fuerant. Tertia quia licet Deus viuenti Moſi dixerit, Ioſue iſte tranſibit ante te: & in caſtris notum erat omnibus diuino oraculo deſtinari Ioſue, vt introduceret populum. Deut. 31. timere tamen poterat Ioſue, ne ob peccata populi Deus mutaret ſententiam; ſicut mutauit viuente Moſe. Moſi enim præceperat, vt introduceret Iſraelitas, in terram promiſſionis, Deut. cap. 10. Nihilominus poſteà ob peccata, concitatus eſt Dominus contra eum, & decreuit antè illum morte præuenire, quàm intrare poſſet. Num. 20. & 27. Hunc ergo timorem Deus ſua præſentia, & ſermone adimit nouo duci, adhortans eum ad fortitudinem neceſſariam ipſi, & populo, qui adhuc erat in campeſtribus Moab ad ripas ferè Iordanis propediem tranſiturus vadum fluminis; ſic animatus Ioſue nihil non ſtrenuè ſe acturum ſperauit. In rebus magni momenti animos addere aggreſſuro difficultatem, tanti refert, vt probati ſcriptores, id notare ſoleant, cum aliquis trepidanti duci ſtimulos addit, vt alacrius periculum inuadat. Sic Virg. 6. Æneid. Sibyllam inducit adhortantem Æneam ad viam inferorum adeundam.

Túque inuade viam, vaginâque eripe ferrum:
Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.

In ipſo rerum gerendarũ Deus familiariter egit cum Ioſue, vt animos ei adderet. — Num. 13. — Deut. 31. — Deut. 10. — Num. 20. 27. — Virg. Æn. 6.

LIBRI IOSVE

CAPITIS PRIMI.

SECTIO II.

Verſ.1.] Moſes ſeruus meus mortuus eſt: ſurge & tranſi Iordanem iſtum, tu, & omnis populus tecum, in terram, quam ego dabo filiis Iſraël, &c.

Aliæ verſiones.

In Hebræo. Moſech ſeruus meus mortuus eſt, & nunc ſurge, tranſi Iarden hunc, tu & omnis populus hic ad terram, quàm do eis, nempe filiis Iſraël, &c.

70. Interp. Moſes ſeruus meus mortuus eſt. Nunc igitur ſurgens, tranſi Iordanem, tu & omnis populus hic in terram quam ego do eis, &c.

Explicatur contextus.

Duo errores cõfutantur circa mortem Moſis, ſimul & exitus.

1. IMPERIO Dei excitatur Ioſue ad inducendum populum in terram promiſſam. Inprimiſque duo, de quibus ambigere nemini liceat, ſtatuit, nempe Moſen mortuum eſſe, & in Dei gratia è viuis diſceſſiſſe. Hæ duæ aſſertiones, duos errores, qui olim extiterunt, confutant. Primus eorum fuit, qui arbitrati ſunt Moſen nõ fuiſſe mortuum, ſed raptum in cœlum, vel in paradiſum, ſicut Enoch, Gen. 5. aut Elias, 4. Reg. 2. cùm nemo viderit eum morientem, aut ſepulturæ eius locum cognouerit: ſed hunc errorem, ſatis confutauimus in præf. ſect. 6. vide prætereà, ſi placet Abulenſ. in cap. 1. Ioſue, q. 11. 12. 13. 14. vbi eruditè docet, non rectè colligi, ex eo, quod nemo cognouerit ſepulchrum Moſis, eum raptum fuiſſe in cœlum, aut in paradiſum, cùm conſtet, hoc diuino conſilio factum, ne Hebræi idololatriæ occaſionem haberent cognito loco ſepulturæ illius: vt enim ſcribitur in epiſt. Iudæ voluit Satanas ſepulchrum eius oſtendere Iudæis ad occaſionem certiſſimam idololatriæ, quem Michael Archangelus impediuit dicens, *Imperet tibi Deus*. Secundus error ſuprà ſect. 1. Annot. 2. cõfutatus fuit, vbi annotauimus Moſem, Dei ſeruum vocari, quia in Dei gratia deceſſit. Nunc alia etiam cauſa reddenda eſt; cùm iterum ſeruus Dei ab oraculo vocetur.

Gen. 5. 4. Reg. 2. — Abulenſ. — Iudæ epiſt.

C D E

Quare dicatur Moſes, iterum ſeruus Dei?

ANNOTATIO I.

Hiſt. ſchol. Abulenſ.

2. REFERT hiſtoria ſcholaſtica, & Abulenſ. vbi ſuprà q. 16. quorundam errorem, vel potius hæreſim, de qua dictum eſt, affirmantium Moſen fuiſſe damnatum, quia irritauit Deum ad aquas contradictionis. Quem errorem confutat iterum oraculum, vocans Moſen ſeruum ſuum. *Moſes* (inquit) *ſeruus meus mortuus eſt.* Non tamen

A credibile eſt, ob id ſolum vocari Moſen ſeruum Dei; ſed ob id, vel maximè, vt hac ſerui Dei honorifica appellatione decoraretur. Deus enim illum familiaritate ſua dignum effecit, miraculiſq́; conſpicuum reddidit, tanquam ſeruum, quem aliis antepoſuerit, tanquam conditorem noui cultus, & religioſæ ordinatæq́; ſeruitutis, quam ante Moſen Deus in mundo non habuit. Hinc illa honorifica elogia, de Moſe extant. Primùm Deu. 34. *Et nõ ſurrexit vltrà propheta in Iſraël ſicut Moſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis, atque portentis, quæ per eum miſit, vt faceret in terra Ægypti*, &c. Deinde Num. 12. At, *non talis ſeruus*
B *meus*, hoc eſt, nõ eſt talis, quales cęteri, qui hac appellatione decorantur, ſed multò illis excellẽtior: ſubiungitur, *qui in omni domo mea fidelis eſt*. In ſeruis maximè commendetur fidelitas, quàm præſtitiſſe Moſen Deo, ſacra eloquia paſſim teſtãtur. Commendatur etiam manſuetudo, & ſtudium neminem ad iracundiam prouocandi. De hac virtute dicitur in eodem cap. 12. *Moſes erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.*

Vocari ſeruum Dei honor eſt, &c. — Elogia Moſis. — Moſes conditor noui cultus — Seruus gratus Deo. — Deut. 34. — Num. 12. — Seruus fidelis. — Mitiſſimus.

3. Nec verò intelligas illam ſeruitutem, quæ timori coniuncta eſt, de qua ad Rom. 8. *Nec enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater*; Verùm, nobilem, qua etiam ante aduẽtum Chri-
C ſti Deo ſeruierit, de qua Pſalm. 11. *Ego ſeruus tuus*, &c. *Filius ancillæ tuæ*. Et Virgo beata ad Angelum, Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Vnde D. Hieronymus in cap. 1. epiſtolæ ad Titum, enarrans illa verba. *Paulus ſeruus Dei*, ſic ait. *Hanc ſeruitutem habuit, & Moſes, de quo Dominus ad IESVM filium Naue: Moſes*, inquit, *famulus meus mortuus eſt*, & in alio loco, *Mortuus eſt Moſes famulus Domini in terra Moab per verbum Domini. Abſit quippe, vt ſpiritum ſeruitutis Moſen & Mariam in timore, & non in dilectione Dei habuiſſe credamus.* Hæc Hier. Nec mirum eſſe alicui debet, inſigniter ſanctos homines, nobiliter Dei ſeruos appellari. Cum per Iſaiam 48. pater loquatur
D ad filium iuxta verſionem 70. quam D. Hieron. vſurpat loco citato his verbis. *Magnum tibi eſt, vocari te puerum meum*, quod Græcè dicitur, *μέγα σοί ἐστι, τὸ κληθῆναί σε παῖδά μου.* Id in Hebræo pro *παῖδά μου.* eſt, עבדי, id eſt, ſeruus meus. Vnde Abdias propheta, qui interpretatur ſeruus Dominí, ex famulatu Dei nomẽ accepit. Quid quod filius Dei homo factus, non verbis ſolum teſtatus eſt, ſe veniſſe in mundum, vt miniſtraret, ſed facto etiam id confirmauit Ioan. 13. Aſſumpto quippe *linteo accinxit ſe*: & aqua peluim replens diſcipulorum pedes lauit, tanquam ſeruus ſeruorum Dei? Dignitas etiam ſeruorum Dei ex eo oſtẽditur, quòd Deus inſoleſcenti Diabolo ex vniuerſæ terræ,
E quàm perambulauit dominatione, vnicum Iobũ obiicit, ſeruumque ſuum vocat, vt illius comprimat arrogantiam; ſic enim ait cap. 1. *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra*, &c. Quod propterea facit, quia ſeruire Deo omnem pietatis cultum, & ſancta omnia obſequia, & miniſteria minimè ſeruilia comprehendit. Et quidem Paulus, quia Euangelium annuntiabat gentibus, ſe Chriſti ſeruum ſæpius nominauit. Rurſus, qui ſacrificium offerunt, Deo ſeruiunt; vnde Exod. 7. vbi vulgata editio habet. *Dimitte populum meũ, vt ſacrificet mihi*, Heb. habetur vt ſeruiat mihi. & Iſai. 43. *Nõ te ſeruire feci in oblatione, neque laborem tibi præbui in thure*, &c. Vbi nõ negat contineri ſeruitutem in ſacrificatione, &

Rom. 8. — Nobilis ſeruitus ſine timore. — Pſalm. 11. — Luc. 1. — Hieronym. — Iſai. 48. — Magnum eſt vocari Dei ſeruum. — עבדי. — Ioan. 13. — Obiicitur dæmoni Iob, ſeruus Dei. — Iob. 1. — Sacrificare eſt ſeruire Deo. Exod. 7. — Iſaiæ. 43.

thuriſi-

thurificatione: ſed eam laborioſam, & arduam eſſe negat. Quare ſeruitus Dei, nec libertatem adimit, nec ingenuitatem. Hinc efficitur, vt qui coram Agno ſunt, nunc ſedentes capitibus coronas imponát, interdum cum reuerentia procidétes abiiciant, vt hoc facto ſeruire ſe Deo ſignificent, nihilque regiæ nobilitatis, aut ingenuitatis imminui detractione, aut impoſitione coronæ, aut corporis proſtratione.

Seruitus Dei non tollit ingenuitatem.
Apoc 4.

4. Hinc colligitur, qui alteri, quàm Deo ſeruit nexu ſeruitutis abiectiſſimæ alligari, quam ſacræ literæ ſignificant, dum aliquem vocant ſeruum ſeruorum, vt Gen. 9. *Maledictus puer Chanaan ſeruus ſeruorum eris fratribus tuis.* Cum ergo diabolus ſeruus ſit, & mancipium viliſſimum, qui ſe illi B ſeruum exhibet, redditur ſeruus ſeruorum. Cæterùm ſi huic titulo ſerui ſeruorum, nomen Dei addas, inſignis appellatio, & ipſo ſummo Pontifice digna efficitur, qui in diplomatis, nó abiectę, ſed veneràdæ humilitatis ergò, ſeruus ſeruorum Dei nominatur. Quantum interſit inter Dei & mundi ſiue Satanæ ſeruitutem, experiuntur, qui iugum Dei ſuaue, & onus leue ſibi impoſitum læti portarunt & poſteà peccati iugo intolerabili, humeros & ceruicem ſubmiſerunt: quod Deus interdum permittit, vt homines ſeipſos agnoſcant, & diſcrimen vtriuſque ſeruitutis videant: *Seruient* (inquit Deus 2. Paralip. 12. *ei*, id eſt Regi C Ægypti, *vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum.* Iugum duriſſimum, quo premuntur peccatores, ſignificatur. Num. 25. vbi enim legimus, *Initiatúſque eſt Belphegor*, in Hebræo eſt alligatus, vel ſub iugú miſſus. Ad quam phraſim alludens Paulus 2. Cor. 6. admonet Corinth. ne velint *iugum ducere cum infidelibus*, Aſtutus tamé, & vafer diabolus, iugi, & oneris nomina ſupprimit, cùm ad ſuum ſeruitiú peccatores inuitat, ne deterreantur; poſtea crudeliter imponit, funibus, ne facilè excutiatur, adhibitis. Vnde Iſai. 5. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*, & Prouerb. 5. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius*, &c. Fitque vſu, vt inſtar belluæ peccator D pereat, etiam in difficillimis rebus, Satanæ. Hoſ. 10. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Deo igitur funibus amoris conſtricti, ſicut Moſes, non peccato ſeruiamus.

Gen. 9.
Seruus ſeruorum vocatur Chanaan.
Summus Pont. quare ſe ſeruum ſeruorum dicat.
Diſcrimen inter Dei & mundi ſeruitutem.
2. Paralip. 12.
Num. 25.
2. Cor. 6.
Iugum diaboli quam
Iſai. 5.
Prou. 5.
Hoſ. 10.

Gloriatur Deus in ſeruis ſuis, ne dum in Moſe.

ANNOTATIO II.

5. NON vacat myſterio, quod Deus vtens pronomine poſſeſſiuo ait, *ſeruus meus*, videtur enim indicare, non ſolum homini honorificam eſſe ſerui Dei, appellationem, ſed ipſi etiam E Deo glorioſam. *Seruus meus* (inquit Iſai 49.) *es tu Iſrael, quia in te gloriabor.* Quaſi dicat Deus per aſſeuerationem aſſumendo, *quia*, pro, *etiam*. vel, *adhuc*, Quia ſeruus meus es, adhuc in te gloriabor. Licet enim ſeruus meus ſis, réque inutilem Domino tuo debeas reputare, qui cùm Deus ſit, *bonorum tuorum non indiget*. Pſal. 15. per te multum mihi honoris & gloriæ accreſcet apud creaturas ratione præditas, eo ipſo, quod ſeruus meus ſis. Augetur autem Dei gloria in ſeruis ſuis, ex poteſtate patrandi mirabilia quædam facta, ipſis communicata. De Enoch, & Elia prædicaturis in fine mundi dicitur Apoc. 11. *Poteſtatem habent clau-* A *dendi cælum, ne pluat, & conuertendi aquam in ſanguinem.* Magna profectò eſt ſerui Dei poteſtas: ignem de cælo precibus deuocat Elias, 4. Reg 1. quia ſeruus Dei erat. *Si homo* (inquit) *Dei ſum, deſcendat ignis de cælo*, &c. Ioſue cap. 10. hoc titulo dominatur Soli, Lunæ, & aſtris, legíq, perpetuæ, vim affert. Vnde Eccleſiaſtici 46. *In iracundia Ioſue impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt, quaſi duo*, &c. Seruus etiam Dei Iſaias 4. Reg. 20. currentes Solis equos, quaſi freno circumagit, & retro agit, *Ecce*, inquit Iſai cap. 38. *reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in Sole retrorſum, decem lineis.* Imperant hoc titulo dæmonibus Apoſtoli Luc. 10. *Reuerſi ſunt ſeptuaginta* B *ta cum gaudio dicentes, Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis*, & ait illis, *videbam Satanam quaſi fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem ſuper omnem virtutem inimici*, &c.

Iſai 49.
Pſal. 15.
Communicat Deus ſeruis ſuis poteſtatem patrandi miracula.
Apoc. 11.
4. Reg. 1.
Ioſ. 10.
Eccleſ. 46.
4. Reg. 20.
Luc. 10.

6. Ad excitàdum Ioſue animum, ſeruum ſuum vocat Deus Moſem, cui ille ſucceſſit, vt ſimilis illi eſſe nitatur. Deus enim ad contumaciam dæmonis confutandam, & ad effectus mirabiles edendos, vel vnum ſeruum nominat: contra Satanam, vnum tantùm produxit Iobum, vt ſupra diximus, ad memoriam rerum mirabilium recolendam, nunc vnum producit Moſen. Elias 3. Regum 9. querebatur, cum conſiderabat Dei maieſtatem vnico ſeruo ſtipatam, ſemel & iterú C dicebat. *Derelictus ſum ego ſolus.* Illum conſolatus eſt Deus, propoſitis multis ſeruorum millibus. Derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curuata ante Baal. At nunc, & ſe, & Ioſue quodammodo conſolatur, memoria ſerui ſui Moſis, cuius ſe Deum Dominúmque teſtatur, non aliter atque in crebris ſermonibus repetit, *ſe Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob*, ſingulis videlicet ſeruis, ſe totum tribuens, tot Dei nomine repetito; vt vel vnicum ſeruum ſuum, ſibi honori eſſe, & gloriæ ſignificet. Hoc ſi Abrahamo Geneſ. 18. veniret in mentem, poterat Sodomæ excidij veniam impetrare, non ſolùm propter 50. iuſtos, vel pro D pter 45. 40. 30. 20. aut 10. Dei ſeruos qui Sodomis inuenirentur; vel ſi pauciores quàm decem, imò, ſi vnicum Loth repræſentaret propter hunc toti populo parceret Deus, qui terram vniuerſam, pro vno Iobo ſeruo ſuo, curam Satanæ, videtur parui facere, dum ait. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* Vbi pro, *Non ſit ei ſimilis*, in Hebræo eſt. *Non ſicut ipſe.* hoc eſt, nihil ei eſt ſimile. Per quàdam enim apoſiopeſim ſingularis Iobi ſanctitas ſignificatur. Expreſſius Moſis ſanctitas declarata eſt Deut. vltimo dum dicitur: *Non ſurrexit vltrà propheta, ſicut Moſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*, &c. Magni igitur faciamus Dei ſeruitutem, nihil E enim eſſe poteſt, vel ad vtilitatem animæ ſalubrius, nec ad dignitatem illuſtrius.

Serui Dei appellatione Deus ſignificat hominem addictum.
Iobum 1.
3. Reg. 19.
Deus in quolibet ſeruo ſuo gloriatur, atq, adeo in vno Abraham, &c.
Si vnicum Loth iuſtum Abraham repræſentaret propter hunc toti populo parceret Deus.
Deut. vlt.

Verſ. 2.] Surge, & tranſi Iordanem iſtum tu & omnis populus tecum.

De Iordane quem iubetur Ioſue tranſmittere.

ANNOTATIO. III.

IORDANIS, quem iubetur Ioſue cum exercitu pertranſire Iudææ fluuius eſt, vt omnium

Deſcriptio Iordanis.

maxi-

maximus, hoc terrarum tractu, hic, & amœniſſimus: eo terræ promiſſæ limes, ab ortu clauditur; ſuauiſſimæ aquæ alueo abundat, teſte D. Hieronym. in quæſtion. Hebr. in Gen. & Matth. 16. Ad radices montis Libani, prope Panium, labitur è duobus fontibus nimirum Ior, & Dan vno tantum milliari inter ſe diſtantibus. Iord. quidem ab oriente; Dan verò ab occidente. Multi tamen affirmant, eum primam huc originem non habere, ſed ex Phiala fonte ampliſſimo & per 15. millia paſſuum diſtante Oriẽtem verſus, quod etiam ex paleis in illum miſſis, & à Ior & Dan receptis comprobare nituntur cùm alij, tum Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico cap. 18. ſic enim ait; *Iordanis fons, Panium eſſe videtur, ſed reuera hoc terra conditum fertur, ex eo, qui vocatur Phiala. Hic autem eſt, qua in Trachonidem aſcenditur ad 120. ſtadium à Cæſarea ad dexteram, non longè à via, & propriè quidem ex rotunditate, Phiala dicitur lacus, rotæ ſpeciem præ ſe ferens, ſemper autem inter eius labra cohibetur vnda nunquã deficiens, vel exuberans.* Hæc ille ſubiungit, *cum hoc eſſe Iordanis principium neſciretur, à Tetracha quondam Trachonitidis Philippo Herodis fratre (à quo dicta eſt Cæſarea Philippi, Paneas, oppidum inter riuos fontium ſitum) deprehenſum eſſe. Is námque miſſis in Phialen paleis, inuenit eas apud Panium redditas, vnde antea flumius naſci credebatur.*

Hieronym. Matt. 16.
Ior, & Dan, duo fontes Iordanis.
Fons Iordanis. Ioſephus.
Panium fons Iordanis Phiala, à rotunditate dicitur fons Iordanis.

7. Illud certum eſt, ab hoc ſinulo, vt Ioſeph. ait loco indicato non procul à fontibus, lacum effici dictum Samo-chonitem, cuius paludes alueus ſecans, centum viginti ſtadiis percurrẽs, in lacum primò maiorem ſe fundit, dictum Stagnum Genezareth, ſeu mare Tyberiadis, ſeu mare Galilææ, quo etiam euicto, magnaq; parte ſolitudinis peragrata, lacui Aſphaltiti, ſe infundit, vbi auctore Plin lib. 5. cap. 15. hiſt. ſuauitatem ſuæ aquæ laudatæ amittit, ob coniunctionem cum aliis labe infectis, & quidem ab eo lacu, qui mare mortuũ dicitur, ita abſorbetur, vt non amplius erumpat. Multa alium, eáque amœniſſima ad vtranque ripam fundata oppida, quæ oram illam, regionem Iordanis vocandi occaſionem præbuerunt: piſces optimos gignit, ripas texit arundineis, ex qua materia circumfuſæ gentes, mapalia conficiunt. Gen. 13. *Eleuatis oculis Loth vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam Dominus ſubuerteret Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor*. &c. In hanc regionem deſcendit Ioannes ex deſerto Iudææ prædicans, & baptizans. Ceſſit hic olim populo Iſraëlitico in terram promiſſam Ioſue duce, primùm intranti, vt dicitur infrà cap. 3. ſignatique lapidibus duodecim; veſtigia ſiniit. Naaman ſyrum, quem ſepties lauerat, purgauit lepra 4. Reg. 5. Demum veri Meſſiæ baptiſmo ſanctificato Matth. 3. mirum in modum, ſacratiſſimæ regenerationis lauacrum, nobis commendat. Porrò Iordanis idem ſignificat, vt tradit D. Hierony. in Ezech. cap. 47. quod Latinè, riuus iudicij, vel iuxta Syriacã & Hebræam linguã labes iudicij, aut demonſtratio ſeu proiectio iudicij, ſeu deſcenſio. Habet hic fluuius, myſticam ſignificationem, qua duobus ſacramentis Eccleſiæ baptiſmo ſcilicet, & pœnitentiæ accommodatur. In his enim potiſſimum, quæ Sacramenta mortuorum dicuntur, abluuntur peccata Iſraëlitarũ, hoc eſt prædeſtinatorum qui cum Chriſto per Ioſue ſignificato, terram promiſſionis poſſeſſuri ſunt.

Ioſephus.
Stagnum Genezareth dicitur mare Tyberiadis & Galilææ.
Iordanis Aſphaltiti ſe infundit.
Plin.
Ripa Iordanis texta arundineis.
Gen. 13.
Marc 1. Luc. 3.
Ioſ. 3.
4 Reg 5.
Matt 3.
Hieronymus Iordanis ſignificat riuum iudicij.
Typus eſt baptiſmi & pœnitentiæ.

8. Illud, *ſurge*. non ſignificat iacuiſſe in terra Ioſue, antequam Deus diceret ſurgendum eſſe: ſed duntaxat promptitudinem obedientiæ, quam exigit à ſeruis ſuis: ſic miſſurus Ionam prophetam ad prædicandam Niniuitis pœnitẽtiam cap. 1. ait. *Surge, vade in Niniuen ciuitatem magnam.* Iubet ergò Dominus tranſitis triginta diebus, in luctu Moſis demortui poſitis, vt Ioſue moueat caſtra de manſione in qua erant, nempe de campeſtribus Moab. Nec enim antè hoc oraculum, & finitum planctum, vel caſtra Hebræorum mota ſunt, vel exploratores à Ioſue miſſi vt benè annotauit Abulenſ. quæſt. 16. contrà Lyranum, ſenſus ergò eſt ſurge, & præpara ſtatim, quæ neceſſaria ſunt, ad tranſeundum Iordanem, Iordanem, inquam, iſtum. Vtitur autem demõſtratione quia fluuius hic præterlabebatur, manſionem illam, in qua tunc erant Iſraëlitæ. Quod vlteriùs confirmari poteſt, primùm quia nox erat quando Iſraëlitæ caſtra mouerunt ex prædicta manſione, & peruenerunt vſque ad fluenta Iordanis, vt dicitur infrà cap. 3. Deinde ex Num. 3. vbi ad finẽ catalogi manſionum narratur caſtrametatos fuiſſe Hebræos in campeſtribus Moab ſuper Iordanem contrà Hiericho. Cùm ergo quæ coniuncta ſunt ſub eundem aſpectum cadant, vt manſio & fluuius, meritò fluuius, quaſi digito, demonſtratur.

Frugit Deus vt pronam obedientiam.
Iona. 1.
Abulenſ. Lyran.
Ioſ 3.
Num. 3.

Promittitur Iſraëlitis terra Chanaan tranſito Iordane.

ANNOTATIO IIII.

9. IN *terram, quam ego dabo filiis Iſraël.*] Tranſiturus cum populo Ioſue Iordanem, excitatur à Deo pollicitatione certa obtinendi terram, quæ erat vltrà fluuium, quam ſeptem gentes poſſidebant. Deus autem propterea dicitur traditurus eam Iudæis, licèt ipſi pugnauerint, quia & vires contulit ad vincendum & miraculis illos inimicis reddidit formidabiles. Vnde Deut. cap. 8. cauſa traditur, ob quam Deus Hebræis viribus ad debellandos tot hoſtes, impotentibus, ac penè deſtitutis, opem attulerit, & paſſim meminerit huius beneficij. *Ne diceres* (inquit) *in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum.* &c. Miſit autem Deus terrorem in hoſtes, quo perculſi fugerunt ſæpe, & terga vertentes, Iſraëlitis reliquerũt victoriam. vt patet Exod. 23. *Timorem meũ* (inquit oraculũ) *mittam in præcurſum tuũ, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumq; inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens priùs crabrones, qui fugabunt Heuæum antequa introeas*, & Deut. cap. 7. *Inſuper & crabrones mittet Dominus Deus in eos, donec deleat omnes, atque diſperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.* Quod de crabronibus dicitur immittendis à Deo, vt pugnent pro Iſraëlitis eo numero, & aculeis, vt expellant gentes inimicas, Caietanus impletum eſſe negat in comment. ſuper Exod. loco citat. ob peccata populi: ſcholiaſtes tamen illius, adimpletum fuiſſe putat in lib. Ioſue cap. 24. *Miſi*, inquit, *antè vos crabrones, & eieci eos de locis ſuis*, &c. Igitur Deus, tranſiturum Iordanem Ioſue, alacrem reddit ſpe terræ Iſraëlitis, non tam humano labore, quam diuina ope tradendæ, *Surge*, inquit, *& tranſi tu & populus tuus Iordanem iſtum, in terram, quam ego dabo filijs Iſraël.*

Excitatur Ioſue ad tranſeundum Iordanem Dei pollicitatione.
Deut. 8.
Deus pro Iſraëlitis pugnat.
Exodi 23.
Deut. 7.
Caiet.
Scholiaſtes Caietani.
Ioſ. 24

Explicatur contextus.

Caiet.

Non fuit promiſſa Hebræis tota terra habitabilis.

Lyranus.

3. Reg. 10.

1. CREDIBILE eſt, reuelatum fuiſſe Ioſue tempus opportunum ad tranſeundum Iordanem in illis verbis, Tranſi Iordanem iſtum, nec ſolùm tempus, ſed etiam modum miraculo illuſtrem: quod ex 3. cap. colligit Caiet. Nec enim Ioſue, vbi primum ad Iordanis ripam deuenit, modum mirabilem tranſeundi fluuium exercitui nuntiaret, niſi ex diuina reuelatione eum certò præcognouiſſet. Nunc Deus amplam concedit terræ poſſeſſionem, dum ait; *Omnem locum*, &c. Non tamen ita amplam intelligas, vt putarunt aliqui doctores Hebræi, quos refert Lyranus, dicẽtes, non ſolùm eis promiſſam fuiſſe terram Iudeæ, ſed totam etiam terram habitabilem. Adduntque id fuiſſe quodammodo completum, regnante Salomone, cui omnes reges terræ tributarios fecerit Deus. Huc enim ſpectare aiunt illud 3. Reg. 10. *Vniuerſa terra deſiderabat videre vultum Salomonis*, & ſinguli deferebant ei munera. id eſt, tributa, vt ipſi interpretãtur. Hoc ipſum perfectius, & cumulatius implendum eſſe dictitant in Rege Meſſiæ, quem cæci toti terrarum orbi dominaturum ſperant, huc trahentes illud Pſal. 71. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ*, &c.

Pſal. 71.

Prophetia de Chriſto regi vniq. adorando

C Cùm tamen hæc prophetia, vt Genebrard. annotauit, ad Chriſti regnum ſpectet, cui accedent Inſulani, & mediterranei principes, ipſæque Peruanæ, & Americanæ regiones. Falluntur ergo mentis inopes Rabbini: non enim Deus ſignificat his verbis, omnem locum omnino, veſtigio pedis cuiuſcumque Iudæi preſſum, ad Iudæos pertinere: ſed omnem locum intra fines terræ promiſſæ calcatum, vt colligitur ex aſſignatione finium qui ſtatim ſubiunguntur. *A deſerto & Libano*, &c.

Rabbinorum falſa interpretatio.

Salomon non fuit Rex totius terræ.

3. Reg. 11.

2. Iam verò illud falſum eſt, quod aiunt Salomonem obtinuiſſe dominium totius orbis: illum enim hoſtes in ſenectute oppugnarunt, vt patet D 3. Reg. 11. & cum dicitur, deſideraſſe totam terram illius videre vultum, non ſignificatur id deſiderium, regni cauſa animos inceſſiſſe, ſed experiundæ ſapientiæ à Deo donatæ, quam admirata Regina Saba, 3. Reg. 10. & Paralip. 2. cap. 9. dixit, *Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper, & qui audiunt ſapientiam tuam.* Rurſus munera, non ſunt ei allata, tamquam tributum; ſed, vt incitamentum beneuolentiæ quo permotus ille ſapientiam ſuam oſtentaret. Huius enim rei cauſa Regina Saba attulit aromata, & alia munera, cùm Salomoni ſubdita non eſſet, vt patet 3. Reg. 10. Quod verò aiunt, de regno Meſſiæ, ab ipſo obtinenda eſſe omnia regna terræ; E verum eſt, ſi ad ſpiritualem iuriſdictionem referas ſermonem, non autem ad temporariam: teſtatus enim eſt ipſe Meſſias regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Ioan. 18. & neglectis mundi opibus & imperiis, pauperiatem coluit, iuxta prophetiam Zachar. 9.

3. Reg. 10. Paralip. 2. cap. 9.

Regina Saba, non attulit Salomoni munera tanquam tributum.

3. Reg. 10.

Ioan. 18. Zachar. 9.

Deut. 11.

3. Hinc intelliges quomodo debeat exponi ſimilis locus Deut. 11. cum dicitur, *omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit*: ſtatim namque additur: *à deſerto & libano, & flumine magno Euphrate, vſque ad mare occidentale erunt termini veſtri*, &c. Non enim intelligitur de terra nõ promiſſa, qualis erat terra Idumæorum, Moabitarum & Ammonitarum, vt patet Deut. 2. per quam tranſeun-

Deut. 2.

A tes Iſraelitæ eam obtinere, à Deo prohibiti ſunt. Sic enim ait ſcriptura: *Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos; videte diligenter ne moueamini contra eos. Nec enim dabo vobis de terra eorum, quantum vnius pedis poteſt calcare veſtigium*, &c. Quid clarius dici potuit? debuiſſent Iudæi, non tam in memoriam reuocare quid ſibi à Deo olim promiſſum ſit, quàm ſcelera ob quæ promiſſam terram amiſerunt.

Non ſunt Deus pugnare Hebræos contra filios Eſau fratres ſuos.

Sicut locutus ſum Moſi.] Hoc eſt, omnem terram illam dabo Hebræis, quam Moſi pollicitus ſum me daturum: nempe Deut. 11. dicens, *Omnis locus quem calcaueris*, &c. Terra autem hæc in B Syriæ regionibus, numeratur, quarum cùm frequens ſit mentio in ſcriptura, de Syria, & eius partibus aliquid præmittendum eſt.

Deut. 11.

Verſ. 4.] A deſerto & Libano vſque ad fluuium magnum.

De Syriæ partibus, quarum vna eſt terra promiſſionis, in qua verſamur.

ANNOTATIO I.

C 1. VT dilucidior ſit interpretatio huius libri, & probè intelligatur, quæ terra ſit promiſſa à Deo Iſraelitis, de Syria breui agendum eſt: deinde quibus nominibus appelletur terra promiſſa. Certum igitur eſt nobiliſſimam, & ampliſſimam eſſe in Oriente Syriæ prouinciam. Eſt enim in ſacris literis no vna, ſed multiplex Syria; nempe Syria Meſopotamiæ, Syria Soba, Syria Damaſci, Syria Phœniciæ, Syria Maacha, Decapolitana, Cæle Syria, & Syria Palæſtinæ. Abulenſ. ſecutus Brochardum, ad explicandos diuerſos ſcripturarum locos, in vtroque teſtamento, non ſemel Syriam in decem par D tes diſtribuit, quaſi peculiares Syrias, quæ, tum à ſacris, tum à prophanis ſcriptoribus variè nominatur: ſic enim locos, qui videntur inter ſe, in ſacra ſcriptura, diſſidere, commodè putat ſe poſſe interpretari. Nos ſeptem partibus eam delineamus, quæ maximè in ſcripturis celebrantur. Prima igitur pars Syriæ, Meſopotamia appellatur, ſiue vt ſcriptura loquitur, Gen. 24. 25. 28. & aliis in locis, Aran, Padan, & Aran Naharaim, id eſt, Syria fluuiorum duorum. Hanc Græci regionem vno verbo, Meſopotamiam vocant; quia inter duos fluuios Tigrim, & Euphratem ita eſt. Latini verò, terram interamnam, vt teſtis eſt Lampridius referens orationem Alexandri Seueri imE peratoris habitam ad Senatum. Terras, inquit, interamnas, Meſopotamiæ ſcilicet neglectas ab impura illa bellua (Heliogabalum intelligit) recepimus.

Syria prouincia eſt Orientis ampliſſima.

Abulenſis. Brochardus.

Syria in 10 partes diuiſa

Diuiditur in ſeptem regiones, prima Meſopotamia eſt Gen. 24. 25. 28.

Meſopotamia eſt inter duos fluuios. Lampridius

Heliogabalus impura bellua.

2. Hi duo fluuij fontes habent duos, in Tauro monte verſus Septentrionem, & poſt longa terrarum ſpatia fluentes, iunguntur in Babylonia; ac tandem in mare Perſicum aquarum ſuarum molem infundunt. Interdum etiam Aſſyria & Chaldæa, ob amnes quibus itidem alluũtur, Meſopotamiæ nomine afficiuntur, maximè apud Plinium lib. 6. cap. 16. Cùm tamen Babylon, & Ninus, ſiue Niniue, quæ duæ ciuitates in Meſopotamia, quæ tota Aſſyriorum fuit, propriè non

Tigris & Euphrates in mare Perſicum intrant.

Plin.

Babylon & Niniue vbi ſitæ.

ſint numerandæ; cum illa cis fluentem Euphratem, hæc trans Tygrin in parte Aſſyriæ poſita ſit. Meſopotamiæ nonnunc afficitur Chaldæa, nō ſolùm a Plinio,ſed etiam a D.Luca. Apertè namque Act.7.à beato Stephano,ea pars Chaldææ,in qua Vr oppidum ſitum eſt, Meſopotamia vocatur. Sic enim de Abraham loquitur: *Cùm eſſet in Meſopotamia, priuſquàm moraretur in Charan, & dixit ad illum, Exi de terra tua*, &c. Latitudo Meſopotamiæ, iuxta Strabonem lib.16.ducenta & quadraginta ſtadia,hoc eſt, 300.millia paſſuum continet. Vocatur nunc hæc prouincia, vulgò Alapia, eſtque multis & eximiis vrbibus nobilis:Inter quas nominatiſſima eſt Haran, Gen. 11. fuit hæc ciuitas Abrahami hoſpitio, & Thare,patria illius morte celebris: nec non emporio totius Meſopotamiæ. Appellatur in lib. Tobiæ, Iudith, & in actis Apoſtolorum Charan: à Lucano lib. 1. Charræ,nobiles ob M.Craſſi auariſſimi ducis, non vulgarem cædem de qua ille:

Aſſyrias Latio maculauit ſanguine Charras.

3. Non procul à Charris, eſt Niniue clariſſima quondam vrbs, vt conſtat ex Ionæ prophetia, quæ & Antiochia dicta, & Mygdonia cognominata, à quibuſdam,ab interfluo amne Mygdone. Imperante Conſtantino Iacobum Epiſcopum habuit virum ſanctiſſimum, qui Nicænæ ſynodo præfuit. Eſt prætereà Edeſſa ciuitas, cuius ciuis fuit ſanctus Ephrem diaconus, qui Syra lingua, & Græca multa præclarè ſcripſit, de quo agit Hieronymus tom.2. circa finem in catalogo Eccleſiaſt. ſcriptorum, idem in lib. de quæſt. Hebraicis tom. 3. *Regni Nenrod initia*, inquit, *fuit Babylon, & Arach, vel Erech, nunc Edeſſa*, quæ ſecundum Plin. 5. cap. 24. vocata eſt Antiochia,& Achad, quæ nunc Niſibis & Chalanne,quæ mutato nomine à Seleuco, vocata eſt Seleucia, & nunc dicitur Κτησιφῶν, de qua Amos 6. *Tranſite*, inquit, *in Chalena, & videte.* Hanc ipſam vocari Reges, de qua Tobiæ liber ſæpe meminit, & hodie vocatur Raſe, putat Brochardus ſecutus D. Hieron. tom.3. de traditionibus Hebraicis,quāuis Strabo aliter ſentiat lib. 11. paulò poſt medium conſtituens Reges vltra Euphratem per 40. milliaria, ad Aquilonem inter montes Taurum & Caucaſum.

4. Præter nobiles ciuitates contineri in Meſopotamia. multas prouincias ex Geographis conſtat. inter quas nominatur in ſacris literis Aran Zoba, ſiue Syria Soba, quam aliqui vocant Sobal, & Sept. Σωβα: alia quæ eſt ab Hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci, ad quam vſque Abraham, cum ſuis vernaculis, perſecutus eſt quatuor Reges,Gen. 14. Quod autem Syria Soba, ſit in Meſopotamia, aliquo modo ab ea diſtincta,patet ex inſcriptione Pſal. 59. ſic enim habet. *Ipſi Dauid in doctrinam cùm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ, & Syriam Soba.* Idem colligitur ex Iudith 3. & ex 2.Reg. 8.& 1.Paral.18.& 19.vbi commemoratur bellum geſtum, inter Dauid & Aderezer Regem Soba: Quo tempore Dauid cum exercitu profectus eſt, vt regnum ſuum extenderet ad Euphratem vſque, quod obtinuit, vt dicitur 2. Reg. 11. Syri, qui erant trans flumen ſeruierunt Dauidi, facti eius tributarij, &c. Hos Syros, Meſopotamiam incoluiſſe, conſtat ex Ioſepho lib. 7. Antiquit. cap. 5. ad finem; pugnaſſeque contra Dauid iuxta Euphratem. Quamuis autem ſcriptura 1. Paral. 18. dicat Aderezer Regem fuiſſe prouinciæ Hemath, quando Dauid eò ire perrexit, vt imperij fines proferret vſque ad flumen Euphratem; Et hoc modo videri poſſit in Hemath, non in Meſopotamia ſitum regnum; Nihilominus, dicendum eſt iuxta Pagn.& Caiet. in Hebr. non legi regionis Emath,ſed in Chamath, vel ad Chamath,eſſeque nomen loci,in quo pugnatum eſt, quem locum Sept. vocant Emath: Nam etſi Emath eſſet peculiaris ciuitas non procul à Damaſco, erat ſimul regio ad Euphratem vſq; porrecta, vt colligitur ex 2. Paral. 8. & ex 2. Reg.8. A Ioſepho lib. 7. Antiq. cap. 5. Syria Soba, Syria Sophena eſt, quam Plin. lib. 5.cap. 12. vocat Sophenem, & in Meſopotamiæ ponit extremis finibus. Hæc dicta ſint,ne quis putet Soba ſignificare Arabiam ſuprà mare mortuum ſitam:cùm ibi ſedes habeant tantùm Idumæi, Moabitæ, & Ammonitæ. Meminit quoque lib. 2. Reg. cap. 18.& 1. Paralip. 10. Rohob, & Iſtob, & Syriæ Maacha; quas prouincias, cùm à Geographis ignoretur vbi ſint, probabile eſt fuiſſe trans flumen Euphratem ſitas.

5. Alteram Syriam,quā Hebræi vocant Caphthorim,plerique exiſtimāt dici in ſcriptura Aran Soba: à Chaldæo Paraphraſte ſemper vocari video Cappadociam, accepto nomine ab amne eiuſdem nominis. Hæc ab ortu Armenia minori, ab Occaſu, Paphlagonia, & Galatia vrgetur. A Septentrione, & Ponto Euxino in Iſſicum vſque ſinum ferè extenditur, parte tantùm exigua Ciliciæ ab illo ſeparata: Vnde duobus arctatur maribus, tanquam magnæ cuiuſdam peninſulæ Iſthmus ter mille ſtadiorum longitudine iuxta Strabonem. Metropolis huius prouinciæ eſt Mazaca,quæ à Tyberio dicta fuit Cæſarea,Cappadociæ, iuxta Euſebium in Chron. tom 2. vel, vt mauult Hieronym. ab Auguſto Cæſare, tom. 9. in Matth. cap. 16. Huius ciuitatis fuit D. Baſilius Epiſcopus. Sunt & aliæ magni nominis ciuitates, vt Tyana, cuius ciuis fuit Apollonius Tyanæus philoſophus, & magus, cuius dicta & facta innumeris mendaciis aſperſa,octo libris incluſit Philoſtratus: Nazianzum, cuius popularis & præſul fuit Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, & D. Hieronymi præceptor. Eſt quoque Neocæſarea, quam quidam Ponto attribuunt,cuius Epiſcopus fuit Gregorius, Origenis per quinquennium auditor, & ob patrata miracula dictus Θαυματουργός. Ad eandem prouinciam pertinet Niſſa, à qua Gregorius frater Baſilij, Epiſcopus Niſſenus eſt dictus. Caucaſum etiam oppidum, Chryſoſtomi exilio celebre.

6. Tertia Syria vocatur Apamea,ſeu Syria Antiochiæ, ſiue Cœle, quæ à Strabone lib. 16. ante medium, eo quòd quatuor præter alias inſignes ciuitates habeat,Tetrapolis vocatur.Sunt autem hæ ciuitates Antiochia, Seleucia, Apamea,Laodicea, quas Seleucus Nicanor condidit, vel conditas ornatu auxit. Huius prouinciæ fit mentio 2. Mach. cap. 3.4. & 8. per nomen compoſitum à Cœle & Syria, vocaturque Cœleſyria, hoc eſt, curua,& depreſſa Syria,eo quòd montes in campos & in planiciem deprimerentur. De illis quatuor inſignioribus vrbibus aliquid dicam. Prima eſt Antiochia, ab Antiocho Seleuci Nicanoris patre cognomen habens, dicta etiam Epidaphne à Daphne, luco ſcilicet, & vicino agro, amœnitate octoginta ſtadiorum celebri: vbi fana ſunt duo Appollinis vnum, alterum Dianæ. Hanc, ait Hieronymus in libro de locis Hebraicis tomo tertio, vocari ab Hebræis Reblatha, ſiue

Marginal notes (left column): Act. 7. — Strabo. — *Meſopotamia vulgò Alapia.* — Gen. 11. *Haran patria Abrahæ.* — *Charan, Latinis Charræ.* Lucanus 1. — *Niniue dicitur Antiochia & Mygdonia, propriè ad Aſſyriam pertinet.* — Hieronymus. — Plinius. — *Edeſſa, à Seleuco vocata eſt Seleucia,ipſa eſt Chalanne,Amos 6. & apud Tobiam Reges.* Amos 6. Tob. 1. Brochardus. Hieronymus. Strabo. — *Syria Soba.* Σωβα. — Gen. 14. — Pſalm 59. — Iudith 3. 2 Reg 8. 1.Paral. 18.19 — *Dauid obtinuit Syriam Meſopotamiæ, & Syriam Soba.* 2. Reg. 11. — Ioſephus. — 1. Paralip. 18.

Marginal notes (right column): Pagninus. Caiet. Sept. — 2. Paral 8. 2. Reg. 8. Ioſephus. Plinius. — 2. Reg. 18. 1. Paral. 10. — *Secunda Syria dicitur Aran Soba: à Chaldæo Paraphraſte Cappadocia.* — Strabo. — *Baſilius Epiſcopus Cæſareæ.* Euſeb. Hieronymus. Matth 16. *Apollonius* Philoſtratus. — Gregor. Naz. — *Gregorius Θαυματουργός Origenis diſcipulus. D. Chryſoſtomi exilium. Tertia Syria dicitur Apamea, & Cœle, & Tetrapolis.* — 2. Mach. cap. 3. &c. — *Antiochia Epidaphne, Reblatha, & Theopolis dicta eſt.* — Hieronymus.

Num. 34. Volaterranus.

Rebla. Num. 34. vbi dicitur Reblatha contra Daphnen, Hebræa habent, contra fontem. Volater. lib. 9. in principio ait à Iuſtiniano Imperatore Theopolim fuiſſe nuncupatam. Hanc ciuitatem, interſecat Orontes fluuius, diſtat a mari ſpatio 120. ſtadiorum, quæ duodecim, aut paulò plura conficiunt milliaria. Hęc vrbs celebris fuit, Prima ſede D. Petri, Pauli, & Barnabæ, prædicatione; Et quòd in ea, qui Chriſtum colebant primùm dicti ſunt Chriſtiani. Huius vrbis ciuis fuit Lucas Medicus & Euangeliſta, & Theophilus ille vir primarius, cui Lucas, tum Euangelium, tum Acta Apoſtolorum dedicauit. Secunda ab hac non longè ſita eſt Seleucia in prominenti littore poſita, & a monte, in quo ſita eſt Pieria nuncupata: Ex qua in Cyprum facilis eſt & breuis traiectus, de quo Lucas in Actis cap. 13. Tertia, & Quartá Ciuitas ſunt Apamea, & Laodicea conditæ ab eodem Seleuco. Equidem Apamea, vt Plin. ait lib. 5. cap. 19. Marſya flumine irrigatur, vocatúrque Cherſoneſus, ob aquarum, quæ circumfunduntur multitudinem Laodicea verò, quæ ab Hebræis priùs Leuca, poſteá vocata eſt Ramatha, teſte Volater. lib. 11. Geographiæ. In hac vrbe natus & educatus fuit Pamphilus Martyr, cuius vitam ſcripſit Euſeb. Cæſar. Poſt Laodiceam occurrit mons Caſius, adeò celſus, vt quarta vigilia noctis excipiat ſplendorem Solis. Eſt autem diſtinctus hic mons Caſius Syriæ, a Caſio monte ſupra Peluſium.

Antiochia. Patria D. Lucæ. Seleucia, Apamea, & Laodicea. Act. 13. Plin. Pamphilus Martyr.

4. Comagena

7. Quarta Syria eſt Comagena, exigua quidem regio, vrbe tamen natura ſua bene munita nobilis; quæ Samoſata dicitur. Eſtque prouinciæ caput. Hic duo mōſtra hominum nata ſunt, nempe mordaciſſimus ille, & atheos Lucianus, qui dialogos ſcripſit, & Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus, qui impuro ore, Chriſtum purum hominem eſſe deblaterabat.

Pompon. Mela.

8. Quinta Syria, à Phœnice Agenoris filio Phœnicia dicitur. Regio eſt Syriæ maxima iuxta Cæleſyriam, tractu quidem anguſta, ſed variis artibus, nouarúmque rerum inuentione ampliſſima: eſt enim ſolers hominum genus, & ad pacis, bellique munia aptiſſimum, vt Mela ait, cuius antiquitatem hiſtoria. & fabulæ coarguunt. Gens à Iudæorum lingua, & ritibus aliena, inuentione Græcarum literarum laudata. Tyrus Metropolis ei eſt minores ciuitates Sidon, Sarepta, Berythus, Tripolis Biblus. Tyri antiquitatem, præter profanos hiſtoricos & poëtas, prodit Ioſeph. lib. 8. Antiq. cap. 3. dum ait. eam conditam ducentos quadraginta annos, ante templum Hieroſolymitanum. Eius meminit Ioſue cap. 19. Erat olim 700. paſſ. interuallo a littore diſcluſa, & plane inſula, antequam Alexander eam immiſſo aggere, continenti annecteret, vt commodius expugnaretur, iuxta Ezechielis vaticinium cap. 26. Erat Emporium celebre: nunc omnis negociatio tranſlata eſt in Berythum, quæ modo vocatur Baruth, non procul a Tyro & Sydone. Tacitus lib. 18. à medio, inter Syriam & Iudæam Carmelum poſuit: eſt enim in confinio Palæſtinæ & Phœniciæ, Ptolomaidi ad mare imminens, frugum ferax. Hiere. cap. 2. *Induxi vos in terram Carmeli.* In illo, declaratur verus Deus, incenſo ſacrificio, ad Eliæ preces, contra Baal ſacrificulos, quos iuxta torrentem Ciſon, qui ad radicem illius mari miſcetur, propheta occidit. Idem conſcenſo Carmeli vertice, flexis genibus, pluuiá impetrauit, 3. Reg. 18. cuius ſpeluncam vſque hodie, cum Eliſæi tugurio, oſtendi aiunt, vide Ioſeph. lib. 19. Antiquit. In hac Syria eſt Ptolemais, ciuitas maritima; diſtat à Tyro triginta duobus milliaribus, nunc dicitur Accon a D. Hieronym. in Epitaphio Paulæ. Eſtque fabricata in modum peltæ. Tripolis parum ab ea diſtat trium vrbiu complexu. Et quia trás Libanum in littore Sidon iacet, & quidquid Phœnicia, id Syria complectitur; accidit, vt in eo tractu habitantes Syrophœnices voce compoſita appellarentur: ſicut in confinio terrarum habitātes compoſitis paſſim nominibus ſignificantur, vt Celtiberi in Hiſpania, in Aſia Gallo græci, in Africa Libyæthiopes. Ex Syrophœnicibus erat illa Chananæa Syrophœniſſa, quam Marcus cap. 7. inducit. Biblus in eadē ora eſt, ſic dicta, quod in ea libri regionis illius incorrupti ſeruarentur, iuxta Euſtathium Epiſcopum, eius meminit, 3. lib. Reg. cap. 5. & Ezech. 27. *Senes*, inquit, *Gibly & prudentes*, &c. Nunc dicitur Gibeleth, Hebraicè Hebal.

Tyrus antiquiſs. Ioſephus. Ioſue. Ezech. 26. Tacitus. Carmelus mons. Hiere. 2. 3. Reg. 18. Ioſephus. Ptolemais hodie Acon. Hieronymus. Mulier Chananæa de qua Marc. 7. Biblus. 3. Reg. 5. Ezech. 27.

9. Sexta Syriæ regio, dicitur Syria Damaſci, de qua Iſai. 7. *caput Syriæ Damaſcus*: & cap. 9. *Elevabit Dominus hoſtes Raſin ſuper eum, & terminos eius in tumultum vertet: Syriam ab Oriente, & Philiſthim ab Occidente.* Quamuis autem caput Syriæ Damaſcus fuerit, tempore tamen regni Græcorum, & Romanorum Antiochia metropolis, & caput conſtituta eſt. Hæc prouincia 2. & 3. Regum, & in Paralipomenis ſimpliciter, & ſine adiectione aliqua, Syria nuncupatur. Dicitur etiam Syria libani, ob montem libanum in ea incluſum, quem alij Phœniciæ concedunt ex 160. ciuitatibus, quas hæc Syria continet, datæ ſunt 60. tantùm dimidiæ tribui Manaſſe, vt auctor eſt Ioſeph. lib. 5. Antiquit. cap. 3. in principio. Aduerte etiam Syriam Damaſci, de qua agimus, nōn longè abeſſe ab Emath, cui nomen dedit ex duodecim filiis Chanaā poſtremus, qui Gen. 10. dicitur Chamathi ſiue Hamathæus, vt habet noſtra editio, De ea D. Hierony. in quæſtionibus in Gen. tom. 3. *Emath* inquit, *vſque ad noſtrum tempus, tam a Syris, quàm ab Hebræis, ita vt apud veteres dicta fuerat appellatur.* Hanc Macedones, qui poſt Alexandrū in Oriente regnauerunt, Epiphaniam nuncupauerunt: nonnulli, Anthiochiam ita appellatam putant. Alii, licèt non verè, tamen opinionem ſuam veriſimili vocabulo confirmantes, Emath primam ab Antiochia manſionem, Edeſſam, nobilem Syriæ Cęles, ciuitatem pergentibus, appellari putant, & eandem eſſe, quæ apud veteres dicta ſit Emath. Vide eundem in lib. de locis Hebr. Aquila, vt refert Procopius cap. 11. in Geneſ. vbi legimus in Hebr. Emath. tranſtulit Epiphaniam, ponitúrque Num. 34. vt terminus Aquilonalis terræ promiſſionis, diſtinctus à Reblatha contra Daphnem ſiue vt in Hebræo eſt, contra fontem, id eſt non longè à fontibus Iordanis. Habuit olim Hemath diſtinctum regem à Damaſco, vt conſtat ex 2. Reg. cap. 8. Introitus autem in Emath de quo agitur in lib. Regum, & Iudicum eſt in medio monte Libano. Quicquid enim eſt poſt libanum montem, etiam verſus Euphratem, dicebatur Emath, vnde libanum, vel Phœniciam tranſeuntes dicuntur intrare in Emath. Hanc obtinuiſſe dicitur Salomon, 2. Par. 8. Et ædificaſſe Palmiram in deſerto. In hac continetur Decapolitana regio, quæ includit Ituræam & Trachonitidem, & Libani planiciē. Huius meminit Marc. 7. dicitur Decapolis, quòd præter alias decē habeat nobiliſſimas vrbes, ſcilicet Damaſcum, Philadel-

6. Syria Damaſci. Iſai. 7. & 9. Syria Damaſci habet 160. ciuitates, ſiue in ea includitur Libanus. Ioſephus. Gen. 10. Hieronym. Aquila. Procopius. Gen. 10. Num. 34. 2. Reg. 8. A Rege Salomone Palmira ædificata eſt. 2. Paralip. 8. Marc. 7.

Plinius. Brochardus.

phiam, & alias quas numerat Plinius lib. 5. cap. 18. Brochardus in deſcriptione terræ ſanctæ, Decapolim finiri ait, latere orientali Iordanis. Alij veriſimilius videtur, tum cis Iordanem, tum vltrà extendi: Matth. enim cap. 4. Cis Iordanẽ numerat hanc prouinciam, cùm ait, *& ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanẽ*, & vt ait, Marc. 7. IESVS *veniens ex finibus Tyri, per Sidonem, ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.* Quòd verò etiam ſit vltrà Iordanem oſtendunt Damaſcus Scythopolis, Pella, Philadelphia; & aliæ ciuitates Decapoleos, à Plinio ſuprà numeratæ.

Matt. 4. Marc. 7.

10. De Damaſco, quæ caput Syriæ eſt, illud dicam, eam in ſorte Nephthalim à Ioſeph. lib. 5. Antiquit. cap. 5. poni, diſtaréque ab Hieroſolima itinere duodecim dierum. Alluitur fluuio, quem Hierony. de locis Hebraicis tom. 3. vocat Pharphar, cuius aquas Naaman Syrus iuſſus, 4. Reg. 5. lauari in Iordane, præpoſuit aquis Iordanis. Tertul. lib. 3. in Marcionem, Damaſcum ciuitatem Syrophœnicis eſſe ſcribit, quæ quõdam Arabiæ annumerabatur. Eſt autem inter libanum, & Antilibanum ſita. In hac olim exercuit poteſtatem Hur filius Aram & Nepos Sem. Vnde regio illa vocata eſt terra Hus, quæ fuit patria Iob. Alij tradunt, Aſtaroth patriam fuiſſe Iob à ciuitate Damaſci, quę à filiis Hur nomen accepit 25. paſſuum millibus, in regione Hus diſtantem. 70. Interpr. vbi habetur cap. 1. Iob. In terra Hus, vertunt regionem Auſitidem, quaſi Huſitidem, vno milliari à Damaſco, locus oſtenditur, in quo D. Paulus Act. 9. animum perſecutoris conuertit diuinitus in meliorem mentem. Deſignatur etiam à Damaſcenis locus, in quo, *Fraterno primi maduerunt ſanguine campi.* Hoc eſt, vbi Abel à Cain fuit occiſus. Vnde conijcere licet à paradiſo pulſum Adamũ, illam regionem cum filiis inhabitaſſe, cùm antè peccatum, à Deo ex campi Damaſceni terra fuerit efformatus.

Ioſephus. Hieronymus. 4. Reg. 5. Damaſcus. Tertul. *Patria Iob.* 70. Interp. *Locus conuerſionis D. Pauli.* Act. 9. *Locus occiſionis Abelis Adami exiliũ.*

11. Ne quis verò miretur, & turbetur cùm plures inuenerit eiuſdem nominis, per prouincias Syriæ, Aſiæ minoris & Meſopotamiæ diſperſas, ciuitates: ſciat Seleucum Antiochi, & Laodices filium primum, poſt Alexandrum Regem Syriæ, Nicanorem appellatum, multas vrbes aut condidiſſe aut inſtauraſſe, quas interdum cognomines reddebat, & vt teſtis eſt Volat. Sexdecim Antiochias ædificauit, vel iam ædificatas, ita nominauit in memoriam patris ſui. In gratiam verò matris ſuæ quinque Laodiceas. Suo verò nomine nouem Seleucias: quatuor verò Apameæ, & Stratonicæ ſuis vxoribus dicauit, nempe Stratoniceam vnã, & tres Apameas. Hæc ille. Vide Salmeronẽ tom. 1. proleg. 41. in deſcriptione terrę promiſſæ, dum agit de Syria Apamea, quæ & Antiochia dicitur Celoſyria, Seleucis, & Tetrapolis, teſte Strabone lib. 16. antè medium.

Seleucus Rex Sexdecim Antiochias ædificauit. Volater. Salmerõ. to. 1.

De ſeptima parte Syriæ, quæ terra promiſſa fuit Hebræis, & illius nominibus.

ANNOTATIO. II.

Iudæa Syriæ pars eſt.

1. POSTREMA Syriæ pars, Iudæa nuncupatur, terra eſt à Deo peculiariter promiſſa Hebræis. Sacræ litteræ à Chanaan filio Cham,

A terram Chanaan, ſiue Chananæam vocant, Coſmographi ferè cum Ptolomæo, Palęſtinam: vulgus, terram Sanctam. Eſt hæc regio inter cæteras partes Syriæ admodum nobilis, in vmbilico orbis ſita. Ab Oriente terminatur Syria, vulgò Suria & Arabia. A meridie, deſerto Pharan, & Ægypto. Ab Occidente, mari magno ſiue Mediterraneo. A Septentrione verò Lybanum montem pro finibus habet. Eius longitudo ab Aquilone à Ciuitate Dan ad radicem montis Libani ſita, quæ poſtea Cæſarea Philippi & Paneas dicta, verſus Auſtralem plagam extenditur, & vſque ad Berſabee ciuitatem in tribu Simeonis cõtra deſertum magnum ædificatam iuxta Brochardum Itin. 7.

Dicitur Chanaã, ſiue Chananæa. Ptolomæus. *Confinia Iudææ.* *Longitudo terræ Sanctæ.*

B quem citat Chriſtianus Adricomius in præfatione theatri terræ Sanctæ circiter 67. conficit milliaria, quæ ſingula, vnius horæ commenſurationi iter facientibus applicanda ſunt, atque adeò hæc milliaria, tria millia paſſuum Italica continent, ſiue leucam Gallicam. Latitudo verò, quæ ab Occidente, à mari magno, in Orientem ad Iordanem vſque porrigitur, in aliquibus locis ſedecim milliaria complectitur, in aliis duodeviginti. Nonnihil diſcrepat ab hac ratione definiendi longitudinem & latitudinem D. Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum Italicis milliaribus vtens, quorum ferè tria, vnicum conficiunt Germanicum milliare.

Brocard. Adricomius. *Longitudo terræ Sanctæ 67. leucæ.* *Latitudo terræ Sanctæ 16 leucæ alicubi 18.* Hieronymus.

C Hæc regio, ob pręclaram cœli ſolíque temperiem agrorum vbertatem, auium, pecorum, piſciũ, frumenti, vini, olei, ſaccari, balſami, ficuum, malorum granatorum, frugúmque varij generis abundantiam, melle & lacte fluere Dei ore dicta eſt, Exod. 3. & alibi ſæpe. Vnde illud Epigramma de Palęſtina:

Melle fluit tellus promiſſa, & lacte redundat:
Aſtea quæ ſurſum eſt, nectare & Ambroſia.

Exod. 3.

Et Regius vates, Pſal. 4. ait, *A fructu frumenti vini, & olei multiplicati ſunt*, vbi reperi debent iuxta Genebr. verba præcedentia, ſcilicet, *Dediſti lætitia in corde meo, a fructu* &c. Quaſi dicat dediſti lætitiam in corde meo à tempore quo frumenta, muſtum,

Pſ. 4. Genebr.

D & oleum eorum multiplicata ſunt. In Hebræo non eſt, *Olei*, Sed additum eſt propheticè à 70. propter myſterium. Neque enim ſolum Deus præbet vinum & frumentum materiam Euchariſtiæ, ſed etiam oleum, cuius vſus eſt maximus in Sacramentis, vt annotarunt Dion. Areop. de Eccleſ. Hierarch. & Arnobius. His autem omnibus ritè conſecratis homines multiplicãtur, & ſpiritualibus donis augentur. Præterea Iudæa & præſertim Galilæa, olei eſt ferax. Abundat ergo tribus rebus terra ſancta, quæ & diuites reddunt incolas & materiam ſuppeditant, omnibus Eccleſiæ Sacramentis. Quod non in omnibus perinde prouinciis inuenitur.

70. Interp. prophetice addiderunt pſ. 4. Olei vocabulum. Diony. Areop. Arnobius.

E 2. Prætermitto inſignes vrbes, montes, campos, fluuios, fontes, hominum frequentiam, vt meritò cum Poëta canere poſſis, Georg. 2.

Ornamenta terræ Sanctæ.

Adde tot egregias vrbes, operúmque labores:
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis:
Fluminàque antiquos, ſubter labentia muros, &c.

ſunt etiam alia ornamenta; ob quæ, ſeu paradiſus Domini; ac cœli typus cæteris mundi partibus longè excellere dicenda ſit: vt non immeritò à Deo eiectis Chananæis, cultus diuini, & virtutis hoſtibus, electo populo ſuo videatur promiſſa, ac tandem tradita. Hic Patriarcharum colonia, hîc prophetarum ſedes; hic quod ſummum eſt, Chriſti ſaluatoris patria; hic Dei filio cum hominibus

Patriarcharum colonia.

agenti,

A agerati; ſedenti quidem ſolium præſtitum fuit; oranti ſcabellum, dormienti culcitra & ceruical. Quid, quod hæc ſola terra, laborum illius arbitra, diuinis eius lachrimis, & ſanguineo ſudore, imò & viuis vulnerum fontibus irrigari meruit, & ad mundiaus quodammodo cæterarum regionum præſentia ſanctificari. Illuſtria ſunt hæc, at longè illuſtrius, quod, quem viuum & ſpirantem viderat, & indigenam habuerat, mortuum ſuis viſceribus triduò amplexata eſt, viuum hominibus ſtupente natura, & mundo reddituta vt Angeli glorioſum colerent triumphatorem. Quid memorem diſcipulos Chriſti miraculis & Euangelij prædicatione coruſcantes; vel vna concione B tria hominum millia ad fidem pertraxiſſe: Hæc fateri nos cogunt, Iudæam inſtar fuiſſe velleris Magni Gedeonis, Iud. 6. quod cæleſtem rorem excepit, area tota præ ſiccitate hiante. Sola enim cœleſti gratiarum benedictione maduit, cæteris mundi prouinciis miſerandum in modum, arentibus, & cæli imbrem ſitientibus. Salutare hanc terram libet illis carminibus.

Terra ſancta decorata fuit Christi Domini vita, morte, & resurrectione.

Iudæa, inſtar velleris Gedeonis. Iudic. 6.

> *Salue magna parens frugum, Saturnia tellus*
> *Magna virum. Tibi res antiqua laudis & artis*
> *Ingredior: ſacros auſus recludere fontes.*

3. Quod ad appellationes attinet, quatuor præſertim nominibus afficitur. Vocatur enim terra ſancta, terra Chanaan, terra promiſſionis, Iudæa C & Palæſtina. Cur terra ſancta vocetur, ex domicilio patet, quod in ea habuerunt Patriarchæ & Prophetæ, & ex diuinis oraculis ibidem paſſim redditis. Terra Chanaan à primis incolis appellatur qui à Cham filio Chanaan progeniti ſunt. Pater autem cum filiis, totam illam regionem incoluit; potiorem partem ſibi aſcribẽs prope Pentapolim, & Hieroſolymam.

Quatuor nominibus afficitur terra ſancta.

4. Deinde dicta eſt terra promiſſionis, quia magna Dei liberalitate promiſſa olim fuit Abrahæ, Iſaac, Iacob, Moſi, & per Moſen toti populo Ægyptiacæ ſeruituti mãcipato. Tradita autem fuit, ſpectata duplici ratione iuſtitiæ, populo Hebræo, vna quidem, quia illa terra per violentam deprædationem à filiis Chanaan erepta fuit, occiſis, & D depulſis legitimis poſſeſſoribus, hoc eſt filiis Sem, quibus iure debebatur; vt etiam Nemrod filius Cham, illis expulſis, Babyloniam obtinuit; vt auctor eſt Clemens Rom. lib. 1. recog. prope principium. Et infrà, de Abraham agens, *Angelus*, inquit, *aſſiſtens ei per viſionem, plenius eum, de his, quæ ſentire cœpit, edocuit, ſed, & quid generi eius, & poſteritati deberetur, oſtendit: & non tam eis danda hæc loca, quàm reddenda promiſit.* Hæc ille. Altera fuit iuſtitiæ ratio: quod Chananæorum & Amorrhæorum iniquitates completæ, inde expelli eos poſtularent. Addi poteſt tertia, quia religio & virtus Patriarcharum, quodammodo poſtulabat huiuſmodi temporariam remunerationem. Tertiò, E appellata eſt Iudæa, à Iuda patriarcha, & tribu illius nomine nobilitata, & inter duodecim præcipua, quæ optimam illius terræ partem occupauerat, vicina templo, & Hieroſolymæ, quæ ciuitas erat regia, & ſancta, ob ſedem Regum, & diuini cultus religionem. Quartò, dicitur Palæſtina, à ciuitatibus illis Philiſthinorum præcipuis, quæ ad mare regionis huius adiacebant, permiſtæ cum Iudæorum terris. Atque hoc nomine vtuntur ſæpe externi ſcriptores, vt Plin. Pomp. Ptolemæus, Herod. & alij.

Terra Chanaan cur tam data, quam reſtituta Hebr.

Clem Rom.

Cur terra ſancta Iudæa dicatur.

Cur Palæſtina.

Plin. Pomp. Ptolem. Herod.

5. Illud tandem aduerte; Iudæam, quæ valde celebris eſt, & vulgaris huius regionis appellatio, A aut pro tota terra ſancta accipi, quam Palæſtinam appellari modò diximus; aut pro eiuſdem terræ parte tertia, Iudææ vocabulo communiter ſignificata: ſic enim complectitur duas nobiliſſimas tribus, & potentiſſimas Iuda, nempe, & Beniamin; quæ itidem duæ, ſub vno Iudæ, & aliquãdo, rariùs tamen ſub vno Beniamin nomine comprehenduntur, & intelliguntur. Et quidem Iudæa in hoc ſenſu appellatur, vt diſtinguatur à Samaria & Galilæa, in quas tres partes, ab authoribus eam terram diuidi animaduertimus. Quo poſito neceſſe eſt, vt ſub Iuda etiam Simeon & Dan cõprehendantur, cogente ipſa hiſtoriæ ſerie, qua dicitur Simeon & Dan portiones ex Iuda accepiſ- B ſe, & quidem ſeparatas cenſeri. Tota igitur Iudæa, quæ intra Iordanem complectitur Galilæã, Samariam, & partem eam, quæ ſpecialiter Iudæa dicitur. Hæc diuiſio in nouo teſtamento viitatiſſima eſt. Illud notandum (quod D. Hieron. docet, vt auctor eſt Chriſtianus Adricomius in præfat.) terram Iudææ ad Palæſtinam, Samariæ verò, & Galilææ ad Phœnicem referri; ſpectata nimirum ratione loci, & propinquitatis. Sunt enim multæ in iis locis, Gentilium vrbes Tyrus, Sidon, &c. quæ probabile reddunt quod Hieronym. ait, præter perpetua bella, victorias, ſchiſmata, inter Iſraëlem, & Iudam. Tempore Salomonis, vnus erat Rex totius Palæſtinæ, cuius Imperium, ſuc- C cedente Roboam illius filio, in duas ſciſſum eſt partes; quarum altera duas tribus Iudam, ſcilicet, & Beniamin continebat: altera decem reliquas. Erat caput vnius, Hieruſalem; alterius verò Samaria, hodie Sebaſte.

Iudæa propriè diſtinguitur contra Samariam, & Galilæam, aliquando eſt tota terra ſancta.

Hieronym. *Chriſtianus Adrichomius.*

Salomon Rex fuit totius Palæſtinæ.

6. Maneat ergo Syriam 7. habere potiſſimas partes ſiue prouincias; quarum vltima, quippe quæ patribus, & præſertim Moſi ſæpius promiſſa fuit, terra promiſſionis propriè vocatur. Ad hanc pertinet, quod ab oraculo dictum eſt, primùm Moſi, deinde Ioſue, omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam. Huius etiam termini ſequentibus verbis deſcribuntur, D ne quis putaret Iudæis concedi totius orbis poſſeſſionem, ſic enim loquitur Deus.

LIBRI IOSVE

CAPITIS PRIMI

SECTIO IIII.

Verſ. 4.] A deſerto, & Libano vſque ad fluuium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum vſque ad Mare magnum contra ſolis occaſum, erit terminus veſter.

Aliæ verſiones.

In Hebræo. A deſerto, & Libano iſto, vſque ad flumẽ magnum, flumen Perath, omnis terra Chitthæorũ, vſque ad Mare magnum ab occaſu ſolis, erit terminus veſter.

70. *Interpr.* Deſertum, & ante Liba-

num, vſque ad fluuium magnum, fluuium Euphraten; omnem terram Ethæorum, & vſque ad Mare magnum: à ſolis occaſu erunt termini veſtri.

Explicatur contextus.

1. FINES terræ, quam habituri erant Iſraëlitæ deſcribit eo modo, quo deſcripti fuerant, Exod. 23. *Ponam* inquit Deus, *terminos tuos à mari rubro, vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium.* & Deut. 11. ait: *Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit à deſerto* &c. Deſerti nomine, intelligimus ſolitudinem Ægypti, quæ à plaga meridionali, attingit terram promiſſionis. Libanus comparatione eiuſdem terræ, ad Aquilonem vergit; Euphrates ad Orientem ſpectat, ſicut Mare magnum ad occaſum. Nomine autem Maris magni, licet Oceanus apud prophanos auctores aptè ſignificetur; tamen iuxta phraſim ſcripturæ mare Mediterraneum intelligimus, quod non magnum dicitur, quia vniuerſam ambiat, & complectatur terram, ſed quia comparatur cum Mari rubro, aut cum Mari mortuo, quod illi eſt orientale. Porro Ethæi in ſeptem gentium numero ſunt, quarum poſſeſſiones Deus attribuit Iſraëli, Exod. 3. Illorum autem nomine per Synecdochen, ſeptem gentes intelliguntur. Nec verò intelligas, tempore Ioſue, totam terram hic ſuis terminis definitam, conceſſam fuiſſe Hebræis; id enim falſum eſt. Promiſſa quidem fuit, ſed non ſtatim adimpleuit Deus promiſſionem, ſed multo pòſt tempore præſertim Dauidis, & Salomonis ætate: quorum potentia, diuina ope ſuccenturiante, deuictæ gentes Hebræis ſubditæ fuerunt.

Exod. 23.
Deut. 11.
Mare magnum in ſcriptura vocatur Mediterraneum.
Exod. 3.

Quinam ſint termini terræ promiſſionis, iuxta diuerſas aſſignationes ſacræ Scripturæ?

ANNOTATIO I.

2. QVANDO Deus, Gen. 15. promiſit Abrahæ, & poſteritati illius poſſeſſionem huius terræ, ſic locutus eſt: *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphraten.* vbi vides ſolum exprimi duos terminos terræ promiſſæ, Auſtralem ſcilicet, cum fluuius Ægypti ſit terminus terræ illius, à parte Auſtrali, per Arabiæ ſolitudines, & Aquilonarem; ſiquidè Euphrates ad Aquilonem terminus eſt, decurrés, ſcilicet, per Babylonem, & terram Chaldæorum, quæ reſpectu Iudææ, eſt Aquilonaris. Vnde Hierem. 1. de Chaldæis Hieruſalem inuaſuris vaticinans, ait, *Ab Aquilone pandetur omne malum; quia ecce ego conuocabo cognationes regnorum Aquilonis,* &c. vergit tamen Euphrates magis ad Orientem.

3. Iterum Deus aſſignauit terminos terræ huius, Exod. 23. Num. 34. Deut. 11. Hæ tamen aſſignationes, diuerſæ ſunt non quidem in ſe, ſed cóſiderato loco, & tempore, in quo fiebant. Nam aſſignatio facta Exod. 23. conſideranda eſt, vt dicta à Deo Iudæis commorantibus in monte Sinai, & nihil adhuc de terra promiſſionis attingentibus. Vnde, de partibus citra vel vltra Iordanem, nec verbum Deus protulit; terminos ſimpliciter ad mundi partes reſpiciens aſſignauit. Sic enim ait. *Ponam terminos tuos à mari rubro, vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium,* &c. Vbi per mare rubrum, intellexit terminum Orientalem; per mare Palæſtinorum, terminum occidentalem, vt bene aduertit Abulenſ. q. 23. in cap. 1. Ioſue, & multis confirmat argumentis. Eſt autem mare Palæſtinorum, ipſum mare magnum, qui eſt terminus occidentalis, iuxta illud Num. 34. *Porro plaga occidentalis à mari magno, termini incipient, & in ipſo fine claudentur;* & Deut. 11. *A deſerto & Libano, & à flumine magno Euphrate, vſque ad mare occidentale, erunt termini veſtri.* Idem hic exprimitur illis verbis. *Omnis terra Ethæorum vſque ad mare magnum ad ſolis occaſum, erit terminus veſter:* Ad maiorem explicationem terminorum, qui hîc aſſignantur. Vide Abulenſ. loco citato.

Babylon eſt ad Aquilonem è paratiuum terræ ſanctæ.
Hierem. 1.
Exod. 23.
Num. 34.
Abulenſ.
Num. 34.
Deut. 11.

Quare Iudæi totam terram promiſſam, initio non occupauerint?

ANNOTATIO II.

4. TERMINI terræ promiſſionis, aliquando contractiores, vt Ezech. 47. aliquando productiores, vt Gen. 15. aſſignantur, & in hoc 1. cap. Ioſue, & Deut. 1. 8. & 11. & Exod. 23. & 30. manifeſtè longiores ſunt, quàm Num. 34. deſignantur. Nec verò iuxta hanc aſſignationem adimpleta eſt prophetia ſiue promiſſio concedendi longiores terminos, niſi cùm Dauid ſubegit Palæſtinos, Idumæos, Moabitas, & Ammonitas, Syriam Damaſci, & Syriam Soba vltra Euphratem: vnde 2. Reg. 8. *Et percuſſit Dauid Adarezer filium Rohob, Regem Soba, quando profectus eſt, vt dominaretur ſuper flumen Euphraten;* vel, iuxta Hebræos; *quando profectus eſt ad faciendum redire terminum ſuum ſuper flumine Euphrate;* vbi vocat terminum ſuum, terræ tractum à Deo promiſſum. Et quidem ſi quis quærat, cur Iudæis tota terra promiſſa hoc cap. non ſit conceſſa in principio, Ioſue duce; imò nec multis poſt annis, duplex ratio reddi poteſt. Prima, quia non erant tam numeroſi Iſraëlitarum populi; vt tam latè ſe fundentes terras implere poſſent. Vnde oraculum, Exod. 23. *Non eijciam eos à facie tua anno vno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis & poſſideas terram.*

5. Altera cauſa eſt, quia ad eorum virtutem exercendam, ne ignauia & deſidia torperent, voluit Deus, vt continuis bellis oppugnarentur, vnde Iudic. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum, & poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi,* &c. Atque vt magis conſtet, vix vnquam ſubiectam fuiſſe Hebræis totam terram promiſſam, Deut. 30. dicitur, filios Iſrael in regnis Seon Regis Amorrhæorum, & Og Regis Baſan non deſtruxiſſe Geſſuri, & Machati, ſed permanſiſſe vſque in præſentè diem. Imò colligitur, nec ipſum Dauidem pleno iure obtinuiſſe omnem omnino terram promiſſam. Illo enim regnante Geſſura Regem habebat Tholmai, cuius filiam Maacha

Terra promiſſæ fines aliquando productiores aſſignantur aliquando contractiores.
2. Reg. 8.
Cur ſub Ioſue non obtinuerũt Iudæi totã terram hac promiſſam.
Exod. 23.
Iud. 3.
Deut. 30.
Nec Dauid obtinuit totã terram promiſſam

matri-

2. Reg 3. — 2. Reg. 13. — Ioſephus.

matrimonio ſibi Dauid copulauit, 2. Regum 3. Ad hunc Regem, quia Auus erat maternus, confugit Abſalon, 2. Regum 13. quando interfecit fratrem ſuum Ammon ob ſtupratam ſororem, & triennio toto illius vſus eſt hoſpitio: iuxta Ioſephum lib. 8. Antiq. cap. 8. in principio.

Ex dictis infertur, æquiſſimis de cauſis Deum noluiſſe Iudæis tradere pacificam totius terræ promiſſæ poſſeſſionem, ad quam, duce Ioſue, ingreſſi ſunt: Imò nec poſteà omnes partes ſub Dauide, & Salomone pleno iure eis attribuiſſe, cuius rei illa, quam attigimus, cauſa magni momenti eſt: ne videlicet populi ſui virtus opima pace fruens, veluti ferri acies in vagina reconditi, otio hebeſceret. Rectè enim Seneca ait, infirmis animis hoſtem eſſe ſecuritatem. Cælius Rodiginus lib. 11. cap. 1. *Appium Claudium*, inquit, *crebrò memorare ſolitum accepimus, negotium populo Romano, melius, quàm otium committi: quòd videret, imperia rerum agitatione ad virtutem capeſſendam excitari, deſidia in marcorem relabi.* Hinc factum eſt, vt Romani Deam Ageriam, quæ ad agendum incitaret, Deam Stimulam, quæ ad negotium oppido ſtimularet: Deam Strenuam, quæ faceret ſtrenuum ſacrificiis, & diuinis honoribus colerent. Quietem verò appellãtes, quæ faceret quietem; cùm ædem haberet extra portam Collinam, in vrbem illam recipere noluerint, vt refert D. Auguſt. lib. 4. de Ciuit. cap. 16. Clem. Alexand. lib. 3. pædagogi maximè deteſtatur otium, commendatque temperatum exercitium corporis, ſiue id ludus ſit, ſiue deambulatio. Imò laudat Pittacum Regem Mytilænorum, qui moluit, eo efficaci vtens exercitio. *Pulchrum eſt etiam aquam per ſe haurire, & ligna ſcindere quibus ſit vſurus. Iacob autem*, Gen. 30. *paſcebat oues Laban, quæ relictæ fuerant, regale habens ſignum, virgam ſtyracinam, per quam lignum meditabatur, naturam mutare in melius.* Deinde addit: *Multis autem, quæ alta voce fit lectio, eſt exercitium.* Et poſt pauca. *Neque ergo oportet eſſe vitioſum omnino, neque omnino eſſe nimis laborioſum. Piſcatio quoque quemadmodum Petro, ſi nobis ſuperfuerit à diſciplina otium, tractari poteſt. Hæc eſt autem melior piſcatio, quam Dominus largitus eſt diſcipulo, qui tanquam piſces per aquam, homines piſcari docuit.* Hæc ille contra otium mali moris fomitem. Sic Catullus lib. 1.

Seneca. *Infirmis animis hoſtis eſt ſecuritas.* Cælius Rhod.

Quietem, [illegible] vrbem ad[illegible] noluerunt.

Auguſtinus. Clemens Alex.

Non dedecent principes laborioſa exercitationes.

Multis, quæ alta voce fit lectio, exercitium eſt.

Piſcatio [illegible] bona [illegible].

Otium Catulle tibi moleſtum eſt:
Otio exultas, nimiùmque geſtis,
Otium Reges, ſimul & beatas
Perdidit vrbes.

Hinc, Chriſtianis maximè commendatur labor à D. Paulo, ex labore ſuo vnumquemque viuere, docente (vt inquit Tertul. lib. 5. contra Marcionem) & probante legem de Euangelio viuentibus patrocinantem, dum citat illud, *Non alligabis os boui trituranti.* Et mox addit. *Numquid Deo eſt cura de bobus?* ſed noluit vti legis poteſtate, quia maluit gratis laborare. Hæc ferè Tertul. ſubiungens. *Hoc ad gloriam ſuam retulit, quam negauit quemquam euacuaturum, non ad legis deſtructionem, quâ alium probauit vſurum*, &c. Hæc obiter dicta ſint ad commendationem induſtriæ, & laboris etiam improbi, quo, vt Poeta latinus ait, omnia vincuntur.

Chriſtianis eſt commendatus labor. Tertul.

Virg.

* *
*

Quàm exiguis finibus contineatur terra promiſſa, de qua Iudæi gloriantur, & cur aliis gentibus toties fuerit tradita?

ANNOTATIO III.

6. PTOLOMÆVS lib. 5. cap. 16. & ferè Geographi, ſatis anguſtam reddunt latitudinem, & longitudinem terræ ſanctæ, vt meritò mirari debeamus, ſi conſideremus diuinæ liberalitatis diuitias, & terræ promiſſæ paruitatem. Quàm exigua ſit hæc terræ portio, expendit D. Hieronym ad Dardanum Epiſt. 129. tom. 3. ante medium. Sic enim ait: *Viſque à Dan vſq; Berſabee vix 160. millium paſſuum in longum ſpatium tenditur. Neque enim Dauid & Salomon potentiſſimos Reges exceptis his, quos poſt victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuiſſe ſcriptura teſtatur: & hoc dico, vt taceam quinque Palæſtinæ ciuitates, Gazam, Aſcalonem, Geth, Accaron, & Azotum, Idumæos quoque à meridiana plaga vix 75. millibus ab Hieroſolyma ſeparatos, Arabes, & Agarenos, quos nunc Sarracenos vocant, in vicinia vrbis Hieruſalem. Pudet dicere, latitudinem terræ repromiſſionis, ne Ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur. Ab Ioppe vſque ad viculum noſtrum Bethleem 46. millia ſunt, cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo plena ferocium Barbarorum*; Et ſubdit *Hæc eſt Iudæe tuarum longitudo, & latitudo terrarum, in his glorians, ſuper his te, per diuerſas prouincias, ignorantibus iactitas. Ad populum phaleras. Ego te intus & in cute noui.* Hæc D. Hieronymus, qui longitudini 53. leucas, aut paulò plures attribuit: latitudini verò, quæ Iudæis ex Palæſtina obtigit, pauciores Brochardus, qui terram ſanctam pedibus, & oculis niuſus eſt, ampliorem reddit hunc terræ ſanctæ tractum: ita tamen, vt adhuc miremur illius anguſtias. Ait enim illius latitudinem à mari magno ad Iordanem, id eſt, ab Occidente ad Orientem, non excedere 26 leucas. Longitudinem verò, quæ ſumitur ab Aquilone ad Auſtrum, nempe a Dan vulgò Velenas, & olim Cæſaræa Philippi, vſque Berſabee, vulgò Giblin, vix conficere 120. leucas. Nos ſupra ſect. 3. §. 5. ſecuti Chriſtianum Adricomium in præfatione terræ ſanctæ, longitudini dedimus leucas 67. latitudini, in quibuſdam locis 16. in aliis 18.

Ptolemæus. — Hieronymus. — *Agareni in vicinia Hieruſalem.* — Brochardus. — *Longitudo terræ ſanctæ continet leucas 67. latitudo 16. & alicubi 18.*

7. Hic ſubit mentem cogitare, diuinæ ſapientiæ conſilium, quo ſpectato dicere iure poſsis cum Naſone.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Conſidera terram à Deo promiſſam, exiguis finibus circumſcribi, armis ac bello obtineri: nũquam in Iudæorum pacificam poſſeſsionem, totam deueniſſe, illos præcipuis quibuſdam ciuitatibus ſpoliatos ingemuiſſe; Plerumque à terra poſſeſſa abductos in captiuitatem, iam à Salmanaſar Aſſyriorum Rege; iam a Nabuchodonoſor Rege Babylonis: poſteà ab Antiocho Epiphane in diuerſas terras ita diſperſos, vt Chriſto & Apoſtolis viuentibus, Iudæi ex omnibus nationibus, per quas erant toto orbe diſperſi confluerent in Hieruſalem. Hinc intelliges, Dei conſilium, in excitando toties populo illo, ad deſiderium terræ promiſſæ, multiplex fuiſſe. Primùm enim voluit allicere Iudæos, illo quaſi incita-

Numquam terra promiſſa, in pacificam Iudæorum poſſeſſionem deuenit tota. — *Conſilium Dei multiplex, in excitandis Iudæis ad cupiditatem terræ promiſſæ.*

mento terræ laudatæ, ad ſeruandam legem, a cuius obſeruantia, tanquam à conditione omnes promiſſiones intelligendæ erant, vnde ob peccata contra legem commiſſa ſæpe ea terra ſpoliati fuerunt. Quod præclare docet Hieronym. in Epiſtola ad Dardanum. Poſtquam enim Iudæo gloriabundo, obiicienti terram promiſſionis etiam trans Iordanem extendi, vbi duarum, & ſemi tribuum poſſeſſio fuit, Ruben, & Gad. & dimidia tribus Manaſſe conceſſit, quod proponebat: hæc addidit. *Et ego confitebor, hæc tibi repromiſſa, non tradita, ſi obſeruaſſes mandata Dei, & in præceptis illius ambulaſſes: ſi non pro omnipotente Deo coluiſſes Belphegor, & Baal, Beelzebub, & Chamos*, 4. Reg. 1. Num. 21. *quos quia prætuliſti Deo omnia, quæ tibi repromiſſa fuerant perdidiſti. Et mihi in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ mihi inſtrumentum vetus omnino, non nominat: ſed ſi non fecero, quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me, qui promiſſum accipere non merui.* Hæc ille.

Hieronymus.

Iudæi ob peccata ſpoliati ſunt terra promiſſa. D. Hieronym. 4. Reg.

Num. 21.

Vetus teſtamentum nunquam nominat regnum cælorum.

8. Secundò, voluit Deus, vt Iudæi conſideratione terræ promiſſæ, quæ amœniſſima erat: ad terram illam potiorem, quæ cœleſtis eſt & æterna, animos attollerent, & ad eam ſuſpirarent. Iuuat enim terræ amœnitas, & fertilitas ad conſiderationem melioris vitæ. Vnde, quia Romani, & Græci, in Hiſpaniā appulſi, amœnitatem regionis Interamnæ quæ iuxta Strabonem lib. 3. ad veterē Luſitaniam pertinet, admirati ſunt, eamque philoſophiæ idoneam putarunt, in eo mundi tractu paradiſum, ſiue hortum voluptatis conſtituerunt. Sanè Campos Elyſios, vbi poëtæ finxerunt eſſe paradiſum, in quem animæ per fluuium Lethæum deducebantur, fuiſſe in Hiſpania apud Limiam probat Viues ſuper Auguſtin. lib. de Ciuitate 21. cap. 27. ex Homero, Plinio, Sabell. Enead. 5. lib. 9. Florian. lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 38. Porrò vtilis fuit Patribus ad philoſophiam terra illa. Vnde Abraham, vt teſtis eſt D. Stephanus Act. 7. *nec paſſum quidem pedis in ea poſſedit*, & D. Paulus ad Hebr. 11. *Fide* (inquit) *demoratus eſt in terra repromiſſionis in caſulis habitans cum Iſaac & Iacob & cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem cuius artifex & conditor Deus*, &c. ſignificat enim Paulus, Patres in illa regione Chriſtū agnouiſſe ad æternámque patriam anhelantes mentem & ſtudium conuertiſſe. Addit enim. *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini ſunt, & hoſpites ſuper terram*, &c. Crediderim non ob aliam cauſam diuina prouidentia factum eſſe, vt Chriſtiani Hieruſalem, in qua tot ſunt redemptionis noſtræ monimēta amitterent, quam vt intelligerent, non in oculis, ſed in fide, non in terrenis rebus, ſed in cœleſtibus, quærenda eſſe promiſſa nobis bona. Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.*

Strabo.

Amœnitas regionis interamnenſis, occaſio fuit antiquis, conſtituendi in ea campos Elyſios.

Lod. Viues ſuper Aug. Homerus. Plinius. Sabell. Florianus.

Abraham nec paſſum terræ Sanctæ poſſedit locum tantum emit ad ſepulturam.

Coloſſ. 3.

Tertiò captiuitates Iudæorū, & per orbem exilia, idcirco Deus videtur permiſiſſe, vt quæ illis facta fuerat de Meſſia repromiſſio, Dei notitiam, & Chriſti venturi cognitionem, per terram, quà latè funditur, diſſeminarent, vt gentes, eo prælудio, facilius annunciatum ab Apoſtolis Euangelium, & filij Dei myſteria amplecterentur. Sic olim Libiæ Rex Pſaphon, cùm Deus haberi vellet ab hominibus, pſittacos, picas, & alias vocales aues, docuit in cauea reddere has voces, [illegible], vt inde emiſſæ diuinitatem, quam affectabat euulgarent. His auibus ſimiles fuerunt Iudæi, docti in Iudæa Meſſiæ, & Dei nomen, vt inde ablegati, & per orbem diſperſi Dei notitiam gentibus afferrent. Qua de cauſa precatur Deum Dauid, vt eos conſeruet cum ait Pſal. 58. *Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos: nequando obliuiſcantur populi mei*, &c. Hoc eſt, ne occidas Iudæos omnino: ſed ſerua eos, lento mulctatos ſupplicio, vt per orbem diſperſi, diuinam exhibeant in ſe iuſtitiam, quam populi videntes ad Chriſtum conuertantur. Vnde Genebr. enarrans hunc locum. *Sic* (inquit) *diſperſi ſunt Iudæi, non ad vnum cæſi, quò eius fidei, cuius inimici ſunt, vbique teſtes fiant.* Addit Auguſtin. eos ſeruari, vt ſint Chriſtianorum capſarij, eíſque conſeruent ſcripturas, quæ inſtrumenta ſunt ſalutis æternæ.

Pſaphon Rex Libyæ voluit Deus haberi

Quare Palæſtina, ſiue terra promiſſionis regio tantopere commendetur.

ANNOTATIO IIII.

9. QVAMVIS huius terræ longitudo, & latitudo exiguis finibus contineatur, vt diximus ſectione præcedenti, laudari tamen poteſt, quia iis rebus abundat, quæ vitæ ſunt, non ſolùm neceſſariæ, ſed etiam vtiles, & iis caret, quæ noxiæ ſunt, & odio habentur. Ad quæ duo capita Latinus poëta 2. Geor. laudes Italiæ reuocauit. Sic enim ait.

Virg. 2. Georg.

Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Inuertère, ſatis immanis dentibus Hydri.
Nec Galeis, denſiſq; virûm ſeges horruit haſtis:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Impleuere: tenent oleæ, armentáque læta.

Commendat ibidem Italiam, à venis metalliferis, à virorum præſtātia & cultu Deorum. Denique à mari, quod ipſam vtrinque circumfluit. & lacubus piſcatu nobilibus cælique temperie. Terra autem promiſſa, tanta erat Soli, cælíque temperie, tanta pecorum & frugum copia diues, vt à Moſe dicatur, tum aliàs, tùm potiſſimum, Deut. 32. terra lacte & melle manans. Sic enim in cantico ait. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo: butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum*, &c. Et Deut. 8. *Dominus enim Deus tuus, introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarúmque & fontium, &c. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & oliueta naſcuntur, terram olei, ac mellis. Vbi abſque vlla penuria, comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris. Cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur*, &c.

Terra Sancta mira fertilitas.

Deut. 32.

10. Non minus ferax fuit ſobolis humanæ, & vrbium hæc terra, vix quiſquam explicare verbis poterit, quantam hominum multitudinem, quātum vrbium, munitarum numerum habuerit. Nam præter 31. Reges, qui totidem regnis præerant, & quos Ioſue cap. 12. occidit, erant Sidonij, Tyrij, & Palæſtini propè mare habitantes. Nec verò montes, qui plurimi ſunt, oberant fertilitati regionis. Erant enim feraces, & vltra quadruplum, ſui vſum præſtabant ad varios ſatus per longiora ſpatia, quàm ſuperior aëris, aut inferior terræ ſuperficies, ſi complanāda eſſet, definiebat.

Hominum ferax.

Ioſ. 12.

Metallifera.

Hinc

Hinç metalla, lathomiæ, vineæ, fontes, & aqua- A
rum riuuli fertilitatem inducentes. Hinc Loth.
Gen. 13. vix ſatiare oculos poterat conſpectu ter-
ræ fertiliſſimæ: *Eleuatis itaque Loth oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor, &c.*

Gen. 13.

11. Illud præterea commendat huius regionis bonitatem; quod non ſolum vicini Reges, ſed etiam longè poſiti ad deprædationem illius auidè inhiabant. Hinc Ægyptios, Aſſyrios, Babylonios, aut oppugnatores repulit, aut victores paſſa eſt. Mirabantur aduenæ, in ea balſamum, quod, vt Plinius ait lib. 12. cap. 25. & lib. 16. cap. 31. Sola Iudæa protulit, præſtantiſſimum, & calidæ aquæ in ſtagnis ad ſalutem corporum fabrefactis, frequentes ſcaturigines.

Balſamum ſola Iudæa habet, vt putat Plin. Plinius.

12. Tandem ſitus ipſe terræ ſanctæ laudi eſt. B
Subeſt enim quarto mundi climati, in meditullio terræ, iuxta illud Pſalm. 73. *Deus autem noſter in ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Quod eò factum arbitror, quod voluerit Deus, vt ab hac regione in Aſiam, Africam, & Europam, diuini cultus & legis cognitio, tanquam à corde funderetur. Idcirco huc intulit Iſraeliticum populum Dei notitia probè imbutum, templum extrui fecit admirabili ſpecie viſendum. Prophetia, vir-
tute, & ſapientia, ne dum fortitudine præcellen- C
tes viros largitus eſt. Et ne quid deeſſet ad perfectæ Reip. quæ pœna & præmio indiget, rectam conſtitutionem: non ſolùm victoriarum monumenta paſſim extabant; ſed etiam ſuppliciorum, quæ ob ſcelera ingratæ gentis fuerunt irrogata. Solent enim plerúmque homines, quibus diuina clementia & fauor præclara contulit beneficia, iis abuti, & veluti luxuriantes in vberi agro pecudes, benefactoris ſui obliti, intemperanter laſciuire. Vnde Gen. 13. dicitur. *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Quaſi dicat, in terra laudata, homines erant illaudati. Horum pœnam Deus ante oculos Pa-
læſtinorum conſtituit, & celebrem fecit, vt Iſrae- D
litæ, qui futuri erant terræ illius incolæ, à tam horrendo ſcelere ſibi cauerent; & Deum vlciſci ſcelera, admoniti irrogatæ pœnæ conſpectu, aliis prædicarent.

Terra media terræ ſedem habet.

Pſalm. 73.

Exempla vltionum diuinæ extant contra ingratos.

Gen. 19.

13. Iudæorum autem peruicax contumacia, quæ nec beneficiis nec ſuppliciis vnquam ſatis domita eſt, eò peruenit, vt Deo fuerit iniurioſa. Vnde Moſes, Deut. 32. poſtquam terræ promiſſæ vbertatem, & rerum copiam retulit; id quod futurum erat præuidens, & ex præterita ingratitudine ad conſequentem faciens coniecturam, ſic
ait, *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo, &c.* Nocet ani- E
mis, cupiditatibus ſeruiliter obnoxiis nimius fauor. Egentq; fræno, effrænatè peccãtes. Ob quam cauſam variis pœnis afflicti fuerunt, diuinis beneficiis abutentes Iudæi. Nihil tamen, ſic Palæſtinã nobilitauit, vt præſentia filij Dei hominis facti, & mundum Euangelij prædicatione illuſtrãtis. Hinc conſtat propterea in ſacris literis cõmendari Palæſtinam, quod ad fertilitatem agrorum, & vrbiũ frequentiam, cæteráſq; laudes, illa acceſſerit, vt patria eſſet Patriarcharum, & prophetarum, ex quibus Chriſtus erat naſciturus. Ad hunc ſcopum ſpectabant Angeli, toties ibi viſi, oracula toties audita; deſideria Iacobi & Ioſephi cupientiũ

Deo fuit iniurioſa Iudæa poſt beneficia.

Deut. 32.

Iudæa prophetarum patria fuit, & patriarcharum.

A habere ſepulturam, in terra, quàm filius Dei homo factus, ſua præſentia, & ſanguine, melle, & lacte à Iudæis decantato longè pretioſiore, erat ſanctificaturus. Quare fuerit licèt Palæſtina, hominum multitudine, frugum copia, Regum natalibus nobilitata; non hinc eam commendamus, ſed quod Dei populum aluerit, à quo tempore à Deo præfinito, prodiit tandem Meſſias, *lumen videlicet ad reuelationem gentium.* Luc. 2. De diuiſione terræ ſanctæ, variis temporibus inter tribus Iſraelitarum facta agendum eſt, Ioſue 15. & ſequentibus. Interim vide Chriſtianum Delphum in præfatione, & in toto theatro terræ ſanctæ, & Salmeronem tom. 1. proleg. 41. fol. 625. cætera perſequamur.

Nihil ſic Iudæã nobilitauit, vt præſentia filij Dei.

Luc. 2.

Ioſue 15.

Salmeron.

LIBRI IOSVE

CAPITIS PRIMI SECTIO V.

Verſ. 5.] Nullus poterit vobis reſiſtere, cunctis diebus vitæ tuæ: ſicut fui cum Moſe, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te, &c.

Aliæ verſiones.

In Hebræo. Non ſtabit quiſquam ante te omnibus diebus vitæ tuæ: quemadmodum fui cum Moſe, ero tecum: non dimittam te, neque derelinquam te, &c.

Aliter. Non ſe ſtatuet quiſquam contra faciem tuam cunctis diebus vitæ tuæ: quemadmodum fui cũ Moſe, ſic ero tecum: non faciam te remiſſum, neque deſeram te, &c.

70. *Interp.* Non reſiſtet homo coram vobis cunctis diebus vitæ tuæ, & ſicut fui cum Moſe, ita ero & tecum, & neque derelinquam te, neque deſpiciam te.

Explicatur contextus.

1. PROMITTITVR Ioſue præſidium diuinum contra hoſtes, & ſimilis præſentia in rebus gerendis illi, qua ſe Deus communicauerat Moſi. Nam eſſe cum aliquo, eſt illi adeſſe, hoc eſt, præſentem, & fauentẽ ſe exhibere. Chald. Paraphr. legit, *adiuuabo.* Illa verba, *non dimittam te, nec derelinquam*, cenſent aliqui cum Caiet. præpoſtero ordine legenda eſſe, aut ſaltem intelligenda; vt, alterum ſignificet retentionem; alterum aſſociationem. Promittit enim Deus, ſe fore comitem indiuiduũ, ac proinde non derelicturum Ioſue; nec dimiſſurum, ſibi deuinctũ; vel potius, *non dimittam, nec derelinquã te,*

Chald. Parap.

Caietanus.

tantun-

A tantundem eſt, ac ſi dicat, intus & extra te protegam. Quod intellige, faciente Ioſue, quod in ſe eſt, & Dei vocem audiente: nam infra dicitur dimiſiſſe Deum Ioſue in manu conſilij ſui, in fœdere Gabaonitarum, quia os Domini non interrogauit, in illis verbis, *Sicut fui cum Moſe*, &c. non ſignificatur parem futurum Ioſue Moſi, ſed ſimilem in recipiendis Dei fauoribus, quando opus eſſet miraculis ad res conficiendas, & protectione: quãdo hoſtium incurrerent cõtra eum copiæ.

Deſeritur Ioſue in fœdere Gabaonitarum non conſulens Deum.

2. Significat præterea ſe adfuturum Ioſue, ſicut adfuit Moſi. Nam Moſi Deus iratus fuit peccanti ad aquas contradictionis: ei verò præſtò fuit, quandiu contra diuinam voluntatem, nihil B molitus eſt. Ad hunc ergo modum, ſe futurum ait cum Ioſue: Deus enim quamuis adſit, vt faueat, adeſt etiam vt puniat. Vnde Amos 3. ſic alloquitur populum ſuum: *Viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras, numquid ambulabunt duo pariter, niſi conuenerit eis?* Quaſi dicat: Non conuenit hoc mihi vobiſcum quia legem & pactum frequenter violatis. Ideò non ambulabimus ſimul, ſed relinquam vos. Hinc cum ſanctis dicitur Deus eſſe & ſancti cum ipſo, nimirum quia voluntates inuicem ſibi conſentiunt. Hinc etiam viri iuſti, cum Deo ambulare in ſcriptura dicuntur, Mich. 6. *Et ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* & Gen. 5. *Et ambulauit Enoch cum Deo.* In Hebr. *Sanctè vixit.* & c. 6. *Noe vir iuſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.* Vbi vides ſignificari per ambulationem cum Deo, viri iuſti conſeruatã inter impios virtutem, & cultum cum Dei voluntate conſentientem. Quod rectè exprimitur Eccl. c. 44. *Noe*, inquit, *inuentus eſt perfectus, & iuſtus, & in tempore iracundiæ, factus eſt reconciliatio; Ideò dimiſſum eſt reliquum terræ, cùm factum eſt diluuium: teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluuio omnis caro*, &c. Quaſi dicat, vnum Noe, & ſolum inter homines illius temporis, fuiſſe iuſtum, qui ſua innocentia obtinuerit à Deo, cum quo ambulabat, vt ipſe cum paucis numinis iratæ vindictam euaderet. Pro, *reconciliatio*, Græcè eſt, ἀντάλλαγμα, id eſt, pretium redemptionis, quaſi D Noe ſua ſanctitate, & innocentia, veluti quodam pretio, genus hominũ ab interitu redemerit. Additur ideò, *dimiſſum eſt reliquum terræ, cùm factum eſt diluuium*, hoc eſt, quia tã ſanctus fuit Noe, relictæ ſunt in terra aliquæ hominum reliquiæ. Teſtamentum verò ſæculi, vocatur fœdus & pactum æternum addito eius pacti ſigno, arcu ſcilicet cœleſti, qui apparens in nubibus aquam & diluuium minantibus, certiores faceret homines fœderis diuini. Tanti Deus facit vnum iuſtum, ſecum ambulantem: ſufficit enim vel vnus iuſtus cum Deo ambulans, ad Remp. nedum familiam E in officio continendam. Vnum Abraham, vnum Loth, vnum Moſen, vnum Ioſue in memoriam reuoca, intelliges eximia ſingulorum virtute familias, exercitus, & Dei cultum, mirabiliter fuiſſe propagatum. De Simeone ſummo Sacerdote, Oniæ filio, ſcriptum eſt, Eccl. 50. *In diebus ipſius emanauerunt*, vel, vt alij legunt, *remanauerunt fontes aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione.* &c. Magna igitur debemus ſperare ſigna diuini fauoris, in Ioſue hiſtoria; ſiquidem certiſſimum illi promittitur Dei patrocinium, illis verbis: *Sicut fui cum Moſe, ita ero tecum.*

Deus dicitur cum his ambulare qui legem ſeruant.

Mich. 6. Gen. 5. Gen. 6. Eccl. 44.

Noe iuſtus ſuã ſanctitatem videtur obtuliſſe in pretium redemptionis orbis diluuio pereuntis. Teſtamentum æternum quod ſit. Iris ſignum eſt fœderis diuini.

Vnus iuſtus ſufficit ad placandum Deum iratum aliqui Remp. aut familiam.

Simeonis ſummi ſacerdotis laus. Eccl. 50.

A Verſ. 5. Omnibus diebus vitæ tuæ.

Quòd auxilium, & quandiu duraturum Deus Ioſue promittit.

ANNOTATIO I.

1. PROMITTIT Deus Ioſue tria. Primum eſt, metum ſe hoſtibus iniecturum quo illi perculſi reſiſtere victori non audeant. *Nullus*, inquit, *poterit vobis reſiſtere*; vel, vt Vatablus vertit ex B Hebr. *Non ſe ſtatuet quiſquam contra faciem tuam*, &c. Sed obijciet aliquis, tempore Ioſue hoſtes, & illi reſtitiſſe, & in fugam conuertiſſe Iſraelitas, occiſis ex Iſraelitico exercitu triginta ſex viris. quando oppugnare cœperunt ciuitatem Hai, vt dicitur infrà c. 7. Reſpondeo id verum eſſe, ſed tam exiguam iacturam non eleuare fidẽ promiſſionis; ſolùm enim ad tria millia hominum aſcenderunt ad illam oppugnationẽ & occiſis paucis cæteri fugati ſunt, quod vitio populi legẽ præuaricantis accidiſſe ex eodem cap. conſtat, tulerat enim ſpolia quædam de anathemate Hiericho. Ioſ. 7.

2. Deinde promittit ſe ita adiuturum Ioſue in patrandis miraculis, ſicut adiuuerat Moſen: Id enim præter interpretationem aſſignatam, ſigni- C ficant hæc verba, *Sicut fui cum Moſe*, &c. Nam ſi inſigne miraculum fuit diuiſio aquarum maris rubri, vt Iſrael ſicco pede tranſiret vadum: Non minùs inſigne fuit illud, quo Iordanis diuiſus eſt, & pars aquarum in modum montis cõſtitit, pars verò excurrit in mare ſolitudinis vt dicitur infrà cap. 3. Datum fuit de cœlo manna ſub Moſe, & ſub Ioſue vſque ad ingreſſum terræ promiſſionis, in qua veſci cœperunt Hebræi de panibus ibi coctis, cap. 5. Atque, vt cætera ſileam quæ omnino paria videntur: illud ſanè ſupererat omnia miracula, quæ tempore Moſis facta ſunt, quod ad preces Ioſue, Sol ſteterit, ſpatio vnius diei non declinans curſum ſuum in occaſum, donec ille, D de hoſtibus ſuis vltor & victor euaderet, cap. 10. Omnia quippe alia prodigia, quæ tempore Moſis facta ſunt, etiamſi miracula fuerint, quoniam iubente Deo facta ſunt, per Angelos tamen fieri potuerunt: vt diuiſio maris rubri, &c. tamen iudicio hominum, maius & manifeſtius eſt miraculum Solis decurrentis impetum veluti iniecto fræno repreſſiſſe. Vt enim annotauit Abulenſis quæſt. 26. in cap. 1. Ioſue. In hac quadripartita elementorum regione, in qua Moſes mira operatus eſt, etiam dæmonibus operatiuam, cùm Magi aliquid faciunt, attribuimus poteſtatem: in corporibus autem cœleſtibus nihil efficiũt: quoniam illa à bonis Angelis motu cientur: quod E vel ex eo manifeſtum eſt, quia Magi & venefici, qui arte Dæmonis vtuntur in cœleſtibus ſphæris nihil agunt, nec agere poſſunt, ſi libet cõferre auxilia è cœlo præſtita Ioſue, cum auxilijs olim Moſi præſtitis. Vide Abulenſ. loco citato, qui putat ampliori ope Deum tempore Ioſue Iſraelitas adiuuiſſe, quàm tempore Moſis.

Comparantur miracula patrata à Moſe cum miraculis Ioſue.

Ioſ. 3. Ioſ. 5. Ioſ. 10. Abulenſ. q. 26.

Dæmones & Magi nihil poſſunt in cœleſtibus ſphæris.

Ampliori ope Deus Iſraelitas iuuit tempore Ioſue, quàm Moſis.

3. Tertiò, promittit ſe nec dimiſſurum, nec derelicturum Ioſue. Quibus verbis, præter interpretationem quam ſuprà attulimus, ſubijcimus poſſe idem ſignificari, vt vult Abulenſ. atq; adeò idem erit, *Non dimittam te*, atque, *Non te derelinquam.* Nam ex vſu ſcripturæ, idem interdum duobus modis, ad maiorem efficaciam, & certitu-

dinem

dinem declaratur, vt patet in ſomniis Pharaonis Geneſ. 41. Cum reſpondet Ioſeph ad duo ſomnia, quæ idem ſignificabant. Expoſito enim primo, ſic ait. *Quod autem vidiſti ſecundo, ad eandem rem pertinet: ſomnium ſecundum firmitatis iudicium eſt, eo quod fiat ſermo Domini, & velocius impleatur.* Poſſumus etiam aliam reddere non contemnendam interpretationem, ſi pro, *non dimittam*, nec *derelinquam te*, legamus cum Vatablo, *non faciam te remiſſum, neque deſeram te*, ſenſus enim erit. Quæ à me poſtulaueris, non remittam ad alium, qui pro me tibi reſpondeat, vel non remittam te ad alium, qui petitiones tuas mihi offerat vt ſolent Reges, qui ſe alloquentium petitiones remittunt ad prætorianos, & aulicos, qui ſibi aſſiſtunt, vel non te ignauum, aut remiſſum eſſe patiar in rebus gerendis, nec te deſeram, &c.

Gen. 41. *Vatabl. Fauor eſt non remittere petitiones oblatas Regi ad prætorianos.*

4. Auxilium autem diuinum, ad futurum Hebræis in rebus omnibus, & præſertim in iis, quæ præſens Ioſue Deus promittit, tamdiu duraturum pollicetur oraculum, quandiu ille vixerit. Id ſignificat illa verba. *Omnibus diebus vitæ tuæ.* Nam poſt mortem Ioſue ſæpe afflicti Iſraelitæ grauiſſimè fuerunt. Gentes enim illos miſerandum in modum victos ſibi ſubdiderunt, vt patet ex libris Iudicum: quamuis Deus interdum eos liberauerit, mittens ſaluatores, qui iudices erant, & belli duces. Idem accidit ſub Imperio Regum, ſub Ioſue nihil tale accidit: domitis namque populis cōtra quos pugnabat, victor ſemper extitit. Quod propterea eueniebat, vt conſtat ex cap. 2. Iudic, quia viuente Ioſue, populus Deum timebat, nec ad Idolorum cultum ſe abiecerat, imò & poſt mortem Ioſue tātiſper pietatem coluerunt, dum ſeniores quidam vixere, qui viderant mirabilia, quæ Deus fecerat in ſolitudine, & in trāſitu Iordanis. Poſtquàm verò Ioſue & ſenioribus illis vita functi, gentium ritibus connubiis, & in ſuperſtitionibus antiquam pietatem obliti, ſe inquinarunt, tradidit illos Deus in manus hoſtium. Huc pertinet illud Horatij lib. 3. Ode 6.

Iudic. 2. Ioſue victor ſemper extitit quia & ipſe & populus ab idololatria receſſerat, & Deum timebat.

Cultus Dei perſeuerauit quandiu vixerunt ſeniores qui viderant cum Ioſue & Moſe.

Fœcunda culpæ ſecula nuptias
Primùm inquinauere, & genus & domos:
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populóſque fluxit.

Verſ. 5.] Nullus poterit vobis reſiſtere, &c. Sicut fui cum Moſe ita ero tecum.

Magnum beneficium fuit, Moſen & Ioſue in Hebræorum principes à Deo eligi.

ANNOTATIO II.

5. SI QVIS caſus humanos, ex ſacris & profanis auctoribus repetat, inueniet profectò, excellentes, ac ſummos viros in principes, aut in principum aſſiſtentes, & conciliorum capita fuiſſe à Deo deſtinatos, vt eorum opera, & conſilio imminentes calamitates & pericula, Reſpublicæ euitarent. Quid de populo Hebræorum fotet in captiuitate Ægyptiaca, niſi Moſen Deus & Aaronem afflicto populo, præfeciſſet? Quid mortuo Moſe & Aarone ageret numeroſus exercitus, & ad ignauiam magis quàm ad fortitudinem propenſus, niſi Ioſue ſortiretur in principem, qui, vel recuſantem populum diuina fretus ope, in terram intulit promiſſam? *Nullus*, inquit diuinum oraculum, *poterit vobis reſiſtere*, reddénſque cauſſam, ait. *Sicut fui cum Moſe, ita ero tecum.* Quaſi dicat, non eſt, quod timeas, ô Ioſue, licèt multæ tibi obijciātur in adminiſtratione Hebrææ Reip. difficultates: quia ſicut propitius fui populo, electo in ducem Moſe, quem ſemper adiuui: ita eidē benignus ero, te in principem illius, deſtinato & nominato. Sic Deus diluuio mundum vaſtaturus, prædeſtinauit Noe, qui diuinæ obſequens voluntati humanum genus ne omnino periret, effecit. Orientem pene vniuerſum vexaturus Deus, Ioſeph præmiſit, & vendi etiam permiſit; vt eo frumentariæ rei in Ægypto gubernatore conſtituto, Iſraeliticam gentem à peſte & inedia, ſimul cum Ægyptijs vindicaret. Quid, quod etiam mulieres, virtute Deus plerunque, & fortitudine excellentes, vt Iudith, Heſter, & Delboram, rebus magnis, ad vtilitatem Rerumpub. præpoſuit.

Dei prouidentia in excitandis viris Reip. vtilibus. *Fœmina Reip. vtiles.*

6. Extant, & apud gentiles, huius diuinæ prouidentiæ exempla; ne quis putet caſui & fortunæ commiſiſſe Deum illorum cauſam. Et quidem, ne Græcia, Perſis pareret, aduerſus infinitas eorum copias, & potētiam, Melciadem, Themiſtoclem, & Cimonem, tres ſummos viros, Deus ſuſcitauit, quorum conſilio, diuerſis temporibus, vires fregit Perſarum.

Diuinæ prouidentiæ exempla apud gentiles.

Quis Romanum toties conſeruauit imperium? Niſi Camillus, Gallorum fuiſſet temporibus, actum eſſet de Romana gloria. Niſi Fabium Maximum & Scipionem Africanum Annibali Reſp. oppoſuiſſet, Africæ Italia ſeruiiſſet, vt enim Silius cecinit, res in anguſto fuit.

Silius Italicus lib. 1.

——— *Propiúſque fuere periclo,*
Queis ſuperare datum.

Quid plura? Potuit quidem Deus, ſolo voluntatis ſuæ nutu, hos liberare à periculis, illos deprimere, vnam nationem florentem reddere, alteram humilem, & abiectam; ſed quia res hominum humanis conſilijs geri placuit, idcirco excellentes, & ſummos viros Rebuſpublicis, & negotiis pro vt neceſſitas poſtulabat, præpoſuit in omni ætate; ita quidem, vt alios aliis, in aliqua virtute fulgentiores redderet, ad diuinæ voluntatis exequēda Imperia & deſtinationem.

In omnibus mūdi ætatibus. Deus viros aliquos virtute claros Rebuspub. præpoſuit.

7. Iam Caſtimoniæ ſingularis dono diuinitus impetrato, propterea heroibus ſui temporis præſtitit Ioſeph, vt nulla illectus laſciuiæ illecebra, à ſeruitute, ad gubernandam Ægyptum poſſet euadere. Charitate incredibili ardebat Moſes, quæ neceſſaria erat, vt duriſſimū populum ferre poſſet. Belli virtute Ioſue præſtabat, ſine qua gentes barbaras, ſancta loca obtinentes, atterere, & imperio ſubijcere nō poſſet. Fateor quidem omnes virtutes dona Dei eſſe, ſed non propterea negabo laudabiles eſſe, & prędicabiles, qui huiuſmodi Dei muneribus in imperio florentes, pacatè Republicam adminiſtrant: Promittit quidem Deus Ioſue diuinam opem quandiu vixerit; ſimul tamen ab eo poſtulat liberi arbitrij cōſenſum, & alacritatē ad obediendum præceptis, ſine qua obedientia, quæ ex libera pendet voluntate, nulla Reip. nulla principi, nulla populo accedere felicitas poteſt. Quid, quod virtures, quæ in Ioſeph Patriarcha & Moſe diuiſæ inueniuntur (caſtitatem dico & māſuetudinem,) in vno Ioſue collectæ elucent. Quare inſigne beneficium Dei Hebræis collatum eſt, dum eis diuina prouidentia Ioſue rectorem dedit,

Accedere Reip. felicitas non poteſt, niſi diuinis obediat præceptis.

dit; qui & moribus eſſet laudabilis, in Dei obſequio, & factis illuſtribus toto orbe prædicabilis.

Verſ. 5.] Non dimittam nec derelinquam te.

Non potuiſſe Ioſue ſine præſenti Dei auxilio peruicacem Hebræorum gentem rectè gubernare.

ANNOTATIO III.

Homerus.

1. QVAM difficile ſit homines regere, ſignificauit olim Homerus qui Regem vocauit paſtorem populorum. Non enim minùs laborioſa eſt, & periculoſa principis vita, quàm paſtoris. Imo Greg. Nazian. in Apologet. 1. plus difficultatis ineſſe putat in hominibus gubernandis, quàm in grege ductando. Sic enim ſcribit. *Haudquaquam eſſe idem exiſtimabam, ac ne nunc quidem exiſtimo gregi, aut armento præeſſe & hominum animas moderari. Illic enim quim craſſiſſimas oues, ac boues reddere ſufficit: idque ſibi, & paſtor, & bubulcus ob oculos ponens, irrigua, & compaſcua loca explorabit: gregémque & ad paſcua ducet, & à paſcuis deducet feſſúmque recreabit & aliò mouebit, ac reuocabit, aliquoties quidem pedo, vt plurimum verò fiſtula. Nihil porrò aliud negotij opilioni, aut armentario incumbit, quàm vt cum lupis nonnunquam pugnet, atque interdum etiam ægrotantem ouem, aut bouem inuiſat. Magna autem temporis parte quercus ipſi, & vmbra, & fiſtula curæ erunt, & incommodo herba loco, corpus ſternere, atque ad gelidam aquam, & ſub leniſſima aura lectulum extempore, ac rudi opere compingere, amatorium etiam quiddam cum ciſſybio cantillare, ac oues ac boues aſſare coriúmque etiam pinguiſſimum quodque comedere, aut pretio addicere. Virtutis verò, nec leuiſſima quidem cura gregem vllum aut armentum vnquam tetigit. Quæ enim virtus eorum eſſe queat? aut quis eorum commodis potius quàm ſuæ voluptati conſuluit. At verò hominum, cum difficile ſit ſcire parere, tum multò difficilius eſſe videtur, ſcire hominibus imperare, ac præſertim in hoc noſtro imperio. Cuius, quo ſublimius eſt faſtigium, maiórque dignitas, & amplitudo, eo grauioris periculi metus impēdet prudēti vtique homini, & cordato. Quippe primum illud curandū erit, ne argenti atque auri inſtar omni ex parte verſatus, variiſque temporibus, & rebus exploratus adulterinum, vel ſubæratum aliquid inuniat, aut deterioris materiæ, flammâque acriori digne aliquid circumferat: alioqui, tantò pernicioſius malum fuerit, quantò pluribus imperarit. Siquidem maior eſt ea improbitas, quæ ad multos porrigitur, quàm quæ in vno defixa hæret.* Hæc Naz.

Reges dicuntur paſtores populorum.

Homines gubernare difficilius eſt, quam greges. Naz.

Ciſſybiũ, id eſt, ſcyphum vas paſtorale ex hedera factum. Difficile eſt ſcire hominibus parere, difficilius multo eſt ſcire hominibus imperare.

Xenophon.

2. Hinc intelliges, quid ſentiendum ſit, de doctrina Xenophontis lib. 1. Cyropediæ. Affirmat namque, ſe Cyri exemplo didiciſſe falſum eſſe, quod pleriſque putant, hominem facilius poſſe quibuſuis animantibus, quàm hominibus imperare, ac proinde non eſſe laborioſum munus homines regere, ne dum, vt ſic dicam, impoſſibile modò, vt arte quis id agat: ſane animi induſtriam plurimum conferre momenti, ad rectè & facilè adminiſtrandam Rempublicam, tum ipſa ratio dictat, tum, quod ad rem propiùs ſpectat, declarauit Deus, quãdo flagitanti ante mortem Moſi ſucceſſorem Num. 27. reſpondit; *Cape tibi Ioſue filium Nun, virum, in quo eſt ſpiritus ſapientia* (vt enim annotauit Andræas Maſius, vir eruditiſſimus, & triplicis linguæ peritiſſimus) vocabulo *ſpiritus* intelligere videtur animi induſtriam, ingenij acumen, & in rebus agendis prudentiam: quemadmodum Malach. 2. cùm Iudæorum reprehendit intemperantiam; audiebat eos Iacobi exemplum apponentes, & dicentes excellentiori eum ſpiritu præditum fuiſſe.

Animi induſtria, multum confert ad rectã gubernationem. Num. 27.

Maſius.

Malach. 2.

3. Nobis tamen, qui fidei luce fruimur, perſuaſiſſimum eſſe debet, non tam humana prudentia, homines feliciter moderari hominibus, quàm Dei ope & gratia; *per quam Reges regnant & principes decernunt, quæ recta ſunt*, Prou. 8. Profectò vnus Daniel 4. (vt alios omittam) ſatis locuples teſtis eſt, non ex mortalium arbitrio, ſed ex Dei nutu pendere imperia, & ditiones orbis terrarũ. Exornet Xenophon ſuum Cyrum, quantis velit virtutibus, quibus credat eum maxima ſibi imperia aſciuiſſe. Nos ex Iſaiæ cap. 45. didicimus, illum non naturæ ſuæ bonitate, aut prudentia, ſed Dei conſilio, ductu & præſenti ope, tot ac tanta ediſſe facinora; Sic enim ſcribit. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam.* Deinde, *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo*, &c. *Propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo: aſſimilaui te, & non cognouiſti me*, &c. Hanc ſcripturam putat Forerius in annotationibus ſuper Iſaiam, manifeſtatam fuiſſe Cyro à Iudæis vt apud illum gratiam inirent, cùm videret apud ipſos ſeruari de ſe oraculum, adeò fauſtum, & ipſo rerum ſucceſſu adeò comprobatum. Nec id ſolum, ſed etiam, vt intelligeret, quàm gratus eſſet ille populus Deo, cuius gratia ſceptrum ſibi tradiderit ad vtilitatem, & commoditatem reditionis è Babylonica ſeruitute in patriam.

Rectè gubernatio, non tam ab induſtria humana, quam à Dei ope, ꝑpendit.

Prou. 8.

Dan. 4.

Iſai. 45.

Deus Cirũ elegit principem Perſarum propter populum ſuum.

Forerius.

4. Quorſum hæc dicet aliquis? nimirũ, cùm Ioſue maximum imperiũ, quod ille, apud Iſraelitas, gentẽ cum primis peruicacem, ad finem vſq; vitæ adminiſtrauit, explicandum ſit, ne quis ad humanam induſtriam, quæ in illo cum prudentia ſatis eluxit, id, quod, mundo ſtupente factum eſt, aſcribat, ſed Deo, qui eum populo Hebræo præfecit. Sicut enim Duce Moſe, vidit, & attonitas trepidum mare diffidit vndas. Ita ſub Ioſue, Iordanis refugas in caput egit aquas. Quare ſatis patet, tum ex Iordanis tranſitu; tum ex Hierichuntini muri complanatione, & Solis curſus retardatione; nõ humanæ prudentię, quæ ſumma tamen in illo fuit, ſed diuinæ potiſſimum virtuti attribuendam eſſe, rectam Reip. Hebrææ adminiſtrationem.

Explicantur illa verba, ſicut fui cum Moſe, ita ero tecum. Non dimittam, nec derelinquam te.

ANNOTATIO IIII.

5. POTVIT Ioſue grauiter ferre, qua erat prudentia, onus regendi populum peruicacem, eúmque in terram promiſſam, inducendi. Recens enim erat memoria iniuriarum, quibus Moſes, cum manſuetiſſimus eſſet, ab illo affectus fuerat, accepta pro beneficiis paſſim cõtumelia. Nec valuiſſe Moſen difficultates imperij difficillimi, æquo animo pati, imo nec pati quidem; niſi

Deus

Deus illi aſſiſtens, rebellemq́ populum, nunc increpatione, nunc pœna, nunc miraculorum oſtéſione, ab impietate auocaret, & ne omnino inſaniret, partis victoriis ſubleuaret.

6. Deus igitur ſuam Ioſue, ne animum deſpondeat, præſentiam pollicetur, & indubitatum fauorem, non minorem, quàm fuerit ille, qui Moſi præſtitus eſt. *Sicut fui*, inquit, *cum Moſe, ita ero tecū.* At vt cætera domus Ioſue, illud ſingulare beneficium fuit, quod Moſes à Deo conſtitutus eſt Deus Pharaonis, qui fauor non legitur côceſſus Ioſue: ſanè idem fauor, eadémq; prærogatiua, mihi videtur conceſſa ſtrenuiſſimo duci Ioſue, dum Deus illum alloquens, ait, *Sicut fui cum Moſe, ita ero tecum.* Quod planè perſpiciet, qui intelliget ſignificationem oraculi. Erat metu exanimatus Moſes cùm ſe cogitabat nuntiaturum, Dei mandata Pharaoni, & poſt alias excuſationes ad finem capitis 6. Exodi ait, *En incircumciſus labiis ſum, quomodo audiet me Pharao?* hoc eſt iuxta Lyram: *ineptus ſum ad loquendum coram Rege.* nempe ob gracilitatem vocis, vt exponunt Hebræi, vel vt Paul. Burgenſis contra Lyram, ait, incircumciſus labiis dicitur, id eſt, habens defectum aliquem in labiis, in quibus formatur pronuntiatio: vel, vt ego arbitror; parum eloquens. Quod Luſitani dicunt, *Pouco apurado no falar.* Mox Deus erigens viri animum metu debilitatum in principio cap. 7. ſic locutus eſt ad eum, *Ecce, conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* &c. Expendamus hæc verba, & in primis quid ſit, *Conſtitui te Deum Pharaonis.*

Moſes Deus Pharaonis factus eſt; illique propheta datus.

Quid ſignificet conſtitui Deum Pharaonis.

7. Legitimus ſenſus eſt. Times, ô Moſes, Pharaonis impiam & ſuperbam crudelitatem, ideóque obite legationem refugis. Non eſt quod formides: efficiam námque vt ipſe potiùs te formidet, & ad tuam præſétiam paueſcat, propter prodigia quæ facturus es coram ipſo, & inauditas plagas, quibus terrefacies Ægyptum. Tanta auctoritate & potentia, te pollentem reddam, vt Pharao ipſe, quem modò times pertimeſcat, & tanquam Deum ſuum, te reuereatur. Confirmatur hic ſenſus ex eo, quòd Pharao toties à Moſe tam calamitosè percuſſus, non ſit auſus eum in carcerem coniicere, nedum occidere. Timebat enim, ne ſi quid tale agere conaretur, ipſe cum vniuerſis clientibus omnino periret.

Hilarius.

8. Ad hanc expoſitionem alludens Hilarius lib. 7. de Trin. docet ex ipſa ſcriptura, intelligi Chriſtum quinque modis eſſe verum Deum, nomine, natiuitate, natura, poteſtate, & profeſſione. Nomine, quia ſimpliciter vocatur Deus, in principio Euangelij Ioannis, *Deus erat verbum.* Natiuitate, & generatione, Ioan. 10. *Ego & pater vnum ſumus*; non vnus, quod perſonam denotat: Eſt autem diſtincta perſona Patris & Filij, ſed vnum, quod ſubſtantiam demonſtrat. Poteſtate, Ioan. 16. *Omnia mea, tua ſunt.* Matth. 11. *Quæcumque Pater facit, hæc & filius ſimiliter facit.* Denique profeſſione, quoniam ipſemet Chriſtus profitebatur, ſe habere Deum patrem: quam ob cauſam lapidare eum Iudæi voluerunt, Ioan. 5. *Propterea*, inquit, *magis quærebant Iudæi eum interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbathū, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* & Ioan. 10. dicebant Iudæi, *de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis facis teipſum Deum.*

Chriſtus quinque modis Deus iuxta Hilarium.

Ioan. 1. 10. 16.

Matth. 11.

Ioan 5.

Ioan. 10.

9. Si quis obiiciat Hilario, Moſen vocari Deum reſpōdebit, vt reuerà reſpondet: non dici in Exo- A do à Deo genitum fuiſſe Moſen, ſed conſtitutum Deum Pharaonis: nec præcisè & abſolutè vocari Deum, ſed cum adiectione, Deum Pharaonis. *Non eſt*, inquit, *Moſi data natura, qua Deus eſſet: ſed data eſt ei auctoritas, & poteſtas, qua velut Deus Pharaonem terreret, puniret, & nolentem cogeret dimittere Hebræos.* Hæc ille.

Moſi data eſt poteſtas aduerſus Pharaonem vt coactus dimitteret populum.

Greg. Magnus

10. Suffragatur Hilario D. Greg. hom. 8. in Ezech. *In ſcriptura*, inquit, *aliquando Deus nuncupatiuè dicitur, aliquando verò eſſentialiter. Nuncupatiuè, Deus appellatus eſt Moſes, cùm dictum eſt; Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & ipſe Moſes, ſacerdotes, & iudices appellauit Deos*, Exod. 22. *Dijs non detrahes.* Et Pſ. 81. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in* B *medio autē Deos diiudicat. Eſſentialiter verò Deus dicitur, ſicut ad Moſen dictum eſt: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Vnde Paulus volens nuncupatiuum Dei nomen ab eſſentiali diſcernere: de redemptore noſtro ſic locutus eſt, ad Rom. 6. Quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Nam qui nuncupatiuè Deus dicitur, is eſt inter omnia; qui vèro eſſentialiter Deus dicitur, is eſt, ſuper omnia.* Et poſt pauca. *Quem autem Paulus Deum ſuper omnia vocat, hunc Ezechiel propheta cap. 1. Deum ſublimem nominauit, dicens: Audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei.* Hæc ille.

Moſes dicitur Deus nuncupatiuè tantùm iuxta Greg.

Exod. 4.

Exod. 22.

Pſal. 81.

Exod. 3.

Rom. 6.

Chriſtus aliter Deus dicitur, atque Moſes.

Ezech. 1

C 11. Cùm ergo Moſes nuncupatiuè, vt loquitur Diuus Gregorius, Deus dicatur ob potentiam, & auctoritatem conceſſam à Deo contra Pharaonem, & hoſtes populi Hebræi; Cùm Ioſue ſimilem potentiam, & auctoritatem acceperit contra Reges Chanaan, & Iudæorum aduerſarios: meritò Deus vocari poteſt, non vnius Regis, vt Moſes, ſed multorum. Quod ſi ſacerdotes, & iudices Dij dicuntur, quia aliis præſunt, & à Deo auctoritatem habent, cui obediunt. Quantò magis Deus vocari debet, cui omnia hæc conueniũt, & inſuper Deum ipſum ſibi obediuiſſe, ex ſcriptura probare poteſt: vt patet ex cap. 10. Sicut igitur Deus fuit cum Moſe com- D municatione nominis diuini ad patranda multa ſigna: ita adfuit Ioſue vt conſtabit legenti hiſtoriam iſtam. Quod ſi Moſen participatio diuinæ gratiæ, ſciẽtiæ, auctoritatis, aut ſanctitatis Deum analogicè efficit: Næ, hæc eadem Ioſue, Deum, ſicut Moſen efficiunt. Idque cum dono perſeuerantiæ, quod promittitur ab oraculo dicenti. *Sicut fui cum Moſe, ita ero tecum.*

Ioſue Deus non vnius Regis, vt Moſes, ſed multorum vocari poteſt.

Ioſ. 10.

Ioſue analogice Deus dici poteſt, ſicut Moſes.

12. Explicatio ſequentium verborum, *Aaron frater tuus erit propheta tuus*, facilè conſtabit ex Auguſtino quæſt. 17. in Exod. Notandum námq; id eſſe ait, in his verbis, quod cùm Moſes mitteretur ad populum, non ei dictum fuit. *Ecce de-* E *di te Deum populo: & Aaron erit propheta tuus*, ſed dictum eſt, *frater tuus Aaron loquetur tibi ad populum, & erit os tuum, & tu illi eris in his, quæ ſunt ad Deum.* Non eſt autem dictum, *Tu illi eris Deus.* At Pharaoni datus eſſe dicitur, & ſecundum analogiam propheta Moſi datus eſt Aaron, ſed ad Pharaonem. Hinc autem inſinuatur nobis, ea loqui prophetas Dei, quæ audiunt ab eo: Nihilque aliud eſſe prophetam Dei, niſi enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum, vel non poſſunt, vel non merentur audire. Ita ferè Auguſtinus.

Sicut Deus prophetas habet ita Moſes, &c. ſed ad Pharaonem

Auguſtinus.

Prophetæ ſunt enũtiatores verborum Dei.

13. Cæterùm, cùm duplex ſit in ſacris litteris, prophetæ & prophetandi vſurpatio, videamus, quam hoc loco vox hæc retineat. Prima & ger-

Quid ſit prophetam eſſe, & prophetare.

Tres prophetæ acceptiones, & alia minus propria.
Prophetæ olim videntes dicti ſunt.
1. Reg. 9.
Tit. 1.

mana ſignificatio eſt, qua ponitur pro eo, qui A diuina & hominibus occulta videt, & antequàm eueniant, denuntiat. Vnde prophetæ olim dicebantur, videntes, vt conſtat ex 1. Regum cap. 9. Nec ſolum verè videntes, ſed etiam, qui falſa vulgi opinione, tales exiſtimabantur. Hinc Paulus ad Titum cap. 1. Epimenidem, qui dixerat, Cretenſes ſemper eſſe mendaces, &c. proprium Cretenſium prophetam vocauit.

Prophetare interdum eſt diuinas laudes canere.
1. Paralip. 25.

Secundò prophetare, in ſacra Scriptura vſurpatur pro canere diuinas laudes rithinis, atque inſtrumentis muſicis. Legimus enim 1. Paralip. 25. filios Aſaph, & Heman prophetaſſe in cymbalis, & citharis, & pſalteriis. Ibidem narratur Idithun prophetaſſe in cithara ſuper confitentes B & laudantes Dominum.

Interdum furere.
1. Reg. 8.

Tertiò, prophetare, idem eſt, atque deſipere, & furere, & more phrenetico inepta loqui: Sic lib. 1. Regum cap. 8. dicitur Saul prophetaſſe in medio domus ſuæ, cùm inuaſiſſet eum ſpiritus Domini malus. Simili furore rapiebantur Bacchides, & Pythoniſſæ aliquid annuntiaturæ. Vnde, de Sibylla, ita Virg. 6. Æneid.

Virg. Æneid. 6.

Ante fores ſubito, non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument.

Ecclеſ. 48.
Quomodo dicatur cadauer Eliſæi prophetaſſe.

Quartò, prophetare, eſt miraculum facere, quo declaratur fuiſſe aliquem prophetam: ſic lib. Eccleſiaſt. cap. 48. mortuum Eliſæi corpus dici- C tur prophetaſſe, quod ad contactum eius repente demortui hominis cadauer ad vitam rediit. Denique ſæpe in ſacris litteris, prophetare eſt res ſacras, & vulgo hominum occultas, interpretando enuntiare. Qua ſignificatione vſus eſt Paulus 1. Corinth. 14. vbi prophetantis officium & habentis donum linguarum, ſic expoſuit. *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat*, &c. Crediderim tamen prophetare apud Paulum eſſe, aliquid ex prophetis in concione enunciare, vt propheta dicatur ille, qui interpres eſt prophetarum. Accipitur ergo prophetæ nomen, cùm Deus Moſi ait; *Aaron frater tuus* D *propheta tuus*: non ſolùm in prima, & ſecunda ſignificatione: ſed etiam in hac vltima, ſecundum quam Aaron fuit propheta Moſis, hoc eſt, interpres, &, vt cap. 4. Exodi dictum eſt, *os eius*. Eloquebatur namque Aaron, & exponebat apud Pharaonem & Ægyptios, mandata Moſis & Dei. Quod Rupertus rectè declarauit. *Quoniam non eſt dignus* inquit Rupertus Deum loquentem iudn cens, *Pharao tecum, qui Deus eius es conſtitutus, loqui: Aaron tuus erit propheta; plagas quas in faciès pronuntiaturus, ſiue tanquam miniſter tuus illaturus: Ego Deus Deorum tecum qui Deus es Pharaonis, loquar facie ad faciem, vt loqui ſolet homo ad amicum ſuum* Num. 12. *Non igitur dignaberis tu, multa loqui cum* E *Rege Ægypti, aut cum popularibus in eruditis: ſed loqueris propheta tuo Aaron, & contra Pharaonem, & ad populum tuum, exemplo videlicet meo, qui nec verborum indiciis ago cum principe tenebrarum, nec paſſim viſibiliter appareo mortalibus, ſed per prophetas meos mando, vel, quæ illis denuntianda ſunt: vel, quæ ſunt à me facienda. Porrò, tu illi eris in iis, quæ ad Deum pertinent: de te enim loquente pariter, & audiente, ille accipiet, quid loquatur*; Deinde addit Rupertus. *Iſti duo homines, ita prophetæ munus egerunt: alter poteſtatem in ſermone habens: alter poteſtatem in faciendis coram Pharaone ſignis exercens*, &c.

Aaron propheta quomodo.
Aaron interpres Moſis.
Exod. 4.
Rupertus.
Num. 12.
Aaron accipiebat à Moſe quæ loqui, & facere opus erat.

14. Conſtituit ergo Deus Moſen Deum Pharaonis, & prophetam ei aſſignauit, vt ea ratione facile perduceret ad optatum exitum, filiorum Iſrael liberationem. Idem Dominus non immemor promiſsionis, qua Ioſue dixerat, *Sicut fui cum Moſe ita ero tecum*. Similia ei præſidia contulit, ad rem difficilem, hoc eſt, introductionem populi in terram Chanaam perficiendam: potentiam ei attribuit, & auctoritatem, qua non ſolùm Deus, contra hoſtes ſuos factus eſt; ſed etiam contra naturæ curſum, vt conſtat ex cap. 10. vbi imperauit Soli. vt curſum ſiſteret, ne Hebræi victoria fraudarentur. Imò ipſe Deus, qui Moſen conſtituit Deum Pharaonis, Ioſue diuino homini ſe obedientem præſtitit, vt annotauit ſcriptura his verbis, *Obediente Deo voci hominis*. Loco prophetæ illi fuit Eleazarus ſacerdos ſummus. At cur Deus, inquis, cum ſic extulit?

Deus Pharaonis Moyſes, Ioſue Deus Chananæorum, imò Deus ipſe obediens ei: loco prophetæ Eleazarus ei datus.
Ioſ. 10.

Erat Ioſue, vir quidam fortis, & induſtrius, ſed de ſe humiliter & demiſsè ſentiens; quod patet ex deiectione, à qua Deus illum ſurgere fecit, quando eum populi ducem creauit in principio huius capitis. *Surge*, inquit, *& tranſi Iordanem iſtum tu & omnis populus tecum*, &c. Et ex verbis Moſis Deut. cap. 31. quibus eum pauentem, ad rem omnium maximam excitauit. Sic enim ſcriptura ait. *Vocauitque Moſes Ioſue, & dixit ei coram omni Iſrael; Confortare, & eſto robuſtus: tu enim in-* C *troduces populum iſtum in terram, quam daturum ſe patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam ſorte diuides. Et Dominus, qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paueas*, &c.

Ioſue humilis erigitur ad magna.
Deut. 31.

15. Verè, *omnis, qui ſe humiliat exaltabitur*, cap. 14. Lucæ dictum eſt, quod in Moſe & Ioſue ſatis oſtenditur. Qui enim ſe præ humilitate, indignos dignitate putarunt; ad eam, Deo iubente, & diuinam opem promittente, & ſuo tempore donante promoti ſunt. De Moſe, ita Rupertus lib. 1. comment. in Exod. cap. 26. *Glorioſa Regina virtutum humilitas quæ in cælum volare conſueuit, locuta eſt in Moſe dicente, ſe incircumciſum eſſe labiis; & idcirco dignum, ac pro ſua reuerentia magnificum* D *accepit reſponſum, vt audiret homo priuatus, regnantis hominis ſe eſſe Deum*. Et poſt pauca, enarrans illud, *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. Sic ſcribit. *Ac ſi dicat*, Deus ſcilicet, *Quoniam tu mitiſſimus virorum, pro tam glorioſo negotio, cum Pharaone demicare, & cum Regibus confligere, indignum te iudicas: atque hoc modo vſque ad infima terræ, te deprimis: Ecce ego ſuſtollam te, ſuper altitudinẽ nubium, faciámque te Deum, non quem ille fideliter adoret, ſed quem ſeruiliter formidet. Vt imperes aquis, pro poteſtate Dei: vt ranas crees: vt imperes terræ, ac cineri, faciáſque in Rege, & in exercitu eius, Cyniphes, & veſicas: vt imperes aeri, & peſtem admodum grauem generes, vt imperes igni, & cum grandine mixtus, feratur ſuper peccatores.* E *Sic imperando elementis Deus eris Pharaonis*. Hæc ille.

Luc. 14.
Humilitas regina virtutum. Rupertus.
Moſes humilis audiuit ſe Deũ eſſe regis.
Quoniam ſe deiecit Moyſes, idcirco à Deo ſublimis eſt factus, imperando vt Deus elementis, &c.

16. De Ioſue humilitate, iam diximus, & de promotione ad eam dignitatem, qua non ſolùm hominibus, & elementis, vt Moſes imperauit, ſed & ipſi cælo. Hanc nos quoque virtutem, quam Deus tanti facit, toto complectamur ſinu. Atque eò potiſſimum quod in veri Ioſue ſchola, hæc cæteras facilè ingerit virtutes. Aſcenderat Zachæus. Luc. 19. in arborem vt Chriſtum videret, *quia ſtatura puſillus erat*. Non paſſus eſt Dominus, vt qui eum ſequi optabat, aſcenderet. Eſt enim humilitas virtus, quæ dum ſe abiicit vitia depellit,

& men-

Et mentem noſtram, donorum Dei capacem reddit. Vnde Petrus Chryſol. ſer. 54. ita Chriſtum cum Zachæo loquentem facit. *Deſcende vt deponas tanta fraudis onera pondera cupiditatis vſurarum molem, magiſterium publicani, exactionis crudeliſſimæ principatum, vt expeditus intres pauperis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pietatis vſum, patientiæ diſciplinam: ſtudia virtutum: atque itinera vitalis ligni ardua iam perfectius conſcendas*, &c. Excitat nos ad humilitatis complexum Bern. ſuper Miſſus eſt. *Glorioſa*, inquit, *res humilitas, quæ ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat*. Et infrà. *Cùm ex aliis quibuſque bonis capere ſoleat incrementum ſuperbia: ſola humilitas eius reſiſtit malitiæ*, &c. Eſt humilitas cælo, & B terræ grata. Quod aduertit Caſſiod. ſuper illud Pſalmi. *Et humilia reſpicit*, &c. *Erubeſcant*, inquit, *elati, vbi credunt locum habere ſuperbiam, cùm cælum & terram ab humilitate videant occupatam. Certè nec Ioſue tantus videlicet imperator: nec Moſes diuinorum eloquiorum myſtagogus, magni euaſiſſent, niſi cum inter homines agerent, humilitatem coluiſſent.*

LIBRI IOSVE

CAPITIS PRIMI SECTIO VI.

Verſ. 6.] Confortare, & eſto robuſtus, tu enim ſorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderem eam illis.

7. Confortare igitur, & eſto robuſtus valde vt cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexteram, vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis.

9. Confortare & eſto robuſtus. Noli timere & noli metuere; quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus, in omnibus ad quæcunque perrexeris.

Verſiones aliæ.

Hebraicè. 6. Conforta te, & robora te; quia tu hæreditate accipere facis populum hunc terram, ſuper, quam iuraui patribus eorum, vt darem eis.

7. Tantùm conforta te, & robora te valdè, vt cuſtodias, & facias ſecundum omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus. Ne declines ab ea ad dexteram & ad ſiniſtram, &c.

A 9. Conforta te, & robora te; ne conſternaris, nec terrearis, quia tecũ eſt Dominus Deus tuus in omnibus, &c.

Aliter. 6. Sis igitur fortis & robuſtus, tu enim diuides in hæreditatem populo huic terram, quam iuraui patribus eorum, vt darem illis.

B 7. Modò tu ſis fortis, & admodum robuſtus, vt cuſtodias & agas ſecundum vniuerſam legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus. Ne recedas ab ea, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, vt prudenter agas, &c.

9. An non præcepi tibi ſis fortis, & robuſtus ne formides, ne ve animo frangaris? quoniam ego Dominus Deus tuus adſum tibi in C omnibus, &c.

70. *Interp.* Non diſcrepant à vulgata editione.

Explicatio contextus.

1. Confortare, *& eſto robuſtus.*] Ter, ponuntur hæc verba. Exigit enim Deus à Ioſue, fortitudinem, & robur, omni depulſo metu ad tres magni momenti res obeundas. Primùm ad victoriam de hoſtibus reportandam Pòſt, diſtribuendam prudenter filiis D Iſrael, terram bello ſubactam. Deinde, ad obſeruationem legis à Moſe populo traditæ, à qua minimè recedendum eſſe, vel tantillum ait. Atque in hac inculcatione dictiones nempe *tantùm*, & *valdè*, in fronte adiunguntur, vt commendatio obſeruationis præceptorum magis innoteſcat; ſic enim Hebraicè habetur *Tantum magis conforta te, & robora te valde, ad cuſtodiendum & faciendum iuxta omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus.* Ac ſi dicat. Hoc dumtaxat à te exigitur, vt erga obſeruationem legis conualeſcas omni conatu, & non mediocriter; ſed valde robores te ipſum magnanimitate. Quorſum id? rogas; Fortitudo namq; neceſſaria eſt principi, qua inſtructus, pro E legum obſeruantia depugnet, non minùs, quam pro Reip. defenſione. Vnde Heraclitus Epheſius, vt dicitur lib. 7. Apophtheg. dicebat, ciues, non minùs debere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus. Quod abſque legibus nullo pacto poſſit eſſe ciuitas incolumis, abſque mœnibus poſſit. Ait ergò oraculum legem commendans. *Ne declines ab ea, ad dexteram, aut ad ſiniſtram, vt intelligas in omnibus, ad quæ perrexeris*: vbi vides fructum cuſtodiæ legis, eſſe donum intelligentiæ in omnibus 70. ἵνα συνῇς ἐν πᾶσιν οἷς ἐὰν πράξῃς, id eſt, *vt intelligas in cunctis, quæ feceris.* Subiungit Deus: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus vt cuſtodias, & facias*

Indigebat Ioſue ope diuina ad tres effectus.

Apophtheg.

omnia, quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Iuxta Hebr. habetur. *Quia tunc ſecundabis vias tuas, & tunc intelliges.* 70. τότε εὐοδώσεις τὰς ὁδούς σου, καὶ τότε συνήσεις, id eſt, *tunc proſperabis vias tuas: & tunc intelliges.*

Hebr. 70. Interp.

Caiet.

2. Rectè aduertit Caiet. hîc; duci exercitus, duo præcipi à Deo: vnum, vt ſit aſſiduus in ſermone de lege inſtituendo. Alterum, vt frequenter legem meditetur. Non eo fine, vt diſſerat: ſed, vt faciat, quæ mandantur in lege. Huic duplici præcepto, duplex reſpondet fructus, vt teſtatur oraculum; Alter externæ in rebus gerendis proſperitatis. Alter interioris intelligentiæ, & prudentiæ.

Iubetur principibus meditari legem, non vt diſſerant, ſed vt faciant.

3. Ecce præcipio tibi confortare, & eſto *robuſtus.* In Hebr. *Nonne præcepi tibi? conforta te, & robora te.* Hæc verba poſſunt coniungi cum præcedenti ſententia. Redditur namque ratio credendi, & ſperandi promiſſos fructus, ex efficacitate Dei præcipientis. Ad huiuſmodi enim efficacitatem ſignificandam, ait Deus: *Nonne præcepi tibi?* Quaſi dicat: Non eſt cur hæſites de ſecundis rerum tuarum ſucceſſionibus; cùm conſtet, me, qui Deus ſum, autorem eſſe præcepti. Atque huic expoſitioni, fauet diſpunctio vulgatæ editionis à Sixto. V. emendatæ: in qua. puncto clauditur, dictio, *robuſtus*: vt deinceps inchoetur alia ſententia.

Editio a Sixto. V. emendata.

C 4. Poſſunt etiam hæc verba tertio adhibita, coniungi cum ſequentibus, vt ſit in his verbis: *Confortare & eſto robuſtus*, emphaſis, ad commendandam fortitudinem, & conſtantiam. Quaſi dicat, conforta te & robora animum tuum. *Noli metuere, noli timere*, vel vt Hebræa habent: *ne frangaris, & ne terrearis. quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quacumque perrexeris*: vel, ſecundum 70. in omnem locum, quo perrexeris. Enim verò, quia admirabiles rerum ſucceſſus promittebat Deus & valde arduos; fragilitatem propriam cogitantem Ioſue, tertio eleuat, & accendit ad ſtudium rerum maximarum; præmonendo, ne ab externis malorum incurſionibus terreatur; nec ab interna fragilitate frangatur D animus. *Quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus.* Non eſſe timendum ſuadet ea ratio, quoniam ad omnia externa, & interna terriculamenta propulſanda, omnéſque formidines vincendas præſtò eſt Deus. Quem ſi quæras cur tantopere nitatur conſolari Ioſue antequam bella aggrediatur in quibus ſe illi adfuturum promiſerat? Reſpondeo, vidiſſe Ioſue, Moſen ſanctiſſimum virum, malitia populi turbatum peccaſſe ad aquas contradictionis. Ob quam cauſam priuatus fuerat terræ promiſſæ ingreſſu. Idcirco timuiſſe, ne ſimile aliquid ſibi accideret. Quare vt huiuſmodi timor pellatur, ſecurum eum reddit Deus, aitque E fore omnino vt terram optatam ingrediatur. Et victor diuidat. Huic interpretationi, vt literæ valde conſentaneæ accedit Lyranus.

Erigitur à Deo animus, promiſſione opis, diuinæ.

5. Dominus Deus tuus. Hebr. *Iehouah Elohe* tuus, hoc eſt Deus adiuuat te, tibi aſſiſtit, pro te pugnat Quid ergo formidãdum eſt? Rom. 9. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Illud præmonuiſſe liber cum Caiet. nimirum in vniuerſo hoc opere, niſi aliud dixero, appellatione Domini ſemper intelligendum eſſe nomen Dei tetragrammaton, ſiue quadriliterum.

* * *

Dei nomen tetragrammaton, in hoc libro repetitur.

A

Verſ. 6.] Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte diuides terram, pro qua iuraui patribus, &c.

Confortat, & præficit Deus Ioſue diſtributioni terræ quam promiſerat patribus.

ANNOTATIO. I.

B 5. IN triplici confortatione, quam Deus repetit: primam requirit in Ioſue, ad victoriam comparandam: cui ſuccedet diſtributio terræ bello vindicatæ, inter Hebræos, quibus vitam vſque ad id tempus incolumem pollicetur.

6. Erat namque neceſſaria hæc confortatio, 1. quia paulo pòſt, erat Ioſue ingreſſurus terram hoſtilem, vbi tot populi ad delendam Hebræorum gentem conſpirauerant. Addit ergo illi animum Deus, & conſolationem, ne in periculis ſuccumbat, dicens: *confortare, & eſto robuſtus, ne timeas*, &c. Facile namque eſt, Deo vires dante, infinitam multitudinem paucorum copiis vaſtari, vt patet 1. Macha. c. 3. vbi Iudas Machabæus, 1. Mach. 3.
C videns Iudæos exanimatos metu, quia videbant Seron principem exercitus Syriæ, numeroſo exercitu in ſe inſurgentem, in diuina ope confidens, ſic ait: *Facile eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli, liberare in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt*, &c. Nec ſefellit illum ſpes: cæſis namque hoſtibus, & fugatis, victoriam eſt adeptus. Hac ſpe munitus Ionathas. 1. Reg. 14. Dixit armigero ſuo: *veni, tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum ſi forte faciat Dominus pro nobis: quia non eſt Domino difficile ſaluare vel in multis, vel in paucis* &c. 1. Reg. 14.

Seron princeps exercitus Syriæ.

Non in multitudine victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. 1. Mach. 3.

7. Secundo, neceſſaria erat prædicta conforta-
D tio, ob pietatem Ioſue, qui omnem Dei offenſionem deteſtatus ſemper fuit, & religionem, omnibus humanis commodis, antiquiorem eſſe duxit. Timere namque potuit, ne ex fragilitate Deum offenderet, quod accidit Moſi ad aquas contradictionis: ac propterea ea pœna qua ille, mulctaretur, ne terram promiſſam obtineret. Nã Moſes propter Iſraelitas inductus eſt ad peccandum in percuſſione petræ, ob quam culpam, non eſt ingreſſus terrã promiſſam, vt patet Deut. 3. quamuis primùm ei Deus iuſſerit, vt populum illuc introduceret, vt conſtat ex Deut. 10. ſi hoc ergo contigit Moſi, qui mitiſſimus vir erat (vt ipſe Deus de eo teſtimonium perhibet Num. 12.) Num. 12.
E & inter prophetas electiſſimus, iure timere potuit Ioſue, ne quid ſimile eum fragilitatem ſuam agnoſceret, ei eueniret: atque adeo ipſe cum populo hoſtium ludibrio traderetur. Certum igitur illum Deus reddit, fore vt, & populum introducat in terram, & agros ei diſtribuat. Hanc interpretationem, vt literalem commendat Abulenſ. q. 26. in Ioſue. Iam fortitudo & robur, quod hîc promittitur, non eſt illud quod Ariſt. 2. Ethic. ait comparari multo cibo ſumpto, & laborum aſſidua exercitatione (hæc enim virtus athletica eſt, & gymnaſtica, pugilibus, & pancratiaſtis optat) ſed illud mẽtis robur, & vis, qua in periculis, & rebus aduerſis in Deo ſperantes, nihil formidamus.

Timebat Ioſue, ne ex fragilitate Deum forte offenderet.

Moſes non eſt ingreſſus terram promiſſam ob culpam ſuam. Deut. 3. Deut. 10.

Abulenſ.

Ariſt.

Tertio

8. Tertiò, oportuit confortari hac prophetia, *Tu ſorte diuides populo huic terram*, vt multa paucis ſignificaret, quæ iucunda eſſent, & iacentem animum ducis, & populi, ad ſpem non dubiam excitarent: tria ergo in his verbis inuoluuntur. Primùm diuiſurum eſſe terram Ioſue, quod verba ſonant. Secundò, quod neceſſario præcedit, vindicaturum agros & prouincias de poteſtate hoſtium, ipſis profligatis, ſe verò ſoſpite & incolumi. Tertiò, ſuperſtitem fore, vt mox dicemus, populum Hebræum, cui terram attribueret. Paucis ergo Deus multa complectitur beneficia: homines verò, vel vnum beneficium paruum, ſi fortè alicui conferunt multis verbis amplificant. Quod videre eſt in ſchedulis, quibus principes viginti aut triginta aureos clientibus largiuntur; Quod ſciens Socrates, noluit ad Archelaum Regem, à quo muneribus inuitabatur venire, dicens: nolle ſe accipere beneficia, cui reddere paria non poſſet. Timens videlicet generoſo animo, ne Rex gloriaretur ſe philoſophum ditaſſe. lib. 3. Apophthegm. Excuſari tamen poteſt exagitatio beneficij etiam exigui, recipientium vitio, qui facilè obliuiſcuntur, niſi is, qui tribuit, amplificatione vtatur. Vnde, percontanti quid citò ſeneſceret; Gratia, inquit Ariſtoteles, ſentiens iniuriæ memoriam eſſe tenaciſſimam: beneficij breuiſſimã, Apoph. 7. Hæc promiſſio, Deut. 3. & 31. atque 32. facta quidem fuerat loquente Deo cum Moſe de Ioſue; eandem nunc facit Ioſue in ipſa rerum gerendarum opportunitate, promiſſi haudquaquam pœnitens.

Paucis verbis Deus multa cõplectitur beneficia.

Homines, vel paruum beneficium multis verbis amplificant.

Apophthegma.

Gratia citò ſeneſcit. Ariſtot. Deut. 3. 31. 32.

9. Iam illa verba, *ſorte diuides terram*, non tam præceptum continent (id enim iam propoſitum fuerat Moſi, Num. 16. quod non latuit Ioſue) ſed propheticam prædictionem, vt annotauit Abulenſ. ſuprà; nempe ipſum, quæ Dei de illo erat cura, inter hoſtiles globos, inter incumbentium malorum procellas, aliaque detrimenta, ſuperuicturum vſque ad diuiſionem ſpoliorum, & agrorum.

Num. 16.

Abulenſ.

10. Quartò, oportuit confortari etiam prænũciatione contenta illis verbis, *Populo huic*. Hinc enim intelligit, populum ex periculis incolumem ſecum euaſurum. Fieri namque potuit, vt Ioſue vinceret, populus autem periret, vt aliquando accidit in bello Lacedæmoniorum inito contra Perſas, vt ſcribit Paulus Oroſius lib. 2. de Ormeſta mundi, & lib. 1. Apoph. nu. 54. Eraſmus. Nam Leonides dux Lacedæmoniorum inclytus. Prandete, inquit, hic commilitones mei, tanquam apud inferos cœnaturi. Hæc vox, ignauis ademiſſet animum; at viris fortibus addidit; admonens ne vino ciboque graues venirent ad prælium, aut certè pro patria fortiter occumberent. Hi autem omnes qui cum eo contra Perſas congreſſi ſunt, inter occiſorum à ſe hoſtium globos, & gelatum cruorem laſſi corruentes, cum deletis hoſtibus euadere viui potuiſſent, concepto tamen ardore pugnandi, defecerunt. Hic autem, Iudæis promittitur fore, vt hoſtibus à ſe ſuperatis, ipſi vita & ſpoliis fruantur.

Promittitur incolumitas populi, & durans vſque ad diſtributionem terræ.

Paul. Oroſ.

Apoph lib. 1.

Leonides Lacedæmoniorũ dux pugnans animos promptiorũ præbet a mortis gloria.

11. Quintò, confortatur à Deo Ioſue, dum exprimitur terram quam diuiſurus eſt, promiſſam fuiſſe Patribus, hoc eſt Abraham (de quo ad Galat. 3.) Iſaac & Iacob; idque cum iuramento, vt ſtabilem fore promiſſionem hanc, & certam illius impletionem, nemo dubitet. Audi iuramentum factum Abrahæ, Gen. 22. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris, quia obediſti voci meæ, & poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* Audi peculiarem terræ promiſſionem, Gen. 15. *In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens; ſemini tuo, dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, vſque ad fluuium magnum Euphraten.* &c. Licet autem hic non exprimatur, iuramenti vocabulum: res tamen ipſa ſubeſt in pacto inito, quod ſine iuramento, non tam firmum cenſetur; omniaq, vincula in fœdere, interuenientia intelliguntur, vt ait Abulenſ. cit. Iurauit autem Deus patribus, traditurum ſe terram, non illis, ſed illorum poſteris, ad quos refertur, particula, *vt traderem eam illis.*

Deus liberat fidem ſuam iuramento obligatam Patribus. Gal.

Gen. 22.

Promiſſio terræ Chanaan facta Abrahæ.

Gen. 15.

Abulenſ.

Verſ. 6.] Pro qua iuraui patribus ſuis.

De promiſſione iurata Patribus dandi eorum poſteris terram iuxtà interpretationem D. Pauli ad Hebr. 6.

ANNOTATIO II.

1. D. Paulus ad Hebr. 6. promiſſionis cùm iuramento factæ Abrahæ, Gen. 22. dandi illi, & poſteris eius terram, non ad terram Chanaan ſolùm, ſed ad terram patriæ cœleſtis interpretationem extendit. Hortatúrque fideles, vt cum fide & patientia expectent adimpletionem, à Deo iuratæ promiſſionis; exemplo Patrum, & potiſſimùm Abrahæ, ſic enim ait D. Paulus: *Abrahæ námque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens. Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te, & ſic longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem.* &c. Abraham (dices) quid aſſecutus eſt? Næ ille diu expectans, tandem quod promiſſum erat obtinuit, atque ob eam cauſam adducitur in exemplum. Aliquid Abrahæ Deus, aliquid illius poſteritati donandum promiſit. Quod ei promiſſum erat, viuens accepit, Gen. 24. *Erat autem Abraham ſenex, dierúmque multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei.* Multiplicatus etiam fuerat filiorum, quos multos habuit ex concubinis, propagatione, Geneſ. 25. Imò illud etiam, *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, propheticis oculis impleri vidit, teſte Domino, Ioan. 8. *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.*

Hebr. 6. Gen. 22. Explicatur locus Apoſtoli ad Hebr. 6. de promiſſione patriæ cœleſtis.

Gen. 24. Abraham quod ſibi promiſſum fuit, viuens accepit. Quod verò poſteritati, vidit tantùm in ſpiritu. Gen. 25. Ioan. 8.

2. Cæterùm, quia in hac benedictione, & multiplicatione (interprete Paulo) electorum ſoboles promiſſa eſt, & terra cœleſtis, hoc eſt vita æterna, & beata, ad quam anhelamus, tam ipſi Abrahæ, quàm illius poſteris concedenda: quod etiam Eccleſia intelligit, cum ait in offertorio Miſſæ pro defunctis, *ſed ſignifer ſanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius*: & hæc nondum plenè acceperat Abraham: meritò idem Apoſtolus cap. 11. ad Hebr. dixit; *iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes.* Hac doctrina conſtituta, facilè conciliantur duo loci Epiſtolæ ad Hebr. qui difficiles videntur. Nempe cùm dicitur cap. 6. *Abraham*

Promiſſa ſunt Abrahæ, iuxta Paulum, ſoboles electorum, & cœleſtis terra.

Hebr. 11.

adeptus eſt repromiſſionem, & cap. 11. Patres dicuntur obiiſſe, *non adeptis repromiſſionibus.* A

5. Vult ergo Apoſtolus, vt ad promiſſiones factas Abrahæ de vita æterna, de fide & patientia, illius & cæterorum Patrum imitatione, ſuſpiremus, ſperantes fore, vt felicitate promiſſa potiamur, ob certitudinem rei promiſſæ, & iuratæ; ſic enim ait Apoſtolus: *Omnis controuerſiæ finis ad confirmationem, eſt iuramentum. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus. Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem, vſque ad* B *interiora velaminis vbi præcurſor pro nobis introijt* IESVS, *ſecundum ordinem Melchiſedec pontifex factus in æternum.* Hæc Apoſtolus cap. 6.

Omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum.

4. Satis declarant hæc verba, certitudinem promiſſionis diuinæ. Iurauit enim Deus, quia certum inter homines putatur, quod teſtium iuramento, in quacunque controuerſia, confirmatur. Particula, *in quo*, iuxtà phraſim Hebr. idem valet, quod, *propter*, vt ſit ſenſus; quia homines ad definiendas controuerſias, iurant & Deus iurare voluit, vt oſtenderet omnibus, verè Abrahæ filiis, qui promiſſionis illius hæredes ſunt, quàm firmum & ſtabile eſſet, quod promiſerat, ſiquidem iuſiurandum adhibuit. Ita exponunt Theophyl. C & Syriaca translatio. Dices, res immobiles vocat, promiſſionem, & iuramentum. *Quibus impoſſibile eſt mentiri Deum*, hoc eſt, in quibus, ἐν οἷς, habetur in Græco, quaſi dicat, nec in promiſſione Dei falſitas, nec in iuramento periurium ſubeſſe poteſt: ſupereſt ergo, vt fortiſſimum ſolatium habeamus: Græcè ἰσχυρὰν παράκλησιν, validam conſolationem, & fortem. Significat autem παράκλησις, vt exponunt Theoph. & Theodo. *conſolationem, & exhortationem*, vtraq; ſignificatio inſeruit huic loco, voluit enim Deus oſtendere ſui conſilij, & promiſſionis immutabilitatem, vt ſpe firma, alacres vitæ huius incommoda & pericula æquo animo ferremus. An non expertus eſt Ste- D phanus, cùm lapidaretur fortiſſimum ſolatium: *lapides torrentis illi dulces fuerunt*: canit Eccleſia. Quid Laurentium, Vincentium, & alios referam martyres? Quid Eremitas in ſolitudinibus tenuit? Quid virgines in cœnobiis? Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, hoc eſt, nos præſertim, qui relictis ſeculi bonis confugimus ad hãc ſpem cœleſtium bonorum, non vt eam, vtcunque haberemus, ſed vt teneremus? κρατῆσαι enim apprehenſionem ſignificat, quæ neceſſaria eſt, ne nos ſeculi turbines, & curæ rapiant.

Duæ res immobiles ſunt promiſſio & iuramentum.
Theophyl.
Syriaca tranſl.
παράκλησις quid?
Theoph.
Theodor.
Act. 7.
Spes cœleſtium bonorum eſt ſolatium, anchora, &c.

5. Hanc ſpem anchoræ comparat Apoſtolus, *Quam*, inquit, *ſicut anchoram habemus animæ.* Nam, ſicut anchora, ſæuiente procella, naues ne temerè E à fluctibus, & vento rapiantur, retinet; ita ſpes, quæ Dei promiſſis innititur, omnibus ſeculi turbinibus, & vndis fortior eſt. Væ naui, quam in tempeſtatis tempore, curuo non alligat anchora morſu: profectò periclitabitur illa, & vectorum timeri poteſt naufragium. Habeamus ergo ſpem, ſicut anchoram, & incedentem, vſque ad interiora velaminis, hoc eſt, ſanctum ſanctorum, quod erat intra velum appenſum. Erat autem ſanctum ſanctorum, figura cœli & domicilij beatorum, vt ſæpe docet Apoſtolus cap. 9. ad Hebr. Hanc ergo terram beatam, hoc domicilium, iurauit Deus, ſe daturum Abrahæ, & poſteritati eius. Ad hanc

Similitudo.
Hebr. 9.

Chriſtus ingreſſus eſt, non ſolus, ſed vt præcurſor, viam aliis aperiens: ſicut Ioſue ingreſſus terram promiſſam, non ſolus incoluit eam regionem, ſed eam aliis etiam donauit, qui hæredes erant promiſſionis à Deo factæ, & iuratæ. Theoph. ita interpretatur particulam *Præcurſor pro nobis. Præcurſor*, inquit, *quorundam ſequentium eſt præcurſor. Nec omnino multum eſt interualli, ac diſtantiæ inter præcurſorem, as ſequentes, quemadmodum neque inter Ioannem & Chriſtum multum temporis interfluxit. Ne igitur ægrè feratis, mox ingreſſuri ſumus in eum locum, in quo præcurſor noſter eſt.* Hæc Theophyl.

Theoph.
Chriſtus dicitur præcurſor terræ promiſſæ, ſicut Ioſue & ſacerdos, &c.

6. Illud verò, *ſecundum ordinem Melchiſedec pontifex factus in æternum*, cumulum addit ſpei noſtræ. Hîc IESVS, qui, vt præcurſor noſter ingreſſus eſt in cœlum, quod in ſancto ſanctorum ſignificatum eſt; antequàm ad cœlum, & terram beatam aſcenderet, factus pontifex noſter pro nobis, æternæ virtutis & ſalutis ſacrificium obtulit. Pro nobis ille in cœlo ſacrificij oblati memor, aderit aduocatus apud patrem, & cùm ſempiternum habeat ſacerdotium, ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ad interpellandum pro nobis, Hebr. cap. 7. Conſtat ergo iuxta Paulum, terram pro qua Deus iurauit patribus, eſſe potiſſimùm illam cæleſtem, ad quam nos per Chriſtum venturos ſperamus.

Chriſtus aduocatus eſt noſter.
Hebr. 7.

Verſ. 7.] Confortare, & eſto robuſtus valde vt cuſtodias, & facias omnem legem, &c.

De ſecunda confortatione neceſſaria Ioſue, vt obſeruet omnem legem.

ANNOTATIO III.

1. PRÆMONET ſecundò Deus Ioſue, vt fortis ſit & conſtans in obſeruatione mandatorum, quæ per Moſen ipſi, & populo, data ſunt, ita, vt nullum prætermittat. Erat autem neceſſaria fortitudo, & conſtantia ad perſeuerationem in cultu veri Dei. Ad onus legis ferendum, & ad coercendam ſupplicio tranſgreſſorum legis petulantiam.

In primis námque, neceſſaria eſt in vera religione perſeuerantia: quia abiicientibus Deum, non implet Deus, quæ promiſit: vt patet 1. Reg. 2. ſic enim loquitur contra Heli per Samuelẽ puerum: *Loquens locutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo in ſempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, abſit hoc à me, ſed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Idem conſtat ex Hiere. cap. 18. ſic enim ait Deus: *Loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud: ſi fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam: pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei.* Obſerua prius ab oraculo miſericordiam, & clemẽtiam commemorari: poſteriùs ſeueritatem. Deo enim magis cordi eſt benefacere: iniquitates tamen noſtræ, ſæuire nolentem cogunt. Porrò, quando Deus cuſtodiam legis Ioſue, hîc commẽdauit, Iudæi idololatriam deteſtabantur, & legem obſeruabant, vt, voti compotes eſſent; & promiſſionis adimpletione digni. Tantùm opus erat in obſeruatione legis conſtantia, quam illi retinue-

Qui in cultu Dei & legis nõ perſeuerant, promiſſiones diuinas non aſſequuntur.
1. Reg. 2.
Hierem. 18.
Iudæi ſub Ioſue deteſtabantur idololatriã.

runt toto tempore imperij Ioſue, & ſeniorum, qui poſt eum multos annos vixerunt, vt patet Iudic. cap. 2. His verò ſublatis, continuò deprauari populus cœpit, vt veram eſſe nemo dubitet, illam Lyrici ſententiam.

Iudic. 2.

Horatius.

Damnoſa quid non imminuit dies!
Ætas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Et quidem Iudic. 2. commemorata morte Ioſue & ſeniorum, ſic ſcribitur. Omníſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos & ſurrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera, quæ fecerat in Iſraël.

Legis Moſaica onus graue.
Rom. 7.

2. Deinde, opus erat fortitudo & animi robur, ad legis onus, quod grauiſsimum erat, perferendum. Vnde Paulus, de lege Moſaica Rom. 7. *Cùm veniſſet*, inquit, *mandatum, peccatum reuixit*, & infrà. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit me.* Oportebat præterea nihil ex lege prætermittere: Ait enim Deus: *vt cuſtodias omnem legem*, id eſt, omnia præcepta legis. *Hæc*, inquit Dominus, Matth. 23. *oportet facere, & illa non omittere.* Vnde, ſi aliquid præceptum Iudæi infringerent, cæteris obſeruatis, pro illius violatione perirent: quia delinquens in vno, fit omnium reus, vt patet Iacob. 2. & extra de Reg. iuris: in reg. defleat peccator.

Matth. 23.

Iacob. 2.
Extra de Reg. iuris.

3. Exigitur fortitudo in Ioſue, non ſolùm, vt ipſe legem obſeruet, ſed etiam, vt ſubditos populos, ad illius compellat cuſtodiam, ſunt enim qui rectè vitam ſuam, & ad legis amuſsim inſtituant: non tamen rectè præſunt: quia remiſsi ſunt, & in legum tranſgreſſores ignauia quadam, aut formidine retardati, non animaduertunt. Quod Deus in prælatis Ezech. 3. deteſtatur. *Fili hominis*, inquit, *ſpeculatorem dedi te domus Iſrael, & ex ore meo audies verba, & annuntiabis eis. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, nec locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat; ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius, de manu tua requiram*, &c. vnde conſtat puniri in prælatis, non ſolùm ſua, ſed aliena etiam peccata. Quod probat Abulenſ. q. 27. in cap. 2. Ioſue; exemplo Heli ſacerdotis, qui in ſe, vt ille ait, iuſtus & ſanctus erat, quia tamen filiorum ſuorum, peccatum graue non corripuit, perijt ipſe & tota domus eius 1. Reg. 4. non tamen damnatus eſt pœna æterna vt Caiet. annotauit. *Expende*, inquit, *ſanctam mentem Heli quod nec audita ruina populi: nec filiorum morte commotus eſt: ſed audita arca Dei capta*, &c.

Ezech. 3.

Puniuntur in prælatis ſua, & aliena peccata.

Abulenſ. in cap. 5. Ioſ. Heli etſi iuſtus, perijt, quia peccantes filios non punijt.
1. Reg. 4.
Caiet.

4. Reprehenduntur etiam illi, qui præter legem ſua commoda procurantes, onera imponunt ſubditis, quæ ipſi ferre nequeunt. De quibus Tertul. lib. 4. contra Marcionem num. 43. *Quod ſi propterea*, inquit, *quis affectat principatum, vt de officijs aliorum glorietur, quia officia vetuit huiuſmodi ſperandi, & confidendi in hominem: Idem affectatores principatuum increpuit, inuehitur etiam in doctores ipſos legis Chriſtus, quod onerarent alios importabilibus oneribus, quæ ipſi, ne digito quidem aggredi, auderent non legis onera ſugillans, quaſi deteſtator eius: quomodo enim deteſtator, qua cùm maximè potiora legis prætereuntes, incuſabat, eleemoſynam, & delectionem Dei, ne hæc quidem grauia, ne dum decimas rutarum immunditias eaſmorum? Cæterum excuſandos potius cenſuiſſet, ſi importabilia portare non poſſent, ſed quæ onera taxat? quæ ipſi, de ſuo, exaggerabant, docentes præcepta, doctrinas hominum, commodorum ſuorum cauſa,*

Reprehenduntur, qui onera imponunt ſubditis, quæ ipſi nequeunt ferre. Tertull.

Importabilia præcepta quæ-lia.

ingentes domum ad domum, vt quæ proximi ſunt auferrent, damnantes populum, amantes munera, ſectantes retributionem, diripientes iudicata pauperum, vt eſſet illis vidua in rapinam, & in pupillos in prædam. Hæc ille. Iſai 1. queritur Deus de malis principibus, agens de Hieruſ. *Principes tui infideles ſocij furum omnes diligunt munera: ſequuntur retributiones pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Quibus verbis exponit, quod dixerat, vrbem eſſe homicidarum domicilium. In Hebræo eſt, paranomaſia pulchra, *ſaraic, ſorerim.* Principes tui, immorigeri, contumaces, qui nulla regi volunt diſciplina. Hoc vitium ἀπείθειαν vocat Apoſtolus Coloſ. 3. & Eph. 2. & in eos iram Dei deſcendere affirmat. Quo loco alludit ad locum Deut. 22. vbi lex iubet, vt filius contumax, lapidibus obruatur, vt auferatur malum de Iſraël. Quid ſi magiſtratus ipſi, à quibus contumaces filij erant iudicandi, contumaces fuiſſent? certè experirentur irã Dei, quæ venit in filios ἀπειθείας, id eſt incredulitatis, qui perſuaderi ad honeſta nolunt. Non ſolùm autem hæc contumacia reſpectu Dei in magiſtratibus intelligitur, ſed etiam reſpectu admonitionum prophetarum, & miniſtrorum Eccleſiæ, quibus Reges debent obedire. Quod quia Saul non fecit, abiectus eſt. Quò fit, vt, ex ſpiritu Dei, morem illum proficiſci negem, quo Reges, parùm Epiſcopis deferentes, eos coram, ſe genu flectere ſinunt. Næ, cùm Deus decreuit, vt Ioſue pro Moſe regeret populum ſuum, eum coram Eleazaro ſtare iuſſit: & vt ad verbum eius egrederetur, tam ipſe, quàm vniuerſus Iſraël, addit, *ſocij furum*, Nonne ſocij, & fœderati cum furibus dici debent, qui fures in Rep. patiuntur impunè graſſari? Propter hoc & 1. ob Magiſtratuum & ſacerdotum peccata, à quibus vniuerſa mala in populum fluxerant, emundari oportuit Hieruſ. expulſis impijs, vt noua Hieruſ. à Chriſto ædificata, id eſt Eccleſia floreret. In hos ſcopulos ne impingeret Ioſue, fortitudine ad rectè & ſine auaritia gubernandum indigebat.

Iſai. 1.

Paranomaſia.

ἀπείθειαν.
Coloſ. 3.
Ephe. 2.
Deut. 22.

Filij incredulitatis ſunt, qui perſuaderi ad honeſta nolunt.

Genu flexio Epiſcoporum coram Rege, qualis.

Ob Magiſtratuum ſcelera in populum deriuata punitur Hieruſalem.

Verſ. 7. Omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus, &c.

Quam legem præceperit Moſes Ioſue?

ANNOTATIO IIII.

1. ALIQVI, vt annotauit Abulenſ. ad finem q. 27. citatæ, intelligunt hoc loco, inſinuari ab Oraculo, aliquas peculiares præceptiones datas Ioſue à Moſe, quibus vtiliter poſſet in tam difficili adminiſtratione, verſari: & terram promiſſam, inter victores milites diuidere. Ait enim Deus cuſtodiẽdam eſſe omnem legem, Quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus.

Abulenſ.

2. Cæterùm non probatur à doctis ea interpretatio. Dicitur enim mandata Ioſue, lex à Moſe, & præcepta, non quaſi ad illam ſolum, pertineat illius obſeruatio, ſed quia princeps erat, atque adeò legem vniuerſo populo datam, vt obſeruaretur, curare debebat. Tota autem lex, quæ in Exod. Leuit. Num. & Deut. continetur ad Hebræos pertinet, vt manifeſtum eſt: eoſque ad ſui obſeruationem aſtringit. Quare Ioſue, quia dux erat, dirigendi populum, & inſtruendi negotium mandatur.

Ioſue duci cura dirigendi populi à Deo mandatur.

Deut.6.
Hieron.

Scribæ & Phariſæi, vt perpetuò Dei legem ante oculos haberent, alligatas circum caput, & circum brachia geſtabant: ſic intelligentes prædicta verba, Deut.6. Hoc ipſum ſuo tēpore D.Hieron. ab Indis & Perſis & Babyloniis fieri ſcribit. Dicta ſunt autem à Græcis φυλακτήρια, quaſi conſeruatoria, quia inſtituta eſſent ad conſeruandam legis recordationem. Fimbriæ autem vocantur, quædam fila non texta quæ dependebant ex infima veſtis ora. Eas Num. 15.& Deut. 22. hyacinthino colore Deus fieri præcepit, vt legis, quæ nos ad cœlum, cuius aſpectus cæruleus videtur, dirigit, recordarentur. Has fimbtias, magnificabant præ Iudæis aliis, Scribæ, & Phariſæi, id eſt, maiores, pluris illas, quàm cæteri faciebant. Addit D. Hierony. ſolitos fuiſſe fimbrijs acutiſſimas ſpinas interſerere, quibus cùm ambularent, aut ſederent puncti, & dolore illo, quaſi admoniti legis recordarentur.

Fimbriæ hyacinthino colore ad cœlum, quòd lege obſeruata adipiſcimur, excitabāt Iudæos. Num 15. Num. 22. *Phariſæi interſerebant fimbrūs ſpinas, vt puncti legis admonerentur.*

Cur a Phariſæis dilatabantur fimbriæ?

6. Quærere meritò poteſt aliquis, cur ſcribæ, & Phariſæi, ambitionis cauſa, fimbrias, ac phylacteria dilatabant? ſunt, qui reſpondeant, id ab illis factum, vr plura legis præcepta, in phylacteriis ſcribi poſſent. Cæterùm, vt id phylacteriis demus, locum ea reſponſio in fimbriis, in quibus nihil ſcribi poterat, non habet. Quare placet, quod Theophyl. ait, ideò nimirum dilataſſe, vr ab ijs, qui longè eſſent conſpecti, inſigniores, quàm cæteri legis obſeruatores viderentur. Idem ſentit Chryſoſt. Nos ſenſum, non literæ corticem ſequamur. Confutat hanc ambitionem Chriſti doctrina, Matt. 6. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videāris hominibus ieiunans.* Ac ſi dicat; Cùm ieiunijs, aut alio pietatis opere, Deo placere vultis, hilaritatem oſtendite, qualem Palæſtini, & ferè Orientales (vt Hierony. refert) exhibent: in celebritatibus, ablutis prius pedibus, caput vngentes, vt patet ex facto Ruth. 3. & Eſther. 2. &c. Itaque ſuadet Dominus (vt Rupert. Theophyl. & Euthym. interpretantur, fugiendam eſſe hypocriſim, & ieiunij oſtentationem. Idem vitium ne in Eleemoſynam obrepat, mox docet: *Noli*, inquit, *tuba canere ante te*. Sunt enim hypocritæ ſicut hiſtriones, qui alienam virtutem repræſentaturi in ſcena (vt annotauit D. Aug. Matt. 6.) præmittunt tubarum ſonitum; vt oculos, & aures omnium, in ſui pertrahant admirationem.

Theophyl.
Chryſoſt.

Verſ. 8.] Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo. &c.

Vtilitas meditationis aſſiduæ diuinæ legis.

ANNOTATIO VI.

Plurimæ vtilitates conſequūtur meditationem legis

1. **D**VPLEX vtilitas eſt, præter cæteras, in frequenti recordatione diuinæ legis. Prima eſt, ignorantiæ ablegatio. Errare namque in actionibus non poteſt, niſi malitia, cum à virtutis ſtudio auertat, qui meminit, quid prohibitum, quidve præceptum ſit. Vnde Pſalm. 118. *à mandatis tuis intellexi, quia lex tua meditatio mea eſt.* Secunda vtilitas eſt: impulſio, & incitamentum ad exequendum ea, quæ lex iubet. Nam, vt ex philoſophia conſtat, poteſt aliquis legem ſcire in habitu: ab ea tamen, cùm opus eſt, recedere. Habitus enim virtutis, non repugnat actui vitioſo, ſed actus actui. Peccatum igitur non euitatur, eo tantùm, quòd quis iudicet ſecundum habitum aliquid eſſe malum: ſed oportet, vt ſecundum actum, hoc ferat iudicium. Vnde Ariſt. 7. Ethic. agens de ſyllogiſmo incontinentis, nempe, quomodo ſciens decipiatur. *Aliqui*, inquir, *habent ſcientiam impeditam ſicut dormientes, & vinolenti. Alij habent eam non impeditam, vt ſobrij & vigilantes. Item aliud eſt ſcire ſecundū propoſitionem vniuerſalem, aliud eſt ſcire ſecundum propoſitionem particularem*: Et quidem iuxtà Ariſtotelis doctrinam, qui ſcit bonum in vniuerſali, poteſt errare; qui autem cognoſcit, & iudicat bonum in particulari, non poteſt errare. Item quoddam ſcire eſt, ſecundum habitum, & aliud ſecundum actum: ſcientes bonum, ſecundum habitum, contingit errare in iudicando: ſcientes autem ſecundum actum, errare impoſſibile eſt. Ex hac doctrina patet, vtilem valde eſſe meditationem diuinæ legis, licet enim aliquis eam probè calleat, falli profectò poteſt, niſi cùm opus eſt operari, eam, vt præſentem, & ſuadentem quid agendum ſit, conſideret. Propterea in ſacris literis frequenter laudatur legis diuinæ meditatio. Pſalm. 1. Vir iuſtus laudatur, tum quia recedit à congreſſu, & ſocietate impiorum: tum potiſſimùm, quia *in lege Domini meditabitur die ac nocte.*

Ariſt. Ethic 7.

Qui operatur, non erret, legem in particulari meditetur.

Pſ. 1.

Voluntas in lege Dei quid ſit?

2. *In lege*, inquam, *Domini*, hoc eſt in eius præceptis, vel, vt alij malunt, in vniuerſa ſcriptura; vel in lege Moſis, quam Deus dedit populo ſuo. Mauult Genebr. legis vocabulo intelligere, ſimplicia Dei mandata ſiue illa in aſſertione, ſiue in prohibitione verſentur. voluntas autem hic ſtudium negotium, voluptas, & delectatio eſt. Hæc enim omnia ſignificat Hephetz. Verbum, *meditabitur* ſignificat ſolicitam, & vehementem cogitationem, quæ erumpat ſæpe ad oris motum & ſummiſſam vocem: & ſi opus ſit, ad actionem. Hinc illud. *Os iuſti meditabitur ſapientiam*, id eſt, *loquetur die ac nocte*, vt ſuprà annotauimus, prouerbium eſt ſatis tritum, pro, omni ſtudio & conatu fere ſemper, & quantum humana conditio patitur. Hinc Flaccus in arte.

Genebrard.

Quid ſit meditari die ac nocte.

Horat. in Arte

—— Vos exemplaria græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Hoc eſt, maxima temporis parte, & ferè ſemper. Subiungit propheta huius meditationis fructum, explicatur dum ait, *& erit tanqua lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*. &c. Emphatica eſt particula, *& erit*; ſanè erit, ſicut arbor, non ſyluestris, aut ſterilis, ſed fructifera, & plantata iuxta fluuios, qualis eſt oliua, aut palma. *Decurſus aquarum*. Hebr. plures riuos aquarum, vbi aqua deriuatur per varios meatus. *Tempore ſuo*, hoc eſt, æſtate, vel Autumno. Chald. ſicut arbor cuius fructus matureſcet, vt dicere poſsis cum Virgilio. 4. Georg.

Pſalm. primum

Quotque in flore nouo pomis ſe fertilis arbor
Induerat, totidem Autumno matura ferebat.

Fructum tempore ſuo percipiendum intelligit Genebr. beatæ vitæ præmium in morte. Subiungit Regius vates. Et *folium eius non defluet*; hoc eſt, Chal. Paraph. nō decidet, nō marceſcet, perpetuò erit viride. *Quæcunque faciet* vir ille pius *proſperabūtur*, qui eſt alter pietatis, & conſideratæ legis fructus. Chald. Omne germen eius proficit. Euthym. per fructum, virtutes intelligit, per folia, humilitatem. *Folia*, inquit, *non dimittet, hoc eſt, humilitatem*

Genebr.

non

Humilitas conſeruat virtutes

non deponet, quæ virtutes omnes non ſerus, ac proprios fructus protegit, atque conſeruit. Per decurſus ſeu riuos aquarum, diuina eloquia, cum non minus illis animę irrigentur, atque impinguentur, quàm aquis plantæ. Vnde etiam Chriſtus doctrinam ſuam appellauit aquas, dicens. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Addit Euthymius. *Animſermo ſi viro Deus cooperatur in omnibus, a Domino enim greſſus eius dirigentur.* Dictio etiam, *omnia*, non eſt ocioſa. Nam, qui ad hunc vſque virtutis cumulū perueniret, malum amplius aliquid facere nunquam ſuſtinebit: qua ratione à Deo in omnibus proſperabitur.

3. Vides, quàm inſignes vtilitates promanent viro iuſto, ex meditatione legis diuinæ: Quid ergo mirum, ſi Deus Ioſue dicat, poſt commendationem diuinæ legis, illiuſque lectionis & aſſiduę meditationis? *Tunc diriges*, inquit, *viam tuam, & intelliges eam*; viæ enim, hoc eſt operationes noſtræ, legis rectitudine ante oculos poſitę ſtudioſę ſunt, & ad virtutis ſcopum tendunt. Sunt autem operationes viæ ſimiles, quia ſicut dum ingredimur viam, intelligitur animus, quem habuimus eundi aliquò: ita, dum operamur, actiones nos produnt.

Dū operamur, actiones nos produnt

Ariſt. Ethic. 9

Vt enim Philoſophus ait. 9. Ethic. Quod non agentes, in potentia ſumus, hoc actus annuntiat. Nec ſolùm viam diriges, ait oraculum, ſed etiam intelliges eam: hoc eſt, cùm executioni mandaueris præcepta legis, perſpicies, rectène an ſecus egeris. Intelliges etiam quonam modo, cum à rectitudine deflexeris, redire ad viam poſſis.

4. Iure optimo in deteſtationem, & contumeliam impiorum, qui in lege Domini non meditantur ac proinde exleges vocantur, dicere poſſumus cum Regio vate, *Non ſic impij, non ſic*, ac ſi dicas, vt interpretatur Theod. illi, hoc eſt, cultores Dei, & legis, à diuinis ſermonibus irrigati, ſemper vireſcunt, tempeſtiuumque fructum ferunt: Iſti verò, à contrariis ſpiritibus oppreſſi, imitantur puluerem, qui huc & illuc à contrariis ventis fertur. Hæc ille, pro puluere, eſt in Hebr. *Moz*, id eſt, palea minutiſſima & leuiſsima, quæ facilè à vento in altum fertur, éſtque quaſi emunctio & theca grani, quiſquiliæ, gluma, acer. cui impij tanquam inutiles Eſai 17. & Matth. 3. comparantur.

Theodor.

Iuſti plantæ irriguæ comparantur, impij verò pulueri.

Iſai. 17. Matth. 3.

Commendatio legis ſcriptæ nos admonet, quanti facere debeamus legem Euangelicam.

ANNOTATIO VII.

Lex Euangelica, inſtar eſt ſolis, Moſaica, inſtar vmbræ

1. EX commendatione legis Moſaicæ, quæ imperfecta erat, tam impenſè facta Ioſue, ſatis perſpicitur, quanti Euangelicam, quæ perfectior eſt, facere oporteat. Eſt enim hæc, illi comparata inſtar ſolis, qui tenebras diſcutit; & vmbram, luce ſua remouet: Sanè ex patribus, & ex ipſis ſacris literis, aliquæ rationes reddi poſſunt, quæ eam nobis valde commendant, & quidem, ex D. Auguſt. ſumi poſſunt nonnullæ, ex lib. de ſalutaribus documentis: vna eſt, quæ commendat benignitatem erga alios. *Eſto*, inquit, *largus in eleemoſynis, memor Euangelicæ viduæ offerentis duo minuta*, Luc. 21. *& audi prophetam dicentem*, Iſai. 58. *Frange eſurienti panem tuum, & caute præuidens diſcretionem eleemoſynæ, ita, vt vtriſque & danti, ſcilicet, & accipienti ſit ſolatium.*

Auguſt. to. 4.

Lex Euangelica commendat eleemoſynam.

Luc. 21.

Iſaiæ. 58.

Euangeliũ pauperi, & danti & accipienti ſit ſolatiam

Secunda, quia inſtruit nos ad honeſtam conuerſationem: vnuſquiſque ad ædificationem, non ad deſtructionem placeat proximo ſuo, quia non omnis amicus conſiliarius eſſe poterit, dicente ſcriptura. *Amici tibi ſint multi, conſiliarius autem vnus*. Tertia quia nos excitat ad præmia vitæ beatæ: ſunt autem præcepta legis, nolentibus grauia, volentibus leuia. Quarta, quia nos Deo coniungit, cúmque poſſeſſionem noſtram efficit. *Quid poteſt*, inquit Auguſt. *eſſe in mūdo felicius, quàm, cui efficitur ſuus imperator & redemptor cenſus, & hæreditas dignatur eſſe ipſa diuinitas: Omnes enim, ex illo fructus percipimus, ſi in illo, & de illo ſemper viuimus*: Hæc Auguſt. Inſtruit nos, & erudit lex diuina: & ad omnes vitæ actiones, honeſtè ſuſcipiendas, imbuit. Si iuſtitiam quærimus, ſi prudentiam, ſi moderationem, aut fortitudinem; præcepta proculdubio optima, & exempla nobis proponit.

Amici multi, conſiliarius vnus.

Præcepta nolētibus grauia, volentibus leuia.

Cenſus eſt noſter ipſe redemptor, & hæreditas ipſa diuinitas.

Libet & alias addere rationes. Prima, ſumitur ex parte beneficij diuini, non omnibus, ſed populo vni, conceſſi, Quod conſiderans Regius vates ait. Pſalm. 147. *Qui annuntiat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua, non manifeſtauit eis.* Quid dicere poſſunt, qui non per Moſen legem acceperunt, vt illi, qui tanti faciebant legem in lapidibus ſcriptam, quod ſibi peculiariter data eſſet: ſed per IESVM Chriſtum, charitatis præcepta, cunctis gentibus in corde ſcribentem: ſepem, vocat ille hanc legem ſuæ vineæ, hoc eſt, Eccleſiæ adhibitam, Matth. 21. dicens: *& ſepem circundidit ei.* Nō lapidibus, non ferro, ſed ſepe charitatis, & amoris nos protegit ab incurſionibus luporum, Hier. 31. *Dabo*, inquit, *legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam*: certè, *non fecit taliter omni nationi*: vnde à Proph. Pſalm. 77. lex Euangelica ſuſcitatio vocatur, quia gratiam confert viuificantem: *ſuſcitauit*, inquit, *teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſraël.* Secunda, ex parte conditoris, & modi promulgandi legem. Nam Deus ipſe, quanti ea eſſet facienda, in ipſa promulgatione, apertè declarauit, Exod. 19. *Tunc*, ait Scriptura, *cæperunt audiri tonitrua, emicare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórq; buccinæ vehementius perſtrepebat: & timuit populus qui erat in caſtris*, &c. Autoritatem prætereà & honorem legi contulit, dum eam digito ſuo ſcripſit, Exod. 31. & tradidit Moſi, iuſſitque eam in arca fœderis, vt venerationi eſſet, cuſtodiri.

Pſal. 147.

Lex Euangelica, ſeps eſt vineæ Chriſti.

Matth. 21.

Hierem. 31.

Lex Euangelica dicitur ſuſcitatio.

Pſalm. 77

Exod. 19.

Exod. 31.

2. Hinc perſpicere licet, quanti lex Euangelica æſtimanda ſit cùm à Dei filio ſit promulgata Aſcendens namque in montem, & ſedens docuit, quaſi per gradus, virtutes omnes, in quibus ſita eſt beatitudo, Matth. 5. non autem à Moſe, aut propheta aliquo, quibus Deus, per Angelos, loquebatur. Quod expendens Apoſtolus ad Heb. 1. *Multifariam*, inquit, *multiſq; modis, olim loquens Deus patribus in prophetis, nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum*, &c. conſtitutum dicit legiſlatorem Chriſtum, hæredem vniuerſorum, qui titulus in Moſen non quadrat, vt intelligamus facilè remunerationem, & præmium reportaturos, qui legem Chriſti obſeruauerint. Fregiſſe dicitur Moſes tabulas legis, cùm audiuit, & vidit populum idololatriæ ſeruiētem; eáſque præ zelo, procul conieciſſe: Non, vt legem contemnens, ſed vt lapides coniiciens (lapideæ enim erant tabulæ) in peccatum, vt Greg. Niſſ. annotauit. Fortè etiam id fecit, quia manſuetiſ

Lex Euangelica filio Dei ſuit promulgata.

Matth. 5.

Hebr. 1.

Cur Moſes fregerit tabulas legis lapideas.

Greg. Nyſſ.

Preſſiones tabularum legis ſignificant Moſi oportere multum remittere, de ſeueritate.

ſeueriſſimus erat, & extremo ſupplicio dignos eſſe idololatras videbat, ſi legis ſeueritas lapidea obſeruaretur. Significauit ergo, remittendum eſſe de duritie, & ſeueritate legis, ne omnes occiderentur legis violatores. Nil tale factum legimus in lege gratiæ, quia legiſlatur noſter, Chriſtus eſt, qui legem, non in lapidibus, ſed in cordibus fidelium ſcripſit. Quare, violatores legis, interius reprehendens, ad peccati deteſtationem impellit, & ad cor reuocat. Pilatus dicebat. *Quod ſcripſi, ſcripſi.* ſeueritatem indicans: Chriſtus, quod ſcripſit in cordibus, ſi deleatur, iterum ſcribet, ſi te facti pœnituerit. In lege lapidea, iterata ſcriptio, non ita facilis erat, aberant quippe ſacramenta gratiæ, &c.

Chriſtus, ſi nos peccati pœnituerit, legẽ deletam, iterum ſcribet in corde.

3. Tertia, ex comparatione legis cum pupilla, & aliis rebus, quas oppidò diligimus, Prouerb. 7. *Serua*, inquit, *legem meam, quaſi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis: ſcribe illam in tabulis cordis tui.* Rem, quam chariſſimam habemus, ſicut pupillam oculi amare dicimur; id autem, cuius recordatione excitamur, in digitis geſtamus, & memoriæ, ne effluat, infigimus. Non aliter, & amare legem Dei opus eſt, & illius meminiſſe.

Prouerb. 7.

Lex in oculis & in manibus geſtari debet.

4. Quarta, ex ſalute æterna, quam legis obſeruatio, adducit; & ex damnatione, quam infert illius violatio. Tanti autem refert obſeruatio, vt ſatius fuerit violatoribus, eam nunquam didiciſſe. Nam, qui Regios obeunt magiſtratus, ſi ſtatutis non parent à Rege præſcriptis, cùm ſuorum munerum rationem reddere compelluntur, haud dubiè damnantur: abſoluuntur verò, ſi ſtatutis ſe conformarunt. Ad Rom. 2. hunc morem reſpiciens Apoſtolus ait: *Quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*, & ſubiungit: *Factores legis iuſtificabuntur.*

Rom. 2.

5. Hoc ſignificat mirabilis illa, Zachariæ 5. conſignata viſio. *Leuaui*, inquit, *oculos, & vidi, & ecce volumen volans, & dixit ad me*, ſcilicet Angelus, *quid tu vides? Et dixi, ego video volumen volans longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* &c. prodigioſa ſanè libri magnitudo, ſed quid ſignificet audiamus. *Hæc eſt*, inquit, *Angelus maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* D. Greg. Mor. 15. cap. 6. interpretatur volumen volans, eſſe legem diuinam ſiue ſcripturam ſacram. Sed quonam pacto ſacra Scriptura, aut lex, maledictio ab Angelo vocatur? Ipſe, mihi videtur, Angelus explicaſſe, dum ait. *Hæc eſt maledictio, quia omnis fur*, ſicut ibi ſcriptum eſt, *iudicabitur, & omnis iurans, ex hoc, ſimiliter iudicabitur.* Hæc Angelus, vbi vides nomen cauſæ, per Metonymiam, tribui effectui. An non recordamur ſententiam illam apud Matth. in nouiſſimo die, contra ſceleratos, ferendam. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Inuenitur ſanè in ſacra Scriptura maledictio; inuenitur, & benedictio in eodem volumine; hæc, bonis, illa, malis, pro meritis parata.

Quid ſit volumen volans apud Zachar. cap. 5.

Lex quare dicatur maledictio. Zach. 5. D. Greg. PP.

Matth. 25.

Verſ. 9.] Confortare, & eſto robuſtus: noli metuere, & noli timere, quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus, in omnibus, ad quæcunque perrexeris.

De tertia confortatione neceſſaria, vt Ioſue omnem abijciat timorem.

ANNOTATIO VIII.

1. REPETVNTVR admonitiones bis factæ, adhuc tertiò, vt nimirum Ioſue fortitudine muniatur, & robore. *Confortare*, inquit, *& eſto robuſtus*, vbi Abulenſ. confortare, ſignificat, acceptionem: & robuſtum eſſe, permanentiam. Addit Deus: *noli metuere, & noli timere* Confliges cum hoſtibus, & vinces, Licet gigantes ſe tibi opponant, aut alueus Iordanis. illi, expugnabuntur, ille aperietur: *Diuides terram filijs Iſrael*, quod Moſes morte impeditus facere non potuit. *Noli metuere.* Non te dimittam neque derelinquam. Fortè, metuere, maiorem metum ſignificat: & timere, timorem quemcunque; atque adeo ſuadet Deus omnem abiiciendum eſſe timorem, omnemque formidinem ſiue illa magna ſit, ſiue parua.

Abulenſ.

Metuere & timere differunt.

2. Depellendus autem eſt omnis timor, *quia*, inquit, *tecum eſt Dominus Deus tuus.* Nam, *ſi Deus pro nobis, quis contra nos*, Rom. 9. Adiuuabit autem te Dominus Deus tuus, ô Ioſue; in omnibus ad quæcunque perrexeris. Licet Reges, licet Gigantes, licet equitatus validiſſimi in te inſurgãt: macte animo eſto: Ne timeas, ne formides, *confortare & eſto robuſtus, quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus.* Nam, vt ille ait, Carm. 3. *Regum timendorum in proprios greges.*

Rom. 9.

Reges in ipſos, imperium eſt Iouis
Clari gigantes triumpho:
Cuncta ſupercilio mouentis.

Dauid Dei præſidium conſiderans, Pſalm. 32. Neglecto omni humano præſidio, in ſola diuina ope confidit; ſatiſque ait, diuini oculi intuitum, vt iuſtos, quos amat miſericors Dominus à malis omnibus eripiat. *Non ſaluatur*, inquit Rex, *per multam virtutem: & Gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus*, &c. Oculi autem Domini, &c. Extenuat propheta quicquid apud homines firmum, & ſtabile videtur. Apud homines Regum potentia, Gigantum robur, equorum agilitas, potentiam creditur omnem, & fortitudinem inuictam continere; adeò, vt in ſacris literis firmitas & potentia his vocabulis ſignificentur, Iob. 9. Dei magnificas enumerans virtutes, ſic ait: *Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem*, quaſi dicat, irato Deo proſternuntur, qui mundum quaſi humeris ſuſtulciunt. D. Thom. & Lyra, poſt D. Greg. agnoſcunt hic paraphraſim Angelorum, per quos Deus res inferiores gubernat; quas cum illi moueant, portare videntur: ſicut Deus, qui omnia ad agendum mouet, dicitur Hebr. 13. *Portare omnia verbo virtutis ſuæ.* Didymus atque Caiet. dæmones intelligunt, qui dicuntur rectores tenebrarum harum. Didymus, id colligit ex 70. qui habent: *Incuruati ſunt cete, qui ſub cœlo* quia animi noſtri, quaſi fluctibus, innatant: quibus non poſſent homines obſiſtere, niſi dæmones comprimerẽtur a Deo. Caiet. ex Hebr. vbi habetur. *Adiuratores fortitudinis:* dæmones intelligit, quorum ſtudium eſt, adiurate confidentes in proprijs viribus & ſua potentia inſoleſcentes. Philippus, atque Beda, viros ſanctos interpretãtur, quorum humilis oratio, irato Deo obiicitur ne ob malorum ſcelera, orbem perdat: ideóque portare orbem dicuntur. Propterea, putant iidem doctores, templum dici fortitudinem,

Non eſt fidendum ſpei in præſidijs humanis. Explicatur verſus Pſalm. 32.

Regum potentia & gigantum robur, quam vim habeant.

Iob 9.

Angeli dicuntur portare orbem

D. Thom. Lyra. Greg. P.

Hebr. 13.

Didymus. Caietanus.

70 Interpr.

Dæmones à quibuſdam dicuntur portare orbem & adiuratores fortitudinis.

Philippus. Beda.

Sancti portare orbem quo ſenſu dicantur.

A Dan. 8. quod domus orationis ſit; ſic enim ait: *Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur.* Alij, exponunt, quoſcunque fortes; quos 70. nomine ectorum, videntur intelligere illis verbis: *Incuruati ſunt cetè, qui ſub cælo:* vbi Olympiodorus, cete, dixiſſe, vt omnia indicaret, quæcunque inuicto robore videntur pollere exiſtimat. Rab. Abraham hac periphraſi, deſcribi Reges putauit, qui, ob gubernationem regni, videntur mundum ſuſtinere. Hoc. illa corona pinnis muralibus ornata, indicat. Capiti namque principum impoſita, ciuitates ſuſtineri & fulciri à Regibus demonſtrat. Idem ſentit D. Gregorius ſpectata voce græca, βασιλεύς, quæ Regem ſignificat, quaſi baſim populi & fundamentum orbis. Hebr. רהב. *Rahab*, cuius radix ſuperbiam ſignificat, quaſi portare orbem, ſit portare ſuperbiam.

Olympiodorus.
Reges, quare dicuntur cete.
Corona Regum indicat potentiam.
D. Gregorius.
Superbia cum potentia.

3. Eandem periphraſim, alij gigantibus, qui veluti Atlantes dicuntur ſuſtētare cœli globum, accommodant. Nos vtriſque accommodemus, vt innoteſcat, & Reges, & gigantes, Deo accuruari, & genu, capútque inflectere. Cum gigantibus, coniuncta eſt equi mentio: vel, quia poſt mentionem ducis & militis, de quo agitur, vt apud Virg. 11.

Gigantes & equi ob velocitatem coniunguntur.
Virg. Aeneid. 11.

Poſt bellator equus. poſitis inſignibus, Æthon,
It lachrymans, &c.

Vel, quia ſimilis eſt equi, & gigantis velocitas. Vnde, curſus ſolis nimia celeritas, quæ equo potuit, giganti comparatur à Regio vate. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Et Iob. 16. Dei fortitudinem & celeritatem exprimens ait, *Irruit in me quaſi gigas.* Vox Hebræa גבור. ſignificat velocitatem & agilitatem cum fortitudine copulatam & pronum in currendo affectum. Quáuis ergo Rex potens videatur, gigas robuſtus, equus velox: quid hæc ad Deum? Exod. 15. *Equum & aſcenſorem deiecit in mare.* & Iob 39 *Deus deridet equum & aſcenſorem.* & Amos 20. *Periit fuga à veloce.* Luſitanè, *Nao Oeganha por pes.* Pſal. 141. *Periit fuga à me.* Quaſi dicat, pedibus fugere nequeo: Iam equus quid confert? Prou. 21. *Equus paratur ad diem belli.* Equus ad belli pericula maiora nutritur, armatur, & ornatur. Virgil.

Curſus ſolis gigantum celeritati comparatur.
Pſal. 44.
Iob. 16.
Exod. 15.
Iob. 39.
Amos 20.
Pſalm. 141.
Prou. 21.

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Virg. Aeneid 7.
Prou 21.

Nihilominus Salomon ait, *Dominus autem ſalutem tribuit.* Licet hoſtilis equus ſimilis illi ſit, quē Iob 39. graphicè, & pluſquam poeticè depinxit, quippe qui, nec tela, nec ſtrepitus pugnantium copiarum formidet. Deus tamen deridet equum, & aſcenſorem. In Domino ſemper figenda eſt ſpes victoriæ, non in equo. *Dominus autem*, inquit Salomon, *ſalutem tribuit. Fallax equus ad ſalutem*, &c.

4. Quatuor equos vidit Ioannes Apoc. 6. ex quibus, ſoli pallido, cui inſidebat Mors (aliqui mortis nomine, Agarenorum imperium intelligunt, Ribera noſter, Traianum, ob vehementem Eccleſiæ perſecutionem illius tempore excitatā) facultas data eſt conſequendi, & interficiendi, quem vellet, in quatuor orbis terræ plagis, cæteri nequaquam. Habuerunt principes aliqui, nominatiſſimos equos; Ineſt in illis interdum imperiorum ſignificatus, vt patet in quatuor equorum quadrigis, quas Zachar. 6. vidit è medio duorum montiū æreorum erumpentes: ſic enim ait, *Leuaui oculos meos & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei: In quadriga prima, equi ruffi, in quadriga ſecunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes.* Equi ruffi imperium Perſarum, & Medorum, equi nigri imperium Chaldæorum, & Aſſyriorum, albi Græcorum, cæteri Romanorum. Hos tamen equos, poſt luſtratum, & domitum à ſe mundum incredibili celeritate, pallidus mortis equus retardauit à curſu, & ſuo ſubdidit imperio: vt intelligerent homines à Deo dari poteſtatem, vires, & potentiam. Atque ab eodem, cùm libet, comprimi. Illius namque dominio ſubdita ſunt omnia. Hunc ſi habueris fauentem, potens eris, & inuictus, ſi hoſtem, victus cades. Quid ad fugam contulit mulus, cui inſidebat Abſalon? ſuſpenſus ex arbore, 2. Reg. 18. iaculis Ioab interiit, an nocuerunt illi capilli? ſanè ſed recordamur Sanſonem raſis capillis, incurriſſe in ditionem mortis. Erat Sanſon pluſquàm gigas fortitudine. Abſalon quadrupedi veloci inſidebat, neuter tamen mortem euaſit, Iſai. 31. *Væ, qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quæ multæ ſunt: & ſuper equitibus, quia prævalidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, Dominum non exquiſierunt.* Concinit hic locus cum illo Pſal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis*, hoc eſt, confidunt. *Nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.* Quid inde? *Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt.* Græcè. *Ipſi irretiti, & illaqueati ſunt.* Hebr. *Incuruati ſunt. Nos autem*

Apoc 6.
Traiani tempore vehemens perſecutio.
Quatuor equi apud Zachariā, imperia ſignificant.
Zachar. 6.
Pallidus equus cæterorum retardat curſum.
2. Reg. 18.
Nec Abſalonem equus, nec fortitudo Sanſonem a morte eruerunt.
Iſai 31.
Pſal. 19.

B
C *ſurreximus, & erecti ſumus.* Quaſi dicat, Etſi deiecti videbamur, & humi ſtrati: Dei tamē, cui confidimus, nos virtus & potentia, ad victoriam excitauit.

5. Pſal. 146. idem propheta, eandem repetens ſententiam non eſſe Deo gratam, ait velocitatem aut robur equi, *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.* Licèt dux approperet, ſtrepitu armorum ſuperbus, & clangore tubarum formidabilis, nihil ad Deum. *Neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.* D. Auguſtinus hunc locum interpretatus eſt, de illis, qui ſublimem obtinent dignitatis ſedem. *Non ſe extollant homines*, inquit, *in ſuis dignitatibus, non ſe ſublimes putent honoribus, caueant ne ab equo indomito præcipitentur.* Illa erat maior omnium dignitas, qua permittebatur aliquis olim in equum Regis conſcendere: quam ſortitus eſt Heſter, 6. Mardochæus, præcone, iuſſu Aſſueri, clamante, *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare:* Sed præcipitari, ait Diuus Auguſtinus ex ſublimi hoc dignitatis equo, aſcenſores. Quid ergo gratum erit Deo? Profectò, inſtitutum viri, qui oraculum audit, *Confortare, & eſto robuſtus, noli metuere & noli timere, quia tecū eſt Dominus Deus tuus, in omnibus ad quæcunque perrexeris*, &c. Inter ſpem & metum ſecurus eſt iuſtus, Dei offenſionem, timore perculſus deffugiens, & præmia boni operis ſperans. Vt enim Propheta canit: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.*

Pſal. 146.
D. Auguſt.
Equum Aug. interpretatur, dignitatis ſedem.
Heſter 6.

D
E

LIBRI IOSVE

CAPITIS PRIMI

SECTIO VII.

*Verſ.*10.] Præcepitque Ioſue principibus populi, dicēs, Tranſite, &c.

11. Ac dicite, Præparate vobis cibaria, quoniam poſt tertium diem tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram, &c.

12. Rubenitis quoque, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait, Mementote ſermonis, &c.

14. Vxores veſtræ, & filij, ac iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moſes trans Iordanẽ: vos autem tranſite armati, &c.

15. Donec det Dominus requiem fratribus veſtris ſicut & vobis dedit, &c.

Et ſic reuertimini in terram poſſeſſionis veſtræ, &c.

Verſiones aliæ.

Hebr. 10. Et præcepit Ioſue præfectis populi, dicendo: Tranſite, &c. Ac dicendo, Parate vobis annonam, quia in fine trium dierum vos tranſitis Iarden hunc, vt ingrediamini ad poſſidendá terram, &c. *Cætera non diſcrepant.*

Alter. 10. Pro, *Parate vobis cibaria, &c.*

11. Parate vobis viaticum: adhuc enim intra tres dies traiicietis Iordanem hũc, vt veniatis in terram eam, quam occupetis.

13. Pro, *Mementote ſermonis, &c.* Meminiſſe oportet verbi, quod præcepit vobis Moſes.

14. Pro, *Vxores veſtræ, & filij, &c.* Vxores veſtræ, pubes veſtra, & pecora veſtra manebunt in terra, &c. Quicumque viri ſunt fortes tranſibitis in primipilari ordine ante fratres veſtros, &c.

70. *Interp.*] 10. Et præcepit Ioſue ſcribis populi dicens, Eſtote parati in cibariis, &c. Pro, *Vos autem, &c.* Vos autem tranſibitis accincti priores fratribus veſtris omnis fortis, & auxiliamini eis, &c.

Explicatur contextus.

1. HINC initium ſumit altera pars huius capitis. In qua primùm præcipitur vniuerſo populo, ad tranſitum Iordanis poſt tres dies futurum, neceſſaria præparatio. Deinde agitur peculiariter cum duabus & ſemis tribubus, quæ iam poſſeſſiones habebant ſibi vltra Iordanem à Moſe aſſignatas; vt qui ætatem habẽt militarem, relictis vxoribus, & omni impedimento; comitentur reliquas tribus, & propugnent, ad antiquas ſedes parta victoria, reuerſuri.

2. Hic libet magnifacere Ioſue promptitudinem in exequendis diuinis mandatis. Vt enim aduertunt Caiet. & Abulenſ. eodem die, quo ab oraculo dictum eſt. *Surge & tranſi Iordanem iſtum:* ſurrexit Ioſue, & præcepit præfectis populi, vt denuntiarent in caſtris præparationem ad tranſeundum Iordanem.

Promptitudo Ioſue in exequendis diuinis mãdatis.
Caiet.
Abulenſis.

B *Præparate vobis cibaria.* Pagninus vertit, *annonam*, Vatablus, *viaticum.* Idem tamen ſenſus eſt: cibus enim præparandus, & annona erat: quia hoc nomine, non ſolùm fruges comprehenduntur, verùm etiam omnia, quæ annus ſuppeditat, ad alimoniam noſtrã. Vnde lactis annona apud Columel. lib. 9. & macelli cariorem fore, & veneni apud Iuuenal. qui ait,

Annona quid.
Columel.
Iuuenal.

His opibus, numquam cara eſt annona veneni.

3. Viaticum verò, cibus eſt, aut pecunia, quam iter facientes nobiſcum circumferimus: à Græcis, ἐφόδια, ἐπισίτια τά. Plautus in capt. *Sequere me, viaticum, vt dem à trapezita tibi.* Viatica cœna, quæ datur diſceſſuro. Plautus in Bacch. *Ego ſorori meæ, cœnam hodie dare volo viaticam.* Apud eundem, viaticari eſt viaticum parare, aut ſumere. Inuenies & viaticulum, apud Apuleium de Aſino aureo lib. 7. *viaticulum*, inquit, *mihi corraſi.* Cibaria autem, quo vocabulo noſter interpres vſus eſt, alimenta ſunt, non ſolùm hominum, ſed etiam quorumuis animalium. Cicero pro Sexto Roſcio. *Anſeribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in capitolio, vt ſignificent, ſi fures venerint.* Aduertit Caiet. non eſſe hic ſermonem de pane, quoniam ex manna adhuc quotidie è cœlo depluente, panem conficiebant; ſed de reliquis alimentis vltra manna, ſibi, & iumentis fortaſſe neceſſariis.

Viaticum quid
Plautus in Captiuis.
Apul.
Cibaria.
Cicero.
Caiet.

4. Quoniam poſt diem tertium traſſibitis Iordanem, hoc eſt, vt ex Hebr. vertit Pagn. quia *in fine triũ dierum*, &c. vel, vt vertit Vatab. *Adhuc enim intra tres dies traiicietis Iordanem hunc*, &c. Addit Caiet. ex Hebr. pro, *ad poſſidendam terram* &c. *vt intretis ad hæreditandũ eam.* Hinc duo elicit Caietanus: Primum eſt, huius mandati promulgationem factam eſſe ſeptimo die menſis primi. Tranſierunt enim Hebræi Iordanem decima die menſis, ita ſcilicet, vt decimus menſis primi dies, ſumpto principio à die ſeptimo, terminus fuerit extrinſecus trium dierum. Secundum, matutinis horis diei ſeptimi prædicti menſis, factam fuiſſe promulgationem hanc præcedente reuelatione diuina, quam ſecutus eſt Ioſue, ſub auroram, cœlo adhuc albente. Aliter non fluxiſſent tres dies integri, ab hac denuntiatione, vſque ad tranſitum Iordanis: quos tamen interfici neceſſe eſt, iuxta Hebraicam veritatem quam ita recitat latinè Caietanus. *Quia in adhuc tres dies ſunt, & vos eritis tranſeuntes Iordanem.* Diſce ex Ioſue. Deo ſine dilatione obedire, & diuina exequi mandata. Meruit, vt ad finem capitis videbimus, audiri & obediri ab omnibus, in re maximè difficili. qui Deo audiens fuit, illiúſque mandatum, dictum ac factum reddidit.

Pagninus.
Vatabl.
Caiet.
Reuelatio facta fuit Ioſue matutinis horis ante ortum Solis.
Ioſue non diſtulit diuini mandati executionem.

Rubenitis quoque, & Gaditis, &c. Mementote, &c.] Dumtaxat meminiſſe oportet, ex lib. Num. cap.

 32. Rube-

Num. 32.

32. Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manaſſe, adhuc viuente & ſpirante Moſe, habitationes ſuas fuiſſe ſortitas. Quare cùm in diuerſis habitarent oppidis, opus fuit, eos per tabellarios euocari à Ioſue, vt illis conditionem, qua in poſſeſſionem terræ, quam obtinebant, ingreſſi ſunt, aperiret, & quaſi tabellis obſignatis ageret, ſi fortè repugnare vellent. Pactum, quod cum prædictis duabus tribubus & semi initũ fuit à Moſe, proponit Ioſue, & in pauca confert.

Verſ. 10. Præcepítque Ioſue principibus populi dicens, Tranſite per medium caſtrorum & imperate populo: ac dicite, Præparate vobis cibaria, &c.

B

Quinam dicantur principes populi, qui annuntiaturi erant præparationem ad tranſitum Iordanis, intra triduum indictam.

ANNOTATIO I.

AD eruditionem pertinet, vt explicemus, quinam ſint principes populi, quibus Ioſue præcepit, vt populo annuntiarent, per tribus & familias, quid poſt triduum agendum eſſet, vt parati ſine cunctatione ad terram promiſſam adirent. Quadripartita ergo poteſt eſſe huius vocis vſurpatio. Prima erit, ſi nomine principum iudices intelligamus, à Moſe conſilium Iethro ſoceri ſui, ſequente præpoſitos populo, ad dirimendas lites, appellabanturq. decani, quinquagenarij, centuriones, & tribuni, vt patet Exod. cap. 18. Secunda eſt, qua proceres & prudentes viri qui ad res maioris momenti decernendas adhibentũt in conſilium, principes dici conſueuerunt. Vnde Num. 16. *Alij quoque filij Iſrael ducenti quinquaginta viri proceres ſynagogæ, qui tempore conſilij per nomina vocabantur.* Tertia eſt, qua principes populi ſunt & dicuntur, qui vnicuique tribui præſunt: ſingulæ namque tribus principem ſuum agnoſcebant; illum videlicet, qui per lineam primogenitorum, præcipuus erat, & ab eo qui caput fuit tribus legitimam trahebat ſucceſſionem, cæteris ob eam cauſam, prærogatiua honoris antelatus, vt patet ex Num. cap. 1. vbi fit mentio duodecim principum duodecim tribuũ, qui cum Moſe, viros bellatores, qui ibi numerantur, ſcripſerunt, & nominarunt. Hi in dedicatione tabernaculi duodecim diebus, quilibet, die ſuo munera obtulerunt: vbi ſcriptura prætermiſſis inferioris notæ hominibus, qui horum imperium ſequebantur, etſi munera offerrent, principum tantum meminit: quæ illuſtrior erat, tribuum pars.

Principes populi duobus modis apud Hebræos. Iudices, proceres, & tribuum capita.

Exod. 18.

Num 16.

Vnaquæque tribus principem ſuum habebat cæteris contribulibus antelatum.

Num. 1.

E

2. Tandem, vt Abulenſis annotauit quæſt. 30. in cap. 1. Ioſue, quatuor peculiariter vexilliferi, principes populi vocabantur. In ſolitudine namque, quadrata figura caſtrametabantur Hebræi; Tres autem tribus vni vexillo parebant: tabernaculum in media erat caſtrorum parte. Suum in quadro hoc, habebat vexillũ Iudas cum duabus aliis tribubus Sub vexillis Ruben, Ephraim

Abulenſis.
Quatuor vexilliferi erant in exercitu Hebræorum.

Exercitus Hebræorum in ſolitudine metatio

A & Dan, hoc eſt, ſub tribus vexillis, binæ ſingulis aſcriptæ erant tribus, ſingulis vexillis, ſua erãt inſignia. In vexillo Iudæ, erat leo. *Catulus leonis Iuda.* In vexillo Ruben, aqua vndulatæ: *Ruben ſicut aqua effuſus es.* In vexillo Ephraim, pharetra & ſagittæ: *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum.* In vexillo Dan, draco: *Dan, coluber tortuoſus, ceraſtes in via.* De ſignis & vexillis Hebræorum agitur, Num. 2. vbi præcipit Deus per gyrum tabernaculi fieri caſtrametationem, de qua ita Rabanus: *Erant Iudas, Iſſachar & Zabulon ad Orientem. Ruben, Simeon, & Gad ad meridiem; Ephraim, Beniamin, & Manaſſes ad Occidentem: Dan, Aſer, & Neptalim ad Aquilonem. Tabernaculum*
B *verò Eccleſiam vtriuſque teſtamenti ſignificat. Principes autem iuxta tabernaculum caſtrametãtes, patriarchas, vel Apoſtolos, quorum precibus & doctrina, munitur Eccleſia.* Hæc Raban. Signa verò, atque vexilla, erant ternis tribubus ſua. Signa in ſcutis, & veſtibus: vexilla in perticis eſſe ſolent, vt ſe milites inuicem agnoſcant, & dirigant. Qualia fuerint vexilla Hebræorum, ſcriptura non exprimit. Aliqui Hebræorum magiſtri dicunt, cuiuſlibet tribus vexillum ſimile fuiſſe in colore lapidi poſito in rationali, in quo ſui patriarchæ nomen erat inſculptum. Vnde conſequitur, vexillum Ruben fuiſſe rubri coloris, ſicut & lapis Sardius, in quo Ruben inciſum erat nomen Cui
C opinioni applaudit Lyranus. Mihi, quod annotaui ex Iacobi patriarchæ vaticinio, magis arridet, ſi ad præcipua vexilla oculos adiicias. Quatuor ergo inſigniores principes electi erant ex duodecim tribubus, qui cæteris excellebãt. Quare aut hos, aut ſaltem illos, qui tertio loco ſunt deſcripti, vocati ſunt à Ioſue, & ad exhortandas tribus, ad tranſeundum Iordanem, impulſi. Exhortatio autem voce præconis peragenda erat in medio caſtrorum, hoc eſt, in toto ſpatio intermedio. Præconis verò hæc vox. Omnes mandatum ducis, Ioſue audite Cibaria in tertium diem, quo tranſituri eſtis Iordanem paratote.

Gen. 49.

Vox præconis in caſtris Iqui.

D

Quinam cibi iubeantur præparari, Mannáne, an alius?

ANNOTATIO II.

1. CERTVM mihi eſt, non agi hoc loco de manna. Hoc enim conſeruari non poterat per aliquot dies; ſiquidem conſeruatum, præterquàm à ſexto in ſeptimum, hoc eſt, in ſabbathum ſcatutiebat vermibus, Exod. 16. Etſi demus conſeruari poſſe, quid opus erat, id præparari, quod è cœlo quotidie extra caſtra in terram depluebat, & ſine labore vllo præſtò erat? At di-
E cet aliquis, propterea præparari opus fuiſſe cibos alios. quia manna defecerat, poſtquàm Hebræi, terminos terræ Chanaan, ingreſſi ſunt. Id tamen falſum eſt: adhuc enim colligebant manna: quod nec poſt tranſitum quidem Iordanis, ſtatim ceſſauit ſed in die 15. menſis primi anni 41. ab egreſſu ex Ægypto, cùm trãſito Iordane, in campeſtribus Iericho fecerunt phaſe in Galgalis. Die namque 15. comederunt panes azimos, & tunc ceſſauit manna, cùm veſci cœpit populus de panibus, & polenta anni illius in terra Chanaan. Sic enim cap. 5. huius libri ſcriptum eſt; *Et fecerunt phaſe decima quarta die menſis ad veſperam in*

Manna vltra vnum diem, non conſeruabatur. Exod. 16.

Ceſſauit manna 15 die primo menſis cum cœperunt Iſraelitæ comedere de frugibus terræ.

campeſtri.

campeſtribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ die altero, azimos panes, & polentam eiuſdem anni: defecitque manna poſtquam comederunt de frugibus præſentis anni in terra Chanaan. &c.

Ex Manna fiebant ad ignem in olla elixata vulgo, ſlilhos. Num. 11.

2. Nec vero potuerunt Iſraelitæ, præparare cibaria ex manna. Licet enim manna, duobus modis edi poterat, vno ſine præparatione aliqua, altero, coctum in ollis, & in formam tortularum denſatum, vt patet Num. 11. cùm dicitur, *circuibátque populus, & colligens illud frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, faciens ex eo tortulas ſaporis oleati*, &c. Nihilominus, non potuit præcipi à Ioſue, vt in dies multos fieret præparatio, ſiue vnum, ſiue alterum modum conſideres. Nam Iudæi colligebant, pro quolibet capite & die gomor vnum, quæ menſura cuilibet ſigillatim ſatis erat. Nec plus capere fas erat, quod ſi quis in craſtinum diem, aut in dies plures ſeruare eum cibum volebat, ſtatim vermibus ſcatebat, Num. 16.

Manna non poterat præparari in multos dies.

Gomor.

Num. 16.

3. At dices, num cibi aliqui in terra Amorrhæorum erant, qui præparari poſſent in alimentum exercitus tranſituri Iordanem? Videtur bellum, cum duobus Regibus initum omnia abſumpſiſſe. Reſpondemus Amorrhæorum Reges non fuiſſe à Iudæis longa obſidione, aut bello fatigatos. Vno namque conflictu, attritus eſt Sehon, & altero, non diuturno. Og, Num. 21. & Deut. 2. & 3. Quare alimenta quæ recondita erant in domibus Amorrhæorum, qui omnino deleti fuerant. vſui eſſe poterant præparationi à Ioſue imperatæ.

Num. 21. Deut. 2 & 3. Iudæi victis Regibus Amorrhæorum, cibos eorum comederunt.

4. Nec verò periculum erat, vt manna ceſſaret, vbi Hebræi comediſſent cibos terræ Amorrhæorum. Iam enim Moabitarum & Idumæorum cibos eſitauerant, vt patet Deut. 2. vbi præcepit Deus, vt per terram Idumæorum tranſeant, & cibos pecunia emant, quod illi fecerunt ab Idumæis, & Moabitis eſcas pretio redimentes, nec, vt patet ex cap. 5. huius lib. caruerunt manna vſque ad ingreſſum terræ, quæ eſt vltra Iordanem.

Deut. 2.

Ioſ. 5.

Rogabis, quare manna defecerit, poſt tranſitum Iordanis, vbi Hebræi comederunt de fructibus terræ Chanaan, non tamen citra Iordanem, cum ibidem de fructibus regionis Amorrhæorum etiam eſitauerint. Reſpondet Abulenſ. q. 38. in Ioſue, id propterea eueniſſe, quia citra Iordanem domos ſtabiles non habebant, manna verò viatoribus, & peregrinis, tanquam certum itineris ſubſidium conceſſum fuit. At verò vltra Iordanem, non iam tanquam perigrini, & hoſpites, ſed tanquam incolæ, in proprijs ſedibus erant manſuri, vbi cùm terra culta eſſet, frequenti populo, cæleſti illo cibo, opus non erat.

Abulenſ.

Peregrinis dedit Deus manna, non incolis.

5. Alia cauſa reddi poteſt, ea nempe, quia, dum Hebræi in terra Amorrhæorum commorati ſunt nondum venerant nouæ fruges, ita, vt de eis comedere poſſent, veteribus duntaxat vtebantur, quæ tantæ multitudini ſufficere non poterant ſolidum, & certum nutrimentum. At, in terra Chanaan nouis illius anni frugibus veſci cœperunt, quinto die poſt tranſitum Iordanem, ac tunc primùm ceſſauit manna, quod patet, quia decima die menſis primi anni 41. ab exitu de Ægypto, Iordanem tranſierunt, vt patet infra cap. 4. Verùm die 15. ſequenti, quæ erat prima dies menſis azimorum, cùm veſcerentur Iudæi azimis de frugibus nouis anni illius, ceſſauit manna, vt dicitur cap. 5. Deus námque ſicut abundantiam præbet, cùm id neceſſitas poſtulat, ita ſuperfluitatem reſecat, & materiam petulantiæ coercet. Vatablus in ſcholio cap. 5. Ioſue, defectionem manna refert ad tranſgreſſionem præcepti, *Non licebat*, inquit, *Iudæis veſci frugibus nouis, antequam obtuliſſent ex ipſis primitias Domino*, &c. Videant Chriſtiani, quo ſupplicio digni erunt, ſi accumbentes menſæ, nec aliquid ex edulio Deo offerunt, qui in paupere petit eleemoſynam, nec aliquam præcatiunculam, ſanè deficiet eos, benedictio cæleſtis, ſicut & Iudæos, oblitos primitiarum, quæ Deo ex legis præſcripto erant offerendæ, defecit manna.

Ioſ. 4.

Vatab in ſch. c. 5.

Iudæis non licebat veſci nouis frugibus, ante oblatas primitias Deo.

Quia Iudæi veſci cœperunt frugibus nouis antequam ſoluerent primitias, lege mandatas ceſſauit manna.

Verſ. 11.] Præparate vobis cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem.

Quid ſignificetur, per præparationem trium dierum, ante tranſitum Iordanis?

ANNOTATIO III.

Præparatio ciborum, ſignificat præparationem nobis neceſſariam ad tranſitum huius vitæ. Gloſſa.

1. PRÆPARATIO ciborum intra dies tres, ſignificat iuxta Gloſſam inſtructionem, quæ adhiberi debet, cathecumenis adultis, ante baptiſmum: quibus cibaria ſunt ipſa fidei elementa. Tres autem dies tria ſunt tempora, vnum legis naturæ, alterum legis ſcriptæ, tertium legis gratiæ, cuius initium Chriſti fuit incarnatio. Vnde fit, vt principium tertiæ diei, baptiſmi inſtitutionem 29. annis, & 13. diebus præceſſerit. Luc. 3. *Et ipſe Ieſus erat incipiens annorum triginta.* Per baptiſmum autem eſt tranſitus tanquam per Iordanem ad terram promiſſam, in ſpe viuentium, in re verò, poſt finem vitæ præſentis, vbi primum enim anima, aut in ſacramento pœnitentiæ, aut in igne purgante, omnino fuerit ab omni culpæ labe & pœnæ debito expedita; tranſitus erit ad æternam beatitudinem quàm feliciſſimus.

Luc. 3.

Principes, qui nos hortantur ad præparationem, tranſituris ad cœlum neceſſariam, ſunt Apoſtoli Rup.

2. Per Principes autem, debuit annuntiari hæc præparatio, hoc eſt, per Apoſtolos, & illorum ſucceſſores, qui triplici fortitudinis inculcatione, qualis facta eſt Ioſue, cui dictum eſt, *confortare & eſto robuſtus*, bene animati, illud præſtant, quod Chriſtus Dominus, per ſpiritum ſanctum præſtandum dixit, Ioan. 16. *Cum*, inquit, *venerit paraclitus, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.* Confortare ergo tu, qui inſtar Principis es in populo Dei, vt arguas mundum de peccato. Confortare vt arguas de iuſtitia, confortare vt arguas de iudicio. Addit Rupertus in lib. de Trin. & operibus eius, lib. 1. in Deut. cap. 7. *Ad omnia confortare & eſto robuſtus vt nec blanditijs, nec terroribus, nec proſperis nec aduerſis conſtantia Euangelij turbetur, aut conuellatur.* Hæc ille.

Ioan. 16.

Rupert.

3. Idem cap. 8. *Principes*, inquit, *populi, ſunt ſancti Apoſtoli, de quibus Ioſue, hoc eſt filio ſuo ſaluatori noſtro, Deus Pater in Pſalm. 44. dicit. Pro patribus tuis, nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui. Porro Ioſue huius caſtra, vel populus eius, omnes electi ſunt ad vitam æternam præordinati. Principibus ergo ſaluator noſter, poſtquam ſurrexit, à mortuis, & in Galilææ*

Sicut Ioſue præcepit principibus, vt denuntiarent præparationem, ita Chriſtus IESVS Apoſtolis. Rup. Pſal. 44.

Matt. vlt. *monte, ab eis fuit adoratus, Matth. vlt. præcepit, vt per medium caſtrorum tranſirent. Data*, inquit, *eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Euntes ergò, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. *docentes eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis*, &c. *Igitur Ioſue, qui audierat dicentem ſibi Dominum, ſurge & tranſi Iordanem iſtum, ſtatim præcepit principibus populi, dicens: tranſite per medium caſtrorum, quia ſaluator noſter, qui audierat dicentem Patrem Deum, Exurge gloria mea, Exurge pſalterium, & cithara, nihilominus præcepit Apoſtolis ſuis. Luc. 9. Ite in mundum vniuerſum ite, & tranſite per medium nationum, tranſite, inquam, accincti, tranſite expeditè, nuſquam ſubſiſtentes, nunquam retrò reſpicientes, nullo vos negotio ſeculari impedientes, neque ſacculum, neque peram portantes, non æs in zonis veſtris habentes, vt omnibus exonerati, nullóque ſub onere curui, velociter ad omnes nuntium bonum perferatis. Et imperate*, inquit, *populo, ac dicite, præparate vobis cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus noſter daturus eſt vobis. Imperate inquam, vtimini imperioſa ſpiritus libertate quoniam, vbi ſpiritus Domini, ibi libertas, quæ nullius pulchritudini aduletur, nullius à trocitatem timeat. Præparate vobis cibaria prouidete fructus dignos pœnitentiæ, theſaurizate fidem, comportate ſpem, reponite vobis charitatem. Hæc enim cibaria vitæ æternæ ſunt. Poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, id eſt, ſecundùm negotium vel opus diei tertij, de morte ad vitam, de hoſte ad amicū, de diabolo tranſibitis ad Deum. Ego tertia die reſurrexi à mortuis, idcirco vos in morte mea terna merſione baptizatis, vt quomodo ego ſurrexi à mortuis, ita & vos in nouitate vitæ ambuletis.* Hæc Rupertus.

Apoſtoli, iubentur, à Chriſto à mortuis ſuſcitato, prædicare pœnitentiam.

Luc. 9.

Præparatio ad mortem qualis annuntianda.

Verſ. 11.] Poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.

An Ioſue diuinam ſecutus diſpoſitionem dixerit, Poſt diem tertium tranſibitis Iordanem?

ANNOTATIO IIII.

1. QVÆSTIO eſt inter ſacros interpretes, quomodo poſteaquàm locutus eſt Dominus ad Ioſue, exhortans, & confirmans eum ſeque promittens cum illo futurum, præceperit idem Ioſue populo per principes, quos ſcribas vocat Auguſt. q. 2. lib 2. in quæſtionibus ſuper Ioſue, vt præparent cibaria, Iordanem, poſt tertium diem tranſituris neceſſaria, cùm compertum ſit, eos poſt multò plures dies Iordanem tranſiſſe? Quod enim, ſaltem dies ſeptem, poſt hanc denuntiationem interpoſiti fuerint, quidam ita colligunt. Facta hac denuntiatione per caſtra, miſit Ioſue de manſione, quæ vocatur Sethim, aut alio nomine Belſethim, vbi Hebræi inſederant, vt patet ex cap. Num. 33. exploratores qui quatuor minimùm diebus, apud Raab Hiericonthinam meretricem, & in montanis, metu Regis, à quo ad ſupplicium quærebantur, delituerunt, vt patet ex cap. 2. Auditis dehinc exploratoribus, qui minimùm quatuor dies, functi ſui officij munere, conſumpſerant, Ioſue mouit caſtra à Sethim in Iordanem diluculo, vbi triduò manſit, vt patet ex cap. 3. Ac tandem iterum admonitus eſt populus, vt poſt triduum ſe præpararet ad tranſeundum Iordanem, arca Dei præcedente. Septem igitur dies, aut octo, & non ſolùm tres intercedunt, à die promulgati primùm tranſitus, vſque ad diem veræ traiectionis.

Auguſt. Num. 33. Ioſue. 2. & 3.

D. Auguſtinus, quem ſequitur Magiſter hiſt. ſcholaſticæ, & Lyranus, & alij, exiſtimat, non diuino conſilio, ſed ſuo duntaxat impulſum fuiſſe Ioſue ad præcipiendam tridui præparationem ac proptereà minimè mirum eſſe, ſi errauerit. *Hinc ergo*, inquit, *Auguſt.* q. 2. cit. *intelligitur, humanam fuiſſe diſpoſitionem, quam fecit populo nuntiari, vt cibaria præpararent, tanquam poſt tres dies, memoratum fluuium tranſituri. Potuit enim hoc ſicut homo ſperare fieri poſſe, ſi exploratores celeriter reuertiſſent. Quibus tardantibus, intelligitur, quamuis ſcriptura tacuerit, ex diuina diſpoſitione cætera impleta, vt iam inciperet apud populum glorificari* IESVS, *& oſtendi, quod cum illo Dominus eſſet, ſicut fuerat cum Moſe. Nam & hoc illi dicitur fluuium tranſituro ſicut ſcriptum eſt, in die iſto, incipiam exaltare te coram omnibus filijs Iſraël, vt ſciant, quoniam ſicut eram cum Moſe ita ero & tecum. Nec incredibile debet videri, etiam illos, cum quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana diſpoſitione agere voluiſſe, in qua ſibi Deum tamen fiderent eſſe rectorem, eorúmque, ex illius, à quo regebantur, prouidentia, conſilia, fuiſſe mutata. Nam etiam Moſes ipſe, tanquam homo, putauit omnes cauſas populi ſibi eſſe audiendas, ſed diſpoſitio eius, ſuggerente Ieſtro ſocero eius, diuinitus mutatur.* Hæc ferè Auguſtinus.

Auguſt. Hiſt. ſcol. Lyranus.

Ioſue humano iudicio ductus præcepit diem tranſeundo Iordani.

Diſpoſitio, ex humano iudicio à ſanctis, rebus data, à Deo interdum mutatur. Auguſt.

2. Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ, cum Auguſtino conſentit, additque duplicem confirmationem erroris Ioſue præcipientis tranſitum Iordanis poſt triduum, qui ex diſpoſitione diuina poſt ſeptem dies erat futurus. Prima eſt, quia poſt exploratorum tridui, aut quatridui morá, ad huc populus per tres dies expectauit imminutionem aquarum, & præparauit ſibi in ripa Iordanis cibaria. Secunda, quia ignorabat, vtrum poſt diem tertium nubes attolleretur, ſine cuius motu, caſtra moueri non ſolebant. Has tamen confirmationes, an veræ ſint infrà examinabimus.

Sed, cur permiſit Deus, iuxta hanc opinionem, vt Ioſue vir alioqui ſanctiſſimus, erraret. Ne deinceps, inquit Auguſtinus, ſimile aliquid, ſine diuino conſilio aggrederetur. Præſertim cum haberet ſecum ſacerdotem magnum, qui in rebus agendis poſſet Deum conſulere, & deberet. Moſi namque dixit Deus, Num. 27. *Tolle Ioſue filium Num virum in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, pro hoc, ſi quid agendum erit. Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſraël cum eo & cætera multitudo*, &c.

Errauit Ioſue non conſulens Deum per ſacerdotem. Auguſt. Ideircò autem id permiſit Deus, vt cautior eſſet. Sacerdotis conſilium magni faciendum. Num. 27.

Hanc opinionem propter D. Auguſt. autoritatem multi ſequuntur. Mihi probabilior videtur Abulenſ. ſententia q. 41. ſuper cap. 1. Ioſue, vbi multis probat non erraſſe Ioſue, nec humanam in illa præceptione ſecutum fuiſſe diſpoſitionem. Primùm namque Ioſue propheta Domini erat, vt diximus in præfatione, & à Domino dirigebatur. Deinde, quia Deus paulo antè locutus fuerat cum eo de tranſitu Iordanis, tranſeundi tempus, vt credibile eſt, & modum aperiens. Tertiò,

Non erraſſe Ioſue Abulenſ. putat.

dixerat

dixerat illi Deus. *Non te deſeram, neque derelinquam.* A Non ergo debuit illum deſerere, vt turpi laberetur errore, & pudendo inquinaretur mendacio, maximè in principio adminiſtrationis demandati ſibi imperij, ne mendax haberetur, & à Deo in re graui deſtitutus.

3. Cùm igitur multa ſuadeant, Dei cõſilio vſum fuiſſe Ioſue, & nulla neceſſitas cogat nos, vt aſſeramus, aliquid ab eo falſi fuiſſe prænuntiatum, indecens erit, tantum & tam inſignem Dei ſeruum notà alicuius vitij inquinare. Quare dicendum eſt, cum Abulenſi, promulgationem huius mandati veram fuiſſe, quod etiam D. Auguſtinus ſenſit, dicens, verba Ioſue vera fuiſſe, non pro prima vice, ſed pro ſecunda, nolens ſcilicet mendacij notam viro ſanctiſſimo inurere. Quomodo autem vera fuit, Quia hoc edictum, per anticipationem hìc poſitum eſt, more ſcripturæ, in quà id paſſim animaduertimus fieri. B Et ne longiùs petantur exempla, in hoc ipſo libro cap. 10. 11. 14. & 15. multa commemorantur tranſacta in vrbium expugnatione, & gigantum extinctione, quæ conſtat accidiſſe poſt Ioſue mortem. Atque hoc loco, ſi rectam rei geſtæ ſeriem ſequamur, Priùs Ioſue miſit exploratores, tranſiturus Iordanem, Deo ita iubente, & admonente, Deinde expectans illorum aduentum, quia neſciebat, quid moræ aut nuntij eſſent allaturi, cum populo conſtitit in caſtris. Illis verò felicia, poſt reditum, prædicantibus, iuſſit C præparari cibaria ad tranſeundum, poſt tres dies Iordanem, quod ita factum eſt.

Abulenſ. non abſimilis D. Auguſtinus.

Scriptura ſolet per anticipationem quædam narrare.

4. Receſſit ergò ſcriptura ab ordine naturali quo hæc contigerunt vt ſcribendi ratio iucundior ſit, pluſquàm videatur habere artificij, quo lectores plerunque delectantur. Ordo autem naturæ rei geſtæ, poſcebat, vt poſtquam Deus locutus eſt Ioſue de tranſitu Iordanis, mitterentur ſtatim exploratores, idque inſereretur, quod cap. 2. continetur, ac tandem iuberetur populus, trium dierum præparare cibaria.

Non diſplicet Abulenſ. q. 44. cuius, hæc eſt, ſolutio ad tertium motiuũ hiſtoriæ ſcholaſticæ, D vbi ad finem ait, literæ conſentaneam eſſe, eam interpretationem, quæ docet duas fuiſſe in caſtris factas prænuntiationes, & tamen ſolos tres dies interceſſiſſe. Ita ſcilicet, vt poſt reditum exploratorum, antequàm mouerentur caſtra fuerit annuntiatum. Præparate cibaria, quia poſt triduum tranſibitis Iordanem: facta autem hac annuntiatione, protinus mota ſint, vt ad Iordanem metata, vſque ad diem tertium manerent. Hæc autem annuntiatio, hic ponitur, licèt per anticipationem, vt dictum eſt. Die verò tertio, præcones iterum iuſſi ſunt, per medium caſtrorum tranſituris ſtatim Iordanem, dicentes. *Quando videritis Arcam Domini*, &c. Poſt diem tertium, E qui hodie finitur, tranſibitis Iordanem. Porrò ſiue hunc interpretandi modum, qui Abulenſi valde probatur admittas, ſiue præcedentem, aut alium quemcunque, nulla eſt promulgatio tranſitus Iordanis ponenda ante exploratorum reditum. Quare, non eſt cur dicamus, Ioſue non diuinam, ſed humanam ſecutum fuiſſe diſpoſitionem, ſiquidem tunc promulgauit tranſeundis amnem edictum, quando didicit, ex diuino oraculo, promulgandum.

Abulen. q. 44.

Promulgatio tranſitus Iordanis facta eſt. poſt reditum exploratorum.

Verſ. 12.] Poſt diem tertium, &c.

Verúmne ſit, quod ait hiſtoria ſcholaſtica expectaſſe tres dies Hebræos, vt diminuerentur aquæ Iordanis, & vt moueretur nubes?

ANNOTATIO V.

1. Falsvm omnino eſt, quod hiſtoria ſcholaſtica aſſerit, nimirum tres dies expectaſſe Hebræos diminutionem aquarum Iordanis. Primùm, quia ea moræ ratio, non redditur ab ſcriptura. Deinde, quia ſi id verum eſſet, quid miraculi patratum fuiſſet, ſi vado tranſiri potuit Iordanis? Nec verò illa verba cap. 3. *Iordanis autem tempore meſſis, ripas alueì ſui impleuerat*, &c. Aliud ſignificant, quàm magnitudinem miraculi. Eò enim tempore tranſierunt Hebræi Iordané, quo non poterat vado ſuperari, vt plerunque & ferè toto anno ſuperabatur, vt patet ex lib. Iudicum cap. 3. 8. 12. Expectauit autem Deus, hanc opportunitatem, vt miraculum, quo apud Reges Chanaan, volebat illuſtrem reddere Ioſue, ſui populi ducem, mundo innoteſceret. Cauſa, ob quam ripæ Iordanis, tempore meſſis, vadis omnibus ſublatis, fluctibus exundabant, eſt reſolutio niuium, quæ cùm toto ferè anno obtineant mõtem Libanum, tempore meſſis liqueſcunt, & Iordanem, qui ad radices Libani oritur, ad paucos quidem dies, ſed magno incremento, ſubitò reſtagnare faciunt. De reſolutione niuium, quæ vbique fit, vere appetente, ita Virg. 1. Georg.

Magiſter hiſtor. ſcholaſt.

Ioſ. 3.

Iudic. 3. 8. 12.

Expectauit Deus incrementum Iordanis, vt conſtaret miraculum.

Virg. Geor. 1.

> *Vere nouo, gelidus canis cum montibus humor*
> *Liquitur, & zephyro putris ſe gleba reſoluit.*

2. Dum ergo cap. 3. infrà, ſacra hiſtoria ait, *Iordanis, ripas alueì ſui, tempore meſſis impleuerat*, apertè ſignificat, innotuiſſe miraculum, ex hac reſtagnationis circunſtantia. Hac enim ſublata; quid opus erat miraculo? An non tranſierant Iordanem exploratores paulò antè ſine miraculo? Vada enim erant paſſim in illo fluuio, Iudæis, & aduenis non ignota. Ea tamen, in reſolutione niuium, aquis ſuperfuſis occultabantur. Tempore igitur, in quo locus traiectioni non erat, Deus Iordanis refugas aquas compulit, in caput, ſtupente ad miraculum natura. Quod duabus de cauſis diuina prouidentia factum eſt. Prior; ad declarationem potentiæ, & gloriæ magni Dei, refertur. Sicut enim diuiſio maris rubri, illuſtrem diuinæ gloriæ prædicationem apud gentes auxit; ita & diuiſio aluei Iordanis. An, non confeſſa Deum eſt Rahab, infrà cap. 2. cæli terræque moderatorem, quia diuiſerat aquas maris? Quid Chananæi attoniti, famam diuiſionis maris rubri, procul à ſe diſtantis, dicerent audientes, aut etiam videntes diuiſum Iordanem? Poſterior ad dignitatẽ, & nominis ſplendorem ducis Ioſue, quem paulò ante, populo ſuo præfecerat. Decebat námque, &, vt Chananæi eum, tanquam miraculorum patratorem formidarent; & Iudæi tanquam Deo charum, & Moſi ſimilem reputarent, ne in aduerſis ſuccumberent; imò diuinum auxilium, ſub duce familiariter cũ Deo agente, & difficultates, vel miraculis expediente, ſemper ſperarent.

Diuiſio Iordanis facta eſt, quo tempore ille ſolùm erat auctior.

Dei gloria agnoſcitur in diuiſione Iordanis

Ioſ. 2.

Chananæi formidabant Ioſue, vt hominem Deo charum.

Nouos magiſtratus Deus ſignis conſpicuos reddit.

3. Accedit, ſolenne eſſe Deo, nouos magiſtratus, vt à populo magni fiant, ſignis. & prodigiis conſpicuos reddere. Vnde cùm Moſen præpoſuit Hebræis, ducémque renuntiauit, vt omnes illum venerarentur; coram multitudine filiorum Iſrael cum illo loqui voluit, & miracula facere, quę ipſe poſtea, tanquam Dei interpres, nuntiáret, Exod. 19. ait enim Dominus: *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum*. &c. Nouus ergo dux Ioſue, prædictione mirabilis tranſitus Iordanis decorari debuit; ſiquidem illi dictum eſt, *ſicut fui cum Moſe, ita ero tecum.* Hinc infrà cap. 3. Dixit Dominus ad Ioſue: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael, vt ſciant, quod ſicut cum Moſe fui, ita & tecum ſim.*

Exod. 19. *Ioſue miraculo decoratur in exordio ſui principatus.*

Ioſ. 3.

A

B

Iudæorum fides ſignis fulcitur.

1. Cor. 1.

4. Indigebant prætereà Iudæi, quia timidi erãt, & increduli ſignis, vt ne fides eorum, & ſpes fracta rebus aduerſis, quæ erant occurſuræ in terra Chanaan, debilitaretur, 1. Corinth. 1. *Iudæi ſigna petunt, Græci autem ſapientiam quærunt.* Viuẽte Moſe eorũ fides crebris ſtetit fulta miraculis; quare, ſub nouo duce oportuit, vt ſignis etiam aleretur. Quod perſpiciens Ioſue infrà cap. 3. dixit ad filios Iſrael. *Accedite huc, & audite verbum Domini Dei veſtri. In hoc*, inquam, *ſcietis, quod Dominus Deus viuens, in medio veſtri ſit, & diſperdet in conſpectu veſtro gentes, quas promiſit eijcere*, &c. quaſi dicat. Quãdo videritis nouum prodigium factum ad ingreſſum veſtrum in terram hoſtilem, intelligetis Deũ vobis adeſſe.

Ioſ. 3.

C

Hiſt. ſchol.

Falſum etiam eſt, quod adducit hiſtoria ſcholaſtica ad probandum, erraſſe Ioſue in prædictione rei, quam ignorabat. Putat námque erraſſe Ioſue, quia neſciebat, an nubis columna, quæ præibat exercitum, die tertio moueri deberet. Primùm enim non conſtat habuiſſe Ioſue huiuſmodi ignorationem. Deinde, probabile eſt cognouiſſe eum, cùm à Deo de tranſitu admirabili admonitus eſt, omnes ad huiuſmodi tranſitum neceſſarias circunſtantias, quarum vna erat motus nubis, ſi ad traiectionem, & motum caſtrorum, id opus eſſet. Quod addiderim, quia, vt bene annotauit Abulenſ. q. 52. in cap. 1. Ioſue, poſt mortem Moſis, nunquam columna nubis, præiuit caſtra. Nubes enim quandiu populus errauit in ſolitudine pergens in terram Chanaan, index erat diuinæ voluntatis; illa ſtante, populus ſtabat; illa mota, mouebatur, vt patet Exod. 40. & Num. 9. At, poſtquam ventum eſt ad terram Chanaan, non erat cur nubes amplius caſtra dirigeret. Diuidendi namque erant Hebræi, & alij quidem interdũ ituri ad bellum; alij in caſtris manſuri. Nec omnes iter ſimul facturi erant. Confirmat hanc ſententiam, ea coniectura Abulenſ. quia, cùm tranſituri erant Hebræi Iordanem, & caſtra, primùm moturi ad terram promiſſam cœperunt, Ioſue iuſſu Arcam habere ductricem. Vnde cap. 3. dicitur; *Cùm videritis Arcam Dei veſtri, & ſacerdotes portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſequimini.* &c.

D

Poſt mortem Moſis columna nubis, non dirigebat caſtra. Abulenſ.

Exod. 40. Num. 9.

E

Verſ. 13. Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moſes famulus Domini.

De fœdere inito à Moſe, cum Ruben, Gad, & dimidia tribu Manaſſe.

ANNOTATIO VI.

1. MOSES, victis duobus Amorrhæorum Regibus, duabus & ſemis tribubus, terram trans Iordanem bello captam partitus eſt. Reliquis verò tribubus, nõ Moſes, ſed Ioſue. terram Chanaan, à Deo toties promiſſam, diſtribuit. Pactum tamen initum fuit cum duabus illis, & ſemis tribubus, quæ trans Iordanem acceperant poſſeſſiones, vt relictis mulieribus, & infantibus ipſi armis inſtructi Iordanem cum fratribus ſuis traiiciant; tandiu ibi pugnaturi, quandiu opus erit eorum auxilio ad obtinendam hæreditatem promiſſam Ioſue igitur reuocat in memoriam Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe hoc fœdus, depoſcitque pacti fidem. *Mementote*, inquit, *ſermonis, quem præcepit vobis Moſes famulus Domini dicens. Dominus Deus veſter, dedit vobis requiem, & omnem terram*, &c. Alloquitur autem has tribus præcipuè, quia pactũ fecerant cum reliquis, accepta ſorte ante Iordanis tranſitum, iuuandi fratres ſuos quouſque ab hoſtibus vendicarent agros, quos poſſeſſuri erant. Quod ſi non iuuiſſent, terram, quam receperant perderent, vt patet Num. 32. Num. 32.

2. Quæris, cur tribus Manaſſe non manſit integra, ſicut cæteræ, trans Iordanem? Dico, non id eueniſſe, quia maior eſſet cæteris. Conſtat enim, ex enumeratione facta militum à 20. annis, vſque ad 60. cap. 1. Num. minimam fuiſſe omnium. In Num. 1. ea enim ſolùm recenſiti ſunt ducenti viri bellatores ſupra 32. millia, cùm numerum hunc multum reliquæ exceſſerint. Sed quia oportuit agros & prædia, quæ paſcua ſufficere poterant pluribus cultoribus, non ſolum Rubenitis & Gaditis, ſed etiam aliis concedere. Dimidia autem tribus Manaſſe, pecora habebat, & paſtionem expetiuit, alijs fortè tribubus non ita neceſſariam.

Ob paſtionem dimidia tribus manſit trans Iordanem.

3. Rogabis, qui fieri potuit, vt mulieres, pueri, infantes, & ſexagenarij: imo & pecora, abeuntibus, cum nouem & dimidia tribu, bellatoribus, in tuto eſſent? Reſpondet Abulenſ. q. 66. terram illam relictam fuiſſe diuinæ protectioni, quanuis Ammonitarum, & Moabitarum arma, è vicino circumſonarent. Ait, námque Regius vates, Pſal. 90. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Hebr. *Sedens in latibulo Excelſi, in vmbra omnipotentis pernoctabit*. id eſt, manẽs, quiéſcens. Chald. *Qui collocat manſionem ſuam in ſecreto altiſſimi, in vmbra nubium gloriæ Dei commorabitur*, &c. Commorabitur, id eſt, pernoctabit; illic permanebit tota nocte, tanquam in hoſpitio, illic dormiet ſecurè. Et in Pſalm. qui incipit: *Dominus illuminatio mea*, &c. ait propheta, *Abſcondit me, in abſcondito tabernaculi ſui: in die malorum protexit me.* Spes enim Iudæis erat, fore, vt Deus deſtitutam præſidio militum, terram ab hoſtium liberaret incurſibus iuxta illud Exod. 15. *Dominus quaſi vir bellator, omnipotens nomen eius.* Et quidẽ Deus Exod. 34. promiſerat, ſe defenſurum terras Hebræorum ab hoſtibus, cùm illi ex præſcripto; ter in anno aſcenderent in ſanctuarium, ſic enim ait. *Cùm autem tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & comparente in conſpectu Domini Dei tui, ter in anno.* Facilè autem erat Deo; vel, incutere vicinis hoſtibus timorem, ne inſurgerent in nouos incolas, & inermes: vel, cogitationem pugnandi aliò auertere: vtrius namque rei exempla ſuppetunt. Nam, cum per dolum filij Iacob occidiſſent Sichimitas, tertio die

Pueri, & mulieres hoſtibus circundata, à Deo proteguntur. Abulenſ.

Pſalm. 90.

Pſal. 26.

Exod. 15.

Exod. 34.

Deus, vt ſeruemus pacta & præcepta, aſſumus terram noſtrarum defenſiorem.

Exempla diuinæ protectionis.

tio die circunciſionis, in quo in lecto fere iacentes, incredibili dolore cruciabantur. Gen. 34. Cōgregati ſunt incolæ illius terræ, vt delerent Iacob, & domum illius. Deus tamen formidinem iniecit eorum animis, ne Iacob, & filiis eius abeuntibus, mali aliquid inferrent, Gen. 35. Quod autem Deus, vt ſuos protegat, auertere aliorſum ſoleat illorum pugnandi cupiditatem, in Rege Sennacherib moliente Hieruſolymam ferro & igne complanare, exemplum habes. Non enim aſcendit contra Hieruſalem, quod maximè optabat, ſed aliò auertit cogitationem: vbi audiuit certis nuntiis, Regem Æthiopiæ in ſe armatum inſurrexiſſe. Vnde 4. Reg. 19. *Hæc dicit Dominus: Noli metuere à facie ſermonum, quos audiſti: quibus blaſphemauerunt pueri Regis Aſſyriorum me. Ecce ego mittam ei ſpiritum*, id eſt, internum impulſum, quo velit recedere, *& audiet nuntium, & reuertetur in terram ſuam, & deijciam eum gladio in terra ſua*, &c. Deinde, ait ſacra hiſtoria, veniſſe nuntios ad Sennacherib, Tharthā Regem Æthiopem exiſſe contra eum in pugnam: quo ille rumore perculſus, relicta Hieruſalem in patriam eſt reuerſus.

Gen. 34.
Gen. 35.
4. Reg. 19.

A

B

4. Non dubitant Rubenitæ, Gaditæ, & viri dimidiæ tribus, fore, vt Deus, dum tranſirent, ex pacto, Iordanem, vno, vel altero ex prædictis modis, vxores, filios, & pecora, quandiu abeſſent cuſtodiret. Mihi tamen probabilius eſt relictos fuiſſe viros armis inſtructos, non paucos ad arcendos hoſtes. Nec enim à Deo ſpetare miracula fas eſt, cùm humanæ vires adſunt, ad noſtrarum rerum defenſionem neceſſariæ. Quare, cùm conſtet infrà cap. 4. ex duabus, & dimidia tribu, ſolùm 40. millia virorum, qui pugnare poſſent, trāſiſſe Iordanem: certúmque ſit, plures quàm 80. millia, imò pluſquàm centum millia recenſita fuiſſe, Num. 25. profectò, Ioſue prudentiſſimus imperator, elegit 40. virorum millia, qui fratres, pugnatores in regione hoſtili iuuarent. cæteris, qui plurimi erant, ad terræ, paulò antè bello partæ defenſionem, relictis. Hanc ſententiam probabiliorem exiſtimat eſſe Abulenſ. ad finem, q. 67. Nec tamen diffiteri poſſum, multùm fiduciæ in diuino fauore poſitum eſſe à viris bellatoribus, qui vxores & domos, ne defererent fœdus, quo fratribus ſuis erant aſtricti, admoniti à Ioſue, deſeruerunt. Hinc perſpicies, quomodo intelligenda ſint illa verba Ioſue: Vos autem tranſite armati ante fratres veſtros omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus veſtris, &c. Omnes fortes manu vocat eos, qui comitaturi erant nouem tribus cum dimidia. Ad hos enim refertur particula vniuerſalis, *Omnes*, & non ad omnes omnino bellatores duarum tribuum & ſemis. Multi enim manſuri erant ad terræ ſuæ defenſionem, vt diximus.

Nefas eſt poſcere à Deo miracula, cum humana opeſ ſuppetunt.
Num. 25.
Cum vires ſuppetunt humanæ miracula expetenda non ſunt.
Abulenſ.

C

D

Verſ. 14.] Vos autem, tranſite armati ante fratres veſtros, & pugnate pro eis, &c.

De myſticā ſignificatione auxilij, quod præſtiterunt duæ & ſemis tribus fratribus ſuis.

A

ANNOTATIO VII.

1. ORIGENES hom. 3. in Ioſue, ad allegoriam transfert, vt ſolet, quod hic narratur, de duabus & dimidia tribu, auxilium præſtante cæteris in terra promiſſa pugnaturis. *Conſideremus*, inquit, *quam formam teneant iſtæ duæ & ſemis tribus, quæ per Moſen terram hæreditatis accipiunt, & quam formam teneant, reliquæ nouem & ſemis tribus, quæ per* IESVM *repromiſſionem terræ ſanctæ ſuſcipiunt. Et primò, puto non fortuitò accidiſſe, vt hi, qui, per Moſen accipiunt portionem, omnes primogeniti eſſent. Ruben namque primogenitus eſt ex Lia, Gad Primogenitus ex Gelpha: & Manaſſes Primogenitus ex Aſſenech Ægyptia filia Putiſaris ſacerdotis Heliopoleos, quam accepit vxorem Ioſeph, in ijs iam tunc duorum adumbratur forma populorum. Vnius quidem, qui primogenitus per naturæ ordinem videretur, alterius, qui per fidem & gratiam benedictionem acciperet hæreditatis. Nec prius, qui per Moſen accipiunt hæreditatem, id eſt, qui per legem placuerunt Deo, requies datur, niſi adiuuent in prælijs fratres ſuos. Mulieres tantum, & infantes, accipiunt quietem per Moſen, cæteri autem non requieſcunt, ſed exeunt ad auxilium fratrum ſuorum. Vide, mihi hodie laboranti, in agone vitæ huius, & certanti aduerſus inimicos, quomodo in auxilium veniunt illi, qui ante aduentū Chriſti, in lege iuſtificati ſunt. Vide, quomodo Iſaias mihi præſtet auxilium, cùm me ſermonibus ſuæ lectionis illuminet. Vide, accinctum, & expeditum venientem Hieremiam, voluminis ſui iaculis, hoſtes acerrimos, & cordis mei tenebras effugantem. Accingitur & Daniel, ad auxilium noſtrū, cùm nos de Chriſti præſentia, ac regno, & de Antichriſti futura fraude inſtruit, & præmonet. Adeſt & Ezech. ſacramenta nobis cæleſtia, in quadriformibus rotarum circulis ſignans & rotam concludens in rota. Ducit & Oſeas biſſenas propheticis agminis turmas. Et procedunt omnes ſuccincti lumbos in veritate, quam prædicant ad auxilium fratrum ſuorum, vt eorum voluminibus inſtructi, diabolicas non ignoremus inſidias, & aſtutias.* Deinde addit. *Iſti ergo viri fortes ſunt, qui armati, & præcincti lumbos, in veritate exeunt in auxilium noſtrum, & pugnant nobiſcum. Infantes autem & mulieres non exeunt ad prælium noſtrum. Nec mirum, Infans enim dicitur, qui non loquitur*, &c. Mulieres & infantes eos interpretatur Origenes, qui nihil ſcripſerunt, aut nihil imitatione fecerunt dignum. Multum profectò debemus rerum ſcriptoribus, quorum nos libri hortantur ad virtutem. Vnde Horat Car. lib. 4.

—Neque
Si chartæ ſileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ,
Mauortiſque puer, ſi taciturnitas,
Obſtaret meritis inuida Romuli?

Deinde addit.

Dignum laude virum, Muſa vetat mori;
Cœlo Muſa beat, &c.

Sanè ſi prophetæ, rerum factarum monumenta, nobis non reliquiſſent, quid de Ioſue & alijs viris ſanctiſſimis ſciret poſteritas?

2. Ad hanc allegoriam inſeruit id, quod Gloſſ. Ord. annotauit ſic enim ait, *per Rubenitas, qui filij viſionis interpretantur, prophetæ ſignificantur, vnde, & antiquitùs prophetæ videntes appellabantur, ſicut dicitur 1. Reg. 9. 6. Qui hodie dicitur propheta, olim appellabatur, videns. Per Gaditas, qui felices interpretantur, Patriarchæ ſignificantur, ex quibus ſecundum carnem deſcendit Chriſtus, qui eſt felicitas omnium. Per dimidiam tribum Manaſſe, ſignificantur*

B

C

D

E

Qui per Moſen acceperunt portionem terræ trans Iordanem primogeniti erant.
Iuuandi ſunt fratres in laboribus
Solùm mulieres & pueri ſinuntur à Moyſe quieti ſine bellorum pon.
Iſaias.
Quid auxilii conferant Patres, & prophetæ, chriſtianis
Hieremias.
Daniel Antichriſti futuras fraudes prædocet.
Ezech.
Quadriformes rotæ.
Aperiunt nobis prophetæ diabolis inſidias & nobiſcum in veritate pugnant.
Infantes & Mulieres dicuntur ab Orig. qui nihil in vita egant imitatione dignum, neque ſcribunt.
Rubenitæ hoc eſt, filij viſionum, ſignificant prophetas.
1. Reg. 9. v. 6.
Gaditæ, id eſt felices.
Sancti veteris teſtamenti quaſi armati præcedunt chriſtianos in tranſitu vitæ

aliȷ ſanctis, veteris teſtamenti. Hæc Gloſſ. addit. *Omnes enim figuraliter tranſierunt Iordanem.* Quod dictum confirmatur ex Paulo 1. Cor. 10. *Omnes in Moſe baptizati ſunt.* Hoc eſt, vt exponit eum locum Caiet. vnum receperunt baptiſmi effectum in tranſitu maris rubri, qui eſt fides, credentes viſo eo miraculo Deo & Moſi, cui, vt dicitur ad finem cap. 14. Exodi, paulò antè non crediderant, & armati fide tranſierunt ad terram viuentium ſpe, ante ſanctos fratres ſuos noui teſtamenti. Cùm Origene aliquo modo conſentit Rupertus, dum aliquod ait, præſtari à Iudæis auxilium Chriſtianis. Sic enim in lib. de Trinitate cap. 9. ſuper Ioſue, ſcribit, *Rubenitis & Gaditis, & dimidia tribus Manaſſe hoc pacto nonnulli doctorum Iudæos eſſe ſimiles intelligi volunt, & eo quod citrà Iordanem habitare, id eſt fidem, vel baptiſmum Chriſti non ſuſcipere elegerint. Et tamen accincti, atque armati pergant ante nos, & pugnent pro nobis baiulando ſcilicet ſecum, per omnes terras, legis & prophetarum libros, quorum vbique fides Chriſtiana comprobatur, & defenditur teſtimoniis, &c.*

1. Cor. 10. — Caietanus. — Exod. 14. — Rupertus. — Iudæi ſunt baiuli legis. — Gloſſa.

3. Illa etiam allegoria, non diſplicet, qua Gloſſa, per Ioſue, prælatum, aut religioſum concionatorem intelligit, non ſolùm de ſua felici in cœlum migratione ſolicitum, ſed etiam de migratione aliorum. Huiuſmodi namque prælatus, Iordanem, qui interpretatur riuus iudiciȷ, & curſum præſentis vitæ ſignificat, tranſmittit. Finis huius curſus eſt iudicium particulare, quod in morte tranſigitur, Eccleſiaſt. 38. *Memor eſto iudiciȷ mei, ſic enim & erit tuum. Mihi heri, & tibi hodie.* Poſt felicē hanc migrationem prælatus ſiue doctor, de terra omni peccatorum macula, populo ſtipatus, qui illius doctrinam ſecutus eſt, terram promiſſam, hoc eſt patriam beatam, veréque viuentium ingreditur domicilium.

Prælatus per Iordanem, id eſt per fluuium iudiciȷ ducit ſuos ad cœlum. — Eccleſ 38.

4. Nec nobis otioſum videtur, quod duæ & ſemis tribus manſerint trans Iordanem, non autem tres integræ. Itémque, quod nouē & dimidia & non decem integræ & perfectæ fluuiū tranſierint. Ratio huius rei eſt, vt Origen. loco indicato philoſophatur, quia Patribus à Moſe edoctis (Moſes enim autor fuit diuiſionis terræ trans Iordanem) perfecta doctrina Trinitatis non fuit conceſſa, nec aliȷs viris etiam ſanctis, niſi poſt Chriſti aduētum. Imperfectus eſt etiam numerus tribuum, quæ cum Ioſue tranſierunt (nec enim pertingit ad denariȷ perfectionem) Vnde Origenes, ſic ait. *Nouem & ſemis tribus ſunt, quæ cum* IESV *aguntur, non integræ decem, qui numerus perfectus eſt, vt quod, à Domino* IESV *reſeruari dicitur ſpiritui ſancto, ſemiplenum videatur, ac medium. Quamuis enim, per Chriſtum pœnitentia prædicetur, ac conuerſio, & detur peccatorum remiſſio, & omnia, quæ ad perfectionem decadis videntur tendere, tamen perfectio, & ſumma eſt cunctorum bonorum, ſi poſt hæc omnia quis ſpiritus ſancti gratiam mereatur accipere.*

Tribus imperfectæ ſignificant imperfectam Trinitatis & Chriſti cognitionem.

5. In hoc ipſo libro ſcriptum eſt, in terra, quam Iſraelitis dedit Ioſue, fuiſſe verum altare, in illa autem, quam conceſſit Moſes non verum, ſed typum, & quaſi figuram veri altaris, quod erat apud Ioſue. Vnde Orig. allegoriam ita explanat. *Quid mirum,* inquit, *ſi non acceperant integram Trinitatis ſcientiam, qui nec integrum nec verum altare conſtruxerunt, ideo, nec multi hoſtes, nec plures Reges contrariarum virtutum ab illis deuicti ſunt. Sehon tantummodo Regem Amorrhæorum & Og Regem Baſan, & Amalechitas deuicerunt trans Iordanem. Sed vbi* IESV *ducit exercitum quinque Reges ſimul cadunt, qui confugerant in ſpeluncas, & non ſolum cadunt, ſed & ſuſpenduntur in ligno, & viginti nouem pariter iugulantur, & immenſæ multitudines aduerſi exercitus proſternuntur, & exterminantur omnes, qui ſanctam terram in immunditiȷs poſſident, qui terram fluentem lac, & mel in amaritudine malitiæ detinēt.* Hæc Orig.

Altare verum fuit vbi erat Ioſue, non autem in terra duarum & ſemis tribuum.

Trans Iordanem duo Reges victi ſunt, & Amalechitæ duce Moſe. At, duce Ioſue, plures in terra Chanaan, &c.

LIBRI IOSVE

CAPITIS PRIMI

SECTIO VIII.

Verſ. 16.] Reſponderúntque ad Ioſue, atque dixerunt. Omnia, quæ præcepiſti nobis faciemus, & quocunque miſeris, ibimus.

17. Sicut obediuimus in cunctis Moſi ita obediemus & tibi, tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moſe.

18. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cūctis ſermonibus quos præceperis ei, moriatur, tu tantùm confortare & viriliter age.

Hebraicè. Pro. *Qui contradixerit ori tuo,* &c. Quicunque rebellauerit ori tuo, & non obedierit verbis tuis, in omnibus, quæ præceperis ei, moriatur, tantùm conforta te, & robora te.

Aliter. Pro *moriatur,* &c. interficiatur. Age fortiter & ſtrenuè, & in annotatione Vatab. legi poſſe ait. Adiudicabitur, morti, ſubaudi, à iudicibus.

70. *Interp.* Nihil diuerſum habent.

Explicatur contextus.

1. R*Eſponderúntque Ioſue atque dixerunt.*] Hæc verba, poſſunt accipi, tanquam dicta à principibus duarum & dimidiæ tribus. Quod enim à principibus agitur. Reipub. tribuitur, vel tanquam concors vniuerſi populi reſponſio, qualis fuit illa, quam Moſi interroganti Dei nomine, velletne illius legem recipere, reddidit vniuerſus populus, ſimul dicens. *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus faciemus.* Exod. 16. Iterúmque in confirmatione legis ſecundò à Moſe recitatæ, ſubiungitur. Reſpondítque cunctus populus vna voce, Omnia verba Domini, quæ locutus eſt faciemus, Exod. 34. *Omnia, quæ præcepiſti nobis faciemus.* Iuxta conditionem, quam viuo Moſe receperant duæ tribus cum dimidiata, Num. 32. de colenda terra trans Iordanem, eo pacto, vt iuuarent fratres ſuos in expugnatione terræ Chanaan non poterant,

Obedientia populi inſignis. — Exod. 16. — Exod. 34. — Num 32.

non

A non poſtulanti adimpletionem promiſſionis Ioſue, obtemperare. Aliter deturbari poterant, de poſſeſſione terræ ſibi conceſſæ & cogi ad quærendam cum alijs tribubus nouam hæreditatem. Sani ergo conſilij fuit, vt libenter exigenti conditionem duci, obedirent.

Obedientiam cunctis ſponte quæque.

2. *Et quocunque miſeris ibimus.*] Voluntas obtemperandi prompta oſtenditur, dum id ſe facturos pollicentur, quod in fœdere inito cum Moſe, non erat expreſſum, Nimirum, vt tranſirent armati, Iordanem, ſi mitterentur ad explorandam aliquam regionem, vel pugnandum aduerſus hoſtium multitudinem, aut paucitatem (quod plerunque fieri neceſſe fuit, vt cùm Ioſue,

B non totum exercitum, ſed tria tantùm hominum millia miſit ad explorandam ciuitatem Haj infra cap. 7.) non recuſarent imperium. Similem promptitudinem & fortè inſigniorem olim oſtenderunt milites. C. Marij vt ſcribitur lib. 5. Apoph. 7. Nam cum caſtrametatus eſſet aduerſus Teutones in loco, qui minimū haberet aquæ. Militibus dicentibus ſe ſitire, oſtendit illis flumen, proximè hoſtium vallum labens. Illinc, inquit, vobis, potus ſanguine venalis eſt. At illi dixerunt, vt ſe quò vellet duceret, donec liquidum haberent ſanguinem, nec totus adhuc, præ ſiti diriguiſſet.

Ioſ. 7.

Apopht. lib. 5.

Potus ex hoſtili flum. ſanguine venalis.

3. *Sicut obediuimus in cunctis Moſi, ita obediemus & tibi.*]

C ſignificant Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus, id quod verum eſt, ſemper ſe Moſi obtemperaſſe. Nuſquam enim legitur has tribus, illius dictis, obaudiſſe. Dum ergo pollicentur parem obedientiam Ioſue, agnoſcunt profectò, non aliter eſſe populo præfectum Ioſue, quàm Moſen. Atque adeò ſicut Deus Moſen elegit, ita & Ioſue, quod poterant meminiſſe, ex Deut. cap. 3. & 31. & 36. & Num. 27.

Agnoſcere in præfato Dei electionem confert ad obedientiam.

Deut. 3. 31. 36. Num. 27.

4. Obijcies; De tribu Ruben erant illi, qui conſpirauerunt contra Moſen & Aaron, vt transferrent in ſe ſacerdotium, qui grauiter admoniti, & reprehenſi à Moſe, tamen non deſtiterunt à pertinaci ambitionis ſtudio, vt patet Num. 16. & 26. Reſpondeo verum id quidem eſſe. Cæterum illi, qui delicto aſtricti fuerunt, ſupplicio

D ſunt mulctati, nec ad contribules culpa, aut pœna peruaſit. Imò conſtat obediuiſſe tunc Moſi eos, qui modò de obedientia Moſi præſtita gloriabantur, ſi fortè in lucem iam editi erant, quia Moſes præcepit omnibus, vt recederent à tabernaculo hominum impiorum Num. 16. *Recedite*, inquit, *a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum*, &c. Vbi narratur abſorptos fuiſſe à terra homines illos impietatis, & ambitionis crimine notatos, cæteros verò dicto audientes aliò receſſiſſe.

Num. 16. & 26.

Laudantur qui ſemper obedientes fuerunt.

Num. 16.

E 5. *Tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum.*] Poteſt, vt bene aduertit Abulenſ. q. 83. intelligi, in his verbis conditio. Nimirum, vt populus obedientem ſe fore ea conditione polliceatur, ſi Ioſue ex conſilio, & mandato Dei, licita & honeſta, ſicut Moſes, præcipiat. Hæc enim conditio etiam ſi non exprimatur, cùm aliquis ſe Prælati obedientiæ obligat, pro expreſſa tamen haberi debet.

Abulenſ.

Vbi obedientia conditio eſt vt licita & honeſta imperentur.

6. Alia interpretatio eſt. *Tantùm ſit Dominus tecum*, hoc eſt, non eſt cur de obſequio erga te noſtro debeas dubitare ſponte namque exequemur quidquid iuſſeris. Duntaxat curare debes, vt Dominus præſenti & benigno tibi adſit fauore, & ſicut Moſi in rerum deſtinatione fauens ſemper

A fuit, & propitius, ita etiam tibi præſto ſit. Vtraque interpretatio idonea eſt, & euentu in Moſe & Ioſue comprobata. Vterque enim nonniſi licita, & honeſta populo Dei imperauit, vterque Deum expertus eſt fauẽtem & propitium. Tertia expoſitio ſit. *Tantùm ſis Dominus tecum*, id eſt, ſolùm optamus, vt nobis exemplo virtutis, quam Deus bonis ducibus confert, fauens ſemper, & commodus adſis. Exemplo ſuo excitantem milites, per Africæ ſyrtes euntes, inducit Lucanus Catonem Vticenſem. lib. 9.

Optant milites ducem, exemplo cæteris præeuntem.

Ipſe manu ſua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes, monſtrat tolerare labores;
Non iubet, & nulla vehitur ceruice ſupinus
B *Carpentóve ſedens. Somni parciſſimus ipſe eſt*
Ultimus hauſtor aquæ, cùm tandẽ fonte reperto
Indiga cogatur laticis potare iuuentus.
Stat, dum lixa bibat.

Qui contradixerit ori tuo, &c.] Duplex exprimitur inobedientia vna, quam quis ore expromit, vt cùm publicè teſtatur, ſe nolle facere, quod iubetur, aut non eſſe faciendum proclamat, quia nolit, aut quia ad id non teneatur. Altera in rebus cernitur, cum quis licet ore nihil proferat, ea tamen, quæ iubentur exequi non procurat. Vtraque culpa grauis eſt, cum in eum dirigitur, qui iubendi habet autoritatem. Prior tandem longe grauior eſt. Prima, inſinuatur in illis verbis. *Qui*

Duplex inobedientia oris & operis prima grauior eſt.

C *contradixerit ori tuo*. Hebr. Quicunque rebellauerit ori tuo. Secunda, in ſequenti particula. *Et non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis*, quaſi dicat etſi aliquis, non contradixerit ore iuſſionibus tuis, dicens, ſe nolle facere, quod iubes, ſi tamen, quæ iuſſeris non expleuerit, etiam puniatur.

7. *Moriatur.*] Vatab. Interficiatur, vel, adiudicetur morti: Nullum autem diſcrimen ponitur inter pœnam vtriuſque inobedientiæ. Rationem reddit Abulenſ. q. 84. cur cùm crimen oris, & facti, videatur inæquale, pœna tamen eadem conſtituatur. Ratio autem eſt, quia, inquit, non punitur hæc faciens, pro ea re, quam facit, ſed quia faciendo Principem contemnit. Contem-

Vatab.

Omnis inobedientia letifera eſt ſi interueniat contemptus.

D ptus autem Principis quicunque ſit, mortè plectendus eſt. Vnde Deut. 17. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël*, &c. Turbat profectò, qui non obedit ſuo principi, Reip. & communitatis ſtatum, ac propterea moris erat, vt contra huiuſmodi homines, populus vindictam poſceret, & lapidibus, ad expiationem offenſæ, obrueret morti adiudicatos.

Deut. 17.

Obediendum ſacerdoti.

Inobedientes lapidibus obruebantur.

8. *Tu tantùm confortare, & viriliter age.*] Repetitur ſuperior ſententia. Non cures qualis ſit futura noſtra obedientia. Erimus namque tuis iuſſionibus obſequentiſſimi: quaſi dicat, vnuſquiſ-

E que miles.

——Tuus ô dux magne quid optes
Explorare labor, mihi iuſſa capeſſere fas eſt.

Virg. lib. 1. Aeneid.

Dumtaxat fortitudinem præfer, & in rebus agẽdis eſto ſtrenuus. Poteſt etiam intelligi, optatio quædam in his verbis. Apud Hebræos namque, cùm non ſit modus optatiuus, interdum optatio & votum animi per alios modos & præſertim per imperatiuum exprimitur.

* * *

Verſ.16.]Omnia, quæ præcepiſti nobis faciemus, & quocumque miſeris, ibimus.

Perfectam obedientiam promittunt Rubenitæ, & Gaditæ ſuo duci dicentes: Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus.

ANNOTATIO I.

1. ACCENDVNT Rubenitæ, & Gaditæ, ſtudium ducis ſui, ad res præclarè agendas, ampliſſima perfectæ obedientiæ pollicitatione. Nam ad ſtabilitatem Reip. & exercitus gubernationem nihil æquè conducit, atque ciuium & militum obedientia. Hinc, Deus, inobedientem populum punit: vt per inobedientiam, virtus reparetur: In eos tamen, qui modum præſcriptum vindictæ excedunt, non ita afficitur, vt eos grauiter puniat; ſolùm exprobrat crudelitatem. Populo verò, ob inobedientiam afflicto, omnia proſpera pollicetur, ſi deinceps legi diuinæ obedientiam præſtet. Et quidem Zachar. 1. pœnituit Deum quodammodo afflictionis, & vaſtitatis, à Chaldæis, Solymæ & Sioni, illatæ, quod maior fuerit, & immanior, quàm debuerit. vt indicant illa verba: *Zelatus ſum Hieruſalem & Sion zelo magno ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum; ipſi verò adiuuerunt in malum*, &c. hoc eſt, Dolui tam grauiter vexari à Chaldæis hoſtibus ciuitatem ſanctam. Ego enim iraſcebar populo meo, & punire volebam: at non ita crudeliter. Adiuuerunt iram meam, ſed hoſtilem in modum, dolendo Iudæos. Quaſi pœnitens ergo Deus reſpondit Angelo, (inquit Zachar.) *Verba mea bona, verba conſolatoria*, hoc eſt, vt interpretatur Hieronymus, bona de futurorum promiſſione: conſolatoria de præſentium neceſſitate. Quæ autem ſint hæc, ſtatim Angelus prophetam docet: ſic enim ait, *Reuertar ad Hieruſalem in miſericordiis, & perpendiculum extendetur ſuper Hieruſalem. Adhuc effluent ciuitates meæ bonis.* Senſus eſt, Deinceps propitius ero Hieruſalem, eámque magnis cumulabo beneficiis. Quæ tandem erunt illa? *Perpendiculum extendetur*, &c. Iterum ædificabitur: non enim extendunt architecti perpendiculum, niſi cum ædificant. Pro, *adhuc effluent*, &c. in Hebr. & Græco eſt, Diffundentur, ſeu ſpargentur, redundabunt in bonis, ſumpta metaphora à vaſis, quæ cum pleniſſima ſunt, ſuperfuſam humoris reſpuunt copiam. Vides felicitatem præcipuam, quam Deus promittit vſus in populum ſuum miſericordia; in eo ſitam eſſe, quod ad perpendiculum & normam ciuitas ſit ædificanda; Qui ob legis tranſgreſſionem puniti ſunt: per legis obedientiam ſunt reparandi. Quidam religioſa incolunt clauſtra, qui volunt quidem domum Domini, & ciuitatem ſanctam ædificare, ſed perpendiculum extendere, hoc eſt, ad regulas & canones religioſos, vitam & mores conformare nolunt. Oculis omnia metiuntur, hoc eſt, voluntate ſua, non perpendiculo ſiue præſcripto regulæ: quaſi rectum amplectuntur, quod affectus ſuadet; ſicut mulieres illæ (in quibus animæ diſſolutæ, & ſeculum amantes intelliguntur) quæ Hieremiæ 44. dicunt: *ſermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, ſed facientes, faciemus omne verbum, quod egreditur de ore noſtro*, &c. At cùm Dominus reuertitur ad Hieruſalem, & omnia Dei voluntate fiunt, regnatque ſpiritus, pulſa concupiſcentia, & lex diuina, actiones dirigit, Pſal. 1. *In lege Domini voluntas eius, & in lege*, &c. Tunc animæ ſanctæ, in quibus Chriſtus regnat, effluent bonis: non enim id ſolùm impetrabunt quod ſibi ſufficit, ſed quod cum aliis etiam quos dictis & factis, ad pietatem incendunt, communicare poſſint. Et quia Deus delectatur viris, qui ei domum ædificant ad perpendiculum, & aliis vtiles ſunt, obſeruantiæ regularis exemplo, eiſque noua ſemper confert beneficia, & locis in quibus degunt, ſubiungit Angelus, *Et conſolabitur Dominus Sion, & eliget adhuc Hieruſalem.* Sept. vertunt ἐλεήσει, miſerebitur, ſed idem eſt: eiſdem námque rebus Deus miſericordiæ ſuæ & conſolationis noſtræ ſigna oſtendit, ſi perpendiculum extendimus, hoc eſt, ſi regulam obſeruamus, & legi obedimus, qua domus Domini ædificatur. Pro perpendiculo, vt id quoque dicamus, Hebraicè eſt, קו. *Cau*, quod regulam, ſiue funem ſignificat, ad quem lapidum ordines componuntur.

Inobedientem populum Deus grauiter punit, principibus verò crudelitatē exprobrat.

Zachar. 1.

Mitiùs Deus infert ſupplicia, quam homines

Hieron.

Afflictam Hieruſalem à Chaldæis, Deus conſolatur.

Monaſtici inſtituti regulæ obſeruandæ ſunt, vt ædificetur Hieruſalem.

Vituperantur, qui ad Canones religioſi inſtituti, mores non accommodant

Hierem. 44. Inobedientis ſermo qualis

Pſal. 1.

Sept. Interpr.

Obedientia in regulis obſeruādis ædificat domum Dei.

2. Quia tamen Iudæi, non tam exactè perpendiculo vtebantur, hoc eſt, legis obſeruantia in ædificanda Dei domo, ad liberandam fidem ſuā Deus temporibus Zorobabel, & Nehemiæ miſericordia vſus eſt; at non ita plenè, & perfectè. In aduentu autem Chriſti hominibus perpendiculum extendentibus, hoc eſt ad Saluatoris præcepta & conſilia vitam conformantibus, tot acceſſerunt bona, tot donata ſunt beneficia, vt tunc planè cenſeant Hieronymus & alij interpretes liberaſſe Deum fidem per Zachariam populo ſuo obligatam. Vnde Iſai. 61. ait ipſe Chriſtus: *Spiritus Domini ſuper me.* &c. *vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion. & darem eis coronam pro cinere: oleum gaudij pro luctu: pallium laudis pro ſpiritu mœroris*, &c. Miſit præterea ſpiritum ſanctum, biſſenos proceres, diuina gratia inflammantem.

In aduentu Chriſti maior obedientia & maiora beneficia à Deo collata ſūt, quàm olim. Hieron.

Iſai. 61.

Act. 2.

3. Cùm ergo tam præclara ſit obedientiæ laus, tótque illam commoditates conſequantur: Dum Hebræi dicūt: *Sicut obediuimus in omnibus Moſi; ita obediemus & tibi. Tantum ſit Dominus Deus tecum.* non puto conditionatam inuolui locutionem, vt ſit ſenſus, obediemus tibi ſicut Moſi; ſi tamen Dominus fuerit tecum ſicut cum Moſe fuit, aliter non obediemus (debent námque ſubditi, ſuperioribus obtemperare, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam malis & diſcolis, vt dicitur 1. Petri 2. & Chriſtus Matth. 23. *Quæcumque dixerint vobis facite, opera autem eorum nolite facere.*) ſolùm facilem & promptam obediendi voluntatem ſignificant, handquaquam dubitantes licita fore, & honeſta ſui ducis imperia. Optant præterea, vt Dominus ſit cum Ioſue, cui obedientiam promittunt, ſicut cum Moſe fuit. Ita Lyra, hoc loco, qui Gen. 37. duas obedientiæ conditiones commendat, quas obſeruauit Ioſeph, quando miſſus eſt à Patre Iacob ad fratres ſuos. Prima eſt, promptitudo ad obſequendum Patri dicenti. *Fratres tui paſcunt oues in Sichimis. Veni, mittam te ad eos.* Quo reſpondente, *præſto ſum*, ait *Vade.* Secunda eſt, diligentia in executione mandati. *Fratres*, inquit, *meos quæro, indica mihi, vbi paſcant greges.*

Obedire oportet etiam malis prælatis, optare tamen debemus vt Deus illis adſit.

1. Petri 2.

Matt. 23.

Lyranus.

Gen. 37.

Obediens ſine mora.

4. Atque vt perſpicias à Deo iuuari, imò &

decorati

Qui parentibus, & dominis obediunt, decorantur à Deo.

Obedientiæ ornamenta in Ioſeph.

Gen. 41.

decorari, qui Parentibus, Dominis, & prælatis obedrunt animo prompto, & alacri: recole honores, quibus Ioſeph auctus fuit in Ægypto, poſt venditionem, poſt carceres, & innumeros labores: præpoſitus namque fuit à Pharaone vniuerſæ Ægypto. *Tuliq́, annulum de manu ſua*, (inquit ſcriptura, Gen. 41.) *& dedit in manu eius: veſtiuitq́, eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circumpoſuit. Fecitq́, eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent.* Pro, *genu flecterent*, poſuit Symmachus Hebræam vocem, *Abrech*, id eſt, *genu flectite*: & poſt pauca. Vocauit eum, lingua Ægyptiaca, *ſaluatorem mundi*, &c. Hæc Ioſephi ornamenta, applicat Gloſſa Chriſto Domino, qui obediens fuit vſq; ad mortem. Poſtquam enim ab inferorum, & ſepulturæ carcere ſeipſum excitauit, aſcendit currũ cœleſtis regni, de quo dicitur Pſalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex*: & accepit poteſtatem ampliſſimam à patre, & Phil. 2. *Dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: cætera deinde perſequens Gloſſa. *Accepit*, inquit, *annulum, id eſt, Pontificatum fidei, quo ſalutis ſigno credentium animæ ſignantur, frontibuſque, & cordibus noſtris, per ſignum crucis, figura æterni Regis, imprimitur. Induitur ſtola byſſina, id eſt carne ſancta byſſo ſplendidiore, & ſtola immortalitatis. Accepit quoque torquem aureum, id eſt exaltationem nominis. Præco antecedit eum, id eſt, Ioannes Baptiſta, qui ait*, Matth. 3. *Parate viam Domini. Habebit, & alium præconem, qui veniet in tuba Angeli.* Hæc fere Gloſſa.

Symmachus.

Gloſſ. Ord.

Pſalm. 67.
Philip. 2.
Obedientiæ ornamenta in Chriſto ſignificata in Ioſeph Patriarcha.

Matth. 3.

5. Illud obedientiam Ioſeph valde reddit mirabilem, quod ad fratres ſuos, miſſus à Patre promptè iuerit, cum ſciret eos, malè in ſe affectos eſſe. Quod in Chriſto magis eluxit; qui non recuſauit, ex obedientia patris, errantes in mundo homines inuiſere, à quibus malè, non ſolùm accipiendus, ſed etiam mulctandus erat. Expenditur promptitudo, in illis verbis propheticis. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatẽ tuam, Deus meus, volui*, quaſi dicat: Luſitanè, *aprimeiro*, item, *doliuro he obediencia*. Diligentia verò in prædicatione, miraculis, conuerſione, cæteriſque illius geſtis intra triennij curriculum.

Obedientia in tota vita Chriſti prompta.

Pſal. 19.

6. In Apoſtolis etiam, hæ duæ inueniuntur comites obedientiæ; promptitudo ſcilicet & diligentia. Audi Iſaiam cap. 11. *Et volabunt*, inquit, *in humero Philiſthim per mare, ſimul prædabuntur filios Orientis; & Idumæa, & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt*: vbi ſecundum D. Hieronym. Vocatio gentium, per Apoſtolorum obedientiam, futura demonſtratur. *Eo tempore*, inquit Iſaias, *nequaquam Ephraim, & Iudas, qui nunc, me prophetante, hoſtili inter ſe odio diſſident, inimici erunt. Sed iungentur in Chriſti Eccleſiam, qui fuerant ſeparati; ita vt in gentibus communi labore deſudent, & volent in humero Philiſthijm per mare: hoc eſt primum, maritimis prædicent Palæſtinis, & per mare veloci curſu pergant ad cæteras nationes: ſiue iuxta 70. interpretes, πετασθήσονται, ἐν πλοίοις ἀλλοφύλων, θάλασσαν ἅμα προνομεύσουσι, id eſt, volabunt in nauibus alienigenarum, mare ſimul prædabuntur. Quod de vnius Pauli exemplo intelligamus*, Act. 14. *Qui per Pamphiliam, & Aſiam, & Macedoniam, & Achaiã, & diuerſas inſulas, atque prouincias in Italiam quoque, & vt ipſe ſcribit* Rom. 15. *ad Hiſpanias, alienigenarum portatus eſt nauibus. Igitur Ephraim, & Iudas, id eſt, qui de duodecim tribubus, in Chriſtum crediderunt ex Iudæis, ſimul prædabuntur Orientem: & in Idumæam, & Moab extendent manus ſuas, iuxta illud, quod ſub perſona Dauid Chriſtus myſticè loquitur*, Pſalm. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſeruient. Hæ enim gentes, quo tempore Iſaias prophetabat aduerſariæ erant, populo Iudæorum: & idcirco nunc dicit, quod poſtquam ſurrexerit radix Ieſſe, vt regnet in gentibus, & vexillum crucis ob ſalutem totius orbis, fuerit eleuatum: tunc futurum eſt. vt & Idumæa, & Moab, & filij Ammon, omnis ſcilicet Arabiæ latitudo, dent Apoſtolis manus, & in locis Idololatriæ, Chriſti Eccleſiæ ſuſcitentur.* Hæc Hieronym.

Apoſtolorum prompta obedientia.
Iſa. 11.
Obedientia mũdum conuertit ad Chriſtum.

Hieronym.

πετασθήσονται.
Apoſtoli terra [illegible], volabũt.
Act. 14.

Rom. 15.
Paulus promptus & diligens, terra marique pro obedientia ſibi iniuncta de adeundis gentibus.

Pſalm. 59.

Cuius interpretationem, vt magis ſuſpicias, recordare obedientiæ, quam Chriſtus Apoſtolis iniunxit Marci vlt. *Euntes, in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et poſt pauca dicitur; *Illi autem profecti ſunt, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Cùm autem filij patres ſuos, vt plurimùm imitentur, Apoſtoli, & qui poſt Apoſtolos ex obedientia varias regiones adeuntes prædicarunt Euangelium, obedientes filios Chriſto & Eccleſiæ progenuerunt, vt impleretur illud, *filij Ammon obedientes erunt.*

Marc. vlt.

Qui obedientes ſunt, auditores ſuos reddunt obedientes.

7. Adhortari nos debet, ad obedientiam, principibus, & Dei legibus præſtandam, præter cæteras vtilitates, quas experti ſunt Rubenitæ & Gaditæ, poſtquam dixerunt: *Omnia quæ præcepiſti nobis faciemus*, (conſtabunt huiuſmodi vtilitates ex capitibus ſequentibus) illa etiam, quod dum inobedientes & rebelles à Deo puniuntur, quieti ſunt, & ab omni periculo liberi, qui accuratè diuinis legibus, earumque interpretibus obtemperant. Multa ſunt in ſacris literis exempla ſeueritatis diuinæ in vlciſcendis iis, qui à præceptis diuinis & obedientia Deo debita receſſerunt: illud ſolùm afferam, quo ab Oſea cap. 1. prædicitur pœna infligenda poſteris Iehu. Verba oraculi ſunt. *Quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael, ſuper domum Iehu.* Hæc verba, licet obſcura ſint, facilè intelliguntur ex paraphraſi Chaldaica. *Et viſitabo*, inquit, *ſanguinem colentium idola, quem effudit Iehu in Iezrael, quos occidit, quod ſeruirent Baal, & poſtea conuerſi ſunt etiam ipſi, vt errarent poſt vitulos, qui erant in Bethel, & in Dan. Ideò reputabo illum ſanguinem innocentem ſuper domum Iehu, & ceſſare faciam domus Iſrael.* Hæc Chald. Laudatus fuit Iehu, 4. Reg. 10. quod Achab, & Ieſabelem occiderit in Iezrael iuſſu Dei, ait enim illi Deus; *quia ſtudioſè egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab filij tui, vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael*, &c. Quare, non ait Oſeas, viſitandum eſſe ſiue puniendum Iehu; is enim ex præſcripto obedientiæ, vltus eſt morte Achab, & Iezabel, cædem Naboth; ſed domum Iehu, hoc eſt, (vt Ruffinus interpretatur, ſecutus paraphraſim Chaldaicam) Iehu poſteritatem, ex qua multi ſcelera imitati ſunt, quæ patrata fuerant ab Achab, & poſteris Ieroboam, qui peccare fecit Iſrael, & idola ſimiliter coluerunt, vt vindicari ſanguinem Iezrael, ſit vendicari ſanguinem Achab interfecti in Iezrael, in poſteris Iehu.

Qui obedient Deo, & maioribus ſuorum legibus, dum inobedientes puniuntur, quieti ſunt.

Oſeæ 1.

Parap. Chald.

4. Reg. 10.

Poſteri Iehu nõ obedierunt Deo, ideo domus Iehu viſitatur.

Ruffinus.

8. Doctiſſimus Ribera enarrans hunc locum, per Iezraelem credit non ſignificari vrbem, ſed populum Dei. Nam Iezrael, Hebraicè, idem eſt atque ſemen Dei. Quoniam igitur Iehu, & illius poſteri idolorum cultores fuerunt, & Ieroboam filij Nabat imitatores, qui peccare fecit Iſrael, 4. Reg. 10. & 13. 14. 15. id eſt, ſuo exemplo, & iuſſu, populum ad idololatriam traxerunt, cauſaque fuerunt damnationis multarum animarum: ideò

Ribera in Oſeam.

Qui alios peccare faciunt puniuntur.
4. Reg. 10. 13. 14.

ſe ... mus dicit velle finem imponere regno A
domus Iſrael, & vindicare ſanguinem Iezrael, id eſt occiſionem animarum populi Dei. Atque huiuſmodi ſpiritualem occiſionem, ſanguinem in ſcriptura quoque dici, colligitur ex Ezechiel. 3. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei neque locutus fueris, vt auertatur a via ſua impia, & viuat; ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius, de manu tua requiram.*

Ezech. 3.

Occiſio animarum.

9. Cæterùm, hæc interpretatio licet idonea videri poſſit, tamen literalis non eſt. Quare ſimplicior exiſtimari debet, & textui magis conſentanea illa D. Hieronym. qua ad ſupplicium domus Iehu, rem totam reuocat: *quia*, inquit, *& ipſe vltor ſanguinis iuſti ingreſſus eſt per vias Ieroboam filij Nabat qui peccare fecit Iſrael, & conſtituit vitulos aureos in Dan, & in Bethel, regnum quoque eius dicitur ſubuertendum. Quam ob cauſam nunc dicitur. Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael, id eſt occiſionem populi mei ſuper domum Iehu regiam, quæ eo tempore præerat Iſraeli.* Hæc Hierony. Ille igitur, qui Deo obediens fuit in executione vaticinij Eliæ, & ob eam cauſam laudatus, quia tamen in propria perſona eorum, quorum fuit occiſor, imitatus eſt flagitia, & obedire diuinæ legi, noluit; ſupplicio afficiendus denuntiatur. B

Hieronymus.

Iehu quia in omnibus non obediuit, punitur.

10. Rectè igitur, duæ tribus cum dimidia, vt à Deo iuuentur, longéq; ſint à pœna, legum tranſgreſſoribus inferenda, non mancam aut truncatam obedientiam ſpondent, ſed integram, & perfectam, *omnia quæ præcepiſti nobis faciemus*. Nec loci anguſtiis imperium definiunt, *Quocunque miſeris, ibimus:* Imò, quod plus affectum voluntatis promptæ ad obſequium ſui principis, & Dei declarat, eſt pœna mortis, quam ſibi, ſi fortè mutata voluntate præcepto contradixerint publicè præſcribunt. Ea enim præſcriptione magnam forte & perpetuam ſignificant, in obedientia conſtantiam. C

Perfecta obedientia.

Pœna mortis pro obedientia.

Verſ.18] Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus, moriatur. D

De obedientia prælatis debita, quid patres ſentiant?

ANNOTATIO II.

1. CVM tam exactè, ſe Ioſue obtemperaturos Iſraelitæ ſpondeant, vt capitale ſibi eſſe velint, ſi quis præcepto audiens non fuerit; ſane eſt, cur religioſi, qui voto ad obediendum ſuis ſuperioribus aſtringuntur, oppidò ſtudeant, in hac virtute excellere. Vnde Baſil. in conſtit. Monaſticis cap. 20. Ea firmitate iubet eſſe religioſum, vt ad mortem vſque Martyrum conſtantiam præ ſe ferat, cum diuinis præceptis retinendis, tum obedientia aduerſus magiſtros ſuos conſeruanda. *Siquidem*, inquit, *hoc totius viſa bonum inſtituti caput eſt. Quemadmodum enim Deus, qui omnium Pater eſt, cum præſcripta ſua, ad diuinorum legum exempla accommodet, perfectiſſimam ipſe quoque obedientiam requirit. Etenim ſi quis ſe, alicui artiū iſtarum machinarū dediderit artifici ſuo quacunque ratione parendum putat, neque vlla in re præceptis illius aduerſatur, ſed aſſiduè vſque in oculis magiſtri eſt: vtiùm* E

D. Baſil.

Obediētia martyrum conſtantiam imitari debet.

Obedientia eſt caput vitæ religioſi.

qui omnium æquo animo, vt ille præſcripſerit, admittit multo certè credibilius eſt, qui ſe ad pietatis doctrinam percipiendam contulerunt eos vt omnibus illi in rebus libentiſſime obſequantur neque ab eo, eorum, quæ ſibi imperentur, rationem requirant Hæc ferè Baſil.

2. Beatus Ephrem, quem Magni Baſilij frater, Greg. Nyſſæ. Epiſcopus, inſigni oratione beneq; longa, decorauit, & D. Hieronym. ad tantam veniſſe claritudinem teſtatur, vt poſt lectioné ſcripturarum, publicè in eccleſiis eius ſcripta recitarentur, in tractatu de virtutibus, & vitiis, ita de obedientia ſcribit. *Beatus, qui vera miniméque ſimulata præditus eſt obedientia: quia cum Domini ſit imitator, etiam cohæres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet vinculo charitatis cum omnibus coniungitur. Qui obediens eſt, omnibus gratus eſt, ab omnibus laudatur. Vir obediens citò exaltatur, & celeriter progreſſus magnos efficiet. Vir obediens, præcipientibus non reſiſtit, & iubentibus non aduerſatur. Reprehenſus, non iraſcitur: ad omne opus bonum promptiſſimus eſt*, & infrà. *De loco in locum non tranſmigrat, & ex vna in aliam manſionem non ſe transfert. At quem deſtinatus eſt locum, in eo manet, & tædio non afficitur. Monaſtica vitæ rationem non carpit. Recreationes, & otia fugit, ac locorum aëriſq; amœnitates minimè ſectatur* &c. Porro quàm neceſſaria ſit hæc virtus viro religioſo, inuenies apud Baſil. in præceptis generalibus vitæ religioſorum, & apud D. Dorotheum ſerm. 1. qui eſt de obedientia, & ſubmiſſione propriæ voluntatis.

Ephrem.

Hieron.

Vir obediens omnibus gratus eſt.

Obediens non eligit locum, ...

Baſil.

Dorotheus.

3. Non eſt tamen prætermittendum, quid B. Ephræm de inobedientia ſentiat; cui murmurationem adiungit veluti pediſſequam. *Exiterandus eſt*, inquit, *& miſer homo inobediens, & murmurator. Magna in omni familia fratrumq; conuentu plaga eſt murmuratio. Charitatem euertit, vnionem diſſipat, pacem diſturbat. Murmurator præcipientibus contradicit. Nihil gratiæ habet in re vlla. Piger eſt. Pigritia enim murmurationi coniunctiſſima eſt ſi quod ei opus agendum iniungitur, obmurmurat; ac alios mox etiam peruertit dicens, quorſum hoc tur iſtud, vel illud? non expedit, inquiens iſtud fieri, ſi aliquò mittatur, damnū inquit, ex illo itinere proueniet: ſi ad pſalmos decantandos excitetur, iraſcitur, ſi ad vigilias ſtomachi, vel capitis, ſe in dolorem prætexet; ſi illū admoneas, te ipſum, inquit, admone. Nunquam opus aliquod ipſe ſolus aggreditur niſi alios ſibi adiunctos habeat.* Hæc ille. Aduerſus inobedientiam murmuratione ſociatam; vide Reg. 88. Sancti Pachomij: quæ incipit. *Qui habet peſſimam conſuetudinem murmurandi* &c. 89. *ſi obediens quis fuerit, aut contentioſus*, &c. 118. & 119. Vide etiam D. Baſil. in Reg. fuſius diſputatis, in reſponſione ad interrogationem 47. De his, qui nolunt admittere, quæ antiſtes facienda iuſſerit, & apud Chryſo. ſermon. 8. in epiſt. ad Philipp. cap. 2. in morali digreſſione.

Inobediētia & murmurationis damna

Eſt plaga in cœtu ... murmuratio, ... pax diſturbatur.

Piger eſt.

Laborem refugit.

S. Pachomij regula.

D. Baſil

D. Chryſoſt.

4. Greg. Magnus in 1. Reg. cap. 10. expoſitionis lib. 4. *Galgala*, inquit, *interpretatur rota, quo immolaturus Rex per prophetam pergere iubetur. Quid ergo Rota in iſto ſignificat, niſi vitā obedientium? Rota quidē voluēdo graditur, & modò alta petit modo inferiora. Sic nimirum vita obedientium, quia inferiùs agit, quod ſurſum penetrabit & ſurſum videt quod inferiùs exhibet, quaſi ad alta ſubleuatur, & ad ima deponitur. Nā quod obediētes inferius agunt ſurſum tollunt: quia quādo prælatorum iuſſis obediunt, terrena ſunt quæ operantur: ſed de terrenis, quæ faciunt, ſuperna præmia præſtolantur.* Et poſt pauca. *Hanc profectò rotam flectere Moſi Dominus præcipiens ait*, Exod. 25. *Omnia fac ſicut oſtenſum eſt tibi in monte. Qui enim in ſummis vidit, quod*

Greg. Magn.

Obediens in rebus humilibus.

1. Reg. 10.

Obediens inſtar rotæ.

Exod. 25.

feci

fecit: ut ip[illegible] ... nimirum, ut penitus totam parietem ad ter-rum ſtratus exteriorem ſuſque partem adjaceret uera ex in-teriori, quæ ducebat, 3. Reg. 7. Quid Dominus, ita enim conſpectu[illegible] ... per humilitatem obe-dientiæ ſuum Regi perfido exprobraret: ſed planitiē ope-ris, in ſublimitate ex illius diuina contemplationis, ut ve-lut currentem totam opitime voluerit.

3. Reg. 7.

5. Subiungit deinde. Hæc per ſe ideo [illegible] electa obedientiæ. ut in omni, quod foris agimus ad potentiam conditoris ubique præſentem, reſpiciamus. Sic enim in ſui luxione obedientiæ noſtra habere poſſumus, & recti-tudinem operis, & [illegible] Recli quidem tunc ſumus operis quia iis eo quem cernimus, nos in la-bore obedientiæ exercemus. Diuerſitatem ſumus, quia ei nos placere credimus, quem inſpectorem noſtrorum labo-rum attendimus, & largitorem æternæ retributionis. Et quia in itinere imperia perfectæ humilitate ſeruanda ſunt, bene Saul dicitur, ſeptem diebus expectabis. Hæc ille. Cuius illa eſt præclara ſententia, quam infra adhibuit, ſic enim ait. Victima ſunt [illegible] obe-dientium: quia enim hominibus pro Deo ſubjicimur, ſu-perbos ſpiritus ſuperamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Vi-ctores ergo ſunt qui obediunt, quia dum voluntatem ſuam aliis perfecte ſubjiciant, ipſis lapſis per obedientiam An-gelis dominantur. Hæc Greg.

6. D. Bern. ſerm. 28. ſuper Cant. Auris typo, obedientiam laudat: carptim aliquot illius pro-ponam ſententias. Auris, inquit, prima mortis ianua, prima aperiatur vitæ. Felix cui veritas atteſta-tur dicens, in auditu auris obediuit mihi. Pſal. 17. 9. Securus videbo, ad quem mea obedientia munus præ-ceſſerit. Quam beatus qui ait Iſai. 50. ver. 6. Do-minus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradi-co, retrorſum non abij. Vis & voluntaria habet obe-dientiæ formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, ſpontaneus eſt; & qui retro non abiit, perſeuerat. Et infra, Ait Dominus Ioan. 5. Et vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Nec omnes mundamur, qui audiunt, ſed qui obediunt. Luc. 11. Beati, qui audiunt, & cuſtodiunt illud. Talem requirit auditum, qui mandat dicens, Deut. 6. Audi Iſrael. Talem offert, qui ait, 1. Reg. 3. Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Talem ſpon-det qui dicit, Pſal. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et quidem Spiritus Sanctus hunc ſer-nat ordinem, ut videlicet præformet auditum, qui in lætificet viſum, Pſal. 44. Audi inquit filia, & vi-de. Quid intendis oculum? aurem para, ut dicas cum videris, Pſal. 47. Sicut audiuimus, ſic vidimus. Cla-mantem Deum, Adam ubi es? Gen. 3. 6 non vide-bam iam peccator, audiebam tamen: ſed auditus a-ſpectum reſtituet, ſi pius, ſi vigil, ſi fidelis præceſſerit. Quem inobedientia clauſit, aperiet obedientia. Et infra.

Bernard.

Pſal. 17. 9.

Iſai 50. 6.

Ioan. 5.

Luc. 11.

Deut. 6.

1 Reg. 3.

Pſal. 84.

Pſal. 44.

Pſal. 47.

Gen. 3.

7. Aduerte adhuc in ſancto Iſaac, qui obediens fuit patri, quomodo præ cæteris ſenſibus, vnus auditus exi-miè viguerit. Caligant oculi patriarchæ, palatum ſeducitur, fallitur manus non fallitur auris. Vox, in-quit, Gen. 27. vox Iacob eſt, nihil verius. Manus autem, manus ſunt Eſau: nihil falſius. Fallitur manus ſimilitudo decepta. Nec in guſtu veritas, etſi ſuaui-tas eſt. Nam quomodo habet veritatem, qui ſe putat edere venationem cum domeſticis veſcatur hædorum carnibus? multo minus oculus, qui nihil videt. Non eſt veritas in oculo, non ſapientia, ſapiens fuit Iſaac: ſed tamen errauit in ſenſibus: ſolus habet auditus verum, qui percepit verbum. Merito carnem redimiuam verbo tangere prohibetur, mulier carnaliter ſapiens, plus quip-pe tribuens oculo, quam oraculo, id eſt, carnis ſenſui, quàm verbo Dei. Quem enim mortuum vidit, reſur-recturum non credidit; cum tamen hoc promiſerit ipſe. Denique non quieuit oculus, uſque dum ſatiatus eſt vi-ſus, quoniam non erat conſolatio fidei, nec Dei rata pro-miſſio. Iota vnum aut vnus apex non peribit, ex omni-bus, quæ locutus eſt Deus. & tamen ceſſauit à fletu in viſu oculi, quia noluit conſolari in verbo Domini: plus habens experimentum, quàm fidem. At experimentum fallax. Mittitur ergo ad certiorem fidei cognitionem, quæ utique apprehendit, quod ſenſus neſcit, experimen-tum non inuenit. Noli me tangere, inquit Ioan. 20. hoc eſt, diſſueſce hinc, ſeducibili ſenſui, innitere verbo, fidei aſſueſce. Fides neſcia falli, ſenſus, penuriam non ſentit. Diſce id habere certius, quod illa ſuaſerit, noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Quaſi vero cum iam aſcenderit, tunc tangi ab ea ve-lit, aut poſſit; & utique poterit, ſed affectu, non manu, voto, non oculo; fide non ſenſibus. Quid iu me, ait, mo-do tangere quæris, quia ſenſu corporis, gloriam æſtimas reſurrectionis? Tandem ſubiungit Bernard. com-mendans obedientiam fidei præſtaudam, quaſi Chriſtus ipſe cum Magdalena loquatur: Adhuc quidem tuis ſenſibus gero morem, formam in gerendo ſeruilem. Cæterum mirabilis facta eſt gloria mea ex te, confortata eſt. & non poteris ad eam. Differ ergo iudi-cium ſuſpende ſententiam, & tantæ rei diffinitionem, ne credas. ſenſui fidei reſeruato. Illa dignius, illa definiet certius. Illa digne me tanget, quæ patri conſcendentem ſuſcipiet: non iam ut humili habitu, ſed in cæleſti car-ne ipſa, ſed altera ſpecie. Quid deformem vis tangere? Expecta ut formoſum tangas. Hæc ille, quæ licet ad fidei encomium afferantur a Bernardo: ſanè cum ſine obedientia fides vigere non poſſit, & obe-dientiæ laus magna ex parte poſita ſit in obſe-quio prompto, ſine ſenſuum experimento, quod fides maximè reſpuit; quod de vtrauis dicitur, vtrique accommodatur. Vnde ſicut fides ſine oculis pingitur, imò & ſine cæteris ſenſibus, ex-ceptis auribus; ſic perfecta obedientia, quam in Iſaac cæco experitis, & quam Chriſtus a Mag-dalena repoſcebat. De vero Iſaac, hoc eſt, Chri-ſto crucifixo cognitu auribus, ita Bernardus lo-co citato. Niger eſt, ſed formoſus. Niger reputa-tione Herodis: formoſus confeſſione latronis, centurio-nis fide. Quam formoſum aduerterat, qui exclamauit, Marc. 15. Vere homo hic, filius Dei erat. &c. Vn-de aduertit pulchritudinem crucifixi. Audi Euange-liſtam loco citato: Videns autem centurio, qui ex ad-uerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait, verè hic homo filius Dei erat. Ergo ad vocem credidit, non ex facie &c.

Fides oculis ... obedien-tia illi ſimilis.

Experimentum fallax, fides non dubia.

Ioan. 20.

Quid ſit Noli me tangere. Ioan. 20.

Bernard.

Marc. 15

8. Senex idem Iſaac & cæcus benedictionem filio primogenito daturus, Gen. 27. opus ei prius obedientiæ iniunxit. Sume, inquit, arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras; cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, ſicut me velle noſti. Vnde Thomas Anglicus: Miſit Iſaac Eſau ad venationem, ut meritorie ad ſuſcipiendam pa-ternam benedictionem diſponeretur, per opus prompta obedientiæ, obſequioſa, ac pietatis dilectionis, & neceſſa-ria in ſanctum patrem ſuum. Hæc ille. D. Gregor. hom. 6. in Ezech. allegoriam hic meditatur, qua diligentiam, & prudentiam in obedientiæ opere exequendo, præcipere ſegnibus, & parum pru-dentibus, benedictionem concludit. Quid eſt, in-quit, quod Iſaac, de maiori filij ſui venatione veſci concupiſcit. Niſi quod omnipotens Deus Iudaici popu-li, bona operatione paſci deſiderabat; ſed illo tardante, minorem Rebecca ſuppoſuit. Quia dum Iudaicus po-pulus bona opera foris quæret, gentilem populum mater

Gen. 27.

Benedictio obedientiæ.

Thomas Anglus.

D. Gregor.

Gen. 27.

A *gratia inſtruxit, vt omnipotenti patri cibum boni operis offerret, benedictionēq; maioris fratris acciperet*, &c.

Auguſtinus.

9. Cur autem Iacob meruerit, ſine vlla diuinæ legis offenſione, vt plures cum D. Auguſt. exiſtimant interpretes, præripere benedictionem; in cauſa fuit obedientia, qua ſe matri, neglecto proprio iudicio, ſubmiſit.

Cæca obedientia.

Rebecca namque illum docuit, quid acturus eſſet, & quo artificio patrem ſibi conciliaturus: ait enim, *Nunc ergo fili mi, acquieſce conſiliis meis.* Hebraica & Chaldaica verba ſic habent.

Paraph. Chaldaic.

Obedi voci meæ, in eo quod præcipio tibi. Vides ſignificari non ſimplex conſilium, ſed præceptum efficax ad permouendum Iacob. Quodnam eſt præceptum? *Affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur*, &c. B His auditis Iacob graue ac deteſtabile crimen eſſe non ignorans, ſi filij parentes iniuria aut irreuerentia lædant; obiecit periculum quod ex eo facto timebat. (fas enim eſt ei, qui obedit, ea obiicere, quæ difficilem, aut periculoſam reddere poſſunt executionem) ſic enim ait. *Noſti, quod Eſau frater meus homo piloſus ſit; & ego lenis: ſi ergo attrectauerit me pater meus, & ſenſerit; timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducat ſuper me maledictionem pro benedictione.*

Timuit Iacob maledictionem pro benedictione conſulitque matrem.

Hæc ille, memor fortè Cham, qui maledictionis patrioæ, quaſi telo, cum tota poſteritate percuſſus eſt; quòd Patriarcham Noe fratribus deridendum C obiecerit.

Gen. 9.

Conſtat autem non ſolùm ex eo exemplo, ſed ex aliis, pœnis affici grauiſſimis, filios in parentes contumelioſos. Vnde Plato 9. de legibus, Exemplis pernotuit precationes parentum, aduerſus filios à Diis exaudiri. Nihil imprecatione parentum pernicioſius, filiis accidere poteſt.

Plato 9. de legibus.

Nihil imprecatione parentum pernicioſius.

Nemo verò, cùm pater, aut mater ab eo contemnitur, tunc ſolùm putet eorum precationes à Deo exaudiri: ſed non minùs etiam cùm honorantur: atque idcircò, cùm lætiores bona liberis à Deo petunt, exaudiri eos ſimiliter à Deo exiſtimare debemus. Omnes igitur, niſi fuerint inſani, vereri, & colere debent parentum orationes, non ignorantes multis eas ſæpe profuiſſe D aut nocuiſſe, &c. Lege memorabile rei exemplum, apud Benedictum Pererium ſuper cap. 27. Gen. ver. 14. tom. 4. quod refert ex Auguſtino ſcriptore, & inſpectore.

Pererius.

Aug. de ciuit.

Iacob igitur ſatis in hac obiectione declarat, quàm ſimplici animo id fecerit, quod mater iuſſit, vt annotauit Auguſt. lib. 16. de ciuit. cap. 37. ex illis verbis ſupra poſitis.

Iacob non eſt vſus dolo.

Gen. 37.

Erat Eſau homo ſciens venari, & agricola: Iacob autem homo ſimplex, etiam habitans domum &c. Græcè, ἄπλαςος, id eſt, ſine fictione. Et Caiet, *Hinc*, inquit, *apparet bona intentio Iacob, exequendi præceptum maternū fultum diuina reuelatione factum olim matri, de ipſo præponendo fratri ſuo Eſau. Itaque non animo fallendi patrem, ſed animo aſſequendi* E *diuinum promiſſum, manifeſtat ſe attentaturum, quod mater iubebat, ſed vereri ſe tamen ait, ne patri appareat, tanquam illuſor. Quamquam enim animus aberat illudendi, factum tamen ipſum ſuapte natura videbatur fallax.* Hæc Caiet.

Caietanus.

Cauit Iacob ne videretur illuſor; ſed præcepti duntaxat executor.

10. Sed, quid mater ad obiectionem? *In me ſit, ait, iſta maledictio fili mi.* Quaſi dicat, noli timere patris maledictionem, ſed expecta potiùs fauſtam, & quam ego, mihiipſi percuperem benedictionem: quod dictum eſt à Rebecca, quia certa erat oraculo, ita futurum.

Acquieſcit Iacob dictis matris à Deo inſtructa.

Vide Theodor. quæſt. in Gen. 78. Nihil ampliùs obiicit Iacob, audacter audita matre, rem aggreditur, & quod

Theodor.

A optauerat, impetrauit. Docens nos fidenter id acturos, quod iubetur, cùm ſuperior, propoſitis difficultatibus, gerendum tamen eſſe negotium, præcipit.

Verſ. 17.] Tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moſe, &c.

Principes præire debent exemplo ſubditis, quibus imperant.

B

ANNOTATIO III.

1. INTER alias interpretationes illorum verborum; *Tantum ſit Dominus*, &c. Ea nunc ad mores aſſumitur, quæ ſignificari ait, optationem exempli in rebus agendis in duce ſuo, quale præluxit in Moſe. Magna enim eſt vis exempli in vtramque partem.

Vis exempli.

Vnde, illius quiſque filius dicitur, cuius mores imitatur. Sanè eſt quod expendamus verba illa Domini, Oſeæ cap. 1. *Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu: & quieſcere faciam regnum Iſrael*, &c. Vbi Hieronym.

Oſee. 1.

Hieron.

Verùm quia ipſe vltor ſanguinis iuC ſti ingreſſus eſt per vias Hieroboam, qui fornicari fecit Iſrael, & conſtituit vitulos aureos in Dan & Bethel; regnum quoque eius dicitur ſubuertendum, &c. in eo quòd Dominus ait, ſanguinem Iſrael vindicandum eſſe ſuper domum Iehu: allegoricè, & ænigmaticè prædicit, ſe pœnas illaturum iis, qui ſanguinem filij ſui effuderunt.

Domus Iehu regea tempore Oſee praetat Iſraelis Quod Iudæi Chriſti occiſoribus aptamur.

Appellat namque domum Iuda, hoc eſt, populum Iudaicum, domum Iehu, quia illius impietatem, & auaritiam imitatus eſt. Eius námque filius quiſque, ſecundùm phraſim ſcripturæ, dicitur, cuius mores, & vitam ſequi voluit, vt docet Origen. hom. 4. in Ezech. *Sicut*, inquit, *homo generat hominem; ſic Iob generat Iob, &* D *Noe generat Noe.*

Eius filius quiſque dicitur in ſcript. cuius mores imitatur.

Origenes.

Sic Paulus Rom. 9. *Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij.* Sic Dominus Ioan. 8. quibus paulò antè dixerat: *Scio, quia filij Abrahæ eſtis*, ſcilicet ſecundùm carnem, ait, *Vos ex patre diabolo eſtis.* Matt. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis, ſuſcitare filios Abrahæ.* Quod ſi recipiatur lectio Sept. quam agnoſcit Cyrillus, & interpretatur. *Vindicabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iuda:* apertior eſt de Domini cæde allegoria.

Ioan. 8.

Matt. 3.

Cyrillus.

2. Illuſtrior tamen, in eiſdem verbis tropologia cernitur, ſi ſumatur ſanguis pro ſcandalo, vt ſumi plerumque ſolet; & vtrumque vocabulum pro homicidio & effuſione ſanguinis: ita nimiE rum, vt ſcandali peccatum, & homicidium ſcandalum appelletur: de quo Dominus Matth. 18. *Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt: Expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

Scandalum vocatur homicidium.

Matth. 18.

Vindicatur tamen ſeuerius ſcandalum ſuper domum Iehu, hoc eſt, ſuper principes, & eos, qui aliis præſunt. Primùm, quia peccata ipſa, ſpectata perſonæ dignitate, ſunt grauiora. Iuuenal. ſatyra 8.

Scandalum in prælatis acerbius punitur.

Iuuenal.

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.

3. Deinde, quia quo maiores ſunt, qui præſunt, eò plus nocent. Non præcipiebat Chriſtianis

Petrus

Petrus Eccleſiæ princeps, vt coram Iudæis à Gẽtilium menſa abſtinerent: ſed quia ipſe faciebat, ita ſpectatores afficiebat, vt Barnabas in illam duceretur ſimulationem, & Paulus ei diceret, Galat. 2. non ſit veritus. *Quomodo cogis gentes iudaizare?* Tanta vis eſt exempli, vt non ſolam inducat imitationem, ſed etiam coactionem. Quid recedere fecit decem tribus à Dei obedientia? Quid homines religioni aſſuetos ad vitulorum aureorum compulit adorationem? ſanè vnius impijſſimi Regis ſui. Ieroboam exemplũ. Quod expreſſit obſcurè quidem, ſed efficaci ſermone, Oſeas cap. 7. de Ieroboam, & decem tribubus loquens. *Dies Regis noſtri cœperunt principes furere à vino: extendit manum ſuam cum illuſoribus. Quia applicauerunt quaſi clibanum, cor ſuum, cum inſidiaretur eis. Tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus.* Contra accidit, quo tempore Regni adminiſtratio erat penes principes religionis, & virtutis cultores. Qualis pietas? Qualis religio in populo regnum obtinentibus Dauide, Ezechia, & Ioſia? lege 2. Par. 29. & 30. & 4. Reg. 23. Huc pertinet illud Claudiani in 4. Honorij conſulatu.

——Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

4. Porrò, ſi à Chriſto Matth. 18. de quouis homine dictum eſt. *Væ autem homini illi, per quem ſcandalum venit.* Quid de illo fiet, qui autoritate & dignitate pollens, pabulum ſcelerum flammæ adminiſtrat? Gen. 9. ait Dominus. *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum.* In deteſtationem homicidij pronunciata ſunt hæc verba, vt intelligamus, quanti faciat Deus vitam hominis, vt non ſolum ab homine, ſed etiam à beſtia, ſanguinem ipſius requirat. In qua ſententia Oleaſter tria expendit. quæ nos ab humani ſanguinis effuſione deberent arcere. Primum, quòd à brutis exigit Deus ſanguinem hominis. Secundum, quòd ſanguis ad peccati expiationem nobis datus eſt in ſacrificio. Tertiũ, quòd ad imaginem Dei factus ſit homo, vt quaſi idem ſit hominem occidere, ac ſi Deum ipſum occidiſſes. Si ergò de manu cuiuſcunque hominis Deus, requiret ſanguinem, vt puniat occiſorem corporis, quantò magis animæ interfectorem. Iam ſi rector ſit, & à Deo in ſede dignitatis ad gubernandum conſtitutus, quâ dignus erit pæna. Audiant principes quid Sap. 7. intonet diuinum eloquium. *Horrende, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum in ijs, qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur* &c. Sint nobis exemplo à Petro vſque ad Melchiadem Romani Pontifices 33. qui fidem, & ſanguinem in ſuo munere obeundo Chriſto largiti ſunt: quorum virtute, excitati ſunt ad martyrium Romæ plurimi. Sanè in ea vrbe ad tercenta martyrum millia numerantur, vt annotauit P. Arias in lib. de Imitatione Chriſti.

5. Imitentur ergo principes, & communitatum gubernatores, ſi volunt ſubditos in officio continere, & fulmina diuinæ iræ declinare, ſanctum Ioſue, qui & populum diligebat & ex diuinæ legis præſcripto omnia faciebat, nihil ex libidine illi dictum eſt. *Confortare, & eſto robuſtus.* Quia nimirum vir prudentiſſimus, præter cæteras muneris tanti difficultates, Hebræi populi,

A cui præerat, non modò in ſuos duces, ſed etiam in ipſum Deum perſpexerat pertinaciam. Non ignorabat quantas hoc illorum vitium, turbas, vel in hominem ſanctiſſimum, & mitiſſimum, Moſen dico, cui ipſe ſucceſſerat, concitauerit. Et quò erat prudentia maiore, eò præuidebat perſpicacius futuram contumaciam. Addidit oraculum illi animos, non ſolum aduerſus hoſtes, ſed etiam ad ſuſtinendam ingentis imperij molem, dum ait. *Confortare, & eſto robuſtus.* Et populus ipſe qui nouerat eum non ambitione aliqua ad honores irrepſiſſe, ſed Dei electione, bene illi precatur, & virtutem inſignem admiratus ait. *Tu tantum confortare, & viriliter age.*

B 6. Vtinam omnes expenderent cum Ioſue, quando ad dignitates euehuntur. Quid ferre recuſent, quid valeant humeri. Profectò ſtupori aſcribenda eſt eorum audacia, qui honores & magiſtratus, non à Deo demandatos ſibi, ſed miſerrima captatos ambitione, proprijs freti viribus adminiſtrant. Quid huiuſmodi facere poſſunt homines, cum laude? quot animas exemplo malo trucidabũt? Non conſulunt, vt Ioſue Abiathar ſummum ſacerdotem; non habent familiaria cum Deo colloquia pondus officij, non ſentiunt, quia id, in alienos reijciunt humeros. Agnoſcebat Moſes, difficultatem muneris, non quæſiti ambitione, ſed à Deo mandati. Nec tam

C illum ſplendor dignitatis ad receptionem alliciebat, quàm ponderis difficultas ad recuſationem impellebat. Hinc Exod. 3. illa tam vehemens, etiam Deo præcipiente & vrgente, impoſitæ prouinciæ deprecatio. Opus fuit, quo ille honorificam ad Pharaonem legationem, & in Hebræos imperium admitteret, vt Deus iram ſuam contra recuſationem repetitam declararet, ſimulque auxilium cœleſte polliceretur. Nam, quantò ſibi minùs arrogant homines, tantò magis Deo placent, & diuinum demerentur auxilium. Multum profectò intereſt, quem eligas in magiſtratum. *Quid enim* (ait D. Hieron. in Epiſt.) *non quærunt eos in Eccleſia columnas erigere, quos*

D *plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel ipſi amant vel quorum ſunt obſequijs deliniti: vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit. Et vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Hæc ille. Quid hac corruptela, in re tanti momenti, inueniri poteſt corruptius? *Talis eſſe debet* (inquit, Magnus Greg. Mor. 5.) *Diſpenſatio regiminis; vt is, qui præeſt, ea ſe circa ſubditos menſura moderetur, quatenus arridens timeri debeat, & iratus amari. Vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, aut immoderata ſeueritas.* Et infrà. *Miſcenda eſt lenitas ſeueritati. Hoc nimirum illa tabernaculi area ſignificat; in qua cum tabulis, virga ſimul & manna erat. Quia cum ſacræ ſcripturæ ſcientia in boni rectoris ſit pectore, ſit virga diſcre-*

E *tionis, ſit manna dulcedinis. Huc reſpexiſſe Dauid videtur, cum ait. Virga tua, & baculus tuus,* &c. *Sit ergo virga diſcretionis, quæ feriat, & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet. Moſes ſic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis, nec ſibi parceret: & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt, quos amauit, vt eos [illegible]. Domino parcente proſternerer. Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis, cauſam populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladijs allegauit. Vtinam eos donet Deus Eccleſiæ ſuæ prælatos qui propter Chriſtum, miniſtros ſe & ſeruos humiliter reputent; vt in termiſſo tum opus eſt Rachelis decora facie, intenti ad Liam oculis lippam. Et cum Moſe de monte & otio contemplationis, deſcendat ad actionem.*

Margin notes (left): Galat. 2. — Exempla cogere quodam modo ſubditos. — Oſeæ. 7. — Malus princeps quaſi clibanus. 2. Paral. 29. 4. Reg. 23. — Claudianus. — Matt. 18. — Gen. 9. Exquirit Deus ſanguinem de manu principum. — Oleaſter. — Deteſtatio homicidij. — Imago Dei ſe [illegible] homicida, hoc eſt, homo. — Sap. 6. — Punit Deus eos, qui male præſunt aliys. — Papæ Martyres Romæ trecenta Martyrum millia. — Franciſcus Arias. — Ioſue exemplo [illegible] principibus exemplum præbet prudentiæ.

Margin notes (right): Deus pollicetur Ioſue auxilium quod ſubditi illi optant. — Horatius in Arte. — Pondus ſui officij non ſentiunt, qui in alienos reijciunt humeros. — Moſis honorum recuſatio. — Exodi. 3. — Deus auget Moſem ope cœleſti, vt beat [illegible].

CAPITIS SECVNDI LIBRI IOSVE.

PERIOCHA.

Caleb & Phinees exploratores.

MITTIT Ioſue, diuino admonitus oraculo, exploratores duos, quos Hebræi dicunt fuiſſe Caleb. & Phinees, in Hiericho: vbi à Rahab benignè excepti, & ne à ſatellibus Regis caperentur, abſconditi, per montana tandem, eò vnde miſſi ſunt, incolumes, & læti peruenerunt. Hæc illorum ſunt verba. Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus noſtras, & timore proſtrati ſunt omnes habitatores eius.

CAPITIS SECVNDI SECTIO PRIMA.

A Miſit igitur Ioſue filius Nun de Setim, duos viros exploratores in abſcondito, & dixit eis: ite & conſiderate terram vrbémque Hiericho. Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieuerunt apud B eam.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Miſitque Ioſue filius Nun, è Setim duos viros exploratores, clam, dicendo: Ite, videte terram, & Iericho, & iuerunt, & ingreſſi ſunt domum mulieris cauponæ, & nomen eius Rab, & dormierunt ibi.

C *Hebraicè.* Miſit itaque Ioſue filius Nun, de Sitim, duos viros, qui arte quadam, & occultè explorarent hiſce mandatis: Ite, & perſpicite terram, atque Iericho. Qui abeuntes diuerterunt in domum cuiuſdam mulieris, quæ erat caupona meritoria, cui nomen fuit, Rahab, & quieuerunt illic.

70. *Interp.* Nihil habent diuerſum à vulgata, pro, *domum mulieris meretricis*, habent, οἰκίαν γυναικὸς πόρνης. Eſt autem ἡ πόρνη, meretrix, vnde πορνοβοσκεῖον, vel, πορνεῖον, lupanar, & πορνεία, fornicatio.

Explicatur contextus.

1. MIſit igitur Ioſue filius Nun de Setim duos exploratores.] Præcedenti capite actum eſt de Oraculo, à quo Ioſue, quid oporteret agere didicit. Hic exponitur exploratorum emiſſio particula, *igitur*, hic non eſt illatiua, ſed potius coniunctiua idem ſignificans quod, *Et*, vnde in Hebræo eſt: *Et miſit Ioſue*, &c. Aduertit hic Caiet. quod etiam annotauit Abulenſ. q. 2. ſuperiori capite, deſcriptam fuiſſe promulgationem præparationis ad tranſitum Iordanis quoad tempus, hoc eſt triduò ante tranſitũ, non tamen quoad locum: miſſionem verò exploratorum deſcribi, quoad locum videlicet, de Setim, vbi erant caſtra Hebræorum, non tamen quoad tempus. Intelligitur tamen ex Hiſtoria ipſa, vtraque circunſtantia. Et quidem in manſione Setim fuiſſe promulgatam præparationis ad tranſitum Iordanis legem, ex eo conſtat, quod vna tantùm nocte fuit populus in ripa Iordanis, vt infrà ex Hebræo patet cap. 3. In eadem manſione iuſſum fuiſſe Rubenitis & Gaditis, vt armati præcederent fratres ſuos, quod illi admiſerunt, initi olim pacti non obliti. Tempus autem, quo exploratores miſſi ſunt ex eodem loco, certum eſt fuiſſe ante prædictam promulgationem præparationis populi. Cæterùm quamuis certum ſit fuiſſe priùs miſſos (ſiquidem in ſui muneris executione pluſquàm tres dies conſumpſerunt) dubium tamen eſt, quot diebus fuerint priùs miſſi, id nos infrà definiemus. Interim videndum eſt, ſiántne omnia, quæ ad miſſionem & præparationem pertinent ex præſcripto diuino. Caiet. namque præparationem quidem populi diuino iuſſu fuiſſe indictam à Ioſue arbitratur recedens ab Auguſt. & ab hiſtoria ſcholaſtica. Non tamen miſſionem exploratorum, ac propterea ſcripturam viſam fuiſſe anticipatione præponendo promulgationem, quæ poſteriùs facta eſt, miſſioni exploratorum. Quia, *rat*, inquit. *fuit vt liber Ioſue initium à diuina diſpoſitione haberet & quod humano fuerat conſilio factũ ſubiungeretur*. &c. Excuſat tamẽ Ioſue à peccato, quia ea miſſio, licèt Dei monitu non fuerat inſtituta, idonea tamen erat ad Hebræorum animos contra Chananæos metu territos, magis inflammandos. Idem ait Abulenſ. q. 3. ſuper cap. 2. Non video tamen vnde Caiet. conijciat, quod affirmat. Quare oppoſitum mihi veriſimilius, vel eo argumento videtur, quia Deus explorato-

Exploratores duo mittuntur a Ioſue.

Caiet. Abulenſ.

Ioſ. infra c. 3.

Caiet.

res periculis protexit, & miſſionem ipſam multis modis reddidit illuſtrem. Præterea cur potius præparatio ciborum dicenda eſt à Deo inſtituta, quam miſſio exploratorum? An parui momenti res eſt?

De Setim.] Setim, vltima eſt 42. manſionum, in quibus fuerunt caſtra Hebræorum: vocarúrque alio nomine Belſetim, vel, vt Hieronym. refert in Epiſtola ad Fabiolam, Abel ſitim: quod ipſo interprete, eſt luctus ſpinarum. Tropologice luctú ſpinarum rectè dixeris hunc mundum, in quo, tanquam in poſtrema manſione: vbi, vt Paulus ait, quotidie morior; Luctus & vltrices poſuere cubilia curæ: vt ingredi, vel ſpinis puncti ad terram promiſſam optemus. Audi Pſalm. *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* Admonet nos luctus, *admonent & ſpinæ*, vt Moſe mortuo, qui terrena promittebat: ſequamur Ioſue, ſiue IESVM cæleſtia promittentem. Orig. hom. 2. Idem ſuadet, *Si conſideres*, inquit, *Hieruſalem ſubuerſam, altare deſtructū nuſquam eſſe ſacrificia, aut ſacerdotes, aut Iudaicas feſtiuitates: Dices, quia Moſes mortuus eſt. Si conſideres introire gentes ad fidem, Eccleſias extrui, altaria, non pecudum ſanguine, ſed Chriſti conſecrari: Sacerdotes & Leuitas verba Dei prædicantes: dices, quia poſt Moſen, IESVS obtinet principatum, non filius Naue, ſed filius Dei; quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, 1. Cor. 5. *Spinas relinquamus, quas Phariſæi veſtibus inſerebant. Spinas coronæ Chriſti veneremur, vt capiti noſtro copulari in cœlo mereamur.* Porrò hic locus, Belſetim vocatur in catalogo manſionum, Num. 33. *Profectique de montibus Abarim tranſierunt ad campeſtria Moab ſuper Iordanem, contra Hiericho*, ibique caſtrametati ſunt de Bethſimon, vſque ad Belſetim, in planioribus locis Moabitarum. In hac manſione commorati ſunt Iſraelitæ moriente Moſe, & perſtiterunt vſque dum ad Ioſue locutus eſt Deus, vt tranſmitteret Iordanem. Quid in hac manſione ſit geſtum, curſim narrat Hieron. tom. 5. in epiſtola ad Fabiolam, de quadraginta duabus manſionibus. Orig. & D. Ambr. in peculiari tractatu.

Duos viros exploratores.] Duplex aſſignari poteſt cauſa mittendi exploratores. Prima eſt, vt adderetur animus Iudæis, cum ſcirent ex illorum narratione trepidare hoſtes. Secunda, vt liberaretur Rahab, de qua etiam Reges, & ipſe Rex Regum Meſſias erat naſciturus. Imitatus eſt autem Ioſue in hoc facto Moſen, qui de Cadesbarne, vt dicitur Num. 13. exploratores olim miſerat. Elegiſſe verò Ioſue viros prudentes, & virtutis ſtudioſos, ad hoc munus officij obeundum, probabile eſt, ne videlicet, ſi ignaui eſſent, iterum turbarent populum, ſicut illi à Moſe deſtinati, de quibus Num. 13. & 14.

3. Rogabis, quinam fuerint hi exploratores? Rab. Salomon affirmat, vnum fuiſſe Caleb, ex tribu Iuda, alterum Phinees filium Eleazari, & nepotem Aaron ex tribu Leui. Caleb, fidem expertus iam fuerat Ioſue in prima miſſione: de illo dicitur Num. 14. *Caleb autem ſeruum meum, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me: inducam in terram hanc, quam circuiuit, & ſemen eius poſſidebit eam.* Ex cæteris Hebræis Phinees collega acceſſit, qui deteſtatus legis tranſgreſſionem, Zambri principem tribus Simeon cum Madianitide coeuntem transfodit, & placauiſſe Dei iram eo facto, commemoratur Num. 25. in laudem Phinees dictum eſt Pſalm. 105. *Stetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio.* Genebr. *Placauit*, inquit, *iram Dei, ſumendo ſupplicium de tranſgreſſoribus*: Exorauit cum ſuis precibus, cohibuit cladem: Supplicia impiorum placant iram Dei. *Palal*, hoc ſignificat. Vnde *Tephilla*, precatio. Alij pro, *placauit*, vertunt, *iudicauit*, ſiue, *iudicium exercuit*, ſcortatoribus interfectis, & haſta transfoſſis, Num. 25. *Quaſſatio*, Hebr. *plaga*, qua perierant de populo 24. hominum millia & principes Iſrael fuerant ſuſpenſi, Num. 25. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis*. &c. Propter Phinees deſiit cædes, quæ longiùs progreſſura videbatur ob adorationem idoli Phogor, ſiue Priapi, apud Madianitas.

In abſcondito.] Pagn. vertit, *clam*, Vatabl. *arte quadam, & occultè*. Chald. *ſecretò*. Hæc particula, inquit Caiet. poteſt referri vel ad populum Hebræum; ita ſcilicet vt populus ignoraret miſſos fuiſſe exploratores; vel ad corporis cultum, & indumenta. Mihi videtur occultè ſubornatam fuiſſe hanc miſſionem, quia è re nata erat, ne de ea hoſtes quicquam ſuſpicarentur: atque hanc eſſe cauſam puto, cur non duodecim, vt olim, ſed duo tantùm mittuntur. Nam quando Moſes, Num. 13. luſtrari iuſſit terram Chanaan Hebræorum caſtra procul poſita erant, nec fama increbuerat de illorum aduentu, & conſilijs; atque adeò potuerant duodecim viri aſcendere à deſerto Sin, vſque Roob, & venire in Hebron, & ſine periculo quadraginta diebus, luſtrata tota terra Chanaan, eò reuerti, vnde digreſſi fuerant. Nunc autem prope Iordanem erat Iſraeliticus exercitus victor Amorrhæorum, & magnopere timebant Chananæi præſertim Hierichuntini, illius aduentum. Quare, ſi, vel ſuſpicio eſſet de exploratoribus, nihil non agerent donec eos comprehenderent, vt res ipſa declarauit. Oportuit ergo & paucos mitti, vt facilè occultarentur, & ſecretò, ne agnoſcerentur, vel ab ipſis Iudæis, ne initiū conſilia ne proderentur, vt fit, à domeſtico aliquo inſidiatore. Accedit boni eſſe ducis, & cordati, occultare belli conſilia. Vnde Tribuno militum cuidam è iunioribus, percōtanti Metellum, quid eſſet facturus; ſi eius rei, inquit, ſcirem mihi tunicam eſſe conſciam, exutam in ignem conieciſſem. Apoph. li. 5. titulo Cœlius Metellus, nu. 2. Eſt, & Antigoni Macedonum Regis, celebris ſententia, Apoph. lib. 4. titulo Antigonus Rex. num. 4. Is enim Philippo filio multis præſentibus percontanti ac dicenti: Quando caſtra mouebimus? Quid, inquit? Num metuis, ne ſolus tubam non audias? Notans filij imprudentiam, qui multis audientibus ſciſcitaretur; cùm in bello celanda ſint conſilia principum, ne ante ſignum tubæ, animi commoueantur. Hoc enim dato, id ſequitur, quod expreſſit Virg. 8. Æneid.

—Vt belli ſignum, &c.
Extemplo turbati animi, ſimul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, ſæuitque iuuentus,
Effera, &c.

4. Cur autē duo potiùs, quàm vnus electi ſunt ad explorandum? quia vnus ſi ſolus eſt, timet plerumque in negotiis magni momenti: nec res aggreditur difficiles adiutore deſtitutus. Vnde Eccleſ. cap. 4. ait Salomon. *Melius eſt duos eſſe ſimul, quam vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si enim vnus ceciderit, ab alio fulcietur. Væ ſoli; quia cum ceciderit non habet ſubleuantem, et ſi, quiſpiam præualuerit contra vnum duo reſiſtunt ei*, &c. Prætereà accidere potuit, vt vnus comprehēderetur. Quid tunc remedij? vno autem comprehenſo, cùm duo

Hieronym.

Pſal. 51.

Num. 33.

Hieronym.

Origenes.

Num. 13.14.

Num. 25.

Pſal. 105.

Num. 24. 25.

Phogor turpiſſimum idolum.

Pagninus. Parap. Chald. Caietanus.

Num. 13.

Cur pauci exploratores, & quaſi furtim mittantur?

Se retum arcā ſeruandum exemplo Metelli.

Apoph.

Antigoni ſententia, notans imprudentiā filio rogantis patrem, vt ſecretum aperiret.

Cur mediti duo exploratores, quam vnus non expediunt.

Eccleſ. 4.

mittuntur, alter, quis ſit rerum ſtatus renuntiabit. Pro particula *in abſcondito*, in Hebr. eſt חרש *Heres*. quæ dictio æquiuoca eſt; ſignificat enim *magiſtrum*, vel, *teſtam terream* vel, *ſurdum*, vel, *abſconditum* Iuxta has ſignificationes, quatuor expoſitiones afferunt Hebræi, quas annotauit Abulen. q. 11. ſuper cap. 2. Prima eſt, dediſſe Ioſue exploratoribus inſtrumenta fabrilia, quæ geſtarent in manibus, vt magiſtri, ſiue fabrilignarij a Chananæis Hierichuntinis exiſtimarentur eſſe, non autem inſidiatores. Secunda, ſuſpendiſſe Ioſue ollas fictiles, & vrceos collo exploratorum, vt non exploratores, ſed fictilium rerum propolæ (hoc eſt, negotiatores, qui merces minoris præmunt, vt poſtea pluris vendant) viderentur. Tertia, inſtruxiſſe eos, vt ſurdos ſe fingerent, & mutos, vt, eo artificio, ſe à colloquio multa inutiliter interrogantium (quæ hominum curioſitas eſt) quaſi ſurdi & muti facilè expedirent; itémque, ne Hebræa lingua, vtentes agnoſcerentur. Sic enim 1. Reg. 21. finxit ſe Dauid fatuum coram Achis Rege Geth. Pingebat monſtra in portis, & defluebant ſaliuæ per barbam, vt ignotus eſſet. Sic enim ait Scriptura: *Et immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ*: in Hebr. *Et mutauit ſaporem*, id eſt, ſapientiam ſuam, *in oculis eorum*, *& inſaniuit in manu eorum*, id eſt, geſtus hominis inſani imitatus eſt; & deſignauit ſuper oſtia portæ, hoc eſt, more inſani, formabat ſigna in valuis, &c. Sic Brutus olim vt euaderet mortem; ſtultitiam ſimulauit. *Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, vt eſſet. Tutus ab inſidiis Sexte ſuperbe tuis*: vnde illud, *ſtultitiam ſimulare loco prudentiæ ſumma eſt*. Quarta expoſitio eò innititur, quod חרש. ſignificat abſconditum. Dicunt ergò Hebræi, à Ioſue fuiſſe abſconditè dimiſſos exploratores, ne populus aliquid mali timeret futurum, ſicut accidit, quando Moſes de Cadesbarne alios emiſit. Hæc expoſitio, præ cæteris placet Caietano, licet hanc non aſſignet rationem, quæ ſanè parum habet momenti, quid enim mali timere poterat populus? ſicut & illa, quam Abulenſ. adducit ad impugnandam totam hanc expoſitionem, nimirum iraſci populum debere redeuntibus exploratoribus, ſi eos miſſos fuiſſe conſtaret ipſis rem ignorantibus. Cur enim iraſcerentur, quibus Euangelia pro felici nuntio, deberent? Prudentiam potius ducis laudarent, & conſilia euentu ponderantes, recta fuiſſe decernerent. Legitima ratio eſt, quia arcana conſilia, paucis aperienda ſunt. Vnde Luc. 8. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni*, &c. & Iudith c. 8. *Faciat*, inquit, *Deus conſilium meum* hoc eſt de occidendo Olopherne, quod nemini aperuerat. *Orate, vt firmum faciat Deus conſilium meum*. ait illa, iam ad facinus properans omni memoria dignum.

5. *Ite, & conſiderate terra, vrbémque Hiericho.*] In Hebræo habetur, *& Hiericho*, quod annotauerim, vt ſcias, Ioſue duo in his verbis commendaſſe. Vnum, vt explorarent omnem terram propinquam vrbi Hiericho: quia fieri potuit, vt Chananæi ad vada Iordanis, & per loca finitima, diſpoſitas haberent inſidias. Alterum, vt viderent, quæ præſidia hominum, aut armorum haberet in vrbe Rex Hierichuntinus, ad propulſandum Hebræorum exercitum.

6. *Qui pergentes, ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis.*] Pagn. Cauponæ: Chal. mulieris Cauponatrix. Ad hanc vſque domum perrexerunt exploratores innoxij: vnde in Hebr. eſt: *& venerunt, & ingreſſi ſunt*. Illud incertum eſt, fuerit ne Rahab meretrix, an Caupona? cuius dubij cauſa eſt vocabulum Hebræum, quod æquè vtrumque videtur ſignificare. Et quidem, quod fuerit meretrix, frequens huius vocis זונה. *zona*. vſus apud Hebræos teſtatur, & 70. qui vertunt πόρνη, ſiue autem fuerit meretrix, ſiue non, viduam fuiſſe exiſtimat Caiet. eo quod nulla fiat mariti mentio, & virginem puellam dedeceat, officium cauponæ exercere. Accedit, ipſam cùm patrem & matrem, fratréſque haberet in ciuitate, domum adminiſtraſſe, & domeſticæ rei curam geſſiſſe.

7. *Nomine Rahab.*] Apponitur nomen; quia hæc fœmina illuſtrem poſteà habuit dignitatem apud Iſraelitas. Nupſit enim Salmoni principi tribus Iudæ, felixque prole Regum: à D. Matthæo in Genealogia ſaluatoris, nominatur.

Et quieuerunt apud eam.] In Hebr. eſt, *dormierunt*. ſiue *iacuerunt*, vt ſignificetur exploratores ea nocte, nemine interpellante, apud Rahab manſiſſe; ſequenti verò die, ſub veſpere, de illorum aduentu Regem Hiericho factum fuiſſe certiorem. Idoneam autem eſſe noctem inſidiis indicat Virg. 2. Æneid. agens de Græcis expugnatoribus Troiæ,

Inuadunt vrbem ſomno vinóque ſepultam.
Cæduntur vigiles: portiſq; patentibus omnes
Accipiunt ſocios, atq; agmina conſcia iungunt.

Verſ. 1.] Miſit igitur Ioſue de Setim duos viros exploratores.

Rectène fecerit Ioſue mittens exploratores.

ANNOTATIO I.

1. CVM Deus prædixerit Ioſue traditurum ſe hoſtes, in manus illius, videri poteſt miſſio exploratorum vitio danda, cùm modicam fidem haberi diuinæ, promiſſioni arguat. Cæterum, qui meminerit Moſem, non fuiſſe reprehenſum à Deo, quod è Cadesbarne exploratores miſerit in terram promiſſam, Num. 13. factum Ioſue haudquaquam vitio vertet. Imo prudentiam laudabit humanam: Fas enim eſt etiam, cum Deus aliquid promiſit, eos actus exercere, qui nec ſunt definiti, nec prohibiti; ſi autem Deus definierit alicui certum modum agendi, vel humanæ prouidentiæ actum vetuerit, modicæ erit fidei ad humanam recurrere prudentiam: quod accidit Apoſtolis, quibus Chriſtus dixerat, Matt. 10. *Cum enim tradent vos, nolite cogitare, qualiter, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Vnde, vt rectè aduertit Abulenſ. q. 3. in cap. 2. Ioſue ſi Apoſtolus aliquis, cùm duceretur ad Reges, & præſides, nollet, niſi meditatò reſpondere, grauiter peccaret, ob iniuriam, quam Deo faceret, diffidẽs promittenti ſe daturum in illa hora, quid loqueretur; ſublato tamen Chriſti præcepto, prudentiæ eſſet, ſi Apoſtolus quamuis multùm diuinæ confideret bonitati ſibi adfuturæ, reſponſionem præcogitaret. Quamuis autem, id mea ſit Abulenſis interpretatio, tamen arbitror, à Chriſto non vetari omnem præcedentem meditationem præcepto ali-

quo

Heres in Hebr quatuor ſignificat, artificem, figulum, ſurdum, abſconditè.
Abulenſ.
Exploratores, occultabãt multis modis, conſilium ſui aduentus Chananæis.
1. Reg. 21. Dauid apud Achis finxit ſe fatuum.
Ouid Faſt. 2. Stultitiam ſimulare in loco, ſapientia eſt.
Caietanus.
Abulenſ.
Luc. 8. Arcana principum conſilia, paucis aperienda ſunt. Iudic. 8.
Explorandæ erat terra, & vrbis præſidia.
Pagnin. Chald.
Fueritne Rahab meretrix, an cauponaria?
Zona Hebr. meretrix.
Caiet.
Rahab fuſſe Regum prole.
Matth. 1.
Nox inſidiis idonea eſt. Virg.
Num. 13.
Fas eſt eos actus exercere qui nec ſunt vetiti, nec interdicti.
Matth. 10.
Abulenſ.
Quo modo intelligatur præceptum, quo cauet Chriſtus ne præmeditent, quid reſpondeant coram Tyrannis.

quo: ſed eam, quæ diffidentiam diuinæ prouidentiæ & opis habat: quæque nimio metu, ac ſolitudine liberam impediat Euangelij prædicationem. Quare rectè Ioſue ſe geſsit in miſsione exploratorum, cum de ea re, diuinum non acceperit reſponſum, cuius ſacra meminerit hiſtoria, quamuis probabile ſit, id factum, ex diuini oraculi præſcripto, vt nos ſuprà aduertimus, & annotauit Abulenſ. q. 3. citata.

Infra cap. 7.

2. Hac poſteà vſus etiam fuit prudentia, mittens exploratores, contra vrbem Hai, antequàm eam bello oppugnaret, vt patet infra cap. 7. Didicit autem ex illorum narratione non eſſe opus, eò conferre omnem exercitum; ſed ad duo, aut tria hominum millia. Itaque commoditas magna eſt ad rectam exercitus adminiſtrationem, explorare hoſtium conſilia, regiones, vires. Explorandi námque verbum in vtramque partem accipi poteſt. Aliquando enim actum eorum ſignificat, qui vt noceant, fraudulenter inſidiátur: quales fuerunt Iudæi, de quibus Apoſtolus ad Gal. 2. *Subintrauerunt*, inquit, *explorare libertatem noſtram*, &c. vbi D. Ambroſ. *Explorare*, inquit, *eſt ſic intrare, vt aliud fingant, & aliud quærant, quò poſſint accuſare.* Aliquando, in bonam partem ſumitur: vt cùm eorum actum exprimit, qui in ijs, quæ rectè agunt, vt proſperè ſuccedant, omnia prætentant. Ineſt in hac explorandi ratione, magna ſcientiæ militaris commendatio. Hanc Ioſue, cùm aliàs ſæpe, tum in hac Hierichuntina luſtratione expertus eſt. Nouit enim fractos eſſe hoſtium animos, & patere ingreſſum ſuis copijs ad terram promiſſam.

Moſes miſit exploratores anno ſeſquialtero ab exitu de Ægypto. Ioſue verò in principio anni 41.

3. At, dices: ſatis exploratam fuiſſe terram Chanaan tempore Moſis. Reſpondetur, id quidem verum eſſe, interfluxiſſe tamen longum tempus, hoc eſt annos 39. iam inde ab ea luſtratione vſque ad hanc. Moſes námque, miſit exploratores anno ſeſquialtero ab exitu de Ægypto. Ioſue autem in principio anni quadrageſimi primi. Quam enumerationem deducit Abulenſ. q. 4. Quare cùm in longo tempore, multa potuerint nouè accidere, aliuſque rerum fuerit ſtatus, prudentiæ fuit, nouos mittere exploratores. Præterea licèt conſtaret ex præcedenti miſſione, de agrorum, & montium ſpatijs, de vrbium ſitu, & propugnaculis, de hominum proceritate, &c. Non tamen conſtare poterat, niſi per exploratores, quænam præſidia haberet vrbs Hierichuntina quæ ſtatim erat oppugnanda: vnde ait Ioſue. *Ite, & conſiderate terram, vrbémque Hiericho.*

Verſ.1.] Ite, & conſiderate terram, vrbémque Hierico. Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis nomine Rahab.

Quomodo tranſierint exploratores Iordanem, & domum Rahab elegerint.

ANNOTATIO II.

Exploratores, quomodo tranſierint Iordanem ...

1. VNo è tribus modis potuerunt exploratores tranſire Iordanem: miraculo ſcilicet, ponte, aut vado (Nam cymbæ mentio non eſt, dum agitur de tranſitu Iordanis.) Verùm, nec miraculo tranſierunt, cùm id fuerit dilatum, ad oſtendendam diuinæ potentiæ & beneuolentiæ erga Hebræos magnitudinem vſque dum fluuium traijcerent. Nec ponte: nullus enim erat in Iordane: Alioqui quid opus eſſet miraculo in diuiſione aquarum? Nam miracula non fiunt ſine neceſſitate, & infrà dicuntur Hierichuntini perſequi exploratores per viam, quæ ducit ad vada Iordanis, non autem ad pontem Iordanis ſupereſt igitur, vt vado tranſierint. Licet enim Iordanis ingens ſit fluuius, nihilominùs vada habet præſertim propè Hiericho. Vnde Iudic. 3. *Deſcenderúntque poſt eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ tranſmittunt in Moab, & non dimiſerunt tranſire quempiam*, &c. Agitur de Aod, qui occiſo Eglon Rege Moab, cecinit tuba in monte Ephraim, & percuſſit circiter decem millia Moabitarum. Qua victoria 8. annis pacem ſtabiliuit in Iſraël. Iuuit ad hanc victoriam occupaſſe vada Iordanis. Dices ſi vada habuit Iordanis, quid opus poſteà fuit miraculo in tranſitu vniuerſi populi? Habet quidem vada, ſed non ita multa, vt celeri traiectioni tantæ multitudinis ſufficerent. Accedit interdum, ita aquis intumeſcere Iordanis alueum, vt vadari non poſſit, quod in alijs fluminibus etiam contingit. Quare euntibus, & redeuntibus exploratoribus, cum nondum defluxerint reſolutæ niues ex Libano, vadum fuit. Hoc autem vadum triduò, aut quatriduò poſt, alluuione, quæ ſolet tempore meſſis fieri, ita occultatum fuit, vt tranſiri non poſſet ab Iſraelitis; atque adeò opus erat miraculo, de quo infra cap. 3.

Iudic. 3.

Aod victor occiſo Rege Moabitarum.

Vada Iordanis qualia?

Tempore meſſis Iordanis intumeſcit regelatis niuibus.

Cur ad domum Rahab diuerterint exploratores.

2. Rogas cur in domum potius Rahab, quàm in aliud hoſpitium ingreſſi ſint exploratores? Primùm diuino id conſilio aſcribendum eſt, quo electa erat fœmina illa, vt ab anathemate vrbis ſuæ liberata, ad populum Dei, & religionem aggregaretur ad auſpicium futuri Meſſiæ, vt dicitur Matth. 1. & Luc. 3. deinde humanæ etiam prudentiæ exploratorum. Volebant enim, prope ciuitatis portam, hoſpitium habere, ne cogerentur per vrbem vagari. Oportebat námque non agnoſci à ciuibus quandiu negotium ſuum gerebant. Erat præterea commoditas exeundi cum vellent, procul à ſuſpicacibus oculis, quia Rahab domus, & hoſpitium erat publicum, & muro hærebat, vt dicitur infra.

Matt. 1. Luc. 3.

Rahab, an fuerit caupona?

3. An Rahab fuerit meretrix, vt habet vulgata editio, an potius Caupona, vt Pagninus vertit, & Chald. Paraphraſis, aliqui dubitant. Expoſitores aliqui, præſertim Hebræi, affirmant eam meretricem fuiſſe: non tamen ad eam, malo animo ingreſſos fuiſſe exploratores. Sed vt in domo illius, quæ noctu hoſpitibus patebat, tutò laterent. Alij eam fuiſſe meretricem fatentur: Sed ſub aduentum exploratorum ab eo vitio abſtinuiſſe, aut fortè multis antè annis. Vocari tamen meretricem, ſicut Simeon, in cuius domo Chriſtus recubuit, Marc. 14. licèt tunc ſanatus iam eſſet à lepra, quia tamen aliquando ea fuit infectus, leproſus nominatur. Cæterùm Lyranus eorum improbat ſententiam, qui eam verè meretricem fuiſſe putant, vel, multò ante aduentum exploratorum, à quo vitio iam fuerit emendata, vel adhuc in ipſo aduentu. Mouetur eo Lyranus, quod hæc mulier matrimonio poſteà Salmoni nobiliſſimæ tribus Iudæ principi fuerit copulata, vt

Pagninus. Chald.

Lyranus non admittit Rahab fuiſſe meretricem.

Matt. 1.

A pater Matth. 1. Dedecebat autem, vt famoſa mulier nuberet tam præclaro principi. Atque eam fuiſſe cauponam ſeu meritoriæ tabernæ dominam, non autem impuræ vitæ notam infamem, quod aliqui Iudæi ſentiunt. Abulenſ. q. 14. in cap. 2. Ioſue affirmat eam verè, & propriè fuiſſe meretricem, non quidem vile proſtibulum, ſed Magdalenæ inſtar, quæ, vt refert Luc. 7. *mulier in ciuitate peccatrix* dicebatur, non quod omnibus expoſita eſſet, ſed quia malè audiebat in ciuitate. Probat ex voce Hebræa, *Zona*, quam credit non eſſe æquiuocam, ſed ſemper, & propriè meretricem, & fornicariam ſignificare & ex Hieronym. vocante eam in tranſlatione, qua vtimur meretricem. Quod autem duxerit eam Salmon, in B cauſa fuit, inquit, mutatio ſtatus, & gratificatio occultationis exploratorum. itémque nobilitas, qua licet domum haberet hoſpitalem, inter Hierichuntinos, oppidò excellebat, ſuffragatur huic ſententiæ Carthuſ. affirmans eam, voce Hebræa, & meretricem deſignari, & venditricem. Quod plerique ex Hebræis fatentur.

Abulenſ opinio Iudæis contraria.

Luc. 7.

Hieronym.

Rahab nupſit Salmoni ob occultationem exploratorum.

Dionyſ. Carthuſ.

Verſ. 1.] Ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis nomine Rahab, &c.

Cur Chriſtus de obſcuris, aut flagitioſis progenitoribus, qualis fuit Rahab naſci voluerit.

ANNOTATIO III.

1. CVM Rahab conſtanti Patrum ſententia, non ſolum Caupona, ſed etiam meretrix fuiſſe dicatur, meritò quæri ſolet cur de illa, déque alijs parentibus vitio notatis, Chriſtus naſci voluerit, & quidem licèt cùm Matth. 1. dicitur: D Salmon autem genuit Booz de Rahab, aliqui dubitant ſitne illa Hierichuntina, quæ in genealogia ſaluatoris nominatur, ân alia eiuſdem nominis, vt Theophy. & Autor operis imperfecti, qui neutram in partem propendent. Omnes alij, quos viderim ipſiſſimam fuiſſe affirmant, adduntque nominatam fuiſſe, non quia alienigena fuerit, aut meretrix, ſed quia de populo Dei benè merita, ob receptionem exploratorum, & fidei vnius Dei, quam ſoli Hebræi id temporis colebant. Quod etiam in cauſa fuit, vt à Salmone, qui princeps erat tribus nobiliſſimæ coniugio iungeretur. Quamuis enim lex huiuſmodi connubia vetaret, Exod. 34. 16. Deut. 7. 3. & 23. E 17. 3. Reg. 11. 2. non tamen propterea Salmon exlex dicitur. Nam Rahab iam per id tempus meretrix eſſe deſierat, & lex, connubia alienigenarum non eo vetabat, quòd alienigenæ eſſent, ſed quòd idololatræ. Quis enim neſciat magnam religionum confuſionem eſſe, cùm in eadem domo alter coniugum alia atque alia numina ſibi habenda, colendaque putat? Quandoquidem diſcordia hæc, non domibus tantum, ſed totis populis ac gentibus ruinæ cauſas afferat Iuuenal. Satyr. 10. ſic ait.

Theophyl.
Chryſoſt. Imperf.

Cur Rahab nominari meruerit in genealogia Saluatoris.

Exod. 34.
Deut. 7.
3. Reg. 11.

Studia natiuorum ad peculiaria numina.

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas:
Immortale odium, ac nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc:
A *Ombos, & Tentyra, ſummus vtrique*
Inde furor, vulgo quod numina vicinorum
Odit vterque locus cum ſolos credat habendos,
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Hinc fit, vt pacifici ſibi Iacob cum Sichimitis noluerint de tradenda ſorore ſua Dina in matrimonium principi Sichem, niſi admitterent cum circumciſione religionem Iudaicam, Gen. 34. Timent enim, qui vnam religionem rite colunt, ne ſi in eadem vrbe vel domo diſpar cultus ſit, turbatio magna oriatur. Idcircò apud Hebræos vetita erant alienigenarum connubia. Hæc enim legis ratio redditur, Exod. 34. 16. *Ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in* B *Deos ſuos.* Qua ſublata cauſa, alienigenas vxores ducere fas erat. Nam & Dauid legimus, 2. Reg. 3. 3. Maacham filiam Regis Geſſur, ſine legis præuaricatione duxiſſe. Hæc enim, relicta ſuperſtitione ante nuptias, licet id non exprimatur, ad Hebræorum religionem acceſſit. Quod etiam de Rahab ſcriptura non obſcurè ſignificat, cuius illa eſt, ad veram fidem conuerſæ, in hoc capite confeſſio. *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* Hoc ipſum de Ruth Moabitide, quæ etiam alienigena fuit, intellige, cuius pietas extat in reſponſione iſta ſocrui ſuæ reddita cap. 1. *Populus tuus populus meus, & Deus tuus, Deus meus.*

Gen. 34.

Alienigenarum connubia cur prohibuerit Exod. 34.

2. Reg. 3.

Quædam fœminæ illæ ad fidem conuerſæ ante nuptias.

Ruth. 1.

C 2. Ad quæſtionem ergò propoſitam reſpondebis, ſi recolas animo, quod D. Hieronym. ſuper cap. primo Matth. annotauit, nimirum in Chriſti genealogia, nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas ſolùm, quas ſcriptura reprehendit nominari. Thamar, quæ ſe Iudæ habitu expoſuit meretricis. Rahab, quam ſcriptura ipſa meretricem appellat: Ruth, quæ ante legitimas nuptias Booz ambiuit complexum. Berſabee, quæ cum Dauide adulterium admiſit. Huius rei cauſam cum Hieronymo, Ambroſius, Chryſoſt. Euthymius, & alij fuiſſe arbitrantur, vt intelligeremus voluiſſe Chriſtum, qui propter peccata veniebat, de peccatoribus naſci.

Hieronym.

In genealogia Chriſti ne peccatrices ſunt nominatæ.

Ambroſ. Chryſoſt. Euthym.

D 3. Quomodo igitur verum eſt, quod ſuper idem caput Matth. ipſe Hieron. & omnes alij interpretes docent. Ideò Euangeliſtam, tres Reges Ochoſiam, Ioam, & Amaſiam ſilentio prætermiſiſſe, quod impietatem Iezabel ſecuti eſſent? An quia hi in idololatria ad mortem vſque perſeuerauerint, illæ verò non item. Certè, in genealogia ſaluatoris decebat, eos præteriri, qui progenitricis impiæ, idololatriam, pietati, quæ aduentu Meſſiæ erat animis inſerenda, contrariam, obſtinate retinuerunt. Decebat etiam, vt ad eos, qui impietati renunciaſſent ſiue viri eſſent, ſiue fœminæ, aſſiceretur Dei filius, quamuis alijs peccatis eſſent inquinati. Malim idcircò excluſos E dicere, quod nati eſſent ex ſemine Achab. Nam Ioram, ex filia Achab, Ochoziam. Ochozias deinde, Ioan: Ioas verò Oziam genuit. Itaque nec propter ſua, nec propter patrum ſuorum peccata ſed propter peccata Achab, ex catalogo parentum Chriſti, deleti ſunt. Imò non tam propter peccata Achab, quam propter Dei promiſſionem, qui comminatus illi fuerat per Eliam ſe omnem illius poſteritatem omnino deleturum, 3. Reg. 21. quod vſque ad 4. generationem intelligendum erat, quæ in Amaſia terminata eſt. Nam vxor Ioram, filia Achab, prima erat generatio, Ochoſias ſecunda, Amaſias tertia &c. Iehu verò quia executus eſt voluntatem diuinam, licèt

Tres reges prætermiſſi in genealogia quod ipſi qui in impietate Iezabelis perſeuerarint vſque ad mortem.

3. Reg. 21.

Iehu, quod Dei voluntatem executus eſt promeruit regnum &c.

malus

malus eſſet, poſteritatem promiſit, quæ vſque ad quartam generationem regnaret.

Maldonatus.

4. Maldonatus, in expoſitione particulæ, *de Thamar*, aliam comminiſcitur cauſam, cur peccatrices potiùs, quàm aliæ honeſtæ mulieres, & ſanctæ à Matthæo nominētur. *Cæteræ*, inquit, *mulieres, & Iudaæ & legitimæ vxores fuerūt; ideoque opus non fuit eas nominari, quia nemo dubitare poterat filios, quos Euangeliſta recenſebat, ex illis fuiſſe procreatos. De Rahab autem dubitari poterat, quia fuerat meretrix, & alienigena: De Berſabee, quia adultera: de Ruth, quia Moabitis: de Thamar, quia extra legitimum coniugium, conceperat. Prætermiſit igitur Euāgeliſta, quod ordinarium erat, quódque per ſe intelligi poterat; quod autem ſingulare, ac dubium erat, expoſuit*. Hæc ille.

De peccatoribus & paganis naſci voluit Chriſtus quia ſanctificaturus erat omnes, ſiue Iudæos, ſiue Græcos.

1. *Thimoth. 1.*

5. Cæterùm illa generalior eſt, & fortaſſe verior ratio, cur Chriſtus ab obſcuris, & illaudatis aliquot progenitoribus, tam viris, quàm mulieribus naſci voluit: nempe quia *venit in hunc mundum, peccatores*, ſiue illi Iudæi eſſent, ſiue Græci, *ſaluos facere*, 1. Thimoth. 1. omnéſque electos quantumcumque peccatis corrupti eſſent, ſanctificare. Idcircò ex Gentilibus etiam Ruth, & Rahab ethnicas mulieres aſſumpſit, ne ſalutem ad ſolòs Iudæos pertinere. aliquis putaret. Voluit etiam, ne filios negligeremus, quamuis in parentibus vitium præceſſerit. Vnde Hieronymus epiſt. 61. ad Pammachium, aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani: Naſci, inquit, ex adulterio, non eius culpa eſt, qui naſcitur, ſed illius, qui generat. Quo modo in ſeminibus non peccat terra quæ fouet, non ſemen, quod in ſulcis iacitur, non humor & calor, quibus temperata frumenta in germen pullulant: ſed verbi gratia fur, & latro, qui fraude & vi eripit ſemina: ſic in generatione hominum recipit terra, id eſt, vulua, quod ſuum eſt, & receptum confouet. Et inter illas ſecretas ventris anguſtias, Dei manus ſemper operatur: idémque eſt corporis, & animi creator. Noli deſpicere bonitatem figuli tui, qui plaſmauit, & fecit, vt voluit. Iephte inter viros ſanctos Apoſtoli voce. Hebr. 11. numeratus, meretricis eſt filius. Sed audi ex Rebecca, & Iſaac, Eſau genitus, hiſpidus, tam mente, quàm corpore; quaſi bonum triticum in lolium, aue náſque degenerat: quia non in ſeminibus, ſed in voluntate naſcentis, cauſa eſt vitiorum, atque virtutum, vt enim ille ait. *Pro molli viola, pro purpureo hyacintho. Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis*, &c. Chryſoſt. etiam homil. 3. in Matth. tom. 2. *Numquam erubeſcamus*, inquit, *de vitiis parentum: ſed vnum quæramus illud, atque omnibus ſtudiis aſſequamur, nobilitari propriarum honore virtutum. Huiuſmodi enim, etſi alienigenam habeat matrem, etiamſi fornicatione pollutam, vel quolibet eiuſmodi dedecore ſordidatam; nihil tamen, de eius, aut vilitate fuſcabitur, aut crimine polluetur.* Paulò infrà. *E meretrici natus, & adultera, ſi propria virtute decoretur, parentum ſuorum nō decoloratur opprobriis*, &c. Rectè Auguſtinus philoſophatur in hanc ſententiam in lib. de bono coniug. cap. 16. tom. 6. circa finem. *Vndecumque naſcantur homines, ſi parentum vitia non ſectentur, & Deum ritè colant, honeſti & ſalui erunt*, &c.

Filij non ſunt contemnendi, ſi vitium in parentibus præceſſerit.

Hieronym.

Iephte filius fuit meretricis.

Hebr. 11.

Virgil. Egl. 5.

Chryſoſt.

Qui propria virtute decoratur, parentum ſuorum non decoloratur opprobriis.

Auguſt.

Nobilitas cum virtute copulata, magnifacienda.

6. Quod ſi obiicias; Dei donum eſſe, ac proinde magnifaciendum, de nobili, & à labe ignominiæ pura ſtirpe naſci, non negabo; modò qui tales ſunt, futili elatione non intumeſcant; alióſque inferioris notæ, nō contemnant; imò agnoſcant aliam eſſe nobilitatem pretioſiorem, & priori illi præferendam, de qua Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*. In hac abiecti homines, & obſcuri, ſi virtute præditi ſunt, non modò nobiles æquant, ſed etiam longè antecellunt. Id, vel vnius virginis Deiparæ exemplum oſtendit; cuius nobilitas extincta ferè iam erat; ſola illam virtus Regibus, & principibus longè reddidit clariorem. Adde Ioſephum Virginis ſponſum, & Chriſti nutritium, qui ad mechanicas artes conditione abiectus, virtute ad honores gloriæ immortalis eſt euectus. Hanc ergo cœleſtem philoſophiam, vt homines callerent, naſciturus in mundo Dei filius, non ſolùm iuſtos, & nobiles ſcribi in ſua genealogia parentes voluit, ſed etiam ignobiles, & quod magis mirere, flagitioſos. Quare non immeritò Ambroſ. lib. 2. de Apologia Dauid; poſt factam de adulterio Bethſabee, & inceſtu Thamar commemorationem, ait, non contaminari Chriſti gloriam, quòd ab iis trahat originem: *Quia inter homines*, inquit, *maior virtutis, quàm nobilitatis eſt gratia.* Idem exponens illud Luc. 2. Generatio viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? *Ad generationem referenda*, inquit, *eſt comparatio. Et ideò admonentur claritatem ſibi magis operis quàm nobilitatem generis vindicare. Quod ſi nulla in ſucceſſione prærogatiua ſit, niſi fidei, adſtipuletur hæreditas.*

Ioan. 1.

Nobilitas Virginis & Ioſeph qualis.

Vers. 1.] Miſit igitur Ioſue filius Nun de Setin duos viros exploratores.

De myſtica exploratorum ad Rahab miſſione.

ANNOTATIO IV.

1. IVXTA Origenem, & alios allegoricos interpretes, Ioſue nomine Chriſtus Dominus intelligitur, qui in abſcondito, ſeu inuiſibili modo Angelos, & prædicatores ad ſalutem hominum procurandam in mundum miſit, tanquam duos exploratores, quibus ait, *Ite, & conſiderate terram, vrbémque Hiericho*, hoc eſt, terræ vniuerſæ incolas, & eos, qui ſibi in ſeculo hoc nequam, cœleſtis patriæ obliti loca conſtruxerunt munita. Angeli námque mittuntur à Deo, vt homines, quibus cuſtodes conceſſi ſunt, & comites in periculis protegant, mentéſque inſtruant, & illuminent. Prædicatores verò mores explorant, in eóque ſunt toti, vt homines à vitiis, quibus impliciti ſunt, exoluantur, vtriuſque teſtamenti propoſita doctrina. Qui ingreſſi ſunt domum meretricis, nomine Rahab, & quieuerunt apud eam. Per Rahab, quæ interpretatur latitudo, ſignificatur gentilitas; Ad gentes ergo toto orbe diſperſas, miſſi ſunt tam Angeli, quàm Apoſtoli, ac reliqui prædicatores, & apud eas multo tempore commorantes, non ſine periculo mortis ſibi à Rege Hiericho inferendæ, in id ſtudium incubuerunt, vt ab idololatria, moribúſque inquinatis, ad veram religionem, & cœleſtem diſciplinam populos transferrent. Vnde & Chriſtus poſt reſurrectionem ad patrem iturus, diſcipulis dixit: *Euntes, docete omnes gentes.* Marc. 16. Paulus quoque & Barnabas, Act. 13.

Origenes.

Exploratores miſſi à Ioſue ſignificant Angelos, & prædicatores.

Rahab, id eſt latitudo.

Marc. 16.
Act. 13.

ingratis

ingratis, incredulíſque Iudæis dixerunt. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, ecce conuertimur ad gentes.* Prædicatores ad gentes miſſi ſunt, tanquam exploratores, quibus ait Chriſtus, Marc. 16. *Prædicate euangelium omni creaturæ.* Per Hiericho autem, quæ luna eſt, mundus lunæ inconſtantiæ imitator ſignificatur. Per hoc autẽ, quod duos exploratores miſit Ioſue, geminam charitatem intelligit Gloſſa prædicatoribus neceſſariam, qua & Deo obediant, & proximo ſubueniant. Quod (vt D. Gregorius annotauit, ſignificatum eſt, cùm binos miſit Dominus diſcipulos ante faciem ſuam. Qui ita mittuntur, longè abſunt à moribus effœminatis, quos Deus Ezech. 13. damnat in concionatoribus. *Et tu*, inquit, *fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo. Væ, quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito, & faciunt ceruicalia ſub capite omnis ætatis ad capiendas animas*, &c. Vtebantur puluillis, chartis, & phylacteriis reticularis,; quæ dabant viris, & fœminis prophetarum comminationibus territis, vt ſecuri eſſent, nec aliquid mali timerent. Pro, *ceruicalia*, Hebraicè eſt, *extendere ſortem*, vel, *rete*, ad capiendas ſcilicet animas. Hæ magæ delicatos, & voluptatibus deditos ſignificant concionatores. Vnde Origenes, Puluillus ſub cubito, eſt delicata vita, Hanc conſuunt, qui dicunt, Comedamus & bibamus. Et ob id, mulier dicitur reddere reſponſa. Prædicator, quæ plauſibilia ſunt tantùm inculcans poſthabita vtilitate auditorum, fœmina dici debet, non vir: ſic Ezechiel qui vera, & vtilia annuntians, Filius hominis, à Deo meruit appellari.

2. Origenes hom. 3. in Ioſue, per exploratores Angelos; per Rahab Eccleſiam Chriſti, ex gentibus præcipuè collectam intelligit, ſic enim ait: *Intered mittuntur ab* I E S V *exploratores in Hiericho, & ſuſcipiuntur à meretrice Rahab. Exploratores iſti, qui mittuntur ante faciem* I E S V *poſſunt, & Angeli Dei putari, ſicut ſcriptum eſt. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparet vias tuas. Quod per alios quidem inuiſibiliter; per Ioannem verò, viſibiliter complebatur, de quo etiam, hoc ſcriptum eſt. Denique de Ioannis baptiſmo dicitur à Domino, quia Scribæ & Phariſæi non crediderunt ei; meretrices autem, & publicani credentes baptiſati ſunt.* Hæc ille.

Origenes putauit Baptiſtam fuiſſe Angelum in carne viuentem.

Deinde addit: *Sic ergo etiam in hoc completur, quod meretrix* I E S V, *exploratores ſuſceperit, per quos, & de interitu totius inimicæ gentis refertur erepta. Sed videamus quidem, quæ eſt meretrix? Rahab dicitur, quæ interpretatur latitudo. Quæ eſt ergo latitudo, n. ſi Eccleſia hæc Chriſti, quæ ex peccatoribus, velut ex meretricatione collecta eſt? Ad eam dicitur, Dilata pedes tuos, & extende tentoria tua. Vel vt habet vulgata editio, Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum, extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida.* Iſai. 54. *Quæ hoc verſu dicuntur, eò ſpectant, vt ſignificetur non poſſe Eccleſiam Chriſti. vno loco, vna ciuitate, aut vna prouincia contineri: quemadmodum Eccleſia Iudæorum, quæ olim anguſtis, vnius prouinciæ finibus concludebatur. Iſta ergo latitudo eſt, quæ excepit exploratores* I E S V. *Idem duas meretrices; quarum vna viuum, altera mortuum habebat infantem, de quibus agitur lib. 3. Reg. 3. Eccleſia Chriſti, & ſynagoga accommodatiua tamen, vt Eccleſia ſit ea mater, cui verus Salomon, qui venit pacificare ea, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt, viuum filium adiudicauit. Synagoga verò, vel hæreticorum cœtus, illa ſit quæ mortuum habet filium. Eſt etiam alia meretrix, quam in Oſea, iubetur accipere propheta, in figura ſine dubio huius, quæ ex gentibus congregata eſt. Talis ergo & hæc meretrix eſſe dicitur, quæ exploratores accepit* I E S V. *Sed hæc ſuſceptos eos, in ſuperioribus collocat, atque in editis, & excelſis fidei conſtituit ſacramentis.* Hæc ferè ex Origene.

Iſai. 54.

Prophetia de Eccleſiæ dilatatione.

Eſai. 54.

3. Reg. 3.

Rahab figura Eccleſiæ.

3. D. Auguſtinus enarrans Pſalmi 86. verſiculum illum: *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me.* Per Rahab, & Babylonem gentium Eccleſiã intelligit, de qua dicta ſunt glorioſè multa à prophetis, ſic enim ait, *Meritò, glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Vbi non ſolùm eſt ille populus Iudæorum natus ex carne Abrahæ, ſed ibi omnes gentes, quarum quædam nominatæ ſunt, vt omnes intelligantur.* Genebrardus in explicatione eiuſdem verſiculi, & quinti ſequentis, ait, verba Dei in illis contineri loquentis de gentium multarum conuerſione, Rahab Ægyptus dicitur à ſuperbia. Alienigena Palæſtini, quoniam à Cappadocia in eas irruperunt terras. Deut. 2. Pro, *ſcientium me.* Græcè eſt, τοῖς γινώσκουσί με. id eſt, *ſcientibus me*, hoc eſt, viris Apoſtolicis hæc commemorabo, vt externas gentes, ad quas mittuntur, fidei myſteriis annuntiatis, Sioni ſubiiciant. Chald. ſic vertit: *Memorare faciam laudes tuas, ô Sion, Ægyptios & Babylonios.* Rahab ergo noſtra, cùm nomen hoc ſuperbam, & fortem ſignificet neglecta ſuperbia, laudem promeruit fortitudinis in protegendis Dei nuntiis. Eius nomine, inquit Theodor. gentes intelliguntur ignorantiæ, & ſuperbæ mentis vitio oppreſſæ, quæ ad Eccleſiam congregatæ ſunt. Vnde Auguſt. loco citato. *Memor ero*, inquit. *Rahab. Quæ iſta eſt? Meretrix illa Hiericho, Meretrix quæ ſuſcepit nũtios, & alia via eiecit, quæ præſumpſit in promiſſione, quæ timuit Deum cui dictum eſt, vt per feneſtram mitteret coccum, id eſt, vt in fronte haberet ſignũ ſanguinis Chriſti, ſaluata eſt ibi, & Eccleſiam gentium ſignificauit. Vnde Dominus* Matt. 21. *ſuperbientibus Phariſæis, dixit, Amen dico vobis publicani, & meretrices præcedent vos in regnum cœlorum. Præcedunt, quia vim faciunt; impellunt credendo, & ceditur fidei. Hoc fecit ille latro fortior in cruce, quàm in fauce. Memor ero Rahab, & Babylonis. Quomodo vna ciuitas ſancta Hieruſalem? vna ciuitas iniqua Babylon? Omnes iniqui ad Babyloniam pertinent; omnes ſancti ad Hieruſalem; ſed delabitur de Babylone in Hieruſalem. Vnde? niſi per eum, qui iuſtificat impium, quia memor ero*, inquit, *non ſolùm Rahab, ſed etiam Babylonis.* Hæc Auguſtinus.

D Auguſt. tom. 8. Pſal. 86.

Funiculus coccineus iſt ſignum ſanguinis Chriſti in fronte Auguſtinus.

Matth. 21.

Latro fortior in cruce.

De Babylone ſit Hieruſalem.

4. Illud præterea, myſticam continet doctrinam, quod (vt annotauit Abulenſis quæſt. 9. ſuper cap. 2.) exploratores non fuerunt miſſi intra triginta dies, in quibus Iudæi Moſen planxerunt, ſed poſteà cùm illis finitis, Deus Ioſue apparuit, & ad tranſitum Iordanis illum impulit: atque vt probabile eſt, ad miſſionem exploratorum eſt adhortatus; ita ſcilicet, vt inter planctum Moſis iam finitum, & miſſionem exploratorum 28. dies interpoſiti ſint; putat namq; Moſen fuiſſe mortuum ante tranſitum Iordanis pluſquàm 66. diebus; idque ex ſcriptura confirmat contra Lyram & R. Salomonem. Ex hac doctrina Abulenſis contra Lyram & quoſdam Iudæos aliter hiſtoriam & dies ſupputantes; elicitur, conſentaneum eſſe diuinæ prouidentiæ, vt tempora rebus concedantur ſua. *Eſt enim*, vt Eccleſiaſt. ait cap. 1. *tempus ridendi, & tempus flendi.* Nec Deus de rebus proſperis, & lætis cum Ioſue agere voluit, donec debitum lachrymarum officium à populo

Abulenſis contra Lyram, & R. Salomonẽ.

Deus noluit populum rebus proſperis exhilarare, donec officium luctus Moſi perſolueret.

Moſi

Moſi vita defuncto integrè perſolueretur; vt, A
vel, ex hoc facto conſtaret, nonniſi præcedente
luctu, excitandos eſſe homines ad ſpem æternæ
fœlicitatis potiundæ. Vnde Iob. 17. *Poſt tenebras*
ſpero lucem.

Lætitiam præcedit luctus.

Iob. 17.

LIBRI IOSVE

CAPITIS SECVNDI

SECTIO II.

Verſ. 2.] Nuntiatúmque eſt Regi
Hiericho,& dictum: Ecce viri in- B
greſſi ſunt huc per noctem de fi-
liis Iſrael, vt explorent terram.
3. Miſitq; Rex Hiericho ad Rahab,
dicens: Educ viros, qui venerunt
ad te,& ingreſſi ſunt domum tuá,
4. &c. Exploratores quippe ſunt.
Tollénſque mulier viros abſcon-
dit,& ait;Fateor, venerunt ad me,
5. ſed neſciebam vnde eſſent: Cúm- C
que porta clauderetur in tene-
bris,& illi pariter exierunt, neſcio
quò abierunt. Perſequimini ci-
6. tò, & comprehendetis eos. Ipſa
autem fecit aſcendere viros in ſo-
latium domus ſuæ, operuitq; eos
7. ſtipula lini, quæ ibi erat. Hi au-
tem qui miſſi fuerant, ſecuti ſunt
eos per viam, quæ ducit ad vadú
Iordanis: illiſq; egreſſis, ſtatim D
porta clauſa eſt.

Aliæ verſiones.

Pro, *Cúmque porta clauderetur in tenebris*, &c. Et fuit, dũ porta clauderetur in tenebris, viri egreſſi ſunt. Non cognoui, quò abierunt viri, &c. Pro, *Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium*, &c. Ipſa autem aſcendere fecit eos, in tectum, & abſcondit eos in culmis lini, qui E ordinati erant ei, ſuper tectum,& viri ſecuti eos itinere Iordanis, vſque ad vada, portámque clauſerunt, poſtquam egreſſi ſunt inſequentes eos,&c.

Pro, *Cúmque porta clauderetur in tenebris*, &c. Cúmque iam tenebreſceret, claudendáq; iam eſſet porta, egreſſi ſunt viri, nec ſcio, quò abierint viri illi: Pro, *operuitque eos ſtipula lini*, &c. Abſconditq; eos, ſub cauliculis lini, qui ſtructi erant ſub tecto.

70. *Interpr.* Pro, *Operuitq; eos ſtipula lini, quæ ibi erat*, &c. ἔκρυψεν αὐτοὺς ἐν τῇ λινοκαλάμῃ, τῇ ἐστοιβασμένῃ αὐτῇ ἐπὶ τοῦ δώματος. & occultauit eos in ſtipula lini, conſtipata ſibi in ſolario. Pro, ad vada Iordanis, &c. ἐπὶ τὰς διαβάσεις. ad tranſitiones.

Explicatur contextus.

1. N*VNTIATVMQVE eſt Regi Hiericho.*] Satis hinc conſtat, perculſum fuiſſe Regem Hiericho, timore, audita fama Ioſue, & filiorum Iſrael. Adhibuit namque excubias, & portas ciuitatis, vt belli tempore fit, obſerari nocte fecit, & ne alienigenæ, aliquid moliri poſſent, contra ciues ſuos, obſeruari curauit, aliunde venientium, linguam, & habitum. *Nunciatum ergò illi eſt: Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem, de filiis Iſrael*,&c. Ad morum inſtructionem obiter annotandum eſt ex Gloſſa per Regem Hiericho, diabolũ intelligi, qui Ioan. 14. dicitur princeps mundi huius. Is, quantum poteſt, nititur prædicatores euangelij opprimere. An non conatus eſt B. Antonium Luſitanum ſtrangulare, eo quòd deſtinauerat qualibet die quadrageſimæ populo prædicare? Adfuit B. Antonio inuocata Dei mater, & turbatum dæmonarchen ſua diſpulit præſentia. Quid, quòd ſicut Rahab exploratores populi Dei tuta eſt: ſic populus gentium ad Chriſtum conuerſus, euangelij præcones cibo paſcit, & à perſecutionibus protegit. Ipſi verò, id officij exhortationibus Chriſtum mundi ſeruatorẽ ſonantibus, abundè compenſant. Poſſunt quoque ij, qui audiendis vacant confeſſionibus, exploratores conſcientiæ vocari; quibus cum Rahab fauent, qui ſalutem animæ ſuæ procurant: dum rex Hiericho, id eſt diabolus, eos nititur interturbare, aut etiam perimere. Hanc allegoriam, quia facilis eſt,& literæ conſentanea, huc attexui.

Rex Hiericho. ciuitatem munit, contra hoſtilitas, quas timet.

2. *Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem, de filiis Iſrael.*] Solent belli tempore illi, quibus id negotium datum eſt, vt contrarij agminis milites, aut quoſcunque alienigenas prehendant; ſi quid inueniant inſidiarum, id ſtatim denuntiare; maximè, ſi quem vident, qui exploratoris habitum, & linguam præferat. Vnde illa tempore obſidionis Troiæ Græci Sinonis, apud Virg. 2. Æneid. comprehenſio,& ad Priamum deductio.

Virg. Aen. 2.

Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum,
Paſtores magno ad Regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui ſe ignotum venientibus vltrò,
Hoc ipſum, vt strueret, Troiámque aperiret Achiuis
Obtulerat, fidens animi, atque in vtrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certè occumbere morti.

Hierichuntini tamen ſpeculatores prehendere noluerunt, duos viros, quos ex caſtris Hebræorum, à quibus ſibi timebant veniſſe ſciebant fortè quia minimè ſuſpicati ſunt eos, tantiſper, dum ad Regem nuntius deferretur, poſſe effugere, ex domo Rahab, in qua, veluti in cauea, videbantur.

Cur ſpeculatores comprehenſi non ſunt.

3. *Per noctem.*] Ex hac particula colligit Caiet.

Caiet.

Explo-

A exploratores hora veſpertina, veniſſe; Moxque nuntiatum Regi fuiſſe eorum aduentum; Quod verum eſſe teſtatur etiam Abulenſ. ad finem q. 14. Iuxta quos doctores exiguũ admodũ noctis ſpatium interfluxit inter exploratorum in ciuitatem ingreſſum, & aduentum nuntiorum Regis. Additq; Abulenſ. vix quatuor, aut quinque horas, in ciuitate manſiſſe Hebræorum exploratores. Idq; confirmat, quia illi ad veſperam, ſiue, vt vertit Vatab. cùm tenebreſceret ingreſſi ſunt. Antequam verò dormirent nuntij Regis accurrerunt: moxque Rahab per murum eos demiſit. Quare de ſtatu vrbis, vix aliquid ſcire potuerunt; niſi quod à Rahab audierant; nimirum omnes terræ Chanaan habitatores, timere Hebræorum B aduentum. Atque hoc tantùm eſt, quod illi poſtea redeuntes, ſuis nuntiarunt. Ioſephus tamen longius illis tribuit manẽdi in ciuitate ſpatium; qui ne videatur ſcripturæ repugnare, commodè exponendus eſt: ſic enim ait, *Cùmque ſuſſet ille caſtrametatus, ſcilicet Ioſue, repentè exploratores aduenerunt, nihil horum, quæ apud Chananæos gerebantur, ignorantes. Latenter enim prius omnem vrbem eorum, & licenter explorauerunt: ſimúlque & muros & viros quicumque fortes, & qui non ita eſſe viderentur: ſed, & portas, quæ dum eſſent fragiles, opportunum præberent inuaſuris introitum. Non autem curabant ciues, quicumque videbant eos iſta conſiderare; putantes viſionis gratia peregrinos, aptiſſima eos ciuitatis loca ſin-* C *gula perſcrutari, non voluntate tamen hoſtili. Cùmque veſpere factum fuiſſet, & deſcendentes in habitaculum quoddam muro vicinum veniſſent, in quo etiam cœnaturi erant, eſſétque eis iam diſcedendi cura, nuntiatum eſt Regi cœnanti, quòd exploratores quidam ciuitatis ex Hebræorum exercitu venientes, eſſent in Rahab habitaculo, cum multa latendi prouidentia conſtituti. Ille verò repentè eos præcepit comprehenſos adduci, vt eos torquens agnoſceret, quid agere volentes adeſſent. Cùmque inuaſionem eorum Rahab agnoſceret (nam ſupra murum ſtipulam lini ſiccabat) exploratores quidem, illic abſcondit. His autem qui miſſi fuerant à Rege dicebat, quòd peregrini quidam ignoti fuerint ante paulu-* D *lum, quàm Sol occumberet apud eam, & cœnantes abceſſerint. Quos, ſi timorem ciuitati & Regi periculum ferentes veniſſe putarent, ſine labore eos comprehenderent perſequentes. Illi verò muliere ita loquente, nullum eius arbitrati dolum, diſceſſerunt, neque perſcrutantes habitaculum eius.* Hæc ille. Nã mihi facile eſt hæc Ioſephi dicta cum ſacro textu conciliare. Potuerunt enim exploratores, venire in ciuitatem interdiu; illiúſque vicos, & loca inſigniora firma, aut infirma antè luſtrare; poſteà verò egreſſi ad exploranda aliqua propugnacula, quę fortè erant in agro Hierichuntino, in vrbem venire ſub noctem, id eſt, ſole iam occumbente, recipiq; à Rahab hoſpitio. Atque in eadem nocte, per murum demitti, ne à Rege, conſcio aduentus illorum, E caperentur. Vide Abulenſ. q. 15. 16. 17. vbi Ioſephum falſitatis accuſat, in quibuſdam dictis, quæ tamen ſi rectè inſpiciantur cum ſacris literis cõciliari poſſunt. Nec verò Ioſephus dum ait exploratores conſideraſſe quinam muri fortes eſſent, & qui infirmi, contrarius eſt D. Ambroſio, dicenti ſuper Lucam. *Hiericho, ſicut legimus in libro, qui inſcribitur IESVS Naue, magna ciuitas fuit, mirabilibus ſepta parietibus, quæ non ferro peruia, non ariete poſſet eſſe penetrabilis*, &c. Non enim negat Ioſephus murorum, & turrium mirabilem fuiſſe firmitatem; duntaxat refert, id, quod erat, nempe exploratores non ſolùm egregiè munitas, ſed etiã

Abulenſ.

Quanto tempore manſerint in ciuitate exploratores.

Exploratorum vrbis, & munitionum ſcrutatio.

Regis ſollicitudo.

Ioſephi hiſtoria cum ſacro textu conciliatur.

Abulenſ.
Ioſephus.
Ambroſ.

Hiericho magna ciuitas.
Ambroſius.

A non ita firmas vrbis partes; conſideraſſe. Confutat Abulenſ. q. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. propoſitiones aliquot Ioſephi, quarum mentionem non facio, quia facilè, quis eas ſalua ſacræ ſcripturæ fide tueri poteſt, ſi velit.

4. *Vt explorarent terram.*] Potuerunt Hierichuntini ciues, facilè in ſuſpicionem venire inſidiarũ videntes alienigenas, quos non aliunde, quàm ex hoſtium caſtris veniſſe, vocis ſonus, & corporis habitus teſtabatur: præſertim cùm iamdiu imminere ſibi perniciem ab Hebræis nõ procul poſitis, intelligerent.

Miſitq; Rex Hiericho ad Rahab.] Non auſi ſunt Hierichuntini, ſiue Regis imperio, extrahere ex- B ploratores de domo Rahab. Videtur enim illud hoſpitium celebre fuiſſe, &, vt Abulenſ. q. 23. ſuſpicatur immunitate notiſſimum: ita nimirum, vt nemo inde, niſi Regis iuſſu, quantumcunque facinoroſus eſſet, extrahi poſſet.

5. *Educ viros qui venerunt ad te.*] Quaſi dicat, nemo ingerat tibi violentiam; tu ipſa, quoniam patriæ negotium agitur, trade ſatellitibus exploratores, qui venerunt ad te, hoc eſt, vt hoſpitio à te exciperentur. Non, vt aliqui interpretantur, ſcortationis cauſa; Iam enim (vt ſupra aduertimus) Rahab mores à ſe meretricios ablegauerat. Nec licet adhuc meretricium quæſtum ſequeretur, à viris Iudæis, quia alienigena erat, cogno- C ſceretur.

6. *Et ingreſſi ſunt domum tuam.*] Hæc particula additur, ne Rahab aliquam prætexere poſſet excuſationem. Vnde ſolùm illic hoc effugium relictum eſt, vt dicere poſſet, eos ingreſſos quidem domum fuiſſe, ſed ante Regis nuntios ad ſe perlatos recepiſſe.

7. *Exploratores quippe ſunt*] Hoc ſubiungitur, ne putaret Rahab, aliquam ſibi, in eo fieri iniuriam, quod à Regis ſatellitibus hoſpites quærerentur ad ſupplicium. Erat olim adeo ſanctum ius hoſpitij, vt Loth vir ſanctiſſimus, Gen. 19. videns domum ſuam à Sodomitis tanta peruicacia circundari, vt niſi hoſpites ad libidinis abuſum daret, D fores eſſent effringendæ; Ne hoſpitibus iniuria fieret; primùm occluſo oſtio, ait. *Nolite fratres mei, nolite malum hoc facere.* vbi Chryſoſt. Vide quomodo timuit iuſtus, ac tremuit pro hoſpitum ſalute. Hæc eſt vera virtus, ita manſuetè alloqui illos. Nullus enim ægrum volens curare, aut inſanientem caſtigare, cũm furore hoc facit: ita reſpondet indignè ferentibus dilationem. *Nolite quæſo fratres mei, nolite hoc malum facere: habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt viros, educam eas ad vos, & abutimini eis, ſi placet, dummodo viris iſtis nihil faciatis mali, qui ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei.* Chald. *Sub vmbra trabium mearum*, &c. Vbi vides arceri Sodomitas à maiori peccato, oblata E occaſione minoris culpæ; quod licere ſcholæ clamant. Caietanus putat eum obtuliſſe filias, vt hyperbolica ſummiſſione, furentem populum placaret, putabat enim populum non acceptaturum conditionem; imò poſſe deſiſtere à cœpto, vt vir placaturus laceſſitum iniuria, pugionem offert, dicens, interfice me. Non animo vt interficiatur, ſed vt læſus tanta cum deſcenſione placetur. Itaque Caiet. excuſat à peccato Loth in hac oblatione. Vides etiam ægrè tuliſſe Loth peti ad iniuriam tolerandam, viros, quos hoſpitio receperat, & ab Ouidio 1. Metha. ad ſignificandam extremam morum deprauationem, dicitur. *Non hoſpes ab hoſpite tutus.* Ab eodem, Lycaon Rex Ar-

cádiæ,

Abulenſ. reſolute eſt contra Ioſephum

Hoſpitium Rahab habebat immunitatem

Non eſt itum ab exploratoribus ad Rahab ſcortationis cauſa.

Ius hoſpitij olim ſanctum.

Loth admonuit Sodomitas ſua ſuaſione
Chryſoſtom.

Arcet Loth obſtinatè peccantes à maiori flagitio, minoris culpæ occaſione oblata
Chald. Paraph.

Caietanus.

Loth excuſatur à culpa.

Ouid. Met. 1.

Hoſpites inſidiantes regi iuſtè, magiſtratui ſunt tradendi.

cadiæ, quòd hoſpites occiderit, in lupum fingitur conuerſus. Cæterùm, ſi hoſpites ad pœnam poſtulantur, quòd Regiæ maieſtatis violatores ſunt, aut exploratores; non dolent, qui criminis ignari, eos domi ſuæ receperunt; nec iniuria ſe affici queruntur. Idcirco, aiunt ſatellites, nihil agi contra ius hoſpitij, cùm ij quærũtur ad pœnã, qui exploratores, & patriæ hoſtes ſunt, & habentur.

8. *Tollénſque mulier viros, abſcondit.*] Hinc conſtat non humana tantùm prudentia, vſam fuiſſe Rahab in occultatione exploratorum, ſed inſtinctu diuino. Cognita námque Dei potentia, qua Hebræi protegebantur, non tam patriæ ſuæ defendendæ, cuius charitas (vt Cicero ait) vincit omnes charitates, curam habuit quàm voluntatis diuinæ exequendæ: Sciebat enim ex miraculis, & rumore conſtanti, fore, vt Deus Chananæorum terram Iudæis traderet. Hinc ſolicitudo abſcondendi, & protegendi hoſpites: Suppoſita námque reuelatione diuina, putauit Rahab iura hoſpitalitatis ſeruanda eſſe, quæ olim ſanctiſſima apud Gentiles fuerunt. Vnde non recipere, nec coniungere oblatam teſſeram, idem erat, atque à communione ſeiungi: Confringere verò teſſeram, erat, amicitiam diſſoluere, Plautus in Ciſtel. Hîc apud nos, iam Alceſimarche confregiſti teſſaram. Pactæ námque apud illos erant, per teſſeram mutuæ hoſpitalitates, eóque fœdere mutuæ pariter amicitiæ fouebantur: quæ ſic ſanctè, & inuiolatè cultæ manebant ad poſteros: vnde Plaut. in Linul.

Rahab a Deo fuit inſtructa.

Cicero.

Confringere teſſeram quid ſit.

Plautus.

Si ita eſt, teſſeram confer, ſi vis hoſpitalitatem;
Eccam attuli.
Agedum, oſtende; eſt par probe: nam habeo domum.
Mi hoſpes ſalue multùm, &c.

Mutua charitas inter Chriſtianos.
Tertul.

At ſi hæc mutuæ charitatis officia inter Gentiles? quid inter Eccleſiæ naſcentis Chriſtianos? Vnde Tertull. de præſcript. cap. 20 agens de fidelium mutua charitate. *Communicatio, inquit, pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ iura, non alia ratio regit, quã m eiuſdem ſacramenti vna traditio*, &c. Hæc ille, intelligens per hoſpitalitatis conteſſerationem, certum quoddam ſignum, quod, qui ferret, à fidelibus quocunque iret, honorifico reciperetur hoſpitio. Quod ſignum, adulterarunt aliquando hæretici. Vide Baronium tom. 1. anno 75. fol. 671.

Conteſſeratio hoſpitalitatis.

Baronius.

Mendacium officioſum.

Caiet.

9. *Fateor, venerunt ad me.*] Officioſo vtitur mendacio, dicens, exploratores receſſiſſe primis tenebris, antequàm porta clauderetur. Hinc colligit Caietanus fauens opinioni Ioſephi, nocte, & die fuiſſe eos abſque moleſtia in Hiericho: ſic enim ait. *Ex eo, quod nocturno tempore venerant, & in domo mulieris dormierant, & vt rem credibilem mulier dixit, quod receſſerunt antequàm porta clauderetur: conſequens eſt, non de eadem, qua venerant nocte, ſermonem eſſe, cùm eos egreſſos ait in tenebris, antequàm porta clauderetur, ſed eum toto die luſtraſſent ciuitatem, & rediiſſent veſperi in domum Rahab, nuntiatum eſt Regi, ab ÿs, qui perſpicacius inſpexerant eos in die, quod exploratores ſunt.* Hæc ille Abulenſi contrarius: aptè tamen ad ſeriem hiſtoriæ.

10. *Perſequimini citò, & comprehendetis eos.*] Argutè repellit à ſe regios ſatellites, ne inquirant, & ſcrutentur domum: Omnem prætereà remouet ſuſpicionem ſcientiæ; ne ſi putaret ſcire quid illi homines alienigenæ, vellent, tanquam hoſtium patriæ receptatrix puniretur, & fautrix: ſicut puniuntur receptatores criminoſorum, præſertim hæreticorum, vt patet extra de Hæreticis & ſchi-

Receptatores criminoſorum puniuntur. Cap. Ad abolendam, de Hæret.

A ſmaticis cap. Ad abolendam. In hoc autem mentita eſt: ſciebat enim hoſpites ſuos Hebræos eſſe, & exploratores.

11. *Ipſa autem fecit aſcendere viros*, &c.] Deſcribitur modus occultandi exploratores. Etenim Rahab, vbi pulſantes oſtium audiuit, & clamantes Regis nuntios, abſque mora aſcendere fecit hoſpites ſuos in ſolarium, ſiue, vt eſt in Hebr. in tectum (quod idem eſt, domus námque, in terra promiſſionis, tecta habebant plana, inducta calce ad repellendos imbres firma. Vocari tecta placuit, quia his domus tegitur, licèt abſque tegulis, vt apud nos fit: Vocantur etiam ſolaria, quia ſoli expoſita ſunt. De his dicitur Deut. 22.

Solarium domus ſiue tectum apud Hebr.

Deut. 22.

B cap. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti in circuitu, ne effundatur ſanguis innoxius in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.* Significat etiam ſolarium inſtrumentum, quo horæ ad ſolem conſpiciuntur veruto ſiue pinula vmbram faciente. Cicer. pro Quint. *Non in ſolario, non in campo, non in foro verſatus eſt.* Græcè, ὡρολογεῖον ἡλιακόν.

Solarium eſt inſtrumentum quo horæ ad ſolem notantur.
Cicero.

12. *Operuitque eos, ſtipula lini, quæ ibi erat.*] In Hebræo, Abſcondit eos, in culmis lini expanſi. Vocatur autem ſtipula lini in vulgata editione, ipſum linum, nondum factum, ſed in modum ſtipularum, adhuc in manipulos alligatum, aut extenſum.

Culmis lini, ſiue ſtipula lini abſcondantur exploratores.

C 13. *Hi autem qui miſſi fuerant.*] Hoc eſt, Regij miniſtri fidem habentes Rahab mentienti, ſecuti ſunt exploratores, quos putabant per ciuitatis portam exiſſe, & ad vada Iordanis, per quæ ex Hebræorum caſtris venerant, perrexiſſe, vt ſuis, quæ viderant, renuntiarent.

14. *Illiſque egreſſis, ſtatim porta clauſa eſt.*] Non tam de porta domus Rahab, hunc locum intelligo, quàm de porta vrbis, per quam, cùm aperiretur (erat enim paulò antè iam clauſa) inquiſitores exploratorum egreſſi ſunt. Inquiſitoribus autem egreſſis, iterum fores clauſæ ſunt, ne pateret exitus aut ingreſſus exploratoribus. Simili deceptione illuſit Iudith cap. 10. exploratores

D Aſſyriorum: à quibus capta & interrogata vnde veniret, reſpondit: *Filia ſum Hebræorum, ideò ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui, quod detur vobis in deprædationem.* Et cap. 11. Olopherni dixit: *Ego adducam te per medium Hieruſalem, & habebis omnem populum Iſrael, ſicut oues, quibus non eſt paſtor*, &c.

Iudith cap. 10. & 11. vtitur ſimili artificio.

Verſ. 4.] Tollénſque mulier viros, abſcondit, &c.

Hebræorum opinio de occultatione exploratorum, quibus fauet Lyra.

E

ANNOTATIO I.

1. NONNVLLI Hebræi dicunt non ſine miraculo Rahab, tam exiguo loco hoſpites ſuos abſcondiſſe, vt naturaliter non duos, ſed vnum tantùm capere poſſet. Quod ex eo colligunt; quia in Hebræo, pro, *Tollénſque mulier viros, abſcondit*, &c. legitur, *abſcondit eum.* Alij affirmant, vnum tãtùm virum fuiſſe abſconditum; quod aſſerit Rab. Salomon dicens, duos exploratores, fuiſſe, Caleb, & Phinees. Ex quibus Phi-

Fueritne vnus an duo viri abſconditi à Rahab.

Rab Salomon putat Phinees fuiſſe Angelum qui ſe occultabat, cùm libebat.

nees Angelus erat, qui & videbatur, cùm volebat, & abſcondebatur, cùm libebat. Quare ſolùm Caleb abſcondi neceſſe fuit, non autem Phinees.

Lyranus. Iudæus credibile eſt verbi incarnatio.

2. Nicolaus Lyranus, licèt falſitatis, vt par eſt, arguat hanc ſententiam, elici tamen hinc poſſe ait poſſibilitatem incarnationis diuini verbi cótra Iudæos. Quid enim eſt, quod magis impoſſibilem reddat copulationem diuinæ naturæ cum humana, in vno ſuppoſito, quàm naturæ Angelicæ cum humana? Imò ſi Angelus poteſt ſuppoſitare naturam humanam, quod in Phinees concedit Rabbi Salomon; faciliùs eam poterit diuina ſuppoſitare perſona.

Abulenſis. Phinees non fuit Angelus.

3. Hæ tamen Hebræorum opiniones, cùm ſtabiliantur fundamentis admodum debili, reiiciuntur ab Abulenſi quæſt. 16. ſuper cap. 2. Ioſue. Prima quidem, quia nec ſpeciem habet veritatis. Secunda, quia nullo modo Phinees Eleazari filius Angelus dici poteſt: fuit enim verus homo, vt patet ex Num. 25. & 1. Machab. 2. & ſacerdos magnus: non verò Angelus aſſumpto aërio corpore, hominem præferens, ſicut Angeli, qui Sodomitas ad ſe appropinquantes in domo Loth percuſſerunt cæcitate, Gen. 19. Hi namque & corpore humano aſſumpto, & plaga cæcitatis iniecta, ſe occultarunt. Quod facere poſſet Phinees, ſe & ſocium occultando, ſi verus Angelus eſſet, nec ſtipula lini, qua abſconderetur, indigeret.

Num. 25. 1. Mach. 2.

Gen. 19.

4. Quare dicendum eſt, Hebraicam illam phraſim, *Tollens viros abſcondit eum*: vnde erroris anſam Iudæi arripuerunt, familiarem eſſe illi idiomati, vt pluralis numerus per ſingularem efferatur, vt patet Iſai. 19. vbi enim noſtra editio habet. *Et tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium.* Hebr. eſt, *Ponam ſuper Ægyptum dominus durum*; pro dominos duros, & cùm verbum ponatur in plurali, ſuppoſitum adhibetur in ſingulari, vt Eccl cap. 2. *Quis eſt homo. qui poſſit ingredi poſt Regem qui fecerunt eum*, &c. De his agit Abulenſis latè in repetitione de Trinitate ad conuincendos Iudæos.

Iſai. 19.

Abulenſis.

Verſ. 4] Fateor: venerunt ad me; ſed neſciebam vnde eſſent, &c. neſcio, quò abierunt.

De mendacio, quo vſa eſt Rahab ad occultandos exploratores.

ANNOTATIO II.

1. DVo expendere animus eſt, vnum, liceatne aliquando, ad liberandum ſaltem à morte innocentem aut ad vtilitatem aliquam reportandam mentiri. Alterum, ſintne Rahab, obſtetrices Ægyptiæ, & Iacob, mendacij & peccati damnandi?

Plato.

Mendacium in Deum cadere non poſſe.

2. Quod ad primum attinet, Plato lib 3. de Repub. non longè à principio, Deo inutile eſſe ait, atque indecens omne mendacium, hominibus tamen nonnumquam eſſe vtile, & quaſi pro medicamento. *Quare inquit, publicis Medicis concedendum eſt. priuatis autem hominibus minimè attingendum. Itaque Rempublicam adminiſtrantibus præcipuè ſi quibus alijs mentiri licet, vel ciuium, vel hoſtium cauſa, ad communem Reipublicæ vtilitatem: reliquis autem à mendacio abſtinendum eſt.* Hæc ille

Euſebius.

Patres quidam mentiri putarunt.

Huius ſententiæ meminit Euſebius lib. 12. de præparatione euangelica: interpretatur autem Platonem, legumlatoribus, & principibus concedere, vt falſa dicant interdum vtilitatis cauſa: maximè, ſi quod falsò dicitur, audientes ita trahat, vt non vi, ſed ſponte iuſtitiam velint amplecti: cùm veritas, licèt ſolidum bonum ſit, non tamen ita facilè perſuadeat. Platonem ſecutus eſt Origenes 6. ſtromatum, quem refert D. Hieronymus in lib. 1. Apologiæ aduerſus Ruffinum. cum Origene concinit Chryſoſtomus in tine, lib. 1. de ſacerdotio, & hom. 32. & 53. in Geneſim, & epiſt. ad Olimpiam. D. Hieronymus in 2. cap. epiſtolæ ad Galat. quod ei per litteras obiicit Auguſt. & Caſſianus, D. Chryſoſtomi diſcipulus coll. 17. cap. 15. & ſeq. & lib. 5. de inſtitut. renunt. cap. 37. & 39. Hi patres ex quadam œconomia, & politica gubernatione arbitrati ſunt, vtili, & laudabili mendacio, vti interdum licere & hanc maculam ſubire potius, quàm veritatem nobis aliiſve pernicioſam profiteri. Cófirmant autem hanc ſententiam, non ſolum ex Platonis doctrina, ſed etiam ex mendacio Rahab obſtetricum Ægyptiarum, Iacobi, Iudith, & aliarum virtute illuſtrium perſonarum, quas ſacræ litteræ commendant.

Origenes.

Hieron.

Auguſtinus. Caſſianus diſcipulus Diui Chryſoſt.

D. Auguſtini vera ſententia.

3. Hæc tamen ſententia tuta non eſt, imò errorem continet, vt fusè probat Auguſtinus lib. duobus, contra mendacium, ad Conſentium. eamque damnat in Priſcillianiſtis hæreticis; cuius autoritate & præcipuè innumeris ſacræ ſcripturæ locis permotus Innoc. 3. aſſeueranter dixit in cap. ſuper eo, de vſuris; in ſcriptura prohiberi mendacium, etiam pro vita alterius ſeruanda. Excuſantur tamen Patres, qui aliter ſentiunt, quoniam eo tempore ſcripſerunt, quo nihil in contrarium erat ab Eccleſia decretum

Innocent. 3.

Nec pro vita ſeruanda mentiendum.

4. Poſſunt præterea multa afferri, quibus concluditur, nemini vnquam licuiſſe mentiri. Primum, quia mendacium eſt actus per ſe inordinatus. & naturæ, Deique ordini contrarius. Cùm enim voces naturaliter ſint eorum ſigna, quæ latent in intellectu: contra præſcriptum ordinem eſt, vt aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente. Vnde 4. Ethic. ait Ariſtoteles, *Omne mendacium eſſe per ſe prauum & fugiendum.* Itaque mendacium ſecundùm intrinſecam rationem, naturalem habet prauitatem, & obliquitatem, qua Dei, & naturæ ordinem corrumpit. Verba namque data ſunt homini, vt per ea, quod ipſe incluſum habet in animo, aperiat aliis: nó enim eſt alia via, qua poſſit voluntas vnius hominis declarari aliis, niſi per verba. In mendacio autem verba eius, quod in animo latet, contrarium ſignificant. quæ deformitas diſſimilis eſt ei, qua membra cum toto corpore diſſident. An non tibi videtur deformitas, cùm, rationi contraria eſt oratio.

Ariſt. 4 Ethic. Omne mendacium fugiendum.

Mendacium naturæ ordinem corrumpit.

Ariſt. in Eth.

5. Deinde magnificanda eſt auctoritas Ariſtotelis qui 4. Ethic. cap. 7 ait: *Mendacium per ſe improbum eſſe, & vituperabile Verum autem pulchrũ, & laudabile.* Et lib. Elenchorum; *Eſt* inquit, *viri quoque opus ſapientis non mentiri, de quibus nouit & mentientes alios manifeſtare* Pythagoram refert Ælianus lib. 12. de varia hiſtoria, ſolitum dicere, duo hæc præclara data eſſe hominibus à Deo, vera dicere. & beneficia in alios conferre: & propter hæc hominem ſimillimum Deo fieri.

Idem in Elen.

Aelianus.

6. Ter-

Auguſtinus.

6. Tertiò Auguſtinus, qui inter Theologos acerrimus fuit mendacij hoſtis; inter alia in libro de mendacio, ſic ait. *Qui eſſe aliquod genus mendacij putauerit, quod peccatum non ſit, decipiet ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitretur aliorum.*

Gregorius. Iob 27. Ab eſu mendacij.

7. Quartò D. Greg. in lib. 18. Moral. explanans illud Iob. cap. 27. *Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei, in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*, &c. graui oratione, omne mendacij genus inſectatur, tandémque ait. *Summoperè cauendum eſt omne mendacium: quamuis nonnumquam ſit aliquod mendacij genus leuioris culpæ, vt ſiquis vitam alijs præſtando mentiatur. Sed quia ſcriptum eſt Sap. 1. Os quod mentitur, occidit animam, & Pſalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Hoc quoque mendacij genus, perfecti viri magnoperè fugiunt, vt ne vita quidem cuiuſlibet, per eorum fallaciam defendatur, ne ſuæ animæ noceant, dum præſtare vitam carni nituntur alienæ. Quamquã hoc ipſum peccati genus, facillimè credimus relaxari, quod mater boni operis pietas ipſa comitatur.* Hæc D. Greg. cuius ſententiæ, accedunt omnes Theologi ſcholaſtici cum Magiſtro in 3. ſententiarum d. 38. Quare falſa, & pernicioſa exiſtimari debet, Darij Hiſtaſpis, qui poſteà Rex Perſarum fuit, de mendacio ſententia, in conſultatione habita cum ſatrapis de interimendis regni oppugnatoribus; Is enim, vt refert Herod. lib. 3. ſic ait. *Vbi expedit mendacium dicere, dicatur. Nam idem optamus, & qui mendacium dicimus, & qui veritatem.* Hæc ille. Huiùs peſtiferæ ſententiæ auditores, imò & laudatores, ſunt omnes noſtri temporis Politici, qui modò ratio ſtatus rectè habeat, nihil illicitum putant, ne dum mentiri.

Sap. 1. Pſalm. 5. Culpa leuioris mendacij facilè relaxatur. Mag. ſent. Darij Hiſtaſpis ſententia pernicioſa. Herodotus. Politici noſtri temporis.

Non eſt igitur, cur iam, fœdum mendacij vitium, ab aliquo propugnetur, maneátque ea animis inſita ſententia, nec propter vitam noſtram, nec propter totius mundi lucrum, fas eſſe vti, vel leuiſſimo mendacio; cùm omne mendacium ita intrinſecè malum ſit, vt nulla poſſit circunſtantia cohoneſtari.

Mendacium etiam leuiſsimum intrinſecè malum eſt.

8. Supereſt altera pars difficultatis propoſitæ, ſit-ne Rahab & obſtetrices Ægyptiæ, (nam de Iacob ſeorſim agendum eſt) non ſolùm mendacij, ſed etiam peccati, damnandæ? Et quidem cùm omne mendacium, illicitum eſſe ex dictis conſtet, ſanè ſi Rahab mentita eſt, à peccato liberari nullo modo poteſt, quod de cæteris dici etiam debet. Cæterùm, modus loquendi aliquorum doctorum in cauſa eſt, vt hanc excitemus difficultatem. Nam Rupertus, cùm Rahab, tum obſtetrices mentitas fuiſſe, ait, & tamen nullo modo peccaſſe. Sic enim ait lib primo comment. in Exod. cap. 7. *Hoc loco, importunè nimis, de peccato obſtetricum diſputatur, quod non poſſint iuſtificari obſtetrices mentiendo, dicentes Regi: Non ſunt Hebrææ mulieres ſicut Ægyptiæ: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & prinſquàm veniamus ad eas, pariunt. In tempore námque, parientibus Hebræis, aderant illæ, de quibus dictum eſt, videlicet, quia conſeruabant mares. Quod quiſquis pro culpa obijcit, reſtat vt Rahab meretricem mendacij redarguat: quæ tollens duos exploratores miſſos à Ioſue abſcondit, & quærentibus eos dixit. Fateor venerunt ad me, ſed ego neſciebam vnde eſſent: cúmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt: neſcio quo abierunt. Perſequimini citò, & comprehendetis eos. Ergo qui obſtetrices pro tot infantibus ſeruandis mentientes accuſant, conſequitur, vt multò magis, pro duobus hominibus liberandis, mentientem, non iu*- A *ſtificent Rahab; quam tamen & prophetica ſimul, & Euangelica iuſtificat autoritas in Euangelio námque Chriſti mater aſſumitur, & parens veritatis, quæ Chriſtus ipſe eſt.* Et propheta, de eadem, typum Eccleſiæ de gentibus præcinit. *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me. Deinde charitas præponenda eſt veritati Apoſtolus certè vſque adeò, nullam omnino veritatem, charitati, præponit, vt petet ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis, id eſt, à veritate pro charitate, & Moſes obſtetrices Deum timentes, in ſacra ſcriptura nominatas eſſe iure voluit pro eo quod, charitatem vtilem prapoſuere inutili veritati. Nullas igitur, quaſi mendacij tenebras adſcribamus lucido charitatis operi, vbi ſic illa homicidam & impium Regem fefellerunt, vt vitam ſeruarent hominum. Præſertim verò, cùm Deus hoc ipſum earum mendacium, laude & remuneratione dignum duxerit, ſcriptura continuò dicente.* B *Benè igitur fecit Deus obſtetricibus, & quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit illis domos: ſubauditur, æternas: æternum quippe eſt, quod Deus ædificat.* Hæc ille.

Rupeti ſententia. Rupertus obſtetrices mentitas fuiſſe ait, ſed non peccaſſe. Matt. 1. Pſalm. 86 Rom. 9. Exod. 1.

9. Miror Rupertum, tam acriter obſtetricum propugnare voluiſſe à culpa, mendacium, poſtquàm D. Auguſt. quem ille legere potuit, efficaciter probauit in libro ad Conſentium, & alijs in locis, omne mendacium peccatum eſſe, & intrinſecè malum. Certè D. Greg. 18. Mor. ſuper 27. caput Iob, diſputat contra eos, qui exemplo C Ægyptiarum obſtetricum (idem iudicium eſt, de mendacio Rahab) abutebantur ad excuſandum à culpa officioſum mendacium. Sic enim ait. *Nonnulli de obſtetricum fallacia conantur aſſerere hoc mendacij genus non eſſe peccatum: maximè quod illis mentientibus ſcriptum eſt; quia ædificauit illis domos. In qua magis recompenſatione cognoſcitur, quid mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ in æterna vita potuit eis retribui, pro admiſſa culpa mendacij, in terrenam eſt recompenſationem declinata. Vt in vita ſua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona reciperent, & vlterius, quod expectarent, mercedis ſuæ præmium non haberent. Nam ſi ſubtiliter perpenditur amore vitæ præſentis mentitæ* D *ſunt, parcendo quippe, conatæ ſunt infantium vitam tegere mentiendo, ſuam.* Hæc ille. Vbi vides, exiſtimaſſe D. Greg. mendacium obſtetricum in cauſa fuiſſe, ne pro officio pietatis earum erga Hebræorum infantes, & pro timoris Dei reuerentia, mercedem æternam reciperent, ſed temporalem duntaxat, hoc eſt, ædificationem domorum; quæ nihil videtur eſſe aliud, quàm amplificationem rei familiaris & poſteritatis propagationẽ. Cæterùm D. Thom. 22. q. 110. art. vltimo ad 4. hoc Greg. dictum adhibita quadam moderatione interpretatur *Mendacium*, inquit, *obſtetricum, poteſt dupliciter conſiderari vno modo quantùm ad affectum beneuolentiæ in Iudæos, & quantùm ad reuerentiam* E *diuini timoris, & ſic debebatur ei remuneratio æterna. Altero modo conſiderari poteſt, quantùm ad exteriorem actum mendacij, quo actu æternam quidem remunerationem mereri non potuerunt, ſed fortè aliquam remunerationem temporalem, cuius merito non repugnabat deformitas illa mendacij, ſicut non repugnabat merito remunerationis æternæ. Et ſic intelligenda ſunt verba Greg. Non autem quod per illud mendacium mererentur amittere remunerationem æternam quam iam ex præcedenti affectu meruerant.* Hactenus D. Thom. qui art. præcedenti ad ſecundum ne quis putaret præmium aliquod, mendacio deberi, ſic ait. *Obſtetrices non ſunt remuneratæ pro mendacio, ſed pro timore Dei, & beneuolentia, ex qua pro-*

Refellitur opinio Ruperti. Greg. PP. vera ſententia contra excuſantes à peccato officioſum mendacium. Greg. putat obſtetrices ſuam magis, quam puerorum vitam tueri mendacio voluiſſe. Obſtetrices temporalem receperunt remunerationem. D. Thom. ſent. Obſtetrices meruiſſe vitam æternam putat D. Thom.

Pſal. 113.

euigilant. Hinc illa metaphora, in Pſalm. 113. *in exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*, vbi vides idem eſſe in vtroque hemiſtichio ſignificatum domus, & Iſraël: vtraque namque dictio in genitiuo caſu ponitur. Atque adeò Iſrael & domus Iacob, Iſraelitæ ſunt, & Iacobæi, vt ſenſus ſit in exitu Iſraelis, & domus ſiue poſteritatis Iacobi. Et cernitur eadem metaphoræ vis, apud Latinum poëtam, *& domus Aſſaraci*, id eſt genus & poſteritas. Hoc ergo loco; *ædificauit eis domos*: idem eſt, atque fecit eas capita numeroſarum familiarum cum poſteritate, numero, & diuturnitate feliciſſima.

Caietanus.

Huic interpretationi, & duabus ſuperioribus, aſſentitur Caiet. putans ſignificari nomine ædificationis, vel ædificium materiale, vel fœcunditatem ſucceſſiuam; additq; nullum eſſe errorem, ſi quis intelligat conſtructionem ſpiritualium domorum, ædificationis nomine ſignificari.

Gen. 18. Iudit. 10. Gen. 42.

Conſtat igitur ex dictis, Rahab meretricem, & obſtetrices, & mentitas fuiſſe, & peccaſſe. Earum tamen culpam, venialem duntaxat exiſtimari, ac propterea, & temporalis, & ſpiritualis præmij, à Deo, accepiſſe remunerationem. Idem de Sara, Gen. 18. Iudith. 10. & alijs perſonis, alioqui ſanctis affirmare, nulla eſt temeritas. Ioſeph tamen, cùm dixit fratribus; *exploratores eſtis per vitam Pharaonis*: non eſt mentitus. Quia ſenſus eſt: ſi non attuleritis huc fratrem veſtrum Beniamin, habebimini exploratores ab Ægyptiis: ita Caiet. Nec Abraham mentitus eſt, cùm dixit famulis, Gen. 22. *Ego & puer reuertemur ad vos*, credebat enim puerum, quem occidiſſet, ſuſcitandum à Deo. Hinc illud: *in ſpem contra ſpem credidit*. De Iacob grauior eſt dubitatio.

Gen. 22.

Ioſeph & Abraham excuſantur à mendacio.

An Iacob excuſari poſſit à mendacio officioſo, dicens: Ego ſum primogenitus tuus Eſau?

ANNOTATIO III.

Gen. 27.

Scotus in 3. ſentent.

1. NON poſſe excuſari à mendacio ſaltem leui Rahab, meretricem & obſtetrices, hactenus probauimus. Nunc, quid de Iacob ſentiendum ſit, breuiter expediam. Multi ergo non ignobiles doctores, affirmant illa verba, *Ego ſum Eſau primogenitus tuus*, &c. quæ habentur Gen. cap. 27. mendacium continere officioſum, ac proinde à peccato veniali excuſari non poſſe, ita Scotus in 3. ſentent. diſt. 38. Et Lyra enarrans ea ipſa verba. Quamuis vterque addat poſſe eum locum ita exponi, vt non contineat mendacium; non tamen opus eſſe, anxiè nos gerere in excitando illius veniali peccato. Quamuis enim ſanctiſſimus fuerit, non tamen ſanctior fuit Apoſtolis, qui à veniali culpa interdum non excuſantur.

Abulenſ. Lippoman. Caietanus.

Abulenſis idem ſentit quæſt. 4. ſuper hunc locum Gen. Lippomanus etiam ibidem, & Caiet. qui enarrans prædicta verba, ſic ait, *Si dixiſſet, Ego ſum primogenitus tuus; & non addidiſſet illud, Eſau, excuſaretur: quia emerat primogenituram, ſed dicendo, Ego ſum Eſau, inexcuſabilis videtur à mendacio officioſo.* Idem paulo infrà declarans illa verba: *Tu es filius meus Eſau*: ex Hebræo colligit, aliud mendacium. In Hebr. namque eſt, *Tu ipſe filius meus Eſau?* Cùm ergo nihil de primogenitura dicatur, quam ſciebat Iſaac emptam fuiſſe à

Caiet. [illegible] mendacium.

Iacob; & interrogatio reſtricta ſit, ad perſonam Eſau, & quidem de induſtria, vt videtur, reſpondens Iacob; *Ego ſum*: à mendacio officioſo excuſari non poteſt.

2. Video grauem materiam exiſtimari poſſe, nec leue aut officioſum mendacium iis, qui ſpoliatum primogenitura, mendacio Iacob fratrem Eſau conſiderauerint. Verùm non ita eſt. Eſau namque primogenituræ prærogatiua priuatus, nihil perdidit, quod iure ſuum eſſet. Nam primogenituræ ius, iam Dei ſententia Iacob fuerat adiudicatum; atque adeò verus erat ipſe, ac legitimus Iſaac primogenitus. Nec verò Iſaac ſimulatione illa, aliquam paſſus eſt iniuriam, vt conſtat, tum ex intentione Iacob ſimplici animo matris conſilia ſequentis: tum Iſaac, qui vbi reſciuit factum, ad Dei voluntatem reſpiciens, ratam eſſe voluit impertitam à ſe benedictionem Iacob, dicens; *Benedixi ei, & erit benedictus.*

Ius primogenituræ Eſau, à Deo fuit adiudicatum Iacob.

3. Hæc ſententia, non ſolùm probabilis, ſed etiam cum ſacra hiſtoria maximè conſentit. Oppoſitam tamen tueri placet, quia Theologorum communior eſt. Imprimis autem ab Auguſtino aſſeritur, q. 74. in Gen. & lib. 16. de ciui. c. 37. & in lib. contra mendacium, cap. 10. Vbi ait, *ſi verba Iacob propriè accipiantur, mendacium continere: ſi tamen figuratè accipiantur, nihil mendacij plurimum myſterij habere.* Sed quodnam myſterium ais, latere poteſt in tam apertis verbis? *Cum Iacob*, inquit, Auguſt. *dixit Patri ſuo: Ego ſum Eſau primogenitus tuus, ſi referatur id, ad duos illos fratres geminos mendacium videbitur; ſi autem ad illud referatur propter quod ſignificandum, iſta geſta, conſcriptaq; ſunt; ille eſt hic intelligendus in corpore ſuo, quod eſt eius Eccleſia, qui de hac re loquens*, ait, Luc. 13. *Cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei: vos autem expelli foras: & venient ab Oriente, & Occidente, Aquilone & Auſtro, & accumbent in regno Dei; & ecce ſunt nouiſſimi, qui erant primi, & ſunt primi qui nouiſſimi. Sic enim quodammodo minor frater maioris primatum abſtulit, atque in ſe tranſtulit fratris.* Hæc Auguſt.

Auguſt. ſententia probabilior.

Myſtica interpretatio verbi [illegible] *Auguſt.*

Luc. 13.

4. Facilior erit interpretatio, ſi dixeris, Iacob cùm dixit: *Ego ſum Eſau*: verum dixiſſe, nimirum ſe eſſe Eſau, non quidem in perſona, ſed in iure primogenituræ, per electionem Dei ſibi debitæ. Sic Dominus Matth. 11. & 17. dixit Ioannem Baptiſtam eſſe Eliam, non in perſona ſed in ſpiritu, & virtute. Negari tamen non poteſt, diuinitus fuiſſe afflatum Iacob, ad eam locutionem vſurpandam, qua ſignificaretur minorem populum, hoc eſt, gentilicum, ſubſtituendum eſſe, in locum prioris Hebræorum populi, ad cæleſtem recipiendam benedictionem.

Matth. 11.

5. Theod. q. 80. in Gen. ita ſcribit, *An non eſt viſus Iacob mentiri, cum dixit: Ego ſum Eſau primogenitus tuus? Minimè verò. Emerat enim ille priuilegia primogenituræ ab Eſau. Verè igitur ſeipſum appellabat primogenitum.* Eandem rationem excuſandi Iacob amplectitur D. Greg. hom. 6. in Ezech. ſuffragantur huic opinioni, Innocent. 3. cap. Gaudeamus, de diuortiis. Gratianus 22. q. 11. cap. Quæritur. Iſidorus, Beda, & Rupert. ſuper cap. Gen. 27. D. Thom. 22. q. 110. art. 3. Magiſt. in 3. diſt. 38. quem ibi ſequuntur ferè omnes ſcholaſtici. Fusè etiam in hanc ſententiam ſcripſit Thomas Anglicus, qui ante ducentos propè annos, inter præcipuos Theologos floruit; vide illius commentarios, in prædicta Geneſis verba. Vbi quoſdam acriter reprehendit, qui ægrè ferunt excuſari à mendacio

Iacob non [illegible] mentitum. Theodor.

Greg. PP. Innocent. 3. Gratianus. Iſidorus. Beda. Rupertus. D. Thom. Magiſt. in 3. Thom. Angl.

Laudabile eſt etiam à nota venialis culpa excuſare Abraham, &c.

Iacob à catholicis doctoribus, cum debuiſſent potius ſacrorum interpretum laudare ſtudium liberandi tres maximos patriarchas: nempe Abraham. Iſaac, & Iacob etiam à nota venialis culpa Ipſe enim Dominus, ſe Deum horum trium eſſe quodammodo gloriatur: & Moſes Exod. 32. flectere volens ad miſericordiam Deum, ait, *Recordare Abraham, & Iſaac, & Iacob, ſeruorum tuorum quibus iuraſti*, &c. Imò & Chriſtus Luc. 13. quaſi principes in regno cœlorum, hos tres deſignat: *Multi*, inquit, *venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cœlorum.*

Exod. 32.

Luc. 13.

Iacob ſine mendacio potuit vocari primogenitus, & Eſau.

6. Hac doctrina conſtituta, ad Caietani rationem, dices, ſine mendacio potuiſſe vocari Iacob, B & primogenitum, & Eſau. Nam & primogenitus erat, electione Dei, quam nouerat à Rebecca matre ſua, & Eſau priuilegio. Vſitatum namque eſt in ſcriptura, quicquid Abulenſ. dicat vnam rem vocari nomine alterius rei, aliud prorſus intelligentibus iis, qui audiunt, quàm ſentiat is, qui loquitur. Nam Tob. 5. Raphaël interrogatus à Tobia de genere, & parentibus, reſpondit: *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*, &c. Quod Tobias dictum credidit, de illuſtri quadam perſona, ſic à Iudæis vocata. At verò Angelus figuratè id aſſeruit; quia Azarias adiutorem Dei, Ananias verò gratiam Dei ſignificat. Sunt autem omnes Angeli Dei adminiſtri, & filij gratiæ. Vnde Lyranus C ibi. *Iſta*, inquit, *loquens Angelus, verum dixit, quia locutio eius, non propria fuit, ſed figurata, & myſtica. Nam ſi Paulus* 1. Cor. 3. *ſe & alios prædicatores Euangelij, non dubitauit appellare adiutores Dei, quantò ed verius dici poterit in Angelos? Ananias verò exponitur gratia Dei, cuius filij ſunt Angeli, eo modo, quo dicuntur filij gloriæ, quæ non eſt aliud, niſi gratia conſummata. Non tamen ſic intellexit Tobias, ſed quod ille eſſet filius cuiuſdam perſonæ, de filiis Iſraël, quæ tali nomine vocaretur.* Hæc ille.

Abulenſ.

Explicatur Tob. 5. & Ioan. 2.

Lyranus

1. Cor. 3.

Angeli dicuntur filij gratiæ, & gloriæ.

Ioan. 2.

7. Chriſtus etiam Dominus, Ioan. 2. Iudæis dixit. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Auditores de templo, quod erat Hieroſolymis loqui eum putarunt; atque ea de re in iu- D dicium tanquam de blaſphemia, aut ſacrilegio eum vocarunt apud principem ſacerdotum: At verò Dominus de templo corporis ſui loquebatur poſt triduum ſepulturæ, ad immortalem vitam ſuſcitando.

Excuſatur à culpa Iacob.

8. Sint quidem iſta. At illa verba Iacob. *Feci quod præcepiſti*, & illa. *Comede de venatione mea*: quomodo purgari poſſunt à mendacio? Nihil enim Iſaac præceperat Iacob de ferenda venatione. Caiet. ſuper eadem verba, ſic ſcribit. *Feci, quod præcepiſti, hoc eſt, ſicut præcepiſti primogenito tuo, is autem ſum ego. Duplex enim intentio Iſaac ſpectanda eſt in illo præcepto. vna primaria, & altera ſecundaria.* Hæc ille: excuſatque Iacob à mendacio, quia lo- E cutus eſt, ſecundùm primariam intẽtionem, qua volebat cibos ſibi afferri à primogenito, qui ordinatione diuina, erat ipſe Iacob, non autem ſecundum intentionem ſecundariam; qua putabat Eſau primogenitum eſſe, cui ſolennis benedictio parabatur. Porrò, vt Lyppomanus in catena aduertit, nec mendacium eſt in illis verbis: *Comede de venatione mea*, vſus namque eſt metaphoricè, venandi, verbo: verbum enim, venandi, per tranſlationem capimus pro artificio quodam captandi aliquid, vt laudem, vel vtilitatem, Græcè *θηρᾶσθαι*, Cic. ad Attic. lib. 16. *Bene igitur tu, qui θηρᾶσθαι, venaris, relinquis patriam.* In eadem ſignificatione, vſurpamus aliquando verbum aucupor,

Lyppomanus

θηρᾶσθαι. Cicero ad Atticum. Venari, & aucupari metaphorice quod ſit

venationem: ergo vocat Iacob captationem benedictionis primogenituræ ſibi debitæ. Ille enim quodam vſus eſt artificio, quo venari potuit benedictionem Patris, dum pulmentum obtulit, quod ad eum finem inſtar venationis erat.

An peccauerit Iacob piloſas manus ſimulans.

ANNOTATIO IV.

1. CVM totum Iacob factum, in præcipienda fratris benedictione, Dei ordinationem, & myſterium contineat, certum mihi eſt, eum non peccaſſe in hœdinis pellibus ad ſimulandum Eſau, ſibi aptandis, nec in deceptione, de qua Gen. 27. dicitur: *& non cognouit eum*, ſcilicet Pater, *quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant*, &c. Accedit illam regulam veram haberi à Theologis, qua dicitur. *Aliud eſſe diſſimulare veritatem, & aliud mentiri*: & hoc quidem nunquam licere: illud verò ſæpe licitum eſſe, & laudabile. Vnde, ſine mendacij nota Abraham dixit Saram eſſe ſororem ſuam, cum vxor eſſet: & Dauid ſaliua per barbam defluente inſaniam, cùm integra C mente eſſet, finxit coram Rege Achis, & Chriſtus Dominus, cuius typus Iacob fuit, diuinitatem, ita humanitate texit; vt à Iudæis, & ab ipſo diabolo putus homo crederetur. Nam & Iudæi dicunt. *De bono opere non te lapidamus. ſed quia homo cum ſis, facis teipſum Deum*: & diabolus. *ſi filius Dei es.* &c. Illud tamen aduerte, licet Iacob excuſemus à mendacio, non tamen opus eſſe, vt eum, & alios viros ſanctos, ab omni prorſus peccato immunes vixiſſe dicamus. Nec verò, quia ſcriptura commendat inſignes aliquot viros, aut fœminas, continuò exiſtimare debemus, omnia illorum dicta, & facta ſimiliter comprobari. Quis enim eſt, qui ſaltem venialiter non peccet? ſunt fœminæ & D viri ſanctiſſimi, quorum dicta etiam à leuiſſimo mendacij vitio, velle excuſare, deſipere eſt. An opus eſt, quædã mendacia purgare, quæ cómemorantur in ſacris literis? Minimè ſanè. Quamuis enim, nonnulli velint interpretari, & æqui, boniq; conſulant dictum Saræ, Gen. 18. Obſtetricum Ægyptiarum, Exod. cap. 1. Dauidis fugientis Saulem coram Pontifice Achimelech, 1. Reg. 21. Iudith. in lib. proprio cap. 10. & 11. Rahab. Ioſue cap. 2. nihilominus, non omnino ſatisfaciunt eorum interpretationes.

Diſſimulare veritatem ſæpe licet mentiri nunquam.

1. Reg. 21.

Matth. 4. Marc. 1.

Gen. 18. Exod. 1. 1. Reg. 21. Iudit. 10.

2. Sed rogabis, cur Deus ſanctum Iſaac, ita decipi paſſus ſit, vt non illi, cui voluit ſed, cui noluit, benedixerit? Reſpondet huic dubitationi D. E Hieronym. in epiſtola 125. ad Damaſum, à quo in epiſtola præcedenti fuerat de ea re interrogatus, multis verbis; quorum ſumma hæc eſt. Non ſoli Iſaac, ſed aliis, non paucis ſanctiſſimis viris accidit, vt multa neſcirent, & fallerentur. Error autem, ſiue deceptio Iſaac vtilis ei fuit, & toti poſteritati. Illi quidem, quia in filio magis ſibi ſimili primogenituram, & benedictionem relinquebat; poſteritati verò, quia per Iacob tribus illa erat propaganda ex qua Chriſtus erat naſciturus. Profectò, ſi non errauſſet, fecerat ille minus, vt quidam ait. Quod enim animo deſtinauerat, ſi feciſſet, cum à Dei voluntate diſcreparet, exitioſum eſſet.

Hieronym.

3. At,

Cur permiſit Deus, vt Iacob per deceptionem primogenituram obtineret.

3\. At, cur voluit Deus, vt per deceptionem Patris, Iacob benedictionem obtineret, & confirmationem primogenituræ? An, quia Eſau cum eſſet natura ferox, ſi præſentiſceret, à patre volente, & à Deo reuelante concedi eam prærogatiuam fratri; odio in patrem, & Deum ipſum, quod ſe tãto bono ſpoliaſſet exardeſceret? Chryſoſt. hom. 53. in Geneſ. Et Theod. q. 79. in Geneſim, id factum, putant, vt ita notior & illuſtrior redderetur. Eximia Dei in Iacob prouidentia, ſimúlque conſtaret, quod Deus fore prædixit, impediri nullo modo poſſe iuxta illud Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Pſalm. 113. *Deus noſter in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit.*

Chryſoſt. Theodor. — *Iſai. 46.* — *Pſalm. 113.*

B 4. Hæc, occaſione mendacij Rahab meretricis, quo vſa eſt ad liberandos à morte Hebræorum exploratores, fuſiùs, quàm putaram, explicaui, quia res cognitione digniſſimæ animo ſuccurrebant, & ad ſenſus ſacrarum literarum eliciendos, quàm aptiſſimæ. Illud etiam obiter annotauerim quòd ſtudioſis ſacræ ſcripturæ, gratum erit, ad quatuor genera bonorum reuocari, quidquid Deus Rahab, Iacob, & obſtetricibus, alijſque de pietate benemeritis promittebat, aut conferebat. Vnum fuit longitudo vitæ, cuius exemplum ponitur Gen. 15. & 25. & Pſalm. 30. Alterum, poſteritas, numero, & nobilitate præclara. Tertium diuitiæ, & bonorum temporalium copia. Quartum potentia, dominium, & inimicorũ victoria. De ijs ſacræ literæ paſſim, & apertè meminerunt; præſertim Gen. 12. 15. & 22. His bonis remunerata fuit Abrahæ obedientia, zelus Phinees, quo diuinum aſſeruit ab iniuria honorem; Moſis & Dauidis manſuetudo, & eximiæ patriarcharum, & prophetarum, virtutes. Nimirum, vt D. Hieronym. in Epiſtola ad Dardanum annotauit, Regni cœleſtis, & æternæ vitæ felicitas, propria eſt Euangelij, & noui teſtamenti promiſſio, in quo cœli ianua aperienda erat, nec illius ingreſſus ampliùs differendus.

Quatuor genera bonorum promiſſa vetere teſtamento. — *Gen. 15. & 25. Pſalm. 30.* — *Gen. 15. 22. 23.* — *Hieronym. Æterna vitæ promiſſio propria eſt Euangelij.*

C

Peccaueritne leuiùs Rahab, mentiendo, an obſtetrices Ægyptiæ?

ANNOTATIO V.

D 5. CVM mendacium Rahab officioſum fuerit, & leue, pro tuenda vita exploratorum; ſimilitérque officioſum fuerit obſtetricum mendacium pro vita paruulorũ defendẽda, quæret aliquis in vtro fuerit minor culpa? Atque, vt breuiter dicam, quod ſentio. Exiſtimo peccatum obſtetricum, leuioris culpæ notã præferre, quàm peccatum Rahab: Licèt enim vtrumque ad euitandam mortem iniuſtam fuerit excogitatum, cùm leuitas peccati, aut grauitas æſtimari debeat in materia propoſita, ex parte impediti nocumẽti contra iuſtitiã inferendi, vt rectè annotauit Abulenſ. q. 34. ſuper c. 2. Ioſue. Nã, mihi maius damnum videtur impeditum officioſo obſtetricum mendacio. Rahab namque, ſuo mendacio, protexit duos tantùm homines; illæ verò innumerabiles. Nec ſolùm paruulos, ne occiderentur protexerunt, ſed ſeipſas à grauiſſimo peccato, quòd ſi Regi obtemperarent, erant patraturæ. Rex enim iuſſerat, vt occiderent in partu omne genus maſculinum. Quare niſi ipſæ mentitæ fuiſſent,

Leuius fuit peccatum obſtetricum, quàm Rahab. — *Abulenſ.*

A dum affirmarunt, Hebræas, non eſſe ſicut Ægyptias mulieres, quippe, quæ haberent ſcientiam obſtetricandi, & priùs, quàm ad eas venirent, fœtus ſuos in lucem emitterent, vel Pharao illas in pœnam iugulari præcepiſſet, quod ſuis iuſſis non obedirent, vel ad tyrannicam infantium puerorum occiſionem, compelleret. Vtrumque malum, vt euitarent officioſè mentitæ ſunt. Rahab verò duos, vt diximus hoſpites ſuos duntaxat à morte liberauit, qui licèt occiderentur, non continuò extinguebatur Hebræorum genus, nec impediebatur victoria, iuſta Dei promiſſionem, de victis Chananæis reportanda. Concluditur ergo leuiùs peccaſſe mentiendo Ægyptias obſtetrices, quam Rahab meretricem.

B

Verſ. 6.] Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ operuítque eos ſtipula, &c.

An Rahab abſcondens exploratores, rea ſit proditionis patriæ?

ANNOTATIO VI.

C 1. QVÆRES, fuerítne Rahab rea criminis proditionis patriæ abſcondens exploratores, in perniciem ciuium ſuæ vrbis, incumbentes. Certè in actu Rahab tria conſiderari poſſunt. Primùm hæc mulier, exploratores Iudæorum liberare voluit. Deinde, hoc vt aſſequeretur, mentita eſt. Tertiò artificio quodam via, eos à morte eripuit. Porrò, in ijs omnibus lethiferam peccati labem inuri Rahab meretrici dicerem, cum contra amorem patriæ debitum agere videretur, niſi in ea peculiaris ratio eſſet, ob quam ab omni excuſanda eſt culpa, in quam aliàs incurreret occultatione proditorum patriæ, cuius charitas omnes, vt Cicero ait, vincit charitates, & demiſſione eorundem in caſtra, vnde ruina ciuitatis, imò, & prouinciæ timebatur.

Quid per eripiendo à morte exploratores, fuerit Rahab. — *Cicero.*

D 2. Cæterùm aliquid eſt, quod eam à crimine liberat. Sciebat nimirum, Deo reuelante, hos exploratores veniſſe ex caſtris Domini, volentis eis terram illam tradere in poſſeſſionem. Dei autem voluntati cooperari, in liberatione eorum, qui eius exequuntur voluntatem, non ſolùm fas eſſe putauit, ſed etiam laudabile. Quod verò illa diuinæ fuerit conſcia voluntatis, infra patet cum dicitur. *Noui enim quod Dominus tradiderit vobis terram, etenim irruit ſuper nos timor veſter.* Sed dices non excuſari Rahab, ex eo, quod antè ſciret, patriam tradendam Iudæis, à crimine iuuandi inſidiatores patriæ ſuæ. E Non enim, vt Theologi affirmant, tenemur conformari diuinæ voluntati in volito, vt illi loquuntur, ſed tantùm in modo. Nam ſi Deus vult patrem meum, v. g. occidi ab aliquo, ídque mihi reuelauit, non teneor velle eam occiſionẽ: imò, ſi volo illum occidi, vt Deus ſecundum mihi factam reuelationem imperfectam vult, pecco mortaliter contra præceptum amoris naturaliter debiti parentibus. Quin etiam ſi ab alio eum occidi videam, teneor quoad potero, eum defendere, etiam cum percuſſione, & ſi opus ſit cum cæde inuaſoris. Licèt enim Deus iuſtè velit patrem meum ab aliquo occidi, ex eius demeritis, Ego tamen iuſtè volo, eum non oc-

Excuſatur Rahab à crimine proditionis patriæ. — *Non tenemur conformari diuinæ voluntati in volito, ſed in modo.*

cidi ex charitate, ſecundum quam ex naturali & diuino iure teneor. Exemplum etiam eſt in animalibus quæ æterno adiudicantur ſupplicio. Deus vult, vt omnes, qui cum impœnitentia finali decedunt, æternis crucientur pœnis. Nos tamen neminem perire velle debemus; imo potius, quod multi pereant dolere. Nam ſi quis delectetur in damnatione alicuius hominis, grauiter peccabit. Quare non tenemur Deo in volito conformari. Vnde Rahab non alligabatur præcepto aliquo ad conformandam ſuam voluntatem, diuinæ, in euerſione vrbis Hierichuntinæ quandiu de miniſtris, & modo diuini mandati, certa non erat. Potiùs deberet de illius futura vaſtatione dolere. Nam, & Deus, qui deſtinauerat Hieruſalem periturum, cùm ob alia peccata, tum ob mortem ſaluatoris, homo tamen factus in tempore, & in ciuitate illa conuerſatus, & quaſi enutritus, de illius vaſtatione, tanquam de patria doluit, & lachrymatus eſt, conformans ſe ipſi Deo in volendi modo, non tamen in volito. Luc. 19. *Cùm appropinquaret ciuitati fleuit ſuper illam dicens; quia, ſi cognouiſſes & tu, &c.* Et Hieremias lamentatus eſt in Threnis euerſionem Hieruſalem ab Aſſyrijs factam, cùm præſciuerit id fieri Dei prouidentia, &c.

Non licet optare malum alicui.

Luc. 19.

Fas eſt flere ruinam ciuitatis, quam Deus ob ſcelera, tradit hoſtibus diripiendam.

3. Ex dictis excuſari à graui peccato Rahab non poſſet, niſi aliud ſubeſſet quod illam immunem redderet à culpa. Quid illud eſt? nempe præſciuit vt diximus, patriam, & vniuerſam terram Chanaam diuina ſententia Hebræis adiudicatam eſſe, doluitque, vt par erat patriæ ruituræ, & ciuium ſuorum calamitatem. Verùm, quia hoc Dei conſilium mutari non poſſe aduertit; ſuæ ſalutis & incolumitatis recordata, voluit ſibi conſiliare exploratores, vt cùm Deus traderet Hierichuntinos, Iudæorum ferro; Ipſa incolumis cum conſanguineis, & domeſtica familia euaderet, illorum ope; quos ſi proderet; occiderentur illi quidem à Rege, ipſa tamen, & patria gladium Hebræorum non effugeret. Vſa ergo prudentia eſt, diuinæ & certæ, ſibique reuelatæ, in defenſione exploratorum, obſequens voluntati. De mendacio officioſo quod leuis culpa fuerit, dictum eſt Annot. 3. 4. &c. De artificio verò, quo vſa eſt in protegenda vita hoſpitum, non eſt dubitandum, quod culpa vacet, cùm fuerit actus imperatus à voluntate, ſequente reuelationem diuinam. Bonitas autem, aut malitia actuum exteriorum, & actionum humanarum depẽdet à ſuis principijs, hoc eſt, intellectu, & voluntate, vt ait Philoſophus 6. Ethic. cap. 1.

Excuſatur Rahab a culpa abſcondendi exploratores & hoſtes patriæ.

Ariſt. Ethic 6.

4. Quæres, an ſecluſa reuelatione voluntatis diuinæ, peccaret Rahab, ſi nõ protexiſſet, & detexiſſet exploratores? Videtur, immunẽ fore à peccato. Nemo enim cogitur alteri benefacere, niſi grauiter extreme indigenti, quòd hic non cernitur: cùm exploratores, in id ſe ſponte iniecerint periculum, à quo protegi ope Rahab, lex nulla ſuadebat. Quid ſi traderet eos ſatellitibus Regis tanquam patriæ hoſtes? Videtur enim iure hoſpitij compelli, ne eos traderet. Tenetur namque cauponæ, & quicumque viri probi, tueri eos, qui ad illorum concurrunt hoſpitium. Quod videtur ſignificare Loth, Gen. 19. dicens. *Nolite quæſo fratres mei, nolite hoc malum facere: habeo enim duas filias, quæ non dum cognouerunt virum, adducam eas ad vos, & abutimini eis; dummodo viris iſtis, nihil faciatis mali, qui ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei,* &c. Vides, ius hoſpitij, magni fieri à Loth. Reſpondendum tamen eſt, Rahab ſi omnem amoueas diuini decreti reuelationẽ, nec veniali quidem culpæ affinem fore, ſi tradidiſſet Regi, Hebræorum exploratores occidendos, cùm publici eſſent hoſtes, iuſtéque à Hierichuntinis, ad ſupplicium poſcerentur. Expeditio namque vindictæ contra quoſlibet hoſtes ſtatum vrbis inuadentes, & toti vrbi ſimul competit, & cuilibet ciui, vt patet. ff. de iuſtitia & iure, in lege, & ex hoc iure, Licebat ergo Rahab, occidere & fallere Iudæorum exploratores, ſicut cuilibet alij ciui Hierichuntino, ſed voluit illa nihil ſummo iure agere, & beneficentiæ memor beneficentiam promereri, ſibi & patri ſuo, vt in hoc cap. dicitur: Nullo igitur iure arctabatur Rahab, ad incumbendum in ſtudium defendendi exploratores, aut occidendi.

Nullo iure tenebatur Rahab aut abſcondere exploratores aut prodere quid ſi prodidiſſet

Geneſ. 19.

Non peccaſſet tradens exploratores ſatellitibus hoſtes eſſe, ſimul ſtatum vrbis ...

ff. de iuſt. & iure.

Voluit Rahab ſibi & ſuis famulis exploratoribus conſulere.

5. Quod autem de fide, & iure hoſpitij obijcitur, id locum habet quando aliquis ad me diuertit, tanquam in tuto manſurus. Poſtulat namque naturalis æquitas, vt eum neque opprimam, neque oppreſſoribus tradam. Hoſtibus tamen, niſi cùm induciæ ſunt, nulla fides ſeruanda eſt, cum perniciem patriæ moliantur. Quare peccaret Rahab illis parcendo, niſi & diuini gnara eſſet decreti & beneficio ſoſpitibus exhibito, ſibi, & ſuis vtilis fuiſſet, quam vtilitatem non erat habitura, illis Regi ad necem traditis. Ita Abulenſ. quæſt. 41. ſuper cap. 2. In exemplo verò Loth, non ſolum cernitur hoſpitij ius; quod virum ſanctiſſimum, ad protegendos hoſpites innocentes ab iniuria impellebat, ſed aliæ etiam circunſtantiæ, quarum vna erat, declinatio fœdiſſimi peccati. Nec verò voluntas Dei modo generali cognita, liberat à culpa Rahab, quia vbi patriæ defendendæ præceptum, obligationem inducit, vt in propoſito euentu, non tenemur conformari diuinæ voluntati in volito, vt ſuprà diximus, nec illa tenebatur, velle patriæ extremam ruinam, ſolùm liberatur à culpa ob rationem ſubindicatam cum expreſſiori circunſtantiarum reuelatione coniunctam.

Hoſpes non eſt tradendus oppreſſoribus, niſi ipſe ſit inſidiator ſit.

Lib. hoſpites ſuos ab iniuria vindicabat.

6. In modo tamen obedire tenemur Deo, ſiue id quod iubet bonum ſit, ſiue malum. Nam id, quod malum videtur, cum à Deo imperatur, nullam iam habet rationem mali. Vnde ſi certò conſtet imperare Deum alicui, vt patrem, aut matrem, aut filium, ipſe interficiat, quamuis dolere debeat, quia non tenetur conformari diuinæ voluntati in volito; tamen obligatur, id quod imperatur exequi, id enim eſt conformari diuinæ voluntati in modo volendi: quæ eſt regula omnium agendorum ab erroris ſuſpicione libera. Quidquid enim Deus iubet, ius eſt, ad quod haud dubiè obligamur. Vnde laudatur Abraha, quod voluerit ſine cunctatione exequi immolationem Iſaac filij ſui, quem vnicè diligebat, vt Deo obediret, Gen. 22. Illa ergo regula præ oculis habenda eſt, quàm tradit Abulenſ. q. 41. in cap. 2. Ioſue. *Quomodocumque Deus quicquam nobis expreſsè mandat, de quo nobis conſtat, quod ipſe mandat, tenemur illud procul dubio exequi, ſine aliqua deliberatione quæſita, ſiue iubeat occidere patrem ſiue matrem, ſiue fornicari, ſiue occidere innocentes.* Hæc ille; Quia tamen in hac materia periculosè errari poteſt, inueſtigandum eſt cautè, an à Deo præceptum iniungatur. Nam iuxta doctrinam Apoſtoli, *non eſt credendum omni ſpiritui: ſed probandum eſt, an ex Deo ſit.* Quomodo autem ſcire poſſimus à Deo ne illuſtrante mentem, an à Dæmone præſtigijs illu

Tenetur exequi diuinam voluntatem, qua iubetur a Deo occidere patrem ſuum v. g. &c.

Quidquid Deus iubet, ius eſt.

Gen. 22.
Obedientia Deo præſtanda.

Regula obedientiæ erga Dei iuſſa, tamen certò conſtet ab illo manare.

dente

Gen. 20. & 22.

dente proficiſcatur iuſſio: Explicat latè Abulen- A
ſis ſuper cap. 20. & 22. Geneſ. agens de præce-
pto impoſito Abimelech, primùm cap. 20. ne
tangeret Saram, idque ſub pœna mortis, ſi ſecus
faceret. Deinde Abrahæ, vt occideret filium
ſuum Iſaac.

Regula alterata quam oportet Deo obedire. Abulenſ.

7. Illa etiam regula, vt vera tenenda eſt, quam
tradit idem doctor quæſt. 41. in cap. 1. Ioſue;
nimirum, *id omnino agendum eſſe, ad quod Deus ita
intenſè & indubitatè nos mouet, vt certiſſimè perſua-
deamur, nos à Deo moueri, nec in ea perſuaſione heſi-
tamus.*

Moſes non peccauit occidens Aegyptium. Exod. 2.

Sic Moſes excuſatur ab Abulenſi, & aliis,
à peccato homicidij, Exod. 2. quia à Deo puta-
bat ſe conſtitutum Iudicem filiorum Iſrael, &
ad id munus officij incitabatur, tanquam certiſ- B
ſimè à Deo motus; vnde iniurias filiis Iſrael ab
Ægyptiis illatas vlciſcebatur; quod Act. 7. à Bea-
to Stephano exprimitur: ait enim agens de Moſe:

Act. 7.

*Exiſtimabat autem, intelligere fratres, quoniam Deus
per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi non intel-
lexerunt.* Hæc ad vberiorem doctrinam dicta
ſint.

Non conſtat Rahab motã fuiſſe a Deo ad concurrendum cum Hebræis ad patriæ euerſionem.

Nam, quod ad Rahab attinet, non conſtat
eam motam fuiſſe à Deo ad concurrendum cum
Hebræis, ad patriæ euerſionem. Cognitio autem
futuræ euerſionis ſola, non eam excuſaret à pec-
cato protegẽdi hoſtes patriæ. Cæterùm huic co-
gnitioni, addita eſt reuelatio, qua præſciuit vr-
bem haud dubiè Iudæorum, ferro & poteſtati
tradendam, ſiue exploratores cuſtodirentur, ſiue C
non.

Prudenter ſe geſſit Rahab.

Quare prudenter maluit in vaſtatione, &
ruina patriæ, quæ nullo modo à ſe cõſeruari po-
tuit, ipſa incolumis, cum ſuis ſeruari, quàm cum
patria, abſq; vlla vtilitate aut laude perire.

Abulenſis.

Quod
autem addit Abulenſis, ad finem quæſtionis ci-
tatæ, Rahab, non meruiſſe bona vitæ æternæ, in
defendendis hoſpitibus, ſed ſolùm temporalia;
non approbo; ſi enim charitatis impulſu, vt pro-
babile eſt. & pietatis erga Deum, qui gratiam ei
infuderit hoc egit, quomodo vitam æternam nõ
promeruit? Num quia mentita eſt? Atqui, illud
mendacium officioſum fuit, & venialis tantùm
culpa, quæ gratiæ non obſiſtit. Profectò in re
dubia ad eam partem, quæ Dei bonitatem ma- D
gis commendet, cùm vrgens ratio oppoſitum
non ſuadet inclinare, laudabile exiſtimo.

Rahab non fuit rea proditionis patriæ abſcondens exploratores.

8. Maneat ergo Rahab, non ſolùm non fuiſſe
ream criminis proditionis patriæ, dum abſcõdit
exploratores, & incolumes dimiſit; immò vo-
luntatis diuinæ decretum, cùm ſciret piè & pru-
denter egiſſe, non ſolùm bona temporalia, ſi in
ſtatu charitatis erat; quod probabile eſt; ſed vi-
tam etiam æternam, eo ipſa promeruiſſe. Eadem
námque in facto Rahab philoſophandi ratio eſt,
circa pietatem, & promeritum, atque in facto

Hieronym. Rupertus. D. Thomas.

Ægyptiarum obſtetricum, quibus D. Hierony-
mus ſuper cap. 65. Iſaiæ, Rupertus lib. 1. ſuper
Exod. cap. 7. D. Thom. 22. quæſt. 110. art. vlt. E
& alij Patres affirmant ædificatas fuiſſe domos,
hoc eſt, cœleſtis patriæ manſiones, & æterna ſan-
ctorum præmia. Veriſimile námque eſt, timorem

Exod. 1.

Dei, cuius meminit ſcriptura, Exod. 1. quo illæ
motæ fuerunt, ad parcendum infantibus, ſanctũ
fuiſſe, & cum gratia diuinitus infuſa ſociatum.

D. Gregor.

Nec D. Gregorius qui per domos ædificatas in-
telligit, bona tantùm temporalia, illis conceſſa:
diffitetur 18. Moral. ſuper 27. cap. Iob, potuiſſe
eas mereri æternam mercedem per actum illum
timoris. Vide quæ annotauimus ſuprà Annot. 2.
in 4. interpretatione.

LIBRI IOSVE

CAPITIS SECVNDI
SECTIO III.

Verſ. 8.] Necdum obdormierant, qui
latebant, & ecce mulier aſcẽdit ad
9. eos, & ait. Noui, quod Dominus
tradiderit vobis terrã: etenim ir-
ruit in nos terror veſter, & elan-
guerunt omnes habitatores ter-
10. ræ. Audiuimus, quod ſiccauerit
Dominus aquas maris rubri ad
veſtrum introitũ, quando egreſ-
ſi eſtis ex Aegypto: & quæ fece-
ritis duobus Amorrhæorum Re-
gibus: Sehon & Og, quos inter-
11. feciſtis. Et hæc audientes perti-
muimus, & elanguit cor noſtrum
nec remanſit in nobis ſpiritus ad
introitum veſtrum. Dominus e-
nim Deus veſter, ipſe eſt Deus in
cœlo ſurſum, & in terra deorſum.
12. Nunc ergo iurate mihi per Do-
minum, vt quomodo ego miſe-
ricordiam feci vobiſcum, ita &
vos faciatis cũ domo Patris mei;
13. Detíſq; mihi verũ ſignum, vt ſal-
uetis patrem meũ, & matrẽ, & fra-
tres, ac ſorores, & omnia quæ illo-
rũ ſunt, & eruatis animas noſtras
14. à morte. Qui reſponderunt ei: A-
nima noſtra ſit pro vobis in mor-
tem, ſi tamẽ non prodideris nos.
Cúmq; nobis tradiderit Domi-
nus terram faciemus in te miſe-
15. ricordiam & veritatem. Dimiſit
ergo eos per funem de feneſtra:
domus enim eius hærebat muro.
16. Dixítq; ad eos, ad montana con-
ſcendite, ne fortè occurrant vo-
bis reuertentes, ibiq; latitate tri-
bus diebus; donec redeant, & ſic
ibitis per viam veſtram.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Et antequàm dormirent
ipſa aſcendit ad eos ſuper te-
ctum, &c. Pro, *Et elanguerunt om-
nes habitatores*: vertit: Et quia de-

fluxerunt

fluxerunt omnes habitatores terræ à facie veſtra, &c. Pro, *Et languit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus*, &c. Et liquefactum eſt cor noſtrum, & non ſurrexit ampliùs ſpiritus in viro à facie veſtra. Pro, *Detiſque mihi verum ſignum, vt ſaluetis patrem meum*, &c. Et dabitis mihi ſignum veritatis, & viuificabitis patrẽ meum, &c. Pro, *Anima noſtra, ſit pro vobis in mortem*, &c. anima noſtra erit pro vobis ad moriẽdum, ſi non prodideritis verbum noſtrum hoc. Pro, *Domus enim eius hærebat muro*, &c. Domus enim eius erat in pariete muri, & in muro ipſo habitabat. Pro, *Ad montana conſcendite*, &c. Ad montem pergite, ne fortè occurrant vobis inſequentes, &c.

Aliter, Pro, *Necdum obdormierant, qui latebant*. Antequàm ſe quieti dediſſent viri illi, &c. Pro, *Elanguerunt omnes habitatores terræ*, &c. Cõſternati ſunt metu veſtri. Pro, *Aquas maris rubri*, &c. Aquas maris carectoſi. Pro, *Quos interfeciſtis*, &c. Quos omninò excidiſtis. Pro, *Deus in cælo ſurſum*, &c. Deus in cœlis supernè & ſubtus in terra. Pro, *Vt quomodo ego miſericordiã feci*, &c. Quandoquidem ego in vos benigna fui, vos quoque beneficium ſitis præſtituri domui patris mei, huiúſq; rei mihi detis ſymbolum haud fallax. Pro, *Anima noſtra ſit pro vobis in mortẽ, ſi tamen non prodideritis nos*, &c. Animas noſtras pro vobis morti deuouemus, præſtituros nos & beneficium & fidem tibi, modò non prodatis negotium noſtrum. Pro *Domus enim eius hærebat muro*, &c. erat iuxta mœnia vrbis, habitabat enim ipſa propter murum. Pro, *Ad montana conſcendite*, &c. Ite montem verſus, ne fortè obuiam vobis fiant, qui vos ſunt in-

A ſecuti, ibíque abſconſi latitate, &c.

Sept. Interpretes. Pro, *Hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum* &c. καὶ ἀκούσαντες ἡμεῖς ἐξέστημεν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν καὶ οὐκ ἔστη ἔτι πνεῦμα ἐν οὐδενὶ ἀπὸ προσώπου ὑμῶν. Hoc eſt, & audientes nos obſtupuimus in corde noſtro, & non fuit vltrà ſpiritus in vllo à facie

B veſtra, &c.

Explicatur contextus.

1. **V**ER. 8. *Necdum obdormierant, qui latebant, &c.*] Aſcendit Rahab in ſuperiorem domus partem, vt exploratores doceret, quid rei acciderit, ſimúlque pro beneficio, eam impetraret remunerationem, quam vt firmaretſet, iuramento ſtabiliri voluit. Accepto igitur & iuramento, & indicio funiculi coccinei ad defenſionem ſuæ familiæ, & domus, dimiſit exploratores de feneſtra, & quomodo ſa-

C luti ſuæ conſulere poſſent, donec ad ſocios venirent, eos probe inſtruxit. Rectè autem Caietanus ex negatione contenta in his verbis: *Necdum obdormierant, qui latebant*, &c. iuncta affirmationi præcedenti, videlicet, quòd dormierint, ibi infert de ſecunda nocte eſſe ſermonem in hac negatione, ſicut de prima in illa affirmatione: quicquid in contrarium dicat Abulenſis reducens, vt cœpit ad vnam & eandem noctem, omnia, quæ tranſacta ſunt, cum exploratoribus.

Rahab dimiſit de feneſtra exploratores obligatos iuramento cum indicio funiculi coccinei.

Caietanus ad 2. noctem refert, quę hîc commemoramus.

Abulenſis omnia in vna nocte confecta putat.

2. *Et ecce mulier aſcendit ad eos, &c.*] Hoc eſt, ad ſolarium domus, quod inſtar pauimenti erat ſub dio, aſcendit Rahab poſtquam abierant Regis nuntij: interpoſita tamen aliqua noctis mora in-

D ter nuntiorum abitionem, & exploratorum aditionem, ne obuij fierent.

3. *Noui, quod Dominus tradiderit vobis terram.*] Cauſa hic aperitur, ob quam Rahab iam accuratè protexerit exploratorum vitam. Nouerat nimirum traditurum Deum Iſraelitis vniuerſam terram Chanaan, nec modum aliquem ſupereſſe euadendi ex illorum victrici manu. Delinire igitur obſequiis voluit, & ad partem aliquam miſericordiæ beneficiis traducere, quos victores fore ſciebat. Prudenter ergo ſuæ vitæ, quando toti vrbi non poterat, conſuluit. Cautè quoque notam proditionis patriæ, quam aliter ſibi inureret, effugit. Cernitur in hac fœmina, non ſo-

E lùm timor, ſed fides etiam, quod Iehouah, qui eſt Eloe Iſrael, ipſe eſt Elohim in cœlo & terra. Quare nemo mirari debet illam fuiſſe ſeruatam. Decebat namque, vt quam Deus intus illuminauerat, & electorũ ſuorum effecerat ſeruatricem, a clade quoque Hiericho immunẽ conſeruaret.

Rahab obſequiis delinit quos victores fore ſciebat.

Timore & fide ducitur Rahab.

4. *Etenim irruit in nos terror veſter, &c.*] Tradidiſſe Deum terram Iudæis, colligit Rahab, ex timore, quo gentes vicinæ formidabant illorum aduentum: ſiue hic timor profectus ſit, ex alto: Deum nimirum incutiente animis terrorem, vt promiſerat Exod. 23. ſiue, ex fama miraculorum, quæ in tranſitu maris, & in victoriis de hoſtibus reportatis patrata ſunt. Ex vtrolibet námque ti-

more

more rectè colligitur, terram in poſſeſſionem Hebræorum deuenturam. Quid ſi timore conſternati arma capiant? illis accidet, quod Themiſtocles Eretrienſibus obiecit, eos nimirum ſimiles piſcium, qui gladioli vocantur, quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent. Notās hoc cauillo illorum ignauiam, quod armatis non adeſſet animus, Apophthe. lib. 5. tit. Themiſtocles, num. 14. Quod annotauerim, quia aliquis timor laudem habet, cùm ſcilicet nos deterret à turpibus. Vnde Xenophanes Lagi filius, cùm ipſi Hermogeneus timiditatē obiiceret quòd nollet ſecum teſſeris ludere. Fateor (inquit) me non ſolùm meticuloſum, verùm etiā vehementer meticuloſum, ſed aduerſus inhoneſta. Honeſta formidoloſitas eſt, quæ deterret à turpibus.

Hebræi frustra gladium, quibus deest cor. Apoph.

Imitatus ad Iudam Xenophanes, æquo animo tulit exprobrationem metus, cùm ludere nollet.

Quamuis ergo humanus timor accidere poſſet Chananæis: veriſimiliùs tamen eſt, per reuelationem manifeſtatum fuiſſe huic fœminæ populis illis incuſſum eſſe à Deo timorem, vt de prouidentia diuina certior facta, nihil fato, aut falſis Diis, vt Gentiles ſolebant, aſcriberet. Nam Syri qui ſub Benadab merebant, cùm victos ſe in montibus ab Achab, viderent: dicebant, propterea Iſraelitas viciſſe, quia Deos montium colerent: foreque, vt Syri ſuperarent, ſi inſtaurato agmine, in vallibus pugnarent, 3. Reg. 20. *Serui viri Regis Syriæ dixerunt ei. Dij montium, Dij eorum, ideò ſuperauerunt nos, ſed melius eſt, vt pugnemus cum eis in campeſtribus, & obtinebimus eos.* Deinde narratur ab irato Deo, ob verba iſta, traditos iterum fuiſſe Syros Iſraelitis. Vnde Abulenſ. q. 48. non dubitat diuina reuelatione cognouiſſe Rahab, ea, quæ prædixerat; maximéque ex illis verbis: *Deus enim veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.*

3. Reg. 20. Syri ab Iſraelitis victi.

Abulenſ. Rahab verum Deum ex reuelatione cognouit, & multis quæ prædixit, ea videntur Hebræorum.

5. *Et elanguerunt omnes habitatores terræ, &c.*] Pag. vertit, & defluxerunt: exprimitur hac metaphora, debilitas ſumma animi, & virium iniecta Chananæis, quæ ita, eos frangat, vt cadant & nemine perſequente metuant, fugiantque à facie folij volantis, tanquam qui fugit gladium, de quo metu, Leuit. 26. & Deut. 28.

Leuit. 26. Deut. 28.

6. *Audiuimus, quod ſiccauerit Dominus aquas, &c.*] Nonnulla attingit, ex quibus formido Chananæis iniecta eſt, etiam ſine reuelatione voluntatis diuinæ, deſtinantis populo ſuo eam terram. Ea námque reuelatio Rahab duntaxat facta eſt. Nouerāt hanc Dei voluntatem Hebræi illámque prætereà, qua decreuit illorum hoſtibus formidinem incutere, ex cap. 23. Exod. *Timorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, & cunctorum inimicorum tuorum coram te terga vertam* Porrò de hoc miraculo ſiccati maris ad omnes vicinas gentes cum ſtupore audientiū fama peruaſit; impletúmque eſt illud vaticinium, Exod. 15. *Aſcenderunt populi*, vel vt habent Hebræa, & 70. *Audierunt populi, & irati ſunt, & dolores obtinuerunt habitatores Philiſthim: tunc turbati ſunt Principes Edom robuſtos Moab obtinuit tremor obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

Exod. 23. Timor a multis est diuinitus Chananæis.

Ad introitum veſtrum, &c. Non intelligas, Iudæos ingreſſos primùm fuiſſe mare, deinde verò mare viam illis aperuiſſe. Id enim falſum eſt. Nullus enim mare ingreſſus eſt antequam viam cerneret diuinitus patefactam, vt conſtat Exod. 14. vbi Moſes dicitur, virga eleuata diuiſiſſe mare, & poſteà Iſraelitas ingreſſos. Ad introitum ergo Hebræorum diuiſum eſt mare, hoc eſt diuiſum, & ſiccatum fuit vt introirent.

Exod. 14.

7. *Quando egreſſi eſtis de Ægypto &c.*] Hoc eſt, abhinc anno vno & quadrageſimo. Non tamen intelligas tranſiſſe Hebræos mare rubrum in ipſa prima die egreſſionis de Ægypto, quia ea die peruenerunt in Socoth, vt patet Exod. 12. & Num. 33. Sed aliquibus diebus poſt exitum; paucis tamen interpoſitis, vt conſtat ex manſionibus quæ deſcribuntur, Num. 33. Recedentes enim de Rameſſe, vbi comederunt agnum Paſchalem, venerunt in Socoth, & de Socoth in Ethan, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis: inde egreſſi venerunt contra Phiaroth, quæ reſpicit Hellephon, & caſtrametati ſunt ante Magdalum. Denique profecti de Phiaroth tranſierunt per medium mare rubrum. Idem conſtat ex cap. 14. Exodi exiſtimat Abulenſ. q. 48. defendi poſſe Hebræos nullas feciſſe manſiones inter exitum de Ægypto, & tranſitum maris rubri: quia vt plerique volunt, mare rubrum terminus eſt Ægypti verſus illam partem qua Iudæi exierunt. Non negat tamen feciſſe eos aliquot māſiones inter ciuitatem Ramaſſes, vnde primùm mouerunt caſtra, vſque ad mare rubrum; neque id negari poteſt: ſolum dici poſſe ait, eas manſiones cùm in Ægypto factæ fuerint non eſſe inter exitum de Ægypto, & tranſitum maris interponendas. Qui modus loquendi mihi non diſplicet.

Non ſunt Hebræi mare ingreſſi in prima die egreſſionis de Ægypto.

Exod. 12. Num. 33. Primum in Ægypto Paſchalem ... Iudæi in Ægypto in ciuitate Ramaſſe.

Exod. 14. Iudæi egreſſi de Rameſſe, tres manſiones fecerunt in Ægypto, et priùs ingreſſi mare, ſine manſionibus ... Ægypto exire ex Abulenſ.

Et quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, &c.] Erant Og & Sebon Reges Amorrhæorum fortiſſimi, & potentiſſimi. Vnde victoria de illis duobus prælijs parta Chananæis metum incuſſit: eò potiſſimum, quòd victores nemini parcerent, vt illis præceptum fuerat. Num. 33. & Deut. 20. Huc reſpexit Rex Moabitarum Balaac loquens ad maiores natu Madian, dicens: *ſic delebit populus iſte omnes, qui in noſtris finibus commorantur, ſicut ſolet bos herbas vſque ad radices carpere*, hoc eſt, ea crudelitate ſæuiet, vt nihil viuere, quā tranſierit patiatur.

Hebræis præcepit Deus, vt neminem parcerent. Num. 21.

Num 33. Deut. 20.

Timor per hyperbolem ſignatur.

Porro non ſolùm erant Amorrhæi Reges illi duo, qui victi fuerant, ſuperſtite Moſe, ante tranſitum Iordanis, ſed etiam alij cum quibus Iſraelitæ Iordane tranſmiſſo erant pugnaturi vt patet infrà cap. 5. cum dicitur: *Poſtquam audierunt ergo omnes Reges Amorrhæorum qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, & omnes Reges Chanaan.* &c.

8. *Sehon & Og quos interfeciſtis.*] Sehon Rex fuit Eſebon in introitu terræ Hebræis promiſſæ ſedem obtinens, & in Moabitarum, Ammonitarúmque confinio, vt colligitur ex cap. 21. Num. & Deut. 2. ob idque contra hunc primùm ab Hebræis pugnatum eſt, vſque ad illius, & gentis ſuæ internecionem Og verò, alter erat Amorrhæorum Rex, de genere gigantum, vt patet Deut. 3. cùm dicitur: *Solus quippe Og reſtiterat de genere Gigantum.* Hic ſecundo loco ab Iſraelitis victus & cum populo illius ditioni ſubiecto, occiſus eſt. Vocatur autem Rex Baſan; quia regio Baſan præcipua pars erat illius imperij, & terra Gigantum dicebatur. *Monſtratur*, inquit ſcriptura, Deut. 3. *lectulus eius ferreus in Rabath filiorum Ammon nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor cubitos latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus.* &c. in Hebræo in cubito ſeu brachio viri: vbi Caiet. *Nec aliter deſcribitur quanta ſit menſura brachij, ſeu cubiti. Ad differentiam ſiquidem cubiti Mathematici dictum eſt, quod nouem illi cubiti, ſunt cubiti ſecundum cubitum viri.* Hæc Caiet. vt intelligamus longitudinem illam

Victoria, etc., victis duobus Amorrhæorum Regibus.

Num 21. Deut. 2.

Deut. 3.

Lectulus Og gigantis.

Caietanus. Cubitus ad menſuram cubiti virilis manus: cubitus continet duas ſpithamas, id eſt palmos.

illam duodeviginti ſpithamas continere, longitudinem verò octo vltra duos digitos qui ſingulis ſpitamis ſunt addendi, ſpectata illius temporis humani corporis proceritate.

9. *Et hæc audientes pertimuimus.*] Pertimeſcere eſt valde timere. Particula namque, *per*, adiuncta verbis, ſignificationem auget.

Langore cordis aſſici est reſiſtere incumbenti malo non poſſe.

10. *Et elanguit cor noſtrum*, &c.] Dicitur cor langore teneri, quando præ magnitudine futuri mali, ita vires deficiunt, vt reſiſtere non poſſimus, aut non audeamus incumbenti periculo. Talis langor Chananæorum animos oppreſſerat. Vnde effectum huius langoris magis exprimens Rahab ait. *Nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum*, &c. Cùm enim vires tam corporis quàm animi in nobis ſuſcitentur motibus & diſcurſu ſpirituum per venas pulſatiles totumque corpus, cum ceſſat hæc permeatio, quæ à corde eſt, vel debilitatur, continuo laſſamur. Ceſſat autem hæc permeatio ſpirituum in ijs, qui laborant, ob euaporationem nimiam, qua ſpiritus conſumuntur, corde non valente pro feſſis recentes ſufficere, vnde aliqua laboris intermiſſione, ad virium inſtaurationem opus eſt: vt enim Ouid. ait.

Vnde proueniat fatigatio aut langor.

Ouidius.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Defectionis, ſiue deliquij cauſa.

In ijs verò, qui timent, ob recurſum ſpirituum ad cor, quibus cætera membra deſtituta moueri nequeunt, nec vigorem habent, quo ſuſtentare molem corporis poſsint, ne corruant, vt accidit C etiam in dormientibus, natura emittente ſpiritus & vires ſuas ad partes, in quibus ciborum fit decoctio, ad virium naturalium operationes exacuendas neceſſaria. Atque, vt id rectè fiat, ſilent operationes interim virium animalium, & ad motum incitantium.

11. *Dominus enim veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum.*] Deum, quem Hebræi colebant cœli, terræque vnicum, & ſolum dominatorem eſſe Rahab confitetur, atque hac confeſsione Chananæorum Deos reſiſtere Hebræis non poſſe proteſtatur. Quæres, cur Deum ſuum non vocet Rahab Deum Iſraël, cum iam fide veri numinis eſſet illuſtrata? *Illa* (inquit, Cyrill. Hieroſ.) *hoc tantum* D *dixit. Quia Deus veſter in cælo &c. ſuum enim dicere non audebat, quia ſe impuram ſentiebat*, &c.

12. *Nunc ergò iurate mihi per Deum.*] Pro miſericordia hic bis poſita; bis, iuxta Hebræam veritatem, adhibendum eſt vocabulum gratiæ. Ac ſi dicat. Iurate mihi, vt quemadmodum ego feci vobis gratiam, vos etiam gratiam mihi facietis, & domo Patris mei. Vbi aduertit Abulenſ. q. 50. morem eſſe omnium gentium, quæ diſparem ſequuntur cultum, vt abinuicem exigant ad ſtabiliendos & firmandos contractus, iuramentum per Deum, quem quiſque colit. Vnde Chriſtiani à Iudæis iuſiurandum, non oblata cruce, aut Euangeliorum libro, vt mos eſt Chriſtianis, ſed quod ipſi ſolent interponere ſuper thora. Similiter a Sarracenis poſcitur, iuxta ritus Mahometanæ ſuperſtitionis. Nec verò Iudæi aut Mauri a Chriſtianis iuramentum petunt, niſi id quod illis ſolemne eſt. Timent enim qui iuramentum exigunt, ne ſi quis iuret per id quod nihil numinis habere putet, à fide deficiat. Huius moris non inſciens Rahab ab exploratoribus iuramentum poſcit, interpoſita religione non Deorum, quos Chananæi ſed veri Dei, quem ipſi colebant. Nec verò illi, licèt Rahab vellet, aliter iurarent vt patet Exod. 23. *Per nomen Deorum externorum non iurabitis, nec audientur ex ore veſtro* Porro an liceat

Diſparis cultus gentes iuramenta inter ſe exigunt per Deos, quos quiſque colit ad contractus firmandos. Abulenſ.

Iuratio a Mauris & Iudæis qualis exigatur.

E

Rahab exigit iuramentum ab exploratoribus, non per Deos Chananæorum, ſed per Deum Iudæorum.

A Chriſtianis petere iuramentum ab Hebræis, vel Sarracenis quos ſciat, vetitis ceremonijs vſuros. Et an peccet Sarracenus iurans per Alcoranum aut crus Mahometicum late agit Abulenſ. ſuper cap. 23. Exodi.

Abulenſ.

Exod. 23.

13. *Detiſque mihi verum ſignum, vt ſaluetis patrem meum.*] In Hebr. eſt, & dabitis mihi ſignum veritatis. Vocat autem iuramentum, quod poſtulat ſignum veritatis, ac ſi alijs verbis diceret: Iurate mihi per Deum tali modo, vt ſit ſignum futuræ veritatis. Vult enim excludere cauillationes & amphibologias, quibus pleriqne in periculo & neceſſitate conſtituti, vti ſolent. Conſulit autem bona mulier non ſolum ſibi, ſed patri B etiam & ſororibus, cæteriſque perſonis, aut rebus aliquo modo ſibi coniunctis.

Iuramentum eſt ſignum veritatis, quando non interueniunt amphibologiæ vel cauillatio.

Qui reſponderunt animæ noſtra. &c. Si non prodideris nos, &c. In Hebræo eſt, ſi non prodideritis verbum noſtrum hoc. Iurant exploratores facta vtrinque promiſſione per modum fœderis; cauent autem ne communicata à Rahab notitia occultationis cum patre, & cæteris conſanguineis, manifeſti fiant. Idcirco pacti lege ſanciunt, *ſi non prodideritis rem noſtram hanc*. Ignorabant hactenus, ſe per feneſtram occulte dimittendos ſtatim eſſe.

14. *Cùmque tradiderit nobis Dominus terram faciemus tecum miſericordiam, & veritatem.* &c.] Duo C hic aduerte. Primum eſt, exploratoribus certum fuiſſe, traditurum Deum Hebræis terram, tum ob recordationem diuinæ promiſſionis, tum ob partem promiſſæ terræ, iam vindicatam a duobus Amorrhæorum Regibus. Deinde, pro. *Faciemus tecum miſericordiam, & veritatem*, legendum eſſe iuxta Hebr. *gratiam & veritatem*. Gratiam appellant, beneficium conceſſæ vitæ, veritatem verò, fidelitatem, & in pactis conſtantiam.

Hoſti conceſſa vita, dicitur gratia.

15. *Demiſit ergo eos per funem de feneſtra*, &c.] Comminiſcitur hic Rabbi Sal. Rahab conſueuiſſe per funem attollere illa muri parte, ſcortatores & in cubile admittere. Nunc autem eneciſſe inſtrumentum iuſtitiæ ad veniam culpæ promerendam funem, qui fuerat peccati inſtrumentum. D Vera autem cauſa, cur ita demiſerit hoſpites, ea ſolum eſt, quia porta ciuitatis clauſa erat, & oportebat eos ante auroram dimittere.

Rab. Salomon.

Rahab inſtrumentum peccati, opposuit inſtrumentum veritatis & iuſtitiæ.

16. *Ad montana conſcendite, ibique latitate diebus tribus*, &c.] Plana erat via, quæ ducebat à Hiericho ad vada Iordanis: hàc Regij miniſtri diſceſſerant. Hortatur ergo Rahab exploratores, vt ad montana loca, ne in regios miniſtros, incurrant, properent triduo ibi manſuri. Quod temporis ſpatium, vt aduertit Rab. Dauid Cimhi; effluere debuit, quouſque rediret Hierichuntini: Diſtant namque, vt Lyranus annotauit, Iordanis E vada ab vrbe ferè vnius diei iter duo autem huic addendi ſunt perſcrutandis latibulis neceſſarij. Vnde infra dicitur. *Quærentes enim per omnem viam non inuenerunt eos.*

Rab David Cimhi. vel Kimhi.

Lyranus.

A Hiericho ad vada Iordanis iter eſt ferè vnius diei intra id ſpatium aliquorum eſſe definiunt.

17. *Et ſic ibitis per viam veſtram*, &c.] Poſtquàm triduo latueritis, ad caſtra Iſraelitarum poteritis ſecuri pergere. Regij namque miniſtri, intra triduum ſunt reuerſuri.

Verſ. 9.]

Verſ. 9.] Noui quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror, &c.

Quomodo nouerit Rahab tradendam eſſe terram Hebræis? Ait enim, Noui quod Dominus tradiderit vobis terram.

ANNOTATIO I.

Potuit Rahab coniecturis ſcire tradendam eſſe terram Hebræis

1. VNO è duobus modis explicari poteſt huius difficultatis nodus. Primùm, ſi dicamus Rahab coniecturis ſcire potuiſſe, vel ſaltem ſuſpicari, terram Chananæorum in poteſtate Hebræorum deuenturam: coniectura autem ſumi potuit à vehementi illius regionis, & vicinarum timore, de quo Exod. 15. Vaticinans Moſes ait, *Aſcenderunt populi & irati ſunt; dolores obtinuerunt habitatores Philiſtim. Tunc conturbati ſunt principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan, &c.* Et quidem Moabitis tantus acceſſit timor, vt non audentes congredi cum Iſraelitis, Balaan Ariolum vocauerint ad maledicendum, vt quod viribus ſe aſſequi poſſe deſperabant, maledictionibus & imprecationibus obtinerent, Num. 22. *Videns autem Balac filius Sephor, omnia quæ fecerat Iſrael Amorrhæo, & quod Moabitæ timuiſſent eum, & eius impetum ferre non poſſent, dixit ad maiores natu Madiã: ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere, &c.* Similis timor occupauit Hierichuntinos; quod Rahab non obſcura coniectura ſuſpicata eſt; ait enim: *Irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* Auxit coniecturam fama miraculi à Deo patrati in diuiſione maris rubri. Quis enim videns diuinum numen alicui populo propitium eſſe, audeat cũ illo belligerare? Acceſſit victoria dudum parta à duobus Amorrhæorum Regibus potentiſſimis. Ex his aliiſque coniecturis facilè potuit Rahab ſibi perſuadere fore. vt victores, ſi pugnandum eſſet, euaderent Iudæi.

Exod. 15.

Num. 22. Rex Balac, quod armis non potuit, imprecationibus arioli conſulti mittat obtinere.

2. Deinde ſolui poteſt difficultas, ſi dixeris, Deo reuelante, agnouiſſe Rahab, fore Hebræos victores. Quid enim mirum, ſi fœminæ gentili Deus id aperuit? Nónne Balaam filius Beor, cùm Gentilis eſſet, propheta fuit, de Haram; vt patet Num. 22. & 23. Quid, quod Balaam idololatra peſſimus, & ariolus erat, Deut. 23. & tamen Deus cum eo loquebatur? Atqui Rahab iam turpem reliquerat viuendi modum, & ad Deum conuerſa, illius dignior erat colloquio.

Num. 22 & 23. Rahab dignior Dei reuelatione quam Balaam Deut. 23.

3. Quod ſi obiicias ipſam nec à Deo, nec ab Angelo futuri euentus fuiſſe admonitam, ſed ex timore coniecturam feciſſe. Reſpondet Abulenſis quæſt. 48. illam reuelatione cognouiſſe, timorem, quo alligatos videbat ciues ſuos à Deo fuiſſe immiſſum; ſicut enim Deus, ægritudine affligit homines in pœnam, alicuius flagitij: ita eoſdem interdum ſupernaturaliter iniecto timore percellit. Atque hanc pœnam Deus nonnumquam Iudæis infligebat propter peccata, Leu. 25. *Qui de vobis*, inquit, *remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hoſtium terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient, quaſi gladium, nullo perſequente; & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes, &c.* Poteſt autem timor à Deo immiſſus diſcerni ab alio quocumque. Nam timor alius non ita infringit vires, & cor debilitat, hic verò, omnem haurit corporis & animi virtutem. Vnde ait Rahab naturam huius formidinis exprimens, *Elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum.* Illud etiam confirmat incuſſum à Deo timorem fuiſſe Chananæis; quia Chananæi plures erant, & longè robuſtiores Iudæis; adeò vt Iudæi ſuis viribus ſe metientes, illorum impetum formidantes in Ægyptum voluerint reuerti, Num. 14. Nunc autem Chananæi ita animum deſponderant, vt à Deo metus incuſſus facilè appareat, qui dixerat, Exod. 23. *Terrorem mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorúmque inimicorum tuorum terga vertam, &c.* Cùm ergo fas ſit bifariam interpretari videlicet nouiſſe Rahab terram Hebræis tradendam eſſe, ex coniecturis humanis, aut ex reuelatione diuina. Hoc poſterius Abulenſis probabilius eſſe aſſeuerat: præſertim cùm confiteri debeamus, illam diuina luce colluſtratam dixiſſe: *Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.* Quomodo enim ſimplex mulier, & in idololatria à tenera ætate educata, potuiſſet, niſi à Deo edocta, tam magnificè, de vera Deitate, & religione loqui?

Abulenſis.

Deus immiſſo timore tanquam morbo homines affligit in pœnam peccati Leuit. 25.

Timor immiſſus à Deo in pœnam peccati haurit omnes animi & corporis vires.

Chananæi robuſtiores Iudæis erant, metu tamen ſtrati ſunt. Num. 14.

Abulenſis putat reuelatione addidiſſe Rahab.

Verſ. 11.] Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum & in terra deorſum.

Potueritne Rahab naturaliter cognoſcere vim & omnipotentiam, quam hic Deo attribuit.

ANNOTATIO II.

1. PROTESTATVR Rahab Dei omnipotentiam, dum ait; *Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, &c.* item dum profitetur ſe ſcire, Deum Hebræis traditurum terram Chanaã. Si enim omnis cœli, terræque poteſtas penes Deum eſt, idque eueniet, quod ille futurum prædixit; ſanè omnipotens eſt. Quare expendendum eſt, potueritne ſimplex & rudis fœmina, qualis erat Rahab naturali lumine, abſque reuelatione, Deo omnipotentiam attribuere, qua Diis gentium ſublatis, eorúmque cultoribus; regna & prouincias, populo ſuo, prout promiſerat, traditurus erat.

2. At dices, cognitionem Dei naturaliter obtineri poſſe, non ſolùm quòd ſit; ſed etiam, quòd vnus & æternus ſit, iuxta illud Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius diuinitas, &c.* Potuit ergo Rahab naturaliter Deo exiſtentiam, vnitatem, & æternitatem concedere. Obiectioni reſpondendum eſt: Primùm, vix concedi poſſe fœminæ rudi, & inter gentiles educatæ attributorum Dei tam præclaram cognitionem, niſi ab ipſo Deo fuerit illuſtrata. Deinde aduertimus, prædictorum ſcientiam attributorum, à magnis Philoſophis, & in altiſſima cauſarum omnium

Rom. 1.

Scientia attributorũ Dei vix magnis Philoſophis naturaliter ceſſit.

cognitione occuparis, naturaliter fuiſſe comparatam. Perſpecto namque ordine cauſarum ad vnam deuenerunt primam cauſam. Vnde Ariſt. 12. Metaph. ſtatuit vnam primam cauſam, quam nos Deum vocamus: Cui multas conuenire proprietates rationibus confirmat. Eidem 8. Phyſic. æternitatem concedit.

Ariſt. 12. Metaphyſic.

Phyſic. 8.

Nullus Philoſophus hactenus Deo attribuit omnipotentiam, ſine præſidio fidei.

Cur Ariſt. Deo omnipotentiam non attribuit.

Abulenſ.

3. Cæterùm nullus hactenus Philoſophus omnipotentiam Deo, eo modo conuenire aſſeruit, quo eam illi attribuit Chriſtiana fides, ſolo naturali lumine inſtructus. Tribuit illi Ariſt. infinitatem, in duratione, ſed in eſſentia, aut potentia, non item. Quod eo conſilio fecit, vt Abulenſis quæſt. 49. annotauit, ne tolleret è medio propoſitiones neceſſarias, quæ à motu dependent, qualis eſt illa, ſol cras eſt oriturus, & ſimiles. Has enim vocat ineuitabiles, quia putat motum, à quo illarum veritas dependet, nulla potentia poſſe impediri: ac propterea de illis ſcientiam haberi. Si autem Deum eſſe omnipotentem putaret; conſequenter diceret has propoſitiones non continere veritatem infallibilem, cùm à diuina potentia motus cui innituntur impediri poſſit, ac proinde nec aliquid ſciri poſſe, cùm *ſcire*, vt ipſe 1. Poſt. ait: *ſit cognoſcere cauſam, ob quam res eſt illius cauſam eſſe*. hoc eſt, infallibilem, & minimè mutabilem. Hinc impiiſſimus Commentator aſſeruit, Nazarenos (ſic ille Chriſtianos vocat) indiſpoſitos eſſe ad ſcientiam, quia concedunt miracula, & omnipotentiam Dei, qua poſita tollitur rerum neceſſitas. Hæc aſſertio, non ſolùm impia, ſed etiam prorſus falſa eſt. Licet enim nos Chriſtiani concedamus Deo infinitatem eſſentiæ, & potentiæ, qua poteſt omnem creaturarum curſum ſibi obſequentem reddere, vt accidit ſole ſtante, iuſſu Ioſue, cõtra Gabaon, vt dicitur infrà cap. 10. & cùm reuerſus eſt ſol lineis decem in horologio Achaz, 4. Reg. 20. & Iſaiæ 38. Non tamen negamus propoſitionum prædictarum neceſſitatem. Hæc enim non conſideratur à nobis per cõparationem ad diuinam potentiam, ſed ad naturam ipſarum cauſarum.

Quid ſit propriè ſcire.

Commentatoris falſa de Chriſtianorum ſcientia opinio.

Ioſue 10.

4. Reg. 20. Iſaiæ 38.

4. Vides antiquos Philoſophos non conceſſiſſe Deo omnipotentiam in aliquo cauſarum ordine, etiamſi in ſpeculatione rerum altiſſimarum ætatem contriuerint. Quomodo ergo Rahab, eam Deo attribuere potuit ſolo naturæ ductu? Adde, nõ ſolùm ab ea cognoſci Dei vnitatem, & omnipotentiam, ſed etiam hæc attributa conuenire illi duntaxat Deo, quem Iudæi colebant. Hæc autem ſcientia comparari naturaliter non potuit, vt manifeſtum eſt. Quare fateri debemus, illam ad tam inſignem diuinitatis proteſtationem faciendam, & futuræ victoriæ de Chananæis prædictionem euulgandam, interno numinis afflatu fuiſſe incitatam. At vnde illi tanta felicitas? vnde promeritum? vt relictis aliis, eiuſdem vrbis & officij fœminis, hæc ſola ad veri Dei cognitionem adduceretur? Libet cum Paulo Rom. 11. clamare: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius!* &c. In mentem venit, quod Chriſtus ait, Matth. 24. *Duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur. Duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur*, &c. Inſtar piſtrini eſt vita humana, in quo boni & mali deſudant: ex iis, alij ad æternam migrant quietem: alij piſtrino manent addicti. E duobus ſociis Ioſephi in carcere poſiti, vnus educitur liber, vt pincerna ſit Pharaonis; alter vt in patibulo pendeat, pabu-

A lum auibus præbiturus, iuxta ſomnium à Ioſepho interpretatum. E duobus latronibus cum Chriſto cruci affixis: vnus vitam accipit & ſalutem: alter moritur, & damnatur. *Penna*, inquit Iob 39. *ſtruthionis ſimilis eſt pennis Herodij*, &c. Cùm valde ſimiles ſint, ſtruthionis, & ardeæ, accipitriſq; pennæ; ſtruthio è terra non attollitur; ardea ſupra nubes euehitur. Lilium conuallium circundant interdum, hinc aranea: inde apis: hæc mel ex illo flore: hæc venenum elicit. Donum cœleſte fuit, quod Rahab agnouerit Dei virtutem, ſeque relicto paganiſmo Dei populo aggregarit. Cui dono illa cooperata eſt, protegens exploratores, quos interiùs illuſtrata agno-
B uerat miniſtros eſſe diuinæ voluntatis; & Dei confeſſa mirabilẽ virtutem; illud Apoſtoli Rom. 12. ante Euangelium præſciens: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Aliæ erant in vrbe illa ſtabulariæ mulieres: hanc tamẽ Deus elegit, quippe quam ſciret diuinæ vocationi cooperaturam. Sed de his hactenus. Cætera damus ſcholis.

Verſ. 12.] Nunc ergo iurate mihi per Dominum, &c.

C *An ratum, & firmum fuerit iuramentum ab exploratoribus præſtitum de incolumitate Rahab, & illius domo?*

ANNOTATIO III.

1. Existimari alicui poteſt iuramentum, quo ſe exploratores adſtrinxerunt parum firmum, quippe quod de occidendis Chananæis à Deo Iſraelitis iniuncto contrarium videatur, Num. 33. & Deut. 30. vetuerat Deus
D vitam concedi Ethæis, Heuæis, Chananæis & quibuſdam aliis gentibus ibidem nominatis, cæteris autem populis non nominatis, in eo catalogo, vitam permiſit, tributo tamen obligatam. Quomodo ergo exploratores Rahab, & cognationi illius liberationem à morte promittere potuerunt? Sanè omne iuramentum contra bonos mores conceptum, irritum eſſe Theologi iuxta & Iuriſperiti affirmant. Vnde Iſidorus: *In malè promiſſis reſcinde fidem.*

Num. 33. Deut. 30.

In malè promiſſis reſcindatur fides.

2. Nihilominus dubium eſt, intentionem quidem legiſlatoris fuiſſe, vt illi populi delerentur; non tamen voluiſſe, vt qui bene meriti de populo Dei inuenirentur, illi cæterorum pœna mul-
E ctarentur. Atqui Rahab, negare exploratores non poterant promeritam. Vnde conſeruatrici ſuæ vitæ, omnibus modis vitam & conſeruationem bonorum procurare, etiam iuramento præſtito, licitè potuerunt; & legis mentem magis, quàm verba attendentes, omnia inſuper pietatis officia debuerunt impendere.

Inter Chananæos inſpiraue Dei accidendos, ſi qui bene meriti eſſent de Hebræis vt Rahab, mulctandi non erant.

Verba, quibus illi vſi ſunt, cùm iurarunt, ſacra ſcriptura non expreſſit, niſi dicas illa verba iuramentum continere. *Anima noſtra ſit pro vobis in mortem.* hoc eſt, anima noſtra pereat, ſi anima veſtra perierit, ſeu quod idem eſt, nos ambo rogamus Deum, vt, ſi aliquis de cognatione tua mortuus fuerit gladio, nos pro illo moriamur. Eſt autem

Verba iuramenti exterioris.

tem hîc modus iurandi execratorius de quo Annot. ſequenti dicendum eſt.

Exploratores iurant, ſe nemini prodenter non moriturus. Abulenſ.

3. Adhibent iuramento conditionem exploratores, *ſi tamen non prodideris nos*, quia adhuc non ſatis fidebāt Rahab; Poterat enim illa cùm domi eos haberet aliquid fraudulenter moliri in illorum perniciem. Sed quid prodeſt, inquies, conditio? ſi prodantur exploratores haud dubiè peribunt. Fruſtra ergò dicunt, ſe liberari à vinculo iuramenti, ſiquis ex familia Rahab eos proderet. Reſpondet Abulenſ. q. 52. ſuper cap. 2. Ioſue, agnouiſſe exploratores, ſe licèt proderentur, diuina eos protegente miſericordia, minimè interficiendos eſſe, imò miraculis à morte, ſi immineret, liberandos: In quo euentu nolebant aſtringi iuramento Rahab præſtito, ſed liberè in ipſam Rahab, & Hierichuntinos omnes ſæuire, cùm gratiam facere nemini tenerentur.

Cur non petierint exploratores à Rahab vt iuraret, ſe illos non prodituram?

ANNOTATIO IV.

1. DEFINITIO quæſtionis huius, ex definitione alterius pendet, qua quæritur, vtrum fas ſit ab Idololatra iuſiurandum, per ſuos Deos petere & recipere? & quidem videtur id nefas eſſe. Cùm enim ille etiam verum iurando, actum idololatriæ exerceat ſuam immiſcens ſuperſtitionem, atque adeò grauiter peccet, videtur ille, qui tale iuramentum exigit, particeps fieri criminis.

August. Licet petere iuramentum ab infidelibus.

2. Nihilominus D. Auguſt. in epiſtola ad Publicolam, eam iuramenti à Gentili, vel alio infideli exactionem, licitam eſſe exiſtimat. Ratio eſt, quia cùm infidelis paratus ſit, ad iurandum per ſuos Deos, qui iuramentum huiuſmodi recipit, non magis eum excitat, quàm vſurarium, ad ſcelus paratum, ille, qui ſub fœnore mutuum ab eo petit. Neque enim peccato ſocius accedit, duntaxat illius fide vtitur non quidem recta & catholica, ſed naturali, quam quiſque licèt diuerſę ſit religionis in pactis & fœderibus tenetur ſeruare. Id quod exemplo Laban, & Iacob confirmat Auguſt. qui vt dicitur Gen. 29. per Deum Iacob, & Deum Nachor patris Laban ad ſtabilitatem fœderis mutuò iurarunt. Idem Gen. 26. in Iſaac & Abimelech cernitur vterque enim alteri, quamuis vt Auguſt. ait, id non ita ſit compertum, per proprium Deum iurauit, ſic enim ſcriptum eſt. *Ad quem locum cum veniſſent de Geraris Abimelech Ochozath, amicus illius & Phicol dux militum, locutus eſt eis Iſaac. Quid veniſtis ad me hominem, quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? Qui reſponderunt: vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos dicimus; ſit iuramentum inter nos vt non facias nobis quidquam mali*, &c. Pro illo, *ſit iuramentum inter nos.* 70. vertunt *ſit execratio inter nos*, & in Hebr. vt notat Oleaſter execratio eſt. Quam lectionem exponens Auguſt. q. 77. in Geneſ. *Execratio*, inquit, *hoc loco eſt iuratio, quæ maledictis obſtringit, quæ accidant ei qui peierauerit*, &c. Deinde additur, *& poſt cibum & potum ſurgentes manè iurauerūt ſibi mutuò.* Hinc conſequens fit, teneri gentilem ad ſeruandam iuſiurandi fidem, non quidem ob religionem, quæ falſa eſt, ſed ob fidelitatem humanam, quam ſecundum ſuam conſcientiam (quæ

Iacob & Laban iurant per ſuum quiſque Deum. Gen. 29 Gen. 26.

70 Interp. Oleaſter. August. in Geneſ. Quid ſit execratio. Infideles iurant per falſos Deos, tenentur ad ſeruandam iuramenti fidem, non ex religione, ſed ex conſcientia.

A iuxta Theologos etiam ſi erronea ſit obligationem inducit) iuramento confirmauit.

Auguſt. 22 q. 5. Can. Ecce dico. Gloſſa iuris male interpretatur Auguſt.

3. Hæc eſt doctrina Auguſtini, iuxta quam intelligendus eſt Can. Ecce dico 22. q. 5. vbi hæc illius verba referuntur. *Qui ſuper lapidem, falſum iurat, periurus eſt.* Quod dictum enarrans Gloſſa, ait Auguſtinum ſuos parœcianos reprehendere, quod iuraturi ſuper librum, lapidem aliquem, loco libri ſupponebant, vt illis, quibus iurabant, fucum facerent. Quos ideò, ait Auguſtinus, iuramento allegari, quia qui aderant putabant illud ſuper librum fieri. Hæc affinxit gloſſæ autor, alioſum trahens, atque Auguſtinus cogitauit il-
B lius verba & mentem. Idem accidit alijs citati canonis expoſitoribus legitimus; ergo ſenſus illorum verborum, pendet, ex Epiſtola Auguſtini, in qua agit de iuramentis gentilium duntaxat, quibus ſolemne erat, per Iouem lapidem, iurare; vt conſtat ex Liuio lib. 1. decadis primæ. Ceremonia námque ineundi fœderis erat, vt pater patratus manu tenens lapidem, conceptis verbis iuraret, & tunc ſuem lapide feriret, ex quo, illa locutio ferire fœdus, & apud Virgil.

Gentiles in fœderibus iurabāt per Iouem lapidem caſa ſue. Liuius lib. 1. 3. dec.

Virg.

Cæſa iungebant fœdera porca.

Illum ergo lapidem vocabant Iouem, quatenus fœderis teſtis credebatur, quippe qui vbique eſ-
C ſet etiam in lapide, vnde illud.

Iouis omnia plena

Ille colit terras, &c.

Vera expoſitio verborum D. Auguſt.

Ait ergo Auguſt. non quòd, qui ſuper, ſed qui ad lapidem ſcilicet Iouem iurat, quamuis reuera non iuret per rem ſanctam, iurat tamen per eum, quem putat eſſe ſanctum. Ideóque tenetur fidem ſeruare.

Sot. de Iuſt.

Sed rogas fortaſſe, an huiuſmodi Gentilis arctiùs ſit deuinctus, quàm ſi abſque iuramento fidem ſuam alicui obligaret. Sotus 8. de Iuſt. q. 2. art. 3. & quidem rectè, reſpondet huiuſmodi Ethnicum non teneri arctius abſoluta obligatio-
D ne iuramenti, quoniam illud frangens nec vero Deo, nec rei ſacræ iniurius eſt, ſed illi ſolùm, cui fidem non ſeruat. Addit tamen teneri eum ſuppoſita fallaci conſcientia, qua putat ſe per verum Deum iurare, non ſolùm ratione fidei more humano, & politico obligatæ, ſed etiam iuramento firmatæ. Obligat namque iuxta Theologorum axioma erronea conſcientia. Præterea Gentiles ſatis ſe obligatos putabant, quia audiri à Sole quem Deum eſſe credebant, verba iuramenti non dubitabant, vnde Homerus de Sole dixit, πάνθ' ἐφορᾷ, καὶ πάνθ' ἐπακούει: id eſt *omnia videt & omnia audit.* Quod Boetius. V. de conſol. metro.
E 3. vero Soli, hoc eſt Deo attribuit.

Gentiles in iuramentis & ex erronea conſcientia obligabantur, & ex data fide.

Boetius Deo tribuit quæ gentiles Soli.

Huic, ex alto cuncta tuenti,
Nulla terræ mole reſiſtunt:
Non nox atris nubibus obſtat.
Vno mentis cernit in ictu
Quæ ſint, quæ fuerint, veniántque,
Quem quia reſpicit omnia ſolus
Verum poſſis dicere Solem

Cur exploratores, non exegerint iuramentum à Rahab non prodendi illos.

4. Longior fui quàm decreueram, non tamen quam res ipſa poſtulabat, ſed hæc oportuit prænotaſſe, vt conſtet cur non petierint exploratores à Rahab iuramentum non prodendi eos. Crediderim námque id factum, primùm, ne audirent nomen alicuius falſi Dei quod piaculum erat Iudæo. Deinde, ne viderentur parum illius dictis fidere, ſi vltrà conditionem pacto à ſe iurato poſitam, inſuper exigerent ab illa iuramentum. Tertiò licèt crederent eam ſuo more iurando, arctiùs

D. Auguſt. Abulenſis.

aſtringi ad fidem ſeruandam iuxta ſententiam D. Auguſtini; Nihilominus (vt ex Abulenſi annotauimus Annot. præcedenti) nouerant per reuelationem, id nequaquàm neceſſarium eſſe, ſiquidem, etſi violata fide, proderentur Hiericbuntino Regi, miraculis ex periculo mortis erant eripiendi. Denique licèt in Rahab apparerent ſigna animi ad verum Deum conuerſi, per quem videretur iuratura; cùm tamen recens eſſet illa numinis cognitio, timeri potuit periurium, quod mortiferum ſacrilegium eſt, longéque natura ſua grauior Dei offenſa quàm homicidium, aut aliud peccatum in proximum admiſſum (iuxta D. Thom. quodlib. 18. & doctores ferè omnes) eam verò occaſionem, fœminæ præbere, religio fuit.

Periurium grauius peccatum eſt, quàm homicidium.

D. Thom.

Verſ. 16.] Ad montana conſcendite, ne fortè occurant vobis reuertentes, &c.

De conſilio Rahab dicentis exploratoribus: Ad montana conſcendite, &c.

ANNOTATIO V.

D. Ambroſ.

1. TRES virtutes aut quatuor enumerantur à D. Ambroſ. lib. 2. off. cap. 8. quæ multum valent ad conciliandam hominum amicitiam; charitas videlicèt, fides, & in conſilijs dandis prudentia, cui comes eſt iuſtitia. Quis enim in rebus difficillimis illius ſocietatem non expeter, qui tam inſignium virtutum ſeptus ſit ſatellitio? Qui viuacitate ingenij, mentis vigore, & autoritate præſter. qui præſentia ſoluat pericula, proſpiciat futura, denuntiet imminentia, remedium ferat in tempore; paratúſque ſit, non ſolum ad conſulendum, ſed etiam ad ſubueniendum? Huic ita fides habetur, vt qui conſilium petit, etſi mala euenerint, non deſpondeat animum. Vnde Ambroſ. *Huiuſmodi viro ſalutem noſtram exiſtimationemque committimus, qui ſit iuſtus & prudens. Facit enim iuſtitia, vt nullus ſit fraudis metus. Facit etiam prudentia, vt nulla ſit erroris ſuſpicio. Promptiùs tamen nos, iuſto viro, quàm prudenti committimus. Cæterum ſapientum definitione, in quo vna virtus eſt, concurrunt cætera, nec poteſt ſine iuſtitia eſſe prudentia.* Hæc ille: ſuámque doctrinam confirmat exemplo Salomonis; Qui in altercatione duarum meretricum 3. Reg. 3. filium, de quo erat altercatio, veræ matri adiudicauit. *Sapientia*, inquit, *fuit, latentes diſtinguere conſcientias: ex occultis eruere veritatem, & velut quadam machæra, ita ſpiritus gladio penetrare, non ſolum viteri, ſed etiam animæ & mentis viſcera. Iuſtitia quoque, vt quæ ſuum necauerat, alienum ne tolleret, ſed vera mater reciperet ſuum.* &c. Propter has virtutes Ioſeph Gen. 40. & 41. Nec in carcere feriatus erat; quo minus de rebus incertis conſuleretur; cuius conſilium Ægypto profuit, vt non ſentiret ſeptem annorum ſterilitatem, alióſque populos miseræ famis leuaret ieiunio. *Daniel quoque cap. 2. 7. & ſeq. ex captiuis, regalium conſultorum arbiter factus, conſilijs ſuis emendauit præſentia, annunciauit futura. Ex ijs enim, quæ frequenter interpretatus oſtenderat, veri ſe eſſe annuntium, fides ei in omnibus de ferebatur. Nam quid de Moſe loquar, cuius omnis Iſraël quotidie conſilia præſtolabatur? Moſis conſilio bella conficiebantur: Moſis meritis de cælo affluebat alimonia, potus è petra. Quàm purus Danielis animus, vt mulceret barbaros mores, mitigaret leones? Regalibus fultus amicitijs, aurum non quærebat, nec delatum ſibi honorem, pluris faciebat, quàm fidem.* Hæc Ambroſ. lib. 2. off. cap. 11. in quo probat à viris virtute præditis conſilium requirendum eſſe, qualis fuit præter alios patres, Ioſeph; in quo caſtimonia, & iuſtitia eluxerût: quarum altera illecebras heriles reſpuit, refutauit præmia: altera mortem contempſit, metum repulit, carcerem præoptauit. *Quis*, inquit. Ambroſ. *Hunc, priuata cauſa ad conſulendum, idoneum non iudicaret, cuius ferax animus, & mens fertilis temporis ſterilitatem, quodam conſiliorum & cordis vbere fœcundauit?* Hæc ille.

In conſilijs tres virtutes ſpectanda charitas, fides, prudentia.

Conſilium petendum à viris probis & prudentibus quales fuerunt Ioſeph, Moſes, Daniel, &c.

3. Reg. 3. Salomon.

Gen. 40. & 41. Ioſeph optimus conſiliarius etiam in carcere.

Dan. 2. 7. & ſeq.

Moſes optimus conſiliarius.

Daniel.

Qui caſtus eſt & iuſtus optimum eſt conſiliarium Ambr.

Ambroſ.

Ioſephi ſummi animus ſterilitatem fœcundauit Ambroſ.

2. Exploratores igitur, licèt ex cæteris argumétis adhuc dubij eſſent de fide Rahab ſibi promiſſa, tamen cùm viderent eam prudenter ſe in omnibus geſſiſſe, charitatiſque & fidei ſigna, in multis exhibuiſſe; nunc verò cætera beneficia conſilio opportuniſſimo cumulaſſe; magni eam facere cœperunt, & dignam putarunt, cui aditum ad veram religionem & cultum numinis, procurarent. Eam exiſtimarunt, non ſolùm cæteris virtutibus, ſed etiam conſilijs, vtilem fore populo Dei, cui illa aggregari, vt verba indicant, peroptabat. Nec mirum: cœperat enim prudens fœmina, poſtquam à Deo fidei lumine, & futuri euentus cognitione illuſtrata fuit, auguſtiòr apparere, & vt ille ait de Sibylla.

Virgil. 6. Aeneid.

Maiòrque videri

Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando

Iam propiore Dei.

3. Vnde Orig. ad finem hom. 2. ſuper Ioſue, *ſed videamus*, inquit, *quid egit cum exploratoribus iſta ſapiens meretrix? Conſilium eis dat myſticum, & cæleſte, nihil habens terrenum. Per montana*, inquit, *abite, nolite per valles incedere, humilia, & deiecta refugite, quæ excelſa ſunt, & ſublimia prædicate*, &c. Sic conſilium quod Iethro dedit Moſi, de eligendis, Exod. 18. viris qui præeſſent populi controuerſijs, ſignificat ſpiritualem expoſitionem legi à Gentilibus, poſt conuerſionem ad Chriſti fidem, ſuperadditam. Quem locum expendens Orige. hom. 11. ſuper Exod. *Sed, vt video*, inquit, *Iethro non fruſtrà venit ad Moſen, nec fruſtra manducauit panem cum ſenioribus populi in conſpectu Domini. Dat enim conſilium Moſi vtile, vt eligat viros, & conſtituat principes populi: viros Deum colentes, viros potentes, & odientes ſuperbiam. Tales enim oportet eſſe principes populi, qui non ſolùm ſuperbi non ſint, ſed & qui oderint ſuperbiam, id eſt, vt non ſolum ipſi abſque vitio ſint, ſed & in alijs oderint vitia. Non homines dico odiſſe, ſed vitia. Et ordinabis*, inquit, *eos tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, & iudicabunt populum omni hora. Verbum autem, quod grauius fuerit, referent ad te. Audiant principes populi & presbyteri plebis, quia debent omni hora populum iudicare, ſemper & ſine intermiſſione ſedere in iudicio, dirimere lites, reconciliare diſſidentes in gratia. Diſcat vnuſquiſque ex ſcripturis ſanctis officium ſuum. Moſes*, inquit, *vt ſit in his, quæ ad Deum ſunt, & verbum Dei diſſerat populo: cæteri autem tribuni, vel centuriones, præſint minoribus iudicijs*, &c. Magni facit Orig. conſilium hominis Gentilis, putatque, in eo contineri figuram in futuro iudicio ſeruandam, cùm Chriſtus dicat. *Cùm ſederit filius hominis, ſedebitis & vos iudicantes*, &c. *Vides*, inquit, *quia non ſolùm Dominus iudicat, cui omne iudicium pater dedit, ſed*

Origenes.

Conſilium dantur prædicatoribus, humilia refugite, ſublimia prædicate. Orig.

Exod. 18.

Quales eligendi ſunt prælati.

Non ſolùm ipſi abſque vitio ſint, ſed & in alijs oderint vitium. Orig.

Iudicabunt populum omni hora. Orig. Audiant, inquit, principes.

Diſcat vnuſquiſque officium ſuum. Moſes vt ſit in ijs, quæ Dei ſunt, cæteri præſint minoribus iudicijs.

& con-

& conſtituas ſibi alios principes, qui iudicent populum de minoribus cauſis: verbum autem quod grauius fuerit referant ad ipſum. Idcirco dicebat & Dominus, de quodam quidem: Quia reus erit concilio, de alio autem: reus erit iudicio, & de alio: reus erit gehennæ ignis. Sed etiam de omni verbo otioſo dicimur præſtaturi rationem; & non dixit, quia Deo præſtabimus rationem, ſicut de periurio dicit, Reddes autem Domino iuramenta tua: Verùm, & Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit eos. Ecce & aliud iudicij genus. Hæc Orig. quare negari non debet Rahab concilium perinde vtile, & myſticum fuiſſe; atque conſilium Iethro ſoceri Moſis, &c.

Matth. 5.

IN CAP. II. IOSVE.

SECTIO IIII.

17\. Qui dixerunt ad eam: innoxij
erimus, à iuramento hoc, quo
18\. adiuraſti nos; ſi ingredientibus
nobis terram, ſignum fuerit funi-
culus iſte coccineus, & ligaueris
eum in feneſtra, per quam demi-
ſiſti nos: & patrem tuum ac ma-
trem, & omnem cognationem
tuam congregaueris in domum
19\. tuam. Qui oſtium domus tuæ e-
greſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in
caput eius, & nos erimus alieni.
Cunctorum autem ſanguis, qui
tecum in domo fuerint, redunda-
bit in caput noſtrũ, ſi eos aliquis
20\. tetigerit. Quod ſi nos prodere
volueris, erimus mundi ab hoc
iuramento, &c. Et illa reſpondit
21\. ſicut locuti eſtis ita fiat. Dimit-
tenſque eos vt pergerent, appen-
dit funiculum coccineum in fe-
23\. neſtra, &c. Deſcenderunt explo-
ratores de monte, & tranſmiſſo
Iordane, venerũt ad Ioſue filium
Nun; narraueruntque ei omnia,
quæ acciderant ſibi, atque dixe-
24\. runt. Tradidit Dominus omnem
terram hanc in manus noſtras, &
timore proſtrati ſunt cuncti ha-
bitatores eius.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra,* &c. Chordam fili coccinei hanc ligabis in feneſtra.

Pro, *appendit funiculum coccineum in feneſtra:* & ligauit filum coccineum. Pro, *timore proſtrati ſunt cuncti,* &c. Diſſoluti ſunt omnes habitatores terræ à facie noſtra.

Aliter. Pro, *funiculus iſte,* &c. Funis iſte, &c. Pro, *appendit funiculum coccineum,* &c. funem coccinum. Pro, *timore proſtrati ſunt,* &c. diffluxerunt.

70\. *Interpr.* Pro, *ſignum fuerit funiculus iſte coccineus:* τὸ σημεῖον, τὸ σπαρτίον τὸ κόκκινον τῦτο ἐκδήσεις εἰς τὴν θυρίδα; hoc eſt, ſignum: funem iſtum coccinum, ligabis ad feneſtram.

Explicatur contextus.

1\. INNOXII *erimus à iuramento,* &c.] Exprimunt exploratores tria, quæ in fœdere inito contineri volunt. Primum eſt ſignum funiculi alligandi ad feneſtram tempore expugnationis. Secundũ, congregatio conſanguineorum, & affinium in eadem domo. Tertium, occultatio emiſſionis eorum in loca montoſa, & deuia. Has conditiones recepit Rahab animo lubenti, dicens: *ſicut locuti eſtis, ita fiat,* &c. ſic olim Ethnici in iuramento fœderis, opportunas ſolebant adhibere conditiones. Vnde Virg. Æneid. 12. inducit Æneam, pactum ante monomachiam initum, ita firmantem.

Tria in iuramento exprimuntur ab exploratoribus.

Virg. 12.

Ceſſerit Auſonio ſi fors victoria Turno;
Conuenit Euandri victor diſcendere ad vrbem.
Cedet Iulus agris: nec poſt arma vlla rebelles
Æneadæ referent, ferróve hæc regna laceſſent:
Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem.
Non ego, nec Teucris Italos parêre iubebo:
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittant, &c.

Funiculus iſte coccineus, &c.] Pagn. ſic vertit: *Chordam fili coccinei, hanc ligabis in feneſtra.* Vatab. *funem coccinum* tranſtulit. Volunt exploratores hoc ſignum appendi in feneſtra, domus Rahab, quæ muro hærebat, vt immunis eſſet à periculo. Eligunt autem funiculum coccinei coloris, vt ingredientibus Hebræis conſpicuus eſſet. Hunc locum infrà copioſius explicabimus. Nunc ſatis eſt ſenſum literalem attingere: ſecundum quem aiunt Iſraelitæ, ſe innoxios fore, & in periurij pœnam minimè incurſuros, ſi ingredietibus ducis ſui militibus in domum Rahab obuios quoſque occiderent, eo quòd nõn appareret funiculus coccineus in feneſtra. Hebræi dicunt alligatum fuiſſe à Rahab in feneſtra, quendam globum fili coccinei, quem vulgò *madexa*, ſiue *meada* vocamus. Cæterùm, vulgata editio funiculum habet, ſiue funem coccineum; quem plerique putant eundem eſſe, cum illo, quo demiſſi ſunt per murum exploratores; illóſque ſignum petenti, non aliud dediſſe. Vocatur autem coccineus quia erat dibapha tinctus. Sic erant fila cortinarum tabernaculi cocco bis tincto illita, Exod. 26. & fila rubra veſtis ſacerdotalis in rationali, & ſuperhu-

Erant interficiendi cognati Rahab, niſi funiculus coccineus appareret.

Hebræorum opinio de filo coccineo.

Exod. 26.28. *Tela cubra cortinarum labernatuli, & veſtis ſacerdotalis: Chriſti ſanguinem ſignificabant.*

metali. Exod. 28. ad denotandum, ſummi ſacerdotis Chriſti, ſanguinem effundendum in peccatorum remiſſionem.

Et ligaueris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos.] Hæc verba vidētur innuere, colloquium hoc habitum fuiſſe, poſtquam dimiſſi ſunt per funem exploratores. Non tamen ita res habet; omnia enim hæc ante emiſſionem, tranſacta ſunt; referuntur autem per verbum præteriti temporis. Vel, quia, vt ait Caietanus alter iam deſcenderat; alter tunc erat deſcenſurus, qui hæc verba ſuo, & ſocij nomine protulerit. Vnde, (vt illius verbis vtar) *relatiuè ad deſcenſionem verificatur, quod poſt hæc verba dimiſit eos.* Vel quia, vt annotauit Abulenſ. q. 54. Hoc dictum ſpectat ad tempus, quo ingreſſuri erant Hebræi Hiericho, & videndus erat funiculus ad feneſtram appenſus. Tunc autem dimiſſio, quæ nondum facta erat, multis ante diebus tranſierat. Similis modus loquendi eſt, Leuit. 26. vbi dicitur à Deo, poſtquam populum ſuum captiuitatibus afflixerit, in memoriam reuocatum iri fœdus ſuum priſtinum, quod pepigerat cum eis. Et tamen fœdus, de quo ibi Deus loquitur, conſiderato tempore huius oraculi, recens admodum erat, videlicet in monte Sinai, euulgatum, vt patet Exod. 19. Et in eodem monte vocauit Deus fœdus ipſum priſtinum, vt patet Leuit. 26. Quare non dicitur fœdus priſtinum comparatione temporis, in quo Deus iſta proferebat; ſed comparatione temporis, in quo erant Iudæi detinendi in captiuitatibus, & Deus fœderis ſui recordatus, opem illis erat allaturus. Dixerunt ergo exploratores, vt feneſtræ, per quam dimittendi eſſent, appenderetur in ſignum fœderis initi, funiculus coccineus. Modum verò loquendi præteritæ dimiſſionis refert, vel cum Caietano ad medium tempus deſcenſionis de feneſtra, vel cum Abulenſ. ad futurum, de quo per anticipationem agitur, vt de præterito.

Caietanus. Abulenſ. Leuit. 26. Exod. 19.

Sanguis dicitur eſſe ſuper caput alicuius, cum propter culpam moritur.

3. *Qui oſtium domus egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput eius.*] Cauent exploratores in fœdere, ne Rahab aut aliquis ex cognatis illius exeat à domo, in qua ipſi latuerant tempore conflictus. Cur ita? quia (inquiunt) ſanguis ipſius erit in caput eius. Hoc eſt morietur. Dicitur námque, ſecundùm Hebræos ſanguis alicuius ſuper eum eſſe, cùm propter culpam ſuam moritur. Hoc Hebraiſmo vſi ſunt Iudæi videntes Pilatum, Matth. 27. ſcrupulo pungi, quod innocentem Chriſtum morti adiudicauerit. Ille enim loris manibus, more Hebræorum, quorum iudices, aliquem reū mortis eſſe iudicaturi, manus abluebant aqua; vt Deut. 21. traditur. *Et venient*, inquit, *maiores natu ciuitatis, & lauabunt manus ſuas ſuper vitulam*, &c. vbi agitur de cadauere hominis, cuius occiſor ignoratur: vel ſecutus Ethnicorum ceremoniam, qui egreſſi à conflictu, aut occiſione hominis, id faciebant, vt patet ex illo Virgil. carmine 2. Æneid.

Matth. 27.

Hebræi iudices, manus abluebāt aliquem reum mortis iudicaturi.

Deut. 21.

Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas; donec me flumine viuo
Abluero.

Pilatus abluit manus poſt ſententiam mortis.

Ille, inquam, ſic ait. *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* Declarans nimirum verbis id, quod aquæ ablutio ſignificabat: more magis Iudæorum, apud quos erat (vt Orig. annotauit) quàm Romanorum, qui talem in iudiciis conſuetudinem, nunquam habuerunt. At Iudæi, vt eum ab ea religione liberarent, reſponderunt. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Id eſt, nos, & filij noſtri, ſi qua in eo facto culpa eſt pœnam luemus. Inuenies hanc Hebraicam phraſim, Leuit. 20. 9. 12. 16. & 2. Reg. 1. 16. Ezech. 33. 4. Oſeæ 12. 14. vt annotauit Maldonatus ſuper cap. 27. Matth. Simili phraſi exploratores ſibi malum imprecantur, ſi pactum fregerint. *Cunctorum autem ſanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput noſtrum, ſi eos aliquis tetigerit* &c. hoc eſt, ſi ex his, qui tecum manent, aliquis gladio occubuerit, nos pro ipſo mori obligamur, & nos occiſioni obnoxios ob eam culpam confitemur, vbi aduerte, exploratores, cùm gererent Ioſue & totius populi perſonā, nomine omnium Hebræorum locutos; eámque pactionem ab eis fuiſſe comprobatam.

Explicatur locus Matth. 27.

Leuit. 20. 9. 12. 16. 2. Reg. 1. 16. Ezech. 33. 4. Oſeæ 12. 14. Maldonatus.

Exploratores nomine ducis, & totius populi iurarunt.

Vide quam cautè iurent Hebræi.

4. *Sermonem iſtum proferre in medium*, &c.] Nempe nos in montibus occultari, donec, qui nos perſequuntur, reuertantur.

Erimus mundi ab hoc iuramento, &c.] Vide quàm cautè & circunſpectè, admittant obligationem iuramenti; ne poſteà periurio contaminentur, ſi, in alicuius circunſtantię obſeruatione, minus religioſi fuerint. Nunc proh dolor! videas effuſam ad iurationes multitudinem, & præcipitem: vnde paſſim periuria aures pias, ſi non ad imitationem trahunt, ſaltem offendunt.

Stipulatio olim qualis.

5. *Sicut locuti eſtis, ita fiat.*] In Hebr. כן הוא. *Izehua, ſic fiat.* His verbis præſtatur conſenſus pacto, quaſi quadam ſtipulatione non ſcripta, ſed verbo tantùm ad fidem facta, vt moris erat apud antiquos, antequam iuriſtarum plebs, ad tribunalia omnia turbaret. Vnde Seneca de benef. lib. 3. cap. 15. *Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret; nec pacta conuentáque impreſſis ſignis cuſtodirent. fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus.* Sic Virg. 2. Æneid. conditionibus fœderis ab Ænea propoſitis conſentientem inducit latinum Regem, longiori tamen oratione.

Seneca.

Optat Seneca, vt bona fide omnia tranſigātur, abſq; ſcripto.

Virg.

Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quò res cumq; cadent, nec me vis vlla volentem
Auertet: non ſi tellurem effundat in vndas
Diluuio miſcens, cælúmue in Tartara ſoluat, &c.

Simplicitas priſci ſeculi in ſtipulationibus.

Simplicitatem priſci ſeculi ſtipulans Rahab oſtendit dum conditionibus auditis reſpondet, *ſicut locuti eſtis, ita fiat.*

6. *Dimiſitſque eos per funem appendit funiculum coccineum*, &c.] Dimiſſis de nocte exploratoribus, ſtatim appenſum fuiſſe funiculum de feneſtra aliqui putabunt: Verùm, vt bene Caiet. aduertit, Latinus interpres, ſimul dimiſſionem exploratorum, & funiculi appenſionem ſignificare videatur: Hebraica tamen litera ſimultatem non ſignificat. Multis enim verbis, & diſtinctis, has deſcribit actiones: ſic enim habet. *Et demiſit eos, & abierunt, & ligauit filum coccineum in feneſtra*, &c. Licet autem, non exprimat tempus appenſionis; nobis tamen libertatem relinquit, dicendi, poſt dies aliquot, vt ratio poſtulat prudentiæ, fuiſſe factam. Hic tamen commemorari oportuit, vt quicquid Rahab tranſegerit cum exploratoribus, concludatur. Abulenſ. q. 56. probabile putat, ſtatim fuiſſe appenſum funiculum, ne poſteà res tanti momenti occaſione aliqua prætermitteretur; ſimúlque approbarent ipſi exploratores modum appenſionis. Mihi veriſimile eſt, quod in fonte exprimitur. Certè illud concedendum eſſe nemo inficiatur appenſum fuiſſe rubicundum funiculum in quolibet ſeptem dierum, quo Iſraelitæ, Arcam fœderis circunducentes, vrbem luſtrarūt, vt domus excepta ab anathemate, probè ab omnibus cognoſceretur, & immunis eſſet.

Rahab ſtatim appendit funiculum de feneſtra, ne poſtea res tam neceſſaria ad ſalutem obliuiſceretur.

Abulenſ.

Vbi funiculus coccineus, qui tutem ſignificat apparet, ibi immunitas eſt ab anathemate.

7. Per.

A 7. *Peruenerunt ad montana, & manſerunt ibi tres dies*, &c. Intellige abijſſe exploratores, ad loca montis valdè diſiuncta à via, quæ ducit ad vada Iordanis, vt triduò ſecuri ab inquiſitoribus, latitarent. Quò, ne fameſcerent, cibos ex domo Rahab exportarunt; Atque hinc patet ſolutio quæſtionis, quam mouet Abulenſ. & multis verbis tractat q. 57. & 58. nimirum quid comederint exploratores tribus diebus, quibus latitarunt in montanis; & an comederint de manna.

Venerunt ad Ioſue filium Nun, &c. Venerunt exploratores ad caſtra, quæ erant poſita non procul à Iordane. Dicuntur autem veniſſe ad Ioſue, quia princeps erat, decebátque, vt ille primum noſſet quid actum fuerit. Caiet. ex eo, quòd nulla fiat mentio Pontificis aut ſeniorum, conijcit, à Ioſue, inconſultis alijs, miſſos fuiſſe hos viros ac proinde, ad illum ſecretò redijſſe, & quid geſtum ſit narraſſe mihi veriſimilius eſt, quod diximus. B

8. *Narrauerúntque ei omnia*, &c. Hæc exploratorum narratio, apertè ſignificat, ab illis non ſolùm vrbem Hiericho, ſed alias etiam terras Chananæorum fuiſſe luſtratas, quidquid dicat Abulenſ. Exprimitur autem magnitudo timoris, dum dicuntur timore proſtrati, omnes terræ habitatores. In Hebr. eſt, *timore diſſoluti ſunt omnes habitatores eius*: vel, vt Vatab. vertit, *diffluxerunt habitatores terræ à facie noſtra*. Erigitur ergo animus Ioſue primùm; deinde Hebræis omnibus hac narratione, quia intelligunt timorem inimicis ſuis à Deo iniectum eſſe, quo conſternati ad præſentiam ipſorum diſſoluentur, & victi cadent. Abulenſ. q. 61. hyperbolem, qua interdum vtitur ſacra ſcriptura, contineri putat in expreſſione, timoris, quales ſunt illæ apud Poëtam, *vix oſſibus hæret. Geminique minantur, in cœlum ſcopuli. Ferit æthera clamor*. Caiet. verò credit, formidinem inſolitam, atque adeò ad ſignum victoriæ ſui populi, Chananæis immiſſam, ſine figura aliqua ſignificari. C

Abulenſ. — Vatab. — Abulenſ. Hyperbola. Virgil. — Caiet.

D *Verſ.* 18.] Si ingredientibus nobis terram ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, &c.

An ſit aliqua alluſio Cant. 4. In illis verbis; Vitta coccinea labia tua, *ad funiculum coccineum, de quo hic agitur?*

Cant. 4.

ANNOTATIO. I.

1. TER apud Ioſue inuenio fieri mentionem funiculi coccinei: bis in hoc cap. 2. & ſemel cap. 6. quamuis ibi non expreſsè nominetur, Solùm enim indicatur profuiſſe Rahab tempore captæ vrbis. Ioſue námque memor huius pacti & ſigni; ſic milites ſuos eſt allocutus. *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, Domino. Sola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt. Abſcondit enim eos nuntios, quos direximus*, &c. In canticis canticorum cap. 4. comparantur à diuino ſponſo labia ſponſæ cum vitta coccinea; vel vt vertunt 70. cum funiculo coccineo. Quare, quid ſit vitta coccinea, & funiculus coccineus antequàm ad alluſionem venio, explicabo. E

A 2. Eſt igitur vitta, vt ſingula proſequamur, funiculus ille, ſeu redimiculum, quo ornatus cauſa mulierum crines, implicantur, vnde Virg. 9. Æneid. *Et tunica manicas & habent redimicula mitræ.* D. Ambroſ. ſuper Pſalm. 118. pro vitta, legit reſticulam, quæ vox propriè funiculum ſignificat. Sponſus ergo laudat ſponſam à labijs colore coccineo, id eſt electiſſimo, præditis. Rubor enim cum in labijs, tum in facie albedini admixtus, elegantem reddit formam. Vnde Poëta.

Virgil. 9. Æneid. Ambroſ. Pſalm. 118.

Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur, vel mixta rubent vbi lilia multa
Alba roſa: tales Virgo dabat ore colores

Virgil. 12.

Et Ouid.

Ouidius.

B *Flaua verecundus temperat ora rubor.*

3. Eſt autem coccum ſiue coccus, granum ex arbuſcula ilici ſimillima, in qua granū enaſcitur, ad lanam rubro colore tingendam, aptiſſimum. Vnde Luzitani, *Gram* vocant. Dioſcoridi coccum dicitur *κόκκ@ βαφικὴ*, hoc eſt *coccum*, ſiue, *granum tinctorium*. Frutex eſt fullonius, cuius copia ſumma eſt in ea parte Hiſpaniæ, quæ Turdetana vocatur, vt autor eſt Strabo lib. 10. & in ea Luſitaniæ ora, quæ vltra Tagum Oceano adiacet. Lanæ hoc colore imbibito rubrum, & roſæ ſimilem emittunt ſplendorem, qui & ſpadiceus & phœniceus appellatur. Iam coccineum colorem, non eundem eſſe cum purpureo oſtendit Vlpianus l. Si cui lana, de legatis 3. C

Coccum quid ſit? — Dioſcorides. — Strabo. — Vlpianus.

4. In Ioſue hiſtoria funiculus coccineus, fortaſſe ipſum eſt mulieris redimiculum; vix enim credibile eſt, reſtem ſiue funem, per quem dimiſſi ſunt exploratores fuiſſe coccineum; atque adeò eundemmet fuiſſe appenſum, vt aliqui putant. Quare conuerſæ ad Deum mulieri, redimiculum coccineum, quod inſtrumentum fuerat alliciendi ad ſe multorum oculos ad perniciem, fit inſtrumentum alliciendi ad ſe Ioſue oculos ad ſalutem. Sic mulier illa, de qua Luc. 7. *in ciuitate peccatrix*: hoc eſt, vt Petr. Chryſol. interpretatur, quæ fama ſua, famam tetigerat totius ciuitatis. Sic quæ iam non peccatrix ſolum, ſed ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum, afferens ad Chriſtum conuerſa alabaſtrum; inſtrumenta peccati, id eſt colores, fecit inſtrumenta pietatis. D

5. Quod ad alluſionem attinet. In primis Theodoretus allegoriam tractans verborum, Cant. 4. quæ recitauimus; meminit, funiculi coccinei, quem ad ſalutem ſuſpendit Rahab in feneſtra ſua, ac ſi dicat ſponſus: Labia tua, ô ſponſa, inſtar ſunt ſanguinei, & rubore lucentis coccini, ac proinde ad alliciendos ad te, & conuertendos oculos, & animos ad ſalutem, efficacia. Traxiſti namque ex ſanguine meo colorem & ad perſuadendum apta verba profers, quibus tanquam funiculo quodam veritatis coccineo, vinciuntur auditores. Sic Gallicus Hercules fingitur habenulis tenuibus ex auro factis, à lingua ad aures vulgi eum ſequentis deductis allicere ad ſe homines. Eſt enim typus eloquentis & perfecti Oratoris. Rectè verò Theodoretus hanc adhibuit expoſitionem, quia labia Eccleſiæ Chriſti ſponſæ, coccino, hoc eſt, calenti adhuc Chriſti ſanguine in exordio prædicationis ruborem oſtendebant, qui non arcebat auditores, ſed cùm fidem & charitatem redoleret, ſponſo ſuo homines conciliabat. Dici etiam poteſt ille color labiorum igneus, hoc eſt inflammans alios, more Seraphinorum, qui ab incendendo nomen habent, vt docet Dionyſ. cap. 7. de cœl. Hier. Eo- E

Theodoretus. — Gallicus Hercules typus eſt prædicatorum. — Seraphim ab incendio nomen habent. Dionyſ.

Lex ignea ob ſicatiam dicitur.
Deut. 33.
Hierem. 23.
Luc. 24.

dem modo, Deut. 33. ob eximiam virtutem, quam habet ad perſuadendum, lex Dei ignea dicitur. *In dextera eius ignea lex* (inquit Moſes) hoc eſt, inſtar ignis, ad inflammandas mentes; efficax. Et Hierem. cap. 23. *Numquid non verba mea quaſi ignis?* vt non mirum ſit accendiſſe Chriſtum verbis ſuis diſcipulorum animos, qui dicebant, Luc. 24. *Non ne cor noſtrum ardens erat, dum nobis loqueretur in via?* De lege ignea agebat, & verbis igneis vtebatur. Labia igitur ſponſi, cum accepto igne ab ſponſo inflammata eſſent, meritò comparantur vittæ, ſiue funiculo coccineo ad ſalutem adhibito.

Greg. Nyſſen.

Admonemur vitta coccinea comparatione, ſanguinis, quo redempti ſumus.

6. Secundò, Greg. Nyſſenus Orat. 7. in Cant. aduertit, in comparatione labiorum ſponſæ cum funiculo coccineo, tacitè admoneri homines, vt ad ſanguinem reſpiciant, & pretium, quo redempti ſunt, perpetuò in ore compaſſionem Chriſti, & mortis illius memoriam verſantes.

D. Ambroſ.

In cocco ſpecies crucis irrutilat.

Tertiò, D. Ambroſ. ſuper Pſalm. 118. ſerm. 18. enarrans verſiculum illum, *ignitum eloquium tuum vehementer.* Obiter hunc locum perſtringit: *In cocco*, inquit, *ſpecies ignis, & crucis Dominicæ ſanguis irrutilat. Per reſticulam igitur vinculum perſuaſionis agnoſcimus, per coccum verò cupiditatis ardorem, qui ſcintillat in animis audientium*, &c.

Procopius in Leuit. pag. 354.

7. Quartò, Procopius in Leuit. hanc ipſam agnoſcit allegoriam. *Filum*, inquit, *purpureum & contortum ſignificat illam confeſſionem, qua confitemur, & demonſtramus nos ſola morte ſaluatoris ſalutem adipiſci. Idem innuitur in Cant. per hæc verba. Sicut vitta purpurea ſeu coccinea labia tua ſoror & ſponſa mea. Nam Eccleſiæ labia deprædicant ſalutem, quæ nobis per ſanguinem Chriſti obuenit*, &c.

Greg. PP.

Prædicatores ſunt labia Eccleſiæ coccinea.

8. Quintò, Greg. Magnus ad prædicatores Euangelij hæc accommodat. *Prædicatores etiam labia Eccleſiæ dicuntur, quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur. Quique bene ſicut vitta dicuntur: quia dum fluxus cogitationis in cordibus hominum ſuis prædicationibus reſtringunt, quaſi ſparſos crines ne immoderatè defluant, comprimunt. Sed quid eſt, quod non tantùm vitta, ſed coccinea comparantur? niſi quia per coccum flamma Charitatis intelligitur. Illi ſanè ardent, & per illos alij accenduntur, per quos eloquium ſanctæ Eccleſiæ dulcoratur. Quia dum, quæ dicunt, faciunt, conciones ſuas hominibus, quaſi ſapidas eſcas apponunt.*

Per coccum flamma Charitatis intelligitur.

Prædicatores dum quæ dicunt faciunt: quaſi dapes apponunt audientibus.

Hæc Greg. qui licet funiculi coccinei non meminerit, cuius apud Ioſue fit mentio. Quid tamen rubicundus ſiue igneus color ſignificet, qui in vtroque ſacræ ſcripturæ loco myſterium habet, optimè expreſſit. Concepta namque in corde Charitas, quaſi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit, & in ſignum ſalutis proponitur. Calor de cœlo nullus in corde, germanum labijs ſubinde præſtat colorem, vt non indigeant labia hæc iam carbonibus altaris purgari, Iſaiæ 6. aut exteriori igni aduri. Salutarem vtique prædicant crucem ſanguine Chriſti rubentem, & igneam proferunt ſcientiam, quam Dominus venit mittere in terram.

Iſai. 6.

Rab. Salom. Cant. 4.

9. Sextò, R. Salomon. affirmat, in verbis ſponſi Cant. 4. *Sicut vitta*, &c. alluſionem eſſe quandam ad funiculum coccineum, quo vſa eſt Rahab meretrix, ſeu caupona, in ſignum ſalutis. Mitto alios. Id ſolùm annotauerim, in colore tam labiorum ſponſæ, quàm funiculi coccinei, quo domus Rahab inſignita fuit, ſignificari externam quandam lætitiam, & inflammationem in ore & toto corpore, ex interno Charitatis ardore, ad ſalutem, quoquò verſum emicantem. Hinc Philo

In rubro colore labiorum ſponſæ, & funiculi Rahab ſignificatur emicans externa lætitia propter ſalutem cognitam.

Philo Iud.

Iudæus in lib. de temulentia, ſobriam ebrietatem, ſiue extaſim mentis, quam patiuntur, qui Deum nimium diligunt, exprimens, ſic ait. *Solet*, inquit, *correptorum numine, non ſolùm anima concitari, quaſi quodam œſtro, ſed & corpus erubeſcere, incandeſcereque interno gaudio prorumpente in exteriora. Quæ res multos inſipientes decipit, qui ſobrios, vino madere deputant. Quemadmodum olim Heli ſacerdos Annam matrem Samuelis, falsò opinatus eſt ebriam eſſe*, &c. Itaque præ deuotione, & affectu amoris erga Deum, plurimi etiam in corpore, inſtar funiculi coccinei & vittæ rubræ, ignei apparent, & flammantes. Hunc affectum, optat D. Chryſ. hom. 60. ad Pop. Antioch. in ſumentibus ſacramenti Euchariſtiam. *Os*, inquit, *ſumentium corpus, & ſanguinem Chriſti, quod igne ſpirituali repletur, & linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit, oportere eſſe puriſſima, ſiquidem Chriſtus oues ſuas, hoc eſt nos, cruore ſuo paſcit & ſibi cogmentat*, &c. Hic rubor in facie D. Stephani emicuit cùm omnes, qui erant in conſilio viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli, Luc. Act. 6. Quod expendens Euſeb. Emiſſenus hom. de S. Stephano. *Beatus*, inquit, *qui in ſua colluctatione pugnantis, iam præfert ſpeciem reſurgentis*, &c.

1. Reg. 1.

D. Chryſoſt.

Rubor index gratiæ apparuit in vultu Stephani.
Luc. Act. 6.
Euſeb. Emiſſ.

10. Tandem alluſionem fieri exiſtimo, ad funiculum illum coccineum, quem appendit Rahab meretrix in feneſtra, in ſalutis ac præſtiti iuramenti ſignum, dum audio ſponſum dicentem, *ſicut vitta coccinea labia tua.* Quid enim diuini ſponſi oculis iucundius & pulchrius eſſe poteſt, quàm religio præſtitæ iuramento fidei? Idcircò comparari puto labia ſponſæ funiculo coccineo, ad memoriam iuramenti appenſo, quod Ioſue religione ſumma obſeruauit: ſuis enim ſimilia amat ſponſus labia. Nam Pſalm. 88. ſic ait. *Et quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.* De illo Iſaiæ 11. *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Hoc eſt, erit ei iuſtitia & veritas, tam familiaris, quàm cingulum aut zona corpori adhærens. Imitantes Chriſtum Iuſti, dicunt Pſalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, & locutum eſt os meum in tribulatione mea.* At contra, fidei violatores, ita Regius vates, Pſalm. 11. *Diſperdet Dominus vniuerſa labia doloſa.* Ex dictis habes, comparari labia ſponſæ, & cuiuſcumque animæ ſeruantis conſtantiam in dictis, funiculo coccineo. Decoratur enim hoc veluti ſigno, quicumque non ſolùm in promiſſione iurata ſed etiam in dictis & verbis ſimplicibus religioſus eſt.

Iuramentum religioſum, eſt vitta coccinea in labijs.

Pſalm 88.
Iſai. 11.

Punit Deus violatores iuramenti.

Verſ. 18.] Signum fuerit funiculus iſte coccineus.

Allegoria funiculi coccinei, qua ſignificatur Chriſti ſanguis in mundi ſalutem effuſus.

ANNOTATIO II.

1. ORIGENES ad finem hom. 2. ſuper Ioſue, ænigmaticam fili coccinei ſignificationem, trahit ad Chriſti ſanguinem in ſalutis ſignum nobis datum, *Ipſa*, inquit, *ſignum coccineum ponit in domo ſua, per quod ſaluari de excidio debeat ciuitatis. Aliud nullum fuit ſignum, quod acciperet*,

A *perei, niſi coccineum, quod ſanguinis formam gerebat: ſciebat enim quod nulli eſſet ſalus, niſi in ſanguine Chriſti.* Deinde ſubiungit. *Datur quoque hoc mandatum huic, quæ quondam meretrix fuit. Omnes, inquit, qui inuenti fuerint in domo tua ſaluabuntur. Si quis ergo ſaluari vult, veniat in hanc domum huius, quæ quondam meretrix fuit. Etiamſi; de illo populo vult aliquis ſaluari, ad hanc domum veniat. Ad hanc veniat domum, in qua Chriſti ſanguis in ſignum redemptionis eſt. Nam apud illos, qui dixerunt: ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros; Chriſti ſanguis in condemnatione eſt. Poſitus enim fuerat* IESVS *in ruinam & reſurrectionem multorum. Et ideò contradicentibus ſigno eius, efficitur ſanguis eius ad pœnam; credentibus ad ſalutem. Nemo ergo ſemetipſum decipiat extra hanc domum, id eſt, extra Eccleſiam nemo ſaluatur. Nam ſi quis foras exierit mortis ſuæ ipſe ſit reus.* Hæc Origenes.

In Eccleſiæ domum veniat, qui ſaluari vult vbi Chriſti ſanguis ſalutem pollicetur.

B

Extra Eccleſiam non eſt ſalus.

2. Idem, feneſtram, cui appenſus fuit funiculus coccineus, figuram fuiſſe ait, myſterij incarnationis. *Eſt*, inquit, *feneſtra, quæ illuminat domum & per quam non integrum, ſed tantùm, quantum oculis, & viſui noſtro ſufficiat, luminis capimus. Quia ergo & incarnatio Saluatoris, non merum nobis ingeſſit & integrum Deitatis aſpectum, ſed tanquam per feneſtras, fecit nos per incarnationem ſuam lumen Deitatis aſpicere, idcirco mihi videtur, ſignum ſalutis per feneſtram datum, quo ſigno, ſalutem conſequantur omnes, qui in domo eius, quæ aliquando erat meretrix, fuerint inuenti mundati in aqua & Spiritu ſancto.*

Incarnatio eſt feneſtra Deitatis.

3. Secundò, Rupertus de Trin. & operibus eius lib. 1. ſup. Ioſue, cap. 13. Ad paſſionem Chriſti ſpectare credit allegoriam funiculi rubicundi: ſic enim ait: *Signum iſtud, funiculus iſte coccineus, in feneſtra ligandus, titulus eſt paſſionis Dominicæ, inter oculos Eccleſiæ iugiter pingendus: Sanguineum eſt crucis ſignaculum, iugiter pingendum in fronte eius. Quod enim ſignum aliud bene ſibi prouida poſtulat Eccleſia?* &c. Deinde addit: hoc ſigno cognitum iri Eccleſiam, illiúſque filios in die iudicij, cùm IESVS ſederit pro tribunali, cum ſenatoribus terræ. Ita ſcilicet, vt qui extra domum Eccleſiæ hoc ſigno notatam, egreſſus fuerit, ſanguis eius fiet in caput ipſius, & innoxij erunt à iuramento, qui eo aſtricti erant. Meritò canit Pſal. 86. *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientibus me.* Subauditur (inquit Rupertus) ita, vt dicam ego Ioſue: *Sola Rahab meretrix viuat, cum vniuerſis qui cum ea in domo ſunt.* Sed quinam ſunt iſti cognati, qui cum illa in domo ſunt? *Ecce*, inquit, *alienigenæ, & Tyrus & populus Æthyopum, hi fuerunt illic. Tyrus anguſtia interpretatur: ergo quicumque à cultu Dei alieni, & anguſtiati à peccatis: quicumque Æthyopes, id eſt, denigrati in vitiis, veniendo ad vnam domum cognati fiunt, & fratres ſunt; & omnes per vnum ſaluantur funiculum coccineum, per crucis & paſſionis Chriſti ſignaculum.* Hæc Rupertus.

Rupertus.

C

Crux eſt funiculus coccineus in domo Eccleſiæ, in quo omnes ſaluantur.

In die iudicij, cognoſcenda eſt Eccleſia, & illius filij ſigno crucis.

Pſal. 86.

Omnes afflicti & peccato preſſi, in domo Eccleſiæ funiculi coccinei, id eſt, crucis ſignaculo ſaluantur.

Gregor. Papa

4. Tertiò, huc applicari poteſt illud Gregor. 30. Moral. cap. 10. exponentis locum Exod. 35. *Si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccúmque bis tinctum*, &c. *Quid*: inquit, *per bis tinctum coccum, niſi charitas demonſtratur, quæ per profectionem bis tingitur, quia Dei & proximi dilectione decoratur.*

5. Quartò, D. Ambroſ. ſer. 18. in Pſ. 118. coccinea vocat labia Domini, quæ paſſionem propriã loquebantur; alludens ad illud Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Idem lib. 5. de fide cap. 5. *Bellum*, inquit, *immane confecit tubæ clangor, & infula ſacerdotis. Vidit hoc meretrix, & quæ in excidio ciuitatis remedia deſperaret ſalutis, quod fides vicerat, ſigna fidei, atque vexilla Dominicæ paſſionis attollens, coccum in feneſtra ligauit, vt ſpecies cruoris myſtici, quæ foret mundum redemptura, vernaret. Ita foris* IESVS *nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus ſpecies Dominicæ paſſionis periclitantibus ad ſalutem; vnde quod intellexit Rahab cæleſte myſterium, dixit Dominus in Pſal. 86. Memor ero Rahab & Babylonis ſcientibus me.* Vide Iſagogen ſanctiſ. Pagnini ad myſticos ſacræ ſcripturæ ſenſus cap. 45.

D. Ambroſ.

Bellum confecit tubæ clangor, & infula ſacerdotis.

Coccus, quia figura paſſionis redemit Rahab. Nomen IESVS *victoriam ſeris præliantibus attulit, intus inconſiſt ſpes Dominicæ paſſionis peperit ſalutem.* Pſal. 86.

Pagninus.

6. Vides, quàm aptè quadret in labia ſponſæ, ſimilitudo funiculi coccinei, in fide ſuccenſa ſunt in amore flammigera. Væ tamen labiis, quæ linguam, velut ignem exerunt inflammantem rotam natiuitatis noſtræ, non ad ſalutem, ſed ad condemnationem. Lingua hæc inflammata à gehenna, coccinea eſt, ſed nequaquam vitta eſt, aut funiculus. Non profectò ligat, ſed diſſipat; diſſidij verba ſcintillat, vnita ſuccidit; & pacem atque charitatem dirumpit. Sint igitur procul à nobis huiuſmodi ignes; labiis & linguæ cæleſtem ardorem optemus. Coccinea commendat labia ſponſus cæleſtis; qualia ipſe, ardens amore ſalutis humanæ habet, vt hac commendatione illecti, in mutuam ſuccendamur charitatem.

Lingua amoris diuini igne & proximi concitata, vittæ coccineæ inſtar eſt, non autem quæ conuitia in alios iactat.

7. Placet illam ſignificationem funiculi coccinei appenſi ad feneſtram Rahab, non negligere, quæ accipi poteſt, pro filo habente ſimilitudinem funiculi cementarij. Solet enim huiuſmodi funiculus rubrica illius inſeruire ædificiis extruendis, aut deſtruendis. Hic autem appenſus eſt in ſignum, ne deſtrueretur domus Rahab; ſolent namque viri probi, quæ bonum & malum iuxtà habere poſſunt vſum; non vt improbi inuertere ad perniciem; ſed vt viris iuſtis ſolenne eſt, conuertere ad ſalutem & ædificationem. Præbuit occaſionem huic allegoriæ, quæ annotauit doctiſſimus P. Ioannes Pineda ſuper cap. 38. Iob, enarrans particulam, *Menſuras eius.*

Funiculus inſeruit ad deſtructionem & ædificationem, hic ad ſalutem.

Ioan. Pineda.

8. Non eſt etiam negligendum, quod attigit Dionyſius Carthuſianus, qui exiſtimans in ſporta demiſſos exploratores, ſic tropologicè hunc locum interpretatur. *Quod Rahab viros demiſit in ſporta de ſuo ſolario, hoc deſignat, quod de altitudine ſuæ contemplationis ad labores actionis permiſit Eccleſia ſuos tranſire doctores, quibus & adminicula impendit humana.*

Hæc ille,

&c.

Dionyſ.

Eccleſia prædicatoribus auxilia impendit humana.

IN CAPVT TERTIVM IOSVE.

PERIOCHA.

AVDITIS exploratoribus, fauſta & felicia ſuæ legationis nuntia reportantibus; duo inuictiſſimus Ioſue, ſignum dari iuſsit monendi caſtra de Setim: quo audito principes, & omnis populus inceſſu militari ire perrexerunt in Iordanem; vbi poſitis caſtris, & trium dierum facta manſione; pauidis oculis, effuſas aquas Iordanis ſuper ripas viderunt priùs, vt poſteà prodigium diuiſi fluminis ad tranſitum Arcæ fœderis, & ſequentis eam exercitus, læti mirarentur. Deinde graui oratione Ioſue tranſiturum populum per Iordanis ſiccatum alueum, inſtruxit; & quem ordinem oporteat obſeruare in illa traiectione, oraculo diuino præmonitus denuntiat. Cùm poſuerint, *inquit*, veſtigia pedum ſuorum Sacerdotes, qui portant arcam Domini Dei vniuerſæ terræ in aquis Iordanis: aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent, atque deficient: quæ autem deſuper veniunt in vna mole conſiſtent, &c. *Tandem populus ſiccato flumine ad vlteriorem ripam, incolumis euadit.*

CAPITIS TERTII SECTIO I.

1. Igitur Ioſue de nocte conſurgens
mouit caſtra: egredientéſque de
Setim, venerunt ad Iordanem,
ipſe, & omnes filij Iſrael.
2. Et morati ſunt ibi tres dies, quibus
euolutis tranſierunt præcones
per caſtrorum medium, &
clamare cœperunt.
3. Quando videritis arcam fœderis
Domini Dei veſtri, & Sacerdotes
ſtirpis Leuiticæ portantes eam.
4. Vos quoque conſurgite, & ſequimini
præcedentes: ſítque inter
vos & arcam ſpatium cubitorum
duûm millium, &c. Et cauete
ne appropinquetis ad arcam.
5. Dixítque Ioſue ad populum, ſanctificamini:
cras enim faciet Do-
6. minus inter vos mirabilia. Et ait
ad Sacerdotes. Tollite arcam fœderis,
& præcedite populum. Qui
iuſſa complentes, tulerunt & ambulauerunt
ante eos, &c.
7. Dixitq́; Dominus ad Ioſue. Hodie
incipiam exaltare te coram
omni Iſrael: vt ſciant, quod ſicut

A cum Moſe fui, ita & tecum ſim, &c.

Aliæ verſiones.

Hebr. Pro, *Morati ſunt ibi tres dies, quibus euolutis tranſierunt præcones per caſtrorum medium*, &c. Et pernoctarunt ibi, antequàm tranſirent. Et fuit poſt finẽ trium dierum, tranſierũt præfecti per medium caſtrorum, &c. Pro, *Vos*
B *quoque conſurgite, & ſequimini præcedentes, &c.* Proficiſcimini de loco veſtro, & ibitis poſt illam. Pro, *Spatium cubitorum duum millium*, &c. Interſtitium ferè duum millium cubitorum in menſura. Pro, *Sanctificamini.* Sanctificate vos, vel ſitis parati. Pro, *Incipiam exaltare te coram*, &c. Incipiam
C magnificare te in oculis omnis Iſrael, &c.

Aliter. Pro, *Igitur Ioſue de nocte conſurgens*, &c. Surgente verò diluculò Ioſue; mouerunt à Setim, perueneruntque ad Iordanem, ipſe, & cuncti filij Iſrael, pernoctarúntque ibi, priuſquàm traiicerent. Poſt tertium diem, &c. Pro, *Spatium cubitorum duum mil-*

lum, &c. Sic tamen vt ſpatium ſit inter vos, & illam circiter duo millia cubitorum in menſura, ne ad eam appropinquetis, vt ſciatis qua via vobis ſit incedendum: nam hac via antea non inceſſiſtis. Pro, *Sanctificamini.* Conſecrate vos ipſos.

70. *Interpr.* Pro, *Ioſue de nocte conſurgens*, habent, & manicauit Ioſue manè.

Pro, *tranſierunt præcones*, καὶ διῆλθον οἱ γραμματεῖς, hoc eſt, & tranſierunt ſcribæ.

Pro, *Sanctificamini*, &c. ἁγιάσασθε, εἰς τὴν αὔριον, ὅτι αὔριον ποιήσει κύριος ἐν ὑμῖν θαυμάσια.

Explicatur contextus.

1. IGITVR *Ioſue de nocte conſurgens.*] Notanda eſt vox Hebræa בבקר, *babboquer*, hoc eſt, de manè conſurgens; ſurrexit enim in aurora, quæ cùm obtineat confinium diei, & noctis, vtriuſque extremi appellatione afficitur. Quod reſpiciens Latinus interpres; Pro, *ſurrexit Ioſue manè*, vt eſt in Hebræo, tranſtulit: *Ioſue de nocte conſurgens, mouit caſtra.* Intelligo autem cum Caietano, & Vatablo auroram noni diei, menſis primi, id eſt, Martij. Aſſerunt namque Hebræi, Moſen mortuum fuiſſe ſeptima Februarij die, & ſeptima Martij ſequentis, nempe ſub finem 30. dierum luctus, à Ioſue auditum fuiſſe diuinum oraculum; eóque ipſo die promulgationem factam fuiſſe populo, de præparandis cibis omniq; commeatu. Quinta verò die eiuſdem menſis miſſos fuiſſe exploratores & octaua reuerſos. Nona autem die, Hebræos manè profectos fuiſſe de Setim, deueniſſe ad ripas Iordanis. Vbi pernoctantes decima tandem die tranſiſſe Iordanem. Itaque, quod Hebræi vocauerunt, manè; Litera noſtra latino more, noctem appellauit, vt intelligamus ſurrexiſſe Ioſue de lecto, multò antequàm Sol oriretur, hoc eſt, in crepuſculo matutino. Solent enim boni duces, in quarta noctis vigilia, quæ auroram attingit, è ſomno excitari, & quod eſt ſui muneris, obire. Sic 11. Æneid. Lat. poeta de Ænea.

Vota Deum primo victor ſoluebat Eoo, &c.

Caietanus. Vatablus.

Ioſue boni, & vigilantis ducis exemplar.

2. Fortè ſenſus erit idoneus, ſi ita dicas. Ioſue conſurgens de nocte; mouit caſtra manè. Nam & Abulenſ. q. 1. in cap. 3. Ioſue, & Lyra ibidem, & ferè interpretes, huc ſuas referunt expoſitiones. Hinc conciliantur quædam Euangeliſtarum loca, quæ videntur contraria: Nam Marcus 16. ait, veniſſe mulieres cum vnguentis ad Domini ſepulchrum, *orto iam ſole*. Ioannes autem 20. *Vna*, inquit, *ſabbathi, Maria Magdalene venit, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Conciliantur inquam Euangeliſtæ, ſi conſideremus terminum à quo venerunt mulieres, comparatione cuius ferentes aromata de nocte ſurrexerunt, cùm adhuc eſſent tenebræ, & terminum ad quem peruenerunt: qui cùm procul eſſet ab vrbe, & in præparatione ad iter faciendum mora aliqua eſſet neceſſariò interponenda, atque adeò non niſi orto iam ſole, & die, ad monumentum conſtiterunt. Expreſſerunt ergo Ioannes & Lucas, tempus ſurgendi de lecto, & parandi aromata. Dictum verò Marci intelligitur de tempore, quo peruenerunt ad monumentum.

Abulenſ. Lyranus.

Conciliantur Euangeliſtæ. Marc. 16. Quo tempore venerunt mulieres ad Christi ſepulchrum. Ioan. 20.

3. *Mouit caſtra.*] id eſt, moueri fecit; dato per præcones ſigno prolixóque & conciſo tubarum clangore perſonante, vt patet Num. 11. Audito autem huiuſmodi clangore, actutum mouebant caſtra, qui ſub vexillo Iuda erant ad partem Orientalem; videlicet tribus Iuda, Iſachar & Zabulon. Deinde, qui ductabantur ſub vexillo partis meridianæ; ſcilicet, filij Ruben, Simeon, & Gad. Ordo præcedēdi in itinere traditur, Num. 10. Modus autem caſtrametandi, Num. 2. In tranſitu tamen Iordanis, & deinceps in terra promiſſionis, diuerſus incedendi modus obſeruari cœpit, atque in deſerto. Vt enim explicabitur infrà cap. ſequenti: accinctæ armis, tribus Gad, Ruben, & dimidia tribus Manaſſe, præcedebant reliquā Hebræorum multitudinem. Quod obſeruari occœpit in mutatione caſtrorum de Setim vſque ad Iordanis ripas.

Num. 11. Modus mouendi caſtra audito ſigno.

Num. 10. Num. 2.

4. *Egredientéſque de Setim.*] Hæc fuit vltima manſionum, quæ recenſentur, Num. 33. Hic mortuus eſt Moſes. Aliter verò hinc progredi cęptum eſt, atque ex aliis manſionibus. In aliis namque, nonniſi mota nube, fiebat caſtrorum motus, nec quies erat, niſi ea quieſcente, vt patet Exod. 40. & Num. 9. In hac verò, mortuo Moſe deſiuit nubes apparere; Ac propterea Ioſue mouit caſtra, quæ loco nubis Arca fœderis præcedebat. Cur autem ceſſauerit nubes poſt mortem Moſis infra dicendum eſt. Dixi, fuiſſe Setim vltimam manſionem; quia Belſetim, hoc eſt, manſio ſiue caſtrametatio facta in ripa Iordanis, inter manſiones non computatur.

Num. 33. Moſes mortuus in vltima manſione, hoc eſt in Setim.

Exod. 40. Num. 9. Loco nubis, quæ deſiit apparere poſt mortē Moſis ſuccedit Arca.

5. *Et morati ſunt ibi tres dies.*] In Hebr. eſt & dormierunt ibi antequàm tranſirent. Verbum quod hîc ponitur ſignificat manere vel dormire. Plerique Hebræi interpretantur, veniſſe Iſraelitas in Iordanem, vbi dormierunt, & poſt eum ſomnum vnius noctis, die ſequenti receſſiſſe. Quod autem additur: *poſt tres dies*, &c. dicunt referri hæc verba ad miſſionem exploratorum, vt ſit ſenſus; tribus diebus poſt miſſionem exploratorum, tranſitum fuiſſe ab Hebræis Iordanem. Hanc interpretationem ferè ſequitur Caiet. Sic enim ſcribit. *Non dicitur in Hebr. litera quod fuerint morati in Iordane dies tres ſed inſinuatur oppoſitum dicendo. & dormierunt ibi antequam tranſirent: ſi triduo ibi fuiſſent, ridiculum eſſet ſcribere quod dormierunt ibi, antequam tranſirent. Nunquid ad excludendos tres dies inſomnes licuit ſcribere, & dormierunt ibi antequam tranſirent*, &c. Ex hac abſurditate, infert Caiet. Hæc verba poſita fuiſſe ad ſignificandum illos non ſtatim, vt ad ripam peruenerunt, tranſiſſe; ſed vnicam noctem ibi peregiſſe. *Deſcripta autem mora vnius noctis apud Iordanem*, inquit, *ante tranſitum, deſcribitur verificatum fuiſſe tempus promulgatum à Ioſue in Setim. Ad huc tres dies, & tranſibitis Iordanem.* Hæc ille, non ad miſſionem tamen vt Hebræi, ſed ad promulgationem orationem referens, vt tranſitus fluminis in decimum incidat Martij diem. Poteſt tamen ad vtramque oratio referri. Abulenſ. ad finem q. 1. ſuper cap. 3. exiſtimat aptiorem eſſe interpretationem, quæ literæ vulgatæ

Caietanus.

Opinio Caiet.

Abulenſis rectè interpretatur.

editio-

editionis quadrat; nimirum veniſſe Iſraelitas in Iordanem, & ibi per tres dies manſiſſe.

6. Sed quorſum, dicet aliquis, hæc mora? Lyranus refutat eos, qui eam moræ cauſam aſſignant, quod Iordanis, tunc ex reſolutione niuium Libani increuerat; oportuitque aquarum diminutionem triduo expectare. Hæc enim cauſa falſa eſt; quia veritas Hebræa infra, vbi nos habemus: *Iordanis autem ripas aluei ſui, tempore meſſis impleuerat*, ſic ſonat, & Iordanis impleuerat ſuper omnes ripas ſuas omnibus diebus Meſſis, &c. Atqui dies meſſis, ſecundum Hebræos, per duos menſes durant: Quare, ſi ratio moræ fuiſſet incrementum Iordanis, longius ſpatium, quàm tridui, expectandum fuit.

Lyranus. Triduum mora ad ripas Iordanis neceſſarium ad expectandã diuinam reuelationem circa modum tranſitus. Lyra.

Refutata illa ſententia, quam ſtatuit Lyranus, nimirum expectaſſe Ioſue diuinam reuelationem ad modum traiiciendi fluuium pertinentem, quæ in vltimo tridui illius die facta fuit; ſtatimque Hebræi die inſequenti, tranſierunt. Vnde Ioſue: *ſanctificamini*, inquit; *cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*. At dices: Modum traiiciendi ſciebat. Falleris; ſi enim præſciuiſſet ſiccandum Iordanem, quid opus eſſet expectare?

Abulenſis. Tres dies commorati ſunt Hebræi ad Iordanem, vt creſcentibus aquis, maius poſtea extaret miraculum diuiſi fluminis. Abulenſ.

7. Aliam rationem reddit Abulenſ. q. 2. quam puto veriorem nempe in his tribus diebus expectaſſe Hebræos expletionem diuini præcepti. Deus enim Ioſue mandauerat cap. 1. vt tranſiret Iordanem; qui per præcones deinde admonuit populum, vt ſe ad traiectionem poſt tres dies futuram, præpararet. Audito hoc edicto, ſequenti nocte profectus eſt exercitus de Setim, & primo die prædicti tridui venit in Iordanem, vbi commoratus eſt, vt præfinitum à Deo triduum expleretur; volebat enim Deus, vt niuibus Libani tumeſcerent aquæ Iordanis tam inſigni incremento, vt nullo pacto vado tranſmitti poſſet, ſicut tranſmiſſus eſt paulò antè, ab exploratoribus euntibus in Hiericho, & redeuntibus. Atque adeò conſtaret miraculi in tranſitu edendi magnitudo, & Chananæos terrefaceret. Quod ita euenit. Nam Chananæi omnes audita ſiccatione Iordanis contremuerunt, vt patet infrà cap. 5.

8. *Quibus euolutis.*] Videlicet ad veſperam diei tertij, hoc eſt nono die Martij. In hoc enim veſpere, præcones per caſtrorum medium, clamare cœperunt. *Quando videritis arcam fœderis*, &c. *Et locutus eſt Ioſue: ſanctificamini, cras enim*. &c. Quare rectè aduertit Abulenſ. q. 4. euolutos tres dies, non ita accipi, quaſi quæ hic narrantur facta ſint quarto die inſequenti; id námque falſum eſt: ſed ad finem diei tertij. Quod potiſſimum indicant illa verba Ioſue. *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.*

Abulenſis.

9. *Quando videritis Arcam fœderis*, &c.] Modus præſcribitur populo ſequendi Arcam Domini: quæ humeris ſacerdotum impoſita præire debebat, nemine ipſam præcedente; in aliis itineribus; multi ante arcam ibant, in tranſitu verò Iordanis, id ne fiat, populo interdicitur.

10. *Spatium cubitorũ duum millium, vt procul videre poſſitis.*] In Hebræo eſt, ſpatium circiter, aut ferè duorum milliũ, &c. Hoc ſpatium aſſignatur, ne ſi multitudo, propius ad arcam accedat; præcedentibus legionibus, occupataque terræ latitudine, aſpectus Arcæ præeuntis adimatur. Ratio huius admonitionis non in eo ſita eſt, ſolùm, quòd id reuerentia & maieſtas poſtularet; ſed in eo præſertim, quia oportebat, videri Arcam, ne aliorſum ignari viæ populi ferrentur inciderentque aberrantes, in itinera raro aut nunquam ab eis exploſata.

Cur procul ab arca iter faciendum ſit?

11. Quæres, quæ menſura ſit hæc cubitorum? Abulenſ. ad finem q. 8. ſuper cap. 3. Ioſue duas adducit opiniones; vnam eorum, qui dicunt cubitum continere ſpatium pedis, & dimidij, ac proinde inter populum, & arcam interuallum trium millium pedum erat. Alteram tribuentium cubito longitudinem duorum pedum; vnde ſpatium, quod inter arcam & populum intererat 4. millia pedum continebat. Prior tamen opinio veriſimilior eſt. Cubitus námque, licet propriè ſit curuatura brachij, vbi illa certo iungitur, quo pacto accipitur à Plauto in Sticho: *cubito depulſa de via*. Menſura etiam eſt conſtans ſex palmis, hoc eſt, digitis viginti quatuor (vt author eſt Vitruuius lib. 3.) ſeſquipes namque, hoc eſt pes cum dimidio, facit cubitum: Quem etiam facit menſura duorum palmorum, vt palmum accipit Ioſephus, 3. antiquit. cap. 6. quem ſequitur Beda lib. 1. de tabernaculo, cap. 4. Agens enim de arca fœderis, ſic ſcribit: *longitudo eius erat quinque palmorum, altitudo verò, & latitudo trium palmorum*, &c. In Græco, pro, palmorum, ſemper legimus, σπιθαμῶν, id eſt, ſpithamarum. Continet autem ſpithama digitos duodecim. Eſt enim interſtitium intermedium digitum & pollicem porrectum. Cubitus autem eſt interuallum à flexu brachij protenſum vſque ad medij digiti extremitatem, duas continẽs ſpithamas, hoc digitos viginti quatuor. De hoc cubito, quem vulgarem vocant, credit Ribera. in lib. 2. de templo cap. 1. agi à Moſe, Exod. 25. in deſcriptione Arcæ fœderis. Eſt etiam cubitus regius, & Geometricus; de quibus alibi fortè agemus, nunc ſatis erit vulgarem agnoſcere, vt conſtet quid ſpatij intercederet inter arcam præcedentem in tranſitu Iordanis agmen Iſraeliticum, & inter populum ſequentem. Illud rectè aduertit Maſius; pro, *inter vos & illam*, in Hebr. legi: *inter vos, & illas*: Vnde Hebræi commenti ſunt, duas præceſſiſſe arcas. Vnam diuinitatis, id eſt, fœderis. Alteram Ioſephi in qua illius oſſa, in Chananæam aſportarentur. Cæterùm credibile non eſt cum arca teſtamenti, ita coniunctam fuiſſe arcam aliam, etiam viri ſancti. Iam verò vſus numeri pluralis pro ſingulari apud Hebræos, nihil noui habet, vt contra huius commenti inuentores, oſtendit Maſius.

Abulenſis. Quæ menſura ſit cubitus.

Cubitus propriè eſt curuatura brachij. Plautus.

Vitruuius. Eſt & menſura conſtans digitis 24. Ioſephus. Beda.

Palmus Ioſephi & Bedæ eſt ſpithama continens 12. digitos.

Cubitus vulgaris. Franc. Rib. Exod. 25.

Cubitus Regius, &c.

12. *Sanctificamini.*] Pag. *Sanctificate vos*. Vatabl. *Conſecrate vos ipſos*. Hæc dicta ſunt à Ioſue, nono die Martij, vt populus ad ſuſcipiendam Dei mundo pectore religionem, adorandamq; in ſtupendo miraculo, maieſtatem, die craſtina eſſet præparatus. Sunt autem in ſcriptura ſanctificati paſſim, qui ad rem aliquam præparantur, vel qui ab aliis ſegregantur, vt annotauit Ribera, Ioel. 1. nu. 25. & poſſet hic ita accipi hoc verbum; vt nimirum ſacerdotes à prophanis, & Hebræi ab Ægyptus, qui in caſtris erant ſeparati, vſque ad diem, craſtinum munditiam cordis & corporis procurarent. Quo exemplo admoniti debent Chriſtiani res ſacras tractaturi, aut locum aliquem religionis ergo adituri, ſanctificare ſeipſos, eò accuratiùs, quò ſanctiora ſunt legis gratiæ myſteria. Porrò ſanctificandi verbum, etiam hic accipi putò pro aſſumi ad cultum Dei, vt ſit ſenſus. Vos ipſi deſtinate vos ad cultum, & venerationem Dei. Sic accipitur hoc verbum, Exod. 28. *& cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſq; illos vt ſacerdotio fungantur mihi*. Et apud Sophon cap. 1. Dum ait:

Sanctificatio, & munditia neceſſaria ad tractandas res ſacras.

Sophon 1.

Victimæ vocantur multitudo Iudæorum occidenda. Soph. 1.

ait: *Quia preparauit Dominus hoſtiam: ſanctificauit vocatos ſuos.* Vbi hoſtiam vocat, multitudinem Iudæorum à Chaldæis occidendam, & more arietum, ob peccata, ad placandam Dei iram, immolandam: Sanctificantur ibidem Chaldæi, id eſt, eligũtur, quaſi ſacerdotes harum victimarum, quæ Deo erant mactandæ. Sic Nabuchodonoſor vocauit Hierem. 25. Deus ſeruum ſuum, qui ad vindictam de perfidis Iudæis ſumendam, illius erat vſurus gladio. Iuxta hanc ſignificationem vult Ioſue, vt Hebræi ſeipſos conſecrent, & quaſi deuoueant, ad omne obſequium eras qualequale illud tandem ſit, exhibendum, tanquam diuinæ voluntatis adminiſtri.

Hierem. 25.

Portare arcam Leuitarum munus erat.

13. *Ait ad ſacerdotes: tollite arcam fœderis, & præcedite populum, &c.*] Munus exportandi arcam humeris impoſitam ad Leuitas pertinebat. Tribus nãmque Leui in tres olim familias diuiſa fuit: Chaatitas, Meraritas, & Gerſonitas, vt patet Nũ. 3. & 4. Habuit enim Leui tres filios, Chaath, Merari, & Gerſon, à quibus in ſuam cuique familiam nomen eſt deriuatum, vt conſtat Exod. 6. Poſtea, per nepotes Leui aliæ familiæ illuſtre nomen habuerunt, vt patet Num. 26. Chaat nãmque genuit Amram, à quo prognati ſunt Moſes, & Aaron. De Aaron nati ſunt Sacerdotes. Atque adeò præter familiam Aaronitarum omnes alij, ſiue Chaatitæ, ſiue Meraritæ, ſiue Gerſonitæ, vocabantur Leuitæ, & non ſacerdotes.

Num. 3. & 4.

Exod. 6.

Num. 26.

Erant igitur diuiſa miniſteria Aaronitis, & Leuitis hoc ordine. Sacerdotes quidem ſiue Aaronitæ miniſtrabant in ſanctuario in ſacrificiis, & thimiamatis oblatione quotidiana: itẽque in præparatione lucernarum, & in panibus propoſitionum. Si quis autem ad hæc miniſteria, qui ſacerdos de Aaronis familia non eſſet, accederet, hoc illi crimen capitale erat, & morte expiandum, Num. 13. & 18.

Soli Aaronis poſteri ſacerdotes erant: Leuitæ verò cæteri ex Leui progeniti.

Sacerdotum & Leuitarum diuerſa officia.

Num. 13. & 18.

14. Cæteri verò, hoc eſt, Chaathitæ, Gerſonitæ, & Meraritæ, non ſacerdotes, ſed Leuitæ dũtaxat vocabantur, & officij ſui leges in rebus ſanctuarij obſeruabant. Num. 1. ait Deus. *Tribum Leui noli numerare, nec ponas ſummam eorum cum filijs Iſrael: ſed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonij*, &c. per partes, exportatio. Chaathitæ, partes ſanctuarij certas portabant, nempe arcam, candelabrum, altare holocauſtorum, atque thimiamatis, menſam propoſitionis, labrũ æneum, in quo abluebantur ſacerdotes, & vaſa minora, quæ his tractandis vſui erant. Hæc autem antequàm humeris Chaatitarum imponerentur, inuoluebantur à ſacerdotibus, integumentis rubris, & hyacinthinis; ne ſi Leuitæ nuda hæc viderent, morerentur, vt dicitur Num. 3. & 4. Gerſonitæ cùm mouerentur caſtra, partes alias exportabant, videlicet tabulas ſanctuarij, columnas baſes, atque capitella plauſtris impoſita. Meraritæ cortinas, ſaga, pelles rubricatas, & hyacinthinas, vela, & tentoria, quæ tegebant tabernaculum & atrium circumdabant, non humeris per vectes, vt Chaathitæ, ſed plauſtris, ſicut Gerſonitæ deferebant. Et verò ad Leuitas, in vniuerſum ſpectabat, & eirgere tabernaculum, cùm locanda erant caſtra, & cùm mouenda erãt deicere. Modum huius miniſterij exercendi iuxta motum, & quietem nubis habes apud Abulenſem quæſt. 8. in cap. 3. Ioſue, qui aduertit ex Num. 3. commune fuiſſe ſacerdotibus, & Leuitis, vt in circuitu ſanctuarij excubarent, fixis ibi, ſecũdum aſſignatum ſibi ordinem tentoriis ſuis quod à cæteris hominibus profanis, ſi fieret, crimen erat piandum morte, Num. 1.

Capitale erat Leuitis videre Arcam ſine integumentis.

Num. 3. & 4.

Erectio tabernaculi & deiectio Leuitarum erat officium.

Abulenſis.

Non poterant Laici prope tabernaculum habere tentorium.

15. Hæc cùm ita ſint, cur ſacerdotes hîc iubentur à Ioſue legis ſcientiſſimo, Arcam portare? ſpectat id munus officij, ad Leuitas; nec ad omnes quidem; ſed ad Chaatitas dumtaxat. Mihi ſacræ ſcripturæ hiſtoriam conſideranti, occurrit eam legem de exportatione Arcæ, ita ad Leuitas pertinere, vt tamen liberum ſit ſacerdotibus, in aliqua maioris momenti occaſione id officij munus vſurpare. Confirmatur hæc doctrina ex quatuor locis, in quibus narratur Arcam à ſacerdotibus fuiſſe exportatam. Primùm, ex hoc cap. 3. vbi dicitur ſacerdotibus. *Tollite Arcam fœderis*; videlicet vt præeunte Arca populus tranſeat Iordanem. Secundò, ex cap. 6. in quo commemoratur ſepties intra ſeptem dies, Arcam à ſacerdotibus portatam perluſtraſſe Hiericho. Tertiò, ex 1. Paralip. 15. Vbi Dauid ſacerdotibus præcepit, vt à domo Obededon Gethæi, Arcam teſtamenti in domum regiam deferrent. Quartò, ex 2. Reg. 15. vbi refertur à Sadoch, & Abiathar primariis ſacerdotibus, Arcam in ſanctuarium, vnde ablata fuerat, vt eſſet in comitatu Dauidis fugientis Abſalonem, reductam fuiſſe. Sic in lege noua paſſim videmus, quæ à minoribus Eccleſiæ miniſtris, vt ſunt diaconi, & Hyppodiaconi, ratione officij præſtantur, ea à ſacerdotibus interdum fieri. Et quæ ſacerdotes obeunt munia, cùm res poſtulat, ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis exerceri.

Licèt Leuitarum eſſet officium Arcam exportare; ſæpe tamen erat ſacerdotibus id munus obire aſſequendo.

Ioſ. 3. & 6.

1. Paralip. 15.

2. Reg. 15. Sadoch & Abiathar ſummi ſacerdotes tempore Dauid.

Conſurgite & ſequimini præcedentes.] Iubetur populus revereri, & ſequi Arcam fœderis, quæ typus erat Euchariſtiæ quam deferunt ſacerdotes. Sanctus Maximus enarrans Dionyſ. de cœleſt. Hier. notauit à Iacobo fratre Domini, in Miſſa ſua Hieroſolymitana, ita moneri laicos à lectore: *Taceant omnes mortales, & ſtent cum metu ac tremore, nihil terrenum cogitent. Rex enim Regum Chriſtus Deus noſter exit vt mactetur; & detur in cibum fidelibus; eum verò chori Angelorum antecedunt*, &c. Diſcamus ab Angelis reuereri hoc myſterium: qui etiam digni ſunt reuerentia ad hoc myſterium accurrentes. Vnde 1. Corinth. 11. *Ideo*, inquit Paul. *debet mulier velamen habere ſupra caput ſuum, etiam propter Angelos*, id eſt, ob Angelorum etiam reuerentiam. Angeli enim, vt ait D. Thom. conuentus fidelium viſitare creduntur, præcipuè quando ſacra myſteria celebrantur. Aliqui ſacerdotes nomine Angelorum intelligunt, ſed D. Thomas D. Chryſoſtomum, Theophilactum, & Theodoretum ſequitur veros Angelos agnoſcentes. Ad quos illud refertur 1. Petri 1. vbi, de diuinis agitur myſteriis. In quæ ſcilicet myſteria deſiderant Angeli proſpicere, vel, vt Græca ſonant, cum inclinatione aſpicere. Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio capite 137. ait. *Angelos in Eccleſia aſſiſtere canentibus.* Deinde addit: *Nec dubitare licet, vbi corporis, & ſanguinis Dominici geruntur myſteria ſupernorum ciuium adeſſe conuentus*, &c. Imitemur ergo cœleſtes ciues, & quoties effertur in loculo ſacro diuina Euchariſtia, vel ſacrificium peragitur; aſſurgamus, & ſequamur ſacerdotes, audiamuſque vocem illam, nos admonentem magis, quàm Hebræos; *Cum videritis Arcam fœderis, &c.*

Reuerentia quæ exhibebatur Arcæ, typus illius eſt, quam debemus Euchariſtiæ.

Sanctus Maximus.

Præparatio ad miſſam & reuerentia.

Angeli adſtant altari.

1. Corinth. 11.

D. Thomas.

Sacerdotes nomine Angelorum intelliguntur.

Chryſoſt. Theophyl. Theodor. 1. Petri 1.

Concil. Aquiſ.

Sequi debemus Euchariſtiã cùm effertur ad ægrotos.

16. *Conſurgite & ſequimini præcedentes populum*, &c.] in deſerto ſolenne erat, vt motis caſtris, præcederent populum ſex tribus cum duobus

Ornatus Arca incedentis per ſolitudinem.

vexillis, Arca fœderis sequente: præeuntes cum omnes ſanctuarij ornamentis. Arcam, medium agmen obtinentem, ſex aliæ tribus cum duobus vexillis ſequebantur, vt patet Num. 10. Hic verò, quia non erat nubes ductrix quæ vniuerſum agmen dirigeret, Arca præibat, eamque populus ſequebatur.

Num. 10.

17. *Dixitque Dominus ad Ioſue: Hodie incipiam exaltare te.*] Hoc oraculum audiuit Ioſue die decimo menſis primi, hoc eſt, in ipſo die tranſitus Iordanis. Idcircò enim dictum eſt: *Hodie incipiam*, &c. Ex oraculo colligo, hactenus quidem Iudæos obtemperaſſe Ioſue, quia ſe fore ei in omnibus obedientes polliciti ſunt, adhibita interminatione mortis, cap. 1. Nunc autem deinceps obtemperaturos, non ob id ſolùm, ſed etiã, quia Deus venerabilem eum ſignis admirabilibus, quorum ipſe præſcius ſit, coram vniuerſo populo eſt redditurus, non tantùm in fluminis traiectione ea ipſa, qua loquebatur die; ſed etiã poſteà, cùm ad preces illius, cap. 10. *Sol ſtabit contra Gabaon, & Luna contra vallem Hayalon.* Sic Moſen Deus exaltauit coram populo in monte Sinai, dicens Exod. 19. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me omnis populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum*, &c. Ad quem locum hic alludit: inquiens: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael: vt ſciant, quod ſicut cum Moſe fui, ita & tecum ſim*, &c. licèt enim Hebræi ſcirent electum fuiſſe Ioſue principem à Deo, Num. 27. & Deut. 3. & 31. & 32. Ignorabant tamen, an proinde eſſet Deo gratus atque Moſes. Quare Deus pollicetur ne minùs acceptus, aut inferior Moſe habeatur, ſe, illum ſignis, & prodigiis æquè illuſtrem redditurum.

Obtemperabant Iudæi Ioſue, tũ quia id polliciti fuerant, tum quia illum videbant ſignis cæleſtibus conſpicuum.

Ioſ. 10.

Exod. 19.

Moſen Deus fecit populo venerabilem.

Num. 27. Deut. 3.

Verſ. 13.] Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei veſtri, & Sacerdotes ſtirpis Leuiticæ portantes eam conſurgite, & ſequimini præcedentes, &c.

Cur Ioſue iuſſerit Arcam præcedere nulla facta de nube mentione?

ANNOTATIO I.

1. NVBES, quæ viuo adhuc & ſpirante Moſe caſtra Hebræorum ductabat, eo mortuo amplius viſa non eſt. Deus námque ſicut in neceſſariis abundans eſt, & locuples; ita in ſuperfluis parcus eſt, & modum amat. In ſolitudine quidem, ea ſuppeditauit populo, quæ nulla humana poterant parari induſtria: Non erat panis, manna de cælo contulit, Exod. 16. Non erat vnde calcei & veſtimenta pararentur, veſtes & calceos ex Ægypto allatos vſque ad ingreſſum terræ Chanaan, ne veteraſcerent, aut inutiles redderentur, effecit, Deut. 8.

Mortuo Moyſe nubes non apparuit ampliùs.

Exod. 16. *Prouidentia erga pauperes cõtulit Hebræis manna, veſtes, & calceos.* Deut. 8.

2. Quia ergo in itineribus, & locis ſolitudinis Arabicæ longo tempore manendum erat, nubem de die conceſſit, quæ ductrix eſſet viæ, regionum ignaris; de nocte verò ſpeciem ignis. Noluit enim, vt ignoratione viarum, temerè quò non expediret, ferrentur. Vnde illud.

Innumerum duxit populum duce nube ſerena
Luce, per obſcuras flamma præeunte tenebras.

Aduertit Gloſſa ex Sedec. Olam, Rab. & ex Hebræis, tribus paſtoribus Iſrael, tria inſignia dona conceſſa fuiſſe: Manna quidem Moſi, Columnam nubis Aaroni, Puteum Mariæ meritis. Mortua porrò Maria ſublatus eſt puteus: recuperatus tamen meritis Aaronis, & Moſis. Mortuo Aarone diſparuit nubis columna: etſi poſteà ſit Moſi meritis reddita. Mortuo Moſe perierunt tria hæc, nec poſteà ſunt recuperata. In terra verò promiſſionis, hæc directio neceſſaria non videbatur, cùm regio hominibus, in populos coeuntibus inhabitaretur; & ciuitates, locaque ad
B quæ ituri erant, vel digito deſignari poſſent. Quare ſatis erat, poſt Iordanis tranſitum profectionis terminum principum arbitrio deſtinari, Arcámque ſequi præeuntem, iuxta illorum deſtinationẽ, quod hic factum videmus. Nam à præconibus iuſſu Ioſue dicitur populo: *Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei veſtri, & ſacerdotes ſtirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque conſurgite & ſequimini præcedentes*, &c. Ex dictis conſtat propterea à Ioſue mandatum fuiſſe, vt præcederet Arca fœderis, vniuerſã populi tranſituri Iordanem multitudinem, quia nubes, quæ Moſe viuente exercitum ductabat, eo mortuo euanuerat. Cauſa etiam illa reddi poteſt, quia Arcæ
C præeuntis proſpectus, & ad venerationem numinis excitabat ſequentes, & hoſtes terrefaciebat perſequentes, vt conſtat ex 1. Reg. 4. ſic enim ait ſcriptura. *Cùmque veniſſet Arca fœderis Domini in caſtra vociferatus eſt omnis Iſrael clamore grandi, & perſonuit terra. Et audierunt Philiſtim vocem clamoris, dixerúntque: quenam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? & cognouerunt, quod Arca Domini veniſſet in caſtra. Timuerúntque Philiſtim dicentes. Venit Deus in caſtra, & ingemuerunt dicentes. Væ nobis: non enim fuit exultatio tanta heri, nudius tertius*, &c.

1. Reg. 4. *Arcæ præſentia animos Hebræorum erigebat, hoſtium deprimebat.*

3. Igitur nubis ab Angelo motæ ceſſante miniſterio; duplex ſignificatio neceſſaria fuit in ca-
D ſtris. Vna, qua intelligeretur de loco diſcedendum eſſe, dabaturque tubis argenteis clangentibus; de quibus Num. 10. *Et cum eſſet clangor prolixus atque conciſus, mouebant ſinguli tentoria ſua, colligentes ſarcinulas*, &c. Altera, qua ſciret populus, quò eundum erat, dum iter faciebat. Hanc dabat Arca fœderis humeris Leuitarum, aut ſacerdotum impoſita. Vtrumque munus explebat in deſerto nubes: illa namque ſuper tabernaculum pendente, quies erat; recedente verò caſtra mouebantur. Itaque & de die præeuntem nubis columnam, & de nocte ſpeciem ignis ſequebantur Hebræi; nullo alio admoniti indicio, Exod. 14. *Nubes quoque Domini incumbebat per diem ta-*
E *bernaculo, & ignis in nocte videntibus populis Iſrael per cunctas manſiones ſuas*, &c.

Duplex ſignificatio dabatur Hebræis mouendi caſtra: vna tubis, altera e fſtinere Arcæ præeuntis. Num. 10.

Exod. 14.

Verſ. 6.] Tollite Arcam fœderis, & præcedite populum.

De nomine & fabrica Arcæ, quam præcedere Ioſue præcepit.

ANNO-

ANNOTATIO II.

1. QVONIAM ab hoc cap. 3. vſque ad ſextũ & in toto lib. deinceps, paſſim mentio fit Arcæ fœderis, ad cuius præſentiam inſignia patrata ſunt miracula, de ea aliquid ſemel præmittendum eſt, ne quoties occurrerit, nouos cogamur doctrinæ fontes aperire. Atque, vt à nomine exordiamur, non agimus hic de Arca, quæ Hebraicè peculiari nomine dicitur חובה, *Thebah* ſunt enim Hebræis duæ voces, quarum ex ipſo vſu varia eſt ſignificatio. Altera eſt ארון, *Aron*. Altera *Thebah*, pro quibus interpretes, *Arcam* reddunt. Et quidem *Thebah*, ſi vſum ſpectes, animantium, præcipuè verò hominum, qui in aquis exponi iubentur, conſeruandorum ergo, paratur. Vnde eo nomine appellatur. Arca Noetica, quoties illius mentio fit. Itémque ea, qua infans Moſes, ad flumen expoſitus fuit; quamuis hanc, vetus interpres materiam conſiderans, *ſcirpeam fiſcellam*, bis dixerit Exod. 2. Itaque Thebath ad homines, in aquis aliqua de cauſa expoſitos, conſeruandos duntaxat, non ad nauigationis, aut negotij alicuius opportunitatem, comparatur. Vnde aduertit Arias Montanus in Apparatu biblico lib. 1. de ſacris ſabricis cap. primo. Noe hoc nomine ab ipſo Deo audito, formam & ſtructuram Arcæ, quàm fabricari oporteret, ſatis aperte pernouiſſe. Nempe ob longam fore, quatuor conſtantem angulis, quæ iacentis hominis in eam incluſi oſtenderet figuram. Forma etiam Arcæ expoſiti Moſis, vt iacenti infanti, idonea eſſet, ſimilem habuit ſtructuram.

Arca Noetica. Arca, in qua ſeruatus fuit Moſes ſcirpea fuit.

Exod. 2.

Montanus.

Arca Noe ad figuram hominis facta.

2. Contra verò Aron, arca eſt, quæ ad res anima carentes, vt pecuniã, veſtes & res ſimiles aſſeruandas, fabricari ſolet, qualis fuit illa, 2. Par. 24. 8. quæ Ioas Regis iuſſu facta, ante fores templi poſita fuit, vt in eam oblata, ad ſarta tecta inſtauranda à populo pecunia, inferretur. Atque vt cæteras, omittam, illa eſt celeberrima, quàm Deus præparari iuſſit, ad legis tabulas potiſſimum aſſeruandas. Hanc enim iuſſit in tabernaculi penetralibus, vt inſtar diuini ſolij eſſet, collocari, quo fœderis, inter ſe, & populum ſanciti teſtimonium extaret, ſempiternum, & ſingulare, regiæ, gubernationis, qua præſto ſuis aderat, monumentum. Audi, quid Moſes Deut. 10. ſcriptum reliquerit. *In tempore illo dixit Dominus ad me, Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt. Et aſcende ad me in montem, facieſque Arcam ligneam, & ſcribam in tabulis verba, quæ fuerunt in eis, quas ante confregiſti, poneſque eas in Arca. Feci igitur Arcam de lignis Setim, cúmque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem habens eas in manibus: ſcripſitque tabulas iuxta id, quod prius ſcripſerat verba decem, quæ locutus eſt Dominus ad vos, de medio ignis, quando populus congregatus eſt, & dedit eas mihi. Reuerſuſque de monte deſcendi, & poſui tabulas in Arca, quam feceram, quæ hucuſque ibi ſunt, ſicut præcepit mihi Dominus*, &c. Ex his verbis, ſatis conſtat, quodnam extiterit Arcæ fœderis initium, materia, & vſus.

2. Paral. 24.

Arca fœderis ſeruandis legis tabulis fabricata fuit.

Deut. 10.

Initium Arcæ fœderis & materia.

3. Materia Arcæ erant ligna Setim. Eſt autem, *Seta*, in ſingulari. & in plurali Setim arbor, quæ naſcitur in ſolitudine duntaxat Arabica: Nec (vt Arias Montanus annotauit) cedrus, aut cedri ſpecies eſt, ſed alia planta, quæ ſimilis eſt ſpinæ albæ colore & folijs, non proceritate, longè enim procerior eſt (vt aduertit Ribera in Opuſc. de templo lib 2. cap. primo) lignum eius natura ſua corruptionis, expers eſt, atque ad liberos, & monumenta conſeruanda apprimè idoneum. Vide Hieronym. ſuper illud Iſaiæ 41. *Dabo in ſolitudine cedrum, & ſpinam*, &c. Vbi, præter incorruptionem, leuitatem, & pulchritudinem, commendat. Longitudo Arcæ, vt patet Exod. 25. duos habuit cubitos & dimidium; latitudo cubitum, & dimidium, altitudo, cubitum ſimiliter & dimidium. Vbi vides à longitudine, vno cubito ſuperari latitudinem, atque altitudinem. De menſura cubiti ſuprà dictum eſt, in Contextu, vbi ſequimur cum Beda lib. 1. de tabernaculo, cap. primo, Ioſephum lib. primo Antiquitatum cap. 6. Sanè magnitudo tanta erat, quanta & decoris ratio, & ſtatura Cherubim, & ea quæ erant in arca reponenda, poſtulare videbatur.

Ligna Setim non corrumpuntur.

Montanus.

Francis Rib.

Hierony. Iſai. 41.

Longitudo Arcæ, & latitud. qualis?

Beda.

Ioſeph.

4. Præter materiæ ſoliditatem, & elegantiam, erat interiùs exteriúſque laminis aureis obducta. Superiori limbo aurea ſpira, coronæ inſtar adiuncta eſt, eo autem modo corona collocabatur, vt operculum poſteà inducendum contineret. Limbus autem ille aureus coronam eò vocant, quòd arcam totam cingeret, ſurgebat (vt probabiliter ait Rich. in explanatione tabernaculi cap. 2. & Abulenſ. quæſt. 13. in cap. 25. Exodi.) ſuper operculum in duos aut tres digitos.

Arca intus, & foris laminis aureis tecta.

Limbus aureus corona dicitur, quia totam ambit.

Richard.

Abulenſ.

5. In quatuor longiorum laterum angulis quatuor armillæ ſiue annuli aurei affixi erant grandiori circulo, vt poſſent vectes excipere ad exportãdi cõmoditatem inductos. His annulis duo lignei aſſeres inducti ſunt, aureis tecti laminis, qui Leuitis ſiue ſacerdotibus oneris ferendi commoditatem præſtarent. Nam quod Rab. Salomon ait Arcam ſe portantes, portare conſueuiſſe, inſania eſt, vt rectè annotauit Abulenſ. q. 6. in cap. 3. Ioſue id, ſacræ Euchariſtiæ, in qua diuinitas eſt, & vtero virginis verbo diuino hoſpite accidiſſe, mirum non eſt; Omnia namque verbo virtutis ſuæ portat diuinitas, etiam cum portari videtur. Huc alludit Eccleſia dum de ſancto Simeone, in vlnis portante puerum IESVM canit, *Senex puerum portabat; puer autem ſenem regebat*. Si tamen Rab. Salom. portari Leuitas ab Arca velit, quia id munus illi obire alacriter conſueuerant, numine adiuuante, & vires, ne laſſerentur ſuppenditante; Id ego facilè admittam. Nam. 1. Paralip. 15. dicitur; *cúmque adiuuiſſet Dominus Leuitas, qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem Tauri, & ſeptem arietes*, &c. agitur de exportatione Arcæ iuſſu Dauid de domo Obededom, in ciuitatem ſuam. In qua non ſunt mortui, qui exportabant, ſicut Oza, qui onus, cui humeros ſubijcere debuerat, recuſauit, vt Hier. & Theodor aſſerunt. Cauit autem Deus, ne vectes ab armillis ſiue aureis annulis extraherentur, ne vnquam ſacerdotes, & Leuitæ liberatos ſe putarent à cura portandi Arcam. Vult enim Deus vt præ oculis habeamus aliquid, quod nos, de officij noſtri cura ſemper admoneat.

R. Salomon falsò ait Arcam portare ſe portantes conſueuiſſe.

Chriſtus in vtero, vires ſuppeditabat virgini matri.

Luc. 2.

1. Paral. 15.

Vectes inſerti ſemper armillis admonebant Leuitas de ſuo officio.

Verſ. 7.] Tollite Arcam fœderis, &c.

Quid ſit propitiatorium Arcæ fœderis impoſitum.

ANNOTATIO III.

Chaphar æque ſignif. ac operire & propitiare.

1. QVOD propitiatorium Latini vocant interpretes, Hebræi Chaphoreth à verbo Chaphar: cui aptè apud Latinos, operiendi, & propitiandi quadrant ſignificationes. Vnde ab expoſitoribus ſacris Propitiatorium, & oraculum, interdumque opertorium vocatur. Erat igitur propitiatorium operculum ſolido auro ductum, quod ſuperiorem velabat Arcæ partem; eadem longitudine, & latitudine, qua extima pars, ſiue os Arcæ patebat, ita, vt intra coronam illius inductum, totam clauderet. In hoc propitiatorio ſiue operculo, duæ, vtroque ex latere, eminebant ex auro factæ imagines, ita ſtantes, pedibúſque ita conſtitutis, vt ſuſtinere ſeſe poſſent. Brachiorum loco, alæ erant, quas imago altera contra alteram ita extendebat, vt operculum ſupernè obtegentes, ſedilis formam pararent. Veluti, ſi aliquis veſtigijs pedum in operculo, tanquam in ſcabello poſitis ſupra extentas Cherubim alas ſeſſitaret. Hæc Dei ſedes illa eſt, de qua Pſalm. 98. *Qui ſedet ſuper Cherubim.* Vbi continetur periphraſis Dei, de Cherubis Arcæ propiatorium ſiue tegmen obumbrantibus, reddentis oracula, vel (potius, vt Genebr. ait) inequitantis Cherubim animalia alata, vt celerius adſit, vel potentia & maieſtate ſuperantis Cherubos primæ inter creaturas notæ, cœlorum veluti principes, ab illis repræſentatos, qui fœderis Arcā cuſtodiebant. Aduerto vitioſè in aliquibus expoſitoribus legi, *Qui ſedes*, in ſecunda perſona vt ſit precatio, &c. Quod vitium in nouis biblijs, & emendatis correctum fuit. Erant ij pueri pulcherrimi, vt ego arbitror, vel, vt alij volunt maris & fœminæ ſpecie varij, Cætera ſibi inuicem ſimiles & æquales, faciéque ad propitiatorij ſpatium conuerſa. ſeſe mutuò aſpicientes, ita vt aſſidentem alis ſuis Deum, pedibúſque prementem propitiatorium, modeſtè aſpicerent. Exod. 25. ait Deus, *& loquar ad te ſuper propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim qui erunt ſuper Arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Iſraël*, &c. Ex his verbis intelliges, iuſſiſſe Deum præparari, Arcam quidem, vt tabulas fœderis ſeruaret, propitiatorium verò, vt ex eo redderet oracula. Porrò 70. operculum hoc, quod Hebraicè כפרת. *Caphoreth* dicitur, rectè vocarunt ἱλαστήριον ἐπίθεμα, id eſt, *placatorium*, ſiue *propitiatorium operimentum*. Nam Deus, inde Moſi apparens, & Ioſue, placabatur, & populo propitius reddebatur. Num. 7. *Cúmque ingrederetur Moſes tabernaculum fœderis vt conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei*, &c. Eſt igitur propitiatorium Arcæ fœderis ſiue teſtamenti pars ſuperior, atque adeò ex ſolido auro fabricatum eiuſdem Arcæ operculum. De quo & de Arca ita Philo lib. 3. de vita Moſis. *Arca verò intra vela poſita eſt, in adyta intus & foris munita craſſis laminis aureis, operculo ſuperimpoſito, quod in ſacris litteris dicitur propitiatorium. Eius operculi proditur longitudo, latitudóque: altitudo non item vt ſimile ſit ſuperficiei geometricæ*; & infrà. *Hæc arca vas eſt deſtinatum legibus, in hanc enim præcepta reconduntur accepta dictante ipſo cœleſti numine. Nam operculum Arcæ, quod vocatur propitiatorium, baſis eſt duarum imaginum volucrium, quæ ſermone vernaculo nominantur Cherubim, hoc eſt, multa ſcientia.* Hæc ille.

Duo Cherubim in propitiatorio erant.

Pſalm. 98.

Genebrar. *Deus ſedere dicitur ſuper alatos Cherubos, vt præſto illum nobis adfuturum intelligamus.*

Cherubinorum effigies.

Exod. 25.

Propitiatorium cur ita dictum ſit.

Num. 7.

Philo Iudæus.

Arcæ fabrica.

Arca legi ſeruandæ deſtinata eſt.

A 2. Ioſephus Antiquit. lib. 3. cap. 8. *Super tegmen, inquit, eius erant figurationes duæ, quas Hebræi Cherubim appellant. Sunt enim animalia volatilem habentia figuram, quæ à nullo homine eſt inſpecta. Hæc dixit Moſes in Dei ſe conſpexiſſe ſede figurata. In hac ergò Arca, duas tabulas recondidit, in quibus fuerant decem verba conſcripta, quina quidem per ſingulas tabulas: bina autem ſemis per vnamquamque pagiunlam, & has in adyto collocauit.* Hæc Ioſephus, qui de hoc operculo & Arca eleganter ſcribit lib. 3. Antiq. cap. 6. vbi aduertit propterea Arcæ adhibitos vectes fuiſſe, annulos aureos traijcientes, vt quoties opus eſſet quocumque tranſportari poſſet; *Neque enim*, inquit, *iumentis vehebatur, ſed ſacerdotum humeris transferebatur*, &c. Et quidem Ozam ſubita morte interfectum, plerique autumant, non quod temerè, & ſine veneratione nutantem Arcam ſuffulſerit, ſed quia eam plauſtro, B cum humeris eſſet geſtanda, impoſuerit. Punit namque Deus, onera ſibi ex officio competentia recuſantes. Hæc de Arcæ & propitiatorij nomine fabrica & vſu.

Ioſephus.

Cherubinorum, qui erant in propitiatorio figurationes.

Oza occiſus eſt morte ſubita, quòd plauſtro arcam impoſuerit, quam humeris geſtare debuerat, vt aduertit D. Hieronym. & Theodor.

Verſ. 6.] Tollite Arcam fœderis, &c.

Quid incluſum fuerit in Arca fœderis tempore Ioſue?

C

ANNOTATIO IIII.

1. MVLTVM diúque à viris doctis dubitatum eſt, an præter legis tabulas, aliquid fuerit in Arca fœderis? Nam legis tabulas ibi fuiſſe nemo ambigit. Torquet igitur ingenia, duorum locorum ſacræ ſcripturæ auctoritas quæ, vt concilientur, Delio, vt dicitur opus eſt natatore. Vnus locus habetur 3. Reg. 8. Sic enim ait. *In Arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuit in ea Moſes in Oreb.* Idem refertur 2. Parilip. cap. 5. & traditur à Ioſepho 8. D Antiquit. cap. 4. *Habuit*, inquit, *Arca nihil aliud, quàm duas tabulas lapideas quæ decem verba à Deo Moſi dicta in monte Sina, ſcripta retinebant*, &c. Alter locus eſt in epiſtola ad Hebræos cap. 9. de cuius auctoritate nemini licèt dubitare poſt decretum concilij Trid. ſeſſ. 4. vbi agit de canonicis ſcripturis. Pauli verba ſunt. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens Manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti ſuperque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium*, &c. Variæ igitur ſunt interpretum, & aliorum doctorum E huius loci expoſitiones, ne videatur ab illo diſſentire qui habetur 3. Reg. 8. Prima eſt Theophylacti aſſerentis, tempore quidem Salomonis, ſolas fuiſſe intra Arcam tabulas legis, tempore verò Pauli hæc etiam incluſa eſſe, ſiue id factum ſit, vt ille putat, Hieremiæ Arcam abſcondentis ætate ſiue, vt Canus ſuſpicatur lib. 2. de locis cap. 1. ad 7. alio tempore, ſacerdotibus, vrnam & virgam, vt melius conſeruarentur, ſponte intrà includentibus. Secunda eſt D. Thomæ: arbitratur ille, dici duas tabulas legis ſolùm includi, non quia vrna & virga ibi non eſſent, ſed quia Arca ad legem ſeruandam potiſſimùm fabricata eſt.

Arca nihil continebat præter tabulas legis.

3. Reg. 8.

2. Paral. 5. Ioſephus.

Conc. Trid. ſeſſ. 4.

Ad Hebr. 9. quid Paulus de Arca.

3. Reg. 8. *Prima interpretatio Theophilacti.*

Secunda, D. Thom.

1. Lyra. 3. Reg. 8. Abulenſ. Caietanus.

2. Tertia, eſt Lyrani, 3. Reg. 8. Abulenſis ibidē q. 6. Caiet. in Paulum, & aliorum aſſeuerantium, virgam & vrnam, in quodam ſinuoſo loco eſſe, qui erat lateri coniunctus, non autem intra, quēadmodum & volumen Deuteronomij, de quo ait Moſes, Deut. 31. *Tollite librum iſtum & ponite eum in latere arcæ fœderis*, &c.

Refutatur opinio aſſerentium intra arcam, aut in illius latere fuiſſe virgam, vrnam, &c. Theophyl. Canus. D. Thom. Lyranus.

Hæ tamen interpretationes, prẹterquàm quòd ſcripturæ careant authoritate; nihil habent rationi conſentaneum, & quidem Theophilacti, & Cani expoſitio, excogitata eſt magis ad difficultatis vim defugiendam; quàm illuſtrandam. Quis enim Theophilacto, aut Cano, id quod volunt accidiſſe dixit? præſertim cùm probabilior opinio ſit, vt infrà Annot. 5. dicendum eſt, arcam à Hieremia incluſam in ſpelunca; nunquam inuentam fuiſſe. Nec D. Thomæ ſatisfacit interpretatio; ſi enim vrna & virga intra arcam, quomodo verè dici potuit, in ea nihil aliud eſſe niſi duas tabulas lapideas. Etſi demus arcam potiſſimum factam ad tabulas conſeruandas: Quod verò Lyra & alij de lateris arcæ loculo comminiſcuntur, id profectò, fictitium eſt, cùm nuſquam de loculo ad latus arcæ appoſito, ad has res conſeruandas ſermo ſit, aut mentio aliqua.

Probabilior opinio ad conciliādum D. Pauli locum, cum alia ſcriptura Vera interpretatio. Catharinus. In arca fuit vrna, virga, &c. tempore Moſis, & Ioſue.

3. Longè mihi, ad conciliandos hos locos, probabilior viſa eſt Ambroſij Catharini ſententia, lib. 1. Annotationum in Caietanum, & in libello de Clauibus ſcripturæ Claue 2. aſſerit námque hæc omnia, quæ à Paulo commemorantur fuiſſe in arca tempore Möſis, & vt ego puto, etiam Ioſue, & aliquorum iudicum, qui poſt mortem Ioſue, populo præfuerunt: cæterùm, cùm à Salomone templum dedicatum fuit, lapideas tantum tabulas in ea fuiſſe. Cùm ergo Paulus, vt compertum eſt ex ipſo contextu, ſolùm loquatur de tabernaculo mobili, hoc eſt, de tempore, quo tabernaculum per deſertum, & alia itinera portabatur; nullo modo, aduerſatur auctoritati lib. 3. Reg. cap. 8. in qua dicitur, tempore Salomonis, nihil præter duas tabulas teſtimonij in arca contineri.

D. Paulus ad Hebr. 9. agit de tabernaculo mobili.

σκηνὴ, ſcena vel tabernaculum.

4. Quod autem aliqui aiunt, à Paulo non dici hæc fuiſſe in arca, ſed in tabernaculo, quod apud Græcos eſt fœminini generis, id eſt, σκηνὴ, non eſt veriſimile; cùm relatiuum, *in qua*, rectiùs ad propinquum, *Arca* nomen, quàm ad remotam *tabernaculi*, ſiue *ſcena* vocem, referatur. Multus eſt in hac ſententia aſſerenda ex grammaticæ legibus in ſcriptura ſæpè prætermiſſis, quidam vir doctus noſtræ ætatis, Opuſc de templo lib. 2. cap. 2. Mihi tamen Catharini planior viſa eſt interpretatio, & ad mentem Apoſtoli magis idonea; Is enim præter id, quod diximus, rectè Caietanum ſugillat in commentariis ſuper cap. 9. epiſtolæ ad Hebræos, quod ita ſcribat aduerſus authorem prædictæ epiſtolæ, quem exiſtimat non fuiſſe Apoſtolum, vt ei omnem prorſus adimat canonicam authoritatem. *In nullo*, inquit, *habetur ſcripturæ loco, thuribulum aureum fuiſſe in ſancta ſanctorum; nec vrnam in arca, quæ haberet Manna, & virgam illam Aaron; imò verò tantum abeſt, vt hoc ſit in ſcripturis, vt etiam oppoſitum legatur nimirum*, 3. Reg. 8. *vbi habetur in arca nihil eſſe repertum, niſi tabulas teſtamenti. Quare*, inquit, *iſte textus, vt ſonat, manifeſtè contradicit ſacræ ſcripturæ. Nam ſonat abſque vlla differentia modi, hæc tria eſſe in arca: quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, hæc tria ſcilicet, tabulas, vrnam & virgam eſſe in arca.* Deinde addit. *Fortè tamen authorem huius epiſtolæ fefellit intelligentia ſcripturæ*, Exod. 16. *de Phiala manna & Num.* 17. *de virga quæ fronduerat. Mandatur enim de his, vt ſeruentur coram teſtimonio Domini. Ex his enim fortè credidit hæc in arca ſeruari*, &c. Rectè igitur Catharinus, Caietanum arguit. Primùm quod authorem epiſtolæ illius, non ſolùm non veneretur, vt Apoſtolum, ſed etiam reprehendat vt imperitum. Id enim etiam ante Concil. Trident. malè audiebat in Eccleſia. Secundò, quod thuribulum negauerit eſſe in ſanctis ſanctorum, cum nullibi decentiùs potuerit collocari, vt præſtò ad vſum eſſet. Nec mirandum eſſe ait, quod Paulus aliquid dixerit, quod non ſit in ſcriptura. Nunquid lapſus eſt cum 2. ad Tim. 3. dixit. *Quemadmodum Iannes, & Mambres reſtiterunt Moſi?* &c. Hoc enim non habetur in ſcripturis: in hac tamen cenſura non placet Catharinus, ſi ſtabilem & perpetuam thuribuli ſedem facit ſancta ſanctorum. Cur enim collocari in templo interiori tantùm debuit thuribulum? Nec placet etiam altare thymiamatis intelligere nomine thuribuli aurei, quamuis multis id probet Abulenſ. q. 16. in cap. 6. lib. 3. Regum ſecutus fortaſſe Origenem hom. 9. in Exodum, quem ſequitur Ribera ſuper 9. cap. epiſt. ad Hebræos. Nam thuribulum, mobile erat ad ſuffitus nunc in ara incenſi, iam intra ſancta ſanctorum faciendos: Altare verò incenſi non ita facilè poterat moueri. Vnde ſi locum thuribuli quæras, ſanè illud repoſitum dixerim aliquando extrà ſancta ſanctorum, vt inſeruiret altari incenſi, aliquando verò intra, vt vſui eſſet ſuffitui, quem faciebat Pontifex ingrediens ſemel in anno ſancta ſanctorum. Nec verò oportet ſollicitos nos eſſe qua potiſſimùm ſeruaretur in parte. Paulus enim ſolùm ait, Tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habere thuribulum ad vſum videlicet ſuffitus, ſiue illud intra, ſiue extra pro commoditate miniſterij ſeruaretur. Nec indecēs erat illi locus extra adytum templi, ſi aliquando extra reponeretur. Habebat ergo thuribulum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, tanquam rem ad ſe pertinentem. Sed de his copioſiùs agemus in commentariis epiſtolæ ad Hebræos: vbi explicabimus Æcumenium, & Augu. q. 133. in Exodum, dicentes, in ſanctis ſanctorum fuiſſe altare incenſi, quod Græcè dicitur, θυμίατήριον, hoc eſt, ara ſuffimigatoria.

Caietani opinio epiſtolā ad Hebraos canonicā eſſe negantis, refellitur.

3. Reg. 8.

Exod. 16.

Num. 17.

Non rectè Caiet. authorem epiſt. ad Hebr. vt imperitum, notat.

2. Tim. 3. Iannes & Mābres Magi.

Thuribuli nomine, non debet intelligi altare thymiamatis. Abulenſis. Origenes. Ribera.

Thuribulū, aliquando erat intra ſancta ſanctorum: aliquā do extra.

Aecumenius. Auguſt.

Suffimigatoria ara.

Tertiò, carpit Caietanū, quod ex eo, quod dicatur manna ſeruatum (idem iudicium eſt de virga) iuſſu Domini coram teſtimonio, colligat illud non ſeruari intra arcam teſtimonij, cum ex loco Apoſtoli ſi ea res dubia eſſet; explicare debuiſſet ſcripturam, ſi alibi obſcurè loqueretur.

3. Reg 8. Hebr. 9. Tempore Salomonis duæ ſolùm in arca erant tabulæ legis: ante illius tempora fuit in ea vrna, virga, &c.

5. Non eſt igitur, cur dubitemus de modo conciliandi, duos ſcripturæ locos, quos initio retulimus. Quamuis enim tempore Salomonis, vt dicitur, 3. Reg. 8. nihil in arca fuerit, præter tabulas legis; tamen aliquando intra eam fuiſſe, quæ à Paulo cap. 9. epiſtolæ ad Hebræos commemorantur, haud dubito. Et quidem Caietanus qui in cæteris nobis videtur aduerſari, in hoc fauet; quia enarrans hæc verba, *In qua vrna aurea habens manna*, &c. *Iſte textus*, inquit, *ſonat abſque vlla differentia modi hæc tria eſſe in arca, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, hæc tria eſſe in arca.* Hæc Caietanus qui ſe literalis ſenſus ſcrutatorem meritò profitetur. Vnde ſi ille, epiſtolæ authoritati venerationem, quam nos deferimus detuliſſet tria illa, aliquando in arca fuiſſe, ne vim afferret ſcripturæ, nobiſcum affirmaret.

Quæris quando-nam hæc fuerint intra arcam? Dicam: tempore Moſis in deſerto, & poſt illius mortem, quando à Ioſue mandatum eſt ſacerdotibus, vt arcam humeris impoſitam, ad Iordanis tranſitum, & ad obſidionem Hiericho, populo ſequenti,oſtentarent,& deinceps fortaſſe per aliquot annos,donec miraculum conſeruandi manna, & virgam ſine corruptione vtile fuit illi populo. Decem verba legis conſeruari decens fuit in lapidibus, & intra arcam auream, ſaltem per annorum chiliadem. Moralia námque præcepta continebant ſemper duratura. Manna verò & virga cum figuræ eſſent,& vmbræ;appropinquante rei figuratæ, & lucis tempore, corrumpi, permiſſa ſunt. Ne quis his rebus potiùs, quàm tabulis teſtimonij promiſſionum diuinarum impletionem aſcriberet. Imò & arca ipſa, poſtquam lex, cuius cauſa, illa fabricata eſt, hominum memoriç ſatis commendata fuit,occultari Deus voluit in ſpelunca, in qua Moſes eſt mortuus. Ne, poſt captiuitatem Babylonicam,ad Moſen & arcam fœderis ſed ad verum Meſſiam, illiúſq; Matrem,quæ vera Dei arca fuit,ſuſpirarent;animóſque præpararent ad legem gratiæ, quæ non terram Chanaan, ſed cæleſtem patriam promitteret, excipiendam. Omnis cultus & reuerentia, quam Cherubim deferebant Deo, & arcæ geſtu ipſo,quo ſupra propitiatorium extabant, eam ſignificat demiſſionem,qua faciem Dei tectam humanitate in Chriſto,& per 9.menſes in vtero virginis abſconditam, colere & adorare decet. Vnde Greg. Niſſ. in enarratione vitæ Moſeos. *Cherubim, inquit, illa materialia ſuis alis tegebant myſteria,quæ in arca erant, vt litera dicit. Nam id nomen ijs Angelis attribuitur,vt Iſaias, & Ezechiel aiunt, qui circa diuinam maieſtatem inſpiciuntur. Arca verò fœderis alis ipſorum Cherubim contecta, hic illud dicitur quod apud Iſaiam facie ſignificatur. Nam vt arca hic, ita ibi facies Cherubicis alis contegi affirmatur.* Hæc Nyſſenus.

Decens fuit, vt in arca conſeruarentur præcepta legis, longo tempore, Manna vero & virga,non item.

Arca abſcondita eſt Deo prouidente in ſpelunca, ne Iudæi ad illã ſemper hiarent; ſed vt ad veram Dei arcam,id eſt,Virginem oſculandam pararent.

Cherubim myſteria Chriſti in typo venerantur.

Greg. Nyſſ.

Facies Dei, eſt Chriſti humanitas quæ etiam arca myſtica dicitur.

6. Quæres,an Deuteronomium fuerit in arca. Plerique omnes eruditione clari affirmant, ducti authoritate, Deut. 31. vbi dicitur: *Poſtquam ergò ſcripſit Moſes verba legis huius in volumine atque compleuit,præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini,dicens: Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis*, &c. Nam, vel latus arcæ interius oportet intelligere,vel exterius, ita tamen, vt loculus aſſeruando volumini aptus redderetur, & cum arca moueretur. Nam quod Ribera ait, repoſitum fuiſſe extrà, ſed prope arcam (in Opuſc.citato cap.2.lib.2.)non videtur ſatis congruere cum ſignificatione particulæ Hebraicæ, מצד *miſſad*.hoc eſt,à latere,ſiue in latere. Ea enim coniuncta cum præcedenti,& ſequenti oratione, cogit interiùs aut exterius,adhęrentem lateri poſitionem intelligere. Parum autem refert, hoc volumen poſtea ex arca tranſlatum fuiſſe in theſaurorum locum templo ædificato, vt plerique colligunt ex 2.Paral.34. vbi ſcriptum eſt. *Cumq; efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini,reperit Helcias ſacerdos*,ſcilicet Magnus,*librum legis Domini per manum Moſi, & ait ad Saphan ſcribam,librum legis inueni in domo Domini*,&c. Potuit námque ea libri à ſuo loco tranſlatio fieri, vel caſu, vel conſilio, vt in longo tempore accidere ſolet, & Ioſiæ Regis tempore inueniri extra arcam: ſanè licet id demus (nec enim admodum certum eſt, id volumen Deuteronomium fuiſſe) tamen tempore, quo arca tranſiit Iordanem liber

Liber Deuteronomij in latere arcæ

Deut 31.

Deuteronomium lateri arcæ coniungebatur.

2. Paral 34.

Ioſiæ Regis tempore liber Deuteronomij erat in domo theſaurorum

Deuteronomij cum illa coniunctus fuit, aut etiam intra illum, quod nunc magis placet. Deus enim,vt ille liber magnificaretur,voluit, vt ea veneratione coleretur,quæ ſumma tunc erat,ob ſignificationem ſecundæ legis, hoc eſt gratiæ, quam adumbrabat.

Verſ.6.] Tollite arcam fœderis, & præcedite populum.

Fueritne hæc ipſa arca,quam Ioſue præcedere iuſſit in primo & ſecundo templo collocata?

ANNOTATIO V.

1. NEMINI dubitare licet, hanc ipſam arcam, de qua hîc eſt ſermo, collocatam fuiſſe in Salomonis templo, quod primum dicitur. Id enim ex 3.Reg.8. manifeſtum eſt. Manſit autem in templo hoc, quandiu illud ſtetit vectibus extra oraculum ita prominentibus, vt ab iis, qui prope eſſent, velo cooperti videri poſſent. Poſtquam verò templum à Chaldæis dirutum eſt,& Iudæi Babylonem abducti in captiuitatem, Hieremias, vt legitur 2. Mach. 2. tabernaculum Moſis & arcam exportatam in montem Nebo, è quo Moſes promiſſam terram, quam ingreſſurus non erat, proſpexit ac ſalutauit, in ſpelunca cum altari thymiamatis occultauit, & oſtium obſtruxit,ne ab hoſtibus caperetur.

Arca fœderis a Moſe fabricata in templo primo collocata fuit.

2. Mach. 2.

2. Fueritne arca eadem in.2.templo, quod poſt Babylonicam captiuitatem ædificatum fuit; id demum, non ita facilè oſtendi poteſt. Prophetia quidem Hieremiæ abſcondentis arcam contra ſacerdotes qui notare locum occultationis voluerunt,ſic habet 2.Mach.2. *Vt autem*, inquit, *cognouit Hieremias, culpans illos, dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus oſtendet hæc, & apparebit maieſtas Domini, & nubes erit. ſicut & Moſi manifeſtabatur* &c. Hoc vaticinium quidam impletum fuiſſe,negant,vt Dorotheus Martyr, & Epiſcopus Tyri in ſynopſi de vita ac morte prophetarum. Et Epiphanius in libello,de prophetarum vita,& interitu, in vita Hieremiæ: affirmat enim arcam ab eo abſconditam, deuoratam fuiſſe à petra,neque apparituram, aut inde exituram, vſque ad ſeculi finem. Negant etiam in eundem locum Lyra, & Dyoniſ. Carthuſ. & poſt illos Genebr. lib 2. ſuæ Chronographiæ: ſic enim ait, anno mundi 3690. *Arcam, priori ſimilem in templo à ſe ædificato Iudæi dedicarunt. Nam prior à Moſe ædificata ita fuit abſcondita à Hieremia, vt nunquam reperta ſit; vtique Epiph. & Trad. Hebr.*

Fueritne eadem in ſecundo templo dubium eſt.

2. Mach. 2.

Dorotheus.

Epiphanius.

Arca deuorata fuit a Petra, Epiph.

Lyranus. Carthuſianus. Genebrardus.

3. Alij probabile putant, poſt exitum è captiuitate Babylonica manifeſtatam fuiſſe, & in locum ſuum reſtitutam, in quibus eſt Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ in cap. 3. Iudith. & Canus lib. 2.de locis Theol. cap. 11. quibus accedit Ribera noſter. ſuper cap. 1. Aggæi prophetæ,referens Canum,& Magiſtrum hiſtoriæ, qui tamen dubitant fueritne tunc inuenta arca, an potiùs manifeſtanda ſit in fine ſeculi, quando, ſcilicet. Iudæi conuertentur. Cum enim lib. 2. Mach. canonicus ſit, & Hieremias dixerit; *Ignotus erit hic locus,*

Magiſter hiſt. ſchol. & Canus putant, arcam fuiſſe inuentam poſt captiuitatem Babylonicam.

donec Deus congreget congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus oſtendet hæc, &c. conſequens videtur eſſe, vt ea, aut ſoluta captiuitate 70. annorum, aut in fine ſaltem ſeculi impleatur. Non tamen video locum in ſacra ſcriptura, ex quo colligi poſſit, fuiſſe Arcam inuẽtam poſt Babylonicam captiuitatem. Nec verò idoneam aliquis aſſignabit cauſam, cur in fine mundi congregatis ad fidem Iudæis, Arca appareat. An, vt Iudaiſmi recordentur? Exiſtimo profectò eam non à Iudæis fuiſſe inuentam, ſi inuenta fortè fuit, ſed ab alijs gentibus, atque in laminas, vaſa & numiſmata aurea, Deo id permittente diſſectam, licet id monumentis non inueniatur conſignatum. Multa enim id ætatis euenerunt quæ nec à profanis, nec à ſacris ſcriptoribus prodita ſunt. Et quidem ſicut corpus Moſis Deus ab oculis Iudæorum, ita & Arcam fœderis ſubtraxit ob Idololatriæ periculum, & vt paratiores eſſent ad Meſſiæ doctrinam, ſublato oraculo Moſaico, recipiendam. Nam ipſe Hieremias cap. 3. nullam aliquando Iudæis futuram memoriam Arcæ fœderis, potiſſimùm tempore noui teſtamenti, vaticinatus eſt. *Cùmque multiplicati*, inquit, *fueritis, & creueritis in terra, in diebus illis ait Dominus, non dicent vltrà, Arca teſtamenti Domini, nec aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius, nec viſitabitur, nec fiet vltrà*, &c. Atqui Hieremiæ prophetiam impletam eſſe Chriſti aduentu, non dubito, dum abſconditam ait fore Arcam, & locum illius ignotum donec Deus congreget populum ſuum. Particula enim, *donec*, interdum ſignificat aliquid quod deinceps non eſt aliter futurum, ſicut cùm dictum eſt de Ioſeph ſponſo Virginis, *& non cognouit eam, donec peperit*, &c. particula enim, *donec*, non ſignificat poſt partum Ioſeph cognouiſſe vxorem ſuam (vt annotauit Hieronym.) Congregauit autem Chriſtus Meſſias populum ſuum in lege gratiæ, & in nube lucida gloriam ſuam manifeſtauit, cui interfuit Moſes. Nullam autem fuiſſe Arcam fœderis in templo Chriſti ætate, multa probant. Sanè Ioſephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. apertè teſtatur ſuo tempore, & in ipſa templi euerſione, nihil fuiſſe in ſancto ſanctorũ. *Intima*, inquit, *tẽpli pars, viginti cubitorum erat, diſcernebatur autem ſimiliter velo ab exteriore, nihilque prorſus in ea erat poſitum, inacceſſa verò, & inuiolata, & inuiſibilis omnibus habebatur, ſanctique ſanctum vocabatur.* Hæc ille vnde conſtat, cùm capta eſt Hieroſolyma à Tito, nullam fuiſſe Arcam in templo. Quid, quod Genebrardus loco citato, ſecutus Thalmud, affirmauit quod multi negant, loco Arcæ, Iudæos lapidem adhibuiſſe tres digitos à terra prominentem, & ſuprà impoſitum habentem thuribulum. Quare lapſus eſt Petrus Comeſtor definiens in hiſtoria Iudith cap. 3. tempore Titi fuiſſe in tẽplo Arcam, & inter ſpolia abductam à Romanis, cum menſa aurea, & candelabro. Imò in hiſtoria lib. Exod. cap. 46. ſeruari Arcam Romæ docet in templo Lateranenſi, quem optimè confutat Abulenſ. q. 14. in cap. 25. Exodi. Quod autem in arcu triumphali Titi, qui hodie Romæ cum integra inſcriptione extat, Arca portari videtur in triumpho. Ea ſculptura non Arca eſt, ſed menſa aurea, cuius mentionem fecit Ioſephus lib. 7. de bello, cap. 24. *Spolia* (inquit ille totius pompæ ſpectator) alia quidem paſſim ferebantur, *eminebant autem ea, quæ apud Hieroſolymam in templo reperta ſunt. menſa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum*

Non conſtat ex ſcriptura arcam fuiſſe inuentam.

In fine mundi non videtur arca Iudæis in [illegible] addenda.

Et Moſen, & arcam amouit Deus ab oculis Iudæorum vt de lege gratiæ cogitarent.

Hierem. 3.

Matt. 1.

Chriſti ætate, non fuiſſe in templo arcam fœderis, probabile eſt.

Ioſephus [illegible] nihil ſua ætate in [illegible] ſancto. [illegible] poſitum fuiſſe.

Genebr. ex Thalmud tradit in [illegible] vbi arca [illegible] lapidem fuiſſe [illegible] thuribulũ.

Magiſt. hiſt. ſch.

Titum non tuliſſe Arcam inter ſpolia.

Abulenſ.

In arcu triumphali Titi non [illegible] videtur, [illegible] menſa aurea.

Ioſephus.

[illegible] verba Ioſephi in triumpho Titi, [illegible] non fuiſſe [illegible].

A *ſimiliter quidem auro factum. Poſt hæc autem portabatur lex Iudæorum nouiſſima ſpoliorum*, &c.

4. Ex dictis colligo, Arcam fœderis, quam Ioſue præcedere iuſſit populum in tranſitu Iordanis, conſeruatam fuiſſe, vſque ad tempora captiuitatis Babylonicæ, & inuentam quidem fuiſſe non tamen à Iudæis, iuxta prophetiam Hieremiæ (ſi enim ab illis fuiſſet inuenta, cur id ſacra ſubticeret hiſtoria?) ſed ab alijs gentibus ante tempora Antiochi, quæ illius aurum magni fecerunt, & vt ſolet fieri, inuentores tantæ prædæ, facta auri inter ſe diuiſione, myſterium & religionem Arcæ cùm ethnici eſſent, non requiſiuerunt.

B Quod autem Ribera noſter ſuper cap. 1. Aggæi prophetæ ſuſpicatur Arcam ab impio Antiocho fuiſſe à templo, cum altari aureo, candelabro luminis, menſa propoſitionis, libatorijs, & phialis, atque vniuerſis vaſis, vt dicitur 1. Machab. 1. ſublatam, cùm ſcripturæ Arcæ, quæ potiſſima erat templi pars, non meminerit, non eſt cur ea ſuſpicio locum habere debeat. Cur enim facta mentione rerum minorum, id quod potiſſimum erat, ſilentio inuolueret? Num ne recentis plagæ recordatione moleſtiam gigneret lectori? At, id quàm leue eſt. Num ſiluit ſcriptura captam olim à Philiſtæis? Iam de Pompeio ingredienti

C templum, quod eam abſtulerit, nulla ſuſpicio eſt. Relinquitur ergò id quod aſſeruimus, probabile admodum eſſe, vbi coniecturæ aliud non ſuadent. Detrimenta debuiſſent Iudæi Arcæ fœderis, & reliquorum antiquæ legis ornamentorum æqui boníque facere, ſi horum ceſſatio viam aperuit venturo Meſſiæ, auláque vacua, hoc eſt, ſanctum ſanctorum illi relinquebatur, vt reuera accidit. Damna ciuilium bellorum Lucanus bene interpretatus eſt, cogitans ea viam aperuiſſe Neroni, qui initio regni bonus fuit princeps.

5. Quid quod Hebræi eruditiores tradunt, inter quinque res, quæ in ſecundo templo deerant,

D primum locum habere Arcam? Quinque res ita enumerant, Arcam, vrim & thumim, quæ erant in rationali ſummi ſacerdotis, Ignem cœleſtem, præſentiam diuinam, hoc eſt Dei gloriam quæ aliquoties in ſancta ſanctorum coruſcabat inter duos Cherubinos, & ſpiritum propheticum, ſplendores etiam ceſſarunt. De quarerta Ioſephus 3. antiq. cap. 9. *Ex lapillis, quos Pontifex in humeris geſtabat ſardonyches erant (quorum naturam, nulli non notam, narrare, ſuperuacuum puto) Micabat alter, quoties litaturus eſſet, is qui dextrum humerorum occupabat, tantúmque fulgorem emittebat, vt procul etiam intuentibus conſpiceretur. idque præter natu-*

E *ram ſuam, & conſuetudinem*, &c. Vide Galatinum lib. 4. de Arcanis catholicæ veritatis cap. 9. vbi enarrans verba capitis 1. Aggæi *Aſcendite in montem & afferte lignum, & ædificate domum*, &c. colligit ex Hebræorum dictis ſignificari in ſonte quinque res in quibus ſanctuarium vltimum fuit a primo diminutum, videlicet, ignem, Arcam, vrim, & thumim, id eſt lumina, & ſimplicitates, hoc eſt rationale iudicij, Oleum vnctionis, & Spiritum ſanctum. Itaque conſentiunt Rabbini in ſecundo ſanctuario, non fuiſſe Arcam. Traditio enim eſt quod ex quo abſciſſa eſt arca, abſciſſa eſt etiam cum ea vrna mannæ, & lenticula olei vnctionis & virga Aaron & amigdalæ eius, capella, quam miſerant Philiſtæi munus Deo Iſraël, 1. Reg. 6. *& omnia vaſa quæ reddidiſtis ei pro delicto, ponite in capſella ad latus eius.* Cùm ergo Aggæus dicat gloriam domus ſecundæ, maiorem

Aggæus.

1. Mac 1.

Cùm inter ſpolia rapta ab Antiocho arca non fiat mentio, ſignum eſt tam tunc in templo non fuiſſe.

Arca, & reliqua ornamenta veteris legis ſublata ſunt, vt aula venturo Meſſiæ vacua relinqueretur.

Lucan. lib. 1.

Quinque res deſiciunt in ſecundo templo, Arca, &c.

Ioſephus.

Duo Onychini lapides ex humeris ſummi ſacerdotis coruſcabant.

Galatinus.

Secundum templum præſtat primo ob præſentiam verbi carnem facti.

Prochetus.

fore quàm primæ ſanè cùm prima tot rebus excelluerit ſecundæ. In eo ſecunda honoratior futura prædicitur duntaxat;quod Meſſiam præſentem exeipiet. Vide etiam Prochetum in prima parte victoriæ aduerſus Hebræos cap. 7. Cùm autem res tam inſignes defuerint in ſecundo templo, minorem dicunt Hebræi illius fuiſſe gloriam,quàm primi à Salomone conditi. Verane ſint quæ Hebræi Thalmudici dicunt, non diſputo, illud ſatis eſt ad inſtitutum noſtrum confirmandum, quod Arcam affirmant in ſecundo templo non fuiſſe.

Arcam fœderis manifeſtandam in fine mundi, Iudæis conuerſis, aliqui putant.

6. Sunt qui dicant, manifeſtandam eſſe Arcam, quæ poſtquàm abſcondita fuit à Hieremia, nuſquam Iudæis apparuerit,ad finem ſeculi; admittentibus Iudæis ob prædicationē Eliæ, & Enoch Chriſti fidem,vt certiùs cognoſcant ſe credendo in Chriſtum veteres Patriarchas imitari, veróſque eſſe Moſis diſcipulos, cùm viderint Hieremiæ prophetiam ſuo tempore impletam, ſeque arca patiri, qua diu maiores illorum coruerunt, Vide Rib. loco indicato. Nobis in re non adeò certa, id quod diximus, probabilius videtur.

Verſ. 7.] Hodie incipiam exaltare te, coram omni Iſraël.

An Dominus immediatè locutus fuerit cum Ioſue dicens, Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſraël, *&c. Et qualis promittatur exaltatio.*

ANNOTATIO VI.

1. EXISTIMABIT aliquis forte, Deum perEleazarum hîc locutum fuiſſe cum Ioſue,quippe cum Num. 27. dicatur. *Pro hoc*, ſcilicet, Ioſue, *ſiquid agendum fuerit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum*, &c. Nihilominus dicendum eſt, Deum oraculum hoc reddidiſſe abſque Eleazaro. Is enim datus fuit, cum ſacerdos eſſet ſummus vt ingrederetur ſancta ſanctorum, quoties Ioſue vellet in rebus dubijs diuinum reſponſum audire. Non enim poterat Ioſue ad conſulendum Dominum, ingredi ſanctuarium, nec applicito Ephod, & rationali,diuinam exquirere voluntatem. Vno igitur è duobus modis, Deus Ioſue alloquebatur. Aut per modum ſimplicis enuntiationis. Aut per modum reſponſi, ad propoſitam interrogationem redditi & quidem primo modo loquebatur Deus ad Ioſue,vt Dominus qui quotieſlibet, ſeruum alloquitur, non per Eleazarum, ſed perſeipſum. Sic Deus infrà cap. 7. Ioſue nihil tale cogitantem, imò dolentem, coram Arca fœderis, quod Iſraël terga vertiſſet hoſtibus, ita alloquitur. *Surge,cur iaces pronus? peccauit Iſraël*,&c. Secundo verò modo,hoc eſt,per modum reſponſi, interueniebat Eleazarus, qui audita oracula, Ioſue enuntiabat.Hinc patet quanti facere debemus ſacerdotes, qui nobis, quaſi diuinæ voluntatis interpretes, ſunt à Deo, aſſignati. Licet enim Deus plerumque ſeruis ſuis quid velit, interiùs ſignificet, tamen ſerui ipſi,ſi voluntatem diuinam exquirere in re dubia volunt,reſponſa à ſacerdotibus petant, quibus Deus quaſi ex oraculo præſto eſt.

Ioſue non poterat ingredi ſanctuarium.

Loquebatur Deus cum Ioſue, vt cum ſeruo ſuo, cum ſacerdote vero aliter. Ioſue. 7.

Sacerdotes ſunt interpretes diuinæ voluntatis.

Moſes, non per ſacerdotem ſed per ſe Deum cōſulebat & ingrediebatur tabernaculum.

Hinc etiam colligitur, in eo excelluiſſe Moſem,ſuperiorémque fuiſſe noſtro Ioſue,quod ille nihil à Deo per ſacerdotem ſciſcitabatur; Quidquid enim ſciſcitari voluit in ſancta ſanctorum ingreſſus, proponebat. Non ſemel in anno tantùm, vt ſummi ſacerdotes Leuit. 16. & ad Hebr. 9. ſed quoties collibuiſſet. Id verò Ioſue non licuit, atque idcircò ad exquirenda reſponſa, Eleazarus conſultor illi eſt deſtinatus. Leuit. 16. Hebr. 9.

Philo Iudæus. Quatuor principi neceſſaria, vt optimus ſit. Moſes fuit ſacerdos.

2. Cauſam, cur licuerit Moſi ingredi quoties vellet in ſancta ſanctorum præter prærogatiuam ipſi,quia primus dux fuit Iſraëlitarum,conceſſiam diuinitus, illam etiam reddere poſſumus, quia vt Philo Iudæus ait lib. 3. vitæ Moſis quatuor ei res inerant, quas oportet abſoluto principi adeſſe, nempe regnum, legum ferendarum ius,ſacerdotium,& vaticinium,vt tamquā legiſlator vetaret, ac iuberet, tánquam ſacerdos,non ſolùm humana ſed etiam diuina adminiſtraret negotia, tanquam propheta quidquid intellectu non perciperet, diſceret ex oraculis. Agit prædict. Philo in principio lib. 3. de ſacerdotio, & pontificatu Moſis. Sic enim ait, *Id aſſecutus eſt, vt inter raros amicos Dei cenſeretur, totus correptus rerum amore cæleſtium,& ſicut ipſe omnipotentis Regis inſignis cultor extitit, ſic ab ipſo honoratus præ cæteris, Eſt autē honor ſapienti conueniens, colere illum, qui verè eſt: quæ profeſſio habetur ſacerdotij, ſcire quomodo Deus colendus ſit. Is honor contigit ei ex oraculis, vnde ceremonias, & omnes ritus religioſè didicit*, &c.

Ioſue quater exaltatus ante oraculum hodiernum. Exod. 17. Exod. 32.

3. Exaltatio autem,quæ hîc promittitur Ioſue, rogabis quo pacto verè prima dicatur? cum Ioſue aliquoties in deſerto, viuente adhuc Moſe fuerit exaltatus. Primùm namque ipſe vicit Amalechitas Exod. 17. ſecundò, aſcendit ſolus in montem cum Moſe, Exod. 24. & 32. tertiò, reuerſus cum exploratoribus, alijs pereuntibus, euaſit incolumis Num. 14. quartò,præcepit Deus vt eſſet totius populi princeps, cui Iſraëlitæ omnes, & ſummus etiam ſacerdos obediret. Num. 27. Num. 14. Num. 27.

Prima exaltatio Ioſue poſtquā dux eſſe cæpit.

4. Reſpondeo verè dici primam exaltationem Ioſue coram populo, eam, qua ille magni eſt æſtimatus, poſtquam ducis munere fungi cœpit, non tam ob initum magiſtratum (id enim non ſemper principem reddit venerabilem) quam ob opinionem virtutis, quam diuinum colloquium conciliabat apud populum, & factorum gloria, ita augebat, vt vel, vulgo iudice, multis principibus alijs præferendus videretur, iuxta illud. Iuuen. Saty. 8

Libera ſi dentur populo ſuffragia. Quis tam
Perditus:vt dubitet, Senecam præferre, Neroni.

Illa verò, quæ commemorantur in laudem Ioſue præceſſiſſe, non abſolutam continent gloriam, ſed magna ex parte communem illi cum Moſe, aut Moſi potiùs attribuendam. Nam in primo euentu Moſe manus eleuante ſuperabat Ioſue Amalechitas,deprimente verò vincebatur. In ſecundo Moſes aſcendit in caliginem montis ſolus, & locutus fuit cum Deo, Exod. 24. quem extra caliginem, tanquam illius miniſter Ioſue expectauit, deſcenſurus cum eo de monte,poſteà deſcendente cap. 32. In tertio par fuit laus Caleb, vterque enim cæteris in pœnam pereuntibus, ſuperuixit, Num. 14. & Ioſue 14. ſicut victoria de quinque Madianitarū Regibus reportata, quando ipſe & Phinees belli duces fuerunt,Num. 31. non magis ipſum, quàm imperij collegam, decorat. Exod. 17. Exod. 24. & 32. Num. 14. Num. 31.

corat. Quæ a item communia ſunt cum alijs, non A
dicuntur propriè exaltationes ſingulorum. In quarto ſola cernitur deſignatio, & electio ad futurum magiſtratum poſt Moſen obtinendum. Exaltatio igitur Ioſue, initium ſumpſit poſt adeptionem principatus; eamque Deus primùm in tranſitu Iordanis conſpicuam miraculo reddere volebat, ac propterea ait. *Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael*, &c. Vt deinceps populus non minùs illum, quàm olim Moſen miraculis coruſcantem, ſuſpiceret, ac veneraretur. Vnde Theod. q. 1. Hanc primam Ioſue exaltationem, præfiguraſſe ait, primam Chriſti. Vt enim in tranſitu Iordanis ille primùm exaltatur miraculo, ita Chriſtus baptiſmo, & voce de cœlo lapſa: B
Hic eſt filius meus, &c. *Sicut Ioſue*, inquit, *ex miraculo apud Iordanem edito innotuit eſſe vir à Deo dilectus. Ita* IESVS *noſter poſt ſuſceptum à Ioanne in Iordane baptiſmum doctrina, & miraculorum fecit initium.* Exaltatus porrò non eſt adeptus, quod priùs non habebat, ſed manifeſtatus Dei filius.

Deus Ioſue, initio magiſtratus miraculo conſpicuum reddere, vt à populo colatur. Theodoretus.

IN LIB. IOSVE

CAPITIS TERTII SECTIO II.

C

8. Tu autem præcipe ſacerdotibus,
qui portant arcam fœderis, & dic
eis: Cùm ingreſſi fueritis partem
9. aquæ Iordanis, ſtate in ea. Dixítque ad filios Iſrael: Accedite huc,
& audite verbum Domini Dei
10. veſtri, & rurſum; In hoc, inquit,
ſcietis, quod Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Cha- D
11. nanæum, &c. Ecce Arca fœderis
Domini omnis terræ, antecedet
12. vos per Iordanem. Parate duodecim viros de tribubus Iſrael,
13. ſingulos per ſingulas tribus. Et
cùm poſuerint veſtigia pedũ ſuorum ſacerdotes, qui portant Arcam, &c. in aquis, &c. Quæ inferiores ſunt, decurrent, atque E
deficient: quæ autem deſuper ve-
14. niunt in vna mole conſiſtent. Igitur egreſſus eſt populus, de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Ior-
15. danem. Et ſacerdotes, qui portabant Arcam fœderis ante eum.
Ingreſſíſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas aluei
ſui tempore meſſis impleuerat)
ſteterunt aquæ deſcendentes de
loco vno, & ad inſtar mõtis intumeſcentes apparebant, procul ab
vrbe quæ vocatur Adom, vſque
ad locum Sarthan: quæ autem
inferiores erant ad mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, vſquequo
17. omnino deficerent. Populus autem incedebat contra Hiericho:
& ſacerdotes, qui portabant Arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio accincti: omníſque populus per arentem alueum tranſibat.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Partem aquæ Iordanis:* finem aquæ. Pro, *Diſperdet*, Expellendo expellet. Pro, *Cùm poſuerint veſtigia pedum*, &c. Cùm requieuerint plantæ pedum Sacerdorum. Pro *Quæ autem deſuper veniunt, in vna mole conſiſtent.* Aquæ deſcendentes deſuper ſtabunt aceruo vno. Pro, *In parte aquarum tinctu.* Cùm intincti eſſent, *ſcilicet*, pedes in extremo aquarum. Pro, *Iordanis autem ripas aluei ſui*, &c. Iordanis autem repleuerat omnes ripas ſuas omnibus diebus meſſis. Pro, *Ad mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum.)* In mare ſolitudinis, mare ſalis conſumptæ ſunt. Prò, *Accincti*: Præparati, &c.

Aliter. Pro, *Aquæ, quæ deſuper veniũt in vna mole conſiſtent.* Aquæ Iordanis ſcindentur, & illæ, quæ ſupernè defluunt, conſiſtent, inſtar muri. Pro, *In parte aquarum tinctis*: ſcilicet, pedibus. Cùm tincti eſſent in prima parte aquarũ. Pro, *Iordanis autem ripas*, &c. Solet enim Iordanis ſuper omnes ripas ſuas cunctis diebus meſſis effundi, &c. Pro, *Ad inſtar montis*, Ad inſtar muri. Pro, *Mare mortuum.* Mare ſalis.

Sept. Interp.

70. *Interpr.* Pro, *Diſperdet.* ὀλοθρεύων ὀλοθρεύσει, hoc eſt, *Diſperdens diſperdes.* Pro, *In vna mole conſiſtent.* Stabit ſuprà, vt cumulus, *ſcilicet*, aqua deſcendens deſuper. Pro, *Iordanis autem*, &c. Ἰορδάνης δὲ ἐπληροῦτο καθ' ὅλην τὴν κρηπῖδα αὐτοῦ, hoc eſt, *Iordanis implebatur ſecundùm totam ripam.*

Explicatur Contextus.

Etſi ad Leuitas pertineret arcæ exportatio, ſacerdotibus tamē id officium datum eſt in tranſitu Iordanis.

1. PRÆCIPE *ſacerdotibus, qui portant Arcam fœderis, &c.*] Munus portandi arcam Leuitarum Chaathitarum erat vt patet ex cap. 4. Num. Sed ob rei magnitudinem, & miraculi ad præſentiam Arcæ patrandi maieſtatem, iuſſi ſunt ſacerdotes illam exportare in tranſitu Iordanis. Dicitur autem illis. *Cùm ingreſſi fueritis partem aquæ Iordanis, ſtate in ea*, in Hebr. perſpicuè ſignificatur ſiſtendum eſſe gradum in parte aquæ ripam, à qua progreſſuri ſunt ſacerdotes, radentis. Sic enim dicitur. Cùm ingreſſi fueritis vſque ad extremum aquæ Iordanis, in Iordane ſtabitis, &c. ſteterunt autem ſacerdotes donec aquæ Iordanis deſcendentes deficerent, & supernè allabentes in cumulum creſcerent. Quod abſque mora factum eſt, & ſacerdotes ad medium ſiccati fluminis alueum, ſtatim progreſſi ſunt.

2. *Dixitque Ioſue ad filios Iſrael, &c.*] Sacerdotibus de ſuo officio admonitis, ad populum conuertitur oratio. *Accedite*, inquit, *huc, & audite vocem Domini Dei veſtri. In hoc ſcietis, quod Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum*, &c. 70. ὀλοθρεύων ὀλοθρεύσει, hoc eſt diſperdens diſperdet, & omnino expellet gentes ſeptem. Vocat autem Deum El à fortitudine: Hanc enim exhibiturus eſt in debellandis Chananæis viuum autem appellat, siue Deum viuentem, propter Ethnicorum Deos, *qui manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt*, vt dicitur Pſalm. 113. atque adeo iuuare ſuos cultores non poſſunt. Deus ergo Iſraëlitarum, cùm ſit viuus, in conſpectu illorum diſperdet Chananæos de cœlo, inuoluens armis arma, viróſque viris. Vnde infrà cap. 10. *Miſit enim lapides grandes de cœlo, & plures perierunt lapidibus percuſſi quàm Iudæorum gladijs.* Diſperdet etiam illos formidine iniecta, ad ingreſſum námque populi Dei, territi hoſtes, fugerunt: alij victi ceciderunt.

El ſignificat Deum fortem.

Pſalm. 113.

Ioſue. 10.

3. *Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem, &c.*] Sapientiſſimè olim, in quacumque gente, Principes & duces Reip. alicuius; adminiſtrationis ſuæ & condendi iuris initia à religione ducenda cenſuerunt, vt Lycurgi, Solones, Numæ & omnium antiſtes veriſſimus Moſes. Hunc potiſſimum imitatur Ioſue, atque à religione, & cultu numinis ingreſſum & terram promiſſam, & imperij ſui primum negotium auſpicatur oſtenſa Arca fœderis. *Ecce*, &c. Significatur his verbis, Deum, qui in Arca illa colebatur, non ſolùm dominari in Iſraëlitas & Chananæos, ſed etiam in omnem terram. Cuius rei ſignum erit miraculum, quo ſacerdotibus veſtigio pedum aquas attingentibus Iordanis in duas diuidetur partes.

Duces olim, à religione, rerum gerendarum ſumpſere exordia, vt Moſes, & Ioſue.

Ioſue, primum negotium auſpicatur oſtenſa Arca.

Antecedet vos per Iordanem: hoc eſt vſque ad medium vbi Arca humeris ſacerdotum impoſita ſtetit, non autem vſque ad vlteriorem ripam, vbi enim peruentum eſt, ad mediam ſiccati aluei partem, Iſraëlitæ ceperunt Arcam præcedere.

4. *Parate duodecim viros, &c.*] In Hebr. *Tollite vobis duodecim viros, virum vnum, virum vnum per tribum, &c.* Præcipit Ioſue vt è ſingulis tribubus, ſinguli viri deligantur, vt comites ſint ſacerdotum Arcam exportantium, & è propinquo videant modum miraculi, & res omnes ſigillatim obſeruent. An prætereà illi aliquid ſint facturi, cap. ſequenti dicetur. Vbi etiam notabimus falli Abulenſ. dum exiſtimat hos ipſos electos fuiſſe ex tribubus ad tollendos lapides de alueo Iordanis.

Eliguntur viri, qui accurate miraculum teſtificari poſſint.

Abulenſ.

Et cùm poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes.] Alacrem reddit populum ad traiectionem Iordanis, miraculi promulgatione. Atque vt lætitia cumuletur, modum miraculi exprimit. Sic olim Deus in traiectione maris rubri non ſolùm populum anteà formidantem, alacrem reddidit, latiſſima in mari patefacta via, ſiccatóque vado, ſed etiam miraculi circunſtantijs, vt enim dicitur Sap. 19. Via graminea Iſraëli facta eſt. Sic enim habet contextus. *Terra arida apparuit, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Græcè χλοηφόρον πεδίον, id eſt, campus viridem herbam proferens. Vbi nihil per hyperbolem dictum eſt, vt Ianſenius putauit, neque per ſimilitudinem, vt vult Lyra, ſed ſecundùm proprietatem, vt rectè Pineda noſter interpretatus eſt eum locum, enarrans illa verba Iob cap. 26. *Gigantes gemunt ſub aquis.* Qui tamen nouum miraculum in productione herbarum non cogitat, ſed gramineam viriditatem præexiſtentem. Nos tamen eam viriditatem miraculo de profundo nimio repente productam credimus: imò addimus aliud, quod neceſſariò colligitur ex illis verbis. *Et in mari rubro via ſine impedimento.* Quomodo enim ſine impedimento via aperiri in mari potuit, ſi, vt Plinius ait, lib. 13. cap. 25. in mari rubro certum eſt, ſyluas virere, laurum maximè, & oliuam ferentem baccas. Fruticúmque ipſorum magnitudo, ternorum eſt cubitorum? ſanè Angelorum miniſterio arbuſculas illas, viã implicantes, remoueri oportuit, vt populus ſarcinulis onuſtus, & metu etiam à tergo inſequẽtium Ægyptiorũ retardatus, expeditè ad ripam optatam perueniret, Deíque benignitatem commendaret. Ioſue igitur memor præteriti miraculi, præſentis modum Hebræis prædicit, vt laudes concinant diuinas, lætique ac ſecuri proficiſcantur; ſimúlque intelligant quo loco habere debeant ſacerdotes: ſiquidem poſitis eorum in aqua veſtigijs via aperitur ad terram promiſſionis. Quid de noſtris dicendum eſt ſacerdotibus? qui vbi adſunt, maiora efficiunt miracula. Conſecrant enim, & abſoluunt, & ſacramenta, quibus non ad terram Chanaan, ſed ad cœlum via aperitur, adminiſtrant.

Sap. 19.

Via in mari rubro diuinitus facta, graminea fuit.

Ianſenius.

Lyranus.

Pineda.

Iob. 26.

Plinius.

Angeli viam ſine impedimento Iſraëlitis præparaunt.

Sacerdotum eſt viam aperire in cœlum.

5. *Igitur egreſſus eſt populus de taber. &c.*] Tinctis ſacerdotum pedibus in fluuio, diuiſæ ſunt ſtatim aquæ; Quarum tanta erat copia, vt ſupra ſtantes ripas cooperiret, idque non vno die, ſed omnibus diebus meſſis etiam hordeaceæ, vt annotauit Caiet. quæ triticeam anteuertit. Erat autem tunc tempus meſſis hordeaceæ, vt perſpicuum eſt, cum tranſitus hic in decimum inciderit primi

Caietanus.

Iordanis diuiſus eſt, cum aqua ſupra ripas effunderetur.

menſis diem. *Steterunt autem aquæ*, &c. *& ad inſtar montis intumeſcentes*, *&c.* Deſcribitur hic tumor aquarum ſuperiorum ad inſtar montis ſiue aceruí, aut cumuli in longum extenſi, & apparentis procul ab vrbe, quæ vocatur Adom vſque ad locum Sarthan: itaque refluebant aquæ à loco qui dicitur Adom, vſque ad locum, qui vocatur Sarthan, ita vt totum fluminis ſpatium, inter hæc duo oppida interiectum, eſſet eleuatum tumeſcentibus, & retrò commeantibus aquis. Eſt autem Sarthan ad dexteram tranſeuntium Iſraelitarum verſus Aquilonem; ad quem locum duntaxat refluentes vndæ, ad caput Iordanis peruenerunt. Illud tunc accidit, quod inter impoſſibilia numerauit Ouid. dicens:

Ouid. lib. 1. Triſt.

In caput alta ſuum labentur ab æquore retrò
Flumina.

6. *Quæ autem inferiores erant in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum.* Aquæ ad ſiniſtrã tranſeuntium defluentes verſus meridiem; in mare ſolitudinis, quod mortuũ vocatur, ingreſſæ ſunt, & abſorptæ. Vocatur autem ſecundùm literam Hebræam, mare ſalſum, vel ſalſiſſimum, vt dicitur Num. 34. per antonomaſiam, ſiue exceſſum, inter cætera Maria, quæ etiam ſalſa ſunt; Cauſa autem ſalſuginis, maioris, eſt ſulphur, & ignis, qui de cœlo deſcendit ad nefandas vrbes comburendas, & maris fluctibus diuina vi ſubitò emergentibus obruendas. Olim Iordanis vallem illam Sodomorum irrigauit dum Pentapolis ſtetit, nunc verò cùm pro vrbibus mare appareat, mari commiſcetur: hiſtoriam habes, Gen. 13.

Pentapolis fuit, vbi mare mortuum poſtea. Gen. 13.

Quare mare ſolitudinis, & mare mortuum, dicatur lacus in quem influit Iordanis?

Abulenſ.

Abulenſ. q. 37. & 38. in cap. 3. Ioſue, vocari, mare deſerti, ſiue ſolitudinis putat, quia eſt apud deſertum Sin, & Pharan. Nam Iordanis tranſit per vallem Sodomorum, quæ ante ſubmerſionẽ, de qua agitur Gen. 12. & 13. fructifera erat, & fertilis. Vnde Loth, *vidit* inquit ſcriptura, *omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam ſubuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham; ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor*, &c. Et quidem, cùm D. Hieron. Palæſtinam luſtrauit, mare deſerti, ſiue ſolitudinis, quia in ſolitudine Sin erat, vocabatur, vt colligitur ex prologo in lib. Paralip. qui incipit, Euſebius.

D. Hieron. Palæſtinam luſtrauit.

7. Hoc igitur mare ſolitudinis ſeu Sodomæ, mortuum hic dicitur: Primò, quia nulli in eo piſces ſunt, nec ob ſulphuream, & ſalſam naturam in eo viuere poſſunt. Deinde, quia ob denſitatem non abluit vt cæteræ aquæ, inhærentes ſordes, ſed auget, & cùm de amphora effunditur, multum veſtigij relinquit contra naturam liquorum, præſertim aquæ, cui ob fluidam naturam comparatur Ruben, Gen. 49. vt annotauit Abulenſ. q. 38. in cap. 3. Ioſue. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea*, &c. *Effuſus es ſicut aqua*, hoc eſt, omnino effuſus es, ac propterea, nihil relictum eſt tibi de iure primogenituræ, ſeu quod idem eſt de donis, & principatu. Hæc enim ſunt iura primogenituræ, quod mox explicatur, dum dicitur. *Non creſcas, quia maculaſti cubile patris tui.* Contra accidit aquæ maris mortui, quod lacus Aſphaltitis vocatur, illius enim tanta eſt tenacitas, vt inſtar glutinis adhæreat, nec abluat veſtes, vt aliæ aquæ, ſed inquinet, vt refert Ariſt. lib. 2. Meteororum: ſunt enim hæ aquæ ſpiſſæ, & lutoſæ.

Gen. 49. Abulenſis.

Ariſt. 2. Meth.

8. Tertiò, quia nullum viuens, vt Iſid. Ethym. lib. 3. ſcripſit ſiue homo ſit, ſiue bellua in eo mergi poteſt: cadauer autem, ſtatim abſorbetur. Candela etiam flammam habens mergi nequit, extincta mergitur.

Iſidorus.

Candela accenſa enatat, extincta mergitur.

Cauſam huius rei refert Abulenſ. ad denſitatem aquarum ſuſtinentium res viuas maximè ob naturam igneam, & ſulphuream, quæ facilè id ſubleuat, quod ſpiritu præditum eſt. Et omnino prodigia fontium, & aquarum de quibus Iſid. vbi ſupra agit, imo & aliarum rerum naturalium ad aſpectum refert quorundam aſtrorum, & octauæ ſphæræ motum. Confirmatque ex lib. 15. Metamorph. Ouidij.

Vidi ego quæ fuerat quondam ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum; & factas ſpatioſo ex æquore terras.
Et procul à Pelago conchæ iacuere Marinæ,
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis.

De proprietatibus huius maris, quod interdum mortuum, interdum ſalſiſſimum; nonnunquam ſolitudinis, ſiue deſerti; aliquando verò mare diaboli, & aliis nominibus appellatur: latè agit Abulenſ. in cap. 5. Gen. q. 19. Vide etiam ſi placet Plinium, Strabonem, Pomponium Melam, & ferè Geographos, vbi agunt de lacu Aſphaltitis, qui ipſiſſimum eſt mare mortuum, à bitumine, quod ἄσφαλτος Græcè eſt: ſic dictum. *Stabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis*, &c. Sacerdotes arcam fœderis portantes non ſteterunt vbi ad eorum ingreſſum ſcindi viderunt aquas fluminis, ſed progreſſi ſunt vſque ad medium alueí, ne populus exiſtimaret; ſi in principio itineris ſtetiſſent eos vlteriùs progredi præ formidine, non audere: ſteterunt ergo in medio alueo ſuper ſiccam humum. *In quo*, inquit Abulenſ. q. 42. *duo ſignificantur, ſcilicet quod humus erat ſicca, id eſt non habens aquam, vt habebat ante hoc ſemper, & erat ſicca, quia deſiccatum fuit profundum, ne limoſitas, & aquoſitas inquinaret tranſeuntium pedes.* Hæc ille. Simile quid accidit in tranſitu maris rubri, iuxta illud Sapientiæ 19. *Et in mari rubro via ſine impedimento.*

Abulenſis. Plin. Strabo. Mela

Plin. lib. 5. c. 15.

Omniſq; populus per arentem alueum tranſibat, &c. Præcedentes, & ſtantes ſacerdotes, ſecutus eſt populus per arentem alueum, id eſt, per fundum Iordanis deſiccatum; pecora etiam, & iumenta, quiſque ſua, ſecurus ductabat. Perſeuerarunt ſacerdotes, arca humeris impoſita, in medio fluminis deſiccati alueo, donec tres ferè hominum, & mulierum myriades, cum omni impedimento tranſirent.

Sacerdotes non in principio alueí, ſed in medio ſteterunt, ne viderentur formidare.

Sacerdotes arcã humeris fulterunt, dum populus tranſit.

Verſ. 8.] Tu autem præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, &c.

Habueritne Ioſue iuriſdictionem aliquam ſupra ſacerdotes?

ANNOTATIO I.

1. IN veteri teſtamento, quamuis officia Sacerdotum, & Leuitarum eſſent omnino diſtincta, à functionibus laicorum; iuriſdictiones tamen ſecularis, & Eccleſiaſtica, ſacerdotalis, & regia, non erant perinde, ac modò ſunt inter ſe diſtinctæ. Vnde ſacerdotes, legem tranſgredientes eodem,

Sacerdotes in veteri teſtamento regiæ poteſtati erant ſubditi etiam in pœnis.

eodem,quo laici ſupplicio occidi poterát. Quod ex eu conſtat, quia non erant diuerſæ pœnarum inflictiones ſacerdotibus, & populo propoſitæ a Deo,qui tam ceremonialium, quam iudicialium præceptorum author fuit. Vnde ait Rabbi Salomon, ſi ſacerdos in crimen mórte dignum incideret, fas eſſe illum ex ſanctuario, niſi fortè actu miniſtraret ad pœnam detrahere,vt abſoluto miniſterio occideretur.

Sacerdotes, ſi crimen morte dignum admiſerint, perinde ac laici puniebantur in veteri lege.
R. Salomon.

Philo Iudæus in lib.de victimis, & Theod.q.1. in Leuiticum, ex eo probant Sacerdotem ſummum fuiſſe maioré Rege, quia pro peccato ſummi ſacerdotis nobilior victima offerebatur.Iubet enim Deus,ſacerdotis peccata vitulo;Regis verò hirco,aut capra expiari. Quæ ratio,quàm infirma ſit,vel ex eo manifeſtum eſt, quia & pro peccato populi vitulum mactari lex ſtatuit. Nec verò pro Philone facit, quòd aliquando grauiora Regum negotia in Concilio 72. ſeniorum agitabantur, cui præerat ſummus ſacerdos. Reges enim plerumque ſua negotia ab alijs tractari volunt,vt ſine proprij commodi ſuſpicione,quod iuſtum eſt, id fiat. Certè D.Thom.in tractatu de rege, & regno ad Regem Cypri,apertè aſſerit,Regem in lege veteri ſummo ſacerdote maioré fuiſſe. Quod vltra,ea,quæ attulimus, confirmatur, quia Moſes non quatenus ſacerdos,ſed quatenus dux populi, Aaroni præerat,vt ex multis ſacræ ſcripturæ locis conſtat. Idem ergo dicendum eſt de reliquis populi Iudaici ducibus, & regibus comparatione ſummi pontificis. Accedit, 1. Reg. 2. de ſummo ſacerdote ſcriptum eſſe: *Ambulabit coram Chriſto meo omnibus diebus*,&c. Id eſt,vt interpretatur Lyranus, coram Salomone, à me vncto in Regem incedet ſacerdos. Quod dici non poſſet, niſi eſſet ſacerdos Rege inferior apud Iudæos. Vnde in lege gratiæ,nemo verè dixerit,ſummum Pontificem coram aliquo principe, aut monarcha ambulaturum,cùm pontificatus, regno longè ſuperior ſit. Sed de his hactenus. Quod autem D.Ambroſ.lib. 1. epiſt. epiſtola 2. ad Simplicianum ait, Aaronem,in ſacerdotio cauſa pontificalis dignitatis,præferri Moſi,intelligendum eſt in vſu duntaxat,ſacrificiorum,non in iuriſdictione.

2. Hinc concluditur, habuiſſe Ioſue iuriſdictionem,quæ ſacerdotes, & populares coerceret; quamuis ipſe non eſſet de tribu Leuitica, ſed de tribu Ephraim,vt patet Num. cap. 13. Quare non ſolùm illi fas erat præcipere ſacerdotibus minoribus,quales erant hoc loco ij, qui arcam portabãt,ſed etiam ſacerdoti ſummo,iuxta illud Num. 27. *Pro hoc*, ſcilicet Ioſue, *ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum, ad verbum eius ingredietur, & egredietur ipſe, & omnes filij Iſrael*, &c. Quæ verba, licet videãtur referri ad obediẽtiam, quam Ioſue, & populus debent præſtare ſummo ſacerdoti; ad eam referuntur (vt Abulenſ. putat, q. 17.in cap.3. Ioſue) quam ſacerdos ipſe, & populus duci ſuo ſunt exhibituri. Siquis tamen Philonis Iudæi,Theodoreti,& aliorum ſententiã tueri malit: quam Bellarm.tom.1.lib.1.de Rom. Pont.cap.7.contra Brẽtium,tuetur,poterit prædicta verba, ad obedientiam accommodare, quã Ioſue,& populus, exhibituri erant ſummo ſacerdoti:Quæ interpretatio mihi in appendice geſtorum Ioſue;ſect.8.magis placuit Quare huius opinionis aſſertores, munia, & iuriſdictiones ſacerdotum,& Regum,etiam apud Hebræos diſtincta fuiſſe,facilè confirmant, ex 2. Paral.19. & 2. Paral. 26.

Num. 13.
Num. 27.
Ioſue ius dixit minoribus ſacerdotibus, ſed etiã ſummo ius dicebat.

3. Cæterùm in nouo teſtamento, vbi ordines præclarè ſunt diſtincti, Eccleſiaſtica iuriſdictio à ſeculari, prorſus diſtinguitur. Cùm enim legis Moſaicæ tempore Pontificatus, & ſacerdotium imperfectum fuerit,& à Laicorum ſtatu ceremonijs duntaxat externis,diuerſum, non erat cur alijs legibus ſubditi eſſent ſacerdotes, alijs laici, aliúmque illi principem, alium iſti agnoſcerent. At verò in lege gratiæ perfectæ ſunt ceremoniæ, & integrum ſacerdotium, atque adeo honorabilius. Vnde non decet, vt ſeculari ſubijciatur poteſtati.

Non decet in lege gratiæ, vt ſacerdotes ſubijciantur laicis principibus.

4. Præter hanc cauſam, ob quam Ioſue præcipere potuit ſacerdotibus quid gerendum eſſet, illa peculiariter hoc tempore vrgebat, quia dux erat exercitus, quem oportebat ab omnibus cognoſci,tãquam caput ad cuius nutum omnia adminiſtrarentur. Nocuit namque plerumque in bellis poteſtatis diuiſio. Quamuis enim Ariſt. 3. polit. affirmet monarchicum imperium periculoſum eſſe, quia difficile eſt, & periculoſum omnia vni viro committere (is enim ſi erret, vix eſt, qui occurrere errãti poſſit) nihilominus hic principatus Democratico, & Ariſtocratico præſtat. Minus enim æmulationis habet, & periculi, vt ex hiſtorijs perſpectum eſt, imò ex ipſo Dei, qui errare non poteſt, iudicio. Semper enim vnum, qui iudex eſſet, aut princeps ſui populi elegit virum, cui cæteri etiam, qui poteſtatis participes erant, parerent. Id in Moſe cernimus, qui totius populi nemine excepto, iudex & dominus fuit. Aderant illi 70. viri in controuerſijs decidendis, quos minorum cauſarum arbitros ita effecit, vt ſupremam in duce venerarentur authoritatem, vt patet Num. 11. Idem obſeruatum eſt in Ioſue ex illis verbis,Exod.18. *Ad verbum eius ingredietur tam ipſe,quàm omnes filij Iſrael.* Poſt mortem Ioſue præfecit Deus populo iudices ſuprema, & Monarchica præditos poteſtate, vt patet ex lib. Iudicum cap.3.& 4. Vbi dicuntur quoties popolus ab hoſtibus cõflictabatur, *& ſuſcitauit eis Deus ſaluatorem nomine* Sangar,*aut nomine Aoth.* Regum etiam imperium. totum fuit monarchicum. Itaque monarchicum Imperium, licet aliquid periculi contineat, tamẽ perſpectis omnibus incommodis,minùs detrimenti afferre ſolet Reip.quam aliud quodcumque, potiſſimùmque belli tempore.Vnde Romani quanquam odio haberent monarchicum regimen ob Regũ & ſuperbiam, & tyrannidem, in bellis tamen regimen vni committebant. Edocti nimirum experientia, æqualitatem diuiſi imperij inter duos aut plures, detrimentum attuliſſe, & extremam exercitibus perniciem,ob voluntatum diſcordiam. Nam ad Cannas periit Romanus exercitus Terentio Varrone,&Paulo Æmilio ducibus:vno,volente bellum in ſequentem diem differre: altero non conſentiente.Vide Tit. Liu. lib. 2.de bello Punico, Decade 3.Eluxit in eo bello virtus Varronis,qui ſuperſtes fuit quod honores à populo delatos recuſauerit, dicens, felicioribus magiſtratibus opus eſſe Reip.cum animum gereret inculpatum, lib. 6. Apoph. nu. 35. Hinc illis ſolenne poſteà fuit præter conſules,Dictatorem ſummæ rei gerendæ præfectum creare, cuius nutu omnia gererentur. Erat ea creatio hoſtibus formidoloſa, & ciuibus Romanis ſpem afferebat victoriæ. Cùm ergo in exercitu Ioſue,præter Laicos, Sacerdotes, & Leuitæ pugnaturi eſſent, decens fuit, vt vterque ordo vni duci obtemperaret.

Dux belli vnus eſſe debet, & ab omnibus recognoſci nõ ſolum laicis, ſed etiam Eccleſiaſticis.
Ariſt. lib. 3. polit.
Monarchia præſtat Democratiæ, & Ariſtocratiæ.
Moſes ſupremus iudex & dominus populi.
Num. 11.
Exod. 18.
Iudic. 3. & 4.
Sangar & Aoth.
Monarchicum imperium minus periculi habet & plus commodi, præſertim belli tempore.
Liui lib. 2. de bello Rom.
Apoph. lib. 6.
Dictator creabatur tempore belli a Romanis.

Verſ.

Verſ. 8.] Tu autem præcipe ſacerdotibus, &c.

Habeántne in lege gratiæ principes laici poteſtatem in ſacerdotes, & res Eccleſiaſticas, ſicut olim habuit Ioſue?

ANNOTATIO II.

Error aſſerentium Eccleſiæ regimen ad Reges pertinere.

1. HÆRETICI celebriores noſtræ ætatis, in eo fuerunt errore, vt affirmarent, ad Reges, & principes ſeculares pertinere Eccleſiæ regimen, Epiſcopóſque illorum eſſe ſeruos, & veluti mancipia. Hunc errorem amplexus eſt Henricus VIII. Angliæ Rex, eóque ductus Eccleſiæ ſe Anglicanæ caput conſtituit; cenſuítque vnumquemque Regem in ſua prouincia & tota ditione, ſupremam habere vtriuſque fori autoritatem, & quidem maiorem, quàm vel Moſes, vel Ioſue olim habuerint in populum Hebræum.

Confutatur error hæreticorũ. Pſal. 44. Auguſtinus.

2. Refutatur hic error, primò, ex illis verbis Pſal 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Quem locum ſic Auguſtinus exponit: *Pro patribus, id eſt, Apoſtolis: nati ſunt tibi filij, id eſt, fideles multi, quos Deus conſtituit Epiſcopos, & eo modo principes ſuper omnem terram.* Et D. Hieronymus in eundem verſiculum ſic ait: *Fuerunt, ô Eccleſia, Apoſtoli, patres tui; nunc autem, quia illi receſſerunt à mundo, habebis pro his, Epiſcopos filios.* Et infrà. *Principes Eccleſiæ, id eſt, Epiſcopi, conſtituti ſunt.* Suffragantur Chryſoſt. & Theodor. intelligentes per patres Patriarchas, & per filios Apoſtolos, deinde prophetas, tum paſtores, &c. Næ, ſi primi ſunt Apoſtoli, qui Epiſcopi fuerunt, & quibus Epiſcopi ſuccedunt, primi eſſe nô poſſunt Reges, & principes laici, imò nullum illis Paulus locum aſſignauit, vt eos ſignificaret Reges ſeculi tantùm, non autem Eccleſiæ magiſtratus eſſe.

Hieronymus. Chriſoſt. Theodoretus.

3. Secundò, ex Ignatio Martyre epiſt. 7. ad Smyrnenſes, vbi ait, nihil eſſe in Eccleſia Epiſcopo honorabilius: Additque, primum honorem deberi Deo, ſecundum Epiſcopo, tertium Regi. Anteponunt etiam Epiſcopum Regi manifeſte, Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculſos. Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, & homil. 4. in cap. 6. Iſaiæ. & Ambroſ. cap. 4. lib. de dignitate ſacerdotali.

Primus honor Deo, ſecundus Epiſcopo, tertius Regi. Nazianzenus. Chryſoſt. Ambroſius.

Tertiò, Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. principes laicos non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam Diaconis ſubiicit, ſic alloquens diaconum ſuum: Si dux quiſpiam, ſi conſul, ſi is, qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe, & coerce, maiorem tu illo habes poteſtatem.

Chryſoſtomus præfert diaconum Regi.

Quartò, D. Auguſt. in Pſal. 98. Moſen fuiſſe ſacerdotem ea ratione confirmat, quia maximus fuit, & nihil eſt maius ſacerdote. Et Gelaſius epiſt. ad Anaſtaſium. *Noſti*, inquit, *fili clementiſſime, quòd licèt præſideat humano generi, dignitate rerum terrenarum, tamen præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis.*

Auguſtinus. Moyſes fuit ſacerdos, & nihil maius ſacerdote eſt. Gelaſius.

4. Quintò, D. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 19. ait, prima membra in corpore Domini, eſſe ſacerdotes. Et lib. 4. epiſt. ad Mauritium docet, ſacerdotes eſſe Deos quoſdam inter homines, &

Greg. Papa. Prima membra in corpore Domini ſunt ſacerdotes Greg.

A propterea ab omnibus, etiam Regibus honorandos. Idem confirmat Nicolaus primus in epiſt. ad Michaelem.

Vocat etiam illos Deos inter homines. Nicolaus Papa.

Sextò, extant in monumentis præclara exempla exercitæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in Reges. Nam vt author eſt Euſebius, hiſt. lib 6. cap. 25. Fabianus Papa primum imperatorem Chriſtianum Philippum, propter quædam illius publica peccata, à communione ſacramenti altaris in die paſchatis remouit, nec antè admiſit, quàm peccata confeſſione, & pœnitentia eluit. Theodoſium ſeniorem (vt ſcribit Theodor. lib. 5. hiſt. cap. 17.) D. Ambroſius ab Eccleſiæ excluſit ingreſſu, & ad publicam pœnitentiam compulit,

Euſebius.

Ob peccatum graue negatur Euchariſtia Imperatori Philippo

Theodoſius Imperator ingreſſus templum ſedit iuſſu D. Ambroſij extra cancellum cum laicis.

B rurſúmque volentem ad interiorem ſacerdotum partem templum ingreſſus aſcendere, & ibidem ſedere, iuſſit deſcendere, & in laicorum locum, quod ille non repugnans fecit, cõſiſtere. Denique honorem primarium Eccleſiaſticis miniſtris deferendum eſſe declarauit Maximus Imperator, cùm offerente ſibi in conuiuio, cui aderat D. Martinus Epiſcopus pincerna, primum vini poculum, illud ad Epiſcopum miſit, qui non ſolùm honorem non recuſauit, ſed etiam poſtquàm bibit, non Imperatori, ſed ſuo presbytero tradidit, exiſtimans, vt in eius vita ait Sulpitius, non benè ſe acturum, ſi aut Regem, aut eos, qui Regi erãt proximi, presbytero prætuliſſet. Quid,

Quanti faciendi ſunt ſacerdotes à Regibus.

D. Martinus in conuiuio Maximo Imperatori antelatus eſt Sulpitius.

C quod Conſtantinus (vt ſcribit Ruffinus lib. 1. cap. 2. hiſt.) publicè teſtificatus eſt de Epiſcopis ferre ſe iudicium non poſſe, vt qui Dij quidam ſint: ſed contra potiùs eorum ſe eſſe ſubditum iudicio.

Conſtantinus ſe Epiſcoporũ iudicio ſubditum eſſe teſtatus eſt.

5. Ex dictis ſatis, vt arbitror, confutatur Henrici VIII. Brentij, Buceri, Caluini, Lutheri, & aliorum Hæreticorum prauum dogma, quo Eccleſiaſticos miniſtros ſubiicere conantur ſeculari poteſtati. Huius dogmatis præcipuos Authores ex Iudæis fuiſſe prognatos, conſtans fama eſt, vt non mirum ſit velle illos aliquid Moſaicum in Eccleſiam inducere. Obiciunt illi Epiſcopos ſeruos eſſe Eccleſiæ, iuxta illud 2. Co-

Hæretici, qui Eccleſiaſticos ſubijciunt laicis magiſtratibus ex Iudæis ſunt.

D rinth. 4. *Non noſmetipſos prædicamus, ſed* IESVM CHRISTVM, *nos autem ſeruos veſtros per* IESVM, &c. Atque adeò æquum eſſe, vt magis Regum ſerui ſint: præſertim cum D. Petrus 1. cap. 2. Reges venerans dicat: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, tamquam præcellenti, ſiue ducibus tamquam ab eo miſſis*, &c. Quare cùm in Eccleſia ſint Reges, illis Chriſtiani tamquam præcellentibus ſubiecti eſſe debent.

2. Cor. 4.

1. Petri 2.

6. Cæterum non vident miſeri Hæretici, in eo ſenſu dici Epiſcopos ſeruire, quo dicimus eos, qui præſunt negotiis; imò ipſos Reges ſeruire commodis ſubditorum; non autem tamquam mancipia. Vnde Paulus 1. Corinth. 4. quorum ſe diceret ſeruum, eorum ſe eſſe Patrem profite-

In quo ſenſu dicantur Epiſcopi ſeruire?

1. Cor. 4. D. Paul. & ſeruum ſe nominat & patrem qui virga vti poſſit

E tur. *Per euangelium*, inquit, *ego vos genui.* Et addit. *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Idem Act. 20. *Spiritus*, inquit, *ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, &c. Sunt igitur Epiſcopi, non ſerui, mancipio, & nexui Regum ſubiecti, vt volunt Hæretici; ſed vt patres & principes moderati, qui dicuntur filiorum, & clientium ſeruire vtilitati. Vnde Bernard. lib. 2. de Conſideratione, ait, Eugenium, cum factus eſſet Pontifex eleuatum ſuper gentes, & regna, ſed ad miniſtrandum, non ad dominandum. Et Gregorius Magnus ſeruus ſeruorum Dei ſe nominari voluit, quem titu-

Act. 20.

Bernardus. Epiſcopi quo pacto ſuper regna & gentes ſint conſtituti. Gregorius Papa ſeruum ſeruorum ſe nominauit

lum,

lum, vt valde honorificum poſteri eius, vel in diplomatis pontificiis retinuerunt. A

6. Porrò inficiari nec volumus, nec poſſumus eſſe Chriſtianos omnes Regibus ſuis ſubiectos, tanquam præcellentibus; Ea tamen ſubiectio ad eas res tantùm extenditur, quæ ad politicum pertinent ſtatum. Præſunt enim Chriſtiani Reges (vt rectè annotauit Bellarminus noſter tom. 1. Controuerſ. in tertia controuerſia generali de Summo Pontifice lib. 1. cap. 7.) hominibus Chriſtianis, non vt Chriſtianis, ſed vt homines ſunt, quemadmodum & Iudæis, & aliis infidelibus interdum præſunt. Ipſi etiam principes, non vt Chriſtiani ſunt, dominantur, ſed vt homines politicam obtinentes adminiſtrationem. Nam, B vt Chriſtiani, Epiſcopis, tanquam oues paſtoribus ſubiecti ſunt. Vt enim D. Ambroſius ait in orat. de tradendis baſilicis: *Nihil honorificentius dici poteſt, quàm vt Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur. Imperator enim bonus non ſupra Eccleſiam eſt.* Idem ſentit Naz. in orat. ad ciues timore perculſos. Nullum ergo ius occidendi ſacerdotes, aut alios Eccleſiaſticos miniſtros, etiamſi crimen morte dignum admiſerint, habent laici principes, nec iuriſdictionem aliam in nouo teſtamento, ſicut Moſes, & Ioſue habuerunt in lege antiqua. Tota hæc poteſtas Eccleſiaſtica nunc eſt, & ad Summum Pontificem pertinet, cuius in vniuerſam Eccleſiam ius monarchicum eſt, vt rectè C docet Bellarminus citatus cap. 9. & probatur monarchia, ſub duabus metaphoris, videlicet ædificij & clauium D. Petro promiſſa, Matth. 16. illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Et tibi dabo claues regni cœlorum*, &c. Quare tyrannicè gubernant principes Rempubl. qui diuini cultus partem aliquam adminiſtrandi ad ſe pertinere credunt, aut ius aliquod Eccleſiaſticas controuerſias decidēdi. Vnde D. Ambroſ. epiſt. 33. ad ſororem refert dixiſſe ſe Valentiniano. *Noli te grauare, Imperator; vt putes, te, in ea, quæ diuina ſunt aliquod imperiale ius habere. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.* Et Theod. lib. 5. hiſt. cap. D 17. eundem Ambroſium dixiſſe commemorat Theodoſio, *Purpura Imperatores facit non ſacerdotes.* Hinc in ſynodo Matiſconenſi, can. 9. In Concil. Mileuitano can. 19. & Tolet. 3. can. 13. puniuntur grauiter clerici, qui cauſam Eccleſiæ ad iudicem deferunt ſecularem, &c. Athanaſius verò in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, Conſtantium carpit quod ſe rebus Eccleſiaſticis miſceat, ſubiungitque Hoſium Cordubæ Epiſcopū, eidem Conſtantio dixiſſe: *Ne præcipe nobis in hoc genere; ſed ea potiùs à nobis diſce. Tibi enim Deus imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Meritò laudatur Ioſaphat Rex optimus, 2. E Paralip. 19. quod ſacerdotibus ſuum munus exequi permiſerit. *Ananias*, inquit, *ſacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Et in eodem lib. cap. 26. cùm Ozias Rex vellet thus adolere, vetuit eum Pontifex, dicens; *Non eſt tui officij. Ozia, adolere incenſum Domino, ſed ſacerdotum*, &c. Et verò cùm ille non abſtineret ab vſurpatione thuribuli, lepra diuinitus percuſſus eſt. Si ergo in veteri lege piaculum erat Regi, fungi munere ſacerdotum, cū ſacerdotium illud imperfectum eſſet, & adumbratile, quid dicendum eſt de nouo teſtamento, vbi ſunt munera ſacerdotalia auguſtiora, & iu-

Bellarminus.

Reges Chriſtiani Epiſcopis ſuis ſubijciuntur, vt oues paſtoribus.

D. Ambroſ.

Greg. Naz.

Summus Pontifex habet ius monarchicum in tota Eccleſia.

Bellarminus.

Matth. 16.

Tyrannicè gubernant principes, qui ſacris ſe ingerunt.

Ambroſij præclara ſententia.

Theodor.

Puniuntur clerici, qui cauſas deferunt ad iudices laicos.

Hoſij Cordubenſis libertas contra Conſtantium imperatorem.

2. Paralip. 19. & cap. 26.

Ozias ert lepra percuſſus, quod ſacerdotiu officium vſurpauit.

A riſdictionis ita diſtinctæ, vt profana comparetur lunæ, Eccleſiaſtica verò Soli, qui lucem ſuam lunæ, & cæteris fœnerat aſtris, tamquam fons & princeps luminum reliquorum. Hinc Chryſoſt. lib. 2. de ſacerdotio: *Sacerdotis*, inquit, *aſpice dignitatem: agitur in terra, ſed officium cœleſtibus negotiis continetur. Non enim homo, non Angelus, non alia creatura hoc munus inſtituit. Spiritus ſanctus manentes adhuc in carne officio fungi præſtitit Angelorum.* Cùm tam inſignis ſit in lege gratiæ ſacerdotum dignitas, in lege gratiæ, debet vitæ probitas eam decorare. Meritò namq; Hugo in lib. de 12. abuſ. eos carpit, qui libentiùs porrigunt panem cani, quàm pauperi. *Hi ſunt*, inquit, *quorū thalamus* B *ornatior eſt Eccleſia; menſa paratior altari; cyphus calice pretioſior; equus charior miſſali; cappa pulchrior caſula; camiſia, delicatior alba. Ecce quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Bernardus ſacerdotum conſulens parſimoniæ: *Quidquid*, inquit, epiſt. 2. *præter neceſſarium victum & ſimplicem veſtitum, de altari retines rapina eſt, ſacrilegium eſt*, &c. Agnoſcant ſacerdotes, vt puri ſint, & ſancti, quo eos loco habeat D. Chryſoſt. in dialog. de ſacerd. *Si talem mihi*, inquit, *adducas aliquem monachum, qualis, vt exaggerationem dicam, Elias fuit, non tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis, & multorum peccata ferre compulſus, immobilis perſeuerat, & fortis, &c.* Hæc cùm ita ſint finem C dicendi facio, illa recolens D. Hieronymi verba lib. 2. ſuper Ezechielem. *Grandis dignitas ſacerdotum, ſed grandis ruina, ſi peccant. Lætamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum*, &c.

Profana iuriſdictio lunæ cōparatur, ſacra verò ſoli.

Verſ. 14.] Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iordanē, & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum, &c. D

De Arca fœderis veneratione & myſtico ſignificatu.

ANNOTATIO III.

1. ARCÆ fœderis, veneratio ſatis exprimitur verbis illis Ioſue, quibus populum ad cultum, & obſequium religionis excitauit. *Ecce*, inquit, *Arca fœderis Domini omnis terræ, antecedet vos per Iordanem.* Et infrà: *Et cùm poſuerint*, inquit, *veſtigia pedum ſuorum, ſacerdotes, qui portant Arcam Domini Dei vniuerſæ terræ, in aquis Iordanis,* E *aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent, atque deficient; quæ autem deſuper veniunt, in vna mole conſiſtent.* Et cap. 4. dicitur: *Sacerdotes autem qui portabant Arcam, ſtabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Ioſue, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus.* Et cap. 6. ad præſentiam Arcæ ceciderunt muri Hiericuntini, & vt ſcribitur 1. Regum 5. *Dagon pronus iacuit. Et tulerunt*, inquit Scriptura, *Philiſthæi Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſùmque manè die altera conſurgentes inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus manſerat in loco ſuo*, &c. Sunt etiam

Ioſue 4.

1. Reg. 5.

alij

alij, loci in ſacra ſcriptura, ex quibus conſtat, Deum, coram Arca fœderis vt venerationi eſſet hominibus, miracula perpetraſſe. Cernis hic Iordanem continuiſſe aquas ſuperiores, inferiores autem, vt pateret via Iſraëlitis eam ſequentibus, in mare mortuum ſubitò exportaſſe: Cernis Dagonis ſimulacrum in ſuo templo, ad quod delata eſt Arca, corruiſſe. Quod expendens Gregorius libro primò, Reg. cap. 5. expoſitionis verò lib. 3. ſic ait. *Primo*, inquit, *die Arca Dei iuxta Dagon ſtatuitur, quia inaudita prædicatione Redemptoris erroris vetuſti tenebras Azotij, hoc eſt, gentiles deprehendunt. Altera vero die ſurgentes pronum in terra ante Arcam iacentem Dagon inuenerunt, quia & in cognitione veritatis, ſtatum idololatria perdidit. Vnde & bene cùm lapſus Dagon aſſeritur, iacere pronus in terra memoratur. Ante Arcam quidem cadit, quia ex myſteriorum diuinorum ſcientia innoteſcit, ſed pronus in terra iacet, quia autore iam Deo ad aſpectum fidelium ſimulatæ rationis imaginem non habet. Pronum itaque in terra iacere eſt, iam vera agnoſcentibus ſimulationis ſuæ fraudibus illudere nequaquam poſſe.* Et poſt pauca: ſuper illa verba. *Porrò Dagon truncus manſerat in loco ſuo. Quid*, inquit, *Dagon, id eſt, idololatriæ caput, eſt aliud, niſi ipſum initium omnis iniquitatis diabolus? Et quæ ſunt palmæ manuum eius, niſi vniuerſa opera idololatriæ? Caput itaque Dagon amiſit, quia per idolorũ cultum regnare maligni ſpiritus in corde gentilium deſunt*, & infrà. *Caput verò, & manus abſciſſæ, & ſuper limen poſitæ memorantur, quia profectò, quiſquis ad veram fidem ingreditur, principia diabolicæ ſuaſionis repellere, atque vniuerſis eiuſdem Satanæ operibus renuntiare præcipitur.* In eandem ſententiam præclarè Cypri. de ieiunio. *tentator cogitationum foribus aſſidens, omnia virtutum germina in ipſo ortu ſtrangulare molitur.* Vide Greg. loco citato.

Arca Dei deiecit Dagon.

Greg. PP.

Quid ſignificet lapſus Idoli ad præſentiã Arcæ Dei.

Palmæ in limine ſignificant, relinquenda eſſe diabolicæ ſuaſionis initia.

Cyprianus. *Diabolus a foribus cogitationum.*

Gentiles in Arca ſignificati ſunt.

Greg. PP.

Vbi multa comminiſcitur ad declarandam Arcæ fœderis maieſtatem, & virtutem & illud imperatoris. *Videntes autem Azotij huiuſmodi plagam dixerunt. Non maneat Arca Dei apud nos, quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum. Cùm cernerent*, inquit Greg. *Templa deſtrui, ſacrificia ceſſare, vxores à viris, patres à filijs ſeparari, manum Dei ſupra ſe duram eſſe putauerunt.* Deinde id etiam, quod dictum eſt à ſatrapis Philiſtinorum. *Circunducatur Arca Dei. Quid eſt*, inquit, *Arcam Dei circunducere, niſi veræ fidei myſteria publicè prædicare*, &c. Lege locum ſcripturæ, & inuenies totum caput 1. Reg. 5. Arcæ magnificum numen miraculis declaratum continere. Nam de ijs, qui Arcam debita veneratione colere neſciebant dicitur. *Illis autem circunducẽtibus eam fiebat manus Domini per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis, & percutiebat viros vniuſcuiuſque vrbis a paruo vſque ad maiorem, & computreſcebant prominentes extales eorum*, &c.

1. Reg 5.

Qui arcam Dei debitè non tractant, puniti ſunt.

Qui ſacerdotes portent arcam? quorum reuerentia ſignificatur.

2. Facit ad venerationem Arcæ fœderis myſtica ſignificatio tum ſacerdotum eam exportantium, tum rerum, quas continebat. Gloſſa námque enarrans hîc illa verba. *Tu autem præcipe ſacerdotibus, qui portant Arcam*, &c. *Per iſtos ſacerdotes ſignificantur Apoſtoli, aliique diſcipuli, & eorum ſucceſſores Euangelium Chriſti per orbem portantes. Quod quidem Euangelium bene per Arcam ſignificatur, eo quod tria continebat ſpiritualiter, quæ erant in Arca contenta, ſcilicet tabulas; per quas ſignificatur lex vetus, quam continet Euangelium eius imperfectionem ſupplendo. Secundũ fuit, virga Aaron, quæ ſignificauit dignitatem Regiam, & ſacerdotalem, quam continet Autor Euangelij Chriſtus qui eſt Rex, & ſacerdos, & per conſequens ipſum Euangelium hoc continet, propter quod dicitur Euangeliũ regni.* Matt. 4. *Tertium fuit manna, per quod ſignificatus fuit cibus ſpiritualis ex verbis Euangelij, ob quem dixerunt Apoſtoli Chriſto, Ioan 6. Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Hæc Gloſſa.

Euangelium, per Arcam ſignificatur.

Euangelium tria perficit, quæ erant adumbrata in ijs quæ in arca includebantur.

3. Richardus de ſancto Victore lib. 1. p. 1. de contempt. cap. 1. allegoriam Arcæ multis modis explicat, ex quibus illius veneratio, maxima exiſtit. Primò, vocatur Arca ſanctificationis à Propheta, *ſurge*, inquit, *Domine in requiem tuam, tu, & Arca ſanctificationis tuæ.* Ego ſignificari Euchariſtiam, quæ Chriſto humanitatem intus continet, puto, qui inde videtur dicere, *ſancti eſtote, ſicut & ego ſanctus ſum.* Quod ſi Moſi iure creditur, ſcimus, quod quicumque tetigerit eam, ſanctificabitur. Meritò ergo omnis populus quærit eam tangere, ſiquidem virtus ſanctificationis erit ab illa. O ſi quis inueniatur in vobis vir vnus, ſicut ille de Ramathaim qui indutus veſtimentis gloriæ, ſicut decet ſummum Pontificem, dignus ſit introire ſancta ſanctorum, vt poſſit, non ſolùm videre, ſed etiam tangere hanc quæ dicitur Arca ſanctificationis, & emundetur ab immunditijs ſuis! *Sanctificamini*, inquit, *Ioſue* cap. 3. *cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, &c. Nempe in tranſitu Iordanis ad præſentiam Arcæ. Quid lateat in hac Arca ſcire vis? ſapientiam puto, in qua omnes qui ſanati ſunt, à principio ſanati ſunt. Ad ſapientiam pertinet hominem mundare ab omni malitia, & nequitia: hæc enim ſunt, quæ coinquinant hominem. Purgatur autem per ſapientiam, quando fortior ſuperueniens vincit malitiam, vtpote, *attingens a fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter.* Hæc purgatio, ſanctificatio eſt, proueniens ex Arca ſanctificationis, quæ in opere tabernaculi quippe, cum præcipua, & optima pars ſit, primo præcipitur Moſi fabricari, ſed quæ eſt iſta pars optima, quam Maria elegit niſi vacare, & videre quàm ſuauis eſt Dominus? Ineſt in ſanctificationis Arca, ſiue in ſacrario Euchariſtiæ contemplationis gratia per quam (vt ait Hugo) in præſenti ſanctificamur, & in futuro beatificamur.

Arca ſanctificationis.

Dicitur Euchariſtia Arca typice, Arca ſanctificationis.

Eucha. ſanctificationem tribuit.

Ioſue. 3.

In Arca latet ſapientia, quæ mundat nos.

Sap. 8.

Hugo de ſancto Vict.

Secundò, idem cap. 2. quærit, cur eadem, quæ à Dauide vocatur Arca ſanctificationis, à Moſe, & Aaron vocetur etiam Arca fœderis: Arcam autem vocari putat humanam intelligentiam, vt ſicut in Arca aurum, argentum, gemmæ, & pretioſa quæque ſeruantur, ita in mente ſeruari intelligamus tanquam in theſauro, & ſacrario diuinarum rerum cognitionẽ, & dona gratiæ. *Hæc*, inquit, *arca diuino magiſterio fabricatur & deauratur quando humana intelligentia diuina inſpiratione, & reuelatione, ad contemplationis gratiam promouetur.*

Arca vocatur humana mens.

4. Arca fœderis dicitur, quia in hanc gratiam ita hîc proficimus, vt quaſi arrham, & pignus diuinæ dilectionis, & promiſſionis accipientes veluti quoddam vinculo fœderis, & monumento mutuæ charitatis aſtringamur. Vidéne, quam rectè Arca fœderis dicitur, in qua, & per quam talis gratia figuratur? Libenter accingitur ad omnem laborem, qui ſe ſperat, tantæ dilectionis pignore, frui poſſe. Quicumque eſt inter vos ſeruus Hebræus pro huiuſmodi gratia ſeruiet ſponte ſex annis, vt in ſeptimo liber exeat à ſeruitute peccati, & vacet contemplationi: ſi quis verò inuenitur, qui Iacob ſit, hoc eſt vir fortis, & ſtrenuus luctator, vitiorúmque ſupplantator, vt alia

Arca fœderis eadem mens vocatur, quia ſi gratiam contineat, capax eſt gloriæ promiſſæ.

Meus humana... Arca fœderis eſt, in qua pignus gloriæ ſeruatur, hoc eſt gratia quam vt aſſequamur, enitendum eſt.

ſuperet fortitudine, alia ſupplantet diſcretione, profectò libenter ſeruiet annis ſeptem, & ſeptem pro tali gratia, in tantum, vt videantur ei dies pauci præ amoris magnitudine, dummodo poſſit ad amplexus Rachel, vel ſerò peruenire. Valebit hîc implere quod dicitur. *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus.* Multi námque etſi ſciant vacare corpore, minimè tamen præualent vacare corde: neſcientes facere ſabbathum ex ſabbatho. Vacantes ſiquidem corpore, ſed vagantes vbique corde, nequaquam videre merentur, *quàm dulcis eſt Dominus, quàm bonus Iſraël Deus ijs, qui recto ſunt corde.* Ob hanc cauſam hoſtes derident eorum ſabbatha, ſed verus Iacob, non abſtinet à labore, donec ad ſcopum perueniat ſui deſiderij ſeruiens apud verum Laban *gloria, & honore coronatum.* Hæc ferè quanuis aliquantulum inflexè ad faciles ſenſus percipiendos, ſumpſimus ex Hugone.

Pſalm. 72.

5. Tertiò, ſubijcimus noſtram expoſitionem ex varijs Patrum locis collectam. Exiſtimo námque Arcam in adyto tabernaculi, hoc eſt, in ſancto ſanctorum collocatam, figuram eſſe vniuſcuiuſque animæ in cœleſti patria diuino conſpectu perfruentis. Conſtat lignis Setim, quæ pulchra ſunt, & non corrumpuntur; quia beati poſt reſurrectionem, corpora aſſument pulchra, & inmortalia. Auro circuntecta eſt, quia ſecundum vtramque partē, mira claritate radiabunt, Matt. 13. *Tunc iuſti fulgebūt ſicut ſol in regno Patris eorū.* Aurea corona ſuperinducta, coronas ſanctorum ſignificat, quas vt Reges, & victores præferent, *eorum* namque *eſt regnum cælorum.* Et. 2. Tim. 4. Paulus ait. *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolùm autem mihi,* &c. Habent etiam fidei doctores, Martyres, & virgines præter auream coronam, eas etiam, quas Theologi ſcholaſtici aureolas vocant, accepto vocabulo ex cap. 25. Exodi, vbi dicitur. *Et ſuper illam, alteram coronam aureolam.* Includit tabulas legis, quoniam electi Dei, legem in corde tanquam in arca conſeruant. Iſai. 51. *Populus meus lex mea in corde eorū.* Et Chriſtus ipſe electorum vertex, Pſalm. 38. *In capite, inquit, libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Longitudo Arcæ ad longanimitatem, & patientiam ſpectat. Latitudo verò ad charitatis amplitudinem iuxta D. Greg. hom. 21. in Ezech. Altitudo denique ad ſupernæ felicitatis deſiderium, quod ſupra omnem menſuram in beatis exarſit.

Arca in adyto, eſt anima in cæli Dei luce perfuſa.

Matt. 13.

2. Tim. 4.

Martyrum, doctorum, & Virginum laureolæ.

Exod. 25.

Iſai. 51.

Pſalm. 38.

6. Vectes auro tecti ſemper erant in annulis, ſiue Arca humeris Leuitarum, aut ſacerdotum portaretur; ſiue in tabernaculo, primum deinde in templo quieſceret, ne mora eſſet cùm Deus iuberet Arcam aliquò ferri. An quia ſancti viri, etiam cùm erant in hac mortalitate facilè quocumque mouebantur à ſacerdotibus, qui ipſis præerant Dei loco, ſecuríque lapſus eorum humeris exportabantur, & quieſcebant? An quia vel in cœleſti patria animos habent ad obediendum Deo paratiſſimos?

Vectes ſemper in annulis parati ad portandam Arcam ſacerdotes poſtulant.

Poſſunt etiam Chriſto Domino, non tam in hac vita agenti, quàm eidem victori, & cum Patre regnanti, Arcæ myſteria aptari. Ait enim D. Greg hom. vltima in Ezech. *Arca intra velum, eſt redemptor noſter in cælo.* At quid Manna? quid virga? ſanè manna, quo per 40. annos Hebræi alti ſunt in deſerto, conſeruatam, iugem nobis commendat memoriam cæleſtis panis, hoc eſt Euchariſtiæ, qua in hac vita ſuſtentamur. Virga vero Aaron, quæ fronduerat, florentem Chriſti ſacerdotis iuriſdictionem, quæ in prælatos Eccleſiæ deriuata, inferorum incolis, & tyrannorum minacibus inſtitutis, terrori eſt. Vide ſi placet Ribejram lib. 2. de ijs. quæ erant in templo cap. 3. vbi agit de myſtica Arcæ ſignificatione. Vide etiam D. Aug. lib. 10. de Ciuitate cap. 17. Cuius inſcriptio ſic habet. *De Arca teſtamenti, miraculiſque ſignorum, quæ ad commendandam legis, ac promiſſionis authoritatem diuinitus facta ſunt,* &c. Refert in hoc capite Auguſt. venerationem Arcæ, ſitam eſſe in Dei lege, quæ in edictis data eſt Angelorum: in qua vnus Deus Deorum, religione ſacrorum iuſſus eſt coli, alij verò quilibet prohibiti. *Hæc in Arca includebatur, quæ Arca teſtimonij, ob eam incluſionem appellata eſt. Quo nomine,* inquit, Aug. *ſatis ſignificatur, non Deum, qui per illa omnia colebatur circumcludi ſolere, vel contineri loco; cùm reſponſa eius, & quædam humanis ſenſibus darentur ſigna ex illius Arcæ loco. ſed voluntatis eius, hinc teſtimonia perhiberi, quod etiam ipſa lex erat in tabulis conſcripta lapideis, & in Arca, vt dixi poſita, quam tempore peregrinationis in eremo cum tabernaculo, quod ſimiliter apellatum eſt tabernaculum teſtimonij, cum debita ſacerdotes veneratione portabant.* Hæc Auguſt. Arca quoque myſticè Chriſto Domino accommodatur à D. Ambroſ. in lib. de fuga ſæculi *Caput,* inquit *omnium eſt Chriſtus, ex quo totum corpus producitur, & mutua ſibi connexione coniungitur, incrementum ſui in ædificationem charitatis accipiens. Hoc eſt igitur verbum quod ſupereminet, quod Moſi in illius Arcæ ædificatione dicit: Immittes in Arcam teſtimonij quodcumque dabo tibi, & facies impoſitionem propitiatorij, & loquar tibi deſuper (hoc eſt inde, vbi ſuper cælos eſt, vbi apud patrem eſt) inde tibi loquar,* &c. Vides humanitatem Chriſti, inſtar Arcæ fœderis eſſe iuxta D. Ambroſij ſententiam? Sanè ex ea nobis, ab ipſo verbo, abſque vllo Angelorum, vt in lege Moſaica, interuentu diuina in lege gratiæ, nobis reddita ſunt oracula.

D Greg.

Chriſto arca mod... arca myſt...

Euchariſtia in manna ſignificata

Virga ſignificat iuriſdictionem.

Ribejra. Auguſtinus.

Veneratio Arcæ ſita erat in Dei lege, quæ à Deo data eſt.

Verſ. 4.] Sítque inter vos, & Arcam ſpatium duum millium cubitorum.

An præter Arcam fœderis, Arca oſſium Ioſeph tranſmiſerit Iordanem.

ANNOTATIO IIII.

1. Occasionem præbuit huic quæſtinnculæ excitandæ litera hebræa, quæ vbi noſtra verſio habet, ſitque inter vos & arcam ſpatium duum millium cubitorum. Sonat in hunc modum. *Sitque inter vos, & inter ipſas ſpatium,* &c. Particula námque, *ipſas,* videtur referenda ad plures Arcas, & non ſolùm ad vnam ſingularem. Et quidem Rab. Salomon, eam referri putat ad duas Arcas, vnam fœderis Dei, alteram oſſium Ioſeph Patriarchæ. Vt enim ſcribitur Gen. 50. Paulò ante mortem, adiurauit Iudæos, vt ſecum oſſa ſua exportarent, ob quam adiurationem Moſes, in exitu de Ægypto, illa eduxit, vt ſepelirentur in terra promiſſionis: ſic enim dicitur Exod. 13. *Tulit quoque Moſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quod adiuraſſet filios Iſrael, dicens.*

Gen. 50.

Oſſa Ioſeph exportata ſunt in Iordane, non tamē cum tanta veneratione, quanta efferebatur arca fœderis.

Viſitabit vos Deus efferte oſſa mea hinc vobiſcum. A

2. Reſpondendum eſt huic difficultati, exportari quidem oſſa Ioſeph à filijs Iſraël per Iordanem, non tamen cum ea veneratione, qua exportata eſt Arca Dei. Atque adeò arca fœderis iubebatur præire longo interuallo ſacerdotum humeris impoſita omnem populum, & ſtare in medio alueo fluminis, vt illi miraculum, vt par erat attribueretur. Arca verò oſſium Ioſephi, quæ erant tumulanda in Sichem (vt dicitur infrà cap. 24. his verbis. *Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filij Iſrael de Ægypto ſepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in poſſeſſionem filiorum Ioſeph, &c.* Cùm morticinum contine- B ret (nomine autem morticini iuxta legem, Num. 19. intelligitur Cadauer, vel oſſa mortui hominis reperta in agro, vel ſepulchrum aliquod; quas res, qui tetigerit immundus iubetur eſſe 7. diebus, & abſtinere à rebus ſacris) ſimul cum arca fœderis portari non debuit: id enim licet affirmet Rab. Salomon, indecens omnino videtur. Non ſolùm propter exportantium legalem immunditiam (quæ hîc fortaſſe locum non habuit, vult enim Deus vt aliqua ſanctorum cineribus, & ſepulchris veneratio exhibeatur) ſed propter decentiam. Decebat enim, vt arca oſſium ſancti viri procul eſſet ab arca fœderis, ne Iu- C dæi, qui ad idololatriam propenſi erant, putarent oſſibus Ioſephi attribuenda eſſe ſigna, & prodigia diuiſi Iordanis. Quamuis enim Deus miraculis interdum ornet ſanctorum oſſa, & cinderes, vt cùm ad tactum cadaueris Eliſei homo demortuus ad vitam reuocatus eſt; tamen cùm res, cui maior debebatur veneratio, vt arca fœderis olim, & in nouo teſtamento ſacra Eucharistia, cuius illa arca figura fuit, præſens adeſt; non vult, vt ſimul Diuorum reliquiæ in eodem loco, ſeu altari adorentur. Latria namque, quæ ſoli Deo debetur, omnem religioſum includit cultum, nec diuiſionem admittit. Quare rectè Abul. q. 10. cap. 3. Ioſue, ſoluit difficultatem, dicens, particulam, *ipſas*, D poni quidem in plurali, pro ſingulari: ob incontinuam Hebræorum barbariem, qui paſſim numeros permutant, cui ſuffragatur Rab. Dauid, dicens, accipi hîc plurale pro ſingulari. In quo tamen non debuit Abulenſ. notare barbariem, ſed potiùs idiomatis proprietatem, quæ linguarum peritis elegantia eſt. Obiter annotandum eſt inter miracula ſtupentis ad præſentiam arcæ fœderis Iordanis, imò mundi; voluiſſe Deum, ne mortis memoria ab animo geſtientis gaudio populi, vnquam excideret; ad reprimendam nimiam rerum huius vitæ, quæ lætæ apparent cupiditatem: inſtar ſolis erat arca fœderis peregrinis Iudæis cum interdum aliquò proficiſcebantur. Hæc ſe- E quentium Hebræorum animos ad ſpem rerum ſecundarum, & ad voluptatem fluentium erigebat. Arca verò oſſium Ioſephi inſtar Arctoi aſtri, ſiue ſynoſuræ, quæ noctis horas ſuo motu indicat ſpectatoribus: ſignificat enim illa arca omnē proſperitatem, veluti horas noctis morte terminari: ſignificabat etiam Ægyptum, hoc eſt mundum ita deſerendum eſſe, vt nec cineres, nec aliquid noſtri in eo eſſe patiamur. Exemplo Ioſephi, qui in Chriſtum ſuſpirans, cuius vel pedibus premi oſſa ſua optabat, exportari in terram promiſſionis oſſa ſua mandauit. Quod ad interuallum duorum millium cubitorum attinet, iam ſuprà annotauimus id quod D. Auguſt. & Gloſſ. Ord. etiam affirmant, longè iuſſam eſſe arcam fœderis præcedere, vt poſſet à populo videri. Rab. Salomon, ad venerationem etiam ſpectare cenſet id ſpatium. Arcæ verò oſſium Ioſeph, non opus fuit locum certum deſignare; duntaxat ob iuramenti præſtiti religionem exportanda erat. Iuramentum námque illud poſteros etiam aſtrinxit, vt perſpicuum eſt.

Marginal notes, left margin: *Ioſue. 14.* — *Num. 19. Qui tangebat morticinum, legem mandauit* [illegible] *dierum.* — *Modus ſanctorum veneratio debetur.* — *Seorſum fuit et arca oſſium Ioſeph ita portata, vt miraculum diuiſi Iordanis illi nō attribueretur.* — *In altari, in quo ſacra Eucharistia, non debent collocari Diuorum reliquiæ.* — *Arca fœderis ſignificat animos ad ſpem rerum ſecundarum.* — *Ioſeph oſſa ſua Chriſti pedibus optabat premi.* — D. Auguſt.

3. Quæres, an cum oſſibus Ioſeph, reliquorum Patriarcharum oſſa extulerint Hebræi egredientes ex Ægypto. Fateor nullam de oſſibus, aut ſepulchris cæterorum Patriarcharum in ſcriptura fieri mentionem. Solùm enim in veteri teſtamēto Ioſephi exportatio refertur; 11. Patriarcharum, non item: vbi enim leguntur Hebræos, vt id facerent adiuraſſe, oppoſita tamen ſententia probabilior eſt. Nam D. Stephanus Actor. 7. Patriarchas ſepultos eſſe in Sichem docet. Quod confirmat Hieron. in epitaphio Paulæ, & ad Pammachium de optimo genere interpretandi: Quare dicendum eſt, vnamquamque tribum, ſui Patriarchæ oſſa in terra Chanaan aſportaſſe, & in Sichem ſepeliſſe; vbi condita quoque ſunt Ioſephi oſſa, vt vnus locus, duodecim Hebræi populi Patriarcharum oſſa haberet. Hinc patet, præter arcam fœderis, 12. vel 14. arcas, oſſibus Patriarcharum incluſis, fuiſſe per deſertum ab Hebræis ſingulas à ſingulis tribubus exportatas in terram Chanaan; oſſaque ipſa in Sichem ſepulta. Illud reiiciendum, quòd aliqui aſſirmarunt, ante exitū populi de Ægypto aliorum Patriarcharum oſſa in terram Chanaan fuiſſe illata. Nam ſi id probabile eſt, cur potiùs in Sichem, quàm in Hebrō, vbi trium primorum Patriarcharum cadauera humata fuerant, Hebræi hæc oſſa ſepulchrent? Memini Ioſephum lib. 2. Antiq. cap. 8. ſcripſiſſe 11. Patriarcharum oſſa in Hebron ſepulta fuiſſe; cui tamen repugnare videtur D. Stephanus, cui fides habenda eſt: niſi pro Ioſepho dicas, primùm in Hebron ſepulta fuiſſe; deinde in Sichem, aut è contra. Quod ex eo vero ſit ſimile, quod 24. cap. Ioſue poſt commemorationem rerum per multos annos geſtarum, agitur de oſſibus Ioſeph tumulatis in Sichem, vt probabile ſit, ea, tunc ex Hebron vbi primùm fuerunt collocata, illuc pace conſtituta fuiſſe illata. Sed de his eo loco copioſiùs agendum eſt.

Marginal notes, right margin: Gloſſ. Ord. R. Salomon. — *Vnde im Patriarcha nonleguntur adiuraſſe Hebræos, vt ſua oſſa exportarent ex Ægypto.* — Act. 7. Hieronymus. — *Oſſa 12. Patriarcharum in Sichem.* — *Vnaquæque tribus oſſa ſui Patriarchæ aſportabat.* — *Ioſephus conciliatur cum D. Stephano.*

Verſ. 7.] Dixitque Dominus ad Ioſue, &c.

Audieritne Ioſue intra ſancta ſanctorum, an extra Deum loquentem.

ANNOTATIO V.

1. VNo è tribus modis Deus loqui conſueuit cum Moſe. Primo, ex loco propitiatorij per Angelum intra ſancta ſanctorum, corporea ſub ſpecie, reſponſa illi reddentem. Vnde Num. 7. dicitur: *Cúmque ingrederetur Moſes tabernaculum fœderis, vt conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe, de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubinos, vnde & loquebatur ei.* Secundo, ex oſtio tabernaculi, Num. 12. *Conſtituam, vt loquar ad te, atque præcipiam filiis Iſrael.* Vnde etiam alloquutus eſt Mariam, & Aaron

Marginal notes: *Vno è tribus modis Deus loquebatur cum Moſe.* — Num. 7. — Num. 12.

Exod. 16. 33.

A ron,& ibi commoratur. Tertio, ex columna nubis extra caſtra, vt patet Exod. 16. & 33. *Ingreſſo autem illo tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis,& ſtabat ad oſtium, loquebaturque Dominus ad Moſen facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum.* Cum Ioſue verò non eſt Deus locutus ex propitiatorio intra ſancta ſanctorum: illuc enim adire nemini fas erat, niſi ſummo ſacerdoti; idq; ſemel in anno, vt patet Leuit. 16. & ad Hebr. 9. imò non licebat alicui homini eſſe intra totum tabernaculum, vt conſtat ex cap. Leuit. citato; quando ſacerdos illuc ingrediebatur. Soli Moſi ex ſingulari prærogatiua conceſſum eſt, à Deo, vt eò quoties volet, adiret, vt patet Num. 7. B

Cum Ioſue loquebatur Deus ad oſtium tabernaculi, vel ex nube.
Leuit. 16.
Hebr. 9.
Num. 7.

2. Quare dicendum eſt, loqui cum Ioſue Deum conſueuiſſe in duobus locis, vel ad oſtium tabernaculi quo poterant accedere,& ſtare etiam prophani homines, & vulgares; vel in nube, quamdiu nubes perſeuerauit in Hebræorum comitatu, extra caſtra, vel etiam in caſtris, quia propheta erat. Adde, quod bene aduertit Abulenſ. q. 13. cap. 3. fortè locutum fuiſſe Deum cum illo deſuper arcam cum eſſet foris, hoc eſt extra ſancta ſanctorum, vt portaretur à ſacerdotibus, quo pacto infrà cap. 7. dicitur. *Erat pronus Ioſue coram arca,& dixit Deus ei: ſurge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſrael,&c.* Nec ſoli Ioſue, ſed cuique Hebræo fas erat ſtare coram arca extra ſancta ſanctorum. C

Abulenſ.

3. Cauſam diſcriminis duplicem reddit Abulenſ. Prima eſt, quia arca intra ſancta ſanctorum, nihil habebat operimenti; extra verò, ornata erat palliis, vt patet Num. 4. Hæc autem cauſa tanti eſt; vt non liceret laico, imò nec Leuitæ ingredi tabernaculum, nec videre aliquod vas ſanctū, cùm amictu ſuo nudatum erat. Nam reus erat mortis, qui vaſa ſancta nuda videbat, etſi Leuita eſſet, cuius officium erat ea humeris impoſita, cùm caſtra mouebantur, exportare. Certè 1. Regum 6. narratur; quinquaginta hominum plebeiorum millia; & de populo honoratiore ſeptuaginta viros periiſſe, quia viderunt arcam Domini ſuis nudatam ornamentis. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus* (inquit ſcriptura) *eo quod vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, hoc eſt, ſeptuaginta ſupra quinquaginta millia virorum:* quod (vt Caiet. exponit) curioſè inſpexerint in ea, quæ elaborata erāt ab artificibus tēpore Moſis. Lyranus addit cauſas quoque mortis extitiſſe: ineptam lætitiam, ſacrificium vaccæ in holocauſtum contra ritum legis oblatum: ac denique relictam arcam ſub dio ſine luminaribus,& cultu debito, &c. Secunda, quia quando arca erat intra ſancta ſanctorum; Angelus ex propitiatorio in aſſumpto corpore ita loquebatur, vt nemini liceret, excepto Moſe illum videre. Vnde ſacerdos ſummus, fumum è thymiamate denſum, ingreſſus illuc excitabat, vt operto, ea caligine, propitiatorio, Angeli aſpectus adimeretur, nihilq; ipſe videret, vt patet Leuit. 16. Cum verò arca efferebatur extra propitiatorium, nihil horum in ea erat: atque adeò cuiq; fas erat, eam è propinquo videre. Vnde concluditur, cùm hoc loco, & cap. 4. dicitur Deus loqui cum Ioſue, redditum fuiſſe oraculum, vel ex arca, extra ſanctuarium poſita, & ornata, vel ex oſtio tabernaculi, vel ex aliqua nube, vbi Deo placuit, apparente. D E

Arca intra ſancta ſanctorum nihil habebat operimenti.
Num. 4.

1. Reg. 6.
Quinquaginta hominum millia narrantur periiſſe, quod viderunt arcam ſine palliis & operimentis.

Summus ſacerdos fumum excitabat è thymiamate, ne videretur Angelus, qui loquebatur de propitiatorio.
Leuit. 16.
Ioſue. 4.

Verſ. 10. In hoc ſcietis, quod Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum,&c.

An Iſraelitæ ſine haſitatione ſperare poſſent extinctionem Chananæorum, eò tantùm, quod Ioſue id, diuiſione Iordanis confirmaret?

ANNOTATIO VI.

1. EXPVGNATVM iri ſeptem gentes, ex decreto voluntatis diuinæ quod per miraculum diuiſionis aquarum Iordanis, ſignificabatur, Iſraelitæ non dubitarunt. Quare audientes Ioſue, cui tanquam Dei prophetæ, fidem habere didicerant,& potentiam Dei, quam Iordanis diuiſio declarabat, & voluntatem, quam ducis ſui oratio interpretabatur, agnouerunt. Idcircò alacres, & læti ad ingreſſum terræ promiſſæ ſe accingunt, ſine haſitatione felicem euentum ſperantes in Deo, qui fidelis eſt; & non mentitur, quia, vt dicitur 2. Timoth. 2. *Seipſum negare non poteſt.*

Fides habenda erat Ioſue tanquam Dei prophetæ.

2. Tim. 2.

2. Obiicies, non videri indubitatam fidem, quæ habetur prophetis quando prædicitur ſignum rei euenturæ. Deus enim Deut. 13. ait: *Si ſurrexerit in medio tui propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat,& prædixerit ſignum, atque portentum,& euenerit quod locutus eſt,& dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras,& ſeruiamus eis. Non audies verba prophetæ illius* &c. Ex quibus verbis colligitur, fieri poſſe, vt Propheta prænunciet verum ſignum futurum, & poſtea Deo inconſulto adiungat alia, quæ non erunt, aut fieri non decet. Vt ſi Ioſue dixiſſet. Prænuntio diuidendas eſſe cras aquas Iordanis; itémque vniuerſam terram Chanaan tradendam vobis ante quinque annos. Nónne hoc poſterius dictū falſum eſſet? ſanè, terra Chanaan, vſq; ad tempora Salomonis, nunquam tota tradita fuit Hebræis, vt ex 2. Paralip. cap. 8. manifeſtum eſt. Nihilominus prædictio Ioſue eo modo, quo propoſita miraculi atteſtatione fuit ſatis confirmata, & certa videri debuit. Euulgata namque eſt à Propheta, qui nunquam mendax fuerat deprehenſus, adhibito inſuper patenti, & ſtatim futuro miraculo. Prophetis namque fides habetur, vt notauit Abulenſ. q. 24. aut quia nemo de diuino illorum afflatu dubitat; quo pacto credimus Iſaiæ,& cæteris, qui ab Eccleſia recepti ſunt! Aut quia præmittunt ſigna ad confirmationem vaticinij, vt olim præmittebant illi, qui nondum ſatis noti erant, vt patet in Helia, cui fides fortè, quia iuuenis erat, non habebatur; ac proptereà ignem deſcendere fecit de cœlo, 3. Reg. 18. ſuper ſacrificium. Et quidem Ioſue in primo prophetarum ordine cenſeri debet, voluit tamen Deus vt ſigno præterea proximè ex illius vaticinio, edendo, maior illi conciliaretur & authoritas, & fides. Ex ſignis namque ſtatim editis ad confirmationem alicuius rei; robur fidei ſolet accedere.

Deut. 13.

2. Paral. 8.

Helias quia iuuenis erat, ſignū fecit ignē de cœlo deuocato, vt propheta haberetur.
3. Reg. 18.

Exod. 4.

3. Sic Deus olim, Exod. 4. non vno tantùm, ſed tribus prodigijs, voluit certum reddere Moſen, & per ipſum Hebræos, liberationis, quã illo duce, & legato moliebatur ad exitum perducere. Primum ſignum fuit virga, quam tenebat, quæ proiecta in terram verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moſes;& rurſus in priorem virgæ naturã reducta. Alterum fuit manus in ſinum immiſſa,& qualis priùs erat educta. Tertium, aqua fluminis in terram effuſa,& ſubito in ſanguinem cõmutata: Quamuis hoc tertium ſignum non ſtatim fuerit factum vt bene annotauit Philo Iud. lib. 1. de vita Moſis. *Hæc*, inquit, *ſolus*, ſcilicet Moſes, *à ſolo diſcebat, tanquam à Magiſtro diſcipulus habens ſecum inſtrumenta prodigiorum, manum, & baculum, quibus quaſi viatico inſtructus eſt. Tertium prodigium, nec circumferre ſecum, nec exequi potuit, quod id reſeruaretur Ægypto, non ſanè prioribus minus horrendum ſtupendúmque.* Hęc Philo, cui magis accedunt interpretes ſacri, quàm Ioſepho, qui lib. 2. Antiq. ſic ſcribit. *Iuſſus deinde aquam è propinquo hauſtam humi effundere videt eam in colorem ſanguineum verſam*,&c. Quibus verbis ad duorum ſignorum effectionem, ſtatim exercitam, tertij executionem addit. Vide Benedict. Pererium diſp. 1. in cap. 4. Exodi.

Moſes tribus prodigijs redditus certum populum ſe à Deo fuiſſe in ducem datum à Deo.

Philo Iud.

Moſes coram Deo duo edidit prodigia, tertium dilatum eſt in Ægyptum.

Ioſephus:

4. Huiuſmodi ſignis perſuaſus eſt à Deo, certúſque factus Moſes, Hebræos fidem verbis ſuis habituros, & legationem libenter recepturos. Sic etiam Deus Iudic. 6. Gedeonem, quem populo ſuo ducem præficiebat, & liberatorem, ſecurum reddidit proſperi ſucceſſus duobus ſignis in vellere antè oſtenſis. Quando verò aliquis infidelis eſt,& Deus vult illum ſignis ad partem aliquam pietatis traducere ægrè fert in recuſando ſigno ad confirmationem vaticinij oblato, obſtinationem, qualis extitit in Achaz, Iſaiæ 7. Deus enim timentem populum bella, Regémque ipſum aduerſa formidantem, per Iſaiam leuare metum volens, ſic ait ad Regem Achaz. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà*,&c. Quibus verbis (vt annotauit D. Hierony.) optionem dabat propheta, vt peteret quodlibet ſignũ, quo de ſe lici euentu certus eſſet, vel ſurſum, vel deorſum, vel è cœlo, vel ab inferno. *Aſcende*, inquit, *ſurſum vel deſcende deorſum, mente cœlum, vel infernum adi. Et ſignum quod malueris poſtula. Vide Dei, te oro, quæſoque, etiam erga incredulos, benignitatem, & quàm cuperet gentem illam in fide confirmare. Quis ergò dubitet quin voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet? Expende quoque Regis impij ingratitudinem. Non petam*, inquit, *& non tentabo. Dicis nihil mihi nocituros hoſtes, iubes me quieſcere, neque aliud agere, id planè eſt tentare Deum. Ipſe enim in his periculis vult, vt nos ipſi quidquid poſſumus, faciamus. Ego pecunias habeo, conducere poſſum milites Aſſyrios*, &c. *Nolo igitur ſignum petere, neque ignauo otio torpere, ne Deum tentem.* Vide 4. Reg. cap. 16.

Iudic 6.

Gedeon certus eſt redditus proſperi ſucceſſus duobus ſignis.

Iſai. 7.

Explicatur locus Iſaiæ cap. 7. Pete tibi ſignũ &c.

Regis Achaz impia reſponſio.

5. Hoc reſponſo audito, queritur Iſaias, ſe Dei nuntium contemni; imò ipſum Deum. Hic enim ait, *Numquid parùm vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis, & Deo meo?* In Hebræo eſt. *Num parùm eſt vobis defatigare homines, quia defatigatis etiam Deum meum?* Vel, *An parui ſit à vobis defatigare homines, quandoquidem defatigatis etiam Deum meum?* Quæ verba cum ſenſum reddunt, quem illa exprimunt. *Non te abiecerunt, ſed me. Et qui vos audit me audit.* Ac ſi dicat: Ne parui faciatis me, & verba mea, quaſi cuiuſuis alterius homi-

Impij recuſantes oblatam Dei beneficẽtiam, Deum videntur fatigare.

A nis. Scitote, quod dum me fatigatis, Deo quoque meo negotium faceſſitis. Rectè autem hypocriſim, & ſpecie Religionis Dei iuſſis non parere, rogantémque Deum, & ſponte bene facere volentem contemnere, dum ſequimur humanam prudentiam, & noſtris viribus innitimur, appellat Propheta Dei defatigationem. Videntur enim impij, Deum quaſi ad benefaciendum, currentem, retardare, & quodammodo defatigare. Quod multis in locis Iudæis exprobrat. Et quidem Deus, qua eſt benignitate, etiam erga impios, & rebelles, Iudæis periclitantibus, ne regnum amitterent, obtulit liberationem, cuius oblationis fidem miraculo voluit confirmare.

B Illi diuinis promiſſionibus diffidentes, de defectione ad hoſtes, & deditione cogitant. Rex neque liberari ſe poſſe credens, neque oblatum miraculum admittens, copias Aſſyriorum, à quibus terra Iuda amiſſo regno, & Hebræis in captiuitatem abductis vaſtata eſt, pecunia conduxit. Propheta ergò quaſi fatigatus infidelitate Regis, & populi ſuæ ætatis, futura proſpiciens, ſignum promittit, non ipſis in præſentia vtile futurum, ſed poſt quingentos, vel potius poſt 767. annos, ortu videlicet Meſſiæ, populum ſuum ab hoſtium ſpiritualium incurſionibus liberaturi. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.*

Regis Achaz conſilium, ipſi, & regno piſſimum.

Chriſtus quingẽtis, annis poſt Iſaiæ vaticiniũ de Virgine natus eſt.

C Ob hanc, inquit, incredulitatem veſtram, non dabitur vobis in præſens ſignũ liberationis, quod Deus offerebat, ſed ab hinc multis annis aliud dabitur, non vni populo, ſed toti mundo vtile futurum, ſed poſt quingentos, vel potius poſt 767. annos, ortu videlicet Meſſiæ, populum ſuum ab hoſtium ſpiritalium incurſionibus liberaturi. *Propter hoc dabit vobis Dominus ipſe ſignum. Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ac ſi dicat: Ob hanc incredulitatem veſtram, non dabitur vobis in præſens ſignum liberationis, quod Deus offerebat, ſed ab hinc multis annis aliud dabitur, non vni populo, ſed mundò vniuerſo quà latiſſimè patet, valde vtile.

D 6. Laudandi igitur ſunt Hebræi, qui Ioſue duci, & prophetæ aduerſariorum euerſionem pollicenti ex ſigno diuiſi Iordanis, crediderunt, eaque ſpe erecti, non dubitarunt fore, quod ab illo fuerat Dei iuſſu pronuntiatum. De pœna, qua afficiendi ſunt in lege gratiæ, qui falſa annuntiant, vaticinium habes, Zach. 13. ab eo loco, *Et erit in die illa confundentur Prophetæ, nec operientur pallio ſaccino vt mentiantur, ſed dicet: non ſum Propheta*, &c. Ac ſi dicat ea religione tunc coletur Deus, vt ſi quis ficta prophetia imponere hominibus voluerit, ipſi illius parentes, zelo fidei in cenſi, ſententiam in eum mortis proferent ob

Zach. 13.

Meritò comburuntur, hæretici in lege gratiæ.

E mendacium, quo ait, ſe à Deo mitti. Vnde Theodor. hunc locum explicans ait. *Non obſcurum eſt hoc factum fuiſſe propter eos, qui in Chriſtum crediderunt. Non modo*, inquit, *idolorum mendacia reſtinguam: ſed diuinationem exercentes, & malo ſpiritu conſtrictos liberabo ab hoc errore. Tanta pietas verſabitur in orbe terræ, vt nec pater nec mater filio ignoſcant diuinationem profitenti, quin eum vinculis conſtringant & plagas inferant, & mortem intentabunt. Atque omnes qui prædictiones mendaces profitentur, videntes pietatem confirmari, & maximas vires colligere, lugubrem ornatum inducent.* Hæc Theodor. Ex quo infers, æquiſſimo iure interfici hæreticos,& comburi, qui inanem doctrinam ab Apoſtatis acce-

ptam euulgant. Illa denium fides ſana eſt, quam doctoris vita commendat, & ſigna, vel in præſentia, vel olim ad confirmationem edita, conſpicuam reddit, & illuſtrem.

Verſ. 15. 16.] Ingreſsíſque eis Iordanem, & pedibus eorũm in parte aquæ tinctis, &c. Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcẽtes apparebant procul, &c. Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis deſcenderunt, &c.

An vera ſint, quæ Ioſephus ſcribit de diuiſione, & tranſitu Iordanis.

ANNOTATIO VII.

Ioſeph.

1. DIVISIO, & tranſitus Iordanis diſertè proponitur in hoc capite. Eam tamen Ioſephus lib. 5. Antiq. ita enarrat, vt nonnihil videatur à ſacra ſcriptura ſecedere: ſic enim ait. IESVS, *autem Pontifici Eleazaro, & ſenioribus dixit, quæ fuerant ab exploratoribus iurata Rahab, qui iuſiurandum ſua quoque ſententia firmauerunt. Metuente verò duce tranſitum fluminis cùm eſſet grandis eius impetus, neque pontibus tranſiretur; nam primitus non erat iunctus: qui etiam ſi vellet ei pontem facere, nequaquàm ſe arbitrabatur propter hoſtes habere permiſſionem. Inter hæc Deus tranſibilem fluuium fieri ei compromiſit, magnitudinem eius imminuens. Et duobus tranſactis diebus* IESVS *tranſpoſuit cunctum exercitum; totámque multitudinem tali modo. Præcedebant quidem ſacerdotes habentes Arcam; deinde Leuitæ tabernaculum, & vaſa, quæ ad ſacrificiorum miniſteria ſunt neceſſaria, deferentes. Sequebatur autem eis Leuitas per tribus ſuas omnis exercitus, habens in medio infantes, atque mulieres. Metuebant enim propter eos, ne vim paterentur in flumine. Cúmque ſacerdotibus introeuntibus, meabilis iam fluuius videretur, altitudine quidem eius imminuta; alueo vero (eo quod non multus eſſet fluctus) quaſi ad ſicci pauimenti inſtar expoſito, omnes iam confidenter, fluuium tranſmeabant. Et qualem eum Deus futurum prædixerat, talem eſſe conſpiciebant. Steterunt autem in medio ſacerdotes, donec turba tranſiret, & ſecuritatem attingeret.*

Ordo proponitur quo flumẽ tranſire Iſraelita cum vxoribus & pueris.

2. *Omnibus itaque traſeuntibus, egreſſi ſunt ſacerdotes liberum iam fluuium relinquentes, vt more ſuo diſcurreret. Et fluuius quidem egreſſit. Hebræis denuò creuit, & magnitudinem ſuam recepit*, &c. Abulenſ. recitãs q. 39. hæc verba Ioſephi, excuſat eum, quod à veritate ſacræ ſcripturæ, cuius ipſe erat peritiſſimus, aliquantulum diſcrepet ea ratione, quia viginti antiquitatum Iudaicarum libros gentilibus legendos ſcripſit, quibus magis veriſimiles res, plauſibiliores pro veris putauit fore iucundiores maximè vbi miracula quibus illi ob infidelitatem non erant aſſenſum præſtituri, occurebant. Id confirmat primùm quia Iudicum 12. oſtenditur potentia Abdon Iudicis Iſraël, eo quod habuerit quadraginta filios, & triginta tres nepotes aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum. Ioſephus autem hoc ipſum referens lib. 5. Antiq. quia aſinorum mentio ludibrio erat Romanis; ſcripſit filios, & nepotes dicti Iudicis, ſeptuaginta equis aſſueuiſſe exerceri: Legerat forte apud poëtam non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem ex Platonis doctrina Romanis placuiſſe in campis Elyſijs equorum vſum.

Abulenſ.

Ioſephus aliquãdo diſcrepat à ſacra hiſtoria vt placeat Romanis.

Iudic. 12.

Ioſephus.

Equorum apud Romanos gloria, aſinorum vilitas fuit.

Secundò. quia Iudic 4. redacti in extremas anguſtias dicuntur Iudæi à Rege Iabin, quod haberet nongentos falcatos currus: quæ res Iudæos ignauos eſſe innuere poterat, & deſpicabiles, quandoquidem expedire ſe à tam exigua hoſtium manu non poſſent. Idcircò ad id, quod ſacra ſcriptura commemorat, addit: habuiſſe Regem Iabin armatorum trecenta millia. Alia præterea adducit exempla, quibus ſuam ſententiam confirmat. Nihilominus in enarratione tranſitus Iordanis non ita mihi videtur Ioſephum à veritate diſcrepaſſe (vt Abulenſ. calumniatur) potuit quidem Ioſue tranſitum fluminis metuere ante diuinam reuelationem, nec id repugnat ſacræ ſcripturæ. Potuit & pontem lapideum aut ligneum cogitare, & hoſtium antequam fabricaretur, incurſionem formidare, ante prædictam reuelationem. Iam imminutio aquarum, quam refert à Deo factam, quid continet veritati contrarium? An non imminutæ ſunt aquæ inferiores? Nónne veriſimile eſt à Leuitis ſequentibus ſacerdotes, exportatam fuiſſe fabricam tabernaculi? Quod de pueris, & mulieribus dicitur in medio agmine progredientibus, ne timerent, num abſurdum eſt? Nónne affirmat alueum inſtar ſicci pauimenti redditum?

Iudic. 4.

Ioſephus Regis Iabin exercitum amplificauit contra veritatem ſacræ ſcripturæ.

Quæ narrat Ioſephus de tranſitu Iordanis, non ſunt contraria ſacræ ſcripturæ.

3. Fateor quidem Ioſephum non omnino exactè ſcripſiſſe, quæ incredibilia poterant Romanis videri; atque adeò in iis rebus, modum, quod probabiles viderentur frequenter appoſuiſſe. Vnde refugientes Iordanis aquas in fontem diuiſione mirabili tacuit. Sic, infrà, ſolem ſtetiſſe tanquam rem Romanis incredibilem, non refert, ſed quod dies aliquantulum ſolito plus, creuerit. Sic etiam lib. 2. Antiq. non auſus eſt tranſitum maris rubri, vt accidit euulgare, niſi alia induceret ſimiliter apud gentes, facta; vnde dubitare videtur, an illa diuiſio maris facta ſit ſingulari quodam Dei beneficio, an ſponte naturæ, & liberum lectori relinquere aſſentiendi, aut diſſentiendi iudicium; quin etiam addit, ſimile quippiam accidiſſe in mari Pamphilico, ducente Macedonum copias Alexandro Magno. *Alexandri*, inquit, *ductu Macedonibus Pamphilicum mare ceſſit, & aliam viam non habentibus, illac iter aperuit. Cùm Deus eius opera ad deſtruendum imperium Perſarum vti decreuiſſet. Id quod omnes teſtantur qui res geſtas illius Regis prodiderunt.* Hæc Ioſephus. Vt tamen perſpicias Pamphilicum mare non miraculo vt rubrum, ſed ſponte naturæ apertũ fuiſſe, audi Strabonem lib. 14. de mari Pamphilico loquentem: ſic enim ſcribit. *Eſt mons nomine Climax Pamphilico mari adiacens, is tranſitum per anguſtum in littore relinquit, qui mari tranquillo aquis ita nudatur, vt iter facientibus ſit peruius: pelago autem affluente, vndis totus contegitur: tranſitus porrò per montem, tum arduus eſt, tum etiam prolixus, quare tranquillo mari, via, quæ in littore eſt, capitur ab omnibus. Alexander verò in hyemem incidens, & maximam partem rerum ſuarum fortunæ permittens, priuſquàm fluctus recederent mouit: ſed oppreſſus à fluctibus, contigit, vt tota die iter faceret in aqua vmbilico tenus.* Hæc ille, vt ſcias euentum, quò eſſet admirabilior ab ſcriptoribus ita prædicari, vt vadis Pamphilicis Alexandro fauentibus, lectori æſtuarias maris viciſſitu-

Ioſephus, vt Romanis, qui fidem non habebant, miracula commemoret, modum addidit, quo minus ſtupenda viderentur.

Ioſephus tanquam fuiſſe mare ſine miraculo videtur exiſtimaſſe.

Strabo.

Pamphilicum mare non fuit miraculo apertum Alexandro. Quod de rubro ſecus miraculo factũ eſt.

dines

Euſebius.

dines ignoranti, miraculum videretur. Contrà verò Memphitæ (vt refert Euſebius lib. 9. de Præparat. Euang. cap. vlt.) diuiſionem maris rubri, quæ ſtupendo miraculo facta eſt, ad peritiam quam habebat Moſes refluxus eius maris, falsò retulerunt. In quo illis Hieropolitæ præſtiterunt, qui tradidere propter Gazam, quam Iudæi mutuò acceperant ab Ægyptiis abſtulerant, Pharaonem magno exercitu illos fugientes perſecutum fuiſſe. A Moſe verò baculo mare percuſſum, viam ingentem aperuiſſe, per quam ipſe cum populo tranſierit incolumis. Vide Lippomani catenam ſuper cap. 14. Exodi.

Quid ſenſerint ethnici de tranſitu maris rubri.

Verſ. 15.] Ingreſsíſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis: Iordanis autem ripas alueí ſui, tempore meſſis impleuerat.

De origine, & incremento Iordanis.

ANNOTATIO. VIII.

Iordanis duo fontes.

A Radice montis Libani duo oriuntur fontes, quorum vnus Ior, alter Dan vocatur: Quibus ſub monte Gelboe coëuntibus, Iordanis, in quo Chriſtus à Ioanne baptizari voluit, efficitur. A montibus vſque ad lacum Aſphaltitis vallis, per quam Iordanis labitur, Hebræo vocabulo Aulon appellatur. Porrigitur illa vallis non parua latitudine, & longitudine vberrimi agri continuis montibus vallati à Libano vſque ad deſerta Pharan. Diuidit autem Iordanis Galilæam, & Idumæam. Dan ferè ab ortu ſuo, ſubterraneum ſuum ducit gurgitem vſque ad Maldan planitiem illam, in qua ſatis patenter ſuum oſtendit alueum. Ex planitie prædicta, Dan ſe reddens in fluuium, Suetam pergit in qua pyramis B. Iob adhuc ſuperſtes à Græcis & Gentilibus ſolennis habetur. Inde ſe obliquans contra Galilæam gentium ab vrbe Cedar, ſecus balnea Spineti plana transfluens, Ior copulatur. Hæc ferè ex Abulenſi, quæſt. 37. in cap. 3. ſumpſimus, quæ fuſius explicantur in deſcriptione terræ ſanctæ. Creſcit autem hic fluuius liquefactis Libani niuibus. Licèt enim in terra plana terræ Chanaan rarò niues ſint in altiſſimis tamen montibus ob frigoris magnitudinem, maximè qua parte ad Aquilonem vergunt, perpetuò ferè niues apparent. Vnde à Lauan, voce Hebræa, quæ albedinem ſignificat, Libano datum eſt nomen. Niues autem huius montis reſolutæ in Iordané, & confluentes in eum amnes decidunt adeóque certum eſt niuibus perpetuis vigeſcere Libanum, vt dixerit Hieremias 14. *Numquid deficiet de petra agri, nix Libani*, quaſi dicat, Numquam deficiet.

Pyramis Iob in Damasco eſt.

Abulenſis.

Deſcriptio terræ ſanctæ.

A candore, Libano datum eſt nomen.

Hierem. 14.

2\. Rogabis vnde proueniat inundatio aquarum Iordanis quolibet anno meſſis tempore, cùm habeatur pro miraculo, ſi in terra promiſſionis fluat eodem tempore? Samuel námque 1. Reg. 12. vt confirmaret miraculo, Iudæos peccaſſe petentes Regem, precibus obtinuit a Deo, vt meſſis tempore plueret. Sic enim ait. *Sed nunc ſta & vide rem iſtam grandem, quam facturus eſt*

Reg. 12. Samuel pluuias & tonitrua ... impetrat ...

A *Dominus in conſpectu veſtro. Numquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias. Et ſcietis & videbitis, quòd grande malum feceritis in conſpectu Domini Dei, petentes ſuper vos Regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit voces, & pluuias in die illa.* Inundatio ergo Iordanis ſuper ripas, tempore meſſis, cuius, hic meminit ſcriptura; non ex pluuia, ſed ex liquefactis Libani niuibus, orta eſt. Nempe,

Vere nouo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.

Virg. lib. 1. Georg.

3\. Sed cur veris initium, tempus meſſis dicitur? An quia citiùs quàm apud nos illic proueniunt meſſes? Sanè in terris calidioribus, qualis eſt illa, citiùs fruges matureſcunt, quàm apud

B nos. In Luſitania námque pro diuerſitate locorum, eſt eleuatio poli 39. 40. 41. graduum. In ciuitate verò Hieroſolymitana, quæ eſt veluti in meditullio terræ ſanctæ, ſiue Chanaan eſt eleuatio graduum 32. Quare iuxta vulgarem Aſtrologiæ regulam, cùm terra quæuis tantò magis appropinquet ad æquinoctialem, quantò eſt eleuatio poli minor, fit vt quamuis apud nos, nec in toto Aprili, nec parte Maij, ſit tempus meſſium, tamen in terra illa ſit etiam in menſe Martij, ob maiorem vim caloris. Quod autem menſis primus in terra Chanaan ſit tempus frugum, patet, quia in feſto azymorum, quod incidit in

In Palæſtina in menſe Martij ſunt fruges præmaturæ.

C 15. diem menſis primi, ex præcepto Leuit. 23. cap. de nouis frugibus iam maturis offerebantur manipuli in farinam conuertendi; Imò hic menſis Exod. 13. vocatur menſis nouarum frugum. Et cap. 4. & 5. infrà; Iordanis tranſmiſſus eſt 10. die primi menſis: & poſt dies quinque, hoc eſt, 15. die, comederunt Hebræi de frugibus nouis eiuſdem anni, & ceſſauit manna. Vide Abulenſ. quæſt. 35. in cap. 3. Ioſue.

Leuit. 23.

Exod. 13.

Martius in Palæſtina dicebatur menſis nouarum frugum. Abulenſ. *Ceſſauit manna*

Verſ. 16.] Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebát procul ab vrbe, quæ vocatur Edom,

D vſq; ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent.

Miraculum diuiſionis aquarum maris rubri, & Iordanis.

E

ANNOTATIO IX.

1\. LEGIMVS in ſacris litteris, miraculo diuiſas fuiſſe aquas: maris quidem rubri ſemel virga Moſis. Aquas autem Iordanis ter: ſemel ad præſentiam Arcæ fœderis imperante Ioſue; & bis pallio Eliæ. Primùm iubente Elia, ſic enim dicitur 4. Reg. 2. *Illi autem*, Elias ſcilicet, & Eliſæus, *ambo ſtabant ſuper Iordanem. Tulitque Elias palliũ ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum*, &c. Deinde iubente Eliſæo poſt raptum curru igneo magiſtrum ſuum, ſic enim

Iordanis ter diuiſus fuit: mare rubrum ſemel.

4 Reg. 2

ſacra

4. Reg. 2.

Eliſæus pallio Eliæ diuidit Iordanem.

A ſacra hiſtoria ait: *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuerſuſque ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ. Et dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt huc, atque illuc, & tranſiit Eliſæus. Videntes autem filij prophetarum, qui erant in Hiericho è contra dixerunt: Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum*, &c. Vbi annotauit Caietanus, propterea Iordanem non fuiſſe diuiſum ad primum Eliſæi conatum, ſed ad ſecundum, quia in primo (vtpote, qui nondum ſatis peritus erat prophetici moris) non adhibuerat Dei inuocationem, quam in ſecundo adhibuit, repræſentatis inſuper Eliæ meritis cum admiratione. Audi Caietanum rationem in hunc modum reddentem: *Diſpoſuit Deus, vt Eliſæus non ſic ſecurus attentaret operari miracula tanquam confidens in veſte ſenſibili Eliæ, & in promiſſione ei facta ab Elia; ſed diſceret humiliter attentare miracula cum ſpeciali inuocatione Dei præmiſſa: quod prima vice non fecerat, ſed ſecurè percuſſit.* Lyra ſuper illud, *Vbi eſt?* &c. *Ad hanc*, inquit, *exclamationem diuiſæ ſunt aquæ, vt oſtendatur, quod non propriis meritis aſſecutus fuerat gratiam prophetandi, & miracula faciendi (hoc eſt, duplicem ſpiritum) ſed ex diuina liberalitate, & meritis Eliæ*, &c. Tantùm de miraculo diuiſi Iordanis pallio Eliæ.

Caietanus.

Eliſæus non ſtatim diuiſit Iordanem cùm voluit, quia non inuocauit Dñm.

Caiet.

B

Lyranus.

Didicit Eliſæus gratiam ſibi prophetandi & aperiendi Iordanem ex Eliæ merito ſibi donatam eſſe.

2. Diuiſio maris rubri, ita deſcribitur, Exod. 14. *Et cùm extendiſſet Moſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum*, &c. Quare diuiſis illa, qua via latiſſima patefacta eſt, fluctibus, muri inſtar, hinc inde aſſurgentibus ab omnipotente Dei virtute facta eſt, miniſterio Angelorum: à quibus etiam arbuſculæ, quæ (vt Plinius ait) ibi ſyluefcunt, abſciſæ fuerunt, ne impedimento eſſent, totaque via ita complanata fuit, vt producente terra gramineam viriditatem, populus ſine retardatione, ad diuinas laudes in optato littore decantandas, lætus feſtinaret; Quod ſignificatur non obſcurè (quidquid Lyranus, & Ianſenius dicant) Sap. 19. illis verbis: *Terra apparuit arida, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio*, &c. Græcè, τὸ πεδίον χλοηφόρον. Ventus præterea ad ſiccandum fundum maris, quod ſectione recedentium in contrarias partes aquarum, limo ac luto ſordeſcebat adhibitus eſt; non autem vt aliqua vi propulſiua, aquas protruderet, aut inducta ſiccitate abſumeret, vt aliqui commenti ſunt. Sicut enim poſteà in diuiſione Iordanis, tempore Ioſue facta, tumuerunt aquæ in parte ſuperiori: ita Dei virtute tempore Moſis, aquæ maris ad dexteram & ad ſiniſtram excreſcere iuſſæ ſunt: vnde pro, *Et abſtulit illud Dominus*. In Hebræo legitur, *Et duxit Iehouah mare*: quibus verbis non ſignificatur aquæ conſumptæ, ſed deductæ. Ventus autem ille ad exſiccandam viam in mari factam, non fuit Aquilonaris, vt quidam putarunt, qui vt poeta ait, *Arida differt nubila*; Flatum namque Septentrionalem impediebant altiſſimæ rupes ſolitudinis Ethan, quæ Hebræis impedimento etiam fuerunt, ne per terram iter facerent cæteroquin opportunum. Philo ſecutus Sept. interpretes, Auſtrum vocat. *Poſt Solis occaſum*, inquit, *exortus eſt Auſter vehementiſſimus, qui mare tunc ſolitum cum æſtu decedere, protruſit etiam vlteriùs nudatis littoribus, ſicut fit in torrentium eluuie*, &c. Idem cum ventum, quo aquæ ad demergendos Ægyptios in ſuum locum reductæ ſunt, appellat Aquilonem. Nihilominus Hebræa veritas, ventum hunc Orientalem nominat, ſic enim ait ad verbum ex verbo. *Et duxit Dominus mare in vento orientali forti.* Cui ſuffragatur Chaldaica periphraſis, & ratio ipſa: Hebræi namque verſus Orientem pergebant, & contra mare rubrum, quod Ægyptus orientale eſt.

Exod. 14.

C

Angeli complanarunt viam Hebræis in medio maris.

Plinius.

Lyranus.

Ianſenius.

Sap. 19.

D

E

Virg.

Philo Iudæus lib. 1. de vita Moſis.

A

Exod. 14.

3. Hæc diuiſio nocte facta eſt, vt illa verba indicant: *Abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte*, &c. Acceſſerunt enim Iſraelitæ ad littus maris rubri initio primæ vigiliæ: móxque Moſes virga mare aperuit; ſubſtiterunt tamen Hebræi in littore, donec vento vrenti a Deo immiſſo humidum fundum ſiccaretur. Quo ſatis exſiccato circa finem ſecundæ vigiliæ, & ſub initium tertiæ, ceſſante vento ingredi cœperunt per viam maris, & ſub initium quartæ omnes ad littus incolumes euaſerūt. Auſi verò Ægyptij ad finem tertiæ vigiliæ ſe in viam dare, ſub initium quartæ, quam ſcriptura vocat matutinam, temeritatis ſuæ, reductione aquarum, pœnas dederunt. Vide plura in noſtris commentariis ſuper primum canticum Moſis, & Benedictum Pererium ſuper Exod. cap: 14. diſp. 1. & 2. &c.

Diuiſum fuit mare initio primæ vigiliæ noctis.

B

Hebræi ingreſſi ſunt mare ſub initium tertiæ vigiliæ.

Pererius.

Exod. 14.

4. Veniamus ad Iordanem, cuius diuiſionem ſuprà in expoſitione contextus explicauimus. Modus autem diuiſionis, verbis admodum perſpicuis ſignificatur ad finem huius cap. Vnde in eo immorari non cogimur. Ad præſentiam namque Arcæ fœderis ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom. Inferiores autem, in mare ſolitudinis deſcenderunt, vſquequo omninò deficerent. Huius tamen miraculi, notanda eſt ſimilitudo cum illo in mari rubro olim edito. Primùm enim vtraque aquarum diuiſio ab omnipotente virtute dimanauit. Secundò, ad ſimilem finem facta eſt, nempe vt Hebræis pateret tranſitus, qui aliter interclufus erat. Tertiò, eundem effectum reſpexit, fidem videlicet, qua Deo, & ſuo duci, illic Moſi, hic Ioſue, aſtringi populum opus erat.

C

Similitudo diuiſionis maris rubri, & Iordanis.

D

5. Si quis voluerit ſtudiosè peruestigare, fueritne hoc miraculum illo maius? ſanè enim ex parte diuinæ potētiæ æqualis virtus eluxerit: admirabilitas tamen maior ab aliquo notari poteſt in diuiſione rubri maris. Primò, quia cap. 2. huius libri Rahab ſic ait. *Irruit in nos terror veſter, elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus, quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto*, &c. Deinde quia Iudith cap. 5. *Achior Holophernis roganti, vt aliquid referret de gente Hebræorum, reſpondit. Fugientibus iis Deus cæli mare aperuit, ita vt hinc & inde aqua quaſi murus ſolidarentur, & iſti pede ſicco fundum maris perambulando tranſirent, in quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos perſequeretur, ita aquis coopertus eſt, vt non remaneret vel vnus, qui factum poſteris nunciaret.* Hæc Achior. Ex his ſatis conſtare videtur celebriori fama vulgatum fuiſſe miraculum maris rubri diuiſi, quàm Iordanis; maioremque Gentibus cum quibus Iſraelitæ erant pugnaturi inieciſſe terrorem. Nihilominùs fallitur, qui eo argumento, illud huic præfert. Quò enim Iordanis diuiſi fama non peruenit? Quibus Hebræorum hoſtibus formidinem non incuſſit? Fuerit quidem maris diuiſio antiquior; at vulgatior non fuit. Audi ſacrum contextum cap. 5. huius libri: *Poſtquam, inquit, audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant*

Fuerit ne miraculum diuiſionis maris rubri, quàm Iordanis

Ioſ. 2.

Iudith

E

Fama miraculi maris rubri ... fuit, quàm Iordanis ... aut celebrior.

Ioſ. 5.

trant

trans Iordanem, ad Orientalem plagam, & cuncti Reges Chanaan, qui propinqua poſſidebant magni maris loca, quod ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filiis Iſrael, donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus, timentium introitum filiorũ Iſrael. Quare non debuit ex hoc capite à Benedicto diſp. 5. in cap. 14. Exod. celebrius, & inſignius reputari editum in Eryctræo mari à Deo miraculum.

Iordanis diuiſio ex circunſtãtiis mirabilior quã maris rubri.

6. Mihi ex aliquibus circunſtantiis Iordanis diuiſio, illuſtrioris miraculi appellatione, dignum videtur. Prima eſt recurrentium in fontem aquarum impetus, cumulúſque ſiue tumor citra vllam ſui diffuſionem; iugi perennitate ſcaturiginis, nullo modo impeditæ. Hic ſanè verum eſt illud quod fictè à poeta dictum eſt.

Virg. Georg. 4.

Curuata in montis faciem circunſtetit vnda.

E longinquo ob celſitudinem creſcentis in molem gurgitis aſpectabiles erant aquæ, & conſpicuæ. Poſteà verò redactæ ad priſtinum curſum paulatim ita depreſſæ ſunt, & elapſæ in ſiccatam fluminis partem, vt non redundarint; nec cum detrimento vicini agri, aut oppidorum, vt ſolet accidere, poſtquàm datur exitus aquis aliquo tēporis ſpatio repreſſis, ripas ſuperfluxerint. Duplex hic cernitur miraculum, vnum, in repreſſione recurrentis aquæ in fontes cum incredibili tumore. Alterum, in effuſione tanta moderatione facta vt planitiem ripis adiacentē fluctus innoxius non obruerit, quod in mari rubro non eſt factum. Secunda, arcæ fœderis, & legis exportatio, cui diuiſio aquarum tribuitur; cùm in tranſitũ maris rubri columna nubis dux tantùm fuerit viæ, quæ ad paucos annos, nempe vſque ad ingreſſum terræ promiſſionis erat duratura: Cum tamen arca, cuius ligna incorruptibilia erant pluſquàm mille annos durauerit, &(vt aliqui volunt) adhuc in loco ignoto cōſeruetur ad diem vſque mundi extremum perſeueratura. Quid? quod myſticè legis diuinæ cuſtodiam, & conſeruationem ſub Ioſue, hoc eſt ſub Chriſto ſpondebat, & ad finem vſque mundi in noua Eccleſia duraturam?

Arca fœderis tribuitur diuiſio Iordanis.

Arca fœderis pluſquam mille annis durauit. Aliqui putant eam adhuc in loco ignoto reſeruari.

7. Tertia, monumentum, quod ex duodecim lapidibus erectum fuit Ioſue iuſſu ad memoriam poſteritatis ſempiternam: nihil huiuſmodi feciſſe legimus Moſen poſt tranſitum maris rubri. Fortè, quia opus non fuit, cùm rei geſtæ veſtigia ſine humana induſtria in eo loco relinquerentur. Sic enim ſcribit Paulus Oroſius ſuæ hiſt. libr. 1. cap. 10. *Extant etiam nunc certiſſima horum monumenta geſtorum. Nam tractus curruum, rotarúmque orbitæ non ſolùm in littore, ſed etiam in profundo quouſque viſus admittitur, peruidentur. Vt quiſquis non docetur timorem Dei propalatæ iam religionis ſtudio, iræ eius tranſactæ vltionis terreatur exemplo.* Deinde ſubiungit. *His etiam temporibus adeò iugis, & grauis æſtus incanduit, vt ſol per deuia tranſuectus, vniuerſum orbem non calore affeciſſe, ſed igne torruiſſe dicatur. Ex quo etiam quidam dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam ſuam, inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaethontis fabulam texuerunt.* Hæc ille. De qua re Ouid. 2. Metamorph. Cæterùm definire, quodnam fuerit maius miraculum non eſt mei inſtituti: lector in vtroque Dei bonitatem, vtilius, quàm admirabilitatis comparationem; à ſanctis patribus iubetur expendere.

Oroſius.

Veſtigia rotarum & currium etiamnum Pharaonis.

Ouid. 2. Meta.

A *Verſ. 17.*] Populus autem incedebat contra Hiericho, & ſacerdotes qui portabant arcam.

Exponitur allegoria tranſitus Arcæ, & populi Hebræi per Iordanem.

ANNOTATIO X.

1. ALIQVA annotarunt Patres in hoc Iordanis tranſitu, ad diuinæ benignitatis commendationem, & morum inſtructionem
B valde idonea. Primùm, Orig. hom. 4. in cap. 3. Ioſue expendit fauorem, quo Deus advincendas difficultates, ſuis adeſt; cum interim peccatoribus omnia obſiſtant, & reluctentur. *Peccatori,* inquit, *omnis creatura hoſtis eſt, ſicut de Ægyptiis ſcriptum eſt. Terra eos impugnabat, fluuius impugnabat, aër ipſe impugnabat. Iuſto verò etiam ea, quæ inacceſſibilia videntur, plana efficiuntur, & proclinia. Mare rubrum iuſtus tanquam per aridam tranſit; Ægyptius verò ſi tranſire voluerit ſubmergetur, nec fiet ei aqua murus dextra, læuáque. Iuſtus etſi Eremum horribilem ingrediatur, & vaſtam; cibus ei miniſtratur è cœlis. Ita ergo & in Iordanem Arca teſtamenti duxerat populum Dei.*
C *Conſtitit ordo ſacerdotalis, & Leuiticus, & aquæ velut reuerentiam quandam Dei miniſtris referentes, curſum ſuum refrænant, & coaceruantur in cumulum, iter Dei populo innoxium concedentes,* &c. Addit deinde.

Omnis creatura peccatori hoſtis eſt.
Origen.

Iuſtis omnis creatura benigna eſt.

Arcæ reuerentiam exhibent aquæ.

2. *Et ne mireris cùm hæc geſta tibi erga priorem populum referuntur; tibi, Chriſtiane, qui per baptiſmi ſacramentum Iordanis fluenta digreſſus es, diuinus ſermo maiora multo, & celſiora promittit, iter tibi per aëra ipſum, & tranſitum pollicetur. Audi etenim Paulum dicentem de iuſtis. Rapiemur,* inquit, *obuiam Chriſto in aëra, & ita ſemper cum Domino erimus. Nihil omnino eſt quod metuat iuſtus: omnis ei creatura famulatur. Audi etiam quomodo per Prophetam repromittit*
D *Deus dicens, ſi tranſeas per ignem, flamma non aduret te, quoniam ego Dominus Deus tuus,* &c.

Promittitur iuſtis in lege gratiæ iter in terram promiſſam non per Iordanem, ſed per aëra.
1. Theſſ. 4.
Iuſto omnis creatura famulatur.

3. Idem nos hortatur ad cogitationem baptiſmi ſignificari in tranſitu Iordanis cum Leuitico illo, & ſacerdotali apparatu. Tranſierunt populi hunc fluuium ad ſpem ingrediendi terram promiſſam duce Ioſue, & læti dicunt. *Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium?* Quibus reſpondet ſermo diuinus. *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob, qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupes in fontes aquarum. Quanta,* inquit Orig. *antè geſta ſunt. Mare rubrum pedibus tranſitum eſt, manna de cœlo datum eſt; fontes in eremo diſrupti ſunt; lex per Moſen data*
E *eſt: & nunquam dicitur exaltatus eſſe* IESVS. *Vbi verò Iordanis tranſitur, ibi dicitur ad* IESVM. *Hodie incipiam ex altare te coram omni Iſrael. Neque enim ante myſterium baptiſmi exaltatur* IESVS. Hæc Orig.

Chriſtus exaltatur in baptiſmo.

4. Secundò, Rupertus explicat allegoriam aquarum inferiorum in mare defluentium, veteris teſtamenti ritibus; ſuperiores verò noui. *Iuxta ſpiritum,* inquit, *ecce pluſquàm Moſes hic. Ecce cum Ioſue Dominus pluſquam cum Moſe fuit. In quo? videlicet in eo quod ſteterunt aquæ, deſcendentes in vno loco, quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent. Aquæ inferiores veteris teſtamenti fuère*

Ruperti ſenſus allegoricus.

Ceremoniæ legis ſunt aquæ inferiores, quæ ad mare mortuum lapſæ ſunt.

Hebr. 8. *Hebr. 9.* *Abdom rubra Sarthan tribulatio eorum.* *Iſaiæ. 63.*

iuſtificationes. De quibus Apoſtolus cum dixiſſet, Heb. 8. *quod autem antiquatur, & ſeneſcit prope interitum eſt; continuò ſubiungit. Habuit quidem etiam prius iuſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare. Tabernaculum enim factum eſt primum, &c. Aquæ verò deſcendentes & ſequentes, Euangelica fides eſt, Dei iuſtitia eſt. Deſcenderunt aquæ inferiores in mare ſolitudinis, id eſt mare mortuum, & omnino defecerunt, quia videlicet iuſtificationes carnis Iudæorum, & ceremoniæ, quæ neminem ad perfectam adduxerunt.* Hebr. 9. *tanquam aqua decurrens, ad nihilum deuenerunt; imò etiam pro detrimento habenda ſunt. Ita in mare mortuum deſcenderunt, quæ autem ſequuntur deſcendentes, & venientes de ſurſum, aquæ viuæ, aquæ ſupernæ gratiæ. Deſcendentes, inquam, de ſurſum à Patre luminum, ecce in vno loco conſiſtentes, inſtar montis intumuerunt, procul apparentes ab vrbe, quæ vocatur Abdom, vſque ad locum Sarthan. Abdom, rubra; Sarthan, tribulatio eorum, interpretatur. Abdom ergo, id eſt rubra, ipſa eſt Hieruſalem terra. Vnde iuxta Iſaiam 63. tinctis veſtibus venit formoſus iſte, verus Ioſue. Sarthan autem, id eſt tribulatio eorum, Romanum eſt imperium, à quo illa Hieruſalem, per miſerandum, imò per meritum tribulata & euerſa eſt, excidium. Ab illa Hieruſalem vſque ad Romanum imperium, aquæ Iordanis deſcendentes, & inſtar montis intumeſcentes apparuerunt. Incipientes enim ab Hieruſalem vſque ad ſitum Romanæ vrbis deuenerunt dona Domini ſcilicet pœnitentia & remiſſio peccatorum.* Hæc Rupert.

Chriſtus præcepit ſacerdotibus præcedere dum myſteria portãt.

5. Tertiò, Dionyſ. Carthuſ. præceptum illud Ioſue: *Tollite arcam; & præcedite populum.* Chriſto accommodat, quippe qui ſuis iuſſit diſcipulis, vt ſuæ humanitatis myſteria, Euangelicam nimirum ſapientiam, & crucis vexillum omnibus annunciarent; qui iuſſionem hanc fideliſſimè impleuerunt; quibus ipſe ad remouenda impedimenta arcæ ad terram promiſſam tranſmittendæ ſæpe præſens adfuit, & miraculis, Iordanis diuiſioni ſimillimis, coruſcauit.

Gloſſ. Ord. Sacerdotes illuminant populũ. *Sacerdotes propinquiores ſunt myſteriis ſacris.*

Quartò, Gloſſa ordinaria, enarrans illa verba: *Cùm videritis arcam fœderis, & ſacerdotes ſtirpis leuiticæ portantes eam, &c. magnifacit dignitatem ſacerdotalem, quæ lucem accipit ab arca Dei, id eſt, à diuinitate, cui proximè adſtat, vt eam populo, qui à longè ſequitur, impertiat. Sic enim ait: Populus longè ſit ab arca Domini duo millia cubitorum. Sacerdotes verò & Leuitæ proximi, & tam proximi, vt in humeris eorum portetur. Beati qui merentur proximi eſſe Deo. Sed ſcriptum eſt, qui approximant mihi approximant igni. Si aurum & argentum fueris & igni approximaueris, clarius per ignem effulgebis; ſi ſuperædificaſti ligna fœnum, ſtipulam conſumeris: Beati ergo, qui proximi ſunt, vt ignis eos illuminet, non adurat. Saluabitur tantum Iſrael, ſed longè poſitus iter agit, non ſua virtute, ſed miniſterio ſacerdotum.* Hæc gloſſ.

1. Cor. 3.

Auguſt. Conuerſio peccatorum ad Deum inſtar Iordanis.

7. D. Auguſtinus in Pſalm. 113. concione 1. Maris & Iordanis conuerſionem, illis aptat, quos poſt lapſum conuerti ad Deum oportet, ſic enim ſcribit. *Ergo mare vidit & fugit, vt ibi ſint contradictione ad libertatem ſpiritualem panderetur via. Iordanis autem quemadmodum retrorſum conuerſus ſit, nolo extra vos quæratis, nolo aliquid mali ſuſpicemini. Increpat enim Dominus quoſdam, qui dorſum ad eum poſuerunt, & non faciem. Et quiſquis principium ſuum deſerit, & à ſuo creatore auertitur; tanquam flumen in mare, labitur in huius ſeculi amaricantem malitiam. Bonum ergo eſt illi, vt retrorſum conuertatur, fiátque illi Deus ante faciem reuertenti, quem ſibi à tergo poſuerat, & fiat illi retro mare huius ſeculi, & ſic obliuiſcatur ea quæ retro ſunt, vt in ea, quæ ante ſunt extendatur, quod iam conuerſo vtile eſt. Iordanis ergo illos ſignificat, qui gratiam baptiſmi perceperunt. Et ſic Iordanis conuertitur retrorſum; cum illi conuertuntur ad Deum, vt eum iam retro non habeant, ſed reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformantur à gloria in gloriam.* Hæc Auguſt.

Iordanis conuerſus peccatorum ſignificat conuerſionem. *Iordanis ſignificat, gratiam baptiſmi perceperunt.*

Per ſacerdotes autem portantes arcam, ait Gloſſ. ſignificari Chriſti diſcipulos euangelium toto orbe annunciantes. Additque ſignificari per arcam, quæ tria continebat, Euangelium. Tabulæ namque legis, myſticè legem gratiæ repræſentabant. Virga Aaronis regiam, & pontificiam Chriſti euangelij autoris dignitatem. Manna, typus fuit cibi ſpiritalis quem conſiderantes Apoſtoli dixerunt Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Iam aquas, quæ tribulationes ſignificant, non impediſſe tranſitum, dum legimus; intelligimus nec à Iudæis, nec à gentibus illatas perſecutiones, potuiſſe euangelij miniſtros retardare. Et multò minùs electos, quo minùs promiſſæ patriæ præmiis potirentur.

IN CAPVT QVARTVM IOSVE.

PERIOCHA.

EXPONITVR in hoc capite quid actum ſit poſt tranſitum Iordanis. Eliguntur in primis duodecim viri iuſſu Dei, ex ſingulis tribubus ſinguli, vt eductos de alueo ſiccati fluminis duodecim lapides in Galgala, vbi erat locus caſtrorum, exportent, totidémque de terra in fluuium, vel quod probabilius puto, totidem inuentos in ipſo fluuio: ibidem erigant, Quo tanti miraculi magnitudinem duplici veſtigio poſteritas admonita, admiretur, & Dei numen populo ſuo propitium colat, atque veneretur.*

CAPITIS QVARTI SECTIO VNICA.

A
Verſ. 1.] Quibus tranſgreſſis, dixit
2. Dominus ad Ioſue: Elige duode-
cim viros ſingulos per ſingulas
3. tribus: Et præcipe eis, vt tollant
4. de medio Iordanis alueo, vbi ſte-
5. terunt pedes ſacerdotum, duode-
6. cim duriſſimos lapides, quos po-
netis in loco caſtrorũ vbi fixeri-
9. tis hac nocte tentoria, &c. Alios
quoq; duodecim lapides poſuit
Ioſue in medio Iordanis alueo,
vbi ſteterunt ſacerdotes, qui por-
tabant Arcam fœderis, & ſunt ibi
10. vſque ad præſentem diem. Sa-
cerdotes autem, qui portabant
arcam Domini, ſtabant in Iorda-
nis medio donec omnia comple-
rentur, quæ Ioſue, vt loqueretur
ad populum præceperat Domi-
11. nus & dixerat ei Moſes: Feſtina-
uítque populus, & tranſiit. Cúm-
que tranſiſſent omnes, tranſiit &
Arca Domini, ſacerdotéſq; per-
12. gebant ante populũ. Filij quo-
que Rubẽ & Gad, & dimidia tri-
bus Manaſſe armati præcede-
13. bant filios Iſrael, ſicut eis præce-
perat Moſes, & quadraginta pu-
gnatorum millia per turmas &
cuneos incedebant per plana vr-
18. bis Hiericho, &c. Cúmque aſcen-
diſſent portantes Arcam, & ſic-
cam humum calcare cœpiſſent,
reuerſæ ſunt aquæ in alueum
19. ſuum, &c. Caſtrametati ſunt in
Galgalis contra Orientalem pla-
21. gam vrbis Hiericho, &c. Quan-
do interrogauerint filij veſtri cras
22. patres ſuos, & dixerint eis. Quid
ſibi volunt lapides iſti? docebitis
23. eos, atque dicetis: Per arentem
B
alueum tranſiit Iſrael Iordanem
iſtum, ſiccante Domino Deo ve-
ſtro aquas eius, &c.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *In loco caſtrorum*, &c. In diuerſorio. Pro, *Quadraginta millia*, &c. Circiter quadraginta armatorũ millia tranſierunt ante Dominum ad prælium ad campeſtria Hiericho.

C
Aliter. Pro, *Quibus tranſgreſſis*, &c. Contigit autem poſteaquàm vniuerſa multitudo plenè Iordanem tranſiſſet. Pro, *Singulos*, Per ſingulas tribus, &c. de tribubus ſingulis vnum.

Sept. Interp. Pro, *Elige duodecim viros, ſingulos per ſingulas tribus.* Παραλαβὼν δώδεκα ἄνδρας ἀπὸ τοῦ λαοῦ ἄνδρα ἕνα ἀφ' ἑκάστης φυλῆς, *hoc eſt*, Aſſumens duodecim viros de populo, virũ vnum de ſingula tribu.

Explicatur contextus.

1. **ELIGE** *duodecim viros, vt tollant,* &c.] Dubitari poteſt, an hi duodecim viri, qui à Deo præcipiuntur eligi, ſint ij ipſi, qui dicuntur electi cap. præcedenti. Abulenſis quæſt. 2. cap. 4. exiſtimat per anticipationem factam fuiſſe mentionem eorumdem virorum, qui hoc loco iubentur eligi ad lapides exportandos. Mihi nulla videtur facta anticipatio, ſed duplex electio, vna videlicet duodecim virorum ante ingreſſum Iordanis, vt comites eſſent ſacerdotum, & quæ gererentur, prudenter aduerterent. Altera verò totidem virorum, poſt tranſitum iam fluuium, quibus præcipitur, vt ad ſiccatum fluminis locum, in quo Arca fœderis erat, vt duodecim lapides inde extrahant, ire pergant.

Abulenſis.

Duodecim viri electi, vt notarent miracula diuiſi Iordanis circumſtantias.

Lapides duodecim eriguntur, &c.

2. *Vbi fixeritis hac nocte tentoria.*] Non pernoctarunt Iudæi, tranſeuntes Iordanem ad illius ripas, ſed iter ſuſcipiunt ordine militari ſeruato vſque ad agrum Hiericho, quem ex circumciſione ibi factâ Galgala vocarunt. Ibi non ſolùm ea nocte, ſed multis diebus fixis tentoriis commorati ſunt. Non ex nobis deſignatione, vt in deſerto, ſed ex decreto Ioſue & principum aliorum; quorum voluntas ſignificabatur præcedente ſemper Arca, quam portabant ſacerdotes, interiecto duorum milliarium ſpatio. Ea namque ſubſiſtente quieſcebant caſtra, ea mota mouebantur. Iubentur ergo lapides duodecim à fluuio exportati, figi in prima manſione, hoc eſt, in Galgalis, pro numero filiorum Iſrael. Sic in monte Sinai ad memoriam confirmationis legis, præter altare, ad ſacrificia erexit Moſes duodecim titulos lapideos per ſingulas tribus, vt patet Exod. 24. *Scripſit autem Moſes vniuerſos ſermones Domini, & manè conſurgens ædificauit altare ad radices mõtis & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael,* &c. Quæ verba ſignificant Moſen poſt colloquium cum Deo de lege, deſcendiſſe de monte ad populum, legémque ei propoſuiſſe & conſcenſum expetiuiſſe, quo impetrato, fœdus cum populo iniit: ad cuius firmitatem vitulos iugulauit, & illorum ſanguine librum legis, & populum aſpergit. Iugulabantur autem in pactis victimæ, quia paciſcentes Deum precabantur, vt qui non ſtaret pacto, ad modum victimarum occideretur. Sanguis autem aſperſus, adumbrabat pœnas ſanguinis daturum, fœderis violatorem. Scriptura autem in titulis ſeruata, indicat fore, vt per eam in die examinis interrogeris. Vnde Pſal. 49. ait Dominus: *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Facto enim vitulorum ſacrificio, pactum initum eſt inter Deum & ſanctos. Sequitur: *Nuntiauerunt cœli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt, Audi populè meus legem meam, Iſrael & teſtificabor tibi, id eſt, contra te.* Vide Ezech. cap. 20. Caietanus exiſtimat duodecim lapides erectos fuiſſe, vt ex illis conſtaret altare; ſed non rectè, vt arbitror; Nam præter altare, vt Abulenſ. annotauit, & textus ſacer indicat duodecim tituli erecti ſunt, in quibus probabile eſt, decalogum compendio fuiſſe deſcriptum, poſtquàm populus audita voce dixit: *Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.* In eiſdem lapidibus, nomina tribuum inciſa ſunt. Dicuntur autem lapides duriſſimi, licet in Hebræo ea vox non legitur, quia ad memoriam conſeruandam, ij aptiores ſunt.

Duodecim lapides ab alueo Iordanis exportati eriguntur in Galgalis.

Exod. 24.

In pactis victimæ coram Deo iugulabantur.

Pſal. 49.

Ezech. 20. Caiet.

Abulenſis.

Exod. 24.

In monte Sinai duodecim tituli erecti ſunt, in quibus deſcriptus fuit decalogus.

A 3. *Portate inde ſinguli, ſingulos lapides in humeris.*] Electi viri ad ſubuehendos humeris lapides in titulos duodecim erigendos, robuſtiſſimi erant; aliter tam ingétem ſaxorum molem, haudquaquam ſuſtinerent. Erant hi lapides apti conſtruendo altari, & figendis tribuum monumentis; non ſecus atque illi, qui in Sinai monte ſunt erecti ad memoriam earumdem tribuum, quæ legem à Deo datam, & pactum ex teſtificatione, confirmarunt. Nemo autem miretur potuiſſe humeris exportari ab alueo fluminis vſque ad ripam, tantos lapides. Nam illius temporis homines robuſtiores erant, & proceriores, quàm hac ætate, vt conſtat ex illo ſaxo, quod Turnus Æneid. 12. dicitur in hoſtem torſiſſe.

Homines olim erant robuſtiores & proceriores quàm nunc.

B

—Saxum circumſpicit ingens:
Saxum antiquum ingens: campo qui fortè iacebat.
Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent:
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Virg. Æneid. 12.

Abulenſis quæſt. 6. exiſtimat, id quod probabile videtur: à ripa Iordanis vlteriori, vſque ad Galgala, non iam humeris, ſed iumentis ea ſaxa fuiſſe exportata. Et verò ipſa onera ſacra portabantur aliquando in plauſtris, ſicut Arca Domini quando de Cariathiarim delata eſt in domum Dauid, vt dicitur 2. Reg. 6. & 1. Paralip. 13. tunc enim in plauſtro nouo portabatur, & boum calcitrantium motu tantùm non cecidit. *Philiſtiim etiam,* 1. Reg. 6. *poſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum, quod trahebant duæ vaccæ,* &c.

Abulenſis.

Onera ſacra portabantur aliquando in plauſtris.

2. Reg. 6. 1. Paralip. 13.

C

1. Reg. 6.

Quando interrogauerint vos filij veſtri cras.] Signa rerum mirabilium figebantur ad poſteritatem edocendam, Sic Exod. 13. præcipiuntur parentes, liberos inſtruere quorſum primogenita quædam redemptione, quædam immolatione ſanctificarentur. Si enim filij rogarent, cur id fieret, dicturi erant, *De ſeruitute eduxit nos Deus in manu forti de Ægypto. Nam cùm induratus eſſet Pharao, & nollet nos demittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti: à primogenito hominis, vſque ad primogenita iumentorum. Idcircò immolo Domino omne, quod aperit vuluam maſculini*

Exod. 13.

D *ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo,* &c. Sic ferè omnes cæremoniæ inductæ ſunt, vt poſteri rogarent, cur illæ fierent: eáque occaſione, diſcerent, & beneficium & cultum Dei.

Immolabantur Deo primogenita animalium, hominum verò redimebantur.

Particula, *Cras*, ſignificat omnes annos conſequentes: ſic apud Apoſtolum ad Hebr. 13. *Heri*, omnes antecedentes. Æternitatem námque Meſſiæ ita exprimit. CHRISTVS IESVS *heri, & hodie ipſe, & vſque in ſecula.*

Hebr. 13. *Aduerbium Cras, & Heri, quid ſignificet.*

4. *Lapides poſiti in monumentum vſque in æternum.*] Monumentum à manendo dicitur, Græcè μνημεῖον, μνῆμα. Vocatur hoc nomine quidquid nos monet vel monere poteſt rei alicuius præteritæ, vt tituli, ſepulchra, ſtatuæ, porticus, hiſtoria, doctrina, libri, Cic. Tuſc. Quid teſtimonio-

E rum diligentia? Quid ipſa ſepulchrorum monumenta? quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare? Florentius Iureconſultus, l. monimentum, ff. de religione, & ſumptibus funerum. *Monumentum,* inquit, *generaliter eſt res memoriæ cauſa in poſterum prodita, in quam, ſi corpus vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulchrum: ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ cauſa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant,* &c. Ouidius decimo tertio Metamorphoſis hac vſus eſt ſignificatione.

Cicero.

Florentius.

Quid ſit monumentum.

Nata, puto, funeribus dotabere regia virgo,
Condeturque tuum monumentis corpus auitis.

Ouidius.

5 Hic

5. Hic autem dicuntur lapides poſiti in monimentum, hoc eſt, ad excitandam poſteris recordationem diuiſionis Iordanis ad præſentiam Arcæ, vt Iſraëlitæ ſicco veſtigio tranſirent. Particula, *in æternum*, vt ex Auguſtino refert. Abulenſ. quæſt. 9. ad finem, ſignificat longum tempus, quod ſæculi nomine paſſim deſignatur; non tamen æternitatem.

August. q. 9.

6. *Iuxta numerum filiorum Iſraël.*] Veriſimilius eſt, non in modum altaris diſpoſitos fuiſſe duodecim lapides; ſed ſigillatim in modum duodecim titulorum, quibus diſtinguerentur duodecim tribus; ad imitationem ordinis, quo in monte Sinaj, Exod. 24. totidem lapides à Moſe fuerant erecti. Manſerunt autem hæc monumenta, in Galgalis, quandiu Iudæi obtinuerunt promiſſam terram.

… ſunt duodecim lapides, non in modum altaris, ſed tanquam tituli. Exod. 24.

7. *Alios quoque duodecim lapides*, &c.] Ne miraculi fides animo excideret, non ſolùm extra aquas, hoc eſt in Galgalis, ſed etiam intra, iubentur erigi lapides, vt duobus in locis conſpecti, à viatoribus duodecim tituli, memoriam rei maximè mirabilis, refricarent.

8. *Poſuit Ioſue in medio Iordanis.*] Hos lapides ingentes fuiſſe manifeſtum eſt. Non tamen aliunde, vt Caiet. putat, exportati ſunt; ſed ex ipſo alueo, in quo erant, magna vi coëuntium, iuſſu Ioſue, Hebræorum in altitudinem erecti. Priores non ita magni erant, quin poſſent ſinguli, à ſingulis viris exportari humeris. Hi verò, quoniam ictum fluminis ſuſtentaturi erant, & extrà apparere debebant longè maiores fuerunt: atque adeò non à duodecim viris, ſed ab ipſo Ioſue, hoc eſt à multis viris iuſſu Ioſue erecti dicuntur, quod intellige, in ſublimè, & appoſitis circunquaque alijs ſaxis, & fulcimentis, ne impellente fluctu obiectam molem, caderent. Fauet huic interpretationi Abulenſ. quæſt. 10. Quare non placet Caietani ſententia dicentis, hos lapides, ſimul fixos fuiſſe, vt ſe mutuò tuerentur. Satis enim fuit ſingulos eo ordine erigere, vt ab ſpectantibus, licet diuiſi eſſent, firmiter hærere alueo, in quo ſteterant ſacerdotes, viderentur. Hæc enim diſtinctio, quamuis plus temporis conſumeretur in erectione, neceſſaria erat, ad duodecim tribuum memoriam conſeruandam. Et quidem hodie, quando Iordanis, caſtigato alueo, labitur in mare, hi duodecim lapides diſtinctè conſpiciuntur. Interdum verò, defluentibus è libano niuibus reſolutis, ita occultantur, vt tamen è propinquo appareant. De his duodecim lapidibus locutum fuiſſe Baptiſtam, Matth. 3. aſſerunt doctores, dum ait, *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quod credibile eſt, cùm & lapides inſignes eſſent, & Ioannes ibi baptizaret.

Quomodo lapides in Iordane ſtabiliti fuerint.

Abulenſ.

Matth. 3.

9. *Feſtinauitque populus, & tranſijt.*] Sacerdotes in alueo ſiccati amnis ſteterunt, donec omnia complerentur, quæ fuerant iuſſa; Exportati namque ſunt 12. lapides, à viris duodecim extra fluuium: & totidem in fluuio erecti in titulos, ipſéque populus cum feſtinatione tranſijt in terram promiſſam. Hæc prædicta fuerant à Ioſue & à Moſe, præſertim verò id Moſes prænunciauit, quod ad tranſitum ſpectat, quem ſibi à Deo impetrare non potuit, vt patet Num. 27. & Deut. 3. Notatur autem quaſi per anacephalæoſin, feſtinatio populi tranſeuntis. Mirabile namque eſt multitudinem ſexcentorum millium virorum bellatorum, præter ſenes, & fœminas pueróſque, & adoleſcentes, vigeſimo anno minores, vt pater ex computatione facta ad finem anni 40. ab exitu de Ægypto, paulò ante tranſitum iſtum, quæ habetur, Num. 26. tanta celeritate tranſiuiſſe fluuium cum omnibus impedimentis, vt potuerint eodem die, quo decreuerant ad agrum Hiericho, id eſt, ad Galgala peruenire.

Quanto tempore ſacerdotes in alueo ſiccati Iordanis cum Arca.

Num. 27. Deut. 3.

Multitudo Hebræorum tranſeuntium Iordanem.

10. *Cùmque tranſiſſent omnes, tranſiuit & Arca Domini*, &c.] Conſtitit populus ad ripas ſuperati fluminis, expectans donec quæ Ioſue iuſſerat, completa ſunt. Interim Arca ſtabat immota. Erectione lapidum, & cæteris ritè peractis, diuiſus per turmas populus, non eſt progreſſus à ripa, quouſque Arca aſcenderet de Iordane, & in ſuum locum reſtituta, pergeret ſpatio duûm millium cubitorum, ante populum.

11. *Filij Ruben armati præcedebant, & quadraginta pugnatorum millia*, &c.] A ripa fluminis, filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, iuxta præceptum Moſis, præcedebant reliquam turmam armis accincti, & ad pugnam parati. Nec enim vxores, filios, aut armenta exportauerant ſicut cæteræ tribus, nec aliquid, quo impediri poſſent. Quare quadraginta bellatorum millia ex duabus tribubus, & dimidia conflata, &c. per cuneos centuriaſque diſpoſita, incedebant, per campum Hierichuntinum. Ita Caietanus intellexit literam huius loci, & Abulenſ. quæſt. 18. ad finem, itaque ordo hic erat, vt primum eiuſmodi armati; deinde Arca Domini, tertiò populus incederet. Hoc ordine tres leucas illo die confecerunt, hoc eſt, à ripa vſque ad Galgala, vbi erant paſcua & fontes aquarum, vt annotauit Abulenſ. ſuper hoc caput quæſt. 27.

Caiet. Abulenſ.

Armati milites præcedebant. Arcam populus ſequebatur.

Hinc patet mutatum fuiſſe in tranſitu Iordanis ordinem, caſtra mouendi, qui ſeruabatur in deſerto. In deſerto namque erant quatuor vexilla, ſub quibus aſſignatum, ſuum quæque tribus habebat locum. In primo vexillo præcedebat Iudas, & poſteà Iſachar, deinde Zabulon. In ſecundo, præcedebant Rubenitæ, quos conſequebatur Simeon & Gad. In tertio præibat Ephraim, ſequebatur Manaſſes & Beniamin. In quarto, Dan; dux erat, Azer & Nephtalim, ducem ſuum aſſociabant. Hoc ergo ordine, quo numeratæ ſunt hæ tribus, incedebant longo agmine, vt patet Num. 2. & 10. Ita nimirum, vt præcederent ſex tribus, quæ erant ſub duobus vexillis. Deinde ſequerentur Leuitæ portantes ſanctuarium cum omnibus vaſis ſecundùm præſcriptas muneris cuiuſque vices. Poſt eos verò pergebant aliæ ſex tribus cum duobus vexillis, vt patet Num. 2. & 10. citato. Nunc verò non ſeruatur ordo dignitatis cuiuſque tribus, ſicut in ſolitudine; ſed neceſſitatis; oportebat namque vt præcederent, in ingreſſu terræ hoſtilis & ad pugnandum parata; illi, qui promptiſſimi erant ad pugnandum, & expeditiſſimi, quales erant Rubenitæ, Gaditæ & dimidia tribus. Dicuntur autem hi milites armati, & quia tecti erant armis, & quia ſolùm de armis, non autem vt alij de filijs vxoribus aut armentis exportandis, ſolliciti erant. Vide Abulenſ. in cap. 4. Ioſue quæſt. 16. & 17.

Hebræorum caſtra præcedebant vexilla quatuor in deſerto.

Num. 2. & 10.

In ingreſſu terræ hoſtilis, non ſeruabatur ordo incedendi in deſerto ſeruatus.

12. Miraberis, inſtruxiſſe Ioſue exercitum accinctis ad pugnandum viris in fronte exercitus, ordine conſtitutis: cùm Deus prædixerit, Exod. 23. & Deut. 7. miſſurum ſe terrorem in omnes Chananæos, quo fugerent à facie eorum, & non audentes reſiſtere, terga verterent. Verùm non eſt, cur aliquis miretur, ſi intelligat promiſſiones

Exod. 23. Deut. 7.

Pr miſsiones Dei de immittendo hoſtibus terrore, ad eos caſus ſpectant, in quibus humane vires deficerent.

Dei ad ea ſpectare, quæ humanis viribus aut conſilijs nequeunt obtineri. Ea verò relinqui humanæ prudentiæ; quæ noſtris poſſunt deſtinationibus, & labore ſortiri effectum. Hinc Ioſue in omni adminiſtratione rei bellicæ prudentia ſingulari, & induſtria vſus eſt, licèt gnarus eſſet diuinæ promiſſionis. An non miſit exploratores cap. 2. ad Hierichuntinos, & cap. 7. ad alia loca, vt ſciret quomodo poſſent expugnari hoſtes? Quid de inſidijs dicam cap. 8. illius iuſſu diſpoſitis?

Planities à ripa Iordanis vſque ad Hiericho.

13. *Plana, atque campeſtria vrbis Hiericho.*] Totum ſpatium, quod à tranſitu Iordanis eſt vſque ad vrbem Hiericho, planitiem habet, & colliculos ita humiles, vt totum territorium planum dici poſſit, & campeſtre. *Et ſiccam humum calcare cœpiſſent*, &c. non intelligas ſacerdotes, quando erant in Iordane in loco non ſicco ſubſtitiſſe; duntaxat ſignificatur vocabulo ſiccitatis terra quæ ſuperfuſum humorem habere non ſolet: quo vocabulo non poteſt ſignificari alueus Iordanis, qui ſine miraculo carere aqua non ſolet.

14. *Præcepit eis dicens: Aſcendite de Iordane: cúmque aſcendiſſent portantes Arcam fœderis Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent. Reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuum*, &c. Sacerdotibus iuſſu Ioſue de Iordane ad terram aſcendentibus, & Arca iam in ripa manente aquæ fluebant, ſicut antè conſueuerant: ampliùs enim miraculo opus non erat. Rabbi Salomon ait, ſacerdotes cum Arca non veniſſe ad ripam illam in qua populus totus Iordane traiecto erat, ſed reuertiſſe ad ripam citeriorem ex qua intrauerant; móxque Iordanem ad ſolitum curſum rediſſe. Tum Arcam in ſublime eleuatam volaſſe ſupra aquas Iordanis, portitoribus ſuis ſimul raptis; Nec conſtitiſſe, vbi populus expectabat, ſed ad duo millia cubitorum vltra totum exercitum iuxta præceptum præcedendi, perueniſſe. Hinc colligit doctor hic Hebræus, peccaſſe Ozam volentem tenere Arcam Domini, quando calcitrantes boues, ad alteram partem eam acclinauerant, quaſi fulcimento indigeret humano, 2. Reg. 6. Hoc tamen miraculum non videtur inniti fundamento cùm neceſſarium non fuerit. Peccatum enim eſt, vt ait Ariſt. Topic. 8. per plura fieri, quod fieri poteſt per pauciora. Quis autem non videt potuiſſe ſacerdotes, aſcendere cum Arca ad ripam, ad quam populus aſcenderat ſumma cum facilitate? Quod ſi ſacerdotes volarunt, cur id non eſt conceſſum populo? Dicet fortaſſe hoc miraculum colligi ex illis verbis Dei ad Ioſue. *Præcipe ſacerdotibus, qui portant Arcam fœderis, vt aſcendant de Iordane. Qui præcepit eis dicens: Aſcendite de Iordane.* Nam verbo aſcendendi vtitur ſcriptura hoc loco, quia ex medio alueo, in quo erant ſacerdotes ad vtramque ripam parebat aſcenſus, tranſitus autem non ita propriè; cùm tranſire flumen illi dicantur, qui ab vna ripa, in aliam euadunt, non autem, qui è medio amne. Et verò ſi ratio R. Salomonis vim habet ex verbo, Aſcendendi, etiam populus diceretur volare. Infrà enim dicitur. *Populus autem aſcendit de Iordane decima die menſis primi*; Vide Abulenſ. quæſt. 20.

R. Salomon putat Arcam cum ſacerdotibus ex alueo, per aerem ſublimem volaſſe.

2. Reg. 6.

Ariſt.

Non opus fuit miraculo vt Arca aſcendere de alueo ſiccati Iordanis.

Abulenſ.

Traiectionis dies & annus.

15. *Decima die menſis primi*, &c.] Aſſignatur traiectionis dies non tamen annus; Sed ex prædictis ſatis conſtat, quinam annus ſit intelligendus. Erat námque annus ab exitu de Ægypto quadrageſimus primus; & menſis, de quo hic agitur, primus eiuſdem anni numeratur. Id egregie confirmat Abulenſ. quæſt. 20. non procul à fine. Origenes & Lyra annotant, opportunè incidiſſe tranſitum Iordanis in 10. diem primi menſis, quia Exod. 12. præcipitur, vt tali die eligatur Agnus, quo celebrandum eſt phaſe 14. die. Et quidem Hebræi, qui tranſierunt Iordanem, celebraturi erant phaſe, die quarta decima menſis primi ad veſperum, de qua celebratione fit mentio infra cap. 5. atque adeo deſtinare ad ſacrificium oportebat Agnum, decima die menſis, quæ deſtinatio ſicut & ipſa immolatio, in terra promiſſionis congruentiùs facta eſt, quàm ſi loco diuiderentur. Abulenſ. quæſt. 21. non aliam putat cauſam reddendam, quam quia decima die omnia ad tranſitum neceſſaria parata erant. Imò impugnat Lyram, qui myſterium hic comminiſcitur. Addit præceptum Exod. 12. de Agno parando 10. die, vt immoletur in 14. luna, ad ſpectari ad exitum de Ægypto tantùm, in quo primùm Paſcha celebratum eſt, non autem ad immolationes annorum conſequentium; cùm in conſequentibus annis, non vrgeret vlla neceſſitas, eligendi agnum 10. die ante phaſe, hoc eſt ante decimam quartam diem. Suam ſententiam hic autor, vt arbitror ſatis confirmat, & hodie ab omnibus ferè recipitur.

Abulenſ.

Origen. Lyran.

Exod. 12.

Decima die menſis primi ligebatur agnus paſchalis, 14. Luna immolandus.

Præceptum de parando Agno 10. die, ſolum eo anno Hebræis artinet, quo de Ægypto exierunt.

Abulenſ.

16. *Et caſtra metati ſunt in Galgalis*, &c.] Galgala per anticipationem vocat locum, in quo Iudæi primum caſtra ſunt metati: qui antequam id nomen ex circunciſione ſortiretur, dicebatur Ager Hiericho. Vnde cap. ſeq. cùm eſſent in Galgalis, dicti ſunt eſſe in agro Hiericho. Angelus enim diſtricto gladio apparuit Ioſue in Galgalis, cùm tamen dicatur apparuiſſe in agro Hiericho.

17. *Contra Orientalem plagam vrbis Hiericho.*] In Hebræo: *in extremo Orientis Hiericho*, ſiue vt Caietanus interpretatur in extrema parte territorij vrbis Hiericho, verſus Orientem: Galgala autem venientibus à Iordane in Hiericho, in medio itinere occurrebant. Vnde, qui à Iordane proficiſcebatur in Hiericho, ab Oriente, in Occidentem pergebat.

Caiet.

18. *Duodecim quoque lapides quos de Iordanis alueo ſumpſerant*, &c.]. Hebræi putant hos duodecim lapides portatos fuiſſe in montem Hebal & Garizin, vbi ex præcepto Moſis Deut. 27. ſcribendum erat ipſum Deuteronomium, & ponendæ benedictiones, & maledictiones, adhibita quadam ſolennitate, ex eiſdem inſuper lapidibus, facto ibidem altari, in quo decalogus inſculptus fuit, & immolatio peracta; vt illi volunt, deinde affirmant ex prædictis montibus, ventum eſſe in Galgala, vbi illi ipſi duodecim lapides humeris exportati, erecti hoc loco dicũtur ad memoriam miraculo facti tranſitus conſeruandam. Confirmant hanc ſententiam illis verbis ſuprà poſitis. *Donec complerentur, quæ Ioſue, vt loqueretur ad populum præceperat Dominus, & dixerat ei Moſes.* Videlicet hæc peragenda, antequam aſcenderet populus in Galgala.

Deut. 27.

19. Hæc tamen ſententia omnino falſa eſt. primò, quia Mons Hebal & Garazim adiacent ciuitati Bethel, quæ ſita eſt poſt Hiericho. Ita ſcilicet vt iter facientibus à Iordane in Bethel, primum occurrat Hiericho, qua tranſita ſimul cum interiecto terræ non mediocri ſpatio, venitur in Hai & Bethel. quod ſatis conſtat ex hoc libro. Capta enim ab Hebræis Hiericho, miſit Ioſue exploratores contra vrbem Hai cap. 7. Eaque vaſtata in

Falſa eſt ſententia Hebræorum dicentium lapides primo fuiſſe portatos in Hebal & Garizin, quàm in Galgala.

Infrà cap. 7. & 8.

Deut. 27.

A monte Hebal, & Garizin fecit omnia, quæ iuſſerat Moſes, Deut. 27. vt patet infrà cap. 8. ſecundò, fieri non poteſt, vt in die tranſitus Iordanis, in quo multum temporis conſumptum eſt, vide licet in ipſa tranſmiſſione, numeroſi exercitus, in extrahendis, & erigendis lapidibus, vſque ad prædictos montes, peruenerint Iſraëlitæ; imò nec vſque ad Hiericho quæ propinquior erat, ſed ad Galgalam tantùm, quæ à Iordane tribus dumtaxat aberat leucis. Tertiò, nulla cogit neceſſitas, vt dicamus lapides eductos à Iordane fuiſſe poſitos in monte Hebal, cum id Deut. 27. non præcipiatur à Moſe. Quartò, quia licet dicatur Deut. 11. & 27. tranſito Iordane ſcribendas eſſe illas maledi- B ctiones & benedictiones, cùm locus, in quo ſcribendæ ſint deſignetur, nempe Hebal, & Garazin, qui montes procul aberant à vado Iordanis, nec poterant ipſo die tranſitus adiri. Profectò non inducebat præceptum, obligationem vt ſtatim id fieret poſt tranſitum, ſed data opportunitate. Quintò, quia, vt patet cap. 8. quando pronunciabantur huiuſmodi maledictiones, & benedictiones, interfuturi erant ſacerdotes Arca humeris impoſita, inter maledicentes, & benedicentes; quomodo ergò manebant in Iordane, dum omnia, quæ dicta ſunt à Moſe complerentur? Vnde apertè conſtat, non pertinere huiuſmodi factum ad complementum ſermonis C prædicti à Moſe, cuius hîc fit mentio. Vide Abulenſ. quæſt. 22. 23. 24. 25.

Galgala à Iordane tribus aberat leucis.

Deut. 27. Deut. 11.

Ioſu. cap. 8.

Pro ſententia.

Maneat ergo Iudæos tranſito Iordane, lapides duodecim inde ſumptos affixiſſe in Galgalis. Poſteà verò facta circuncisione, & duabus vrbibus deletis, Hiericho, & Hai, itum fuiſſe à Ioſue, & vniuerſo populo in montem Garizin & Hebal, erectiſque ingentibus ſaxis ibidem repertis vno, aut pluribus diebus, omnes ſolemnitates peractas fuiſſe, de quibus fit mentio Deut. 27. Prima tamen manſio, & caſtrorum metatio in Galgalis fuit.

Deut. 27.

20. *Poſuit Ioſue in Galgalis.*] Hoc eſt, auſpicijs & iuſſu Ioſue poſiti ſunt lapides in Galgalis. Ioſeph. lib. 5. Antiquitatum de his rebus ita ſcribit. D Fluuius, inquit, egreſſis Hebræis denuò creuit, & magnitudinem recepit ſuam, illis verò quinquaginta ſtadijs præcedentibus, exercitus vſque ad decem ſtadia Hiericho tunc acceſſit. Ioſue autem altare ex lapidibus, quos ſinguli principes tribuum tulerunt de profundo Iordanis, iubente propheta conſtituens pro facto interrupti fluminis, ſuper illud ſacrificauit Deo. Hæc Ioſephus aſſignans diſtantiam Iordanis à Galgalis, & à Galgalis vſque ad Hiericho. Sũt à Iordane vſque ad Galgala 52. ſtadia, quæ duas leucas & quartam partem conficiunt. Inde autem vſque Hiericho, octo ſtadia quæ vnum milliare complent. Cre- E dendum Ioſepho putat Abulenſ. quæſt. 26. quia terræ ſanctæ incola, & luſtrator fuit.

Ioſephus.

Vbi altare erectum in Galgalis, in quo ſacrificaret Deo ob beneficium interrupti fluminis.

Abulenſ.

Brochardus tamen in deſcriptione terræ ſanctæ ait, à Galgala per vnam leucam verſus Orientem, ſiue contra Orientem, ſitam eſſe Hiericho ciuitatem olim famoſam, nunc autem oppidum ab octo vicinis habitatum. In eo autem à Ioſepho diſſentit Abulenſ. quod affirmat ſacrificaſſe Ioſue in Galgalis, in altari ex lapidibus allatis ex Iordane confecto. Et meritò, quia non erat opus, confici altare lapideum ad ſacrificandum, vbi erat ſanctuarium & altare holocauſtorum, quæ duo in Galgalis aderant. Deus námque iuſſerat omnia ſacrificia afferri ſuper altare holo- A cauſtorum, Leuit. 1. 3. 4. & 7. capite. Quare ſacrificium Agni, & quodcunque aliud, quod in Galgalis peractum fuit, ſuper illud altare præcepto vrgente, debuit offerri.

Brochardi tempore Hiericho reddita erat in ... 8. vicinis inhabitata.

Ioſephus.

Leuit. 1. 3. 4. 7. Vbi arca erat non fuit opus altare ad ſacrificandum, præter altare holocauſtorum.

21. Dices, viros ſanctos obtuliſſe ſacrificia extra locum ſanctuarij. Nam Samuel, immolauit in Galgalis, in Maſphat, in Ramatha, & aliquando in Bethlem: vt patet 1. Reg. 7. & 8. & 13. & 16. Nemo autem illum peccati accuſat. Reſpondeo offerre victimas extrà locum ſanctuarij viris ſanctis interdum licuiſſe; non tamen illis vnquam permiſſum fuiſſe præſente ſanctuario, & altari holocauſtorum; alibi quam in præ- B dicto altari immolare atque, adeo contra legem ageret Ioſue, ſi in altari denuò facto in Galgalis ſacrificium offerret.

1. Reg. 7. 8. 13.

Viris ſanctis licuit olim immolare in varijs locis: non tamẽ, vbi præſens erat ſanctuarium, alibi ſacrificabãt quàm in altari holocauſtorum.

Vt diſcant omnes populi terræ fortiſſimam Dei manum &c.] ex deſiccatione maris rubri audita, territi ſunt populi: Vnde Exod. 15. *Obriguerunt omnes habitatores terræ Chanaan.* Ex diuiſione autem Iordanis ſimilis pauor oppreſſit Chananæos, vt patet ex cap. ſequenti, dicitur enim: *diſſolutum eſt cor eorum timentium introitum filiorum Iſrael.*

Exod. 15.

Ioſu. 5.

Et vos timeatis Dominum Deum veſtrum omni tẽpore.] Non ſolum Gentiles, ſed etiam Iudæi timere Deum & vereri didicerunt, conſpectis in mari rubro, & tranſitu Iordanis illuſtribus diui- C næ potentiæ argumentis, iiſque toto orbe fama celebratis.

Verſ. 1.] Quibus tranſgreſſis.

Potueritne arca fœderis, & populus ſine miraculo tranſire Iordanem?

ANNOTATIO I.

1. D. Auguſt. lib. 2. de mirabilibus ſacræ ſcri- D pturæ, ſi author huius libri Auguſtinus dicendus eſt, ita Iordanis tranſitum refert, vt affirmet; id quod factum eſt diuina virtute in traiectione Iordanis, fieri potuiſſe, ſi nõ eòdem modo, ſaltem aliter, adhibita humana induſtria. Sic enim ait: *Certè in hoc ſigno propoſiti operis noſtri cauſa requiritur, qualiter arcam Domini fluuius naturaliter præterire non permittit. Ita enim aliqua pars aquarum, quæ ad mare perrexit natura ſua curſum conſuetum conſequitur, dum altiora deſerens, per prona proprio more fluminis, paulatim delabitur. At verò humana induſtria alueos fluminum nudatos legimus, & audiuimus quomodo Cyrus imperator per ſiccum ducens exer-* E *citum ſuper Gaydom fluuium, qui ſecundæ poſt Euphratem quantitatis eſt in illa expeditione, qua Babylonem expugnauit, dicitur eſſe caſtrametatus: vbi chariſſimum virorum, & equitum, equitem tranſmeandi fluminis audacia perſuaſum rapacis alueì vortex demerſit. Quo facto rex incredibiliter iracundia furore, aduerſus fluuium permotus, velut in ſenſibilem creaturam, vlciſci ſtatuit: Ac immenſum amnem, perpeti anno, totis viribus in quadringentas ſexaginta foſſas diuiſit: nudatóque alueo meabilem, vix genua tingentibus fœminis reliquit. Vnde eodem exercitu & rege eadem expeditione Babyloniam obſidente excelſiſſimo murorum obiectu, ab expugnandi molimine repulſi milites, ad Euphratis fluminis perfluentia ſuperiora vada ſe conuertunt. Illa autem prædicta arte educti, per alienum limitem, diuerten-*

August.

Cyrus ſuper Gaydum caſtra metatus, alueũ illius exſiccauit apertis 460. foſſis.

tes per eius nudatum alueum Babylonis murum ſubintrantes, vrbem capiunt, &c. A

Quod cyri ætate humana induſtria longo tempore fecit, Deus ſubitò peregit in diuiſione Iordanis.

2. His ita enarratis, addit Auguſt. *Quod ergo humana induſtria laborioſo conamine potuit, hoc Deus potentiæ ſuæ virtute faciliùs peregit. Sed forſitan quiſpiam diſpariter hoc factum eſſe reſpondebit, dicens. Illic enim foſſura opus, alueos aquarum per humiliora diuertit: hic verò ſtans aqua, nullo renitente ad aëris ſublimia conſcendit. Sed & hoc nónne humana diligentia ſæpe efficit, & ab oppoſitis molibus aquas in excelſum montare, & ad fontes redire offenſas compellit? Quod verò homines velut terreni, de terrena craſſa materia frequenter faciunt, quomodo Angeli tunc, quorum officiis hæc omnia mirabiliter peraguntur, per aërem facere non potuerunt? Cùm ſit naturale aëris opus, & proprium officium aquas retinere in nubibus, & vt docti, indoctíq́; pariter norunt, quotidiana adminiſtratione retinet. Ita tunc, Deo iubente, fluminis curſum prohibuit, vt per illius fluenta arca Dei, & ſacerdotes tranſirent.* Hæc ille. B

3. Ex hac doctrina Auguſtini (ſi tamen ille liber Auguſtini eſt) conſtat, potuiſſe humana induſtria auerti aquas Iordanis à ſuo alueo, vt tranſiret populus per vadum ſicco veſtigio. Miraculum tamen in eo conſiſtere, quod rem, quæ longo tempore humana induſtria effici potuit, Deus ſubitò illam perfecit. Quanuis nec humana quidem induſtria eò pertingere potuit, vt ſuperior aquarum moles, quæ de fontibus augebatur ſurſum in aëre montaret; hoc eſt in montem creſceret, C quouſque omnis Iſrael ſiccis pedibus alueum fluminis, tranſiret (oppoſitis quippe molibus paſſim frænantur decurrentes aquæ, & tument.) Nullis tamen oppoſitis impedimentis, ſubitò tumeſcere frænato curſu; id demùm ſolius diuinæ virtutis opus eſt, quod omnis poſteritas iure admiratur.

Verſ. 3.] Præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco Caſtrorum, &c. D

Verſ. 5.] *Et infrà.* Portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, iuxta numerum filiorum Iſrael, vt ſit ſignum, inter vos, & quando interrogauerint vos filij veſtri cras, &c.

De ſignis, quibus Deus ſua beneficia conſeruari apud homines voluit. E

ANNOTATIO. II.

Signa prognoſtica in Sole, & Luna.

1. SIGNA (omiſſis aliis diuiſionibus, quæ nihil attinenr ad præſens inſtitutum) in triplici ſunt differentia. Quædam prognoſtica ſunt, hoc eſt rei futuræ euentum indicantia, qualia in ſole videmus tum Oriente, tum cadente, de quibus poëta, Georg. I. *Virg. Geor. 1.*

Signa in ſacris literis indicantia quid futurū ſit *Iſaiæ. 7.*

Indicant in ſacris literis quædam ſigna quid futurum ſit, quo pacto ſigni vocabulum paſſim accipitur in prophetis, iuxta illud Iſaiæ 7. *Dominus ipſe dabit vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, &c.* Conceptio namque virginis ponitur tanquam ſignum eius, quod prædicitur Regi Achaz de duobus Regibus, qui coniurauerant in illum. Sic etiam accipitur ſignum, Deut. 13. & 18. cum agitur de ſignis, quæ exhibentur à prophetis. Quædam demonſtrant rem præſentem; vt fumus ignẽ, laurus aut hedera pendens pro foribus, vinum vendibile, vexillum Regem, cuius præfert ſtemmata.

Conceptio virginis, ſignum fuit datum regi Achaz.

Signa rememoratiua.

2. Alia ſunt ſigna, quæ rememoratiua propterea vocantur, quia rerum præteritarum, excitant in nobis recordationem. In hoc ſignorum genere numerantur Chriſti Domini ſanctiſſima crux, quam cùm inſpicimus paſſionis, qua redempti ſumus, recordamur. Placet enumerare aliqua monumenta, quibus Deus iam inde ab Heroicis temporibus teſtata mundo eſſe voluit, & conſignata præcipua quædam in homines collata beneficia. Primùm, conſeruari memoriam voluit arcæ Noe in montibus Armeniæ, vbi illa poſt diluuium acquieuit. Secundò, Abrahæ mentem indidit erigendi altare in terra Chanaan, vbi audierat, *ſemini tuo dabo terram hanc.* Gen. 12. Tertiò, ſimilem cogitationem iniecit Iacobo Abrahæ nepoti; Gen. 28. poſtquàm ſcalam vidit Angelis, & ipſius Dei præſentia, mirabilem: *Surgens,* inquit ſcriptura) *Iacob manè tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper, &c.* Oleaſter, pro titulo vertit ſtatuam ſiue eleuationem, aítque vocem Hebræam, *Mazebba,* propriè ſignificare *eleuationem,* à verbo *naza,* vnde id vocabulum originem trahit, quod eleuare ſignificat. Additque, Non intelligas, ex eo lapide feciſſe Iacob idolum, aut ſculptile, ſed ſimplicem lapidem, qui oblongus erat, eleuaſſe tanquam ſignum diuinæ viſionis, quam ibi habuerat, & ampliſſimæ promiſſionis Deo factæ, &c. Alij vocem, *Mazebba,* inter alia, *ſtatuam,* ſignificare putant à verbo, *Iazab,* quod eſt ſtare, quemadmodum etiam Latini, ab ſtando, ſtatuam deriuant. Verùm prædicta vox Hebræa, non ſolùm ſtatuam, ſed & titulum, & columnam, & quoduis ſignum ſiue monumentum cuiuſcunque rei adſignificat. Porrò erectione altaris, vnctione oleo facta, & voto ſiue promiſſione decimarum, quaſi monumentum reliquit Iacob, omnium primus, tum ſynagogæ, tum Eccleſię trium rerum, quibus Deus máximè colitur: colitur enim Deus altari ſacrificiorum: vnctione in ſacramentis: Tandemque oblationibus fidelium. Vide Rabanum lib. 1. de inſtit. cler. cap. 45.

Crux excitat memoriam paſſionis.

Arca Noe in montibus Armeniæ.

Gen. 12.

Gen. 28.

Oleaſter.

Qualis fuerit lapis erectus in titulum à Iacob?

Mazebba, id eſt, columna, titulus, ſtatua, monumentum Hebraicè.

Iacob tres indicauit res, quibus Deus colitur, altari in ſacrificiis: oleo in ſacramentis: tum ſine oblatione fidelium.

Rabanus.

3. Quartò, quia egreſſuris Iſraelitis de Ægypto percuſſit ea nocte Deus omnia primogenita Ægyptiorum ab homine vſque ad pecus, Exod. 12. ſaluis Hebræorum domibus, in quibus pro foribus erat Agni paſchalis ſanguis: inſtituit, vt quolibet anno in memoriam huius beneficij fieret agni Paſchalis immolatio. Nec id ſolùm ſignum, ſed redemptionem etiam primogenitorum hominum, & mactationem ſiue ſacrificium primogenitorum pecorum. Addidit, præceptum veſcendi quotannis ſeptem diebus panibus azimis in celebratione exitus prædicti; quia in eo premente Pharaone, & ſeruis eius, non potuit maſſa fermentari, vt patet Deut. 16. Egreſſi námque ſunt Hebræi de ſeruitute duriſſima quæ vocatur Deut. 4. fornax ferrea Ægypti: Miſerique Iudæi, ob aſſiduam conflictationem, in ergaſtulo eſſe, & catenas in ceruicibus habere dicebantur, Leuit. 26. Exod. 6.

Exod. 12.

Agnus paſchalis, & azimi panes fuerunt ſigna rememoratiua.

Deut. 16

Deut. 4.

Leuit. 26. Exod. 6.

Celebritas paſchæ, feſtum Pentecoſtes & cæteræ apud Hebræos, ſigna ſunt rememoratiua.

Exod. 19. & 24.

Gen. 22.

4. Quintò, in memoriam legis 50. die poſt exitum de Ægypto datæ, vt patet Exod. 19. & 24. inſtitutum eſt feſtum Pentecoſtes, quod Iudæi vocant feſtum hebdomadarum. 6. celebratur feſtum clangoris tubarum, ob liberationem Iſaac ab immolatione, ſubſtituto in illius locum ariete, Gen. 22. In Iſaac námque liberato omnes Iudæi, liberati cenſentur Dei beneficio. Nec enim illo interfecto, naſcituri erant. 7. In ſignum confirmationis pacti, quo ſe aſtrinxerunt Iudæi ad ſeruandam legem datam in monte Sinai erectum eſt altare, & duodecim tituli, in memoriam duodecim tribuum, Exod. 24. 8. Reſeruatum eſt mãna in vna aurea vrna, capiente Gomor, vt patet Exod. 16. quæ collocata fuit in arca fœderis, Hebr. 9. vt eo ſigno recordarentur poſteri nullo alio cibo in deſerto vſos fuiſſe Hebræos quadraginta annis, quàm manna. In memoriam autem peregrinationis 40. annis, per ſolitudinem in tabernaculis factæ, voluit Deus, vt in ſeptimo menſe, celebrarent dies ſeptem in vmbraculis de frondibus arborum, & ramis, opportunè præparatis. 9. In ſignum diuiſi maris rubri, (vt inquit Oroſius in Ormeſta mundi lib. 1.) & curruum, rotarúmque Ægyptiorum, vel hodie, non ſine admiratione veſtigia apparent, tam in propinquis arenis, quàm ſub aquis maris, humano aſpectui peruia; vt ſi quo caſu confundi ſigna orbitarum contigerit mox Deo agente, in figuram priſtinam reuertuntur, ac ſi recenter ſigna impreſſa arenis forent. 10. Sunt, & ſigna alia, quæ Deus contra Iudæorum perfidiam extare voluit, vt tabulæ in arca conditæ; ne aliquando negarent legem ſibi datam: vt virga Aaron, quæ floruit, quæ conſeruata fuit, vt ſi incideret ambitio inter ſacerdotes, ſcirent, quomodo Deus litem diremerit eorum, qui aſſumere ſacerdotium conabantur, Num. 17. Relictus etiam eſt liber Deuteronomij, & carmen in latere arcæ, in teſtimonium cõtra Iudæos, quod temporibus nouiſſimis peccauerint, hoc eſt, paulò antequàm Moſes moreretur, vt dicitur Deut. 31.

Exod. 24.

Exod. 16.

Tabernaculorum origo apud Iudæos.

Oroſius. Veſtigia rotarum remanent in mari rubro.

Tabulæ in arca conditæ ſunt, ne Iudæi negarent legem ſibi datam a Deo. Virga Aaron cur ſeruata.

Num. 17.

Deut. 31.

Epilogus.

5. Cætera miſſa facio beneficiorum monumenta, quæ facilè occurrunt. Hoc profectò, quod hîc refert ſacra ſcriptura, maximè memorabile eſt ad diuinam benignitatem iuxta & potentiam poſteritati cõmendandam. Nam, & duodecim lapides erecti ſunt in alueo ſiccati Iordanis, & totidem in Galgalis. Quorſum interrogas? Audi Ioſue, Hebræos alloquentem: *Quando interrogauerint vos filij veſtri cras dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides? Reſpondebitis eis. Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm tranſiret eum: idcircò poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael, vſque in æternum, &c.*

Ioſue. 4.

Verſ. 20.] Duodecim quoque lapides quos de Iordanis alueo ſumpſerant, poſuit Ioſue in Galgalis, &c.

Leuit. 26.

Vtrum erectio lapidum facta iuſſu Ioſue contraria ſit legi Leuit. 26. Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem?

ANNOTATIO III.

1. DVBITARI poteſt, an contra legem fecerit Ioſue, dum lapides duodecim erexit in ſignum ſiue titulum, quo conſeruaretur memoria tranſitus Iordanis? Eadem quæſtio eſt, an rectè fecerit Iacob, Gen. 28. erigendo lapidem in titulum? Et verò ſuperſtitio in ea re viderur notari, quæ damnatur à Deo; Leuit. 26. *Ego Dominus Deus veſter; non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Ego enim ſum Dominus Deus veſter*, &c.

Gen. 28.

Reſpondendum eſt tamen, legem iſtam Moſaicam, non eſſe facto Ioſue contrariam, ſi conſideratè perpendatur, ſicut nec erectioni lapidis Iacobi. In Leuitico námque cap. 26. citato, prohibetur erectio inſignis lapidis. Vocat autem ſcriptura inſignem lapidem, eum qui egregie dolatus eſt, & ad exhibendam alicuius rei, quæ capax ſit adorationis, effigiem, ſiue imaginem affabrè figuratus. Tales autem non erant lapides quos affigi iuſſit in Galgalis, & in fluuio Ioſue; nec ille quem Iacob erexit. Erant enim omnes informes & impoliti, nullóque viſendi artificio. Prætereà ex illa Leuitici particula (*Vt adoretis eum*) patet prohiberi erectionem tituli & lapidis, quæ adorationis cauſa deſtinatur; Idololatræ námque, vel lapidibus erectis numen tribuebant. Vnde Terminus, quem Græci τέρμονα, vocant, Dei loco habitus eſt, quod cùm limes ſit agrorum, ad ruſticorum lites dirimendas erigi ſolebat, de quo Ouid. 2. Faſt.

Leuit. 26. Lapis inſignis, qui prohibetur erigi dicitur ille qui repræſentat rem adoratione capacem.

Erectio lapidis inſignis cur prohibita Leuit. 26.

Terminus [illegible] adoratus.

Ouid. 2. Faſt.

Te duo diuerſa Domini de parte coronant;
Binàque ſerta tibi, binàque liba ferunt, &c.

2. Ob hanc cauſam propenſos ad cultum idolorum Hebræos, Deus, ab ſtatuis, & titulis ſemper remouit, ne ſcilicet, more Gentilium, lignis & lapidibus aliquando diuinos honores, deferrent. Nam rudes lapides conſtituere in ſignum, & recordationem eorum, quæ geſta ſunt numquam vetuit. Imò Moſes ipſe, qui conditor fuit legis, hos lapides erigi iuſſerat, & alios in duobus montibus Hebal, & Gazarin; præter eos, quos ipſe in Sina monte affixit, ad memoriam legis à Deo datæ. Nec Dauid prohibuit Abſaloni filio, cùm eſſet propheta ſanctiſſimus, erectionem tituli; cuius meminit ſcriptura, 2. Reg. cap. 18. *Abſalon*, inquit, *erexerat ſibi cùm adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle Regis. Dixerat enim: non habeo filium & hoc erit monumentum nominis mei, vocauitque titulum nomine ſuo. Et appellatur manus Abſalon vſque ad hanc diem*, &c. Hanc tituli erecti hiſtoriam, referens Ioſeph. lib. 7. antiquit. *Abſalon*, inquit, *erexerat ſibi columnam marmoream cum inſcriptione duobus ſtadijs ab vrbe Hieruſalem diſſitam quem appellari voluit manum Abſalonis, dicens: etiam ſi liberos ſuos perire contingeret, in eo tamen monumento nomen ſuum perpetuò manſurum.* Hæc ille. Obiter aduerte annotatiunculam Brixiani, aliter interpretantis factum Abſalonis, in illa verba. *Non habeo filium.* Sic enim ait; *ſupra dicitur illum tres habuiſſe filios, & vnam filiam, ſed mortui erant. Alij tamen dicunt, quod adhuc viuerent, ſed eſſent inepti ad imperium*, &c. Vbi inſinuatur maluiſſe Abſalonem ſui memoriam in ſaxis impreſſam relinquere, quàm in filijs, ad regimen parum idoneis: quod prudentiæ fuit.

Nunquam Deus vetuit erigi rudes lapides ad poſteritatis memoriam.

2. Regum. 18.

Titulus Abſalon ſiue manus Abſalom.

Ioſephus. Manus Abſalonis.

Melius relinquitur in ſaxis memoria, quam in filijs ineptis ad res gerendas.

3. Atque, vt, quid ſit *Titulus*, in ſacris literis conſtet, interdum ſignificat hoc vocabulum,

Quid ſignificet titulus.

quam Græci vocant ἐπιγραφὴν, hoc eſt, *inſcriptionem*, quæ rebus ponitur; vt, vel ex ipſa fronte, omnibus compertum ſit rei nomen. Talis fuit titulus Crucis Hebraicè, Græcè, & latinè ſuperpoſitus. Aliquando ſignificat columnas, pyramides, fornices illuſtrium virorum nominibus, & elogijs inſcriptos, ad prodendam poſteris illorum memoriam, vt patet in monumento Abſalonis, & in triumphali arcu Titi Imperatoris, qui hodie Romæ viſitur. Tertiò, ſtatuam ſiue imaginem ad cultum, & venerationem alicuius excitatam, quales fuerunt olim ſtatuæ Alcibiadis, Ennij poëtæ, Horatij Coclitis, Marcelli, Scipionis Africani, & aliorum virorum illuſtrium, de quibus in illorum vita agit Plutarchus. Sic accipitur hæc vox, Leu. 26. dum dicitur, *Non erigetis vobis titulos*. Quartò, accipitur pro lapide ſiue ligno ad recordationem cuiuſcunque rei, erecto, ſine vllo artificio. Atque hoc modo accipitur Gen. 28. accommodarique poteſt erectioni lapidum, quos Ioſue, ad memoriam miraculi, excitauit. Illud egregiè annotauit Abulenſ. quæſt. 12. concedi nimirum poſſe legem, de non erigendo titulo, aut inſigni lapide generalem quidem eſſe, etiamſi lapis erigeretur, ſine animo adorandi; quia periculum erat adorationis præſumptæ; putarent enim homines illius temporis, aut etiam annorum conſequentium inſpectores, id monumentum ad adorationem fabricari; niſi perſona talis eſſet, de qua oriri talis ſuſpicio nequaquàm poſſet. Vnde quia de Iacob prætérquam quod, ante legem ſcriptam vixerit, nihil tale ſuſpicari homines poterant, fas illi fuit, non tantum ſemel, vt diximus excitare titulum, Gen. 28. ſed etiam iterum cùm rediens è Meſopotamia, erexit titulum lapideum, in loco, in quo locutus fuerat ei Dominus, hoc eſt, in Bethel, Gen. 35. Sic enim dicitur. *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius. Hic eſt titulus monumenti Rachelis vſque ad præſentem diem.* Idem, ob eandem cauſam, licuit Moſi, & Ioſue, &c. An non erat vetita fabricatio altaris extra locum vnum, quem Deus elegiſſet? ſanè Exod. 20. Deut. 12. Leuit. 17 ſeuerè id interdicitur, ne daretur occaſio idololatriæ. Cùm tamen perſona aliqua heroicis virtutibus, inſignis erat, poterat in alijs locis immolare. Licuit id Eliæ in monte Carmelo coram ſacerdotibus Baal, 3. Reg. 18. & Samueli, qui aliquando ſacrificauit in Maſpha vt patet 1. Reg. 7. aliquando in Ramatha, aliquando in Bethlem 1. Reg. 16. & in quocunque loco mallet cum eſſet Domini propheta, de quo nihil mali quiſquam audebat ſuſpicari.

4. Non licebat tamen perſonis alijs, quarum non erat vulgò cognita, & approbata virtus, id facere. Erat enim id factum morte piandum. Nam cùm duæ tribus & dimidia extruxerunt altare apud Iordanem (quia id nefas erat contra legem ſuſceptum) inſurrexerunt in pugnam contra fratres ſuos, reliquæ tribus, vt videbimus infrà cap. 22. Vides quantum iuris habeat præiudicata virtus? Quædam virtute præditi impunè agunt, quæ in vitioſis hominibus, & vulgaribus relinquere non debemus impunita. Vide Abulenſ. quæſt. 12. in caput quartum Ioſue.

Statuæ & imagines virorum illuſtrium, vnde decantat.

Plutarchus. Leuit. 26.

Gen. 28.

Iacob erexit lapidem in titulum ante legem quamuis lex huiuſmodi titulos vetuit. Gen. 28.

Gen. 35.

Deut. 12. Leuit. 17.

Perſonis notæ virtutis, fas erat immolare extra templum ſine ſuſpicione idololatriæ ...

1. Reg. 7. 1. Reg. 16.

Infrà. 22.

Abulenſ.

Verſ. 20.] Duodecim quoque lapides poſuit Ioſue in Galgalis, &c.

Quid per duodecim lapides magnos in Iordane, & in Galgalis erectos ſignificetur.

ANNOTATIO IIII.

1. PRÆCEPIT Ioſue ſublatos de fundo Iordanis lapides inter filios Iſraël collocari, per quos Gloſſa moralis intelligit Iudaicum populum, in 12. tribus diſperſum, qui in humore doctrinæ legis, & prophetarum fuit enutritus: ſed veniente Chriſto, quem noluit recipere, eiectus fuit ad obſtinationis ariditatem. Per alios duodecim, qui horum repoſiti ſunt loco; gentilis populus ſignificatus fuit; qui doctrina 12. Apoſtolorum, ex infidelitatis ariditate ad humorem gratiæ, tranſlatus eſt baptiſmate initiatus. Alia peculiaris reddi ſolet ratio, cur Ioſue lapides extrahi iuſſerit, & in ſicco erigi: Ea nimirum, quia poſt baptiſmum à prædicatoribus, & prælatis debent exempla cõſtitui, & firmiſſima duodecim Apoſtolorum documenta, quæ baptizatis in medio Eccleſiæ venerationi ſint. Vnde Act. 15. Paulus & Barnabas docuiſſe dicũtur præcepta & traditiones Apoſtolorũ, & ſeniorum. Ipſis quoque Apoſtolis iuſſit Ioſue, hoc eſt Chriſtus, vt de Iordane tollerẽt lapides, hoc eſt de fide Baptiſmi firmiſſima dogmata, quæ in Galgalis, hoc eſt, in circumciſionis, & mortificationis loco per Galgala ſignificato erudirent fideles ad perferendos pro pietate, & virtute omnes labores, qui in Eccleſia plerunque, non minus nos vrgent, quàm fluctus ſcrupulos, & venti debacchantes, marmora in edito loco poſita. Conſolari nos poſſunt illa verba in medijs laboribus, & ærumnis: *Feſtinauitque populus, & tranſiuit?* Quia, vt annotauit Orig. hom. 3. in Ioſue omnia ad ſalutem ſpectantia, non ſegniter, ac remiſsè, ſed cum omni celeritate exequi oportet ijſque fidei ſunt, ante oculos, veluti immobilia ſaxa poſitis. *Hoc*, inquit, *eſt cum feſtinatione tranſire Iordanem; hoc lapides figere.* Non putemus quod in hæreditatem cœleſtem per otium, & negligentiam oſcitantes, & dormientes intrare poſſimus. Imitari Chriſtum debemus de quo Pater in Pſalm. 109. *De torrente in via bibet propterea exaltabit caput.* Geneb. De torrente afflictionis & malorum in via bibit. calicem paſſionis hauſit; propterea exaltabit caput ſuum. Dicitur via vitæ curriculum, & tranſitus cum feſtinatione vincendus. Potus participatio; torrens, ſymbolum calamitatum multarum, vt Pſal. 123. *Torrentem pertranſiuit anima noſtra*, vt ſit ſenſus: in vita, multarum calamitatum erit particeps; & propter hanc humilitatem exaltabitur, & aſcendens in cœlum, glorificabitur. Hunc locum ita videtur interpretari Apoſtulus, Phil. 2. *Humiliauit ſemetipſum*, &c. *Propter quod*, &c. Ad Heb. 2. *Propter paſſionem mortis gloria & honore coronatus eſt.* Ita Arnob. Aug. Euthy. Phaſe comedebãt Iſraëlitæ feſtinãter, & ſtantes ad viam accincti & Dominus *exultauit, vt Gigas ad currendam viam.* In qua via (vt quidam interpretantur, torrentis vncem) tantus cruor erit, vt de eo bibere Do-

Act. 15.

Per duodecim lapides duodecim Apoſtolos intelliguntur.

Origen.

Feſtinati transire ...

Pſalm. 109.

Genebr.

Pſalm. 123.

Philip. 2. Hebr. 2. Arnob. Aug. Euthy.

Per 40. millia armatorum praecedentium, significatur Angelorum praesidium. Carthus.

minus victoriam perſequendo poſſit. Nihil hic otij, ſumma in tranſitu feſtinatio. Et ne putemus defutura nobis diuina praeſidia; per quadraginta millia hominum, qui armati contra hoſtes, filios Iſrael praeceſſerunt (quamuis Carthuſianus Dioniſ. veteris teſtamenti prophetas intelligat dumtaxat ſuis nos iuuantes vaticiniis) rectè ſignificari puto Angelorum patrocinium, & Eccleſiaſticae hierarchiae inſtructiſſimos ordines, à quibus, qui non recedunt, magnopere iuuantur in adeptione terrae promiſſae.

Rupertus.

2. Rupertus de Trinit. & oper. eius lib. 1. cap. 14. lapides viuos, & magnos, Apoſtolos vocat & prophetas, *qui fidem noſtram*, inquit, *velut fundamentum portant, neceſſariámque nobis, factis & dictis, operum Domini memoriam ſemper ſuſcitant. Unde Apoſtolus*, Epheſ. 2. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenae, ſed eſtis ciues ſanctorum, domeſtici Dei ſuperaedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum. Et prophetae quidem, quia profundiora, vel obſcuriora ſacramenta continent, quaſi in medio Iordanis alueo ſub aquis latent. Apoſtoli verò, quia nuda & aperta facie Saluatoris opera teſtantur: quaſi in Galgala poſiti, quod interpretatur reuelatio, ſemper ſub dio, conſpectibus omnium patent. Vtrobique magnum, & euidens teſtimonium, credulis gentibus, ſiue Iudaeis bonum & iucundum, incredulis triſte, atque pauendum.* Haec Rupertus.

Epheſ. 2.

Prophetiam ... ſignificatio ... lapides ... Apoſtoli 12. lapidibus poſitis in Galgala, quae vox reuelationē denotat.

Pſal. 86.

3. Accommodantur etiam Apoſtolis, illa verba Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis:* hoc eſt, fundamenta, & principia eius id eſt, Eccleſiae, vel Sionis (vt Arnobio, & Euthymio placet) ſunt in ſanctis montibus, hoc eſt, Patriarchis, & Prophetis. Montes autem dixit, vt ait Genebrardus plurali numero, quia non modò mons Sion propter templum erat Deo dicatus, ſed etiam Thabor, & Hermon, Carmelus, & alij omnes, qui in terra promiſſionis ſunt. Vniuerſam namque Deus promiſſionis terram ſibi ſacrauerat. Adde Sionem (ſi preſsè locutum fuiſſe prophetam, mauis) fuiſſe bicipitem, vt vnum ipſius iugum eſſet mons Moria propriè, in quo erat templum; alterum Sionis nomen retineret, in quo domus regia erat, arx, & ciuitas Dauid; qui & longo montium tractu, ei eſſet coniunctus. qui dicebatur Sinai (quod iter eſt dierum ſedecim.) Sic interpretor Paulum ad Galath. 4. dicentem, Sinai montem Hieroſolymis coniunctum eſſe. Vide Ludouic. Legion. Gagnaeum. & Geneſium lib. 1. epiſt. 4. ad Eraſmum. In his montibus ſunt duodecim lapides erecti, hoc eſt, duodecim Apoſtoli, qui fundamenta ſunt Hieruſalem, id eſt, Eccleſiae, tum militantis, tum etiam triumphantis; ſuppeditant námq; defenſionem contra hoſtes, oppugnantes ſanctam ciuitatem, documentis à Chriſto acceptis, & in Vranopoli, hoc eſt, triumphanti Hieruſalem, quae tota conſtat ex auro puriſſimo, incredibilem afferunt ornatum. Vnde Ioan. Apoc. 21. ſic ait. *Fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioſo ornata.* &c. Lapides pretioſi, qui ſuffulciunt, & decorant aedificium, & fundamenta ſunt (vt Beda, Aretas, & alij exponunt) Apoſtoli intelliguntur, qui ſimul portae dicuntur, quoniam & per ipſos in caeleſtem Hieruſalem reliqui ingrediuntur, & ſuper ipſos fundata eſt Eccleſia. Vnde Ioannes: *Et murus*, inquit, *ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* &c. Accommodant duodecim Apoſtolorum nominibus, duodecim la-

Arnob. Euthym.

Deus, montes vniuerſam promiſſionis terram ſibi ſacrauerat.

In vno iugo Hieroſolimitani ... erat templum, in altero ... Regia, ... Sion.

Apoſtoli fundamenta Eccleſiae.

Apoc. 21.

Beda. Aretas.

Apoc. 21. Apoſtoli portae, ... fundamenta ... ſunt.

A pillos. Andraeas, Caeſar, Aretas, & Ioachimus: primum lapidem, Iaſpidem ſcilicet attribuunt Petro: Sapphyrum Andreae: (Aretas & Andreas D. Paulo, neſcio quo conſilio) Calcedonium Iacobo maiori, fratri Ioannis Euangeliſtae: Smaragdum, Euangeliſtae Ioanni: Sardonychen Philippo: Sardium Bartholomaeo: Beryllum Thomae: Topazium Iacobo minori, fratri Domini: Chryſopraſum Iudae fratri praedicti Iacobi: Hyacinthum Simoni: Amethyſtum Matthiae.

Andreas. Aretas. Caeſar. Ioachimus.

Duodecim gemmae 12. Apoſtolis aptantur.

4. Quia tamen, non idem eſt ordo numerandi Apoſtolos apud ſcriptores Euangelicae hiſtoriae, integrum eſt interpretibus accommodationem B horum lapidum variare. Ordinem multiplicem ſic accipe.

Variè ab Euangeliſtis numerantur Apoſtoli.

Ordo Matthaei cap. 10.	*Ordo Marci cap.* 3.
Petrus	Petrus
Andreas	Iacobus
Iacobus Zab	Ioannes
Ioannes	Andreas
Philippus	Philippus
Bartholomaeus	Bartholomaeus
Thomas	Matthaeus
Matthaeus	Thomas
Iacobus Alphaei	Iacobus Alph.
Thaddaeus	Simon
Simon	Thaddaeus
Iudas proditor.	Iudas proditor.

C

Ordo Lucae cap. 6.	*Ordo Actuum cap.* 1.
Petrus	Petrus
Andreas	Ioannes
Iacobus Zebedaeus	Iacobus Zeb.
Ioannes	Andreas
Philippus	Philippus
Bartholomaeus	Thomas
Matthaeus	Bartholomaeus
Thomas	Matthaeus
Iacobus Alph.	Iacobus Alph.
Simon	Simon.
Thaddaeus	Thaddaeus
Iudas proditor.	Matthias electus, &c.

D

Fundamentum ergo primum Petrus, cui Dominus dixit Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, &c. Iaſpidi comparatur ob ſoliditatem animi, & fidei. Viret iaſpis & ſublucet; ita Petri animus & fides poſt Chriſti reſurrectionem apertus ſemper fuit, & minimè fallax, quod fortitudinis eſt indicium: Hebraicè, *Iahalon*, à contundendo. Vnde aliqui Hebraei aiunt eſſe adamantem. Talem Achillem Homerus facit.

Matth. 16. Accommodatur Iaſpis Petro.

E Aptamus ſecundum lapidem, id eſt, Sapphyrum, Andreae, cuius conuerſatio in caelis ſemper fuit. Imitatus eſt crucem Chriſti in morte, & charitatis quaſi punctis notatus, iucundus erat omnibus. Eſt autem Sapphyrus, Hebraicè, *Saphir*, gemma caerulea, & aureis punctis trallucet, & vt Plinius lib. 37. cap. 9. ait ſculpturae inutilis, vt liceat, vel hinc, fulgorem virtutum Andreae elicere, & animi, qui non poſſit flecti à rectitudine, & quaſi ſcalpi, firmitatem.

Sapphyrus Andreae.

Plinius.

Tertium Iacobo filio Zab, vt enim Beda ait, Chalcedonius, quaſi ignis lucernae, pallenti ſpecie, renitet, & fulgorem habet ſub dio, non in domo. Vnde ſuſpicio mihi eſt, hunc eſſe Ligurium, quem pleriq; Carbunculum faciunt. Nam qui

Chalcedonius Iacobo.

qui à Lynce occultatur in terra calidam vrinam, ne hominibus proſit, fieri gemmam putat quam Lyncurium vocant, viris doctis fidem non faciunt. Ardebat Iacobus charitate, & domi quidem, quia piſcator erat, & affectabat primam ſedem, Matth. 20. obſcurauit pulchritudinem ſuam. Inde tamen in prouinciis externis ſplendorem doctrinæ eiaculatus eſt, potiſſimum in Hiſpania: vbi vel poſt mortem corporis ſui reliquiis illuſtris eſt. Vbi naſcatur χαλκηδών, latinè Chalcedonius, ſcribit Aretas, & Iſid. lib. 16. Ethym. cap. 15.

Aretas. Iſidorus.

Smaragdus Ioanni, qui in Apocalypſi rerum cæleſtium multas reddidit imagines.

Quartum, id eſt, Smaragdum, Ioanni, qui ſimilis Deo fuit morum puritate, & conſeruato virore caſtitatis, cæteris eminentior. Nota eſt illius inſcriptione rerum diuinarum, cum profunditate ſuauitas. Eſt autem ſmaragdus viriditate mira, oculis iucundus ſine ſatietate, & rerum imagines reddit, vt inquit Plinius lib. 37. cap. 5. & ſimilitudinem præfert diuinæ naturæ. Vnde Apoc. cap. 4. dicitur, *Et Iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Hebraicè dicitur, *Bereket*, vt mirum non ſit, vocari Ioannem, & Iacobum, filios tonitrui.

Apoc. 4.

Sardonix Philippo.

Quintum Philippo, qui candore animi inſignis fuit, & charitate, rubro colore ſignificari ſolita; & quoniam Sardonix, Hebraicè, *Saham*, colorem habet ſanguinis, vt ait Aretas, ſiue minij, vt Iſidorus; indicat animum cupidum fundendi pro Chriſto ſanguinem. Porrò Sardonix vnguem refert hominis, iuxta Plinium lib. 37. cap. 6. cum ſanguineo colore. Iſidorus 16. Eth. cap. 8. conſtare eum affirmat tribus coloribus, inferius, nigro, medio candido, ſuperiùs minio, ſiue colore minij. Niger color ſignificat triſtitiam charitate ſuperatam.

Aretas. Plinius. Iſidorus.

Sardius Bartholomæo. Plin.

Sextum, Bartholomæo, igne charitatis dæmonibus terribili. Sardius námque, qui Sarda Plinio dicitur lib. indicato cap. 7. Hebraicè, *Odem*, à rubro, ſiue ſanguineo colore. Rubinum aliqui eſſe volunt, quibus Hieronymus, Ioſephus, & Sept. obſiſtunt. Lucentis habet ignis ſpeciem; ac feris, vt Aretas inquit, Apoc. 4. formidinem incutit, ſi tibi Diabolus, vt leo adeſt, vt paſſim adeſt, teſte Petro 1. cap. 5. Bartholomæum obiice, victus recedet.

Aretas. 1. Petri 5.

Chryſolitus Matthæo.

Septimum, id eſt, Chryſolitum, Hebr. *Tharſis*, Matthæo, qui maris, hoc eſt, mundi huius colorem præferens erat publicanus eſſet: poſteà charitatis ardentes exhibuit ſcintillas miraculorum, & doctrinæ luce coruſcans. Mittit verò ad nos Æthyopia chryſolitos aureo colore pellucidos. Optimi ſunt, qui aurum albicare cogunt, quadam argenti facie, ſi è regione ponantur. Vide Plinium cap. lib. 37. Iſidorum Ethymol. 16. cap. 14.

Plinius. Iſidorus.

Thomæ Berillus.

Octauum, id eſt, Berillum Thomæ. Nam berillus in India naſcitur, viriditate ſimilis ſmaragdo, ſed cum pallore; politur autem à Gemmariis in ſexangula forma, vt hebetudo coloris angulorum excitetur repercuſſione. Vide Bedam, & Iſid. Ethym. lib. 16. cap. 7. Aretas ſic ſcribit: *Thomæ hunc comparatur, qui lapis maris, & Hyacinthi colore, & illius ad fidem inſtabilitatem depingit, & maximè Apoſtolatum, ac legationem in longinquam patriam. nempe vſque ad Indos, & in mare perfectam.* Hæc ille: Viriditatem fidei Thomas aliquando amiſit, ſed eandem poſteà reparauit ſexangula forma, hoc eſt, omnium virtutum ornatu ſenario numero ſignificato, in animum inducta, tum

Beda. Iſidorus. Aretas.

calcedonium ſ... apud Indos, vbi prædicauit viuus, & quieſcit mortuus. Hebraicè, *Iaſpes* dicitur. Vnde Hebræi ferè Iaſpidem intelligunt: quos Hieronymus. Ioſephus, & Sept. interpretes confutant, berillum, vt diximus, interpretantes.

Nonò, Iacobo Alphæi topazius aptatur, illius enim ſpei & fidei viriditas, adeò numquam aruit, vt affirmet Hieronym. in catalogo virorum illuſtrium, iuraſſe eum, ſe panem non manducaturum ab illa hora, qua biberat calicem Dominus, donec videret Chriſtum à mortuis reſurgentem. Eſt autem topazius viridis gemma, de qua Plin. eodem lib. cap. 8. *Eſt ampliſſima,* inquit, *gemmarum, eadem ſola nobilium limam ſentit, cæteræ noxys cotibus poliuntur. Hæc & vſu atteritur,* &c. Huc alluditur, Pſal. 118. *Ideò dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazium.*

Topazius Iacobo. Hieron. Plin. Pſal. 118.

Decimum Thaddæo accommodamus, ob eximium in eo elucentem fidem & charitatem. Nam chryſopraſus, ſiue chryſopraſius, inter virides gemmas locum habet apud Plin. lib. 37. cap. 8. *Præfertur his,* inquit, *chryſopraſius, porri ſuccum & ipſa referens, ſed hæc paululum declinans à topazio in aurum,* &c. Dicitur autem chryſopraſius, ἀπὸ τοῦ χρύσου, hoc eſt, ab auro, & *porro*, quod Græci πράσον vocant. Iſidorus lib. Ethym. 16. cap. 7. aureas guttas in chryſopraſo ineſſe ait. Ioachimus adumbrari hac gemma putat Iudam Thaddæum Iacobi minoris fratrem.

Thaddæus Chryſopraſus. Plin. Iſidorus. Ioachimus.

Vndecimum Simoni Chananæo, qui cæleſtibus præditus moribus, non ad terram, ſed ad cælum aſpectans, actiones vitæ conformabat, Hyacinthus violacei coloris eſt: de eo ſic Iſid. lib. 16. cap. 9. Hyacinth. ex nominis ſui flore vocatur. Hic in Æthiopia inuenitur cæruleum colorem habens, optimus, nec rarus eſt, nec denſitate obtuſus; ſed ex vtroque temperamento lucens, purpuráque refulgens. Hic autem non rutilat æqualiter, ſed cum facie cæli commutatur: ſereno enim perſpicuus eſt, atque gratus; nubilo coram oculis euaneſcit, atque marceſcit. In os miſſus frigidus eſt, in ſculpturis duriſſimus, nec tamen inuictus.

Simoni Hyacinthus. Iſidorus.

Duodecimum, Matthiæ. Eſt autem Indicus Amethyſtus, vt libro citato cap. 9. Iſid. ait, gemma, quæ inter purpureos lapillos principatum tenet. *Amethyſtus*, inquit, *purpureus eſt permiſto violaceo colore, & quaſi roſæ nitor, & leniter quaſdam flammulas fundens.* Hæc ille cui Beda addit: *Sed & quiddam in purpura illius, non ex toto igneum, ſed quaſi vinum rubens apparet,* &c. Iure amethyſto Matthias comparatur, quod vocabulum ſignificare *paruum*, aliqui ſecuti Abdiam Babylonicum teſtantur, quia humilitatem veram colunt ſculpturis, & diuinis imaginibus & formis recipiendis facilis, cæleſte prætereà neſcio quid, ſemper ſpirans. Hebraicè, *Achalamach*.

Matthia Amethyſtus. Iſidorus. Beda.

6. Scio, quæ ſingulis Apoſtolis accommodauimus, omnibus ferè conuenire; ſed id boni conſulendum eſt, quod vnicuique ſuam, vt potuimus, applicuimus laudem. Poſſunt & illa verba iiſdem ipſis Apoſtolis aptari, Apoc. 21. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas.* Vbi Ausbertus, & alij intelligunt portas ſingulas ex ſingulis margaritis factas; habere inſuper duodenas margaritas, id eſt, omnes centum quadraginta quatuor. Quam interpretationem approbat eo in loco doct. P. Franc. Ribeira vir ad interpretandam ſacram ſcripturam, quaſi natus.

Poſſunt accommodari ſingulis Apoſtolis quæ omnibus accommodantur. Apoc. 21. Ausbertus. Franciſcus Ribeira.

7. Cer-

7. Cernere eſt, in tam varia duodeni numeri præfiguratione inſignem Apoſtolorum gloriam; quos per lapides à Ioſue excitatos ſignificari diximus, & à Regio propheta dum myſticè de noua Eccleſia cogitat, Pſal.86. Fundamenta vocari ciuitatis Dei. Vnde Auguſt. tom.8.enarrans hæc ipſa verba: Quare, inquit, ſunt fundamenta Apoſtoli & Prophetæ? Quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtram; & paulò infrà: ſacramentum magnum huius duodenarij ſignificatio eſt numeri. *Sedebitis*, inquit, Matth.9. *ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael*, &c. Vide myſterium, duodecim lapides erecti ſunt à Ioſue in monimentum beneficij, & teſtificationem ingratitudinis, ſi aliquando Iudæi receſſerint à Deo. Duodecim vero Apoſtoli in die magni iudicij erigentur à Deo, & in ſedibus conſtituentur, ad diiudicandas hominum cauſas; ſic enim arguent immemores beneficiorum Dei, & damnabūt eos, qui à doctrina, & moribus Catholicis receſſerint. Poſitos námque ait Ioſue duodecim illos lapides ad memoriam tranſitus Iordanis, itémque, *vt diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Domini manum, vt & vos timeatis Dominum Deum veſtrum omni tempore*, &c. An aliud eſt Dei conſilium, prænuntiantis ſe erecturum duodecim Apoſtolos; quos diuini verbi ſatores in mundo fecit, & Eccleſiæ fundamenta, & in ſedibus honorificis collocaturum? ſanè vult, vt cognoſcamus fortiſſimam Domini manum, *qui potens eſt de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: vult prætereà, vt ſcelerum vindices timeat mundus, quos non timuit virtutum aſſertores.

Pſal. 85. — *Auguſt.* — *Numerus duodenarius myſticus eſt.* — *Matth. 9.* — *[illegible] duodecim lapides ad arguendos beneficiorum Dei immemores, 12. Apoſtolos ſignificant, [illegible] in [illegible] ingrati.*

8. Significari denique per hos lapides duodecim tribus, notius eſt quàm vt debeat inculcari id ſolùm aduerto, valde probabile mihi videri; in ſingulis lapidibus, perinde inciſa fuiſſe capitum vniuſcuiuſque tribus nomina, atque in duodecim gemmis rationalis quod Græci, λόγιον, vocant. Geſtabat námque in pectore ſummus ſacerdos pannum breuē palmi magnitudine per quadrum, ex aureis filis intextum cui ordine quadripartito 12. gemmæ infixæ, ita radiabant, vt oculos oblectarent intuentium. In primo ordine Sardius referebat Ruben Iacobi primogenitum, Topazius, Simeonem, Smaragdus, Iudam. In ſecundo, Carbūculus Dan: Saphirus, Nephtalim: Iaſpis Gad. In tertio, Lycurius Aſer, Achates, Iſſachar: Amethyſtus, Zabulon. In quarto, Chryſolitus, Ephraim: Onychinus, Manaſſen: Berillus, Benjamin. Aliter alij inciſa referunt fuiſſe nomina. In primo námque ordine conſtituunt Ruben, Simeon, & Leui. In ſecundo, Iudam, Iſſachar, Zabulon. In tertio, Dan, Nephtalim, & Gad. In quarto, Aſer, Ioſeph, & Benjamin. Ioſephus lib. 3. Antiquit. cap.11. *Singularum*, inquit, *tribuum principes, eo, quo nati ſunt ordine, in his duodecim lapidibus, literis fuiſſe inſculptos. Nimirum, vt intelligerent, in tam ſacro loco ſcripta nomina, vnamquamque tribum ad Dei pertinere prouidentiam. Sacerdos verò ad pectus oculos deÿciens, perſpiceret, pro vniuerſo Iſraele, quem in pectore geſtaret, eſſe orandum.* Ego lapides à Ioſue ſecundum Ioſephi opinionem, diſponi iuſſos arbitror. Sed qualis qualis fuerit ordo, certum eſt, nomina principum duodecim in erectis lapidibus inſculpta, memoriam patrati ad Iordanem miraculi, ad multos annos conſeruaſſe.

IN CAPVT QVINTVM IOSVE.

PERIOCHA.

POST tranſitum Iordanis, iniectus eſt timor Chananæis. Territi námque tanti ſama miraculi, verebantur, ne, ſi reſiſtere vellent Hebræis, quibus ſe Deus tam propitium oſtendebat, irató numini viderentur obſiſtere, cum detrimento vrbium ſuarum & agrorum. Experti fuerant in Amorrhæorum Regum, qui vicini erant excidio, Iſraëlitici populi ope diuina adiuti, potentiam, & in diuiſione fluminis felicitatem. Hebræi vero iuſſu Dei admoniti, circumciſionis, & paſchæ præcepta in Galgalis implent, veſcíque incipiunt nouis terræ frugibus, nec amplius cæleſti cibo, hoc eſt, manna, vſi ſunt. Tandem Ioſue Angeli conſpectu, quem Michaelem eſſe multi putant, recreatur; & oraculo diſcit, quo pacto expugnanda ſit Hiericho.

CAPITIS QVINTI SECTIO PRIMA.

1. Poſtquam ergò audierunt omnes
Reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, & cuncti Reges Chanaã, qui propinqua poſſidebant magni maris loca, quod
ſiccaſſet Dominus fluenta Iorda- B
nis coram filijs Iſraël donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus, ti-
2. mentium introitum Iſraël. Eo
tempore ait Dominus ad Ioſue fac tibi cultros lapideos, & circuncide ſecundò filios Iſraël. Fecit quod iuſſerat Dominus, & circuncidit filios Iſraël in colle præ- C
3. putiorum. Hæc autem cauſa eſt
4. ſecundæ circuncifionis. Omnis
populus, qui egreſſus eſt de Ægyto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus, qui omnes circuncifi erant.
5. Populus autem, qui natus eſt in
deſerto, per quadraginta annos itineris lógiſſimæ ſolitudinis incircuncifus fuit donec conſumerentur, qui non audierant vocem

A 6. Domini, & quibus ante iurauerat, vt non oſtenderet eis terram
7. lacte & melle manantem. Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum & circuncifi ſunt à Ioſue, quia ſicut nati fuerant in præputio erant, nec eos in via aliquis
8. circunciderat. Poſtquàm autem
omnes circuncifi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco, donec ſanarentur. Dixítque Do-
9. minus ad Ioſue. Hodie abſtuli
opprobrium Ægypti à vobis vocarúmque eſt nomen loci illius Galgala, vſque in præſentem diem, &c.

Aliæ Verſiones.

Hebraicè. Pro, *Fac tibi cultros lapideos*, &c. Fac tibi cultros acutos, & conuerſus circuncide filios Iſraël ſecundò. Pro, *Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum*, &c. Et filios eorum ſtare fecit pro eis. Pro, *Hodie abſtuli opprobrium Aegypti à vobis*, &c. Hodie reuolui opprobrium Ægypti à vobis. Pro, *Galgala* Ghilgal.

Aliter. Pro, *cultros lapideos*, &c. cultros, acutos, vt Pagn. Hebraicè, cultros acierum. Pro, *Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum*, &c. Filios

A illorum, quos ſuſcitauit pro eis. Pro, *Poſtquàm autem omnes circunciſi ſunt*, &c. Factum eſt autem, poſtquàm tota natio iam plenè circunciſa eſſet. Pro, *Abſtuli opprobrium*, &c. Deuolui, &c.

Sept. Interp. Et cuncti Reges Chanaan: καὶ πάντες οἱ βασιλεῖς τῆς Φοινίκης, hoc eſt, *Et omnes Reges Phœniciæ.* Pro, *Fac tibi cultros lapideos*: ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας πετρίνας, id eſt, *Fac tibi cultros*, ſiue, *gladios lapideos.* Deinde pro, *Et circũcide*: καὶ καθίσας περίτεμε τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ. *Et ſedens circuncide filios Iſrael.* Pro, *Fecit quod iuſſerat Dominus*, &c. καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ Ἰησοῦς μαχαίρας πετρίνας ἀκροτόμους. *Et fecit ſibi Ioſue cultros lapideos acutos.* Pro, *Terram lacte & melle manantem*: γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι. C

Explicatur contextus.

1. *Vdierunt omnes Reges Amorrheorum*] Non ſolùm Sehon, & Og, quos Moſes occidit, Reges fuerunt Amorrhæorũ, ſed alij etiam trans Iordanem. Nam Amorrhæi, quamuis præcipuam regionem incolerẽt, quam Moſes bello cepit, & Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſes diſtribuit, vbi Sehon, & Og imperauerant; tamen vltra fluuium, prouinciam etiam habebant Chananæis confinem; in qua multi erant reges ſiue reguli. Quilibet D enim è ſeptem populis Chananæorum in ſingulis ferè vrbibus Reges habebat, vt patet Exod. 31. & ex Regibus, quos Ioſue infrà cap. 12. occidit, & tamen non ſubiecit Ioſue ſibi, omnem Chananæorum terram, dicitur enim Iudic. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Deus reliquit, vt in eis experiretur Iſraelem, ſcilicet quinque Satrapas Philiſtinorum, omnémque Chananæum, atque Sidonium, & Heuæum, qui habitant in monte Libano de Baal Hermon, vſque ad introitum Emath.*

Exod. 31.

Infra 12.

Iudic. 3.

Amorrhæi non fuerunt omnino expulſi ab Iſraele.

2. Agitur ergo hic de Amorrhæis, qui habitant trans Iordanem ad occidentalem plagam ipſius fluuij, qui eſt in limite, & fronte terræ Chanaan Orientali. Reges igitur tam Amor- E rhæorum, quàm Chananæorum audientes, ab ijs, qui viderũt ſiccatum fuiſſe Iordanis alueum, donec tranſirent Hebræi, timore perculſi ſunt.

Qui propinqua poſſidebant magni maris loca.] Intelliguntur hic Reges Philiſtinorum, & aliarum gentium. qui obtinebant ciuitates magno mari propinquas. Vocatur autem hîc mare magnum, non Oceanus, qui verè magnus eſt: vnde ab Homero dicitur, *Pater vndarum* Ὠκεανὸς δὲ ... &c. Dictus Oceanus ab ὠκύς, quod eſt velox. Vndarum verò illius velocitas maximè cernitur in acceſſu & receſſu: de quo ſic ait Silius Italicus.

ὠκύς, id eſt, velox, vnde Oceanus Homerus.

A *Cymothoes ea regna vaga, pelagique labores Luna regit; Luna inuectis per cærula bigis Fértque, refértque fretum, ſequitúrque reciproca Thetys.*

Silius Italicus.

3. Quin etiam illa proruptio interfluentis Oceani, læua Europam facit, Lybiam dextra. & montibus vtrimque concluditur. Nam Europa Calpe, Africa Abyla monte diuiditur, qui vtrique quod eminentes eſſent, dici columnæ Herculis meruerunt: Nam teſtimonio vetuſtatis, laboris Herculei limes in illis eſt conſignatus. Quod eſt igitur mare magnum hoc loco: ſanè ipſum mediterraneum, quod licèt cum Oceano comparatum paruum ſit, ad alia tamen maria, B quæ ſunt in terra Chanaan collatum, magnum dici meruit. Nam in terra Iudææ magis ſunt lacus, quàm maria. Huiuſmodi eſt mare mortuum ſiue ſalſiſſimum, quod etiam mare ſolitudinis dicitur, vbi Sodoma olim, & Pentapolis fuit, de quo egimus ſuprà ad finem capitis tertij. Lacus etiam magis eſt, quàm mare illud, quod Ioan. 6. & 21. dicitur mare Geneſareth, & mare Tyberiadis. Mare ergo magnum hîc illud eſt, quòd in medias influat terras Mediterraneum appellatur: peculiariter verò in Iudæa dicitur mare Palæſtinorum, id eſt, Philiſtin. Significatur autem famæ velocitas, quæ vt Poeta ait: *Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.* Hæc perue- C nerat iam ad Reges, qui propinqua loca mari magno quod eſt Occidentalis terminus terræ Chanaan, incolebant. Quod ſi ad hos, qui extremi erant, rumor tranſitus Iordanis peruaſerat, quid de finitimis, & medijs putandum eſt.

Abyla & Calpe.

Columnæ Herculis.

Mediterraneum tur dicatur mare magnum cum ſit Oceano contractius.

Mare mortuum

Ioan. 6. & 21. Mare Geneſareth, ſiue Tyberiadis.

Fama ſemper augeſcit, aſſumens aliquid veri.

4. *Nec remanſit in eis ſpiritus timore introitum*, &c.] Impletur, quod Deus promiſerat populo ſuo, Exod. 23. *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris*, &c. Lyra affirmat iniectam eſſe hanc formidinem Chananæis à Deo, ne auderent contra Iudæos recèns circunciſos, depræliari. Erant námque per aliquot dies, circunciſi ad pugnam inepti, & dolore maximo impediti, vix moueri po- D terant. Quod agnoſcentes filij Iacob circuncidi fecerunt Sichimitas, & die tertio quando maximus eſt vulneris dolor. pauci cùm eſſent, tamen totam vrbem gladio percuſſerunt, Gen. 34 Quod non feciſſent, ſi ſani & integri eſſent Sichimitæ.

Exod. 23.

Lyranus.

Circunciſi per aliquot dies erant ad pugnam inepti.

Gen. 34.

4. *Fac tibi cultros lapideos*] In Hebr. iuxta Vatab. Fac tibi cultros acierum, vel acutos, hoc eſt, præditos acie acutiſſima. Chald. vertit: *nouaculas acutas.* De hoc inſtrumento poſteà. Illud aduerte in ingreſſu terræ promiſſionis à religionis procuratione ſumi exordium.

Vatablus.

Ioſue in ingreſſu terræ promiſſæ à legis obſeruatione res exorditur.

5. *Circuncide ſecundo filios Iſrael.*] D. Auguſtinus in quæſt. noui teſtamenti quæſt. 6. tom 4. vt E confirmet non eſſe repetendum baptiſma ſemel ſuſceptum, argumento hinc ſumpto: *Quæritur*, inquit. *cur dixerit iterum, ſiue ſecundò? Non enim vnus homo bis circuncidendus erat; ſed quia vnus populus erat in quibuſdam circunciſus, in quibuſdam non circunciſus, ideò dictum eſt iterum: vt circunciſus iterum circunciderettur non homo, ſed populus. Quidam de Ægypto exeuntium filij in illo populo incircunciſi erant, quos circuncidere potuit* IESVS: *illorum ſcilicet filios, quos genuerunt in deſerto, & contempſerunt eos circuncidere, quia inobedientes erant legi Dei.* Hæc Auguſtinus, concludens non eſſe iterandum baptiſma, ſicut nec circunciſio iterata fuit: quæ eſt Catholica & vera ſententia, Patrum, &

conciliorum approbatione confirmata. Vatablus ſic interpretatur in annotatione: *Reſume circunciſionem iam diu intermiſſam, quæ fuerat omiſſa poſt celebratum Paſcha, ſecundo anno egreſſionis. Tranſierunt filij Iſrael Iordanem incircuncisi; ne hoc ſuæ circunciſioni & meritis tribuerent.* Ita Vatablus, ex cuius interpretatione, dicitur hæc circunciſio, ſecundò facta in populo Hebræo comparatione primæ, quæ facta eſt in Ægypto ante egreſſionem. Hunc interpretandi modum, omnes ferè approbant, præter Caietanum, qui pro, *Circuncide ſecundò filios Iſrael*: legit ex Hebræo, *& reuertere circuncide filios Iſrael.* Deinde (ſecutus R. Dauid Cimhi affirmantem, iſtam vocari circunciſionem ſecundam, quia non ſolùm Ioſue circuncidit vnum, ſed multos, iterationémque effici, vt repetitus actus vocetur ſecunda circunciſio)
B addit hunc commentarium; *Circuncide filios Iſrael non omnes ſimul, ſed primo vnam partem, & ſecundò alteram partem. In promptu autem cauſa eſt reuertendi ſecundò ad circuncidendũ filios Iſrael (non in eiſdem, ſed diuerſis perſonis) ne tanta multitudo ſimul affecta dolore vulneris eſſet.* Hæc ille. Mihi tamen non videtur littera inſinuare eum ſenſum (ad

Caietani interpretatio multis diſplicet.
Vatabl.
Dionyſ. Carthuſianus.
Rab. Paulus.
Auguſtinus.
Lyranus.
Gen. 17.

quem credibile eſt fuiſſe obſeruatum circunciſionis ordinem ob rationem aſſignatam) ſed illum, quem ferè doctores eliciunt cum Vatablo, Dionyſ. Carthuſ. R. Paulo, & D. Auguſt. quæſt. 6. in Ioſue. Nec verò probabilis eſt ſententia
C Lyrani referentis particulam, *ſecundo*, ad primam circunciſionem factam ab Abraham, Gen. 17. quaſi hæc comparatione illius ſit ſecunda ſolenniter facta. Abraham námque non circuncidit filios Iſrael, qui nondum erant, ſed ſe, & vernaculos ſuos. Hîc autem agitur de circunciſione ſecundò facta in filiis Iſrael.

Abulenſis interpretatio admittitur.

Abulenſ. q. 43. ſuppoſito modo loquendi, ſecundùm quem dicimus, actionem nunquam intermiſſam vnam eſſe: intermiſſam autem, ſi denuò incipiat, vocari ſecundam comparatione primæ, quæ nunquam intermiſſa fuit vſque ad tempus interpolationis; ſtatuit vocari primam

Gen. 17.

D circunciſionem eam, quæ ab Abraham inchoata fuit, & in poſteris Abrahæ durauit, vſque ad exitum de Ægypto, cùm verò hæc fuerit toto tempore deſerti intermiſſa, & poſt 40. annos inſtauretur, meritò ſecunda circunciſio dicitur, hoc eſt, poſt intermiſſionem primæ inchoata, atque adeò ſecunda. Commendat autem Abulenſ. hanc expoſitionem, vt valde litteræ conſentaneam; & ſanè mihi omnium optima videtur. Dum autem audis: *Circuncide, & fac tibi cultros*, &c. Non intelligas præcipi Ioſue, vt propriis manibus exequatur circunciſionem: ſicut nec cultros lapideos iubetur ipſe, aut facere, aut exacuere. Nam ſi ipſe miniſter erat futurus, vnus ei ſatis
E erat culter: vtitur autem ſcriptura eo loquendi modo, quo Reges dicuntur facere, quæ per clientes mandant executioni. Iubetur verò ſibi præparari cultros, hoc eſt, tanto ſtudio, ac ſi vſui ſibi eſſent futuri. Exiſtimare autem cum Abulenſi fas eſt, Ioſue per ſacerdotes, & Leuitas hũc religionis, & obedientiæ actum exercuiſſe, quippe qui miniſtri erant magis idonei, quam alij. Vide Abulenſ. ſuper cap. 5. Ioſue quæſt. 6. vbi aduertit, non rectè colligi ex hoc loco præceptũ de circunciſione aſtringere, circunciſores, vt lapideo vtantur cultro: vox enim Hebræa, *Hor*, æquiuoca eſt ad petram, & ad nouaculam, quod patet ex Pſal. 51. qui incipit: *Quid gloriaris in malitia.* Nam vbi dicitur: *Sicut nouacula acuta*; ponitur in Hebræo צר. eadem ſcilicet dictio, quæ hic eſt. Vnde Hebræi æquè intelligi poſſe aiunt *nouaculam acutam, & lapidem acutum.*

Ioſue exequi fecit præceptum circunciſionis per ſacerdotes, & Leuitas.
Abulenſ. q. 6
Vox æquiuoca ſignificans petram, aut nouaculam.
Pſal. 51.
Tſor, צר

6. *Omnis populus, qui egreſſus eſt ex Ægypto*, &c.] Cauſa redditur inſtituendæ in Galgalis ſecundæ circunciſionis. Cauſa autem eſt, quia omnes viri bellatores, omnéſque maſculi, qui viginti annos nati egreſſi fuerant de Ægypto per longiſſimos viæ circuitus, mortui erant, in deſerto, vt conſtat ex Num. 11. 14. 16. 25. & Deut. 8. Quod intellige de his, qui in prima numeratione nominati ſunt, exceptis Caleb, & Ioſue, atque Leuitis, & ijs qui non erant numerati à viceſimo
B anno, vt Num. 26. dictum eſt. Populus autem ille, qui circunciſus fuerat, eo quòd non audiuerat vocem Domini, nec crediderunt Dei promiſſionibus, in ſolitudine conſumptus eſt: ſic enim aliquando vociferati ſunt: *Vtinam pereamus & non inducat nos Dominus in terram hanc, ne cadamus gladio.* Num. 14. & rurſus ſtimulati exploratorum dictis: *Conſtituamus nobis ducem, & redeamus in Ægyptum*, &c.

Num. 11. 14. 16. &c. Deut. 8.
Num. 26.
Num. 14.

7. *Populus autem, qui natus eſt in deſerto*, &c.] Per quadraginta annos, filij bellatorum, qui cõſumpti ſunt in deſerto, non fuerunt circunciſi. Quare opus fuit, vt inſtauraretur ſolennis circunciſio eorum, qui ſucceſſerant patribus ſuis,
C & in militia, & in religione; quia, *ſicut nati fuerant, in præputio erant*, inquit ſacer textus: ex quo, ſi rectè ponderetur, tria reperies maſculorum genera colligi. Primum, egreſſorum ex Ægypto, qui omnes circunciſi fuerant, quorum duo ſunt genera; vnum bellatorum, qui numerati ſunt iuxta montem Sinai à viginti annis, & ſupra. Atque hi omnes è vita exceſſerant ante Iordanis tranſitum duobus tãtùm exceptis, Caleb & Ioſue. Alterum genus eorum, qui in ingreſſu de Ægypto, licèt circunciſi eſſent, ad Sinai montem numerati propterea non ſunt, quia viginti annos non impleuerant, hi tempore tranſitus Iordanis, viri erant perfecti. & cum Ioſue ingreſſi ſunt terram promiſſam. Tertium genus com-
D plectitur eos ſolùm, qui poſt exitum de Ægypto in ſolitudine nati ſunt. Atque hos ſolos oportuit circuncidi in Galgalis. In deſerto namque id beneficij recipere non potuerunt, ob eam cauſam, vt ex aliis refert Caietanus, quia incertus erat ille populus, quando caſtra mouenda eſſent; cùm columnæ nubis indicium præuideri non poſſet. Etſi daretur aliquod indicium recèns circunciſis, intolerabilem motus ille afferret doloris cruciatum. Aliam tamen cauſam quidam reddunt ex ipſa inſtitutione huius ſacramenti deriuatam. Circunciſio námque data fuit Abrahamo, Gen. 17. in ſignum diſtinctiuum
E populi Dei à cæteris gentibus quod etiam ſignificatur ad Rom. 4. Hæc autem diſtinctio in ſolitudine, cùm populus Dei allophylis non miſceretur neceſſaria non fuit. In terra verò Chanaan, vbi periculum erat ne idololatris miſcerentur; opus fuit præcepti diſtinctiui, inſtauratione. Cæterùm cùm circunciſio data fuerit, non ſolùm ob hanc cauſam, ſed etiam vt remitteretur originale peccatum, crediderim diſpẽſatione vſum fuiſſe Moſen in deſerto, ex diuina reuelatione ne quis circuncideretur, propter periculum quotidiani motus, quo circunciſi, mori poterant.

Filij eorum qui mortui ſunt in deſerto per 40. annos, non fuerant circunciſi.
Ex tribus hominum generibus, ſoli circunciſi ſunt à Ioſue nati in deſerto.
Dolor circunciſionis non patiebatur mouere caſtra tridua.
In deſerto non erat opus diſtinctiuo ſigno.
Circunciſionis exceptione in deſerto Moſes diſpenſatione præuenit ex ratione.

8. Quid, quod ad cognoſcendum Iudæos, præter circunciſionem, duplex erat ſignum, quo à

Iudæi lingua, cultu & fimbriis diſtinguebantur ab aliis populis.

A cæteris gentibus diſtinguebâtur. Vnum in modo colendi Deum, iurandi, legiſque cæremonias exequendi: alterum in habitu ipſo, & cultu corporis. Iuſſerat enim Deus, vt Iudæi in quatuor palliorũ angulis, geſtarent quatuor hyacinthinas fimbrias, vt patet Num. 15. Atque adeò, qui has fimbrias habebat in veſte Iudæus ab omnibus agnoſcebatur, & appellabatur; Gentilis verò, qui non habebat. Vide Abulenſ. hic quæſt. 56. & 57. qui cum Caietano & cum communi ſententia, aduerſus eos, qui diſtinctionis rationem in hoc ſigno inſtituendo magnifaciunt, inſtructa argumentorum acie conſpirat.

Num. 15. — *Abulenſ.* — *Caietan.*

B 9. *Quibus antè iurauerat, vt non oſtenderet eis terram*, &c.] In biblijs antiquis, hic locus per affirmationem ſcribitur, ſic enim habet: *Donec conſumerentur, qui non audierunt vocem Domini, & quibus antè iurauerat, vt oſtenderet eis terram lacte & melle manantem.* Quæ lectio ſignificat id, quod eſt, Deum videlicet promiſiſſe terram melle & lacte manantem, illis, qui poſteà ob peccata in Raphidim, & in alijs locis ſolitudinis commiſſa, indigni fuerunt, adimpletione diuinæ promiſſionis etiam iuratæ. Promiſſiones námque diuinæ, vt ex Abulenſ. & Caiet. ſæpe annotauimus, inuoluunt conditionem hanc, Niſi peccata obſtiterint.

C In editione verò emendata à Sixto V. per negationem effertur. *Quibus antè iurauerat, vt non oſtenderet eis terram*, &c. Qua lectione liberatur vulgata editio à calumnia, quam Caietanus ei parum modeſtè, ob diſcordiam illius à fonte, imponit. In Hebr. Sic habetur (inquit Caiet.) *Quibus iurauit Dominus, quod non oſtenderet eis terram, ſuper quam iurauit Dominus patribus eorum, vt daret nobis terram fluentem lacte & melle.* Deinde ſubiungit. Cernis hic prudens lector, quàm contraria veritati ſit quãdoque vulgata editio? Nam oppoſitum habet Hebraica litera, & ſenſum quadrantem libris Moſis, &c. Pro, *iurauerat, vt non*

V. Promiſſiones diuinæ inuoluunt conditionem, niſi peccata obſtiterint. Caiet. non bene vulgatam editionem carpit.

D *oſtenderet eis*, ex Hebr. legit Vatab. in annotationibus. *Iurauerat eos non viſuros.*

Vatab.

Verſ. 6.] Quibus antè iurauerat, vt non oſtenderet eis terram, &c.

Violaueritne Deus pactum ſuum, occiſis in deſerto Iudæis, quibus iurauerat fore, vt in terram Chanaan introducerentur?

E 10. CONSTAT vulgatam editionem, quæ ante poſtremam emendatam à Sixto V. in vſu erat, ſummam habuiſſe autoritatem, in Eccleſia: maximè poſt decretum Conſilij Trid. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum ſeſſ. 4. Quare cùm illa editio per affirmationem efferat hunc locum, nihil exiſtimandum eſt ſanæ doctrinæ contrarium aſſerere. Licèt enim Deus iurauerit, ſe daturum terram Chanaam Iudæis, & poſteà eiſdem iurauerit, non daturum. Nihil iurauit ſuæ fidelitati repugnans. Vt enim notat Abulenſ. quæſt. 51. in cap. 5. Ioſue, pacta Dei, ſemper intelliguntur cum conditione, ſcilicet ſi res permanſerit in eodem ſtatu. Mutatus autem cernitur ſtatus, quando Hebræi murmurarunt, Num. 14. atque ob eam noxam beneficij pro-

Defenditur vulgata editio. Conc. Trid.

Pacta Dei intelliguntur adimplenda, ſi res permanſerit in eodem ſtatu. *Num. 14.*

A miſſio, mutata eſt in comminationem pœnæ. Confirmatur hæc doctrina, 1. Reg. 2. *Loquens locutus ſum* (inquit Deus) *vt domus tua & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: abſit hoc à me: ſed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, & qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Sic Hierem. 18. *Repente loquar aduerſus gentem & aduerſus regnum, vt eradicem, & diſperdam illud; ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam de malo, quod cogitaui ei vt facerem, & ſubitò loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud.* &c. Sic Moſi Deut. 3. & 32. promiſſa eſt terra Chanaan, ad

1. Reg. 2. — *Hierem. 18.* — *Deut. 3. & 32.*

B quam erat introducturus populum; ob peccatum tamen ad aquas contradictionis commiſſum, Num. 20. ea mulctatus eſt pœna, vt Iordanẽ non tranſiret. Hinc colligitur nihil vitij, aut contrarium veritati dici in verſione antiqua, dum dicitur, *Deum iuraſſe patribus eorum, qui tranſierunt Iordanem, vt oſtenderet eis terram.* Iurauit ille quidem; ſed adimpletione iuramenti non fuerunt digni ij, quibus iurauit ob peccatum; Imò eo ſupplicio affecti, vt antè morerentur, quàm terram promiſſam, & deſideratam obtinerent. Quid ergò contra veritatem, ſi vna, vel altera promiſſio exprimitur?

Num. 20.

C *Lacte & melle manantem.*] 70. γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι. Metaphora eſt, qua denotatur vbertas regionis, & rerum abundantia: ea vſi ſunt exploratores. Num. 13. *Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ reuera lacte, & melle fluit, vt ex his fructibus cognoſci poteſt* & Ouid. 1. Met. ætatem auream deſcribens, ſic ait.

> *Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant·*
> *Flauáque de viridi ſtillabant ilice mella.*

Vbertas terræ, lactis & mellis nomine ſignificatur *Num. 13.* — *Ouid Metamor. 1.*

11. *Nec eos in via aliquis circunciderat.*] Sunt aliqui Hebræi & præſertim R. Dauid Izimhi, qui affirmant, etſi alij Iudæi in deſerto circuncisi non fuerint, tamen Leuitas id temporis præceptum

D circuncisionis in ſuis liberis obſeruaſſe. Quod probant ex Deut. 33. vbi agitur de Leuitis. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Iſrael,* &c. Interpretantur namque circuncisionem, quæ data ſit in pactum & legem, eo loco intelligi. Verùm illos falli, rectè aduertit Abulenſ. quæſt. 53. cùm locus indicatus, non recolat circuncisionem, ſed occiſionem, idololatrarum, cuius miniſtri fuerunt Leuitæ. Illi namque, nec in ſculptura vituli, neque in adoratione peccarunt. Imò dicente Moſe Exod. 32. *Qui Domini eſt iungatur mihi:* venerunt ad eum omnes Leuitæ,

R. Izimhi Leuitæ in deſerto circunciſi ſunt iuxta R. Dauid. — *Deut. 33.*

E vnuſquiſque ſtricto gladio ſuper femur ſuum, & occiderunt 23. hominum millia. In quo Dei legem dupliciter obſeruarunt; videlicet abſtinendo ab adoratione illicita, & in ea peccantes occidendo, licèt propinqui eſſent, & affines. Quod præcedentia verba explicant. *Qui dixit Patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos; & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos,* &c. quare omnes Iudæi locum illum Exodi exponunt, de occiſione facta in monte Sinaj, ob adorationem vituli. Hoc igitur argumento, quod R. Dauidi Achilles eſt confutato, conſtat Leuitas, ſicut nec alios Hebræos circunciſos fuiſſe in deſerto. Accedit eos, non minùs indiguiſſe ea diſpenſatione in deſerto, quàm cæteros ob periculum motus, quo dolor recèns circunciſis augeſcit.

Exod. 32. Leuitæ neque in ſculptura vituli neque in adoratione peccarunt. — *Leuitarum in occidendis adoratoribus vituli zelus etiam contra propinquos.*

12. *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.*] In Hebr. hodie reuolui ſeu deuolui opprobrium

Iudæi reputabant opprobrium eſſe habere præputium: idque obijciebant Ægyptios tempore felicitatis.

Ægypti a vobis. Variè interpretari poſſumus hæc verba. Primum opprobrium Ægypti poteſt intelligi ipſa præputij caro, quam opprobrio eſſe, Hebræi exiſtimabant omnibus incircumciſis, nedum Ægyptijs, ſicut hodie opprobrium ducimus, ſi quis baptiſmate, non ſit Chriſto initiatus. Quamuis Ægyptijs maximè (vt R. Leui l. Gerſonis ait) obijci poterat præputij contumelia, ob incontinentiam, quam circunſione Iudæi coercebant. Idem quoque probrum Ægypti vocat impiam ſuperſtitionem, à qua Deus populum ſuum nunc auocat inducta vera circuncisionis, & paſchatis religione; in qua, nemine iam obſiſtente, occidendi erant agni, & aliæ pecudes, à quibus Ægyptij, quod Deos eſſe putarent, abſtinebant. Vnde Moſes, eum cultum, coram Pharaone, Ægyptiorum abominationem appellare, non eſt veritus, Abſtulit ergo Deus iuxta hanc ſententiam, ab oculis populi ſui, abominationem illam probroſam illo potiſſimùm die, quo legales ceremoniæ in terra promiſſa cœperunt exerceri, initio à circuncisione accepto. Deinde opprobrium Ægypti vocari poteſt, ea ignominia, quam tempore felicitatis Hebræi circuncìſi obijciebant Ægyptijs, quòd præputium haberent: cùm verò tempore ſeruitutis, quam vt viliſſima mancipia, paſſi ſunt, auſi non fuerint exprobratione illa vti; modò verò nacti libertatē ſint; rectè dicitur ablatum opprobriū Ægypti, hoc eſt ablatum à vobis eſt, & deuolutum in Ægyptios, quibus liberè exprobrare iam poteſtis illos eſſe incircunciſos, quod hactenus, quia nec plenè liberi, nec circūciſi omnes eratis, vobis non licuit. Tertiò, poteſt dici opprobrium Ægypti, id quod Ægyptij filijs Iſraël intulerant, mancipantes eos duriſſimæ ſeruituti, à qua tunc demū perfectè liberati ſunt, cùm caſtra poſuerunt in Galgalis, quod vocabulum *libertatem* ſignificat, vt cum Ioſepho quidam Hebræi aiunt, quos Dionyſ. Carthuſ. refert; ſenſus igitur eſt: Iſraëlitas liberatos eſſe opprobrio Ægypti, quia miſſi in Chananææ poſſeſſionem, iam per circuncisionem promiſſæ terræ Domini ſunt, qui nuper fuere Ægyptiorum ſerui. Ita poſt Theodor. Maſius. Quartò, Caietanus idem ferè ſentiens, locum hunc ſic exponit ſecutus Hebraicam literam. *Hodie reuolui in laudem, & gloriam vituperationem ſeruitutis, & ignominia, quam paſſi eſtis in Ægypto.* Additque hanc reuolutionem adſcribi, non ſolùm circuncisioni, ſed etiam inchoatæ regionis promiſſæ poſſeſſioni, profitente vniuerſo populo fidem Abrahæ, cui & circuncisio data eſt, & facta repromiſſio. Vertitur igitur opprobriū, quo Ægyptij captiuum populum affligebant, dicentes vanam eſſe ſpem quam habebant exeundi de ſeruitute, in libertatem in terra Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo promiſſa, obtinendam; vertitur, inquam, in gloriam Dei, & populi.

Libertas facta eſt Hebræis ex probrandi Ægyptijs præputium in Galgalis.
Ioſephus.

Caietani Interp.

Opprobrium, in gloriam vertitur, cum præcepta Dei obſeruantur.

Lyranus.

13. Quintò, Lyranus, confutatis alijs interpretationibus, quòd non conſentiant cum expoſitionibus Diui Hieronymi, & Diui Remigij, approbat quorundam Rabbinorum ſententiam dicentium; ab Ægyptijs Aſtronomiæ peritis deterritos fuiſſe Hebræos petentes à Pharaone exeundi ab eo regno facultatem; denuntiatione effuſionis ſanguinis Iſraëlitici. Sic enim ratiocinabantur. Miſeri, quò vultis ire? ecce conſtellatio oſtendit effuſionem veſtri ſanguinis futuram, ſi recedatis. Sic apud Poëtam, Sibylla, bellum & ſanguinem prædicit Æneid. 6. dicens.

Hieronym. Remigius.

Aſtrologi prædixerunt Iudæis effuſionem ſanguinis, ſi ex Ægypto egrederentur.

Aeneid. 6. Virg.

A *Bella, horrida bella*
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.
Erat hæc exprobratio ignominiæ Iudæis, qui non ab aſtris, ſed à Deo regebantur. At enimuerò in circuncisione facta à Ioſue effuſus quidem eſt populi circuncisi ſanguis: effuſio tamen hæc non probro fuit aut damno, vt Aſtronomi prædicebant, ſed laudi & gloriæ. Circūciſio námque erat fidei ſignaculum. Atque huc trahunt expoſitionem Rabbini illius ſententiæ, *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis*: hoc eſt, effuſionem ſanguinis, conuerti in ſanctificationem, & laudem veſtram. Vide Abulenſ. quæſt. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66.

Hebræis ignominia fuit prædictio ſanguinis effundendi, ob Aſtrologiſ... non a Deo regerentur.

Hoc opprobrium ſanguinis per circumciſionem effuſo verſa eſt in laudem.
Abulenſ.

B *Vocatúmque eſt nomen loci illius Galgala.*] Locus, in quo circunciſi fuerunt Hebræi, ante hunc diem, vocabatur ager Hiericho. Ab hoc autem die appellari cœpit Galgala, & collis præputiorum vt patet ex hoc cap. collis præputiorum, vocatur: cùm dicitur, *circumcidit Ioſue filios Iſrael in colle præputiorum*, Galgala quoque nuncupatur hic. *Vocatúmque nomen loci illius Galgala.* Quid hoc vocabulum ſignificet, dubium eſt. Caietanus, corruptum eſſe ait, dicendúmque putat Ghilgal à *reuoluendo*, inquit, locus ille nominatus eſt, eo quòd Deus dixit. *Hodie reuolui opprobrium*, &c. Lyra ſic ait: Galgala interpretatur rota, vel circulatio, quia pellicula, quæ per circuncisionem
C abſcinditur habet figuram circularem. Conſentit cum Lyrano, Abulenſ. quæſt. 66. affirmat enim *Galgal*, vel *Galgala*, *rotam* ſignificare. Et quidem Hebræi *Galgal* vocant quodlibet cœlum, id eſt *vnam rotam*, & omnes cæleſtes ſphæras *Galgalim*, id eſt, *rotas*. Applicatur autem iſtud vocabulum circuncisioni, eo quòd per eam in capite virgæ pellicula abſcindatur, quæ vocatur præputium: ob illam autem abſciſam rotunditatem vocatus eſt locus *Galgala*, id eſt, *rota*. Ab eodem vocabulo, *Galilæa* quaſi *rotatio* aut *rota* dicitur. Et Chriſtus Dominus in *Galilæa* educatus, & conceptus, *Galilæus* vocatur, quaſi *rotator*, & *reuoluens*; reuoluit enim mundi rotam deſtruens idolola-
D triam, & mundi potentiā. Hinc Apoſtoli, *Galilæi*, dicti ſunt, quaſi *rotatores*. Et quia hanc mundi rotam, tractaturi erant, ab Angelis admonentur ſui officij aſcendente Chriſto in cœlum. Act. 1. *Viri Galilæi quid hic ſtatis?* Ac ſi dicant, non hic ſtandum, cùm veſtrum ſit, voluere mundi rotam, mutandus eſt cultus, conuertendi ſunt homines ad Chriſtum veſtra rotatione. *Quid hic ſtatis?*

Caietan.

Galgala id eſt rota.

Lyranus.
Pellicula quæ per circunciſionem abſcinditur habet figuram circularem.
Abulenſ.
Apud Hebræos, idem vocatur rotam. & ...

Chriſtus Galilæus, est rotator, quia idolatriam, & mundi potentiam quaſi rotam vertit.
Apoſtoli dicti Galilæi, quaſi rotatores.
Act. 1.

14. In Hebræo eſt, גִּלְגָּל, *Ghilgal*: vnde Abulenſis ait diuerſæ ſignificationis eſſe *Galgala*, & *Guilgal*. *Galgala* namque *rotam*. *Guilgala* verò *ablationem*. Vtriuſque vocabuli ſignificatio, quicquid ille dicat, loco conuenit. Ablatum enim ibi eſt præputium, quod inſtar rotæ eſt, & opprobrium,
E vt litera ſonat. D. Hieronym. (vt refert Carthuſ.) interpretatur, *ſancti reuelationem*, quæ ſignificatio loco quadrat, quia in eo illuminati, & ſanctificati ſunt Iudæi. Ioſephus lib. 5. Antiq. vult *Galgala* ſignificare libertatem. *Nomen*, inquit, *Galgala ſignificat libertatem; tranſeuntes enim fluuium, iam ſemetipſos ab Ægyptiis, & ab ærumnis deſerti confidebant eſſe ſecuros.* In tanta varietate elige quod ad vſum concionandi, magis idoneum, videbitur. Mihi accommodari *Galgala* videntur cœtui religioſo, ad quem qui recipiuntur, tanquam in terram promiſſionis admiſſi, mortificationis cultro præcidere debent Ægypti ſiue mundi, à quo exierunt, opprobrium. Putant mundi homines

Abulenſ.

Hieron. Carthuſ. Ioſeph.

Ob Ægyptios ... libertatem vocarunt ... in terra promiſſa, Galgala, id eſt libertatem vocarunt.

Conditio opprobrium ... nostrum ... virorum.

A opprobrium ſibi eſſe, carere diuitiis, voluptates aſpernari, obedire aliis, veſtibus indui ſordidis, &c. præcidi debet hoc opprobrium, in terra ſancta, etiamſi ſanguis effundatur, donec audiatur illa diuina vox: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.* Quod ſi Galgala libertatem, & rotam ſignificant; nónne obedientia inſtar eſt rotæ, qua ad prælati, qui loco Dei nos gubernat, circumagimur arbitrio? Nónne ſeruire Deo libertas eſt, qua libertate nos donauit Chriſtus? Ipſi Reges libertatem ſummam ſibi accidere putãt cum Deo ſeruiunt, Pſal. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei:* ſponte namque Regi

Obedientia instar rotæ ...

Psalm. 71.

B Meſſiæ cuius dominatus ſpiritualis eſt, Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, &c.

Verſ. 1.] Diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus, timentium introitum filiorum Iſrael.

Undénam potiſſimùm ortus ſit metus, quo conſternati ſunt Reges Chanaan ſub aduentum Hebræorum?

C

ANNOTATIO I.

1. AD famam ſiccati Iordanis Reges, & populus Chanaan timore ita perculſi ſunt, vt diſſolutum fuiſſe eorum cor dicatur. Adſcribi poteſt hic timor coniecturæ, quam faciebant ex audito miraculo, non contra homines ſibi, ſed contra Deum, qui hominibus protector & cuſtos aderat, pugnandum.

Abulenſ. q. 3. huius cap. exiſtimat, non tam ex perlato nuntio tranſiti Iordanis trepidaſſe Chananæos, quàm ex inducto illis, in ſcelerum pœnam diuinitus timore, ſic poſteà ob flagitia Deus

D Iudæis formidinem incutiendam prædixit, Leuit. 26. *Et qui remanſerint de vobis, dabo pauorem in cordibus eorum, & in regionibus hoſtium terrebit eos ſonitus folij volantis; & ita fugient, quaſi gladium; cadent nullo ſequente, & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes,* &c. Similem habes locum, Deut. 28.

Leuit. 26. Metum incussum à Deo propter peccata, quo dixit.

Deut. 28.

2. Ego hunc timorem auctum fuiſſe arbitror ex ſcelerum conſcientia, & corrupta viuendi ratione. Addicti erant hi homines diuitiis; voluptatibus diuinâ & humana lege interdictis inhiabant, religione & vero Dei cultu neglecto, virtutem, quæ ſe ipſa contenta eſt, ab animo ablegabant. Quid præſidio internæ virtutis deſtituti a-

Timor auctus ob scelerum conscientiam.

E gerent? Sed, quæ eſt virtus animi, quærit Chryſo. tom. 5. hom. 9. cuius inſcriptio eſt, quod nemo læditur, niſi à ſemetipſo; eamque eſſe, reſpondet: rectè ſentire de Deo, & rectè inter homines agere. Cæterorum bonorum iacturam nemo prudens formidare debet; quandoquidem ſine ſcelere noſtro amitti poſſunt. At quomodo iacturam hanc non formidabunt, qui nihil in animo præſidij habent? Chananæi cum præuiderent ſe bonis temporariis poſſe ab Hebræis ſpoliari: cùm intra pectus, nec virtutis, neq; Dei, qui in aduerſis animum confirmat, præſidium vllum haberent, fracti metu ſunt, &, vt inquit ſcriptura, *diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus.*

Perfecta virtus, quæ lædi non potest, est recte sentire de Deo, & quæ recta sunt agere.

A 3. Aberat hic metus ab Hebræis, quibus & virtus cordi erat, & Deus aderat. Omne, quod eſt in rebus, habet aliquid, quo corrumpi poſſit, & lædi, verbi gratia: ferrum, rubigo lædit, lanam, tinea: ouium greges, lupus, vina, aceti permutatio: dulcedinem mellis, amaritudo; grando, vineam; virgulta ac diuerſa plantaria locuſtæ ac bruchi exercitus vaſtant; & ſingulis corporibus ſingulæ morborum ſpecies inferunt corruptionem; vnde vel de minimis animalibus ait poeta, Georg. 4.

Omnes res habent aliquid, quo corrumpantur.

Sin verò quoniam caſus apibus quoque noſtros
Vita tulit; triſti languebunt corpora morbo, &c.

B Solus animus, in quo Deus eſt, corrumpi non poteſt, niſi peccato, in cuius conſenſum nonniſi ſua ſponte trahi poteſt. Non læditur virtus paupertate, calumnia, atque ipſa morte, aliiſque aduerſitatibus, quas vulgus ingiter deflet, multaq; miſeratione dignos ducit eos, qui in his poſiti videntur. Adſit animo virtus, adſit Dei præſentia, licet enim cætera abſint, non erit cur formidine cor diſſoluatur; Quid enim dic mihi, læſit animi illius virtutem, qui calumniatoribus, vel piratis obſeſſus, facultates amiſit? Equi, quænam eſt virtus? æſtimari fortè debet, equi præſtantia ex argenteis frænis, pulchriſque tapetibus, ac ſericis flammulis, an ex velocitate curſus, & fortitudine

Animus corrumpi nisi si velit, non potest.

Virtus sola animum ornat.

Cætera res nihil boni nobis conferunt, si virtus absit.

C firmitatéque pedum? Nunquid probans animal ſibi vtile futurum ad ea reſpicit, quæ ei ſuperpoſita ſunt? Vineam nunquid laudamus, quod lætos habeat pampinos, aut flagella diffuſa? an illud magis aſpicimus, ſi denſior ei fructus ſit, & vua fœcundior? Quid de oliua dicam? Oſeæ 11. cum probro dicitur: *vitis frondoſa Iſrael*, id eſt, frondiũ multum, fructus nihil habens. Cogitemus iam hominem, an extra animum eſt illius virtus? minimè verò. Hæc conſtituta nihil nocere homini poteſt: *Non ciuium ardor praua iubentium, non vultus inſtantis tyranni,* turbare poteſt? *Imò ſi totus illabatur orbis. Impauidum ferient ruinæ.* Sed quæ eſt hæc virtus hominis? *Non ſunt diuitiæ* (inquit Chryſoſt.) *ne timeas paupertatem; nec ſanitas corporis, ne*

Oseæ 11.

Horat. lib. 3. Carm. Od. 3.

D *languorem metuas: nec fama, & exiſtimatio humana, ne te hominum maledicta terreant, nec vita hæc communis, ne forte metuas mortem; nec libertas, ne forte ſeruitutem perhorreſcas: ſed quæ eſt virtus animi? Rectè ſentire de Deo & rectè inter homines agere. Illa enim omnia auferre ab homine poſſunt etiam ſi nolit, hæc verò ſi habeat; auferre ab eo nullus omnino, nec ipſe diabolus poteſt, niſi ea ipſe, qui poſſidet perdat.* Hæc Chryſoſtomus. Confirmatque hanc ſententiam exemplo Iobi, cui diabolus ſciens hunc rerum ordinem omnes diuitias illius filios; & quicquid charum habebat, abſtulit, nõ vt eum pauperem redderet, ſed vt pro his dolens, impium aliquem ſermonẽ

Virtus quæ pollet ab animo ... est illa quæ recte sentimus de Deo, & recte agimus inter homines Chrysostom.

E proferat in Deum. Omne corpus eius afflixit, non vt ægrotantem videret, ſed vt fatigatus malis animi virtute nudaretur. Non ita tortores vngulis latera ſulcarent, vt ille Iobi membra vermibus fodit. Ob hoc inquam, hæc omnia, vt malè aliquid de diuinitate ſentiret; quin & amici, qui ad conſolandum venerant, ad exacerbandum ſtimulantur; Aiunt enim nondum dignè ſecundum ea, quæ peccaſti, flagellaris. Ille inter hæc non læditur, verum clarior redditur. Vrbis extorris, & domo, & facultatibus orbatus, humum pro ſtramentis, fimum habebat pro indumentis. Hic virtutum diuitias per patientiam oſtendit. Neque enim tantæ fiduciæ apud Deum erat Iob antequã in hoc agone deſudaret.

Iobi virtus in ærumnis claruit magis.

Diabolus, & amici Iobum ad peccandum stimulabant.

Non erat tantæ fiduciæ Iob antequam in hoc agone desudaret.

4. Quòd ſi Iob, qui tanta paſſus eſt damna, & ab eo illata, qui omnes malitia, & crudelitate præcellit, lædi in animi virtute non potuit: quis erit iam, cuius videatur digna excuſatio, cùm dicit; ille me læſit, ille offendit, ille impediuit? Obiicies, Adamum læſum à diabolo, & eiectum à paradiſo. Audi Chryſoſtomum. *Non diabolus*, inquit, *eum, ſed ignauia ſua læſit, dum erga obſeruantiam mandate non vigilauit.* &c.

Adamum, non diabolus, ſed ſua ignauia læſit.
Chryſoſt.

5. Diſſoluitur cor, & deficit ſpiritus in hominibus, qui interna virtute orbati ſunt, inſoleſcũt miſeri rebus proſperis, deiiciuntur verò aduerſis. Vnde amici Iob in hoc numero cenſeri debent, de quibus ille ait cap. 6. *Confuſi ſunt, quia ſperaui, venerunt quoque vſque ad me, & pudore cooperti ſunt.* Ac ſi dicat: videntes corporis vulnera; ſed mentis conſtantiam non videntes, dum me de iniuſtitia increpare auſi ſunt, vſque ad me necdum venerunt: ſed dura me increpatione pulſantes, dum ſtare animum inter aduerſa deprehendunt, quaſi ad me venientes, erubeſcunt. Vnde Greg. 7. Mor. enarrans eadem verba: *Eo ad me veniunt quo me in intimis agnoſcunt; ibiq́; eos pudor cooperit, vbi me ſtantem fortiter exterior ſaclura non tangit. Sunt verò nonnulli, qui timere Deum neſciunt, niſi cùm vel in ſe experta, vel in aliis cognita aduerſitate terrentur: quos proſpera per audaciam eleuant, contraria per infirmitatem turbant. Ex quorum ſcilicet numero amicos ſuos eſſe beatus Iob redarguit, dicens: Nunc veniſtis, & modò videntes plagam meam timetis:* quaſi dicat: *Ego tunc Deum timui, cùm fultus proſperis, flagellorum detrimenta non ſenſi; vos autem, quia ex amore Deum non metuitis, ex ſola eum verberis percuſſione formidatis.* Hæc Greg.

Iob. 6.
Greg. PP. 7. Moral.
Sunt qui Deum non agnoſcunt, niſi cùm vident plagam.

6. Qui conſcientiam internæ virtutis non habent; ſi oculos adiiciunt ad Deum, in quo ſolo operari in aduerſis remedium poſſent, horrent, quia quem fauentem bonis aſpiciunt, ſuis peccatis hoſtem futurum iure formidant. Hinc ille timor Regibus Chanaan obortus, audita, in fauorem Hebræorum, ſiccatione Iordanis. Vero numini nullum detulerunt vnquam cultum: Miraculum in Iordane patratum, aliquid contra ſe quaſi præſignificare credebant. Et meritò, erunt contra eos ſigna in Sole, & Luna ad preces Ioſue. Et vt dicitur Sap. 13. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* D. Hiero. ſuper 13. cap. Eſaiæ enarrans verba illa, Matth. 24. quæ ad anteceſſionem iudicij extremi pertinent. *Erunt ſigna in Sole & Luna* arbitratur, nec Solem, nec Lunam, (vt paſſim dicitur) eclypſi obſcuratum iri; ſed, id euenturum, vt ſol, & luna obſcurari videantur præ mentis, & ſenſuum turbatione: ſicut, qui metu anxiè cruciantur, ita hebeſcunt, vt ſol ſanguineus, vel igneus eſſe illis videatur. Quæ turbatio erit cum recordati homines vitæ in ſceleribus tranſactæ, aduenturum mox Deum cogitabunt? & (vt inquit Paul. Rom. 1.) *Et inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Dominus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum.* Non ergo mirum, quod Chananæi timeant introitum filiorum Iſrael, quibus Deus propitius eſt ob religionis, quã obſeruant, meritum: ipſi verò nihil præter terram cogitabant; iis autem, qui huiuſmodi conſiderationi affixi ſunt, tremor, & gemitus ſuperueniat neceſſe eſt. Vt enim ait Clem. Alex. Strom. 2. *Quos non expugnat ratio, eos manſuefacit metus.* Vnde Philo Iudæus in lib. Quòd deterior parti inſidiari ſoleat, in Caim fratricida rem hanc exprellit. *Itaque*, inquit, *Caino, nec terra quidem quicquam confert ad agilitatem, quamuis nihil præter eam tractanti aliud. Perinde conſequenter gemens treménſque ſuper terram inuenitur, id eſt, mœrore, timoréq́; confectus. Talis eſt infelicitas vita, cui è quatuor affectibus contigerunt, qui moleſtiores ſunt, timor, & dolor, quorum ſynonima ſunt tremor, & gemitus. Huiuſmodi enim hominem neceſſum eſt, aut adeſſe, aut imminere mali aliquid. Itaque futuri expectatio timorem gignit, præſentis vſus mæſtitiam.* Hæc ille.

Merito timent, qui conſcientiã internæ virtutis non habent.
Contra Chananæos erunt ſigna in ſole. Ioſue. 10. Sap. 13. Hieronymus.
Matth. 24. Erunt ſigna in ſole, & luna. Hieron. ad ſuo ſenſum, &c.
Turbatio hominum in extremo mundi tempore.
Rom. 1.
Hi qui ſolã terram cogitant, timore ſuperantur.
Clem. Alex.
Philo. Iud.
Caimum poſt peccatum timor & dolor occupauit.

7. Suadet Greg. Naz. orat. 2. in Iulianum iis, qui alieni ſunt à fide, & virtute, vt reſipiſcant, ne Dei iudicio omnino pereant. Vtitur verbis, Pſal. 72. *Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Deinde explicat quomodo perierint impij, Chananæis ſimiles, quorum diſſolutum eſt cor, non metu, qui initium eſt ſapientiæ, ſed ea formidine, quæ oritur ex amiſſione bonorum huius vitæ. *Perierunt*, inquit Nazianz. *tanquam puluis, quem turbo abſtraxit, tanquam lanugo, quæ à vento diſiicitur, tanquam ros matutinus, tanquam ſtridor ſagitta emiſſa, tanquam impetus tonitrui, tanquam fulgur diſſultans. Quòd ſi nunc ſaltem ſententiam mutent, & à longo errore, atque crapula reſipiſcant, fortaſſis ex ipſa quoque prolapſione, & calamitate nonnihil fructus ad eos redierit: quandoquidem ipſa etiam animaduerſio perſæpè iis, qui affliguntur, bono atque vtilitati eſt. Sin autem in eâdem ſententia manſerint, atque idolorum cultum adhuc amplexentur, nec calamitate etiam ipſa, quæ vel ſtolidos erudire ſolet, emendantur. Hieroſolymam quidem vſque adeò luget Hieremias, vt res quoque anima carentes ad luctum exhortetur, ac muros ad lachrymas inuitet: His verò quis luctus ſatis dignus inuenietur? aut quis præſentes calamitatos defleat? ac non potiùs futuras pœnas lacrymis proſequatur pro eo quòd coluerunt creaturam ſupra creatorem? nec eo contenti aduerſus cultores quoque Dei inſurrexerunt.* Hæc Naz. dolens eorum prolapſionem, qui cum Apoſtata imperatore à Dei religione auertentes ſe, ad idola conuerſi ſunt; prædicit pœnas, & iam illatas refert, vt intelligamus ſimile quid euenturum Chananæis idololatris. Nam, quos modò timor, & opinio futuri mali cruciat, poſtmodo tempeſtas obruet. In prædicta oratione commemorat Naz. primùm quomodo Iulianus Imperator ad Hieroſolymitani templi inſtaurationem Iudæos incitarit; quo etiam modo, multis cœleſtibus ſignis exterriti opus inchoatum abrumpere, ac relinquere coacti fuerint. Vim illorum ignis è templo occurrens inhibuit; eos partim exuſtos abſumpſit, partim inſignioribus corporis partibus demutilatos, viuam columnam diuinæ aduerſus ſceleratos comminationis, indignationiſq; teſtem reliquit. Lux præterea in cœlo ſtetit crucem in orbem deſcribens; ac nomen illud, & figura, quæ priùs in terra impiis contemptui fuit, in cœlo nunc omnibus æquè oſtenditur, Deóque victoriæ de impiis relatæ trophæum efficitur. Deinde Perſicæ expeditionis hiſtoriam, & Romanorum cladem, Iulianique interitum exponit, eiúſque funus deprimit. Timeant igitur qui à ſcelerum luto, & voragine attollere caput nolunt. Nos, vt admonuit Naz. in principio prædictæ orationis, *iuſtas Dei leuites conſideremus, eáſque pœnas, quibus ex aduerſa parte, velut in trutina libratur, & vindicatur malitia, partim in hac vita ſceleratis occurrens, partim aliquanto poſt occurſura: prout opinor, artifici verbo viſum fuerit, rerúmque noſtrarum arbitro, & moderatori; qui, vt calamitatem miſericordia reprimit, ita ignominia, & verberibus,*

Greg. Naz.
Pſalm. 72.
Chananæorum diſſolutum eſt cor non ex metu numinis, ſed amiſſione bonorum.
Quomodo perierint Iuliani Apoſtata ſequaces.
Iudæorum, templum extruere molientium, conatus irriti ſunt.
Crux in cœlo apparuit.
Apoſtata Iuliani interitus.
Deus, verberibus, & ignominia temeritatẽ compeſcit.

pro animaduerſionis modo ipſi cognito, audaciam, temeritatémque compeſcit. Hæc ille, quem vide in orat. de plaga grandinis; quam à Deo immiſſam fuiſſe ait, ob populi ſcelera, cum iam fruges maturæ eſſent. *Proh triſte,* inquit, *ſpectaculum! in culmo frugum vbertas nobis eſt, & ex paruis reliquiis ſementis noſtra cognoſcitur: vixq; primitiis Domino proferendis ſufficit noſtra meſſis. Tales ſunt impiorum diuitiæ: tales malè ſeminantium meſſes, nimirum vt iuxta veterem maledictionem,* Deut. 18. *Multa incipiant, & pauca in horreum inferant, ſerant, ac meſſem non faciant: vineas plantent, & vuas non exprimant. Vbi decem iuga boum operantur, amphoram vnam impleant: vnde hæc tandem? & quæ nobis cauſa calamitatem hanc inuexit? Ne expectemus dum alij nos coarguant, ipſimet in nos inquiramus. Magna vitij medicina eſt confeſſio, & peccati fuga, &c.* Paulò antè dixerat idem Nazianzen. *Peccato medeamur, ne cum peccato conficiamur Ionam concionantem audiamus, ne ignis, & ſulphuris illuuie obruamur. Quod ſi Sodomis exceſſerimus, ad montem aſcendamus, ad ciuitatem Segor confugiamus; ad ſolis ortum eam ingrediamur; ne huc, atque illuc oculos verſemus, ne alioqui in ſalis ſtatuam concreſcamus, columnam, inquam, ſanè immortalem, animæ in vitium relabentis accuſatricem,* &c.

Plaga grandinis immiſſa in ſruges propter ſcelera.

Deut. 18.

Eliæ 5.

Magna vitij medicina, eſt confeſſio, & peccati fuga.

Geneſ. 19.

Columnam animæ in vitium relabentis accuſatricem vocat Naz. ſtatuam ſalis.

8. Quare timorem Chananæorum nemo dubitare iam poteſt, ortum fuiſſe tum ex fama ſiccati Iordanis, vt Dei populus tranſiret innoxius (id enim exprimit ſcriptum) tum ex diuina prouidentia, homines addictos ſceleribus, in pœnam terrefaciente opinione ſuperuenturæ cladis: ac tertiò ex propria conſcientia, quæ ſe virtutum præſidio orbatam agnoſcens, omnia tuta timet, nedum pœnam, qua ſe dignam arbitratur.

Verſ. 2.] Fac tibi cultros lapideos, & circuncide ſecundò filios Iſrael.

An Hebræis præceptum fuerit, aut conſuetudo vtendi cultris lapideis in circunciſione?

ANNOTATIO II.

1. HEBRÆORVM circunciſio ab Abrahamo initium accepit, quem veluti ædificij antiquæ Eccleſiæ lapidem primum, hoc ſigno inſculptum Deus in fundaméto poſuit. Gen. 17. his verbis. *Hoc pactum eſt, quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri; vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis: omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quàm emptitius circuncidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra, eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Hæc locutus eſt Deus ad Abrahamum. Vbi aduertit Caiet. non fieri mentionem à Deo noui fœderis, ſed produci nouum ſignum antiqui fœderis, & iam olim percuſſi cum ipſo Abraham, Noë, & alijs Patribus: quia tamen hoc ſignum viuidum eſt, & permanens, fœderis nomen ſortitur, & pacti, vt ſit pacti diuini ſignum.

Gen. 17.

Cur circunciſio dicatur fœdus & pactum.

Caietan.

Circunciſio dicitur fœdus, quia eſt ſignum fœderis.

2. Hinc intelliges non fuiſſe circunciſionem in lege veteri inſtitutam, ſed ab Abrahamo initium habuiſſe. Præſcribitur tamen in lege Moſaica, & inter cæteros ritus computatur, quibus Hebræi ſunt aſtricti ob tres cauſas, vt arbitror; Prima eſt, quia per illam cœpit peculiaris Dei populus ad Dei legem ſuſcipiendam præparari. Secunda, quia voluit Deus, vt circunciſio eſſet quidã veluti ſui populi character, & profeſſio, qua ſe aliquis legi alligabat, & obſequentem fore teſtabatur, iuxta illud ad Gal 5. *Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Tertia, quia per hoc ſignum, Iudæi à cæteris gentibus diſtinguebantur. Vnde Chry. hom. 40. in Gen. *Ex circunciſione,* inquit, *hæc fuit vtilitas, vt ex hoc ſigno eſſent Iudæi cognoſcibiles, & ab alijs gentibus ſequeſtrarentur,* &c. impoſuit námque quaſi frænum Iudæis, circunciſionis ſignum, ne gentibus admiſcerentur. Licèt enim fimbrijs ad quatuor angulos pallij aſſutis cognoſci poterant; id tamen ſignum, cùm eſſet externum, mutari poterat; præputij abſciſio non item.

Circunciſio data Iudæis ob tres cauſas.

Galat. 5.

Chryſoſt.

3. Igitur præcepto circunciſionis aſtringebantur parẽtes prolem maſculam octauo die, & non antè, circuncidere (ſi enim antè moreretur infans, adhibita proteſtatione fidei Chriſti venturi ſaluus fiebat) Adulti etiam quibus octaua die id remedium non fuit applicatum, illud depoſcebant ab ijs, qui ex quadam deputatione, id muneris frequentiùs obire conſueuerant. Inſtrumentum autem, quale fuerit in executione huius præcepti miniſtris neceſſarium, id demùm quærimus.

Octauo die fiebat.

4. Hebræi plerique tam hoc loco, quàm Exod. 4. vocem צר, affirmant æquè ſignificare petram, aut ſilicem, atque nouaculam, aut gladiolum; malúntque, vt vtrobique ſignificet nouaculam potiùs, quàm petram. Illis tamen obſiſtit Andreas Maſius in commentatijs huius capitis, affirmans vocem illam Hebræam ſecundum propriam rationẽ, non aliud quàm petram, aut ſilicem ſignificare, nec vnquam in ſacris literis pro gladiolo, aut nouacula ſubſtituit. Cuius viri autoritas, cùm ſit Hebraicæ, & Syriacæ linguæ peritiſſimus, hac in re magna eſt. Poſſe autem ſectionem pelliculæ lapideo cultro commodè fieri, vel ex ethnicis colligitur. Loquens enim Catull. in Carmine de Berecynthia, & Ati, & de ſacerdotibus ſacrorum Magnæ Matris, ſic ait.

Exod. 4. Tſor. Quo inſtrumento?

Tſor potiùs ſignificat nouaculam, quàm petram, vt volunt Hebræi.

Aliter ſentit Maſius.

Lapidei cultri vſus.

Catull.

Deuellet lacles (ſcilicet Atys) acuto ſibi pondere ſilicis.

Et infrà, inquit, Atys ad comites. *Qui corpus euiraſtis veneris nimio odio Hilarate animum.* Et Iuuenalis Saty. 6.

Iuuenal. 6.

Mollia, qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Credibile profectò eſt Romanis perſuaſum fuiſſe à Iudæis peragi actum circunciſionis inſtrumento lapideo, atque adeò illi perſimili, quo vtebantur Corybantes; vnde apellas vocabant circunciſos Iudæos, quaſi ſine pelle. Hinc lib. 1. Serm. Saty. 1. Horatius. *Credat Iudæus apella, non ego.* Græcis, ἀπεπόδερμος dicitur *apella,* ſiue *circunciſus;* & περιτέμνειν, illis eſt *circuncidere.*

Iudæus, apella cur dictus.

Horat.

Ad vulgarem opinionem, quam Romani, & Græci habebant de modo Iudaicæ circunciſionis accedit paraphraſis Chaldaica, & ſeptuaginta interpretum tranſlatio: aliæque verſiones ex Hebræo ad verbum factæ, omnes enim hoc loco, & in illo Exodi, petram habent.

Paraphr. Chald. & 70. interp. cultros lapideos vertût ex Hebr.

5. Quamuis autem hæc ita ſe habeant, perſuaderi non poſſum in præcepto, aut vſu fuiſſe apud Hebræos circunciſionis negotiū peragi lapideis cultris dūtaxat, ſed vel lapideis, vel ferreis, imo, & quocunque alio apto ad ſecandum inſtrumento. Hanc ſententiam ſequitur Diuus Thom. 3. p. q. 70. ar. 3. vbi diſputans an ritus circunciſionis fuerit conueniens? proponit hanc obiectionem. Ad vſum ſacramentorum aſſumimus ea, quorum eſt communior vſus: ſicut aquam ad abluendum, & panem ad reficiendum. Sed ad incidendum communiùs vtimur cultello ferreo, quam lapideo; Ergò circūcīſio non debuit fieri cultello lapideo. Huic obiectioni, reſpōdet ſanctus Doctor in hunc modum. *Cultellus lapideus non erat de neceſſitate circunciſionis, vnde non inuenitur tale inſtrumentum præcepto diuino determinatum. Neque enim communiter tali inſtrumento Iudæi vtebantur ad circumcidendum, ſicut neque modò vtuntur. Leguntur tamen aliqua circunciſiones famoſa cultello lapideo facta, ſicut legitur Exod. 4. quod tulit Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui; Et Ioſue 5. dicitur. Fac tibi cultellos lapideos, & circumcide ſecundo, filios Iſrael. Per quod figurabatur circunciſionem ſpiritualem eſſe faciendam per Chriſtum, de quo dicitur 1. Cor. 10. Petra autem erat Chriſtus.* Hæc Diuus Thom. Idem ſentit Abulenſ. quæſt. 8. ſuper cap. 5. Ioſue, & confirmat ex cap. 17. Gen. vbi hoc præceptum primò datum fuit Abrahæ, & omnes illius ritus declarati ſunt, nulla facta lapidei, aut ferrei inſtrumenti mentione. In eadem eſt ſententia Hugo de S. Victore lib. 1. de ſacramentis, part. 12. Videntur hi Doctores hanc hauſiſſe opinionē ex Iuſtino Martyre in ſermone habito cum Triphone Iudæo, vbi ſic ſcribit, *Dico in ipſo ingreſſu in terram ſanctam iterum eſſe circunciſum populum iubente Ioſue cultris lapideis. Sanctus autem ſpiritus, interdum factis claras figuras edebat futurorum euentuum; interdum verbis enunciabat res futuras, quaſi iam tunc gererentur.* Et poſt pauca *Noſtram igitur ſpiritualem circunciſionem præſignauit circunciſio illa Iudæorum facta cultris lapideis, & quæ appellata eſt ſecundaria. Nam prima illa veſtra circunciſio carnalis, & ſolum fiebat ferro, hodiéque fit, ideóque permanet in vobis eadē cordis duritia. At noſtra, quæ ſecunda poſt veſtram circunciſionem numeratur, fit per acutos lapides, hoc eſt per verbum Apoſtolorum illius angularis lapidis exciſi ſine manibus, vt reſecentur à nobis omnia vitiorum genera, qui cor habemus ita circunciſum, vt mortem quoque libenter obeamus propter nomen illius boni lapidis, ex quo promanauit aqua, rigat corda diligentium Deum; potúmque præbet omnibus, &c.*

6. Confirmatur deinde eadem opinio ex aperta expreſſione cultri lapidei hoc loco. Quod enim opus fuit tam explicatè mentionem facere cultri lapidei, ſi vnum duntaxat, & notum omnibus erat circunciſionis inſtrumentum? Sanè voluit Deus ob commoditatem fortaſſe loci, & celeritatem operis aſſignate id inſtrumentum (velut Iuſtinus Martyr ait) ad ſignificandam cordis circuncitionem, quæ per Chriſtum, qui lapis viuus eſt, fieri in nobis debet. Cuius circunciſionis neceſſitas, etiam præfigurata fuit in acuta petra, qua Sephora ad circumcidendum filium vſa fuit, Exod. 4.

7. Cæterum non eſt negandum probabilitatem aliquam habere ſententiam quorundam Patrum, qui affirmant antiquiſſimos Iudæos non alio inſtrumento, quam petrino cultro vſos fuiſſe in circunciſione. Hoc enim aſſerit Magiſter ſententiarum lib. 4. agens de circunciſione post Diuus Aug. ſerm. 141. de tempore, & Diuus Bern. ſerm. 1. de circunciſione Domini. Quos Patres mouere potuit; primùm, quia in dubiis locis, in quibus ſolùm agitur de inſtrumento circunciſionis, hoc eſt in hoc 5. cap. Ioſue, & Exod. 4. non fiat mentio, niſi cultri lapidei. Deinde, quia in petra eſt pulcherrima figura Chriſti Domini per quem fit perfecta circunciſio animæ. Vt etiam Paulus ait 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus.* Pro hac etiam ſententia facit, quod refert hiſt. ſchol. ſuper librum Exod. cap. 10. *Quidam, inquit, ex hoc facto Sephoræ, vel illo Ioſue argumentum habuiſſe volunt mortem circumcidendis petrinis cultellis. Cùm tamen vbi nos habemus, petram, textus Hebræus habeat, aciem. Vocat autem acutiſſimam aciem nouaculam: Vnde & Iudæi nouaculis circumcidunt.* Deinde addit.

8. *Fabulantur porrò quidam Hebræi, vſque ad Dauid circunciſionem factam eſſe petra: ſed quia* 1. Reg. 17. *in deijciendo Goliath ferrum loricæ, & galea, ceſſit lapido iacto funda Dauidis, quaſi dans ei locum; deinceps ceſſit lapis ferro in circunciſione.* Hæc ille. Ex quo habes opinionem fuiſſe quorundam Hebræorum, ſaltem antiquiſſimis temporibus lapideo cultello peragi ſolitam eſſe circunciſionem.

Verſ. 2.] Fac tibi cultros lapideos, & circumcide, &c.

An Sephora caſu vſa fuerit cultro lapideo, Exod. 4. in circunciſione filij ſui, ne Moſes occideretur?

ANNOTATIO III.

1. Occvrrit locus ex cap. 4. Exod. explicandus, in quo ſic ſcribitur. *Cumque eſſet*, ſcilicet Moſes, *in itinere, in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Deinde ait; *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, &c.*

Tria ſunt, quæ poſſumus horum verborum occaſione ſciſcitari. Primùm, caſúne, an conſilio, petrino cultro vſa fuerit Sephora in circunciſione filij? Alterum, vnúmne tantùm filium circuncideri? Tertium, de quo agemus Annotatione ſequenti, volueritne Dominus in diuerſorio Moſen occidere, an filium eius, quòd incircunciſus eſſet.

Prima quæſtio locum non habet in Ioſue facto, hunc enim diſertè Deus præcepit, vt lapideos ad circunciſionem expediret cultros. In Sephoræ verò, opere merito dubitari poteſt, cur petra potius, quàm ferro vſa fuerit. Et verò, iuxta opinionem, quam veram eſſe Annot. præcedenti putauimus, cultri petrini apud Iudæos vſus non erat ex præcepto, neque ex conſuetudine aliqua inductus, cur rem fecit inſuſitatam? Crediderim (& quod ſentio dicam) commodiùs fortaſſe fieri potuiſſe circunciſionem ferro, & frequentiorem fuiſſe ita faciendi morem, fœminam tamen perterritam, ac omninò mente perturbatam aſpectu Angeli, mortem marito ſuo minitantis, audiuiſſe ā Moſe ipſo periclitante, etiam acuto lapide circuncidi puerum poſſe, ſi ferrum abeſſet, atque

ad id

Inſtrumentum circunciſionis putatur eſſe lapideum, aut ferreum. D. Thom.

Exod. 4. Ioſue 5. Cultri lapidei figurabant circunciſionem ſpiritualem per Chriſtum faciendam. 1. Cor. 10. Abulenſ.

Hugo de S. Vict.

Iuſtinus Martyr laudat circunciſionem cordis figuratam in illa, quæ cultris lapideis fiebat.

Acuti lapides ſunt Apoſtoli exciſi ab eo lapide, ad circunciſionem ſpiritualem.

Exod. 4.

Antiquiſſimi Iudæi petrino cultro vſi.

Magiſter ſententiarum.

Auguſt. Bernard.

In petra idiſt Chriſto fit vera animæ circunciſio. 1. Cor. 10.

Hiſt. ſchol.

Hebdi Iudæi nouaculis circumcidunt.

1. Reg. 17.

Iudæorum commentum.

Exod. 4.

Cur Sephora petra potius, quam ferro vſa fit.

ad id, quod ſors offerebat, ſtatim conuolaſſe. Vidit petram acutam, & ad ſectionem aptam; ea, ne mora tempus extraheret, vſa eſt.

Cur ex duobus filijs vnus tantùm circunciſus?

2. Secunda quæſtio eſt, cur è duobus filiis, quos ſecum è terra Madian extulerat, vnum dumtaxat circumciderit? Ait enim ſcriptura: *Et circuncidit præputium filij ſui.* Variè reſpondent doctores huic difficultati. Primùm Caietanus eo loco affirmat vtrumque fuiſſe circunciſum: ſed Scripturam (quod non rarò facit) dixiſſe *filium*, pro *filios*, vſurpatione numeri ſingularis loco pluralis. Addit Caietanus vtrumque filium ad id vſque tempus incircunciſum fuiſſe, apertè demonſtrari, ex verbis Sephoræ, poſt circunciſionem, dicentis Moſi: *Sponſus ſanguinum tu mihi es, propter circunciſionem.* Videtur enim tunc primum circunciſionem peregiſſe. *Hæc enim verba*, inquit Caietanus, *tunc dicta inſinuant, quod nunc incœpit effundi ſanguis filiorum eius in circunciſione*, &c.

Caietanus putat vtrumque filiũ à Sephora fuiſſe circunciſum.

Euſebius Cæſ. Euſebius Emiſſ.

3. Secundò, Euſebius Cæſarienſis, & Euſebius Emiſſenus aiunt, alterum filium fuiſſe tunc circunciſum, vt hîc dicitur: alterum verò incircunciſum remanſiſſe. Vnde colligunt hi Patres contra Iudæos, non veniſſe Moſen ob omiſſionem circunciſionis, in mortis diſcrimen; nec propter illius executionem à periculo fuiſſe ereptũ, dumtaxat terrorem iniectum eſſe, duci futuro, vt diſceret metus & formidines, in quas deuenturus erat, hoc veluti præludio præparatus vincere, & vxoris impedimenta dimittere, dum in Ægypto verſaretur. Hæc tamen ſententia Scripturæ videtur repugnare; quæ non aliam cauſam aſſignat periculi mortis ab Angelo inferendæ, & feſtinationis Sephoræ ad executionem: quare credibile non eſt vno filio circunciſo, alium eo caruiſſe beneficio.

Iuſſum ab Angelo metum Moſi, ait vterque Euſebius, vt diſceret dux futurus, vincere formidines.

Hugo de S. Victore.

4. Tertiò, duplicem excogitauit ſolutionem Hugo de Sancto Victore; vna eſt, matrem, quæ erat alienigena, vnũm ſibi filium quaſi proprium & incircunciſum retinuiſſe; alterum verò circuncidendum tradidiſſe Moſi, quippe qui è gente recutita eſſet. Solent enim parentes partiri inter ſe debitam filiis prouidentiam. Altera eſt, relictum fortaſſe à Moſe fuiſſe apud ſocerum vnum ex filiis, quaſi ſinceræ voluntatis ſuæ obſidem; alterum verò dumtaxat ſecum extuliſſe. Huic tamen ſolutioni obſtat Scriptura, quæ ait Moſem ſecum filios, hoc eſt, vtrumque duxiſſe; ac proinde abſque fundamento dicitur vnum manſiſſe incircunciſum matris gratia; alterum verò à patre priùs fuiſſe circunciſum.

Amor parentum in filios; matris in vnũ, patris in alteri addictus.

Probabilior interpretatio, & mitior Lyræ, & Abulenſ.

5. His opinionibus, quarum ſola Caietani probabilis eſt, prætermiſſis; quartus modus interpretandi mihi idoneus videtur, & ſacræ ſcripturæ valde conſentaneus, quo vtuntur Lyra, & Abulenſis. Aiunt enim Gerſan, qui erat primogenitus Moſis, in terra Madian fuiſſe circunciſum. Eliezer verò, qui erat alter filius, incircunciſum vſque ad diuerſorium veniſſe, ob idque Moſem de vita periclitatum fuiſſe; culpámque periclitantis mariti, à Sephora acceleratione circunciſionis, expiatam. Cauſam verò, cur Eliezer non fuerit opportuno tempore circunciſus, hanc, huius ſententiæ authores reddunt, quia iuſſus eſt à Deo, Moſes proficiſci vno, vel altero die poſt natum Eliezer, noluítque tantiſper expectare dum puer octauo die circunciderētur, & cicatrix vulneri obduceretur. In eo ergo culpa fuit, quod contra præceptum octaui diei circun-

Moſes periclitatus eſt, quod pro circunciſione contra præceptum diſtulit.

A ciſionem diſtulit in tempus aliud, cùm à Deo non fuiſſet tanta eundi feſtinatio imperata, vt omiſſionem grauiſſimi mandati excuſaret. *Gen. 17.*

6. At dices, Moſen quadraginta annis egiſſe in terra Madian, duóſque tantùm habuiſſe filios; vt dicitur cap. 2. Exod. ac proinde non videri probabile Eliezer natum fuiſſe ſub profectionem in Ægyptum, vt Abulenſis & Lyra volunt, ſed robuſtum iam adoleſcentem cum parentibus iter ſuſcepiſſe. Quid quod vterque videtur paulo minor quadrageſimo anno, ſi tempus nuptiarum ſpectes, & generationis vtriuſque mentionem in Exodo factam.

Exod. 2.

Abulenſis. Lyranus.

B 7. Huic obiectioni ſatisfacies, ſi dicas, commemorari quidem coniugium Moſis cum Sephora initum ſtatim poſt aduentum illius in terram Madian, & filiorum natales, per quandam anticipationem, vt ſæpè fit. Etenim filij non ſtatim poſt nuptias in lucem editi ſunt, ſaltem Eliezer, ob cuius circunciſionem omiſſam Angelus Moſi mortem eſt minatus. Vide hac de re Benedictum Pererium in cap. 2. Exod. diſputatione decimatertia.

Pererius in Exodum.

Exempli vis.

Rationem autem cur Deus tam ſeuera comminatione vſus fuerit ob prætermiſſionem circunciſionis vnius pueri, reddit Tertullianus in lib. aduerſus Iudæos, in hunc modum. Præuidens Deus, quod hanc circunciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus populo Iſrael, idcirco filium Moſi ducis futuri inſtigat circuncidi, vt cùm cœpiſſet per eum populo dare præceptum circunciſionis, non aſpernaretur populus videns, exemplum iſtud, in Iudicis filium, iam celebratum.

C

Grauia vt perſuadeas, in te & tuis exemplum ede.

Verſ. 2.] Et circuncide ſecundò filios Iſrael, &c.

Quanti Deus fecerit olim præceptum circunciſionis, oſtenditur ex comminatione Angeli facta Moſi ob filium incircunciſum.

D

ANNOTATIO IIII.

1. ABRAHAMO, vt diximus, dedit Deus Gen. 17. præceptum circunciſionis, vt & peccato originis ea cæremonia maſculis adhibita mederetur, & ſignum eſſet Meſſiæ venturi ex ſemine Abrahæ, prænuntium, poſt cuius aduentum facilior medicina peccati morbo ſanando, inſtituenda erat. Id præceptum adultos conſtringebat ad procurandam ſui circunciſionem: pueros infantes, non item, ſed illorum parentes, vt octauo die eum ritum ſeruarent in filiis. Quod in Moſe obſeruatum fuiſſe parentum diligentia, antequàm exponeretur, nemo dubitat. Vnde illa virtus pueri, qua regium recuſauit diadema; vt enim refert Abulenſ. quæſt. 9. ſuper cap. 4. Exodi. Cùm eſſet paruulus, & adductus fuiſſet ad Pharaonem, vt cum adoptaret, impoſitam capiti ſuo coronam à Pharaone, in terram proiecit, & infregit. Voluit vnus ex regiis ſenatoribus puerum occidere, à Rege tamen retardatus eſt, Deo Moſem protegente.

E

Gen. 17.

Circunciſio fuit medicina contra peccatum originis, & Meſſiæ naſcituri ex ſemine Abrahæ ſignum prænũtium.

Parentes aſtringebantur ſuos pueros octauo die circũcidere. Abul.

Moſes impoſitum ſibi diadema reiecit, & conculcauit.

Exigebat Deus à parentibus obſeruantiam præcepti circunciſionis, idque tam ſeuerè, vt præter peccati mortiferi labem, quam ex hac omiſſione incurrebant; plerunq; damna etiam alia in hac vita paterentur. Huius rei inſigne exemplum nobis ſuppeditant ſacræ litteræ, Exod. 4. in Moſe, ſic enim dicitur: *Cùmque eſſet*, nempe Moſes, *in itinere, in diuerſorio; occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Cur Angelus Moſem occidere volebat? certè, quia filium habebat incircunciſum.

Exod. 4.

2. Scio dubitari (id quod tertio loco in dubitationem venire præcedenti Annotat. diximus) volueritne Angelus occidere Moſem, an filium? Nam Tertullianus in lib. aduerſus Iudæos, ſic ſcribit: *Filium Moſis ab Angelo præfocatum fuiſſe, niſi Sephora mater eius calculo præputium infantis circumcidiſſet*, &c. D. Auguſtinus vix audet quæſtionem hanc definire tractans quæſtionem 11. in Exod. qua illud quæritur, primùm, Moſénne, an puerum voluerit Angelus occidere? ait enim videri Moſem periclitari, quia dicitur: *Occurrit ei Angelus, & quærebat eum occidere.* Videri etiam puerum, cui mater circuncidendo ſubuenit. Vt ob hoc videatur occidere voluiſſe infantem, quia non erat circunciſus: atque ita ſancire voluiſſe præceptum circunciſionis ſeueritate vindictæ. Atque ad hanc partem magis propendens Auguſt. ne aliam videatur negligere, ſubiungit hæc verba: *Quanquam etiamſi de Moſe accipere quiſquam voluerit, non eſt magnopere reſiſtendum.* Gloſſa Interlinearis cum D. Auguſtino videtur facere.

Glossa Interl.

3. Hebræorum tamen, & ferè omnium interpretum ſententia eſt, in Moſen voluiſſe Angelum ſæuire. Cur enim ſæuiret in puerum innoxium? Præceptum ad patrem reſpiciebat. Ille circunciſionem debuit in tempore curare, non filius ipſe, non mater. Hac culpa notatus eſt Moſes, & hoc maximè, quod ipſe erat doctor, & legiſlator futurus: ac proinde decebat, vt legem ipſe perfectiùs, quàm cæteri, obſeruaret; quia vt dicitur: *Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum*: Chriſtus enim *cœpit facere & docere.* Act. 1. & 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus*, &c. *Ne cùm alijs prædicauero*, &c. Atqui cur non ipſe filium ab Angelo admonitus ſuæ culpæ, non circuncidit? Faceret ſanè; ſed nimia trepidatione, ad conſpectum minantis mortem Angeli conſternatus, nequaquam potuit. Vxor rem maturauit, viri territa diſcrimine. Quo habitu, dicet aliquis, apparuit Angelus? diſtricto gladio, & mortem minanti; ſicut poſteà apparuit Balaam inſidenti aſinæ, vt dicitur Num. 24. ita Theodoretus, & Diodorus Tharſenſis. Alij oppreſſum dicunt ad præſentiam Angeli grauiſſimo morbo, & acutè pungenti, ob idque, miniſtrum circunciſionis, vt res poſtulabat, non fuiſſe. Ita Rabbi Aben Eſra, Rabbi Salomon; Angelum ei apparuiſſe ingentis draconis ſpecie, viuumque Moſen, primùm à capite; deinde à pedibus, pube tenus, hoc eſt, vſque ad circunciſionis locum hauſiſſe, reliquo corpore extante & pendẽte ex ore monſtri. Quod aduertens Sephora, & cauſam ſuſpicata, arripuit mox acutiſſimam petram, & circunciſo infante effecit, vt bellua ſaluum euomeret Moſen, & incolumem; quem circunciſionis loco impedita, vorare, cùm bis conata eſſet, non potuit.

Act. 1. 1. Cor. 9.

Num. 24. Theodor. Diod. Tharſ.

4. Abeamus à Rabbinorum figmentis, & cauſam germanam quæramus, cur Angelus voluerit Moſen interficere? Auguſt. in ler. 86. de temp. referens ex verſione 70. Interp. illa verba Exod. cap. 4. *Leuauit Moſes Sephoram vxorem ſuam & veniebat in Ægyptum. & adſtitit Dominus contra eum & volebat occidere eum.* Sic ait. *Forſitan ex hoc loco poſſumus intelligere, quod diſplicuerit Deo, quòd Moſes iuncta ſaltim mirabilia, vxoris impedimentum ſecum ducere voluerit in Ægyptum. Vnde datur intelligi, quòd ex illo loco remiſerit vxorem ad ſocerum. quam tamen ille poſtea ad Moſem in deſerto verſantem reduxit.* Idem qu. 11. in Exod. ſic ait. *Quidam putarunt ob id Angelum terruiſſe, ſcilicet Moſen, ne cum ad impedimentum miniſterij, quod diuinitus impoſitum gerebat, fœmineus ſexus comitaretur.* Hæc ille. Cum Auguſtino faciunt Euſebius Emiſſenus, & Cæſarienſis: putantque coactum fuiſſe Moſen illo Angeli terriculamento, remittere coniugem, & duos filios ad ſocerum ex itinere. Qui enim perſuaſurus erat Iudæis liberationem, & in montem Sinai vicinum terræ Madian paucis poſt diebus rediturus erat, cur familiam ſecum exportaret? Benè apud ſocerum tantiſper remanere poterat, dum reuerteretur? Quid, quòd Iudæi male poſſent interpretari perſuaſionem de exitu ab Ægypto, ab eo fieri, qui cum familia illuc ingrederetur?

Auguſt.

Exod. 4.

5. Theodoretus, quem ſequitur Abulenſ. ſuper cap. Exod. 4. quærens hoc ipſum, de quo ſermo eſt, ſic ſcribit. *Vxor Moſis id putabat propterea factũ eſſe, quia puerorum alter non eſſet circunciſus ſecundum legem Hebræorum, ideóque protinus eum circuncidit. Quidam putant cauſam fuiſſe, quòd Moſes ad liberandos Hebræos miſſus, coniugem itineris ſociam habere voluiſſet. Quod vtique animaduertere oportebat Moſen, ne ſocero ſuſpicionem moueret, vxorem ſe contemnere, vel alteram ei præferre velle, illam aſſumere coactum eſſe: non autem, quòd perfunctoriè diuinum præceptum exequeretur; nam mox occaſionem nactus, per Angelum, iuſſit illam ad ſuos cognatos reuerti. Aliud igitur quippiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum oſtendebat.*

Theodoretus.

Deinde ſuam ſententiam ita explicat. *Moſes cæteroquin vir magnus metuebat Pharaonem, vt indicant illa eius verba. Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem Regem Ægypti? minabatur igitur illi pœnam mortis Angelus, metu maiore videlicet, minorem metum repellens. Perinde ac ſi per enſem illum nudatum, dixiſſet ei; ſi Pharaonem timuiſti, me multò magis time his, qui modo inuiſibili te vulnerare poſſum.* Hæc illè.

Theod.

His ſententiis, quia ad mores rectè trahi poſſunt, non reiectis, illam exiſtimo veram, & genuinam, quæ aſſerit, interimere Angelum Moſen voluiſſe quòd filium ſuum, cõtra fœdus cum Abraham cap. 17. Gen. initum, die conſtituto non circunciderit. Turpe enim videbatur (quod paulò ante annotauimus) vt, qui dux mox futurus erat, & populo legem circunciſionis denuò promulgaturus, in ſuis domeſticis eam legem non exercuerit; quod aduertit Tertul. in loco ad fin. præcedentis Annot. citatus, & Rabbi Izimhi. Iſidorus Peluſiota, Abulenſ. & Caietanus.

Gen 17.

Tertul. Rab. Izimhi. Peluſiota. Abulenſ. Caiet.

6. Rupertus, quærens cur antea Moſes non circuncidiſſet filium? excuſare eum videtur à peccato omiſſionis huius præcepti; tradit enim eum in terra Madian impeditum fuiſſe à ſocero, & cognatis ne filium circuncideret. Nunc autem extra illam neceſſitatem poſitum, vrgeri ait ab Angelo. Deinde addit: *Igitur, vidente Sephora voluit Dominus occidere Moſen vt quæ ratione adduci noluerat, periculi euidentia cognoſceret, ſalutare eſſe poſteris Abra-*

hæ eorum

ba eorum infantes circuncidi,&c. fauet huic opinioni Thargum Hieroſolymitanum interpretans, cap.4. Exodi ad hunc modum: *Præſcidit, ſcilicet Sephora, præputium filij ſui, applicuitq́, ipſum ante pedes Angeli deuaſtatoris, dicens, ſponſus meus volebat circuncidere puerum, at ſocer eius non permittebat ei. Nunc ergo propitius eſto propter ſanguinem circunciſionis pueri, peccatis ſponſi mei. Cúmque reliquiſſet eum, tum laude dixit Sephora. Quàm gratus eſt ſanguis circunciſionis, qui eripuit ſponſum meum de manibus Angeli mortis.* Hæc Thargum. Atque hæc cauſa à Ruperto, & Thargo reddita, non inepta putari debet. Licèt enim Moſes vir pius, & religioni deditus eſſet, potuit ex quadam ignauia, & humanitate ob ſocerum, & vxorem omittere præcepti executionem, ob idque nunc periclitari. Fuerunt, quidem Madianitæ (quippe qui à Madiam filio Abrahæ ex coniuge Getura prognati ſunt) myſterij circunciſioois non omnino ignari, quod Sephora ſtatim circuncidens infantem, ſignificauit; eam tamen vt difficilè, non paſſim admittebant. Quare licet Moſes excuſabiliùs peccaoerit, quòd propter ſocerum, & vxorem alienigenam, filij circunciſionem diſtulerit, quàm ſi affectarè id faceret; tamen à culpa non excuſatur. Vrgebat enim præceptum octauo die circuncidendi filios, omnes poſteros Abrahæ. Ac propterea Angelus Moſi comminatus eſt mortem. Tanti Deus obſeruationem præcepti huius faciebat. Id etiam indicauit hoc loco præcipiens Ioſue, vt ſecundò filios Iſrael circūcideret, inſtrumentū deſignans, hoc eſt non ferrum, vt ad illud vſque tempus moris fuit, vt notauit Abulenſ.q.8. & 9. ſed lapidem acutiſſimum. Vt enim ille ait, ſi conſueto res peragenda eſſet inſtrumento, quid opus fuerat cultrum lapideum inculcare? Vide quæ ſuprà diximus in explicat.contex.

Tharg. Hiero. — Sponſus ſanguinum, cur in hoc loco parentem interpretatur Thargum. — Madianitæ non ſunt circunciſionis penitus ignari. — Moſes non excuſatur à peccato omiſſionis præcepti circumcidendi filium. — Abulenſis.

A B C

7. Particulam illam, *ſecundò*, iam explicauimus referri ad ſolennem illam circunciſionem, quæ ad celebrandum paſcha in exitu de Ægypto facta eſt, & prima vocatur toti populo indicta. Hæc autem ſecunda fuit ſolenni ritu eidem populo promulgata, & mandata. Nam, putare, indici iam ſemel circunciſis, iteratam circunſionem, ineptire eſt. Quid enim opus erat ſigno ablati pręputij ad populum Dei aggregatis nouo ſigno? vide Abulenſ.q.10.

D

8. Cùm audis ab oraculo loquente cum Ioſue dici. *Fac tibi cultros lapideos & circuncide ſecundò filios Iſrael:* intellige non ſolùm parentibus incumbere curam circuncidendi filios, ſed etiam principibus, quorum eſt adigere populum ad exactā diuinæ legis obſeruationem. Idcirco non Eleazarū, qui ſummus erat ſacerdos alloqoitur Deus, ſed principem laicum, cuius potentiæ, executio religioſi actus commendatur.

Non ſolùm parentibus ſed etiā principibus & Regibus incumbit adigere populū ad obſeruandam legem.

E

Verſ.5,] Populus autem, qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircuncisus fuit: donec conſumerentur, qui non audierant vocem Domini, &c.

An omiſſio circunciſionis in deſerto expers culpæ fuerit?

ANNOTATIO V.

1. MIRARI quis poteſt, quid cauſæ ſit, cur Moſes ob omiſſam vnius, vel alterius pueri circunciſionem, in mortis diſcrimen incurrerit. Populus verò impunè per quadraginta annos executionem illius omiſerit? Sed non eſt difficilis reſponſio. Moſen namque non potuit excuſare à peccato omiſſionis, neque itineris ratio, cùm domi potuiſſet adimplere diuinum præceptum; neque diſtinctio non neceſſaria, cùm potius filij illius, vtpote ex Madianitide progeniti, circunciſionis ſigno indigerent, vt à gentibus diſtinguerentur. Atque adeò meritò à Deo incuſſo terrore mortis, ad legis obſeruationem compulſus fuit.

Moſen, non potuit excuſare à peccato dilata circunciſione filiis inter Madianitas.

2. Atqui in populo quandiu in deſerto fuit, alia eſt ratio. Poteſt enim ex duplici capite excuſari. Primùm, quia ideò Abrahæ data eſt circunciſio, vt poſteritas Abrahæ eo ſigno à gentibus diſcerneretur; eo autem ſigno nequaquam in ſolitudine, vbi populus à gentibus cæteris toto veluti corpore diſtinguebatur, opus fuit. Vnde Theodoretus q.2.in lib.Ioſue. *Vbi liberati*, inquit, *ſunt Hebræi à ſeruitute Ægyptiaca, & egerunt vitam in deſerto, non poſtulauit Deus, vt lex circunciſionis ſeruaretur ab ipſis, neque pœnas tranſgreſſionis exegit: Quoniam enim apud ſe viuebant, non permixti nationibus alienis, non egebant ſignaculo circunciſionis. At verò poſteà cùm introduxit illos in terram promiſſam circuncidi præcepit, ne per conuerſationem cum exteris pietas labefactaretur. Si enim contingeret quempiam decipi eo ſigno ad fidem reduceretur: ſicut oues aliquo ſigno notatæ ſi errent, reperiuntur.* Idem affirmat Damaſc. lib. 4. de fid. Orthodoxa. cap. 26. *Cùm in deſerto*, inquit, *quadraginta annis, Iſrael ſolus, & per ſeipſum, verſatus fuerit, nec commiſtus alteri genti, quotquot tunc in deſerto generabantur, nequaquam circuncidebantur, ſed cum Ioſue traduxit eos per Iordanem, circunciſi ſunt, & data eſt ſecundo lex circunciſionis.* Hæc ille. Quod autem addit appellari apud Ioſue ſecundam circunciſionem comparatione primæ factæ ab Abrahamo, id non admittimus.

Populus in deſerto excuſatus fuit à præcepto circunciſionis. — Theodor. — Iudæi circunciſione fiunt oues ſigno notatæ. — Theodoret. — Damaſcenus.

3. Cæterùm non ea ſolùm ratio reddi debet omiſſionis in deſerto mandatæ à Deo circunciſionis, ſed ea etiam, quia oportuit ita fieri, ex diuina fortaſſe diſpenſatione, quam Deus annis quadraginta ſanxit, ne populus, qui in itinere, & motus quotidie ferè erat, dolore cruciaretur, & de vita periclitaretur. In ſolitudine namque tam itionis, quàm commorationis incerti, & quodammodo ſuſpenſi erant Hebræi, ſemper ad nubem, quæ ab Angelo mouebatur, aut quieſcebat, reſpicientes tanquam ad diuinæ voluntatis certiſſimum ſignum. At his, qui paulò antè circunciſi erant, dolor augebatur vſque ad tertium diem, vt dicitur Geneſ.34. *in quo dolor erat maximus.*

Pendebant Iſraelitæ in deſerto ex motu nubis, ideòque oportebat eos nō retardari vnquam tortos circunciſionis dolore. — Gen. 34.

4. Has duas rationes approbat, D. Thom. 3. p. q. 70. art. 4. ad 3. *Populus*, inquit, *Hebræus in deſerto prætermittens mandatum circunciſionis, excuſabatur, tum quia neſciebant quando caſtra mouenda erant; tum quia, vt Damaſcenus dicit, non neceſſe erat aliquod ſignum diſtinctionis habere, cum ſeorſim ab aliis populis habitarent. Et tamen vt Auguſt. dixit (in lib. quæſt. ſuper Ioſue q. 6. inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant circunciſionem*, &c. Certè D. Auguſt. in loco à D. Thom. indicato, duo præſtat. Primùm exponit, quomodo populus dicatur ſecundò circuncidendus, his verbis: *Hoc loco quæ-*

D. Thom. — Damaſcenus. — Auguſt.

riuur, cur dixerit, iterum. Non enim vnus homo bis cir cuncidendus erat, ſed quia vnus populus erat, in qu buſ dam circunciſus, in quibuſdam non circunciſus, ideo dictum eſt, iterum. vt circunciſus iterum diceretur. non homo, ſed populus,&c. Deinde quo pacto omiſſa fuerit in deſerto circuncisio. *Quidam*, inquit, *de Ægypto exeuntiū filij in illo populo incircunciſi erant, quos potuit circuncidere* I E S V S, *illorum ſcilicet filios, qui genuerunt in deſerto, & contempſerunt eos circuncidere, quòd inobedientes erant legi Dei*, &c. Atque hinc colligit Aug. nō rectè ex hoc loco probari à quibuſdam, licitam eſſe rebaptizationē: ſiquidem nullus bis numero vnus homo eſt, ſed populus, qui iam fuerat in quibuſdā circunciſus, in quibuſdā verò adhuc incircunciſus erat. Ego probabilem eſſe opinionē puto, nō peccaſſe Iſraelitas in deſerto vnquā omiſſione circuncisionis, tū ob rationes alias à patribus aſſignatas, tum ob diſpēſationem, quā arbitror toto illo tempore duraſſe. In qua etiam ſententia eſt Abulenſ. q. 18. Affirmat námque neminem manſiſſe in deſerto incircunciſum negligentia parentum, ſed ex mandato Dei. Non eſt tamen Auguſtini interpretatio reiicienda circa appellationem ſecundæ circuncisionis, quamuis Abulenſi q. 14. & 43. diſpliceat; ſuam enim habet conuenientiam. In eo tamen videtur Abulenſis rectè diſſentire ab hiſtoria Eccleſiaſtica, quia putat cum Auguſtino, omiſſam fuiſſe in quibuſdam circuncisionem, ex parentum negligentia, quę videtur notari illis verbis: *nec aliquis eos in via circunciderat.* Rectè, inquam, diſſentit, quia ſi id ex illo loco colligi poſſet, non ad aliquos, ſed ad omnes ſpectaret ea negligentia in textu notata; cum generaliter dicatur: *nec aliquis in via eos circunciderat.* Rurſus, quia de omnibus æquè fit mentio, dum dicitur, *Populus autem, qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris longiſſimæ ſolitudinis incircunciſus fuit.* Et additur, *neque enim aliquis eos in via circunciderat.* Tandem, quia neque omnibus poteſt attribui negligentia, cum huius omiſſionis narratio, neque hoc loco, neque in tota ſcriptura contineat increpationem. Cùm tamen multò minora Hebræorum ſcelera non diſſimulet ſacra hiſtoria, ſed accuſet potiùs, & acriter reprehendat.

D. Auguſtinus aſcribit inobedientiæ parentum incircunciſos filios in deſerto.

Diſpenſatum cum Iſraelitis eſt in deſerto ne circunciderentur.

Abulenſ.

Non fuit prætermiſſa in deſerto circunciſio ex parentum negligentia.

5. Quid quòd Moſes vir ſanctiſſimus, & Dei cultor eximius, ſi culpam in ea omiſſione agnoſceret, nequaquam ferret id peccatum abire impunè? An non obrui iuſſit lapidibus, Num. 15. hominem colligentem ligna in ſabbatho? profectò non minori ſeueritate in violatores præcepti circunciſionis animaduertiſſet, ſi peccatum patrari reſciuiſſet, cū ſabbathi obſeruatione, longè ſanctior eſſet, & grauior circunciſionis religio, vt Chriſtus Dominus docuit, Ioan. 7.

Moſes non ſinebat prætermitti obſeruationem præcepti impunè.

Ioan. 7.

Verſ. 8.] Poſtquam autem circunciſi ſunt, &c.

Cur Deus tranſito Iordane præceperit ſecundam circunciſionem 40. annis intermiſſam?

ANNOTATIO VI.

1. TRES huius rei aſſignari cauſæ poſſunt. Prima eſt, quia celebraturi erant Iudæi

A ſtatim Phaſe, Oportebat autem, vt qui Phaſe manducaturi erant, circunciſi eſſent, vt Exod. 12. ſignificatum eſt. & hic ita factum narratur. Nec verò quando Deus, Num. 10. iuſſit celebrari in deſerto Phaſe, ab incircunciſo aliquo manducatus eſt agnus Paſchalis. Licèt enim ibi non præcipiatur circunciſio, nemo colligere poteſt fas eſſe adire ad eam celebritatem ſine circunciſione. Nam propterea eo loco Deus non iuſſit fieri eam præparationem, quia vno anno ante id tempus egreſſi fuerant Iſraelitæ de Ægypto circunciſi, vt hîc apertè dicitur: *Omnis populus, qui egreſſus eſt ex Ægypto generis maſculini, & vniuerſi bellatores mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus; qui omnes circunciſi erant.* Quare
B veſci Agno paſchali poterant. At qui nati erant in deſerto, omnes egebant hac circunciſionis neceſſaria præparatione, idcircò à Deo, tranſito Iordane, ſtatim præcipitur.

Exod. 12.

Num. 10.

Incircunciſi non poterant veſci agno paſchali.

2. Secunda, quia licèt Iſraelitæ ad primum ingreſſum terræ promiſſæ, non obligarentur ad exactiorem legis obſeruationem, quàm in deſerto (nondum enim poſſederant terram pacificè, neque locatum erat ſanctuarium in aliqua vrbe, vt aduertit Abulenſis quæſt. 22. in c. H.) tamen decebat, vt alicuius rei obſeruatio, quæ in deſerto intermiſſa fuit, ſtatim induceretur, & ſic paulatim tota lex mandaretur executioni: ſic
C in monte Sinai, vbi data fuit lex, Exod. 19. 20. Deut. 4. & 5. (quamuis non eſſet planè in deſerto obſeruanda, quoad ſacrificia & feſtiuitates, ſed quilibet facturus erat, quod ſibi rectum videretur) voluit Deus, vt tota, quoniam commoditas erat, ſtatim obſeruaretur, atque adeò facta ſunt ſacrificia, & Phaſe, Leuit. 8. & 9. Num. 9. & 7. Poſtquàm autem receſſerunt à monte Sinai, neque ſacrificia, neque feſtiuitates locum habuerunt. Nam vt dicitur Deut. 9. *Vnuſquiſq; faciebat quod ſibi rectum videbatur.* Oportuit igitur vt in ingreſſu, quia tota lex ſimul obſeruari non poterat, ea ſaltem parte, qua poterat, obſeruaretur. Etenim poſtquàm pugnare cœperunt cum Cha-
D nanæis, non obſeruabant totam legem quoad ſacrificia, decimas, primitias, & ſimiles ritus, donec tabernaculum Domini locatum fuit in Silo, vt dicitur infrà, cap. 18. Deinceps enim per fecta legis obſeruatio inducta eſt; cuius obſeruandæ ſuo tempore, quaſi proteſtatio, fuit circunciſio in Galgalis facta. Vide Abulenſem quæſt. 24.

Non aſtringebantur Hebræi antequam eſſent ... in terra promiſſa.

Abulenſis.

Exod. 19.

Deut. 4. & 5.

Leuit. 8. & 9. Num. 9. & 7.

Deut. 9.

Poſtquam tabernaculum ... fuit in Silo, ... obſeruatio inducta eſt.

3. Tertia eſt, quia, ſicut ianua ad Chriſtianam fidem, & nouam Eccleſiam eſt baptiſmus, ita circunciſio ad Iudaiſmum. Quod autem in deſerto intermiſſa fuerit, in cauſa fuit periculum puerorum, & diſpenſatio diuina. Quibus cauſis
E ſublatis, opus erat, inſtaurare ſacramentum, quo Iudæi religionem & cultum Dei profitebantur. Erat autem illis fides, quam in circunciſione profitebantur, & poſtea legis obſeruatione venerabantur, magnum, ad res admirandas in bello gerendas, incitamentum. Vide ad Hebræos 11. ait Apoſtolus: *Deficiet me tempus narrantem de Gedeon, Barach, Samſon, & Iephte, Dauid, Samuele, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna,* &c.

Circunciſio ianua Iudaiſmi.

4. Quæres an præceptum circunciſionis inſtauratum in Galgalis ad eos funderetur, qui manſerant in terra Amorrhæorum? Conſtat enim pueros ſaltem. & iuuenes ex duabus, & dimidia tribu, incircunciſos eſſe, cùm nati fuerint in

deſerto. Abulenſis quæſt. 28. ad omnes fundi merito putat, non tamen eodem loco, & tempore fuiſſe circunciſos, quo illi, qui tranſierant Iordanem, ſic enim ait: *Facta circunciſione in Galgalis, annuntiatum fuit in tota terra duorum Regum Amorrhæorum, & tunc omnes maſculi, qui incircunciſi erant, circunciſi fuerunt.* Hæc ille. An verò viri de duabus tribubus, & dimidia, qui erant trás Iordanem, obligarentur ad celebrandum Phaſe in Galgalis cum aliis nouem tribubus, & dimidia, & an liceret eis eam ſolennitatem indicere in terra ſua, explicat Abulenſis quæſt. 29. & ſequentibus. Et quidem præter quadraginta millia bellatorum, qui comitati ſunt Ioſue, conſtat nó interfuiſſe alios celebritati paſchali; quæ peracta eſt in Galgalis, dicitur enim: *Fecerunt Phaſe die quarto decimo in campeſtribus Hiericho,* &c. Ergo ſoli, qui erant in campo Hiericunthino celebrarunt paſcha. Nec Ioſue illis annuntiauerat, vt alibi phaſe immolarent, cùm id ab oraculo non acceperit; ſed circuncisionis tantùm præceptum inculcauerat, ſibi à Deo commendatum, & toti populo neceſſarium, quod & in Galgalis, & in quocumque loco poterat executioni mandari.

Qui manſerant in terra Amorrhæorum trans Iordanem credibile eſt ad mo... fuiſſe ... de circunciſione.

Abulenſis.

Qui erant trans Iordanem, non interfuerunt ſacrificio Agni paſchalis.

5. Rogas, an obligaret lex Iſraelitas, qui manſerant trans Iordanem, aſcendere ad locum ſanctuarij, vt celebrarent Phaſe cum Ioſue. & cæteris tribubus, eo quòd iuſſerit Deus ter in anno, vt omnes maſculi de Iſrael aſcẽderent in locum ſanctuarij? Reſpondet Abulenſis quæſt. 34. fuiſſe quidem feſtiuitatem Phaſe præcipuam, legem tamen illam nondum obligandi vim habuiſſe, donec pax populo conciliaretur, & victis hoſtibus. Arca fœderis in aliqua vrbe fixum, & ſtabile haberet domicilium, vt patet Deut. 12. imò Exod. 34. cùm dicitur de aſcenſione Hebræorum ad locum tabernaculi vt feſtiuitas hæc peragatur. *Cùm abſtulero*, inquit Scriptura, *gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.*

Abulenſis.

Deut. 12.

Exod. 34.

Deus ferebat ... Hieruſalem.

Tex.] Poſtquàm autem circunciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco donec ſanarentur, &c.

Potueritne à quolibet miniſtro Iudæus, vel etiam à ſeipſo circuncidi: item de Chriſti circunciſione.

ANNOTATIO. VII.

1. CVM tam inſignis hominum multitudo circunciſionis ſimul experta ſit cultros, de miniſtro circunciſionis legitimo aliquid libet commentari. Certum eſt ſacramentorum nouæ legis; neminem, ſi Euchariſtiam excipias, poſſe ſibi miniſtri vices gerere. Nec enim vel ipſe ſummus Pontifex, poteſt ſeipſum à peccatis abſoluere. vnctionem, aut aliud ſacramentum conferre, quod non ſolùm ex vſu Eccleſiæ manifeſtum eſt, ſed etiam ex modo formæ cuiuſque ſacramenti. Non ita ſe res habet in ſacramento circunciſionis; nec enim peculiarem re-

Omnia ſacramenta ... requirunt miniſtrum.

Summus Pontifex non poteſt ſeipſum à peccatis abſoluere.

A quirit miniſtrum. Nam à principio cùm data fuit Gen. 17. non erant aliqui ſacerdotes, & Leuitæ, ſed cuilibet circuncidere ſe, vel alium licebat: nam Abraham ſeipſum circuncidit. Cùm ergo in ſua inſtitutione non fuerint diſtincti miniſtri circunciſionis, non fuerunt quoque diuerſi. aut certi conſtituto ſacerdotali ſtatu, aut Leuitico. Quare fas erat matribus circũcidere ſuos paruulos. quod fecit Sephora, Exod. 4. & conſtat id in vſu fuiſſe ex lib. 1. Machab. cap. 1. dum dicitur: *Sed mulieres, quæ circuncidebant filios ſuos, trucidabantur, ſecundum iuſſum Regis Antiochi, & ſuſpendebant pueros à ceruicibus per omnes domos eorum; & eos, qui circunciderant illos, trucidabant,* &c.

Gen. 17.

Abraham ſeipſum ... circuncidit.

Exod. 4.

1. Machab. 1.

B Itaque non magis ad ſacerdotes, & Leuitas pertinebat circunciſionis miniſterium, quàm ad cæteros. Vnde cùm audis in Galgalis omnes fuiſſe circunciſos, intellige varios fuiſſe miniſtros; & vt Abulenſis aduertit, ad finem quæſt. 43. ſuper hoc caput Ioſue, cui dictum eſt: *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide,* &c. Vel paucos, vel neminem per ſeipſum, circuncidit. Tantùm cultros expediri fecit, & quid agendum eſſet, præſcripſit.

Miniſtri circunciſionis non ... ſacerdotes aut Leuitæ.

2. Quid factum ſit de tot præputiis, quæſtio eſt parum vtilis, eam tamen excitat Abulenſis quæſt. 45. aitque: *Ea honorificè in eodem colle tumulata fuiſſe: vnde collis præputiorum vocatus eſt.*
C Additque: *Sic quoque Iudæi modo ... faciunt, quando circuncidunt præputia paruulorum; ponunt ea in arena, vt ibi deſiccentur, & depereant reſoluta.* Hæc ille.

Præputia tumulata ſunt honore ...

3. Antiquam cõcertationem extitiſſe de Chriſti Domini præputio refert Cardinalis Toletus ſuper cap. 2. Lucæ ex Tito Boſtreno, cuius authoris iudicium in re incerta eſt: *Non aberrare eum procul à veritate ſcripſi, qui diceret, vt crucis tempore, immaculatus Chriſti ſanguis, vna cum aqua in terram defluens, terram, in quam dimanabat, ſanctificauit: ita præputium per circunciſionem ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu ſuo ſanctificaſſe.*
D Deinde addit: *Vtcumque res habet, certum eſt, qui ſponte ſe circuncidi paſſus eſt, eum modis, & rationibus quas ipſe compertas habet, totum illud, quod per circunciſionem à corpore deceſſerat, ita conſeruaſſe, vt reſurrectionis tempore, nihil eorum omnium, quæ ad perfectam corporis conſtitutionem depoſcuntur, omnino deſideratum fuerit, adeòque vt integer, omniſque prorſus vitij, etiam, quod ad hanc partem attinet, expers à mortuis, in vitam redierit,* &c. Hæc Boſtrenus. Cardinalis Toletus Chriſti præputij inuenti, longam loco citato, & mirabilem facit mentionem, aitque olim fuiſſe in templo Lateranenſi, vnde ſublatum fuit in direptione vrbis facta anno 1527.
E à quodam milite ſimul cum aliis reliquiis, quæ hodie Calcatæ, qui pagus ab vrbe Roma viginti dumtaxat millibus paſſuum diſtat, cum ſumma veneratione ſeruantur in æde SS. Cornelio & Cypriano dedicata, vbi Deus multa miracula edit. Et vt locus celebrior eſſet ſummus Pontifex Sixtus V. plenariam indulgentiam conceſſit, ipſo Dominicæ circunciſionis die impetrãdam. Adhuc tamen inquiri poteſt, quomodo illa pellicula, quæ ad integritatem corporis humani haud dubiè pertinet, certò credatur reſurgente Chriſto Domino, manſiſſe in terra, cùm cæteri circunciſi, cum præputio in die iudicij magni reſurrecturi ſint, atque in ea re Chriſto ſimiles futuri. Ego re cum doctiſſimo ſacrarum litterarum interprete D. Petro, Paulo Ferret commu-

Quid dicendum de pellicula Chriſti Domini ... circunciſ.

Card. Toletus

Tit. Boſtrenus

Calcatæ in oppido ... ab vrbe, ſeruatur pellicula abſciſſa à Chriſto puero.

nicata, id vno è duobus modis fieri potuiſſe autumo. Primùm per miraculum exiſtente re vna in duobus locis. Deinde aliter: nimirum maiore præputij parte in reſurrectione aſſumpta, minore (quod videtur probabilius) ad fidei confirmationem, & conſolationem fidelium relicta. Fas erit pio lectori, alium modum idoneum excogitare. Mihi, quilibet ex iis duobus, diuinæ videtur potentiæ, & bonitati conſentaneus.

B. Ioſeph exiſtimari poteſt miniſter circumciſionis.

4. A quonam miniſtro circuncilus fuerit Chriſtus Dominus, ſi quæras; dicam veriſimile videri fuiſſe circunciſum à ſancto Ioſepho. Autor verò libri de vera circunciſione, qui inter opera D. Hieronymi conſeruatur, ſic ait: *Chriſtus octaua die circuncidirur à matre.* Idem ſentit Bernard. in tract. de lament. Virg. ſi fortè Bernardi eſt illa lamentatio: *Virgo*, inquit, *Chriſtum genuit, lactauit, octauo die circuncidit.* Atque in hanc partem magis propendet doctiſſimus D. Sebaſtianus Barradas lib. 9. ſuæ concordiæ, cap. 1. de circunciſione Domini. Eſtque id, vel ex eo probabile, quia non defuit animus B. Virgini, vt eam rem peragere poſſet, quando non defuit Sephoræ, Exod. 4. Nec fœminis aliis, quæ 1. Mach. 1. dicuntur filios circuncidiſſe. Quid quòd matres frequenter videntur fuiſſe huius ſacramenti adminiſtræ ob manus, & cordis molliorem attactum?

B. Virgo Chriſtum circuncidit. Bernard. P. Barradas. Exod. 4. 1. Mach. 1.

5. De loco, in quo fieri ſoleret circunciſio, agit Cardinalis Toletus ſuper cap. 2. Lucæ, enarrans illa verba: *Et factum eſt in die octauo venerunt circuncidere puerum*, &c. Ex quibus verbis inferri arbitratur, non in Synagogis olim celebratam fuiſſe circunciſionem, ſed in domibus propriis, aut locis, vbi erant infantes. Si enim in Synagoga peragenda erat, dicendum erat: *Tulerunt puerum, vt circunciderent eum*, ſicut inferiùs cap. 2. dictum eſt: *Tulerunt puerum, vt ſiſterent eum Domino.* Hîc autem dicitur: *venerunt*, &c. Et quidem D. Epiphanius, hæreſi 20. contra Herodianos cap. de præſentia Chriſti, affirmat in ea ſpelunca Chriſtum circũciſum fuiſſe, in qua natus eſt. Itaque locus circunciſionis non eſt à lege definitus. Quod eo dixerim, quia aliqui putant, in ſynagoga id factum, proptereà quod Iudæi noſtri temporis in ſynagogis pueros circuncidant. Liberè enim id Iudæi agunt, vt patet exemplo Abrahæ, Gen. 17. Sephoræ Exod. 4. & Ioſue hîc. Quorum ille domi, non in ſynagoga, quæ tunc non erat; Sephora in diuerſorio, Ioſue in valle, vel, vt habet noſtra editio latina, in colle præputiorum circunciſionem peregit. Cur Chriſtus autem voluerit circuncidi; cauſas aliquot adducit Epiphanius hæreſi 30. Vide etiam Ambroſ. epiſt. 74. ad Hontianum, D. Auguſtinus ſerm. 9. de Natiuit. Domini: *Chriſtus*, inquit, *ſuſcepit circunciſionem, ablaturus circunciſionem ipſam; ſuſcepit vmbram, daturus lucem.* Suſcepit figuram, impleturus veritatem. Hanc eandem rationem toti legi accommodat Paulus ad Galat. 4. *Miſit*, inquit, *Deus filium ſuum factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Leo Papa ſer. 2. de Nat. Domini ſuſceptam à Deo circuncìſionem putat, vt per eam, diabolo occultaretur. Vide alias rationes apud Auguſtinum tract. 30. in Ioannem, & lib. 2. de nuptiis, & concupiſc. cap. 11. Cypr. de ratione circunciſionis, Greg. lib. 4. Moral. cap. 2. Chryſoſt. hom. 39. in Gen. Ambroſ. epiſt. 77. ad Conſtantium.

Luc. 2. *Epiphanius Chriſtum ait in diuerſorio circunciſum, hoc eſt, in ſpelunca, in qua natus eſt.* *Iudæi hodie in ſynagogis circuncidunt.* Gen. 17. Exod. 4. Epiphanius. D. Ambroſ. Auguſt. *Doctores, qui agunt de circunciſione Chriſti.* Galat. 4. Leo Papa. Auguſtinus. Cyprianus Greg. Papa Chryſoſt. Ambroſ.

6. De more gentis Hebrææ quando circunciſio octauò die adminiſtrabatur infantibus, ſimul nomen imponi ſolebat, vt patet ex cap. 1. Luc. & ex 2. vbi ſcribit octauo die puerum vocatum fuiſſe a parentibus IESVM; quod nomen ante ab Angelo prædictum fuerat; Obſeruat autem Beda myſterium in numero litterarum huius ſanctiſſimi nominis. *Sacroſancti*, inquit, *nominis* IESVS, *non tantùm ethymologia, ſed & ipſe, quem literis comprehendit numerus, perpetuæ ſalutis myſteria redolet: ſex quippe litteris apud Græcos ſcribitur* Ἰησοῦς, *videlicet, ι. & η. & σ. & ο. & υ. & ς. quarum numeri ſunt*, 10. & 8. & 200. & 70. & 400. & 200. *qui ſunt ſimul* 888. Hæc Beda, cuius obſeruatio deriuata eſt ex Græcorum, & Hebræorum conſuetudine vtentium pro notis numerorum literis alphabeticis hoc modo, α. nota vnitatis eſt; β. binarij, ſequentes litteræ numeros conſequentes adſignificant. Refertur Sibyllæ Cumanæ vaticinium, in quo ex hoc numero à Beda indicato, nomen IESVS ſignificatur. Carmina, in latinum ſermonem ex Græco conuerſa, ita efferuntur lib. 6. Bibliothecæ Sixti Senenſis.

Octauo die cum circunciſione nomen imponebatur. Luc. 1. & 2. Beda. *Literæ nominis* IESVS *habent myſticam interpretationem.* *α. nota eſt vnitatis.* *Sibyllæ vaticinium.* Sixtus Senenſis.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipſis.
In terris ſimilis, natus patris omnipotentis,
Corpore veſtitus. Vocales quatuor autem
Fert: non vocaléſque duas: binum geniorum.
Sed quæ ſit numeri totius ſumma, docebo.
Námque octo monades, totidem decades ſuper iſtas
Atque hecatontadas octo, infidis ſignificabit
Hominibus nomen; Tu verò mente teneto: &c.

7. Ait ergo nomen Ἰησοῦς, quatuor conſtare vocalibus, & duabus conſonantibus. Vocales ſunt ι. η. ο. υ. conſonantes duo ſigmata duorum geniorum, id eſt, Angelorum, quæ ſigma habent in principio, nomen vnum eſt, *Sathael*, alterum, *Sathan*. Inſuper affirmat diuinum hoc nomen continere octo monades, id eſt, octo vnitates, octo decades, id eſt, octies decem, videlicet 80. & octo hecatontadas, id eſt, octies centum 800. vnde conficitur ſumma 888. Agens verò de myſterio hoc numerorum Beda Luc. 2. ſic ait: *Octauum numerum, reſurrectionis gloriæ conuenire penè omnibus claret. Nam & Dominus octaua die, hoc eſt, poſt ſeptimam ſabbathi reſurrexit; & ipſi poſt ſex huius ſæculi ætates, & ſeptimam ſabbathi animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore reſurgemus*, &c. D. Hieronymus Ezech. 40. huc etiam alluſit: *Ogdoadis, id eſt, octonarij prima incipit dies, quæ eſt reſurrectionis*, &c. Et D. Auguſtinus cap. 26. lib. 16. de Ciuit. *Quid aliud, quàm Chriſtum ſignificat octauus dies, qui hebdomadæ completa, hoc eſt, poſt ſabbathum reſurrexit?* Conuenit prætereà nomini Saluatoris initio litera Iota; quæ numerum octauum indicat; quia octonarius ſalutis eſt numerus. Vt enim 1. Petri 3. dicitur, octo animæ in arca Noe ſaluæ factæ ſunt per aquam. Conuenit & Chriſto noui teſtamenti conditori octonarius, quia ſeptimum diem ſequitur, qui in veteri lege obſeruabatur. Vnde Hieronymus Ezech. 40. *Poſt ſeptenarium octonarius ponitur numerus, vt de ſynagoga ad Eccleſiam, de veteri inſtrumento ad nouum, de terrenis ad cæleſtia tranſeamus.* Et illa verba Eccl. 2. *Da partem ſeptem, nec non & octo*: nouo ſcilicet, & veteri teſtamento applicat. *Præcipitur*, inquit, *vt in vtrumque inſtrumentum tam vetus, quàm nouum credamus. Iudæi dederunt partem ſeptem, credentes ſabbathum, ſed non dederunt partem octo, reſurrectionem diei Dominicæ denegantes.* Hæc Hieronymus. Cæterùm litteræ ſenſus ad pauperes pertinet. *Mitte*,

Beda. *Octauus numerus reſurrectionis gloriæ conuenit.* Hieronymus. Auguſtinus. *Octonarius ſalutis eſt numerus.* 1. Petri 3. Hieronymus. Eccl. 2. *Quomodo intelligatur illud Eccl. Da partem ſeptem, nec non & octo.*

ait

(ait Salomon) *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum. Da partem ſeptem, nec non & octo.* hoc eſt, ſementem facito in terra irrigua, id eſt, in pauperibus · quia poſt longum tempus vberem gloriæ ſegetem demeres. *Da partem*, hoc eſt, largire ſeptem pauperibus eleemoſynam, *& octo etiam*, id eſt, quibuſcunque poteris, &c. Quid quod Auguſtino in Pſalm. 6. octonarius, numerus eſt æternitatis? *Quoniam*, inquit, *omnia tempora, ſeptem dierum repetitione voluuntur, Octauus fortè ille dictus eſt, qui varietatem iſtam non habebit.*

Auguſtinus.

8. Accipit ergo Chriſtus ſaluatoris nomen octauo die in lege gratiæ, vt intelligamus illius meritis ſalutem nobis ſperandam eſſe in octauo die, hoc eſt, in æternitate. Antichriſtus verò nomen habebit, quod Apoc. 13. obſcurè indicatur ex numero literarum, quibus conſtabit; conſtabit autem litteris 666. Rectè autem conficietur ex multiplicatis ſenarijs, quia ſenarius rerum caducarum numerus eſt, quæ ſex diebus procreatæ ſunt. Ille autem, & ſectatores illius rebus perituris adhærebunt; nihil immortale, & æternum ſibi proponentes.

Apoc. 13. Antichriſti nomen conſtabit litteris 666.

9. Non tamen ita neceſſaria erat nominis impoſitio in die circunciſionis, vt peccatum aliquod ex omiſſione extaret. Nec in Galgalis aliqua nominum impoſitio facta ſignificatur; imò nec in alijs circunciſionibus, præſertim adultorum. Hæc de circuncisione dicta ſufficiant.

Nominis impoſitio die octauo quando fieri ſolita.

Explicantur verba Exod. 4. in quibus agitur de Sephora poſt circunciſionem filij ſui, quæ ſic habent. Tetigítque pedes eius, & ait, ſponſus ſanguinum tu mihi es: & dimiſit eum poſtquam dixerat, ſponſus ſanguinum tu mihi es ob circunciſionem.

Exod. 4.

ANNOTATIO VIII.

1. AD exactiorem huius cap. 5. Ioſue, in quo verſamur, explanationem, placet lucem aliquam afferre obſcuritati verborum, quæ cap. 4. Exod. poſt circunciſionem filij à Sephora peractam, adhibentur. Tres igitur particulas explicabimus. Prima eſt. *Tetigit pedes eius*. Quidam illud. *Tetigit pedes*, referunt ad Sephoram, vt ſignificetur illam coniugis periculo territam, demiſsè ſe proſtrauiſſe ad pedes Angeli, vt mariti mortem deprecaretur, quibus fauent Septuaginta, dum transferunt ex Hebræo. *Et procidit ad pedes eius*. Sequitur hanc expoſitionem Caiet.

Sept. Interd. Caietan.

2. Alij verbum, *Tetigit*, ad præputium referunt, quaſi Sephora abſciſum filij præputium ad pedes Angeli abiecerit, dicens, ob incircunciſum filium minaris mortẽ cóiugi meo, ecce tibi oſtẽdo præputium reciſum, quarè non eſt, cur amplius perſequaris virum meum. Hanc ipſam ſententiã exprimit Thargũ Hieroſol. & Paraphraſis Chaldaica.

Tharg. Hieroſ. Paraph. Chal.

3. Sunt, qui pronomen, *eius* ad filium pertinere affirment iam circunciſum. Cuius pedes Sephora, vel ſanguine, vel præputio tetigerit, mihi referendum videtur ad Moſen, ad cuius pedes illa præputium proiecerit, vel irata ob ſanguinem filij effuſum cauſa patris, aut læta, quia videbat virum ſuum propter abſciſum præputium periculum euaſiſſe. Idem videtur ſentire Rup. cap. 20. in Exod. Ait namque Sephoram ad pedes Moſis proſtratam impetraſſe facultatem in patriam redeundi; ſic enim ſcribit. *Vt quid tetigit pedes eius? videlicet vt dimitteretur. Nam protinus ſequitur, & dimiſit eam.* Hæc ille: addens dimiſſam eſſe, quia gentiliter viuens, nondum merebatur tantis viſionibus intereſſe.

Rupert.

4. Secunda particula, quam enarraturi ſumus, eſt. *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* R. Abraham, refert hæc verba ad filium, qui fuerat circunciſus, quaſi mater applaudens filio dixerit. *Tu es mihi ſponſus ſanguinum.* Tradunt enim Hebræi ſolenne fuiſſe, vt matres filios ſuos recèns circunciſos, ſponſos, ſuos vocitarent.

Rabbinorum opinio.

5. Rabanus hæc verba dicta Moſi putat ab vxore arguente maritum crudelitatis, quòd eius cauſa filium vulnerare neceſſe fuerit. Rabanum meritò refutat Abulenſis, quia licèt Madianitis eſſet Sephora, tamen iam præuiderat alterius filij circunciſionem: atque adeò non erat ei ea res noua, præſertim cùm probabile ſit Madianitas aliquot, quippe qui progeniti erant ex Abraham, vti conſueuiſſe circunciſione. Alij ita Sephoram loquentem cum Moſe faciunt. Præuideo te fore mihi ſponſum ſanguinarium; timeo laborum ſyluam tua cauſa mihi quotidie ſuccreſcentem. Liceat mihi bona tua venia ab itinere in patriam regredi. Nam ſi quod nunc aggrederis, feliciter euenerit, euocabis nos ad ſocietatem lætitiæ. Addunt ſubſcripſiſſe Moſen petitioni.

Rabanus putat Sephoram vocaſſe Moſen ſponſum ſanguinum vt dei tum filium madentem ſanguine, &c. Abulenſ.

Alia interpretatio.

Abulenſis ita explicat hæc verba dicta Moſi. *Sponſus ſanguinum*, &c. Ac ſi dicat Sephora, Niſi ego ſanguinem filij mei eliciuiſſem, tu ab Angelo occiſus fuiſſes. Te igitur ego mihi denuò ſponſum acquiſiui, non quidem dote pecuniaria, ſed filij mei ſanguinis profuſione. Simile eſt illud Poëtæ.

Optima expoſitio.

Téque ſibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Virgil.

Hæc mihi expoſitio maximè videtur narrationi ſcripturæ congruere. Breuem inueniens huius loci explicationem, & fortè appoſitam apud Dauid Kimhi in lib. Radicum.

R. Kimhi

6. Tertia particula. *Et dimiſit eum*, iuxta Græcam tranſlationem: ita ſonat; *receſſit ab eo Angelus*, quare videtur referre verbum, *dimiſit*, ad Angelum, & pronomen, *eum*, ad Moſen. Angelus enim, qui mortem Moſi minabatur; ab inſectatione deſtitit peracta infantis circunciſione. Sequitur hanc expoſitionem Diuus Aug. quæſt. 11. in Exodum.

D. Auguſt.

Aliæ ſunt interpretationes, quas attingam, quoniam aliquid continent doctrinæ. Prima eſt Lyræ, qui refert verbum, *dimiſit*, ad Sephoram, & pronomen, *eum*, ad Moſen, vt ſignificetur propter illum mariti caſum, & dirum cruentati filij ſpectaculum Sephoram dimiſiſſe Moſen, & in patriam remeaſſe. Cæterùm pro, *dimiſit*, eſt verbum in Hebræo, quod relationem denotat ad ſuppoſitum maſculinum. Deinde non Sephora dimiſit Moſen, ſed è contra; vel ex diuerſorio illo, vt aliqui conijciunt occaſione circũciſionis; vel ex monte Horeb, vbi occurrit ei frater Aaron, cuius admonitu, vxorem cum liberis in patriã remiſit.

Prima expoſitio Lyranus.

Secunda Burgenſis, illud, *dimiſit*, de Moſe interpretantis: pronomen verò, *eum*, de filio ipſius, vt ſit ſenſus: Moſen poſt illud ſpectaculum in terram Madianitidem filium remiſiſſe.

2. Expoſ. Paul. Burg.

Poſt extintionem mandati reliquit Moſen morbus ab Angelo inflictus.

Tertia, refert hæc verba ad morbum, qui, vt aliqui Hebræi putant, ad præſentiam Angeli, Moſen inuaſerat, a quo, circunciſo filio, liberatus continuò eſt, & ſuum proſecutus eſt iter. A

Non ſatis eſt Prælato, vt bonus ſit, ſed, vt ne admittat ad familiaritatem aliquem, qui vitium habeat.

7. Obſeruatione dignum eſt, non ſatis fuiſſe Moſi duci futuro, & rectori, quod ipſe circunciſus eſſet: verſatus eſt in vitæ diſcrimine, quia ſecum habuit filium incircunciſum. Quare non ſatis eſt Eccleſiæ paſtoribus, vt ipſi innocentes ſint, & ſtudioſi, niſi etiam omnes illorum domeſtici tales appareant. Exemplum in Heli extat, 1. Reg. cap. 3. viro cæteróqui iuſto, & pio; is námque ob filiorum peccata diuinam expertus eſt vindictam.

1. Reg. 3.

Illud etiam obſerua in hac hiſtoria, quod dictum fuit à Sephora Moſi, dici poſſe à quolibet viro Dei amante, videlicet, *ſponſus ſanguinum tu mihi es.* Tum quia Chriſtus ſanguine ſuo Eccleſiam ſibi ſponſam copulauit, & nobis omnia bona promeruit. Vnde Paulus Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi: in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo: tum quia exigit à nobis circunciſionem, hoc eſt, mortificationem omnium affectuum, quibus ad vitia propendemus.* Vnde ad Rom. 8. ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Ad hanc circunciſionem nos hortatur Greg. Naz. in Monaſtichis verſibus. B C

Chriſtus eſt nobis ſponſus ſanguinum.

Act. 20.

Rom. 8.

Greg. Naz. in Monaſtichis.

7. *Tu facito carnem egregiè teneáſque, doméſque.*
8. *Ira tenenda tibi eſt, ne mentem inſania vexet*
Siſte oculum, lingua lances adhibere memento.
Laſciuum cohibe riſum, ſit clauis in ore.

Sum ſumum compreſſio.

Et paulò infrà.

Eſſe cupis ſapiens? frænanda eſt dira libido
Labentes plora, lapſum tamen ipſe caueto.
Iucundum eſt liuore premi, liuere pudendum,
Sacrificare Deo mentem quàm cætera præſtat.

Verſ. 9.] Vocatúmque eſt nomen loci illius Galgala vſque in præſentem diem. D

ANNOTATIO IX.

Galgala deſcriptio.

8. QVONIAM Galgalæ crebra eſt mentio in veteri teſtamento, præter ea, quæ in contextu explicatione annotauimus, pauca, vt notior ſit hic locus, adhuc ſubiungam. Eſt igitur hic locus, vallem ſimul, & montem continens ad Orientem antiquæ Hiericho ſitus, & ex aduerſo aſcenſionis Adominum, vt conſtat ex Ioſue 4. & 15. poſt tergum Bethauen cis Iordanem. Quem locum Hebræi mox traiecto flumine obtinuerunt, ibíque caſtrametantes aliquādiu ſunt commorati. Hic duodecim lapides ab Iordane collecti, ad memoriam ſiccati aluei erecti ſunt. Hic circunciduntur omnes, qui in deſerto nati eo beneficio caruerūt. Ioſephus, Galgala, libertatem interpretatur, quaſi in eo loco primum Hebræi ex Ægyptiaca ſeruitute, & ſolitudinis laboribus reſpirauerint, de frugibus terræ promiſſæ, edere incipientes, & paſcha celebrantes. In Galgalis rurſum Saul primus Hebræorum Rex vnctus fuit à Samuele, 1. Reg. 11. Hic, & Agag Rex Amalech ab eodem propheta occiſus eſt, 1. Reg. 15. Recedit Galgala ab Hierichūte ſecundo milliario; à Iordane ſtadijs 50. Oſtenditur nunc locus deſertus autore Diuo Hieronymo miro cultu habitus quod tabernaculum Moſis eo loco fixum fuerit, per annos plus minùs quinque. Habet hic etiam locus venerationem, quia olim in agro illo, quà latiſſimè patet, ſedem habuerunt viri religioſi; qui & diſcipuli, & filij prophetarum tempore Eliæ, & Eliſæi vocabantur. E

In Galgalis primum Hebræi reſpirarunt, & libertate potiti ſunt Ioſephus.

1. Reg. 11 & 15. In Galgalis vnctus fuit Saul, & Agag occiſus.

D. Hierony.

Diſcipuli Eliæ, & Eliſæi vocabant in Galgalis.

CAP. V. IOSVE
SECTIO II.

Manſerúntque filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe quarta decima die menſis ad veſperum in campeſtribus Hiericho, & comederunt de fructibus terræ die altero, azymos panes, & polentam illius anni. Defecítque manna poſtquàm comederunt de frugibus terræ; nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael; ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan.

פסח Pag. Peſach. Paſſah. Vatab. Phaſe. 70. Paſcha.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Manſerúntque*, &c. Et caſtrametati ſunt filij Iſrael in Guilgal, & fecerunt Peſach, &c. pro, *die altero*: in craſtino. Pro, *azymos panes*, &c. Peſach infermentata, & polentam in ipſomet die. Pro, *defecit*, &c. Et ceſſauit Man in craſtino, dum comediſſent de frumento terræ. Pro, *nec vſi ſunt vltrà cibo illo.* Et non fuit vltra filijs Iſrael Man.

Aliter. Ita reddi poteſt huius loci ſententia. Manſerúntque filij Iſrael in Guilgal & celebrarunt Paſſach decimo quarto die menſis ad veſperam in planis campis Hiericho. Comederunt quoque de frumento prioris anni huius terræ idque poſtridie paſchatis, placentas infermentatas, & ſpicas nouas toſtas ipſo eodem die, & deſijt Man poſtridie eius diei, quo cæperant comedere, de frumento terræ; nec habuerunt vltra filij Iſrael Man, ſed de pro-

uentu

uenru terræ Chanaan anno illo comederunt.

Sept. Interp. Pro, fecerunt Phaſe ad veſperum, &c. ἐποίησαν πάσχα τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ τοῦ μηνὸς ἀφ' ἑσπέρας ἐπὶ δυσμῶν Ἱεριχὼ ἐν τῷ πεδίῳ. Hoc eſt, *& fecerunt paſcha decima quarta die à veſpera in Occaſum Hiericho in campo.* Pro, *azimos panes*, ἄζυμα, καὶ νέα. id eſt, *azimos, & nouos.*

1. M*anſerúntque filij Iſrael in in Galgalis.*] Altera pars, & præcipua huius cap. hinc ſumit initium. Agitur namque poſt circunciſionem ab us, qui eo ſacramento initiati non erant, ſuſceptam, de celebratione paſchæ. Manſerunt autem Iſraëlitæ in Galgalis anno 41. egreſſionis de Ægypto à decimo die menſis primi vſque ad decimum quartum diem eiuſdem menſis, in quo celebrarunt Phaſe ſeruato ritu, & cæremonijs à lege præſcriptis.

Commorati ſunt in Galgalis Hebræi; tum ob dolorem vulnerum, tum vt reciperent celebrare paſcha.

2. Sed quid opus fuit in Galgalis commorari? duæ occurrunt cauſæ. Prima, vt ſanarentur vulnera circunciſorum, vt paulò antè dictum eſt: *Manſerunt*, inquit ſacra hiſtoria, *in eodem caſtrorum loco, donec ſanarentur.* Nam decimo die tranſierunt Iordanem, & venerunt in Galgala, vt patet ex cap. præcedenti, vbi die 11. facta eſt circunciſio. Ne igitur decimo quarto die exanimes præ dolore, qui tertio die maximus eſt, vt experti ſunt Sichimitæ, Gen. 34. apparerent, & celebritati peragendæ minùs idonei præ triſtitia viderentur; anteuerterunt diem feſtum, interpoſito temporis ſpatio, curationi neceſſario.

Gen. 34.

3. Altera cauſa eſt, Dei præſcriptum, quo ſignificauerat velle ſe, vt poſt ingreſſum terræ Chanaan, & tranſitum Iordanis, inciperet ille populus leges cæremoniales, quæ in ſolitudine locum non habebant, vtvt poterat, obſeruare. Nam ad omnium cæremonialium præceptorum executionem, nonniſi poſt pacificam terræ promiſſæ poſſeſſionem, plenè aſtricti erant, vt colligitur ex cap. 10. Deut.

Deut. 10.

4. *Et fecerunt Phaſe.*] Hæc eſt tertiò repetita Paſchæ ſolennitas. Nam prima in Ægypto; ſecunda iuxta montem Sina; tertia hic in Galgalis eſt celebrata, iuxta ritum, Exod. 12. aſſignatum. Solum aduerto diſtinguendam eſſe celebritatem paſchalem à celebritate Azimorum, nec vtramq; intelligi, niſi ſimul vtraque facta exprimatur, vt annotauit Abulenſ. q. 66. in cap. 5. Ioſue. Vide etiam illius commentarios in cap. 23. Leuit. vbi agitur de omnibus Hebræorum ſolennitatibus. Ad celebritatem Phaſe pertinebat Agni paſchalis, cæremonijs quibuſdam adhibitis, facta immolatio, quæ explebatur decimo quarto die menſis primi. Ad celebritatem verò Azimorum ſpectabat hebdomadaria, ſiue ſeptem dierum ſolennitas, cuius decimus quintus dies principium erat. Hîc vtriuſque celebritatis fit mentio.

Exod. 12.

Abulenſis.

Leuit. 23.

Diſtinguitur celebritas agni paſchalis & azimorum.

De ſignificatione vocis Phaſe, & Paſcha.

5. ACTVRI de Paſcha celebritate, operæpretium erit in ipſa contextus ſacri enar-

A ratione duarũ vocum Phaſe, & Paſcha, quæ paſſim in ſacris literis occurrunt, vim, & proprietatem explicare, ne cum in rerum maiorum interpretatione verſabimur, leuiorum rerum ignoratione à curſu retardati hæreamus.

6. Primùm ergo aduertimus, quòd nos Phaſe dicimus in Hebræo ſcribi פסח, *Peſah*, ſiue vt Pag. legit, *Peſach*, Vat. verò *Paſſach*, à verbo פסח, *Peſach*, quod eſt *tranſire*. Nomina namque quæ apud Hebræos exeunt in ח, præcedente puncto *patach*, 70. & noui teſtamenti ſcriptores finiũt in E, cum accentu in prima, ſi ſunt diſyllaba, vt Nóe, Thâre, Chóre, Iephethe. Idem nomen eſt *Paſcha*, quo vocabulo paſſim 70. & Apoſtoli vtuntur. Vnde error ille irrepſit in quorundam mentem, vt aduertit Hieron. in cap. 26. Matthæi, quo ſibi perſuaſum habent, *Paſcha*, à Græco verbo πάσχειν, quod eſt *pati*, deriuari.

B

Paſcha vnde deriuetur?

7. Theodoretus q. 24. in Exod. de *Paſcha* vocabulo ita ſcribit: *Paſcha, Philo interpretatus eſt, διαβατήρια, id eſt, ſacrificia, quæ pro tranſitu fiunt. Ioſephus autem ὑπέρβασιν, id eſt, tranſgreſſionem. Symmachus, ὑπερβάσεις, id eſt, tranſgreſſiones. Theodotio, φασὲχ, Hebraica voce non mutata. Significat autem nomen Hebræum ſaluationem primogenitorum. Nam qui percutiebat primogenita Ægyptiorum aſperſo ſanguine in foribus Hebræorum, domus eorum innoxias præteribat.* Hæc Theod. apud quem non conſtat, vnde didicerit vocem, φασὲχ, ſignificare ſaluationem primogenitorum, cum Hebraizãtes eam ſignificationem non agnoſcant, dicantq; ea ſolum intelligi trãſitum Angeli innoxium per Hebræorum domos.

Theodor. Ioſephus. Philo

Symmachus.

Theod.

C

D. Hieronymus ſuper cap. 26. Matth. eos carpit, qui Paſcha putant eſſe nomen Græcum, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, dictum, eaque voce ſalutiferam Chriſti paſſionem ſignificari. *Paſcha*, inquit, *non eſt vox Græca; Nam Hebræa vox eſt Peſach, ſignificans non paſſionem, vt plerique arbitrantur, ſed tranſitum, eo quòd Angelus exterminator videns ſanguinem in foribus Hebræorum, pertranſierit, nec percuſſerit eos*, &c.

D. Hieron.

Paſcha non eſt vox Græca, ſed Hebræa ſignificans tranſitum.

D

8. Idem ſentit D. Auguſt. in Pſal. 68. *Paſcha* inquit, *non eſt græcum nomen ſed Hebræum. Reſonat quidem Græca lingua paſſionem, quia, πάσχειν, Latinè pati dicitur, ſed conſultum Hebræum eloquium, aliud indicat, & tranſitum commendat.* Hoc admonuit etiam Ioannes Euangeliſta, qui imminente paſſione, cum veniret Dominus ad cœnam, qua cõmendauit ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui, ita loquitur: *Cum veniſſet hora, vt tranſiret* IESVS *de hoc mundo ad Patrem*; quibus verbis expreſſit tranſitum paſchæ, &c. Suffragatur Greg. Naz. in orat. ad ſanctum Paſcha.

D. Auguſt.

Ioan. 13.

9. Quod autem Hebræi proferunt פסח. Chaldæi dicunt, פסחא. *phiſcha*. Solent enim vocabulis Hebraicis addere A. in fine, vt in *Macha, Abba, Golgotha.* Exiſtimat ergo Philo lib. 3. de vita Moſis, *Paſcha*, vocem eſſe Chaldaicam, quapropter affinitatem idiomatis Hebræi vſi ſunt, ſic enim ait. *Eius menſis die quarta decima ſub idem tempus, quo luna ſolet ſuum orbem complere lumine, celebratur apud nos migrationis publica feſtiuitas, quam Chaldaicè paſcha nominant: quo tempore, non vt aliàs, plebeij homines victimas adducunt ad altare mactandas à ſacerdotibus: ſed iubente lege, tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiſque mactans hoſtiam ſuis manibus, & vniuerſus orbis concelebrat lætitiam, dum quiſque in eo ſacrificio gerit ſe pro ſacerdote*, &c.

E

Greg. Naz. Philo.

In ſacrific. agni quiſque gerebat ſe pro ſacerdote.

Ioſephus in eandem ſententiam, lib. Antiq. 2.

Ioſephus.

ita ſcribit: *iuſſit Deus Moſen edicere populo, vt paratum ſacrificium haberent, &c. Ille inſtructos prius ad profectionem, & per ſodalitia diſtributos, in vno loco continebat. Illuceſcente verò decima quarta die, omnes ad exitum animati ſacrificabant, & ſanguine domos, luſtrabant aſperſas hyſſopo. Peracta verò cœna, reliquias carnium exuſſerunt, tanquam mox inde abſceſſuri: vnde nunc quoque ſolenne manet nobis idem ſacrificium, eámque feſtiuitatem vocamus paſcha, id nominis tranſitum ſignificãs, quòd Deus illa die præteritis illæſis Ægyptios morbo percuſſit, peſte primogenita eorum conſumente.* Hæc Ioſephus.

Primogenita occiſa ſunt peſte Ita Ioſephus.

10. Itaque paſcha, ſi propriè loquendum ſit, neque agnum ſignificat, vt quidam voluit, neque immolationem, aut paſſionem agni, ſed tranſitũ. Cæterùm, quia ad memoriam huius tranſitus excitandam, ſolennitas fiebat, & agnus mactabatur, vſus obtinuit, vt ipſe agnus, qui immolabatur, paſcha diceretur; ſic Luc. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha*, id eſt, agnus paſchalis. Rurſus, *vbi eſt diuerſorium, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem?* Appellari etiam ipſa ſolennitas conſueuit paſcha. Vnde Luc. eodem cap. *Appropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha.* Nec tantùm ipſe dies, in quo immolabatur Agnus, ſed tota azymorum illi cõiuncta ſolennitas. Vnde Act. 12. *Appoſuit*, ſcilicet Herodes, *vt apprehenderet, & Petrum; erant autem dies azymorum, quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt paſcha*, hoc eſt, poſt dies azymorum: *producere eum populo.* Addo, apud pios viros Chriſtum Dominum vocari paſcha, quia pro ſalute noſtra immolatus eſt, tanquam Agnus paſchalis. Vnde canit Eccleſia, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt Agnus, &c.* & Apoſtolus 1. Cor. 5. *Paſcha*, inquit, *noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quod iam olim factitatum annotauit Greg. Naz. in orat. de ſancto paſcha, ſic enim ait. *Hoc nomine putarunt quidã notari ipſam ſalutarem ſaluatoris noſtri paſſionem, & ad Græcam linguam eam vocem accommodantes, fecerunt Paſcha, quod cum vſus recepiſſet, iam vehementer inoleuit, aſſentientibus ipſis auribus, vtpote ſanctiori nomini*, &c. Aduerto tamen ab Hebræis non dici Phaſcha, vt Nazian. putauit, ſed Peſach, vt ſupra annotauimus.

Luc. 22.

Act. 12. Dies azymorũ, paſcha vocantur.

Chriſtus Dominus cur paſcha vocetur. 1. Cor. 5.

Greg Naz.

11. Tandem Paſcha vocantur interdum ipſa ſacrificia paſchalia, id eſt, immolationes illæ victimarum, quæ ſeptem diebus azymorum quotidie fiebant, quarum pars vbi fuerunt Deo oblatæ, ad eſum pertinebat offerentium. Hoc modo accipitur nomen Paſcha, ſiue Phaſe, cap. 16. Deu. *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo, de ouibus, & de bobus*, &c. Cùm enim paſchalis immolatio, nonniſi agnum, vel hœdum admitteret, vt infra dicendum eſt; neceſſe eſt Phaſe nomen, non tam ad agnum Paſchalem ſacrificari ſolitum ad veſperam quartæ decimæ diei extendere, quàm ad ſacrificia, quæ aliis ſeptem diebus fiebant.

Paſcha vocatur ipſa immolationes paſchales quæ fiebant 7 azymorum diebus.

Deut. 16.

12. Ad hunc modum exponendus eſt locus Ioãnnis cap. 18. vbi dicitur, noluiſſe Iudæos in prætorium Pilati ingredi, ne contaminarentur, &, vt poſſent comedere paſcha, hoc eſt, ſacrificiis paſchalibus veſci, quæ per illos ſeptem dies fieri ſolebant, quorum pars aliqua cedebat in vſum offerentium. Erat enim dies, quo Chriſtus crucifixus eſt decimus quintus menſis primi, & primus dies feſtus azymorum iámque præceſſerat ad veſperam quarti decimi diei immolatio agni paſchalis, quem nocte proximè antecedente comederant.

Locus Ioan. cap 18.

Die veneris noluerunt Iudæi ingredi prætoriũ Pilati, ne contaminati, veſci carnibus paſchaliũ ſacrificiorum, prohiberentur.

13. Myſticam vocis, paſcha, expoſitionem habes apud Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 14. vbi docet tranſitum illum Angeli per domos Hebræorum ſine offenſione primogenitorum figuram fuiſſe Chriſti Domini, qui tranſitu, id eſt, morte ſua, nos à miſerrima peccati, & diaboli tyrannide liberauit. *Tranſiuit ille*, inquit, *de hoc mundo, qui quodammodo vocatur Ægyptus, & tranſiuit per Ægyptum inferiorem, id eſt, per infernum, qui iuxta nomen Ægypti verè tenebroſus, & horridus locus eſt. Et quoſcunque inuenit illic dignos filios Iſrael, ſignatos fide ſanguinis ſui, à iuſto vſque Abel, qui primum in typum obtulit agnum, vſq; ad latronem, quem ſanguine ſuo ſignauit, in ipſa hora tranſitus ſui, cunctos liberauit, percutiendo primogenita Pharaonis, id eſt, peccatum primæ præuaricationis, quod originale dicitur, & quod perſuaſio diaboli generauit.* Gen. 3. *Ergo poſtes certatim ſanguine ſignandi, & carnes agni feſtinanter edendæ ſunt; tranſit enim Dominus vltra non reuerſurus. Mortuus enim ſemel reſurrexit, & iã non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Iſto tranſitu eius contenti eſtote, & poſtes ſignate omnes filij Iſrael; alium enim tranſitum operare non licet. Veniet quidem iterum Dominus, ſed per Ægyptum inferni non tranſibit amplius, nec vltrà pro illis, qui nunc de tenebris exire iuſſi ſunt, morietur.*

Rupertus. Chriſtus figuratus fuit in Angelo tranſeunte domos Hebræorum.

Gen. 4. Luc. 23. Chriſtus latronem ſignauit ſuo ſanguine in ipſa hora tranſitus ſui.

Gen. 3.

Rom. 6.

14. *Quarta decima die menſis*] Die decima menſis primi tranſierunt Iſraëlitæ Iordanem, vt dictum eſt cap. 4. die verò quarta decima iuxta legis præſcriptionem, paſcha celebratum fuit. Nec enim poterat anteuerti, aut poſtponi hic dies niſi ob vnam ex duabus cauſis, vt patet Num. 9. Prima erat, ſiquis fortè eſſet immundus, tunc enim differebat Phaſe ſuum in decimum quartum diem menſis ſecundi. Altera, ſi extra terram promiſſionis iter faceret, in hoc enim euentu ad decimum quartum diem ſecundi menſis tranſmittebat paſcha. Qui aliter faceret, peribat de populis ſuis, vt dicitur Num. 9.

Dies paſchalis nõ poterat poſtponi, aut anteuerti, niſi ob duas cauſas. Num. 9.

15. *Ad veſperum in campeſtribus Hiericho.*] Deſignatur tempus, & locus immolationis agni paſchalis. Eſt autem veſper, veſperus, vel Heſperus vna errantium ſtellarũ, dicitúrque ſtella Veneris, medium inter ſolis, & Mercurij ſphæras, ſitum obtinens: ita dicta, quòd occumbente ſole, prima omnium ex ſtellis lucere veſperi conſpiciatur, Plinius lib. 2. cap. 9. Infra ſolem ambit ingens ſidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipſiſque cognominibus æmulum Solis, ac Lunæ. Præueniens quippe, & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit. vt ſol alter diem maturans. Contrà ab occaſu refulgens nominatur Veſperi, vt prorogans lucem, vicémque Lunæ reddens, &c. Hæc etiam Veſperugo dicitur, Plaut. in Amph. *Neque veſperugo, neque vergiliæ occidunt.* Vergil. Eglog. 10.

Veſper ſiue Heſperus, vulgò ſtella Venere.

Plinius.

Ite domum ſaturæ venit Heſperus, ite capellæ.

Sæpe tamen veſper, & veſperus accipiuntur pro extrema diei parte, qua hoc ſidus incipit fulgere, Græci ἑσπέραν vocant. Statius lib. 1. Thebaid.

———Sed veſper opacus
Lunares iam ducit equos.

Et Cæſ. lib. de bello ciu. Magiſtris imperat nauium, vt primo veſpere, omnes ſcaphas ad littus appulſas habeant. Cic. ad Attic. 12. *Cùmque manè me in ſyluam abſtruſi denſam, & aſperam, non ex eo inde ante veſperum.* Expreſſit etiam Virgil. crepuſculum veſpertinum 3. Georg. his verbis.

Plautus. Virg. Egl. 10.

Statius.

Cæſ. de bell. ciu.

Cic. ad Attic.

Virg 3. Geor.

—Et

——— Et paſcere rurſus
Solis ad occaſum: cum frigidus aëra veſper
Temperat; & ſaltus reficit iam roſcida Luna.

Plautus.

In eadem ſignificatione legitur etiã veſpera fœminini generis. Plaut. in Curcul. *Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera: Neſcis quid ſeras veſper vehat.*

In ſcriptura Veſper vocatur tempus quod decurrit, poſtquam Sol a meridie vergit in occaſum.

16. In ſacris literis veſpera, & veſperum vocatur illud tempus, quod decurrit poſtquam Sol à puncto circuli meridiani, vergit in Occidentem. Quo pacto Plin. lib. 18. horas veſperas, & tempus veſperum, id ſpatium vocat quo à meridie Sol tendit in occaſum, ſic enim ait. *His hora rigandi matutina, atque veſpera.* Idem. *Matutinum tempus, atque veſperum.* Ad veſperum igitur (vt annotauit Abulenſ. quæſt. 66. in cap. 5.) in hac ſignificatione acceptum, Iudæi expurgãt domum ſuam, ne maneat in ea aliquid fermentatum in hac enim celebritate non ſolùm piaculum erat illis veſci fermentato, ſed etiam domi habere, vt patet Exod. 12. Imo cap. 13. ſequenti dicitur, *non immolabis ſuper fermentatum ſanguinem hoſtiæ meæ*, hoc eſt quando fuerit aliquid fermentatum domi tuæ; non immolabis agnum paſchalem, qui Dei hoſtia vocatur. Hinc tradunt Hebræi. Vbi excluſum fuerit poſt meridiem fermentatum, fas eſſe agnum paſchalem immolare, quamuis à nemine immolari conſueuerit quocunque tempore poſt meridiem, ſed duntaxat ſub ſolis occaſum, iuxta illud Deut. 16. *Immolabiſque Phaſe Domino, veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*, atque de veſpere ita ſumpto hîc ſermo eſt. De loco celebrationis feſti diei, hoc eſt de Galgalis, quæ erant in campeſtribus Hiericho ad Orientalem plagam, dictum eſt cap. præcedenti.

Plinius. *Abulenſ.* *Iudæi poſtmodum erat habere domi fermentatum in veſpere paſchæ.* *Exod. 12. Exod. 13.* *Poſt excluſum fermentatum, immolari paſchali.*

Non licebat veſci nouis frugibus antequam primitiæ Deo offerrentur. *Caietanus.* *Homer, manipulus.*

17. *Et comederunt de frugibus terræ die altero*, &c.] Non licebat Iudæis veſci nouis frugibus antequam Deo, de ipſis, offerrent primitias. Vnde Caiet. enarrans hæc verba, hunc adhibet commentarium. *Recole legis præceptum eſſe, quod ante oblatum homer granorum ex ſpicis, nulli fas erat edere de nouis frugibus terræ. Et quia narratur in litera, quòd in craſtino paſcha comederunt de frugibus terræ; tum azimos panes, tum toſta grana, quæ interpretes appellant polentam. Poſt oblationem ſiquidem factam Deo comederunt hæc.* Ita Caiet.

18. Quæret aliquis, cum audit Iudæos comediſſe de frugibus terræ, in qua erant die altera, hoc eſt 15. poſt celebrationem Phaſe, quidnam comederint in die 14. cum immolarunt Phaſe? num celebrantes Phaſe non comederunt aliquem panem? id videtur ſignificari dum dicitur. *Comederunt de frugibus terræ die altero*, &c. eſt enim in Hebr. *In craſtino paſchæ infermentata, & toſta in ipſo die.* Fortè manna cum agno comederunt, quod adhuc illis erat: nec lex aliud, quàm fermentatum panem in eſu agni interdicebat. Exod. 12. Nullam interim neceſſitatem inducens comedendi cum Agno azyma. ita Abulenſ. q. 67.

Cum Agno Iudæi manna comederunt in vigilia. *Exod. 12.* *Abulenſ.*

19. *Azymos panes, & polentam eiuſdem anni.*] Veſci cœperunt altero die, hoc eſt, decima quinta die, quæ prima erat azymorum, azymis panibus, & polenta. Cùm enim feſtum paſchæ, & azymorum ſimul concurrant; feſtum Phaſe immediatè excipit feſtum azymorum. Hoc die completi ſunt anni quadraginta ab exitu de Ægypto, vt enim conſtat ex cap. 3. Num. & Exod. 12. Egreſſi ſunt Hebræi de Ægypto decima quinta die menſis primi, elapſis iam de anno 41. diebus 15. Atque in anno 41. complebatur annus 40. vt bene aduertit Abulenſis. Azymus, & Græcè, ἄζυμος, res eſt ſine fermento, hinc azymi panes, id eſt, infermentati. Per tranſlationem accipitur hæc vox, pro ſyncero, & inuiolato: nam infermentata conſperſio non attollitur. Apud Iudæos azymi panes fingebantur ex farina de nouis ſpicis expreſſa. Excuſſa namque grana iam torrida, mola truſatili terebantur; atque ex farina qualicunque attritu facta, panes azymi efformabantur. Hic eſt modus, inquit Abulenſ. quo in feſto azymorum die, hoc eſt, 16. die menſis primi, quando offerebantur ſpicarum manipuli, in farinam terebantur, vnde ſimila offerretur, vt patet Leuit. cap. 2. & 23.

Num. 3. Exod. 12.

Azymum vocatur per metaphoram, quod ſyncerum eſt.

Menſe primo offerebantur ſpicarum manipuli. *Leuit. 2. & 23.*

Polenta ex hordeo fiebat.

20. Polenta, vt de illa ſcribunt latinitatis ſcrutatores, hordeum eſt, primùm madefactũ, deinde ſiccatum, poſtremo toſtum. Præparabatur autem hoc modo: Perfuſum aqua hordeum ſiccatur nocte vna, poſtero die frigunt; deinde molis frangunt, ſeruantque in multos dies. Meminit Polentæ Plaut. in Aſin. Vbi ſtant nequam homines, qui polentam pranſitant? Iudæi ergò, quia non ſatis erat ad populi cibos conuertere in farinam ſpicas, nec labor, quamuis magnus, ſuppeditare poterat tot panes azymos ex illa ſpicarum attritione, ad polentam confugiebant, quæ faciliùs parabatur. Erat autem illis polenta, vt Abulenſ. annotauit, cibus confectus de granis ad ignẽ toſtis ſpicas enim non ſatis maturas ad meſſem ad ignem torrebant, & inde excuſſa grana edentes, facere dicebantur polentam. Lyra aduertit in Hebr. pro polenta eſſe קלוי, *calui*, id eſt, *toſtum far. In ſolemnitate enim paſchali*, inquit, *probat oblatio de granis nouis excuſſis de manipulo per confricationem, & de talibus poterat comedere populus poſtquam primitiæ erant oblatæ.* Sic interdum pauperes agricolæ, quibus panis non ſuppetit, ſpicarum manipulis domum allatis, fami ſuæ conſulunt. Dicuntur azymi panes, & polenta fieri ex frugibus anni illius, quia iam ſegetes terræ illius, vt cap. 3. annotauimus, idoneæ erant ad meſſem.

Plautus. *Abulenſ.* *Polenta a Iudæis quomodo fiebat.* *Lyranus.* *Suprà cap. 3.*

21. *Defecitq; manna poſtquam comederunt de frugibus terræ.*] Poſt hæc verba. *Defecitq; manna*, in Hebr. adiungitur, *in craſtino*, ita, ſcilicet vt tertio die ab immolato agno paſchali ceſſauerit manna, hoc eſt, non prouidit Deus illis amplius manna, ſeu, quod idem eſt, non deſcendit amplius in circuitu caſtrorum per noctem, ſicut moris erat, vt patet, Num. 11. & Exod. 16. Manna autem, quod incluſum intra arcam fœderis fuerat, in vrna aurea, vt conſtat ex cap. 9. epiſt. ad Hebr. vnà cum virga Aaronis tandiu conſeruatum fuit, quandiu Arca, quam Hieremias tempore vaſtationis Hieroſolymitanæ cum manna, & cæteris rebus, quæ intus cuſtodiebantur, in ſpeluncam abdidit, quæ Moſi ſepulchrum fuit, vt patet 2. Mach. 2. ita Abulenſ. q. 67.

Num. 11. Exod. 16. *Vrna manna iacta de arca, quando a Hieremia in ſpeluncã illata fuit.* *Hebr. 9.* *2. Mach. 2.* *Abulenſ.*

22. *Nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael.*] Datum fuerat Iſraelitis manna in ſolitudine, quia parari in ea alimenta non poterant: nunc verò, cùm frugum copiam habeant, manna illis ita negatur, vt quamuis deinceps fame tabeſcant, cæleſte eis horreum non amplius aperiatur. Extremam famem paſſi ſunt miſeri in obſidione Hieroſolymitana Titi Veſpaſiani tempore; celebrata etiam eſt fames, quæ tempore Eliæ tribus annis Iudæos afflixit, nunquam tamen cæleſtis illis cibus conceſſus eſt.

Nunquam Iudæis ſemiſtentibus manna conceſſũ fuit poſt paſcha celebratum a Ioſue.

23. *Sed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan.*] Antequàm Hebræis aſſignatæ eſſent

poſſeſſiones, debellatis Chananæis, veſci cœperunt de frugibus, quæ in agris eo anno naſcebantur. Partâ namque, duce Ioſue, victoria, & hoſtibus expugnatis, non iam ex agro emendicaturi erant cibos in præſentia neceſſarios, ſed ſua etiam horrea habituri.

AD CAPVT V. IOSVE.

Verſ. 10.] Manſerúntque filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe quarta die menſis ad veſperum in campeſtribus Hiericho.

De diebus feſtis Hebræorum.

1. QVONIAM de præcipua Iudæorum celebritate agendum hoc loco neceſſariò nobis eſt; operæpretium erit lectori ſtudioſo omnes eorum dies feſtos, ſi non accuratè perſequendo, ſaltem enumeratione facta aliquo modo explicando, indicare, vt quantum inter ſacrarum rerum legales obſeruantias, immolatio agni paſchalis religione, & reuerentia excellat, qui ſacram hiſtoriam euoluit facilè perſpiciat.

De ſabbathi nomine, ſanctitate, & antiquitate.

ANNOTATIO. I.

Leuit. 23. *Vnde deriuetur ſabbathi nomē?*

PRIMVS ordine quodam eſt dies feſtus, qui ſabbathum dicitur; de quo Leuit. 23. (vbi etiam de cæteris fit mentio) ita ſcribitur. *Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis ſanctas. Sex diebus facietis opus, dies ſeptimus, quia ſabbathi requies eſt, vocabitur ſanctus. Omne opus non facietis in eo: ſabbathum Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris,* &c. Dicitur Hebraicè שבת. id eſt, *ſabbatum,* ſiue *requies,* à verbo, שבת, *Sabath,* quod eſt, *quieſcere*; quia eo die quieuit Deus ab opere creationis. Vnde Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 2. *Nos vacationem à laboribus per hanc diem celebramus, appellantes eam ſabbathum quæ vox requiem Hebræorum lingua ſignificat.* Hæc ille. Quod apertiſſimum eſt ex cap. 2. Gen. & Deut. 5. Huius feſti meminerunt etiam profani ſcriptores, quamuis in illius origine, & ethymologia ſint hallucinati. Vt Plutar. lib. 4. Sympoſiacorum, ſiue quæſtionum cōniualium. Apion Grammaticus Alexandrinus, quem Ioſephus in lib. 2. contra eum edito, carpit, quod falsò dixerit, Hebræos ex Ægypto redeuntes laboraſſe inguinum vlceribus, quod vlcus Ægyptijs ſabbo, vocatur; Et die ſeptimo quieuiſſe; ideóque eum ab illis ſabbathum dici. Lactantius lib. 7. diuinarū inſtit. c. 4. quāuis rectè exiſtimauerit, Hebraicum eſſe vocabulum, in quo Plut. & Apion decepti ſunt; in eo tamē diſplicet doctis, quod putauerit à numero dierum ſabbathum idcirco appellari, quia apud Hebræos, שבע. *Seba,* ſeptem ſignificat. Hoc ſabbathi cultu teſtabātur Iudæi, ſe populum eſſe Deo dicatum, etiā inter Gentiles iuxta interpretationem Lyrani ad verba Exod. 31. *Videte, vt ſabbathum meum cuſtodiatis,* &c. Hinc lib. 1. de Arte ab Ouid. dictum eſt. *Cultáque Iudæo ſeptima ſacra viro,* & à Romanis, *ſabbatharij.* dicti ſunt Iudæi, quod ſabbatha colerent, Mart. lib. 4. *Quod ieiunia*

שבת, *quid ſignificet?*

Ioſephus.

Gen. 2. Deut. 5. *Quid Plut. & Apion ſentiant.*

Lactantius *Iudæi ſabbathum cuſtodiebant etiam inter gentiles.*

Ouid.

A ſabbatariorum: à Græcis, οἱ σαββατίζοντες. à ſabbatho hebdomade dies nomen habent. Vnde Hieronym. in Epiſt. 150. ad Hebidiam quæſt. 4. ſic ait. *Vna ſabbathi dies Dominica intelligenda eſt, quia omnis hebdomada in ſabbathum, & in primam, & ſecundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & ſextam, ſabbathi diuiditur, quam ethnici, idolorum, & elementorum nominibus appellant,* &c. Idem docet Aug. in titulum Pſalm. Interdum à ſabbatho tanquam à die celebriori tota hebdomada quia illo clauditur, ſabbathum dicitur. Vt Luc. 18. *Ieiuno bis in ſabbatho.* Quod annotarunt Theophy. & Euthym. eo loco; & ſanctus Remigius in Pſalm. 23. & Leuit. 23. *Numerabitis ab altero die ſabbathi,*
B *in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas,* In Hebr. ſeptem ſabbatha. Et cap. 25. *Numerabiſque tibi ſeptem hebdomadas annorum,* in Hebr. ſeptem ſabbatha annorum.

Martialis.

Hieronym. *Dies hebdomada apud Hebræos.*

Auguſt.

Luc. 18. *Tota hebdomada, à quando ſabbathum dicitur.*

Theophyl. Euthym. Remig. Leuit. 23 & 25. *Hebdomades annorum.*

2. Conſtat præterea ſabbathi nomen ad omnes dies feſtos transferri vt affirmat Chryſ. hom. 40. in Matth. Theophy. & Euthy. in cap. 6. Luc. Quod confirmari poteſt, tum ex alijs locis, tum ex Leuit. cap. 23. Vbi de die expiationis ſcriptum eſt. *Sabbathum requietionis eſt.* & affligetis animas veſtras. Et primo Mach. 2. ſic ſcribitur de religione diei feſti. *Et conſtituerunt aduerſus eos prælium in die ſabbathorum* (eſt autem dies ſabbathi, & dies ſabbathorum idem, quidquid dicat Niceph.
C lib. 1. hiſt. cap. 33.) *Et dixerunt, non exibimus, neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem ſabbathorum.* Et infrà. *Moriamur in ſimplicitate noſtra. Et mox, & intulerunt illis bellum ſabbathis, & mortui ſunt ipſi, & vxores eorum, & filij eorum, & pecora eorum, vſque ad mille animas hominum.* Hæc ibi. Addit Ioſephus lib. 12. Antiquit. cap. 8. *Aggreſſi ſunt eos die ſabbathi, & ità vt erant in ſpeluncis excuſſerunt non repugnantes, ac ne aditus ſpeluncarum obturantes,* &c. Vides quàm religioſi fuerint Iudæi in obſeruatione ſabbathi? mouere lapidem, pro defenſione vitæ, peccatum eſſe putabant. Sanctitas ſabbathi tanta eſt, vt in eo nec cibos parare fas ſit Iudæo. Vnde feria ſexta, ideò paraſceue
D dicta eſt, quia in ea parari mos ſit, quidquid ad vſum ſabbathi opus eſt. Exod. 35. *Qui fecerit opus in eo occidetur. Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbathi.* Et cap. 16. eiuſdem lib. *Sexta die collegerunt menſuras duplices mannæ, ne ſabbatho colligerent,* nec computreſcebat, vt alijs diebus, cùm plus quam quod illi diei ſatis erat, colligebatur.

Sabbathum pro quouis feſto. Chryſ. Euthym. Theophyl. Leuit. 23.

1. Mach. 2. *Sabbathum, & ſabbatha pro eodem ſumuntur.* Nicephorus.

Ioſephus.

Paraſceue feria ſexta dicta ſit.

Cibi in ſabbatho parari non poterant: ſed die præcedenti. Exod. 35. Exod. 16.

3. Iter in ſabbatho facere licitum erat, ſed breuiſſimum, hoc eſt, vt Orig. lib. 5. ſtromatum ait, vnum milliare, quod bis mille cubitos contineat; cui accedit Oecum. ſuper illa verba Act. 1. *Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam, à monte, qui vocatur Oliueti qui eſt iuxta Hieruſalem ſabbathi ha-*
E *bens iter.* Confirmatur hæc ſententia, quòd cùm in terram promiſſam venirent Hebræi tanto interſtitio, caſtrorum ordinem præcedebat Arca fœderis, & tabernaculum. Ipſique Hebræi tanto interuallo tentoria, cum figenda erant, à tabernaculo diſcludebant. Vnde cap. 3. præcedenti, præcepit Ioſue, agens de Arcæ exportatione, populo, vt hoc ſpatio ab Arca fœderis recederet. *Sit,* inquit, *inter vos, & Arcam ſpatium cubitorum duum millium.*

4. Aliqui iter mille paſſuum eſſe volunt, vt Beda, Lyra, & Gloſſa Interlinearis, Act. 1. Alijs traditio Hebræorum placet, de qua Hieronym. epiſt. 151. ad Aglaiam quæſt. 10. *Præterea* in-

Iter ſabbathi. Origen. Oecumen. Act. 1.

Sup. cap. 3

Iter ſabbathi eſt iter mille paſſuum. Beda. Lyra. Gloſſ. interl. Hieron.

quit, *quia iuſſum eſt, vt diebus ſabbathorum ſedeat vnuſquiſque in domo ſua, & non egrediatur, neque ambulet de loco, in quo habitat: ſi quando eos iuxta litteram cœperimus arctare, & non taceant, non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint præcepta ſeruare: ſolent reſpondere, & dicere. Rab. Akiba, & Simeon, & Hillel magiſtri tradiderunt nobis, vt bis mille pedes ambulemus in ſabbatho*, &c. Hæc traditio ſi vera eſt, cùm mille paſſus quinque mille pedes contineat, multò breuius iter eſt, quàm Beda, Lyra, & Gloſſa putarunt. Quare iuxta Hebræos, iter ſabbathi continet bis mille pedes, quod paulò plus eſt tribus ſtadiis, quoniam nec quatuor quidem ſtadiis montem Oliueti diſcludi à Hieruſalem, ex Brocardo, in deſcriptione terræ ſanctæ, manifeſtum eſt. *Vltra torrentem*, inquit, *Cedron in latere Aquilonari montis Oliueti, eſt mons aliis altus quatuor ſtadiis diſtãs à Hieruſalẽ.* Ab hac ſententia non multum abeſt Origenes. Milliare námque apud illum, non quinque mille pedes, ſed bis mille cubitos, id eſt, ter mille pedes continet; cubitus enim, vt cap. 3. annotauimus, ſeſquipes eſt. Falſum eſt igitur quod Eraſmus, & Vatablus in annotatione, Act. 10. aſſerunt, ſabbathi iter, duobus mille paſſibus peragi; ſiquidem & Bethania, quæ remotior eſt ab Hieruſalem, quàm mons, & nõ ad radices, ſed in latere montis Oliueti ſita eſt (authore Hieronymo in locis Hebraicis) quindecim tantùm ſtadiis diſtat, vt dicitur Ioan. cap. 11. *Erat*, inquit, *Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim*, &c. Quindecim námque ſtadia, duo millia paſſuum non continent. Vnde ſcitè à Hieronymo loco citato dictum eſt, eam eſſe in ſecundo milliario ab Ælia, id eſt, ab Hieruſalem. Hinc concluditur, nec mille paſſibus diſtare; nam eos ſex ſtadia non explent, ſed octo. Erat, vt Ioſephus lib. 6. Antiq. cap. 3. ſcribit: mons Oliueti ad orientem Hieruſalem ſitus; adeóque vrbi propinquus vt inter eam, & montem, vallis tantùm ſit, quæ appellatur Cedron, & torrenti nomen dedit. Cùm enim loca indicaret Ioſephus, in quibus Titus caſtra poſuit. *His*, inquit, *præceptum erat ſexto ab Hieroſolymis ſtadio caſtra ponere, qua in parte mons qui appellatur Elaon, ſiue oliuarum, contra ciuitatem ab Oriente ſitus eſt, altáque interiacente valle diſcernitur, cui nomen eſt Cedron*, &c. Vbi aduerte, non diſtare ex ſententia Ioſephi montem à ciuitate ſex prorſus ſtadiis, ſed ea parte tantùm, qua milites à Tito poſiti ſunt.

R. Akiba. R. Simeon, & Hillel. *Iudæi in ſabbatho vix montem pedes ad iter faciendum.*

Brocardus ait montem Oliueti diſtare 4 ſtadijs à Hieruſalem.

Cubitus ſeſquipes eſt. Eraſmi & Vatabli falſa opinio.

Bethania 15. ſtadijs diſtat à Hieruſalem. Ioan. 11.

Hieronymus.

Ioſephus.

Vallis Cedron interiacet inter montem Oliueti & Hieruſalem.

5. Verùm dicet quiſpiam; Vndenam Iudæi cognouerunt hanc vel illam diem ſabbathum eſſe, quo Dominus quieuerit ab omni opere ſuo? Reſpondeo, id ignoratum fuiſſe donec Moſes diem indicauit, Exod. 16. his verbis: *Requies ſabbathi ſanctificata eſt Domino cras*, &c. Quod annotauit Abulenſis quæſt. 3. in cap. 23. Leuit. & confirmat Philo lib. 1. de vita Moſis. *Cùm iamdudum*, inquit, *quæſiſſent, quis eſſet mundi natalis, quo hoc vniuerſum abſolutum eſt, rem à ſuis maioribus ignoratam tandem didicerunt, non ſolùm oraculo, verùm etiã argumento manifeſtiſſimo: videbant enim corrumpi, vt dixi, quidquid ſuperaret diebus cæteris; quod autem depluebat pridie ſabbathi, duplũ prouenire, duraréque in biduum*, &c. Nec obſtat Apoſtolus dicens, ad Hebr. 4. ſabbathum in honorem requiei Domini, ab initio orbis cõditi cœpiſſe celebrari: *Operibus*, inquit, *ab inſtitutione mundi perfectis. Dixit de die ſeptima: Et requieuit Deus die ſeptima, ab omnibus operibus ſuis*, &c. Enim verò ab initio ſeculi

Exod. 16.

Abulenſis. Philo.

Sabbathi diem Iudæi aliquando, ob idololatriam ignorarunt.

A culi ita factum eſt, vt ille ait: ſed Hebræi idololatriæ addicti, morem ſuorum maiorum intermiſerunt. Ignaris verò iam deſuetudine, opus fuit deſignari à Moſe verum diem ſabbathi.

6. Quæres quid ſit Luc. 6. *Factum eſt autem in ſabbatho ſecundo, primo*: D. Chryſoſtomus hom. 40. in Matt. ait, dici diem feſtum, qui continuò conſequebatur ſabbathum. Aptiùs interpretati ſunt Theophylactus & Euthymius, eam vocem, nempe ſabbathum, ſecundo primum appellari, cùm ſexta ſabbathi, ſiue paraſceue dies feſtus erat. Nam dies quos illa voce Lucas ſignificat, ſabbathum fuit, vt conſtat ex Matth. cap. 12. qui ea de re ait: *In illo tempore abiit* IESVS

B *per ſata ſabbatho*; præceſſit ergo illum diem alter dies feſtus, cuius comparatione hic dicitur ſecundo primus. Viſus eſt hic nodus difficilis D. Hieronym. in epiſt. 2. ad Nepotianum, ſic enim ait. *Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus rogatus à me, vt exponeret, quid ſibi vellet in Luca, δευτερόπρωτον. eleganter luſit: Docebo te*, inquiens, *ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris inuitus ſcire quod neſcis, aut certè ſi ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis.* Hæc ille. Cæterùm Theophylacti, & Euthymij interpretatio placet, nempe diebus azimorum contigiſſe, quod Lucas & Matthæus narrant. Phariſæi námque Apoſtolos accuſabant

C quòd ſpicas vellentes, & confricantes, grana comederent in die, quod propriè ſabbathum erat, idcirco enim dicunt: *Quid facitis, quod non licet in ſabbathis?* Eo anno (quod etiam accidit, quãdo Chriſtus paſſus eſt) ſexta ſabbathi primus fuerat azimorum dies, qui primum ſabbathum dicitur, id eſt, primus dies feſtus illius celebritatis; & ſabbathum ſequens ſecundum ſabbathum.

Luc. 6. Chryſoſt.

Theophyl. Euthym.

Matth. 12.

Sabbathum ſecundo primum apud Lucam.

Hieronym. Greg. Naz.

Theophyl. Euthym.

Myſtica interpretatio.

7. Quid ſabbathum myſticè ſignificet, vide apud Origenem homil. 23. in Num. Radulph. lib. 16. in Leuit cap. 1. Iſichium 23. & 26. Leuit. ſolùm aduerto ſabbathi requie lege Moſai-

D ca Iudæis inducta, illam quietem ſignificari, ad quam inter labores huius vitæ anhelantes ſuſpiramus. Eam Iudæi in ſuis ſynagogis imitabantur à laboribus feriati vacantes lectioni ſacræ ſcripturæ; vt conſtat Act. 13. *Ingreſſi*, inquit Lucas, *vnâ ſabbathorum, ſederunt*, nempe vt audirent lectionem legis, & prophetarum; tradunt enim Hebræi, & præſertim Elias in Tisbi, legem, ſiue pentateuchum pro numero ferè hebdomadarum anni diſtributam fuiſſe in ſectiones 53. quas vocant פרשית. *peraſoth*; quarum ſingulæ 136. verſibus conſtarent. Tempore Chriſti etiam ex prophetis aliquid legebatur, vt conſtat Luc. 4. ſed cur Iudæi ſedentes ſcripturam, nos verò

E ſtantes in miſſa euangelium audimus? An quia illis aperienda, nobis per Chriſtum aperta iam cæli eſt ianua? Quid in concionibus? ſedemus quidem hodie, dum interſumus; olim populus ſtans prædicationem audiebat, vt colligitur ex Aug. lib. 50. hom. in 26. & ſerm. 49. de diuerſ. & Conſtantium id obſeruaſſe teſtis eſt Euſeb. in illius vita cap. 33. Habet ergo populus Chriſtianus ſabbathum ſuum in lege gratiæ ſedens, quia quietem habet in fide, & ſtans quia paratus eſt in æternam ingredi requiem.

***

Origenes. Num. Radulphus. Iſychius.

Act. 13.

Elias in Tisbi.

Luc. 4. *Iudæi ſedentes ſcripturam audiunt, nos ſtantes euangelium in Miſſa.*

Olim populus ſtans audiebat concionem quod obſeruauit Conſtantinus. Euſebius. Auguſtinus.

De Neo-

De Neomenis, ſiue Kalendarum feſto,

ANNOTATIO II.

Quid ſignificet Neomenia.

1. DIes apud Hebræos primus cuiuſque menſis, feſtus erat; non quod ab opere ceſſare iuberentur: nec enim decebat; vt enim Ianus ait apud Ouid. 1. Faſt.

Tempora conſtitui naſcentia rebus agendis.
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.

Imò ſex naſcentis mundi dies. Deus operi ſuo deſtinauit, vt diſceremus per laborem ad requiē ſabbathi peruenire; ſed quòd Deum ritu quodam ſacrificiorum colerent 70. interpretes, Neomeniam vocant *νέος*, quod *nouum* ſignificat, & *μὴν μηνὸς, menſem*. Non autem, vt Lyr. cap. 28. Num. & Abulenſ. in cap. 13. Leuit. q. 5. putarunt, à *μείων*, quæ vox ſignificat *defectum*. D. Hier. cum ipſum diem, quem Hebræi caput, ſiue initium menſis, & 70. Neomenia, Kalendas vocat, quod Romani eo vocabulo vtantur. Non tamen erat idem apud Hebræos, & Romanos menſium principium, & finis. Vide Bedam in lib. de temporum ratione, cap 43. & Abulenſ. parte 2. Defenſorij cap. 14. & ſuper caput 23. Leuit. q. 19. Ex quibus colliges, vni menſi Hebræorum, qui lunationibus peragitur, non reſpondere, apud nos menſem alterum integrum, ſed quoad partem tantùm; vt patet nouæ lunæ ortum obſeruantibus. Nam primo eorum menſi, qui dicitur Niſan, reſpondet ferè pars Martij, & pars Aprilis, & ita accidit in cæteris.

Neomenia vnde dicta. Lyra. Abulenſis. D. Hieron. Neomenia ſunt Kalendæ. Beda. Abulenſis. Non idem erat principium menſis apud Hebr. & Rom.

2. Quæres, quænā ſit luna prima in ſcriptura ſacra; vtrúmne primam lunam intelligat cum apparere incipit, an diem primum, qui coniunctionem conſequitur? Reſpondeo, primam lunam, ſiue Neomenias, aut Kalendas, aut initium menſis tunc incipere, cùm primum luna a ſole relicta apparet, ac proinde, dum luna non apparet, quæ initium ſit ſequentis lunationis, durare idem menſis intelligitur. Non enim numeramus menſes illuminationis, ſed menſes coniunctionis, qui 29. dies continent, & 12. horas. Vnde alteri, viginti nouem tribuimus dies; alteri 30. vt annotant doctiores Aſtrologi, & Ribera lib. 5. de feſtis diebus Hebræorum cap. 2. Hodie Iudæi, cognito ex tabulis Aſtronomicis coniunctionis tempore, occidente ſole, aſcendunt in turriculas, & diligenter lunæ ortum ſpeculantes, vbi primum lucem oculis vſurpant, continuò tuba canunt, ſynagogis Neomeniam eo ſono ſignificantes.

Quid ſit luna prima? Ribera. Iudæi lunam nouam tuba ſonitu ſignificant.

3. Peragebatur ſolennitas Neomeniæ ob diuinæ gubernationis beneficium, ſicut ſabbathi celebritas ob beneficium creationis, vt ait Lyra ſuper illud Num. 28. *In Kalendis autem, &c. Ideò*, inquit, *fiebat in nouilunio, quia mutatio in iſtis inferioribus magis apparet ſecūdum innouationem lunæ, quàm temporibus aliis*. Hæc ille. Certè ethnicorum mira fuit etiam lunationum obſeruatio: Hinc eorum dies quoſdam felices, quoſdam infelices agnoſcebant. Vnde poëta 1. Georg.

Lyra. Num. 28. Dies felices apud ethnicos. Virg. Geor. 1.

Ipſa dies alios alio dedit ordine luna:
Felices operum. quintam fuge. Pallidus orcus
Eumenidéſque ſatæ: tum partu terra nefando
Cœúmque Iapetúmque creat ſæuúmque Typhœa.
Et coniuratos cœlum reſcindere fratres.

Et infra.

Septima poſt decimam felix & ponere vites
Et prenſos domitare boues, & licia telæ
Addere. Nona fugæ melior, contraria furtis. &c.

Rationem reddit Lyra. ſuprà citatus, cur potius feſtus dies eſſet nouilunium, quàm plenilunium. *Ideò* inquit, *celebratur hoc feſtum in nouitate lunæ, non autem in eius plenitudine, ad euitandum idololatrarum cultum, qui in tali tempore lunæ ſacrificabant.* &c. Vide etiam D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10.

Lyranus. Idololatræ ſacrificabant in plenilunio, Deo in nouilunio. D. Thom.

4. Offerebant in Neomenia ſacrificium Deo, vt numine placato, felix eſſet menſis principium, & exitus; addebatur tubarum clangor ad excitandam lætitiam, & populi ad preces fundendas alacritatem: vt conſtat ex Num. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & Kalendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordationem Dei veſtri.* Ad hanc celebritatem menſtruam, hortatur Regius vates Iſraelitas, Pſa. 80. *Buccinate*, inquit, *in Neomenia, tuba: in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Quia præceptum in Iſrael eſt*, &c. In vocabulo tubæ, hyſterologia eſt, Tuba buccinate, ſiue buccina clangite in Neomenia, ſiue nouilunio. Aliqui hunc locum pſalmi aſtringunt ad Neomeniam Septembris, ſiue Tizri; hoc eſt ad feſtum tubarum, Leuit. 23. Quia hæc erat Neomeniarum potiſſima, & ob adiunctum feſtum tubarum maximè claſſica. Verùm de cunctis Neomeniis præceptū hoc intelligitur, Num. 10. Imò & Moadim, id eſt, ſolennitatibus ſex; Paſcha menſe Nizan, Martio: Pentecoſte in Siuan, Maio: Tubarum, expiationum, Tabernaculorum, & octauæ Taber. in Tizri, id eſt, Septembri. Videtur tamen præcipuè referri ſententia verſiculi Dauid ad ſolennitatem, quæ in fonte dicitur Kaſa, hoc eſt, *vmbraculum*, ſiue tegmen, vt ſolennitatis vox ſignificet Feſtum tabernaculorum, quando Iſraelitæ ſub frondibus agebant in memoriam habitationis deſerti. Chald. legit, *In tegmine ſolennitatis veſtræ*. Nam vmbraculis tecti illam agitabāt, tubis interim, & buccinis perſonantibus ob alia ſacra. Sacerdotes namq; perflabant tubas; atque eas quidem ſuper holocauſtis, & pacificis, vt eſſet ipſorum coram Domino recordatio. Num. 10. Corneas autem ſupra templi pinnam, ſiue tectum, *παστοφόριον* vocat Ioſephus lib. 4. de bello, cap. 34. ſicut nos hodie cymbalis æreis, ad cœtum hominum congregandum.

Num. 10. Pſal. 80. Hyſterologia. Neomenia Septembris celebrior erat. Leuit. 23. Num. 10. Verſ. Buccinate in Neomenia refertur potiſſimum ad feſtum tabernaculorum. Argentea tuba & cornea quid? Ioſephus.

Myſtica interpretatio.

5. Significationem Neomeniæ myſticam exponit Orig. hom. 23. Num. cuius verba ferè repetit Gloſſa in cap. 28. Num. ad hunc modum. *In Kalendis, id eſt, in Neomeniis, cùm Eccleſia, vel quælibet anima ſoli iuſtitiæ ſic appropinquat, vt vnus ſpiritus cum eo fiat, & per ipſum innouata veterem hominem abiiciat, tunc feſtiuitatem Neomeniæ agit Pſal. Accedite ad eum, & illuminamini*, &c. Naz. in oratione de Nati. Chriſti. Suadet vt ad Deum accedamus, vt purgans nos, deiformes efficiat, & nos alloquatur Deus, Diis vnitus, &c. Sic cùm vota renouamus, quia Deo magis aſtringimur, celebritatem agere debemus, quia diuino ſoli magis appropinquamus, & luce complemur.

Origen. Gloſſ. Num. 28. Nazian. de Nati. Chriſti. Renouatio votorum inſtar Neomeniæ.

*

De feſto Pentecoſtes, ſiue hebdomadarum.

ANNOTATIO III.

Pentecoſte dicitur feſtum hebdomadarum.

1. AGENDVM hîc erat de Paſchatis feſto, ſed conſultò illud diſtulimus in finem huius tractationis. Pentecoſte igitur, de qua nunc agimus, id eſt, quinquageſima: ſolennitas erat apud Hebræos, quæ à numero quinquaginta dierum, quibus perficitur, nomen accepit. Dicitur etiam Deut. 16. Feſtum hebdomadarum à ſeptem integris hebdomadibus, quibus conſtat, iuncta monade, id eſt, vnitate, vt ait Cypr. in orat. de Spiritu ſancto. De hac ſolennitate, Leuit. 23. ita habetur. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino*, &c. Vides celebrari Pentecoſten, menſe tertio; Nam à 16. die menſis primi, qui erat ſecundus azymorum, quindecim dies ſuperſunt; quibus addendi ſunt 29. menſis ſecundi, & ſex tertij, vt Pentecoſte ſiue quinquageſima expleatur.

Conſtat 7. hebdomadis & monade. — *Cyprianus.* — *Leuit. 23.*

2. Hinc intelliges, in Dominica noſtræ Pentecoſtes, quæ proximè conſecuta eſt paſcha Iudæorum, impleri hunc numerum; vnde dictum eſt à Luc. Act. 2. *Dum complerentur dies Pentecoſtes.* Eo námque anno, ſabbathum fuit ſecundus azymorum dies; à quo, vſque ad ſabbathum ſeptimæ hebdomadæ 49. dies numerantur. Dominica ergo quinquageſima fuit, ſiue Pentecoſte. Quare noſtra Pentecoſte, quæ illo anno antiquæ ſucceſſit, non à die paſſionis ducitur, aut, ſicut poſt decretum Nicenæ ſynodi, à die reſurrectionis, quæ celebrari iubetur die Dominica, quæ proximè ſequitur decimamquartam lunam primi menſis (quod factum eſt, ne cum Iudæis conueniamus, ſi fortè dies decimæquartæ lunæ in diem Dominicam incideret) ſed ab eodem die, quo à Iudæis, hoc eſt, à ſecundo azymorum, vſque ad quinquageſimum, in quo in Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendit.

Act. 2. Pentecoſte implevit Dominica noſtra.

3. Venerationi erat dies hic Iudæis quinquageſimus ob memoriam legis à Deo acceptæ, die, ab exitu Iſrael de Ægypto quinquageſimo: Nobis, propter acceptam legem gratiæ, Spiritus ſancti excitatione, & ductu, non in vno populo, ſed toto orbe promulgandam. Abulenſ. q. 10. in cap. 19. Exodi multis confirmat legem Hebræis non fuiſſe datam die quinquageſimo, ſed potius 48. id eſt, tertio die poſt eorum in ſolitudinem Sinai aduentum: qui aduentus incidit in 45. vt ipſe putat. Communis tamen ſententia eſt die 50. datam legem. Ita Hieron. in epiſt. 127. ad Fabiolam, Manſione 12. Auguſt. quæſt. 70. in libr. Quæſt. in Exod. & lib. 2. de Trinitate cap. 15. Lyra. & Caiet. in cap. 19. Exod. & ferè omnes ſacri interpretes: imò & Hebræi. D. Hieronym. loco citato verba ſunt: Ad hunc locum quadrageſimo ſeptimo die peruenerunt dicente ſcriptura. *Menſe tertio egreſſionis filiorum Iſrael de Ægypto in die hac tranſierunt in ſolitudinem Sinai.* Deinde addit: ſupputemus numerum, & inueniemus quinquageſimo die egreſſionum Iſrael de Ægypto in vertice montis Sinai legem datam. Vnde & Pentecoſtes celebratur ſolennitas, & poſteà Euangelij ſacramentum in Spiritus ſancti deſcenſione completur, &c.

Lex die 50. data. — *Refutatur Abulenſ.* — *Hieronymus.* — *Auguſt.* — *Lyra. Caietanus. Hieron.*

4. Varia tamen eſt ratio computandi quinquaginta hos dies. Mihi certum eſt, eos numerandos eſſe à die egreſſionis; ita tamen, vt ipſe dies, in quo exierunt, qui fuit decimus quintus, idémque primus azymorum expungatur, & à 16. ducamus initium vt rectè Caietan. & alij admittunt. Quod verò Hieronym. in cap. 5. Oſeæ veniſſe eos affirmat 45. die in ſolitudinem Sinai, id iure correxit in epiſtola ad Fabiolam cum dixit, quadrageſimum ſeptimum eſſe. Hinc intelliges, non poſſe defendi dictum Lippomani, qui Hebræos ait prima die menſis tertij veniſſe in Sinam; eamque diem facit poſt egreſſioné de Ægypto quadrageſimam ſeptimam. Illud etiam concluditur, omnes, (ſi vnum excipias Abulenſ. quem tamen ego non excipio, nobiſcum enim conſentit, Leuit. 23. quæſt. 12. ſententia mutata) licèt in modo numerandi varij ſint, conuenire tamen in numero 50. dierum.

Quinquaginta dies Pentecoſt. numerantur à die egreſſionis ex Ægypto, ex puncto 15. qui eſt primus azymorum. — *Lippomanus.* — *Leuit. 23.*

5. Abſoluitur hæc celebritas vno die. Licèt enim Moſes multis diebus fuerit in monte cùm legem à Deo dictatam ad ſuos pertulit, ſolennitas tamen in memoriam ſolùm agitur illius diei, qui vnicus fuit, quo Dominus deſcendens in montem Sinai legem dedit, vt patet Exod. 19. *Iámque aduenerat tertius dies, & manè inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura*, &c. Et ex Moſe Ægyptio, lib. 3. ductoris dubiorum cap. 44. ſic enim ait. *Illa verò manifeſtatio grandis, & honorabilis, non fuit niſi vna die, & ita memoria eius ſingulis annis agitur vna die*, &c. In hoc feſto non abſtinebant Iudæi ab omni opere, ſed à ſeruili tantùm vt dicitur Leuit. 23. *Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque ſanctiſſimum: omne opus ſeruile non facietis in eo.* Quare ſpicas triticeas metebant, quas Deo primitias offerrent, panibus ex illis duobus factis. *Offeretis*, inquit, *ſacrificium nouum Domino*, &c. *Panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* Decimas autem intelligit menſuræ Oephi, quæ eſt decima cori pars, ac tres continet modios. Corus enim triginta recipit vt cõſtat ex Ezech. 45. Quatuor auté libras ſinguli panes pendebant. Vide Ioſephum lib. 3. Antiquit. cap. 10. vbi de numero dierum, & victimarum agit; vocátque ſacrificium nouum, nouos panes qui præter victimas ad ſacrificium pertinebant, & fermentati erant, quia in cibos ſacerdotum cedebant, nec vlla eorum pars in Dei honorem cremabatur: ſoli namque azymi holocauſto ſeruire poterant: Leuit. 2. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fit, nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in ſacrificio Domini:* Deinde id, quod, nunc fieri præcipit, ita excipit. *Primitias tamen eorum offeretis, ac munera ſuper altare verò non imponentur in odorem ſuauitatis.*

Celebritas Pentecoſtes apud Iudæos abſoluebatur vno die. — *Exod. 19.* — *Moſes Ægyptius* — *In Pentecoſte à ſolo opere ſeruili abſtinebant Iudæi.* — *Leuit. 23.* — *Corus, id eſt, modij 30. Oephi.* — *Ezech. 45. Singuli panes 4. libras pendebant.* — *Ioſeph.* — *Leuit. 2. Excluditur mel à ſacrificio.*

Myſtica interpretatio.

6. De myſtico ſignificatu Pentecoſtes Orig. hom. 23. in Num. *Poſt hanc*, inquit, *ſequitur ſexta feſtiuitas, quæ dicitur Nouorum, id eſt, cum primitiæ de nouis fructibus offerunt. Vbi enim ſeminatus fuerit ager & diligenter ex cultus, atque ad maturitatem peruenerit ſeges: tunc fructuum perfectione feſtiuitas Domini geritur. Si ergò & tu vis Nouorum diem feſtùm agere cum Domino, vide quomodo ſemines, aut vbi ſemines, vt poſſis tales metere fructus, ex quibus lætari facias*

Origenes. — *Quid myſticè ſit, nouorum diẽ celebrare.*

Deum;

Gal. 6.
Iſai. 2.

Deum; & agere diem feſtum quod aliter implere non poteris, niſi audias Apoſtolum dicentem Gal. 6. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Si ſic ſemines, & ſic metas, verè diem feſtum ages Nouorum.* Fuit hæc celebritas, nouæ legis typus, de qua prædictum erat. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Duo panes, ſunt duo populi, Hebræus, & gentilis qui Deo offeruntur; de ſegetibus, quas Chriſtus dixit albas eſſe ad meſſem. Poſſunt etiam dici duo panes, duæ oblationes quæ in lege noua Deo fiunt ex fide & operibus bonis. Hæc, qui Deo offert, feſtum Nouorum agit, id eſt, nouæ legis, quæ tota, fide, & operibus innititur. Præcedunt quidem lacrymæ hoc feſtum, & labores; ſed præmium lætitiæ illud conſequitur; vnde Pſalm. 125. canit Regius vates. *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*, id eſt, opera; *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos* id eſt, manipulos præmiorum inſignium. Metaphora ducitur ab agricolis, qui ſæpe in labore, & tempore ſationi incommodo, ſeminare coguntur: poſteà tamen exultant ob vim magnam frugum. Aug. refert ad vitam æternam. *Qui in hac vita*, inquit, *plena lacrymarum ſeminant bona opera, metent fructum æternæ beatitudinis* Arnobius ad Dei gratiam, & peccatorum remiſſionem. *Si lacrymis*, inquit, *pœnitentiæ ſeminauerimus, fœcunda ſine dubio meſſis indulgentiæ nobis orietur. Victimæ ſunt martyres quidam magiſterio clari; ac propterea arietibus, qui duces gregis ſunt, comparati alij potentes in ſæculo, & vitulis ſignificantur: alij peccatis obſtricti, & hircorum ſimiles; ad expiationem culpæ, ſanguinem fuderunt.* Eſt autem numerus quinquagenarius perfectæ remiſſionis, vt annotauit Hier. copioſè lib. 2. in Iſaiam; & oſtenditur ex Pſalm. 50. Et ex quinquageſimo Iubilæi anno, quo omnia condonabantur debita. Leuit. 25 Radulphus lib. 16. in Leuit. cap. 4. in duobus primitiarum panibus Dei, & proximi amorem ſignificari arbitratur.

Duo panes oblati Deo in Penteceſte ex primis frugibus, ſunt duo populi.
Lætitia poſt lacrymas.
Pſalm. 125.
Auguſt.
Arnobius.
Numerus quinquagenarius eſt perfectæ remiſſionis
Hieronym.
Pſalm. 50.
Leuit. 25.
Radulph.

De ſolennitatibus menſis ſeptimi, videlicet Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, Cœtus, ſiue Collectæ.

ANNOTATIO IIII.

Origen.

1. ORIG. hom. 23. in Num. de ſeptimo menſe ita ſcribit. *Sicut inter dies, ſeptimus quiſque obſeruatur, ſabbathumque eſt & feſtiuitas: ita etiam, inter menſes, ſeptimus quiſque menſis ſabbathum eſt menſium. Agitur ergò in eo feſtiuitas, quæ dicitur ſabbatha ſabbathorum, & fit in die prima menſis, Tubarum memoria*. &c. Erat hic menſis quatuor feſtiuitatibus apud Hebræos ſacer, Tubarum ſcilicet, Expiationis, Tabernaculorum, & Cœtus ſiue Collectæ. Vnde hic menſis totus dicatus dicitur ab Orig. feſtiuitati ſeptimorum. Primus dies menſis, & Neominæ (de qua ſupra Annot. 2. egimus) & Tubarum honorē habebat. Conſentiunt noſtri cum Hebræis affirmantibus, Tubarum ſolennitatem in memoriam inſtitutam eſſe illius beneficij, quo Deus Iſaac liberauit ne à Patre immolaretur accepto in ſubſtitutionem humani ſacrificij ariete, vt dicitur Geneſ. 22. Quia verò arietem cornibus hærentem vepribus Abraham inuenit, hodie feſtum hoc cornu vocatur Iudæis, & tubis corneis clangentibus peragitur. De hac ſolennitate ita præcipitur Leuit. 22. *Menſe ſeptimo prima die menſis erit vobis ſabbathum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur Sanctum. Omne opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino*, &c. Sabbathum vocat ipſam ſolennitatem, ſiue requiem vt vertunt 70. Pro, memoriale clangentibus tubis, in Hebræo eſt. *Memoriale clangoris*. Ob quam cauſam Hierony. quod verterat prius clangentibus tubis, Num. 19. vertit, *clangoris, & tubarum:* Sic enim legimus. Quia dies clangoris eſt, & tubarum. In fonte eſt, תרועה. *Teruah*, id eſt, clangoris 70. transferunt μνημόσυνον σαλπίγγων, id eſt, *memoriale tubarum*. Quoniam verò clāgor tubarum communis erat nouilunijs, cum reliquis feſtis, per memoriale tubarum; diem feſtum tubarum peculiarem interpretamur. Et ſicut in alijs celebritatibus erat eorum recordatio coram Domino, id eſt, Deus illorum recordabatur, vt tanquam filijs obedientibus diuinis mandatis, benefaceret clangentibus tubis, vt ſignificatur Num. 10. ita cùm in Kalendis menſis ſeptimi, canebāt tuba cornea Iſaac liberationem repræſentantes, Deus illorum memor erat, vt eos omni morte, & periculis liberaret, ſicut olim Iſaac ab imminenti ictu gladij eripuerat. Sacrificia, quæ offerenda ſimul erant Deo, habes Num. 29.

Menſis Septimus ſacer erat 4. feſtis.
Pro Iſaac ſubſtitutus eſt aries in ſacrificium. Geneſ. 22.
Leuit. 22.
Feſtum tubarum corneis tubis agebatur
Num. 19.
Sept. Interp.
Num. 10.
Feſtum Tubarum celebrabatur Iudæis in ipſo liberationis periculo, ſicut Iſaac liberatus fuit.

Myſtica interpretatio.

2. Myſtica interpretatio feſti Tubarum eſt apud Orig. hom. 23. in Num. Ait enim, eum celebrare tubarum feſtiuitatem, qui memoriæ mandare poteſt Euangelicas, atque Propheticas ſcripturas. Deinde addit. *Si quis poteſt in gratia illius ſancti Spiritus promoueri, quibus inſpirati ſunt prophetæ, & pſallens dicere: Canite initio menſis tuba, in die inſigni ſolennitatis veſtræ, & qui ſcit in pſalmis iubilare, is dignè agit ſolennitatem tubarum.* Rodulph. in præfat. lib. 17. in Leuit. ſeptimo menſe, tempus gratiæ, & fidei intelligi putat; *In quo*, inquit, *ſeptem ſpiritus Dei iuxta* Apoc. 5. *miſſos eſſe in vniuerſam terram ſcriptum eſt. Vidi*, inquit, *agnū ſtantem tanquam occiſum habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Templum quoque Salomonis ſeptem annis, & ſeptem menſibus conſtructum fuit. 3. Reg. 6. Septem etiam menſibus fuit Arca Dei, in regione Phyliſtinorum, 1. Reg. 6. colligit tandem, ſolennitatem tubarum figuram fuiſſe lætitiæ, quæ futura erat in conuerſione gentium, ad ſonitum videlicet Apoſtolicarum tubarum. De qua Pſalm. 97. *Pſallite Domino in cithara, & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ* id eſt, metallicis, & corneis, & alijs inſtrumentis lætitiam prædicatione Euangelij allatam teſtamini; ablegato torpore & faſtidio (inquit Genebr.) Iſychius ad legem etiam gratiæ typum refert; *Omne*, inquit, *opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino.* Non eſt enim tam tempus opera ſeruilia agendi: *quia ſufficit præteritum tempus ad voluntatem Gentium, in quo geſta ſunt opera ſeruilia*, &c. Potiſſimum Charitatis opera cum hilaritate exercenda ſunt, ſine tubis Iudaicis. Greg. in Paſtorali: *Charitatis, & pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto occultiora De quibus apud Deum eo maior ſit retributio, quò apud homines minor eſt gloria.*

Orig.
Rodulph.
Apoc. 5.
3. Reg. 6.
1. Reg. 6.
Feſtum tubarum fig. lætitiam futuræ in conuerſione gentium ad ſonitum Apoſtolorum.
Genebr.
Iſychius.

De al-

De altera celebritate menſis Septembris, hoc eſt, *de die expiationis.*

ANNOTATIO V.

Feſtum expiationis in memoriam peccati remiſſi, quando adoratus eſt vitulus.
D. Thomas.
Lyranus.

1. DIVVS Thomas prima ſecundæ quæſt. 102. art. 4 ad 10. affirmat, feſtum expiationis celebrari in memoriam illius beneficij, quo Deus precibus Moſis placatus, remiſit peccatum vituli à populo adorati: Addit Lyra ſuper cap. 23. Leuit. ideò celebrari 10. die menſis ſeptimi, quia tunc deſcendit Moſes de monte, portans in ſignum propitiationis diuinæ ſecundas tabulas. Quam editionem videtur ſumpſiſſe ex Hebræorum traditione: Solennitas ipſa vocatur ab Hebræis, כפרים. *Chiphurim*, hoc eſt, *expiationum*, à verbo, כפר. *Chipher*, quod ſignificat *placare*, ſiue *propitiare*, *& expiare peccatum*. Deo námque placato remittitur peccatum, Exod. 24. *Qui aufers iniquitatem, & ſcelera.* Et infrà: *Et auferas iniquitates noſtras, atque peccata, noſque poſſideas*, &c. Vnde eadem eſt vnius rei ſignificatio, cùm feſtum expiationis, aut propitiationis nominamus. In Hebræo pluralis numeri eſt, כפרים. *Chiphurim*, apud Sept. ſingularis: Dicunt enim dies, ἐξιλασμοῦ, id eſt, *expiationis*, ſiue *propitiationis*, à verbo ἐξιλάσκομαι, quod eſt, *propitiare*, *& expiare peccata*. Videtur ſumi vocabulum ab expiatione delicti, quo populus vitulum adorauit, Exod. 32. & ab expiatione, quæ hoc die peragebatur ieiunio populi, & ſacrificiis, erátque populus in hac ſolennitate præparatus peculiariter ad Dei veniam promerendam per pœnitentiam, ſicut hodie Chriſtiani in quadrageſima.

Exod. 24.
Secunda tabulæ datæ à Moſe fuerunt ſignum reconciliationis diuinæ.
Exod. 24.
Populus ad veniam paratus, ſicut in quadrageſima.
Leuit. 23.

2. De hac die legimus, Leuit 23. *Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus. Affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. Omne opus non facietis in tempore diei huius*, &c. Dictum eſt: *Affligetis animas veſtras*, ob ieiunium omnibus indictum eo die vſque ad veſperam, vt ait Ioſephus 3. Antiquit. cap. 10. Hæc enim erat illius populi potiſſima afflictio: quamuis vt Iudæi tradunt abſtinendum erat etiam à potu eodem die, ab vxoribus, à balneis, abiiciendíque erant à pedibus calcei. A veſpera autem diei noni ducebatur hic ritus ieiunij, vſque ad veſperam diei decimi, ſic enim habet ſacer contextus: *Et affligetis animas veſtras die nono menſis, à veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra.* Dicitur celeberrimus hic dies, quia peculiare erat ſabbatho, & diei expiationum, vt nihil operis in eis fieret. adeò, vt nec cibos parare Iudæo liceret. In cæteris feſtis parari, quæ ad victum pertinerent, nulla lex vetabat. Erant etiam apud Ethnicos quædam opera in diebus feſtis interdicta, non tamen tam arcta religione, quanta erat apud Iudæos in die ſabbatho, & expiationum. Sic enim ſcribit Poeta latinus.

In ieiunio expiationum abſtinendum à cibo, à potu, ab vxoribus, à balneis, à calceis.
In ſabbatho, & die expiationum parari non poterat, quæ ad victum neceſſaria ſunt in aliis feſtis poterant.
Virg. Georg. 1.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas, & iura ſinunt, riuos deducere, nulla
Religio vetuit: ſegeti prætendere ſepem:
Inſidias auibus moliri: incendere vepres:
Balantúmque gregem fluuio merſare ſalubri.

Leuit. 16.
Expiatio quomodo per Pontificem agebatur.

Hæc expiatio per Pontificem agebatur, Leuit. 16. *Expiabit autem ſacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius manus initiata ſunt, vt ſacerdotio fungatur pro patre ſuo: indueturque ſtola linea, & veſtibus ſanctis; & expiabit ſanctuarium, & tabernaculum teſtimonij, atque altare: ſacerdotes quoque, & vniuerſum populum*, &c. Hoc tantùm die Pôtifex in ſanctum ſanctorum (vt in eodem capite dicitur) introibat; expiabatque ſacerdotes reliquos, & populum.

In die expiationis ſolùm ſuerat Pontifici ingredi ſancta ſanctorum.

Abulenſis.
Holocauſtum in die expiationis.

Iubetur in hoc feſto fieri holocauſtum: Abulenſis interpretatur duplex genus ſacrificij, ſcilicet vnum vitulum pro ſacerdote, & familia ſua; & duos hircos ablatos à populo pro expiatione peccatorum. Vtrumque peragebatur magna cum humilitate, & cordis contritione. Id ſignificat, *Affligetis animas veſtras.* Oportebat ab omni voluptate abſtinere. Maioris enim culpæ erat parare cibos in hoc feſto, quàm paratos comedere. Vitulus & duo hirci pro peccato comburebantur, &c. Nihil in hoc ſacrificio offerebatur in vſus ſacerdotum, aut populi: nihil enim relinqui debet in die expiationis. Quidquid peccati eſt abſumi per pœnitentiam debere, huiuſmodi immolatio ſignificat.

Myſtica interpretatio.

Origenes.
Dies feſtus vocatur afflictio animæ.

3. Myſtica huius diei interpretatio eſt apud Origenem hom. 23. *O mira*, inquit, *feſtiuitas! Dies feſtus vocatur afflictio animæ. Vide ergo, ſi vis diem feſtum agere, ſi vis, vt lætetur Deus ſuper te, affige animam tuam, & humilia eam.* Et infra. *Denique paſcha feſtiuitas, & azymorum, panem afflictionis habere dicitur, nec poteſt quis agere diem feſtum, niſi afflictionis panem manducauerit: & manducauerit paſcha cum amaritudine. Hoc ergo depoſcit etiam propitiationis dies: Cum enim afflicta fuerit anima, & humiliata, tunc ei repropitiatur Deus*, &c. Præcedit expiationem feſtum tubarum; hoc eſt, euangelij prædicatio. Prædicato enim euangelio, continuò ieiunia, vigiliæ, cilicia, atque omnes animæ afflictiones inter lætitiæ dies numerari cœperunt. Huius prædicationis tuba prima fuit illa vox Matt. 3. *Pœnitentia agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Tuba etiam fuit ille ſonus ad Galat. 5. *Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Decimo autem die peragitur hoc expiationis feſtum; quia ex decem mandatorum obſeruatione proficiſcitur expiatio ſcelerum. Vincitur tunc ille draco, de quo Apoc. 12. *Et viſum eſt aliud ſignum magnum in cælo, & ecce draco magnus ruffus, habens capita ſeptem, & cornua decem*, &c. Vbi diabolus intelligitur, & draco dicitur ob venenum, quo animas occidit. Cornua decem arma ſunt aduerſus decalogum, &c. *Omne opus non facietis in eo* (inquit Deus) Num. 19. additur, *ſeruile*, quæ tamen additio adhiberi debet pro non oppoſita; ſiquidem vt melius, & purius Deo ſeruiatur, etiam paratio ciborum, quæ neceſſaria eſt, nec opus ſeruile communiter dici ſolet, interdicitur Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus?*

Feſtum tubarum præcedit expiationem, quia ex prædicatione euangelij oritur pœnitentia, &c. quæ cœpit inter lætitiæ dies numerari.
Matth. 3.
Galat. 5.
Apoc. 12.
Num. 19.
Matth. 6.

De Tertia celebritate menſis Septembris, hoc eſt, *Tabernaculorum, ſiue ſcenopegia.*

ANNOTATIO VI.

1. INSIGNIS apud Iudæos fuit hæc ſolennitas, & tertia, in qua, vt dicitur Deut. 16. omnes

Deut. 16.

maſculi Hieroſolymam venire compellebantur: ab Hebræis dicitur חג הסכות. *Hagh ſuccoth.* Feſtum Tabernaculorum. Vocatur etiam σκηνοπηγία, à figendis tabernaculis Vnde barbariem ſecutus eſt ſine dubio ſui ſeculi Abulenſis ſuper Leuit. cap. 23. legens, *ſcenophegiam*, pro, *ſcenopegia*. Simile eſt quod ſcribit Radulphus lib. 17. in Leuit. cap. 3. φάγω, *comeſtionem* ſonare, & inde dici *ſcenophegiam*, quaſi *publicam*, ſiue, *communem comeſtionem*.

Abulenſis. Leuit. 23.
Radulphus.

2. De hoc feſto ita legimus Leuit. 23. *A quinto decimo die menſis huius ſeptimi, erunt feriæ tabernaculorum ſeptem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque ſanctiſſimus. Omne opus ſeruile non facietis in eo, & ſeptem diebus offeretis holocauſta Domino*, &c. Primus dies ſanctus dicitur, ideóque ab omni opere feriandum erat, nec tamen ſeptimæ diei idem honor deferebatur, quoniam dies ſequens, qui cœtus, ſiue collectæ dicebatur, ſanctus futurus erat. Prouidit autem legiſlator, ne diem, quo ab opere ſeruili vacatio erat, conſequeretur alius ſimilis. Id enim populo, præſertimq́; pauperibus graue, & incómodum erat. In azymis quidem ſeptimus dies azymis erat dicatus, cœtui, atque collectæ: in tabernaculis non item: feſtiuitas omnique collectæ in octauum diem differebatur.

Leuit. 23.
Feriæ Tabernaculorum.
In feſto tabernaculorum collecta ſolennitas in octauum diē differebatur.

3. Quæris, quæ forma tabernaculorum fuerit? puto non aliam, quàm fuerit apud veteres, & qualem populus habuit, iter faciens per deſertum: E lignis videlicet, linteis, pellibúſque confecta, vt æſtus, pluuiæque arcerent iniurias. In lignis enim, quæ pro columnis erigebantur, inſerti erant annuli, quibus funes annectebantur; & clauis inſuper humi affixis, tentoria firma erant. Cùm audis Act. 18. *Erant autem ſcenofactoriæ artis*, &c. Paulum intellige huiuſmodi tabernaculorum fuiſſe artificem. Non eſt tamen negandum fieri etiam multa tabernacula ſolenne fuiſſe ex arborum frondibus, præſertim à pauperibus, qui pretioſis carerent, & pellitis tabernaculis. Imò Abulenſis quæſt. 24. Leuit. 23. agens de loco, in quo fiebant tabernacula; ait, moris fuiſſe, ea fieri extra domos, vel in aliquo loco ſub dio ex ramis arborum; quoniam Hebræi quadraginta annis habitauerunt in ſolitudine, non in domibus, ſed in vmbraculis ſub arboribus. Rem ipſam ex Neh. nouimus, cap. 8. *Egreſſus eſt*, inquit, *populus, & attulerunt, feceruntq́; ſibi tabernacula, vnuſquiſque in domate ſuo, & in atriis ſuis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim*, &c. Conſtat igitur eos in domatibus, hoc eſt, in tectis domorum, & in aliis locis apertis intra vrbem erexiſſe tabernacula. Non ſunt egreſſi extra vrbem, & ferè contingebat aliis annis ob multitudinem populi vndique confluentis (vt refert Ioſephus 3. Antiquit. c. 10.) quia & pauci erant tempore Nehemiæ, & hoſtes è vicino pugnabant, nec fas erat ab vrbe egredi.

De forma tabernaculorum, materia, & loco.
Act. 18.
Abulenſis. Leuit. 23.
Nehem. 8.
Pleraque tabernacula ex ramis fiebant: alia pellita tantũ, &c.
Domata ſunt aperta domorum tecta.
Ioſephus.

4. Quare veriſimile non eſt, quod Abulenſis vult, totam materiam tabernaculis conſtruendis fuiſſe ex ramis arborum, cum multæ ſyluæ tantæ multitudini poſſent ſufficere. Pleraque fuiſſe non inficior, omnia non concedam, cum ſacræ literæ, in locis, in quibus de tabernaculis agunt, vt Exod. 26. Gen. 12. moueri ea, aut tendi, aut figi referant. Hinc Habac. 3. à parte totum, per ſynecdochen, ſignificans, pelles vocauit tentoria. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian*. Et Cant. 1. pellium fit mentio quæ cùm tabernaculum Salomonis extrinſecus tegerent, ſole & pluuia infuſcabantur. *Nigra ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*. Et Iſai. 54. *Dilata*, inquit, *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas*: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Et Ioſephus lib. 3. Antiquitatum: σκηνὰς πήγνυσθαι κελεύει, κατὰ οἰκίαν ἕκαστον, hoc eſt, *Tabernacula figi iubet vnicuique ſecundùm familiam*.

Non fuerunt omnia tabernacula ex ramis inſtructa.
Exod. 26.
Gen. 12.
Habacuc. 3.
Cant. 1.
Iſai. 54.

5. Idem eodem capite decimo exprimit, præcipi Iudæis in hac ſolennitate manibus ferre, quatuor arborum ramos, myrti, ſalicis, palmæ, citri, illius verba ſunt: εἰρεσιώνην ἐν ταῖς χερσὶ φέροντας ἐκ μυρσίνης καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένους, τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος. Quæ verba ita transfert Latinus interpres: *Vtq́; in manibus portarent ramos myrti, ſalicis, & ſummitates palmarum, & virgulas mali perſici*, &c. Rectè verteres: *Ferentes manibus ramum myrti, & ſalicis cum ramo palmæ elaborato: adeſt & malum; quod Perſea eſt*. Hæc ille. Per malum Perſeæ intellige ramos arboris perſicæ, quam aliqui Citrum vocant, eo præſertim quia (vt author eſt Dioſcorides lib. 1. cap. 121.) mala citrina vocari ſolent mala medica, & mala Perſica: de quibus ita Virgilius arborem citrinam in Italiam à Media translatam deſcribens:

Iudæi in ſolennitate tabernaculorum 4. arborum ramos in manibus ferebant.
Mala citrina.
Dioſcorid.
Virg. 2. Geor.

Ipſa ingens arbos, faciémque ſimillima lauro;
Et ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis.
Flos apprimè tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

6. Sanè Chaldæi interpretis expoſitio, ſiue paraphraſis vbi nos legimus Leuit. 23. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ*. ſic vertit: *Sumetiſq́; vobis die primo fructum arboris citri*. Vnde quando Hieronymus Zach. 4. arborem pulcherrimam in Leuit. à Iudæis, cedrum intelligi ait; nomine Cedri, fortè citrum intelligit, cedro in pulchritudine ſimilem. Nam & Virgilius lauro, arbori videlicet Italis valde cognitæ ſimilem eſſe affirmauit. Fauet Dioſcorid. lib. 1. cap. 131. vbi de malis loquens: Ea (inquit) quæ medica dicuntur, aut Perſica, aut cedromela, quaſi mala cedri dictum eſt. Additur cap. 23. Leuit. *Sumetiſq́; vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatuláſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro*, &c. Arbor denſarum frondium myrtus eſt, vt Chald. vertit; Sept. vertunt Arboris denſæ. Propterea autem arbores pulchræ, & optimæ aſſumuntur, quia non ſolùm primo die, ſed etiam ſecundo & víque ad ſeptimum, celebritas, illis viriditate ſua oculos exhilarantibus peragebatur. Cur autem hæ potiſſimum arbores electæ ſint, explicat Moſes Ægypt. lib. 3. ductoris dubiorum cap. 44. Summa eſt, quia voluit Deus, vt qui de Ægypto exeuntes in deſerto ſterili, & abſque frugum, aut aquarum opportunitate verſari diu ſunt; agnoſcerent in illis arboribus, quæ erãt in terra Chanaan, ad quam Deus illos tranſtulit, egregiam commutationem. Hæ autem quatuor arbores, propter pulchritudinem, paſſim occurrebant quærentibus earum ramos, in terra promiſſionis. Vide D. Thomam prima ſecundæ quæſt. 102. art. 4. ad 10.

Leuit. 23.
Hieronymus.
Arbor pulcherrima eſt Citrum iuxta Chaldæam Paraphraſim.
Dioſcorides.
Moſes Aegypt.
Cur rami citri, myrti, ſalicis, & palmæ potiſſimum electi.
D. Thom.

7. Iam illa verba. *Et lætabimini coram Domino*, interpretatur Abulenſ. *Saltabitis habentes iſtos ramos*

Abulenſis.

Iudæi ramos cum fructibus portantes ſaltabant coram Domino, id eſt, in ſanctuario.

mos in manibus coram Domino. Additque, *Dicunt aliqui, quod quando Iudæi habebant iſtos ramos in manu, habebant cum eis colligatos fructus, & ſic ſaliebant eleuantes, & deprimentes illos fructus ad omnem differentiam poſitionis, quo ſignificabatur eſſe ad laudem Dei, qui erat Dominus omnium poſitionum mundi.* Et infrà, *Dicebatur hoc fieri coram Domino, quia hæc ſaltatio fiebat in ſanctuario, vbi dicebatur eſſe Deus,* &c. Quare non erant Iudæi totis ſeptem diebus in tabernaculis, niſi eo modo, quo quis domi ſuæ eſt, in qua comedit, dormit, & ad negotiandum interdum exit.

Myſtica interpretatio.

Allegoria Tabernaculorum.

8. Myſtica ſignificatio huius celebritatis facilè elicitur cùm ſubſequatur diem expiationis, hoc eſt, pœnitentiæ, & contemptionis voluptatum; indicat profectò ſcenopegia, eos qui ad Deum per pœnitentiam conuertuntur, per ſolitudinem vitæ huius, feſtinare debere, & in tentorijs habitare; id duntaxat ſumentes, quod itineri faciendo neceſſarium eſt, donec ad veram promiſſionis terram peruenian. De gentibus, quæ non celebrauerint hanc feſtiuitatem poſt Euangelium promulgatum, ita vaticinatur Zach. 14. *Sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.* &c. Eſt in lege gratiæ feſtiuitas tabernaculorum ea, quam peragunt illi, qui relictis omnibus; non in patrijs ædibus, & vrbibus, ſed in cœnobijs, & cellulis veluti in tentorijs degunt, quo inde è cella nimirum tandem læti ad cœlum euolent, vt inquit Bernard.

Zach. 14.

Tabernaculorum feſtum in lege gratiæ, in claustris agitur.

Bernard. Origen.

9. Orig. hom. 23. in Num. Lætari Deum in homine ait, in vltimo feſto, hoc eſt ſcenopegia. Quomodo? *lætatur*, inquit, *cùm te viderit in hoc mundo, in tabernaculis habitantem; cùm te viderit non habere fixum, & fundatum animum ſuper terram, nec deſiderantem, huius vitæ vmbram, quaſi poſſeſſionem propriam, & perpetuam deputantem; ſed velut in tranſitu poſitum ad paradiſi patriam feſtinantem, ac dicentem*, Pſalm. 29. *Incola ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. In tabernaculis enim habitauerunt, & patres; Et Abraham in caſulis, id eſt, in tabernaculis, habitauit.* Hebræorum vndecimo. *cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem.* Hæc ille. Ad hæc tabernacula inuitat Hieronym. Heliodorum Epiſtola. 1. *Nudos amat eremus. Quid facis in paterna domo delicate miles? Ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur. Ecce bis acutus gladius obuia quæque metit, & tu mihi de cubiculo ad aciem, de vmbra egrederis ad ſolem? caput opertum linteo, galeam recuſat: mollem otio manum, durus exaſperat capulus.* Et infrà. *Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba, qui ſolus es?* Deinde eum, qui ſe ſecurum putat ſic alloquitur. *Tranquillitas iſta, tempeſtas eſt. Quid agis frater in ſeculo, qui maior es mundo? Quandiu te tectorum vmbra premunt?* Porrò fructus arboris pulcherrimæ, id eſt, citri, cuius pomum colore aurum refert, tùc offerimus, cum charitatem exercemus. Spatulæ palmarum, victoriam indicant; Domus ligni denſarum frondium; denſitatem, & numerum virtutum oſtendit, ſeu prudentiam cœtu actionum honeſtarum ſtipatam. Rami ſalicis, qui ſeptem feſtiuis diebus viro rem retinent, conſeruatam toto vitæ tempore firmitatem adſignificant. Hos ramos, qui leuauerit, verè coram Deo lætabitur. His ramis

Pſ. 29.

Hebr. 11.

Hieronym.

Tranquillitas eius qui ſe in tuto putat, tempeſtas eſt.

Citrinus fructus charitatem ſignificat, rami palma victoriã: denſi, ſeu numerum virtutum: ſalices conſtantiam.

viriditatem virtutis ſignificantibus vti non poteſt qui in peccato eſt. Omnia quippe illi ſunt triſtia: Deut. 28. *Dabit tibi Dominus cor pauidum; & animam conſumptam mœrore: Et erit vita tua quaſi pendẽs ante te,* &c. An Caini cor pauidum non fuit? fuit certè; vbi Deus, gratum ſibi eſſe ſignificauit Abelis ſacrificium igne de cœlo miſſo. Mœror Caini pauidum cor indicauit vt annotauit Procopius ex illis verbis Gen. 4. *Et concidit vultus eius.* Vita peccatoris inſtar eſt hominis in cruce pendentis, qui horrorem gignit, & vento pulſatur. Quid quod peccator, ſeipſum pendentem & miſeriarum fluctibus agitatum ante oculos habet, dum iuſtus vitulum marinum imitatur, qui in turbato procellis mari, ſub concauo ſcopulo quietus dormit? Hinc flagitijs, & conſcientiæ morſibus turbati Iudæi Chriſto dixerũt, Ioan. 10. *Quouſque animam noſtram tollis?* vides animam Iudæorum in morem patibulati hominis ſignificari? Nullo firma loco inſtar Cruciarij, pendet eorum vita, peccatum ſimile eſt ſcorpioni, vt annotauit Vbertinus, Apoc. 9. qui apparet facie blandus, ſed retro cauda pungens venenum inſpirat. Simile quoque eſt hienæ monſtro, quod imitatione fœmineæ vocis, è tu gurio paſtorem extrahit, moxque complexu deceptum vnguibus diſcerpit. Hæc cùm ita ſint, planum eſt, ſolum in tabernaculis iuſtorum veram inueniri lætitiam ramis viridibus ſignificatam.

De quarta celebritate menſis Septembris quæ cœtus, ſiue collecta appellatur.

ANNOTATIO VII.

1. DIES octauus poſt 7. tabernaculorum dies. Hebraicè, עצרת, *Azereth.* id eſt, *cœtus, ſiue, congregatio,* dicitur; inciditque in vigeſimum ſecundum ſeptimi menſis diem. Leuit. 23. *Dies quoque octauus* (inquit Legiſlator) *erit celeberrimus, atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino. Eſt enim cœtus, atque collectæ, omne opus ſeruile non facietis in eo,* &c. 70. interpretes, pro, *eſt enim cœtus, atque collecta,* tranſtulerunt, ἐξόδιον ἐστιν: id eſt, *exodium,* eſt. Quod vocabulum licèt Græcum à Latinis vſurpatur, finémque, & exitum ſignificat, quo pacto expoſuit hanc vocem Theod. quæſt. 32. in Leuit. propriè accipitur pro cantico, quod è ſcena egredientibus hiſtrionibus canebatur, vt ex Terentij, & Plauti interpretibus conſtat. Et ex Liuio lib. 7. ab vrbe condita, cuius hæc ſunt verba. *Iuuentus,* inquit, *hiſtrionibus, fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactitare cœpit, quæ inde exodia appellata, conſertáque fabulis potiſſimum Atellanis ſunt,* &c. Theodor. Liuius.

2. Duplex autem fuit apud Hebræos dies cœtus; alter idem, qui ſeptimus erat azymorum; alter is, de quo agimus. Atque, vt ab hoc exordiamur Magiſter hiſt. ſchol. in hiſt. lib. Num. cap. 24. Lyr. cap. 23. Leuit. Abulenſ. quæſt. 26. & 27. in idem cap. pecunias in hoc feſto cœtus, colligi ſolitas eſſe affirmant ad ſacrificiorum, & templi, valorumque ſacrorum ſumptus; & vt Magiſt. ait, etiam ad vſus pauperum, & communem Reipub. vtilitatem. Magiſt. hiſt. ſchol. Lyra. Abulenſ.

Paulus Burgenſ.

3. Paulus Burgen. in addit. capitis 23. Leuit. colligi pecuniam in hoc feſto conſueuiſſe eo argumento negat, quod ſeptimus dies azymorum dicebatur etiam dies cœtus, atque collectæ in quo nemo affirmare poteſt, colligi pecunias, in more poſitum fuiſſe. Item, quia Hebræi Doctores tradunt, huiuſmodi collectionem pecuniarum ad templi ſumptus per totam promiſſionis regionem fieri ſolitam, non in Septembris, ſed duodecimi menſis die primo. Hæc opinio coniecturam gignit in animo peritè ſacrum contextum ſcrutantium morem fuiſſe, vt poſt dies ſeptem, qui in tabernaculis fuerant, inde egreſſi, gratias Deo agerent cœtu, & conuentu celebri, pro beneficijs acceptis in peregrinatione deſerti, quando in tentorijs vixerunt Hanc teſtificationem communis illa congregatio, quæ cœtus, & collectio dicitur, reſpiciebat. Non diſſimilem habuit rationem extremus azymorum dies, cur cœtus ſiue collecta diceretur? Teſtificabantur namque Iudæi eo die congregati, ſe, trepidè ex Ægypto, quod azymi panes indicabant, exiſſe, tandémque incolumes, tranſito mari, in vnum coijſſe exercitum. Adde, non eſſe veriſimile, pecunias ſeptimo die azymorum fuiſſe collectas; cùm fas eſſet omnibus, ſequenti die in patriam proficiſci; vt addit Lyr. in cap. 16. Deut. Si enim pecuniæ colligendæ erant, ſanè petendæ erant ante diſceſſum. Quod ſi die ſeptimo azymorum, pecuniæ non erogabantur, cur die octauo conſequente feſtum tabernaculorum erogandæ erant aut petendæ, cùm idem ſit vtriuſque diei, & nomen, & nominis ratio? Qui pecunias colligi volunt in hoc feſto, nomine collectæ videntur permoti, quo Paulus 1. Corint. 16. Vſus eſt ad hunc modum. *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite*, &c. Quo loco Apoſtolus Corinthios ad eleemoſynas, quæ fiunt ad vſus ſanctorum, Chriſtianos inuitat; cæterum in loco Leuit. citato, collectæ mentio non fit in Hebræo, ſed tantum dicitur, ſi fideliter verbum verbo reddas; *cœtus ipſe, quod eſt*: hoc eſt, eſt enim dies cœtus. Verùm Latinus interpres perſpicuitatis, & ornatus gratia addidit. *Atque collecta*. Nec verò opus eſt, vt collectæ vox pecuniam ſemper ſignificet. Nam & orationes vulgò collectæ vocantur; cœtus autem; hominum eſt congregatio. Vnde Chald. rectè tranſtulit. *Collecti eritis*.

Collectæ fiebant per totam promiſſionis terrã duodecimi menſis die primo ad templi ſumptus.

Lyranus.

1. Cor. 16. *Collectæ nomen quidſ ſignif. et inter alia, orationes, & congregationem hominum: D. Paulus Eleemoſynas vocat.* Leuit. 23.

2. Paral. 7.

4 Iam illud 2. Parali. 7. *Fecitque die octauo collectam, eo quod dedicaſſet altare ſeptem diebus, & ſolennitatem celebraſſet diebus ſeptem*, &c. Num pecunias colligi interpretabimur ad ſumptus templi, quas omnes, qui adeſſent, erogarent? Num Rex ditiſſimus pecunias cum ijs, abundaret, exigeret? Quare probabile mihi eſt, ſine corrogatione pecuniæ fieri ſolitam hanc celebritatem. Quod ſi aliquando facta eſt, ad id profectò nulla impulit legis iuſſio; ſed vrgens aliqua neceſſitas.

Myſtica interpretatio.

Allegoria octaui diei.

5. Non eſt obſcura huius celebritatis ſignificatio, quam & dies expiationis, & tabernaculorum hebdomas præcedit. Significat namque, poſt huius vitæ pœnitentiam pro peccatis aſſumptam, & peregrinationem, in qua veluti in tentorijs agentes, ad Deum ſuſpiramus; paratam eſſe requiem octaui diei, ad quam cœtus electorum colligendi ſunt, gratias Deo acturi, perinde, atque Iſraëlitæ, qui octauo die poſt hebdomadam Tabernaculorum congregati ad templum, vt Deo gratias agerent, quod incolumes ex Ægypto, & ſolitudine tandem in terram venerint promiſſam, læti concurrebant. Huc ſpectat illud Pſalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Totus hic Pſalm. indicat animum ſuſpirantem in templum, vt in eo Deum poſſit colere. Beatos aſſerit, qui non carent vſu religionis. Commodus eſt ſuſpirantibus ad octauum diem, qui in cœlo agitur. *Quàm dilecta*, id eſt, amabilia, &c. *Defecit anima mea.* In Hebræo, *Kalà*, eſt, animi deliquium pati præ cupiditate alicuius rei. *Etenim paſſer*. &c. Sum deterioris, conditionis quàm aniculæ, quæ poſſunt in tẽplo nidificare. Vnde Iſychius c. 23. Leuit. *Quãdo ergò* inquit, *ſic præſentem vitam percurrimus, tunc celeberrimum, atque ſanctiſſimum octauum diem, ſæculum videlicet futurum habemus, vocante nos in præparata ſanctis bona eo qui nos etiam in hanc conuerſationem vocauit*, &c. Similem interpretationem adducit Radulphus lib. 17. in Leuit. cap. 3. *Sed quomodo conuenire poteſt beatorum congregationi illud. Et offeretis holocauſtum Domino? Quomodo ais? An alibi melius? Sanè ibi Deus toto animi conatu & viribus, quod hic ægre fit, intelligitur, & amatur iuxta præceptum* Deut. 16. *Quod Auguſt. ait non hic impleri, ſed decenter proponi. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Bernard. in ſerm. de beat. *Vna*, inquit, *cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis non vna ſit omnibus ſublimitas vitæ*, &c. Auguſt. in Pſalm. 10. *Chriſtus*, inquit, *fel hic bibit. Ecce quod in cella tua inuenit: Et ad magnam menſam te inuitauit, menſam cœli, menſam Angelorum, vbi ipſe panis eſt*, &c. Hic tibi parta quies.

Celebritas cœtus ſiue collectæ octaui diei, poſt tabernaculorum hebdomadam, congregationem iuſtorum in cœlo futuram ſignificat.

Pſalm. 83.

Quomodo intelligatur illud Pſalm 83. defecit anima mea, &c.

Iſychius.

Radulphus. Leuit. 3.

Deut. 16. Auguſt.

An præter celebritates prædictas, aliæ fuerint in veteri teſtamento?

ANNOTATIO VIII.

1. QVATVOR celebritates erant Hebræis minoris notæ, quàm ſuprà poſitæ. Prima eſt, Dies dati ignis. Secunda, dies encæniorum; Tertia, dies feſtus ob Nicanoris cædem. Quarta, dies ſortium, ſiue dies Mardochæi. De ſingulis aliquid quod ad ſacræ ſcripturæ cõmmendationem, & eruditionem legentium pertineat, breui complectar.

Dies dati ignis.

Dies dati ignis. 2. Mach. 1. *Caſleu. Nicanab.*

2. Dies feſtus dati ignis, proximè conſequebatur diem feſtum cœtus ſiue collectæ. Cauſam huius ſolennitatis 2. Mach. cap. 1. ſolùm inuenies. *Facturi*, inquit, *quinta, & viceſima die menſis Caſleu purificationem templi, neceſſarium duximus, ſignificare vobis, vt & vos quoque agatis diem ſcenopegiæ, & diem ignis, qui datus eſt, quando Nehemias ædificato templo, & altari, obtulit ſacrificia.* Deinde narrat ſacra hiſtoria; *Cùm abducerentur Iudæi in Perſidem captiui; à ſacerdotibus, abſconditũ fuiſſe in valle, vbi erat puteus altus, & ſiccus; ignem, qui in altari ad vſum ſacrificiorum conſeruabatur. Tandem verò multis interpoſitis annis, Deo ita diſponente, miſſum fuiſſe à Rege Perſidis Nehemiam ſacerdotem, qui per nepotes Sacerdotum quæſiuit ignem, inuentámque craſſam aquam, aſpergi iuſſit ſuper ligna ſacrificiorum. Quid poſt hanc aſperſio-*

Miraculũ ignis dati ſacrificante Nehemia.

nem acciderit ſic accipe. Vt tempus affuit, quo ſol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur: & pòſt pauca. *Cùm autem conſumptum fuiſſet ſacrificium ex reſidua aqua, Nehemias iuſſit lapides maiores perfundi: Quod vt factum eſt, ex eis flamma accenſa eſt, ſed & ex lumine, quod refulſit ab altari, conſumpta eſt,* &c. De hoc igne cœlitus olim dato, quo vno fas erat in ſacrificiis vti, agitur Leuit. 6. *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies,* &c. Hic ignis vt ex Ioſepho colligit Abulenſ. qu. 3. ſuper caput 6. Leuit. etiãſi non adhiberent ligna (quæ tamen Deus adhiberi iubebat) conſeruabatur. *Sicut,* inquit, *cum portabatur de loco ad locum inuolutus panno rubro intra altaris concauitatem, cum mouebantur caſtra, nec extingui aqua, vel vento poterat. Erat igitur hic ignis perpetuus in altari holocauſtorum, etiam ante tempus ſacrificij. Damnati ſunt Gabaonitæ à Ioſue cap. 9. quia mentiti ſunt, vt portarent aquam, & ſcinderent ligna ad vſum ſanctuarij.* Hoc igni quia vſi non ſunt, Nadab, & Abiu filij Aaron, ſed alienum ignem adhibuerunt inter ſacrificandum, *egreſſus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino,* Leuit. 10.

Leuit. 6.

Abulenſis.

Ignis ad ſacrificia cõſeruatus, etiã ſine lignis portabatur in panno rubro, cũ Arca in deſerto mouebatur, & cum caſtris.

Gabaonitæ ligna, & aquam comportabãt in vſus ſanctuarij, in pœnam mendacij.

Ioſue. 9.

Nadab, & Abiu mortui ſunt, quia igni communi ſacrificarunt.

Leuit. 10.

Ignis ad ſacrificia è cœlo lapſus durauit vſque ad captiuitatem Babylon.

3. Seruatus eſt hic ignis ſemper tẽpore tabernaculi, & templi, vſque ad captiuitatem Babylonicam; ex qua reuerſis Iudæis ex craſſa aqua quæ loco illius inuenta eſt fuit reparatus, vt dictum eſt. Falſum ergo eſſe, ex ſacra hiſtoria manifeſtum eſt dogma quorundam Hebræorum, qui cœleſtem ignem aliquando in ſecundo templo fuiſſe pernegant, niſi ſermo ſit de igne ante tempus captiuitatis, qui ſcilicet extinctus fuit, & abſconditus in ipſa captiuitate; is enim in ſecundo templo non fuit niſi miraculo reparatus in terra; non autem ſicut ille Moſaicus è cœlo lapſus eſt.

Incertum quo die ignis datus ſit.

2. Mach. 1.

Nehem. 12.

Nehem. 8. & 9.

Ieiunij dies, feſtus erat Hebræis.

4. Illud incertum, quonam die menſis, ignis fuerit datus? Coniectura tamen eſt, aut in ipſa ſcenopegia, aut paulò poſt illam fuiſſe datum. Legimus enim 2. Mach. 1. hæc verba. *Vt & vos agatis diem ſcenopegiæ, & diem ignis, qui datus eſt, quando Nehemias ædificato templo, & altari, obtulit ſacrificia,* &c. Fit ibidem mentio duplicis chori ad laudandum Deum inſtituti, & orationis, quam faciebãt ſacerdotes, dum conſummaretur ſacrificium. Nehemiæ etiam cap. 12. eadem celebritatis ratio, & ordo commemoratur. Tempus autem habetur in præcedenti capite 8. & 9. videlicet paulò poſt ſcenopegiam. Incipit enim cap. 9. poſt mentionem factam cap. præcedenti de octauo die, poſt 7. tabernaculorum dies Collectæ dedicato, hoc modo. *In die autem viceſimo quarto menſis huius (id eſt Septembris) conuenerunt filij Iſrael in ieiunio, & in ſaccis, & humus ſuper eos, &c.* Fortè hoc ipſo die poſt hanc humiliationem recolebant diem dati ignis, hoc eſt 25. Septembris: quãuis ſuſpicio mihi ſit, diem hunc mobilem eſſe, ſicut apud nos quædam celebritates: vt enim Rib. noſter aduertit, quo die datus ſit ignis ſcriptura non docuit. Nec in Kalend. Hebræo huius feſti mentio eſt vt videre eſt apud Genebrar. Hæc de ignis die. Nec enim apud Ioſephum, Philonem, aut alios, qui de diebus feſtis Iudæorum ſcripſerunt, quicquam inuenies, quo illuſtrior huius rei commentarius reddi poſſit.

Myſtica interpretatio.

Luc 12.

Ignis feſtus dies ſignificat charitatis ardorem culpas confeſſione conſumentem & quidquid terra eſt.

5. Significat hic ignis myſticè, charitatis ardorem, de quo Chriſtus, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur.* Eſt ignis hic cæleſtis prædicatione euangelij etiam accendendus; idcirco venit Chriſtus in mundum, & diſcipulos miſit per orbem, vt hunc ignem hominibus communicaret. Poſt reſurrectionem; *inſufflauit,* &c. poſt aſcenſionem in ſpecie ignis apparuit Spiritus ſanctus. Ignis corporeus illuminat, vrit, purgat. Hæc Spiritus ſanctus operatur: mentem illuminat ſcientia, vrit corda per pœnitentiam, &c. Peccata conſumit, ita exponit Orig. verba Chriſti quem citat Hieronym. lib. 2. Apolog. contra Ruffinum. Optabat Chriſtus hunc ignem accendi; ſciebat tamen non eſſe accendendum, niſi poſt paſſionem ſuam; ideò addit; *Baptiſmo habeo baptizari.* Mortem ſuam dicit baptiſmũ, quia ſanguinem erat effuſurus, Gen. 49. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum, & quomodo,* inquit, *coarctor vſque dum perficiatur?* Non propter mortem, aut paſſionis dolorẽ coarctabatur Chriſtus; ſed ob moram: deſiderabat enim iam iam morti ſe offerre pro nobis, & in cordibus hominum ignem accendere. Vincet hic ignis naturalem affectum. Mox agit de ſeparatione, quam efficiet ignis poſt paſſionem mittendus in terram, inter cognatos ob cauſam fidei. Tam efficax erit. Quid nos? Fiat ſacrificium; iugulentur victimæ peccatorum; inſpergatur aqua craſſa, hoc eſt lacrymis per contritionem cordis dolenter profuſis, iuſſu Nehemiæ, hoc eſt, ſacerdotis victimas Deo offerentis; profectò ignis è cœlo ſubitò emicabit. Diem feſtum inuenti ignis peraget, cui tanta felicitas contigerit. Hunc, dũ iugi induſtria conſeruauerit, flammam illam non formidabit, de qua Deut. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima,* &c. Hic enim ignis (inquit Deus) non ſolùm in ſuperficie terræ ardebit, ſed etiam vſque ad extremas inferorum ſpeluncas. Moxque ignis ſcelerum vindicis effectum oſtendens, ait, *deuorabitque terram cum germine ſuo.* vbi Theodor. *Ignis per figuram acceptus, omnem terrenam prudentiam abſorbet, & deuorabit eos, qui terræ dediti ſunt, & conſumet terræ fructus, ſcortationem, adulterium, & idolorum cultum, & reliqua: Hi enim ſunt in nobis terreni fructus.* Hæc ille. Putátque iuxta ſenſum literalem, Iudæorum extremam vaſtitatem prædici, quam illis Romani poſtquàm in Chriſtũ bacchati ſunt, gentibus ad fidem vocatis, intulerunt: Nos ab hac flamma vltrici liberi erimus, ſi diem dati de cœlo ignis, peragere nouerimus. Ille enim ignis charitatis flammam excitat, qui ex lacrymis eluxit, quibus peccata ad ſacerdotis pedes abiecti, tanquam victimas inſperſimus. Ille ſacer eſt, diuinus eſt, & (vt Ioannes ait) foras mittit timorẽ. Eſt hic ignis cæleſtis per pœnitentiæ prædicationem accendendus. Idcirco miſit Chriſtus in mũdum veniens, diſcipulos ſuos vt hunc ignem excitarent, & populis impertirent. Rex Benomotapiæ annis ſingulis mittit ex ſuis domeſticis legatos, qui ignem, quem apud principes toto regno inuenerint, extinguant: ruſumque nouum accẽdant, quem è domibus principum plebeij accipiant, & in domos ſuas inferant. Hæc barbari, vt regiam ſignificent poteſtatẽ, à qua pendent clientes, excogitarunt. Nos, Chriſti nuntios, ignẽ charitatis extincta ſcelerum flamma, excitantes, in eo facto recolimus. Inſufflans Chriſtus poſt reſurrectionem, hunc ignem in diſcipulis excitauit; multóque validius quando poſt Aſcenſionem,

Orig.

Hieron.

Cur paſſio Chriſti baptiſmus dicatur.

Gen. 49.

Chriſtus coarctabatur ob dilationem mortis, quam optabat.

Deut. 32

Theodor.

Qui ignem amoris diuini nõ conſeruat, ſentiat ignem vltionis.

ſpiritus diuinus in linguis igneis apparuit. Ignis corporeus illuminat, vrit, purgat: ignis hic charitatis, mentem ſcientia illuſtrat: corda per pœnitentiam vrit: peccata conſumit: ita exponit Orig. verba Chriſti, quem citat Hieron. lib. 2. Apol. contra Ruff. Optabat Chriſtus hunc ignem accendi morte ſua, quam vocat baptiſmum, quia ſanguinem erat effuſurus: iuxta illud Gen. 49. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* &c. *Quomodo*, inquit Chriſtus, *coarctor?* &c. Non propter mortis timorē coarctabatur, ſed ob dilationem. Deſiderabat enim, morte pro nobis obita, in cordibus hominum hunc ignem accendere; qui in cauſa fidei vincat naturalem affectū ſeparans, ſi opus ſit, patrem a filio, & hunc à patre. Vides efficacitatem?

Dies encæniorum, ſiue templi dedicatio.

ANNOTATIO IX.

1. DIES encæniorum feſtus erat ob dedicationem templi; incidebátque in viceſimum quintum diem menſis noni, qui partem habebat Nouembris ac Decembris. Vnde Ioan. 10. *Facta ſunt*, inquit, *encænia in Hieroſolymis, & hyems erat, &c.* Meritò hyemis tempus annotat; quia nonus menſis Hebræorum ad hyemem pertinet. Encænia verò appellat feſtum ipſum, quia ἐγκαινίζειν, *renouare*, eſt ſiue *dedicare*: Vnde 3. Reg. 8. pro, ἐνεκαίνισαν, vertit noſter interpres, *dedicauerunt*, & 2. Paralip. 7. Pro, ἐγκαινισμὸν, quod vocabulum dedicationem ſignificat, apud Sept. interpretes legit noſtra editio. *Eo quod dedicaſſet altare.*

Ioan. 10. — 3. Reg. 8. — 2. Paral. 7.

2. Templi autem dedicatio ter facta legitur. Primùm tempore Salomonis, 3. Reg. 8. Secundò, cùm iterum poſt captiuitatem Babylonicam à fundamentis excitatum eſt: Eſdræ 6. Tertiò, quando magna ex parte eo quòd dirutum, & pollutum à gentibus fuit, à Iuda Machabæo, inſtauratum, & mundatum eſt. Et quidem in memoriam non primæ, aut ſecundæ, ſed tertiæ tantùm dedicationis, ſingulis annis à Iudæis encænia fiebant: ſic enim ſcribitur 1. Machab. 4. *Et ante matutinum ſurrexerunt quinta, & viceſima die menſis noni* (hic eſt menſis Caſleu, centeſimi quadrageſimi octaui anni, à templi prima dedicatione:) *Et obtulerunt ſacrificium ſecundum legem ſuper altare holocauſtorū nouum, quod fecerunt, ſecundum tempus, & ſecundùm diem, in qua contaminauerunt illud Gentes; in ipſa renouatum eſt, in canticis, & citharis, & cinyris, & ſymbalis, & fecerunt dedicationem altaris, diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia.* & infrà. *Et ſtatuit Iudas, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſrael, vt agatur dies dedicationis altaris temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo quinta & viceſima die menſis Caſleu cum lætitia, & gaudio.* Pertinet ad feſti diei celebritatem lætitia publica. Vnde Ouid. lib. 2. de Ponto, Eleg. 1. de triumpho Germanici agens, ſic ſcribit.

Tres dedicationes templi. 3. Reg. 8. — Eſdr. 6. — Inſtauratio & dedicatio facta a Iuda Machabæo ſolum celebrabatur 1. Macab. 4. — Iudas Machab. inſtituit encænia. — Ouid. de Pon.

Dij quoque vt à nobis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta iubent.

Iure igitur commendatur lætitia & gaudium vt ritè celebretur anniuerſaria templi dedicatio. Similis mentio fit huius celebritatis, 2. Macab. 10. & apud Ioſephum lib. 12. Antiq. cap. 11. *Vocamus*, inquit ille, *hanc feſtiuitatem luminum, opinor, ideo quod ex inſperato nobis illuxerit tāta felicitas*, &c. Cur verò Iudæi in illa templi dedicatione totos octo dies hilaritate ſumma perfuſi conſumpſerint, ea cauſa videtur, quia nihil apud illos erat hilarius, quam ſeptem tabernaculorum dies cum octauo cœtus ſiue collectæ. Recolebāt enim beneficium ſibi a Deo præſtitum, quandiu poſt exitum de Ægypto verſati ſunt in deſerto, ac tandem in terram promiſſionis ingreſſi. Nunc autem pulſis hoſtibus læti, recuperatorem Deum priſtinæ libertatis laudant; eo maxime permoti, quòd paulò ante metu hoſtium in montibus & ſpeluncis diem ſolennem tabernaculorum, more beſtiarum (vt dicitur 2. Mach. 10.) peregerint. Abſtinuerintne Iudæi primo & octauo die encæniorum ab opere ſeruili, ſicut in tabernaculorum celebritate, quam encænia imitabantur, incertum eſt: ſi quis tamen affirmauerit, non repugnabo. Illud non prætermittam, quod plerique annotarunt, nimirum encæniarum vocem, quam Ioan. 10. Sebaſt. Caſtalio vertit: Renoualia, quod renouetur primi diei memoria, quo facta eſt dedicatio; rectius à Latino interprete retineri; quia (vt auctor eſt D. Aug. tractatu 48. in Ioan.) adeò eam ſuo tempore notam fecerat Latine loquentium vſus, vt qui nouam induceret veſtem, encæniare diceretur.

Anniuerſaria dedicatio tēpli — 2 Mach. 10. — Ioſephus. — Nihil lætius erat Iudæis 7. tabernaculorum diebus cum octauo cœtus ſiue collecta. — 2. Mach. 10. — Ab opere ſeruili in encæniis abſtinebant Iudæi. — Ioan. 10. Sebaſt. Caſtal. — D. Auguſt.

3. Aduerto præterea, certum eſſe, feſtum alicuius dedicationis fuiſſe olim apud Iudæos, qualia nunc in Eccleſia Chriſti, plurima veteri inſtituto celebrantur; ſed incertum, cuius rei ageretur dedicatio. Vnus Theodorus Mopſueſt. arbitratur celebrari dedicationem totius vrbis Hieroſolymitanæ, cùm illius muri ſæpe à Babyloniis, & aliquando ab Antiocho, aliiſque hoſtibus diruti, tandem inſtaurati ſunt. Cæteri omnes alicuius nominis ſcriptores templi dedicationem cogitant, ita tamen vt alij celebrari putent, dedicationem templi à Salomone ædificati de qua agitur, 3. Reg. cap. 8. in quibus eſt Cyrillus in catena græca: Alij, vt Chryſoſt. Theophyl. Euth. Leontius, & Theodorus Heracleotes, quibus Cyrillus non repugnat, dedicationem exiſtimant inſtaurari, quæ facta eſt poſt ædificatum tēplum à Zorobabele, Iudæis à Perſide redeuntibus. 1. Eſdr. 6.

Varia ſententia circa feſtum dedicationis. — Theod. Mopſ. — Cyrillus. 3. Reg. 8. Chryſoſtom. Theophyl. Euthymius. Leontius Theo. Herac. 1. Eſdr. 6.

4. Mihi tamen, quod ſuprà de poſtrema dedicatione, aliis excluſis, annotaui; probabilius eſt. Licet enim præter Rupertum, Alcuinum in hom. huius lectionis, & Bedam, atque Lyranum, paucos inuenies aſſertores huius opinionis; tamen ex ſacra ſcriptura colligo celebrari diem, quo per Iudam Machabæum tertio anno poſt bellum Antiochi, templum quod prophanatum fuerat, dedicatum iterum eſt, & altare holocauſtorum nouum ad vſum ſacrificiorum erectum. Decretū namque eſt, 1. Machab. 4. vt quotannis hic dies ſolennis ageretur. Conuenit & tempus, nam D. Ioannes de encæniis agens loco citato, hyemem fuiſſe refert; atqui dedicatio illa, vt lib. 1. Macha. cap. 4. traditur in menſe Caſleu, qui Decembri magna ex parte reſpondebat, facta eſt. Accedit, primam dedicationem à Salomone tempore autumni factam. Mediam à Zorobabele, & IESV ſacerdote tempore veris: vltimam à Iuda Machabæo tempore hyemis; quo tempore præcipitur quotānis fieri, & vſque ad Chriſti tempora celebrata eſt, vt patet ex Ioan. 10. Ordo autem hiſtoriæ ita habet. Salomon quidem templi opus perfecit ſeptem annis; octauo autem anno ſeptimo die ſeptimi menſis (qui à nobis October appella-

Verior ſententia — Rupertus. Alcuinus. Beda. Lyranus. — 1. Machab. 4. — Ioan. 10. — 1. Macha. 4. — Dedicatio feſti encæniorum in hyeme celebrari præcipitur, id eſt, Decembri

Supputatio annorum in quibus ter dedicatum ſuit templum.

pellatur, partem Septembris carpens, in magna gloria dedicauit: ſed hoc templum poſt annos 430. incēderunt Chaldæi, & ciuitate euerſa populum abduxere captiuum in Babylonem; qui poſt annos 70. regnantibus Perſis, in patriam rediit, Rurſuſque ædificatum eſt templum per annos quadraginta ſex, & tertia die menſis duodecimi, quem nos vocamus Martium, partem Februarij continentem; opus ad finem perductum eſt; cui tunc operi præfuerunt duces Zorobabel regio genere, & IESVS Sacerdos magnus; prophetantibus ſimul Aggæo, & Zacharia. Inde poſt annos fermè 356. Antiochus fraude Hieruſalem capta, templum idolis profanauit, auferens inde candelabrum menſam propoſitionis, &c. Sed & Iudas Machab. cùm eſſet de genere ſacerdotali collecto Iudæorum exercitu, Antiochi copias fudit & fugauit, nouum altare extruens, & emundans ab idolis omnia; nouam templi dedicationem indixit quod renouauit & purificauit 25. die Decembris qui partem continet Nouembris. Quis ergò dubitet de hac dedicatione loqui Ioannem 10. cum hyemis faciat mentionem? Scio Auguſt. Bedam, & Euthym. hyemem fuiſſe tempore encæniorum, interpretari; quia animi Iudæorum frigidi erant, ſed hi patres allegoriam ſequuntur, nos hiſtoriam, ſecundùm quam hyemis mentio fit, tanquam cauſæ ſequentis verbi, *Deambulabat*. Solent enim homines, cùm hyemis frigore rigent, vt motu caleſcant, deambulare. Non negabo tamen, veram eſſe regulam Greg. lib. 2. Moral. cap. 2. aliquando in ſcriptura circunſtantias temporum, & locorum & aliarum rerum deſcribi ad ſignificationem aliquam indicandam; qua ratione apud Ioannem deſcripta fortè eſt hyems, ad ſignificandum frigus Iudæorum, qui ad præſentiam ignis cœleſtis, hoc eſt, Chriſti calorem reſpuerent charitatis. Vide Card. Toletum in cap. 10. Ioan. Annot. 15. vbi de feſto encæniorum agit.

Myſtica interpretatio.

4. Vis allegoriam? Templum Dei, homo eſt, propter quem voluit, vt Salomonis templum ædificaretur, & gemmis ornaretur. Dei templum gemmis gratiæ decoratum ingreſſus eſt Nabuzardan, id eſt, princeps coquorum, & lethiferum cibum compoſuit, quo mortem attulit, & templum euertit; donec Zorobabel, id eſt Chriſtus, illud inſtaurauit. Myſtica encæniorum ſignificatio elucebit, ſi conſideremus peccatis profanatum animum, qui altare Dei eſt, & pollutum templum, de quo 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Iudæ Machabæi fortiſſimi ducis, hoc eſt Chriſti, virtute, & gratia mundari, & renouari ſacrificio cordis contriti, & humiliati à nobis adhibito: Tum gaudium erit encæniorum, *in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Luc. 15. Vbi bonus Paterfamilias redeuntem ad ſe filium, qui vixerat luxurioſè, & opes ſuas turpiter prodegerat, excipiens ait: *Citò proferte ſtolam primam, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit*, &c. Exhibetur lætitia in templi inſtauratione. Templum namque Dei renouatur, quoties animus à vitijs, gratia accedente recedens, cæleſtem hau-

Peccatis profanatur templum Dei, id eſt, animus.

Feſtum encæniorum in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Luc. 15.

A rit lætitiam. Ad vſum concionum vide ſermones quinque Petri Chryſologi, de duobus filijs prodigo & frugi. Lege etiam conciones ſuper Euang. feriæ quartæ poſt Dominicam paſſionis. Magni Deus facit renouationem templi animæ noſtræ, quod ille condidit, & vita donauit, Gen. 2. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo.* Addit, ſpiritum ſanctum inhabitantem. In templo Salomonis vita non erat, 2. Machab. 5. Explicatur cauſa, cur Deus permiſerit expoliari templum Salomonis. *Non propter locum gentem* (inquit ſcriptura) *ſed propter Gentem locum Deus elegit.* Iudæi de templi externo paratu gloriabantur, obliti, quid Deus potiſſimum vellet, & in quem ſcopum templum iuſſerit ædificari.

Petr. Chryſol.

Gen. 2.

2. Mach. 5.

B

De die cædis Nicanoris.

ANNOTATIO X.

1. DIES feſtus, ob cædem Nicanoris, qui vnus fuit ex principibus Demetrij Regis, peragebatur menſe duodecimo, qui ab Hebræis vocatur, אדר, *Adar*. In eundem menſem Sortium celebritas incidebat, de qua infrà dicēdum eſt. Ioſephus lib. 12. Antiquit. beneficium C cædis Nicanoris, qui à Rege Demetrio contra Iudam Machabæum miſſus cum magno exercitu fuerat, & celebritatem quæ victoriam huius ſuperbi ducis conſecuta eſt cap. 16. alias 17. ita enarrat. *Deinde*, inquit, *ipſe Nicanor, dum atrociter decertaret, occiſus eſt, quo cadente, ducem perdens exercitus, terga, conuertit ad fugam. quos perſecutus Iudas mille tantùm hominibus ſeptus, interficiebat. & ſono tubarum in circuitu poſitis ſignificabat. quod hoſtes prælio ſuperati diſcederent. Qui audientes armati exibant, & fugientibus occurrentes occidebant eos, ex quo prælio nullus euaſit, cùm nouem millium numerus extitiſſet. Ea victoria contigit decima tertia die menſis Adar, vt noſtri nominant qui Macedonibus Dyſtrus dicitur.* D *Eáque die feſtiuitatem noſtri per ſingulos annos renouant ob rei proſperè geſtæ memoriam.* Hæc ille. Vbi aduerte, errorem videri in quibuſdam commentarijs dici, eam victoriam contigiſſe decima quarta die.

Menſe duodecimo cædes Nicanoris, qui diuerſos ſuperbè, ſuis adeo dominum iſtam.

Ioſephus.

Die 13. menſis 12.

2. Hæc ex lib. 1. Machab. 7. magis elucent. *Et poſt hæc*, inquit, *verba aſcendit Nicanor in montem Sion, & exierunt de Sacerdotibus populi ſalutare eum in pace, & demonſtrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro Rege, & irridens ſpreuit eos, & polluit, & locutus eſt ſuperbè, & iurauit cum ira dicens. Niſi traditus fueris Iudas, & exercitus eius in manus meas,* E *continuò cum regreſſus fuero in pace, ſuccendam domum iſtam*, &c. Deinde narrata pugna, & cæde Nicanoris 13. die menſis duodecimi, ſubiungit: *Et acceperunt ſpolia eorum in prædam, & caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius quam extenderat ſuperbè, & attulerunt, & ſuſpenderunt contra Hieruſalem. Et lætatus eſt populus, & egerunt diem illum in lætitia magna, & conſtituit agi omnibus annis diem iſtam tertia decima die menſis Adar*, &c. Eadem hiſtoria narratur lib. 2. cap. vltimo. Vbi nomen feſti oſtendi videtur: ſic enim dicitur. *Itaque omnes communi conſilio decreuerunt nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire: habere autem celebritatem tertia decima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridiè Mardochæi diei*, &c. Quidam putant hunc textum vitioſum eſſe, atque ex

1. Mach. 7. Nicanoris ſuperbia, & blaſphemia.

Vltio de Nicanore accepta a numine.

lib. 2. Mach. vltimo.

Cædes Nicanoris celebratur menſe 12. pridie Mardochæi diei.

Græco ita legendum. Habere autem celebritatem tertia decima die menſis (Adar, dicitur voce Syriaca) pridie Mardochæi diei. Non tamen video deprauationem aliquam ſi vno, vel altero modo legas; dummodò intelligas, ſolùm vocabulum, *Adar* Syriacum eſſe, quod etiam aduertit Ioſephus, diemque ipſum 13. vocari ab Hebræis Pridie Mardochæi diei, vt tempus aptè deſignetur.

Ioſephus.

Myſtica interpretatio.

Myſtica ſignificatio de cædis Nicanoris feſto Sanctorum lætitia poſt vitæ huius pugnas.
Pſalm. 57.

3. Myſticè ſignificat lætitia huius diei, ſanctorum gaudium, quo cum in hac, tum in futura vita delibuti geſtient, dum impios pœnas videbunt ſcelerũ dediſſe, & iuſtos peccati regno conculcato coronis decorari, Pſal. 57. *Lætabitur iuſtus dum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Lætabitur, inquam, non amore vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ. *Manus ſuas.* Hebr. *plantas ſuas.* Huc pertinet illa exultatio, Pſalm. 51. *Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent. Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.* Vbi prædicit Doeg. Idumæo Saulis paſtori, ob proditionem exitium, ſibíque ſalutem. *In tuo*, inquit, *exitio, & cuiuſcunque impij, videbunt, & ridebunt iuſti.* Vide paronomaſiam. *Super eum*, id eſt, in illius vltione iudicia Dei comprobando, vt ex tali ſpectaculo cæteri diſcant pietatem, & dicant. *Ecce homo*, ironicè dictum. Hanc celebritatem deſiderant viri ſancti dum Deum orant. Apoc. 6. *Vſquequò Domine ſanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra*, &c. Quæres quomodo ſancti vindictam de interfectoribus ſuis poſtulent, quos amare vt proximos debebant? Nimirum quia ipſa eorum corpora vulneribus conciſa, clamorem habent; ſicut Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris, clamat ad me de terra.* & cap. 18. *clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, compleuerint.* Tyconius homil. 6. *Licèt*, inquit, *animæ ſanctorum in paradyſo ſint, tamen quia ſanguis ſanctorum ſuper terram funditur, ſub ara clamare dicuntur*. Verùm ſi animas propriè accipimus clamare martyres dicimus, quia ipſorum animæ clamant. Vt enim ait Auguſt. ſerm. 59. de tempore, & lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 45. *Martyres nequaquam contra homines clamant, ſed contra regnum peccati, quo regnante mortem perpeſſi ſunt: hoc regnum vt euertatur, optant. Nam ſancti hoc petunt, quod Dominum vident velle. Petunt autem vindictam de inimicis duobus modis, & hoc cauſa charitatis; vt ſcilicet qui ad vitam æternam prædeſtinati ſunt, conuertantur à malo ad bonum qui verò, præſciente Deo damnati ſunt, moriantur & peccare deſiſtant, vt per hoc minorem pœnam in inferno habeant. Petunt autem de reprobis vindictam, quia optant venire diem iudicij, & reſurrectionem ſuorum corporum preſtolantur.* Hæc Auguſt. Vide Greg. 2. Moral. cap. 6. & Primaſium, Bedam, Ambr. ſuper cap. 6. Apoc. Omnes hi Patres cenſent petere ſanctos, vt veniat iudicij dies, quo puniendi ſunt impij. Nec hoc eſt contra charitatem, quia qui iubemur orare pro inimicis, in eodem Domini ſermone Matth. 6. iubemur dicere, *Adueniat regnum tuum*, &c. In hac quidem vita inchoatio tantùm eſt huius lætitiæ, in duodecimo menſe, hoc eſt, in fine temporis, erit perfecta, quando

Pſalm. 51.

Proditori imprecatur propheta malum.

Optant Sancti vindictam impiorum, zelo iuſtitiæ.
Apoc. 6.

Clamor martyrum
Gen. 4.
Gen. 18.

Tyconius.

Clamant martyres, hoc eſt ipſorum animæ, & non ſolùm ſanguis.
Auguſt.

Duobus modis petunt ſancti vindictam.

Auguſt.
itẽ PP.
Beda.
Primaſius.
Ambroſ.
Apoc. 6.
Matt. 6.

veniet regnum Dei, nihilque erit non ſubiectum Chriſto, vt ait Paul. 1. Corinth. 15. Oportet autem illum regnare, *donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius*, & infrà. *In eo autem, quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei.* Dies huius victoriæ, & lætitiæ præcedit quartam decimam, in qua eſt plenilunium; vt intelligamus paratam eſſe ijs, qui expugnant ſcelerum tyrãnidem, in cœlo pulchritudinem illi ſimilem, quam Luna à Sole accipit, maximam. Vnde Auguſt. de Spirit. & lit. *Quid hac felicitate felicius? Viuere Deo, viuere de Deo*, &c. 1. Cor. 15.

B

De die Mardochæi, ſiue ſortium.

ANNOTATIO II.

1. QVARTVS decimus dies menſis duodecimi, binominis eſt, dicitur enim Hebraicè, הפורים, *Hiphurim*, hoc eſt, *ſortium*. & dies Mardochæi. Vtriuſque appellationis ratio conſtat ex hiſtoria, quæ legitur Eſther cap. 3. & cap. 9. *Menſe namque primo, cuius vocabulum eſt Nyan anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Haman, quo die, & quo menſe, gens Iudæorum deberet interfici & exitus menſis duodecimus, qui vocatur Adar.* Hæc ex cap. 3. Iuſſit ergò Haman quod ſibi Mardochæus genu non flecteret per veredarios, literas nomine Regis, vt omnes Iudæi vbique, decimo tertio die menſis Adar occiderentur. Cæterum paulò poſt, admiſſo Mardochæo in Regis amicitiam Eſther Regina, nouas à Rege literas obtinuit. vt eodem die, qui Iudæorum internecioni fuerat præſcriptus, Iudæi inimicos ſuos in omnibus prouincijs, cum liberis, & vxoribus perimerent, vt patet ex 8. cap. lib. Eſther; quod ita factum capite 9. dicitur, vnde elicitur cauſa ob quam dies decimus quartus, & decimus quintus menſis duodecimi, dies Sortium, & Mardochæi vocati fuerint; cum interficiendis Iudæis tertius decimus eſſet deſtinatus. Cauſa autem fuit edictum Mardochæi, in quo præcipiebat ita fieri, ob irrogatam inimicis Iudæorum illis diebus pœnam.

הפורים. Dies Mardochæi.

Eſther. 3. & 9.

Phur, id eſt, ſors

Pœna præparata non ſolùm genti Haman, conuerſa eſt...

C

Eſther 8. & 9.
Commutata mortis pœna auctores, & executores ſubeunt.

Eſter 9.

Indicta celebritas à Mardochæo.
Dies Sortium cur dicta ſit.

D

2. Appellatur ergò hæc feſtiuitas dies Mardochæi quia ab eo Iudæis indicta eſt. Vnde cap. 9. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus Regis prouincijs morabantur, tam in vicino poſitis, quàm procul; vt quartamdecimã, & quintam decimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente anno, ſemper ſolenni celebrarent honore*, &c. Cur appelletur dies Sortium, ſic accipe. *Ex illo tẽpore* (inquit ſcriptura) *dies iſti appellati ſunt Phurim, id eſt ſortium, eo quod Phur, id eſt ſors in vrnam miſſa eſt, ſcilicet ab Haman, vt dies eorum cædendis Iudæis præſtitueretur.* Deinde ſubijcitur. *Nec eſt vlla ciuitas, in qua dies Phurim, id eſt Sortium non obſeruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his cæremonijs obligata eſt.* &c.

Ieiunium Eſther, aliàs in die feſto, aut ſabbatum, aut in præcedentem diem translatum eſt.

E

3. Significatur in eodem capite, ante dies Sortium, Iudæos clamare, & ieiunare conſueuiſſe, quoniam, vt illud à ſe periculum, quod ab Haman imminebat deprecarentur, ieiunijs, & clamoribus Deum ſibi conciliarunt, præeuntibus exemplo Eſther, & Mardochæo: ſic enim habet. *Et illi obſeruanda ſuſceperunt à ſe, & ſemine ſuo ieiunia, & clamores, & Sortium dies.* Hoc Eſther ieiunium, ita vulgò dictum, obſeruabatur die decimo tertio

mo tertio olim; poſteà verò ob incidentem in eundem diem occiſi Nicanoris celebritatem, aut ſublatum eſt, aut in præcedentem diem tranſlatum.

Ioſephus.

Aduerto Ioſephum lib. 11. Antiq. cap. 15. aſſignaſſe huic feſtiuitati decimum tertium, & decimum quartum diem: cùm tamen ſacra hiſtoria 41. & 15. ei attribuat. Quare non eſt illi hac in re, ſi ita ſenſit, fides habenda. Addit vocari ea feſta *Phrutæa*, vel vt emendatiores habent codices, *Phuræa*, quaſi conſeruatoria. Vbi aduerte particulam, *quaſi conſeruatoria*, ab interprete apponi, cùm in Græco non ſit, & *Phurim*, ſortes ſignificet, non conſeruatoria. Porrò cùm dicitur, *miſſa eſt ſors in vrnam*: duplicem intelligimus miſſam ſortem, vnam de menſe, alteram de menſis die; vt patet ex Hebræo, & ex tranſlatione Sept. quæ ſic habet: *Et miſit ſortes diem ex die, & menſem ex menſe.* Tantùm de hoc feſto.

Myſtica interpretatio.

Sortes in Sanctis commutata dum ipſi de perſecutoribus triumphant.

4. Allegoria verò ſortium, Sanctorum nobis lætitiam declarat, qui ſortes tyrannorum, & impiorum hominum in eorum perniciem in vrnam crudelitatis miſſas dum conſiderat Mardochæi, & Eſther, id eſt, Chriſti, & matris illius beneficio, in gloriam, & triumphum commutatas, feſtum peragunt diem gladiis hoſtes ſuos iugulantes, iuxta illud Pſal. 149. *Et gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus*, &c.

Pſal. 149.

Certè in hoc Pſalmo Regem Chriſtum, Regius canit vates, qui ſuos ſit ſaluaturus, eíſque in gẽtes vltricem daturus poteſtatem. Eſt totus Pſal. propheticus de Eccleſiæ victoria. Quod duodecimo menſe, hoc eſt, in fine ſæculi eueniet. Tunc enim gloria hæc erit omnibus ſanctis eius. Eccleſia namq; in decimo quarto die, hoc eſt, in plenitudine lucis, & decoris omnium Sanctorum, qui ipſam, veluti in plenilunio radiantem reddent, ſplendorem eiaculabitur admirabilem. Additur dies decimus quintus, in quo ſicut Iudæi ab hoſtium cæde abſtinuerunt, cadauera illorum cum voluptate ſpectantes, ita pij viri videntes eorum ſortem, qui mortem ipſis, dum viuerent, intentarunt, incredibili gaudio perfundentur. Vnde Iſai. vlt. *Videbunt cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Vbi D. Thomas, *Sancti*, inquit, *videbunt damnatos in damnationem cadentes, vermis, eorum conſcientia erit, qua etiam mortui torquebuntur. Dabit ignes, & vermes in carnes eorum, & de pœnis delectationem, quantum ad videntes iuxta illud*, Pſal. 57. *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam.* Cæterùm lætabitur, non inſultans afflictis (vt Lyra, & Genebrardus exponũt) ſed gloriam expetens, non amore vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ, quia videt Dei gloriam illuſtrari. Hæc de diebus feſtis.

Iſai. vlt.

De ieiuniis Hebræorum.
Genebrard.
Ribera.

5. De ſolennibus Hebræorum ieiuniis, vide kalendarium Hebræorum ad intelligẽdam ſcripturam, & ſynagogæ ritus à Genebrardo editum ante commentarios pſalmorum. Vide etiam Franciſcum Riberam lib. 5. de diebus feſtis Hebræorum cap. 21. apud quem etiam inuenies mentionem ſeptimi anni, qui dicitur ſabbathum terræ, ſiue annus remiſſionis cap. 22. & anni quinquageſimi, qui Iubileus appellatur, cap. 24. Nos ad Paſchæ celebritatem iam veniamus, & ad dies azimorum, quorum cauſa hæc præmiſimus, explicandos, vt Ioſue locus ex cap. 5. quem illuſtramus, legenti perſpicuum ſit, atque ad locos ſimiles ſacræ ſcripturæ intelligendos, facilem aditum aperiat.

Septimus annus, dicitur annus remiſſionis, & ſabbathum terra

Annus quinquageſimus Iubileo celebris.

Verſ. 10.]. Et fecerunt phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Hiericho.

Sitne phaſe, ſiue paſcha eadem celebritas cum die feſto azymorum.

ANNOTATIO XII.

1. DE nomine phaſe, ſiue paſcha, egimus ſuprà in explicatione contextus huius ſectionis: nunc reliqua explicanda ſunt, quæ eo loco omiſimus. Enim verò poſt aliarum Iudaici populi feſtiuitatum aſſignationem; commodiùs hæc, quæ præcipua eſt, tractabitur: dummodò intelligatur, eam, licèt in vltimum locum dilata fuerit, non vltimam eſſe. Atque in primis, vt rem indubitatam conſtituimus, paſcha, & azimorum feſtum, licèt coniungantur, non vnã, ſed duas eſſe celebritates, vt conſtat ex Leuit. 23. *Menſe*, inquit legiſlator, *primo quarta die menſis ad veſperã, paſcha Domini eſt, & die decima quinta, ſolennitas eſt azymorum.* Nihilominus paſcha, ſiue phaſe præcedens, ad ſequentem azymorum celebritatem, nomen ſuum plerunque extendit. De phaſe, ſiue paſcha ſic accipe.

Paſcha & azimorum feſtum diſtinguntur.

Leuit. 23.

Phaſe, ſiue Paſcha.

2. De Phaſe, ſiue Paſcha copioſè agitur, Exod. 12. volens namque Deus Hebræos de ſeruitute Ægyptiaca, & Pharaonis tyrannide eripere, præcepit quarta decima die menſis Martij, qui ab eo tempore illis Domini iuſſu primus anni menſis eſſe occœpit, vt in ſingulis domibus Agnus, cuius ſanguine poſtes, & oſtiorum ſuperliminaria vngerentur, immolaretur. Vt Angelus, qui Sap. 19. Omnipotens Dei ſermo, & durus bellator dicitur illa nocte deſcenſurus è cœlo ad Ægyptiorum interficienda primogenita, innoxias Hebræorum domos Agni ſanguine notatas pertranſiret. Hinc feſtum hoc Phaſe, id eſt, tranſitus dicitur. Angelus enim Hebræorum domibus, & primogenitis parcens, vicinorum domos omnes primogenitorum cæde funeſtabat. Huius beneficij memoria quotannis inſtaurabatur decima quarta die menſis Martij ad veſperum, immolato per ſingulas domos Agno, quo non licebat crudo, aut aqua cocto veſci, ſed tantùm aſſo; quibuſdam inſuper adhibitis cæremoniis, quæ Exod. 12. annotantur. Fuit autem præceptum, Deut. 16. vt in Hieruſalem tantùm, & non alio in loco phaſe immolaretur.

Exod. 12.

Sap. 19.

Angelus deſcẽdit è cœlo ad occidẽdum primogenita.

Non licebat Agnum in aqua cocto veſci, ſed aſſo tantum.
Exod. 12.
Deut. 16.
Phaſe ſolùm in Hieruſalem poterat immolari.

Azymorum dies.

3. Azymorum feſti dies, ſimul incipiebant cum feſto immolationis Agni, videlicet ad veſperum quartæ decimæ lunæ menſis Martij, & ſeptem explebant dies; quorum primus, qui erat decimus quintus, & vltimus, qui erat vigeſimus

primus ita tranſigebantur, vt ſoli eſſent feriati. Licebat tamen in eis cibos parare, quod nefas erat in ſabbatho. Per totam tamen hebdomadam, à decima quarta luna ductam veſci oportebat azimis panibus, excluſo à domibus omni fermentato; vt patet Exod 12. Leuit. 23. Deut. 16. cúmque panis azymus, nec ori, nec valetudini conueniens ſit; à Iudæis ſolennitas hæc feſtum afflictionis appellatur, præſertim quia Deu. 16. dicitur: *Septem diebus comedetis abſque fermento panem afflictionis; quoniam in pauore egreſſus es de Ægypto, vt memineris diei egreſſionis tuæ.* Vide Ioſephum lib. 3. Antiquit. cap. 10. & Philo in lib. de ſacrificiis Abel, & Cain. Inſtitutum eſt autem hoc feſtum in memoriam illius accelerationis, qua in exitu de Ægypto, maſſam præparauerant, vt panes viæ neceſſarios coquerent: tunc enim vrgentibus Ægyptiis, vt egrederentur, vtpote qui occiſione primogenitorum territi erant, fermentandi tempore denegato, Hebræi maſſam ipſam infermentatam deferentes, igni coctam vt vt poterant, comedebant.

Azimis panibus veſci oportebat integra hebdomada. Exod. 12. Deut. 16. Leuit. 23.

Panes azimi, ſunt panes afflictionis, quia inſipidi ſunt & valetudini contrarij. Ioſephus. Philo.

Textus.] Quarta decima die menſis.

An menſis, in quo iubetur immolari agnus, fuerit primus.

ANNOTATIO XIII.

1. EXODI cap. 12. præcipitur, vt Agnus primo anni menſe immoletur, his verbis: *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* &c. ſolennitatis tempus deſignatur cùm dicitur: *Menſis iſte primus erit in menſibus anni.* Fuerunt autem apud Hebræos duo menſes, qui primi vocati ſunt, ſicut & duplex annus, ſacer, & vulgaris. Annus ſacer quo in faſtis vtebantur initium habuit eo tempore, quo ex Ægypto egreſſi ſunt: quod tempus in primum menſem incidit eiuſdem anni: dicitúrq; is menſis Niſan ab Hebræis, à Macedonibus Xanthicus authore Ioſepho lib. 2. Antiquit. cap. 5. Suprà diximus, partem huius menſis incidere in Martium noſtrum, partem in Aprilem. Annus vulgaris obſeruatus eſt, quod ad commercia, & negotiationes profanas; etiam antequàm de Ægypto exirent. Vnde Ioſephus cap. 4. lib. 1. Antiquit. *Moſes, autem,* inquit, *Niſan, qui eſt Xanticus, menſem primum in ſuis faſtis ordinauit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet. Eundem etiam omnium, quæ ad rem diuinam pertinerent, exordium fecit, alioqui, quod ad nundinationes rerum venalium, reliquámque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innouauit,* &c. Eius principium præter alios Moſes Ægyptius lib. 3. ductoris dubiorum cap. 44. Septembrem facit. Hieronymus verò ſuper cap. 3. Ezech. Octobrem; idque probat ex omnium Orientalium teſtimonio, & more. Vtraque ſententia vera eſt, cùm menſis ille, cùm ſit lunaris, Septembris. & Octobris partem carpat. Vocatur autem nomine Chaldaico *Tiſri*, id eſt, *initium*, ab eóque iam inde ab Abraham, vt puto, gentes ab illo prognatæ, annum inchoabant in æquinoctio Autumnali, quòd putarent (quod multi etiam Chriſtiani doctores poſteà approbarunt) mundum tunc à Deo conditum fuiſſe; vt Lyra Gen. 7. Abulenſ. Gen. 1. quæſt. 21. Idem in priori parte ſui Defenſorij cap. 14. ſcripſit, peritos Hebræorum cenſuiſſe, mundum eſſe creatum 25. die Septembris, & Adam vltimo die Septembris eſſe formatum. Primo autem die Octobris, qui fuit dies ſabbathi, fuiſſe primi anni, primique menſis exordium. Nam priores ſex dies ad præcedentem annum, quem ex illis ſex diebus perficiunt, referendos arbitratur. Picus Mirandula cap. 6. lib. 7. aduerſus Aſtrologos, incompertum eſſe ait, quo anni tempore factus ſit mundus. Ad eos tamen accedit, qui creationem hanc ad Autumnum referunt. Diuina certe ſcriptura non obſcurè ſignificat, finem, & principium anni eſſe in menſe ſeptimo Hebræorum, qui incidit in noſtrum Septembrem, cùm Tabernaculorum feſtum iubet celebrari in exitu anni, ſeu vertente anno, Exod. 23. & 34. Itaque noſter September illis & præcedentis anni terminus erat, & ſequentis principium.

Duplex menſis primus apud Hebræos. *Duplex annus ſacer & vulgaris.*

Niſan a Macedonibus Xanticus, a nobis Martius.

Annus vulgaris quoad commercia, obſeruabatur. Ioſephus.

Annus ſacer.

Moſes Aegyptius. Hieronym.

Multi putarunt mundum à Deo creatum menſe ſeptembri.

Lyranus. Abulenſis.

Hebræi mundum creatum dicunt 25. Septembris, & Adam vltimo.

Picus Mirandula.

Exod. 23. & 34.

2. Voluit tamen Deus, Hebræis ab Ægypto exeuntibus, quò ſanctior eſſet apud eos, & diuturnior accepti beneficij memoria, vt annus ab æquinoctio verno inchoaretur, & à menſe Niſan, qui Martio reſpondet. Quocirca Iudæi ab hoc inſigni beneficio, tempora deinceps rerum memoria dignarum dinumerabant, vt videre eſt lib. 3. Regum, cap. 5. ſicut & nos, à ſalutifero Chriſti natali die, initium computandi ducimus.

3. Reg. 5.

3. Ab hoc igitur primo menſe feſti dies ab Hebræis ordine quodam recolebantur. Id tamen in duobus feſtis Talmudici obſeruare noluerũt, videlicet iubileo anni quinquageſimi, & in celebratione ſeptimi anni, quo dabatur terræ requies. In his enim exordium anni neceſſariò ſumendum erat, & computandum, ab Autumno. Si namque à verno æquinoctio ſumeretur, neceſſarium vtique fuiſſet, vt fruges ſexti anni, quæ in menſe Niſan in Palæſtina ad meſſem maturæ non erant, prorſus perirent. Toto autem ſeptimo anno, nec metere, nec facere ſementem fas erat. Promiſerat autem Deus, ni ceſſatio agriculturæ damnum afferret, celebrantibus anni ſeptimi legitimam ceſſationem, daturum ſe frugum triplicem prouentum. qui videlicet ſarciret iacturam ſexti, ſeptimi, & octaui anni.

Feſta Hebræorum a Menſe Niſan ſumebant, propter tamen ... Talmudiſtæ, ... & anni, ſeptimi ... computabant.

Iudæi in ſeptimo anno, & quinquageſimo anni exordium ſumebant ab Autumno.

4. Decens ſanè fuit, vt celebritates omnes, inde initium ſumerent. Vnde non ſolùm Hebræis libertas affulſit, ſed etiam mundi ipſius procreatio. Conſtans namque illorum Theologorum ſententia eſt, mundum verno tempore fuiſſe conditum. Ita Euſebius in omnimoda hiſtoria; quod opus inter cætera illius refert Hieronym. in libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus: affirmat enim 25. Martij die, quo Chriſtus Dominus reſurrexit, mundum eſſe cõditum. Idem confirmat Athanaſius reſpondens ad quæſt. 17. Antiochi, Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi 14. Leo Papa ſerm. 9. de Paſſione; Gregorius Nazianzenus in orat. ad nonam dominicam, Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. cap. 7. Strabus & Rabanus ſuper cap. 12. Exodi, aiunt mundum 15. kalend. Aprilis conditum eſſe. hoc eſt, 13. Martij. Beda in commentario in Hexameron ait, ſolem quarto die creatum, æquinoctium vernale, ſuo exordio conſecraſſe. Accedit, ab Aſtrologis propterea ſignum arietis, initium, & caput cæterorum Zodiaci aſtrorum vocari, quod

Verno æquinoctio mundus procreatus eſt. Euſebius. Hieron.

Athanaſius. Cyrillus Hieroſolymitan. Leo Papa. Greg. Naz. Strabus.

Rabanus.

Beda.

Aſtrologi.

non

A non dubitent in verno æquinoctio, ſole Arietem ſubeunte, mundum fuiſſe creatum. Vide Ambr. libr. 1. Hexameroo, cap. 4. vbi ea ratione docet mundum fuiſſe verno tempore conditum, quod terra iuſſu Dei berbam virentem germinauerit, quæ germinatio in vernam temperiem optimè quadrat iuxta illud poëtæ:

Ambroſius.

Verg. lib. 2. Georg.

Non alios prima naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis arcebant flatibus Euri, &c.

Ambroſius.

5. Ambroſij verba aliquot ſubiiciam, in quibus germinationis primæ rationem reddit. *Dedit*, inquit, *formam fructus, annorum curriculis primus exor-* B *tus, vt ea lege annorum vices ſurgerent, atque initio cuiuſque anni produceret terra noua ſeminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat, germinet terra herbam fœni ſeminans ſemen ſecundum genus, & lignũ fructiferum faciens fructum*, &c. In quo nobis, & moderationis perpetuæ diuina prouidentia, & celeritas terræ germinãtis ad æſtimationem vernæ ſuffragatur ætatis. Theodoretus qu. 72. ſuper Exod. dubitationem hanc, cur Deus primo die menſis iuſſerit tabernaculum erigi; ita ſoluit. *Propterea*, inquit, *quod eodem ferè tempore Deus creaturas condidit, cuius rei fidem facit arborum germinatio: Germinet*, inquit, *terra herbam virentem, &c. Incipiente enim vere prata florere ſolent, ſegetes ſemina* C *concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberauit populum Iſrael à ſeruitute Ægyptiorum, & Gabriel Archangelus ſanctæ virgini Mariæ lætum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Chriſtus Dominus ſalutarem pertulit paſſionem. Non immeritò ergo Dominus omniũ, prima die primi menſis tabernaculum erigere iuſſit, tum quod totius mundi figuram referebat, tum, vt populus ſe præpararet ad feſtum Paſcha, quod primum celebrare lex præcipiebat Iudæis.* Hæc Theod.

Germinatio verna.
Gen. 1.
Theodor.

Tabernaculum primo die menſis erigi iuſſerit Deus?
Gen. 1.

Maneat igitur, menſem primum anni ad vernum æquinoctium ſpectare; in eóq; præcipi Hebræis, vt agnum paſchalem immolent, ad recolendam accepti beneficij memoriam; ab eóque D ob multas, congruentéſque rationes rectè duci ordinem Iudaicarum feſtiuitatum.

De menſe Niſan, qui primus eſt Hebræis, aliorúmque menſium nominibus.

ANNOTATIO XIIII.

1. HEBRÆI ante Babylonicam captiuitatem, menſes proprijs nominibus non diſtinguebant, ſed ordine quodam numerationis; nimirum primum, ſecundum, tertium, &c. Quibus autem nunc vtuntur, ea à Perſis & Medis; E præſertim verò à Chaldæis ſunt mutuati. Quod obſeruari poteſt in ſcripturis ſacris, vbi non diſtinguuntur menſes ſuis nominibus, niſi poſt itionem populi ad captiuitatem Babylonicam; nempe apud Zachariam, Eſdram, Eſther, & Machabæos, vt annotauit Burgenſis in additione ad poſtillam Lyrani ſuper 12. caput Exodi. At (dicet aliquis) in 3. lib. Regum, id eſt, multo ante captiuitatem Babylonicam tempore, in 6. cap. ſecundum menſem vocari, *Zio*, etiam à 70. & in 8. capite ſeptimum menſem nominari *Elanim*, ſiue *Ethanim*, & à 70. *Ethanim*? ſunt iſta. Verùm epitheta ſunt potius illa vocabula, quam propria

Menſes apud Hebræos diſtingui cœperunt ſuis nominibus poſt captiuitatẽ Babylonicam.
Paul. Burgen.

3. Reg. 6. 8.

A menſium nomina. Pro voce namque *Zio*. Hebraice eſt, *bodeſ ziſ*, quod Latinè iuxta Chaldaicam paraphraſim, ſignificat *menſem aperitionis*, ſiue *nubarum*, qualis eſt Aprilis, in quo arbores in florem erumpunt, & ſinus terræ in noua germina aperiuntur. Vnde & noſter Aprilis nomen accepit iuxta illud Ouidij 4. Faſtorum.

Chald. Paraph.

Ouid. 4. Faſt.

Nam quia ver aperit, tunc omnia, denſáque cedit
Frigoris aſperitas, fœtáque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

2. Vox autem illa, *Ethanim*, ſeptimo menſi attributa, vt oſtendit paraphraſtes Chaldæus, ſignificat fortes. Vatablus, cauſam reddit cur noſter September, menſis fortium fuerit à Iudæis ap- B pellatus, nempe quod collecti eo menſe fructus arborum, & meſſis, in horrea inferantur ad victũ humanarum toto anno corroborandam firmitatem. Itémque ob inſignes eo menſe celebrari ſolitas feſtiuitates, qualis eſt ſolennitas tabernaculorum, & expiationis, & dedicationis templi. Acutè Caiet. exponens cap. 8. lib. 3. Regum, aliam cauſam excogitauit; ſuſpicatur enim idcircò ſeptimum menſem, qui Autumnalis eſt, menſem fortium nuncupari, quod fortes duntaxat, & robuſti homines reſiſtunt Autumni morbis. Vnde Horat.

Paraph. Chal. Ethanim, dicitur menſis etiam à ſtrenuis eius appellatione. Vatablus.

September menſis fortium dictus, quia ſeſtus habet maiores, quibus toto anno vires conſirmantur.
Caietanus.
3. Reg. 8.

September dictus eſt menſis fortium, quoniã ſoli tum fortes reſiſtunt Autumni morbis.
Horat.

Autumnuſq; grauis, Libytinæ quæſtus acerbæ

C In Autumno namque libytinarij, hoc eſt, qui parant, & efferunt funera, ob ægritudines vix ſanabiles, ingentem faciunt quæſtum; vt experientia docet. & Virgil. de peſtilentia autumnali. Georg. 3.

Vir. Georg. 3. Peſtis Autumnalis.

Hic quondam morbo cæli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totóque Autumni incanduit æſtu.
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarũ, &c.

3. Quia verò de Niſan, qui primus eſt menſis, agimus; operæpretium erit ſemel menſium Hebræorum nomina adſcribere. *Niſan* noſtro reſpondet Martio: eius fit mentio Eſdræ 2. cap. 2. Eſther capite 3. & 11. Secundus menſis reſpondens Aprili, *Iiar* dicitur; verum 3. Regum 6. nominatur *Zio*, vt annotauimus. Tertius conue- D niens cum Maio, eſt *Siuan*: Quartus reſpondens Iunio, *Tammuz*. Quintus, qui eſt noſter Iulius, dicitur *Ab*: Sextus, ſiue Auguſtus, *Elul*. 2. Eſdræ cap. 6. & 1. Machab. 14. Septimus, hoc eſt, September *Tiſri*. Octauus, ſiue October *Marheſuan*, vel potius (vt Genebr. ait in Kalend. Hebr.) *Leua*: Nonus, ſiue Nouember *Kiſleu*, ſiue *Kaſleu* de quo 2. Eſdræ, & in 1. lib. Machab. cap. 2. & 4. & lib. 2. cap. 1. & 10. & apud Zachar. cap. 7. Decimus menſis, qui December nobis eſt, dicitur *Tebet*. Vndecimus Ianuario reſpondens *Shebet*, vel *Sebath*. Duodecimus, ſiue Februarius eſt *Adar*: de quo 1. Eſdræ cap. 6. & ſæpe in lib. Eſther, & 1. E Machab. cap. 7. & in 2. cap. 15.

Menſium nomina apud Hebræos.

Niſan noſtro reſpondet Martio.
2. Eſdr. 2.
Eſther 3. & 11.
3. Reg. 6.

2. Eſdr. 6.
1. Macab. 14.

2. Eſdr.
1. Mach. 2. 4.
2. Mach. 1. 10.
Zach. 7.

1. Eſdr. 6.
Eſther
1. Macha. 7.
2. Mach. 15.

4. Eſt & *Veadar*, ſecundus Februarius quando annus eſt tredecim menſium, vnoquoque vel triennio, vel biennio; nempe ſepties intra nouemdecim annorum cyclum, quibus Luna ſuo reditu, ſolitum plenè abſoluit circulum: habet autem dies 30.

Iudæorum annus aliquando 13. menſium.

5. Intra hos menſes Iudæi, præter feſta, ſingulis annis 26. dies obſeruant, quos ex lege ieiuniis dicatos ſcribunt in libel. *Taanith*, quibus addiderunt Magiſtri, ſingulis hebdomadis ieiunia ſecundi diei, & quinti; id eſt, Lunæ, & Iouis, ob tres cauſas; nempe ob excidium templi; ob combuſtam legem; denique quod Rabſaces, nomen Dei blaſphemauerit. Hæc ieiunia Phariſæus obſeruabar,

Ieiunia Hebræorum 26. ſingulis annis.

Singulis hebdomadis duo ieiunia Rabbinorum præſcripta.

Luc. 18. — Genebrardus.

bat; idcircò dicebat, *Ieiuno bis in ſabbatho.* Aliqui & à vino, & à carnibus 40. dies ſibi temperant, quòd tandiu Moſes, & Elias ieiunauerint. Rab. Beniamin. Vide Genebrard. ad finem Kalend. Hebraici.

Primus menſis à nouilunio ſumebat initium.

6. Reuertamur iam ad menſem Niſan, à quo tantiſper digreſſi ſumus, dum aliqua ſcitu digna inſerere placuit. Hunc Deus præcepit eſſe principium anni, cuius primus dies ſicut & cæterorum, Nouilunium erat dictum *Neomenia*, ſiue *Kalendæ*, de quibus egimus ſupra Annot. 2. & in pſalmo 8. *Buccinate in Neomenia tuba in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Primus igitur dies primi menſis, erat prima luna, ſiue prima lunatio anni, incidens fere in Martium, vocatúrque Exodi 23. & 34. & Deut. 16. menſis nouorum, vel primitiuorum, vel nouarum frugum: Incipiunt enim in Palæſtina fruges in Martio maturescere, vt cap. 3. annotauimus.

Exod. 23. 34. Deut. 16. — B

Primus anni menſis, ſiue paſchalis eſt, cuius æquinoctio verno propinquius eſt plenilunium.

7. Ad cognoſcendum autem primum anni menſem, eam plerique regulam credũt eſſe haud dubiam, quæ definit eum eſſe primum, & paſchalem, cuius æquinoctio verno, hoc eſt vigeſimo primo Martij propinquius eſt plenilunium. Alij certiorem putant eam, quæ aſſerit, eum eſſe primum, & paſchalem menſem, cuius 14. dies incidit, vel in ipſum æquinoctium vernum, vel proximè poſt ipſum: quo fit, vt primi menſis nouilunium, nec ante diem octauum Martij, nec poſt (C) Aprilis quintum diem eſſe poſſit. Quanuis autem tempore Plinij vernum æquinoctium in 25. Martij diem caderet, vt patet ex lib. 18. cap. 26. hiſt. Nat. vbi ait, *æquinoctium vernum octauo Kal. Aprilis peragitur* (ſic enim legendum eſt, & non 30. Kal. Aprilis: Nicænæ tamen ſynodi tempore ad 21. Martij, vbi nunc poſt Kalendarij Gregoriani correctionem ſedem habet, retractum eſt. Hinc fit, vt nunquam primus anni menſis cõtineri poſſit intra Martium, ſed excurrere opus ſit ad Aprilem. Vide ſuper hiſce rebus, apologiam noui Kalendarij aduerſus Meſtlinum, quam exactè ſcripſit noſter Chriſtophorus Clauius; apud quem inuenies lib. 1. cap. 1. quæ ad hunc locum illuſtrãdum facere poſſunt. (D)

Æquinoctium vernum incidit in 21. Martij. Kalend. Greg.

Chriſtophorus Clauius contra Meſtlinum.

Cur voluerit Deus, vt agnus immolandus, à decima die domi ſeruaretur?

ANNOTATIO XV.

1. PRÆCEPIT Deus Hebræis, vt agnum immolandum acciperent, & domi ſeruarent, quatuor ante immolationem diebus. Exodi 12. (E) *Decima,* inquit, *die menſis huius tollat quiſque agnum per familias & domos ſuas, & ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius.* Rationes huius præcepti quatuor afferunt Hebræi: Prima, ne negotiorũ turba impeditis, ob profectionis celeritatem Dei mandatum è memoria excideret. Secunda, vt accuratè explorarent, aliquídne maculæ, aut vitij haberet agnus; anniculúſne eſſet integer, atque immaculatus? Tertia, vt ex repetito agni aſpectu occaſio eſſet inter ſe de liberatione Ægypriacæ captiuitatis colloquendi, & Deo a quo pendebant gratias agendi. Quarta, vt fiducia diuinæ protectionis erigerent animos, videntes non licere Ægyptiis eo quatriduano ſpatio quamuis alioquin lapidibus obruere ſolerent agnorum, & arietum, quos colebant, immolatores, vt Exod. cap. 8. ſcribitur, quicquam contra Hebræos moliri, quanuis balãtes audirent agnos, & ſcirent eos ad immolationem præparari.

Exod. 12.

Agnus quatuor diebus ante immolationem ſeruabatur domi ne excideret præceptum immolationis, & excitaretur memoria beneficij, &c.

Exod. 8.

Præceptum habendi domi agnum quatuor dies ante paſcha ſolùm obſtrinxit Iudæos in prima celebratione.

2. Cæterùm hoc Dei præceptum illo duntaxat tempore Iudæos aſtrinxit; non autem annis conſequentibus. Nihil enim erat deinceps futurum, quo à ſacrificio anniuerſario auerti poſſent: imò in terra promiſſionis quotidiano vſu ſacrificij, quò vnus agnus manè, alter veſperi mactabatur, ſcire facilè erat quid vitij hoſtiam damnaret. Hinc Exod. 23. & Deut. 16. & vbicunque agitur de ritu ſacrificandi agnum paſchalem, nulla huius ceremoniæ fit mentio. Quod autem Ioſephus ad finem libr. 2. Antiquir. ſcribit, agnum iuſſu Dei præparari debuiſſe à 13. die vſque ad quartam decimam; cùm iuſſionis huius nulla ſit in ſcripturis mentio; referendum eſt ad traditionem aliquam, quæ poſt primum paſcha, in egreſſione Ægyptiaca celebratum, locum habuerit.

Exod. 23. Deut. 16. — Ioſephus.

Verſ. 10.] Fecerunt Phaſe quarta decima die menſis ad veſperum.

Quodnam diei tempus ſignificetur cùm dicitur factum fuiſſe Phaſe, quarta decima die ad veſperum?

ANNOTATIO XVI.

1. ABVLENSIS ſuper hoc cap. quæſt. 66. in ſcholio, *Ad veſperum,* breuiter rem explicat: affirmat námque vocari à Iudæis veſperum totum tempus, quod conſequitur deſcenſum ſolis vergentis ad Occidentem à puncto circuli meridiani: tunc enim, inquit, expurgant domum ſuam ne maneat in ea aliquid fermentatum: Nam in feſto iſto, non ſolùm non comedebantur fermentata, ſed nec in domo eſſe licebat, vt patet Exod. 12. & multò minùs quando occidebatur agnus paſchalis. *Non immolabis,* (inquit Exod. 23.) *ſuper fermentatum, ſanguinem hoſtiæ meæ,* id eſt, manente fermento in domo, non immolabis agnum paſchalem, qui vocatur hoſtia Dei: poſtquàm autem poſt meridiem de domo omne fermentatum eſſet excluſum, licere Iudæi aiunt, hoſtiam paſchalem immolari, non tamen quocunque tempore poſt meridiem, ſed ſolùm ad ſolis occaſum, vt patet Deut. 16. cum dicitur: *Immolabiſq́; phaſe Domino veſpere ad ſolis occaſum quando egreſſus es de Ægypto.* Hoc veſperum inquit Abulenſ. ſignatur hic.

Abulenſis. — *Veſperum Iudæi vocabant totum tempus pomeridianum.* — Exod. 12. — Exod. 23. — Deut. 16. — Abulenſis.

2. Verùm cùm Latinus interpres hic tempus immolationis deſignet per particulam, *ad veſperum,* & Exod. 12. *ad veſperam:* Deut. 16. *veſperi & ad Solis occaſum.* Videndum eſt, quænam hora diei decimi quarti propriè deſignetur? Hebraicè eſt, *inter duas veſperas.* Chaldaicè, *inter duos ſoles.* Sept. *inter medium veſperarum.* Quare & nomen. & ſignificatio prænotari debet. Duobus ergo modis, & veſpera, & veſperi accipi ſolent: vno preſsè, ac propriè: altero latè, & minùs propriè.

Exod. 12. Deut. 16. — Hebraic. Chald. — 70. Interp.

3. Si propriè ſumatur, tempus illud ſignificat,

quod

Veſper, à Veſpere ſtella Veneris, veſperugo & heſperus.

quod a puncto Solis occumbentis, vſque ad noctis tenebras ducitur, & crepuſculum vocatur. Veſper enim dicitur a Veſpere ſtella, quæ eſt ſydus Veneris, & Solis ortum antegrediens vocatur Lucifer, eiuſdem Solis occaſum ſubſequens, nominatur veſper, & veſperugo. Virg. Eglo. vlt. *Heſperum* dicit.

Virg. Egl. vlt.

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus: ite capellæ.

Plinius.

4. Sydus hoc Plin. lib. 2. cap. 8. æmulum Solis, ac Lunæ vocauit, quòd præueniens ortum Solis, quaſi Sol alter, diem maturet, ſubſequens verò occaſum protoget lucem, vicémque Lunæ reddat. Eſt igitur veſpera crepuſculum propriè veſpertinum, quod in Iudæa, præſertim Hieroſolymis, vbi altitudo poli fermè eſt gradnum 32. horam vnam continet in æquinoctiis, & aliquot minuta. Eandem ſignificationem habet vox Hebræa, *Hareb*, à verbo, *Harab*, quod & *ligare*, & *commiſcere* ſignificat, quod ſcilicet veſpera liget, & nectat diem cum nocte. Quia verò veſpera tempus eſt poſt occaſum Solis, & ante principium noctis, atque adeò diei artificialis terminus, rectè Virg. 1. Æneid. crepuſculum veſpertinum ita expreſſit.

Virg. lib. 1. Aeneid.
Crepuſculi deſcriptio.

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Iudic. 19.

5. Quid ſacræ literæ? Iudic cap. 19. *Conſidera*, inquit ſacer textus, *quod dies ad occaſum declinior ſit, & appropinquet ad veſperam*, &c. In his verbis vides pro eodem poni occaſum Solis, & veſperam. Rurſus Leuit. 23. præcipitur, vt feſti dies peragantur, à veſpera ad veſperam, hoc eſt, ab vno Solis occaſu vſque ad alterum. Moris enim fuit Hebræis inchoare dies feſtos ab occaſu Solis, cum primùm ſcilicet fulgebat Heſperus, quam Veneris ſtellam vocamus.

Leuit. 23.

Feſti dies apud Hebræos peragebantur à veſpera ad veſperam.

Exod. 12.

6. Altero modo veſpera latè accipitur, & tres, vt Abulenſis cap. 12. Exod. quæſt. 10. annotauit, ambit ſignificatus. Primus eſt, quo vſurpatur pro tota nocte, vt Gen. 1. *Factum eſt mane, & veſpere dies vnus.* Nam, veſpere, poſitum eſt pro nocte: manè autem, pro die artificiali; ex quibus partibus integer, & naturalis dies componitur. Secundus, quo ponitur veſpera pro manè, ſiue crepuſculo matutino, vt Matth. 28. *Veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi, Maria Magdalena, & altera Maria venerunt videre ſepulchrum.* Vbi intelligitur per veſperam ſabbathi, diluculum primæ ſabbathi, id eſt, diei Dominicæ, vt conſtat ex Marco, qui eandem referens hiſtoriam, ait, mulieres illas valde manè vna ſabbathorum veniſſe ad monumẽtum. Quare quod veſperum Matth. ad ipſum videtur Marcus, manè vocaſſe. Tertius eſt, quo vocabulum. *veſpera*, accipitur pro toto tempore, quod ducitur à meridie vſque ad Solis occaſum: quo pacto vtitur Eccleſia hoc nomine in hymno ad nonam horam dum ait:

Matth. 28.

De hora qua mulieres venerunt ad monumentum.

Marc. 16.

Veſper in ſcriptura quomodo accipiatur.

Largire clarum veſpere.

Refutatur Abulenſis

7. Ex his vſurpationibus duæ non placent, noctem enim ſignificari nomine *veſpera*, in ſcripturis nuſquam legi. Verba autem illa Gen. 1. *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus*, aliam habent apud Chryſoſt. Baſil. Ambroſ. & Auguſt. interpretationem. Per veſperam, iuxta hos Patres ſignificatur dies præcedens artificialis, qui veſpera clauditur: per manè nox, cuius finis eſt manè, ſiue diluculum. Atque hoc modo, ſynecdoche interueniente qua ex parte totum intelligimus, integer dies naturalis conficitur 24. horis conſtans. Inſolens etiam & durum videtur ve-

Chryſoſt.
Baſil.
Ambroſ.
Auguſtinus

*Synecdoche eſt dum dicitur Gen. 1. Factum eſt manè, & veſpere dies vnus.

Matth. 28.

ſperam poni pro manè, cùm duo ſint tempora quodammodo oppoſita. Illa autem verba Matt. *Veſpere ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi*, non ſignificant manè aut diluculum diei Dominicæ, ſed veſpertinum crepuſculum, quod erat finis ſabbathi, & idcirco ſabbathi veſpera vocatur; eratque primæ ſabbathi principium, id eſt, Dominicæ; iuxta Iudæorum morem, qui à veſpertino crepuſculo dies auſpicabantur. Iam verbum *luceſcit*, idem valet, atque principium, ſiue inchoatio eſt primæ ſabbathi: vt enim Ianſenius cap. 144. & 145. Euangelicæ Concordiæ annotauit; ita locutus eſt D. Lucas, cap. 23. cùm ſcripſit. *Et dies erat paraſceues. & ſabbathum illuceſcebat.* Nã illud *illuceſcebat*, idem eſt atque incipiebat, ſiue aduentabat.

Ianſenius.

Luc 23.

Luceſcere aliquando incipere.

8. His ergo duabus ſignificationibus ab Abulenſ. excogitatis prorſus reiectis, tertiam admittimus, vt duplicem retineamus veſperæ ſignificationem ſcriptoribus ſacris iuxta & profanis conſentaneam: hanc videlicet tertio loco ab eo poſitam, quæ accipitur pro tempore, quo Sol nõdum occidit, ad occaſum tamen propinquat, ſeu (vt Cicero loquitur) præcipitat; ad quam acceptionem refertur veſpere in hymno, qui canitur ad horam nonam vbi dicitur:

Duplex veſperæ ſignificatio retinetur, tertia admittitur.

Cicero.

Largire clarum veſpere.

Eandem expreſſit poeta Latinus dicens:

Virgil. Egl. 1.

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,
Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Illam quoque primariam, & valde propriam eiſdem verbis indicauit. qua veſpera eſt, ipſum veſpertinum crepuſculum, quod ab occaſu Solis ducitur, vſque ad noctis initium de quo ſatis dictum eſt. Vtriuſque ſignificationis vſum confirmat quadripartitus horarum modus, quo dies Eccleſiaſticus abſoluitur. Dum enim ſingulis ternis horis, hoc eſt, tertiæ, ſextæ, & nonæ; ternas tribuunus horas; quartam diei partem Eccleſiæ ritus veſpertinis horis recitandis aſſignauit. Vnde in hymno veſperarum canitur.

Iam Sol recedit igneus.

Quo innuitur veſperam dici non ſolùm tempus, quo ſol occumbit, ſed etiam, quo antequàm occumbat, præcipitat in occaſum. Vtramque ſignificationem complexus eſt, Matth. cap. 14. vbi ait, veſpere facto acceſſiſſe ad IESVM diſcipulos dicentes. *Deſertus locus eſt, & hora iam præterijt, dimitte turbas, & euntes in caſtella, emant ſibi eſcas*, &c. Mox commemorato ſigno multiplicationis quinque panum & duorum piſcium, quibus quinque hominum millia Dominus ſatiauit, addit Euangeliſta: *Et dimiſſa turba aſcendit IESVS in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi.* Vides eodem die bis nominari veſpere; vnum nempe priùs, alterum poſteriùs. Priori ſignificatur tempus ante Solis occaſum, quo manducauit turba, & dimiſſa fuit. Quod Lucas cap. 9. ſignificans ait, *Dies cœperat declinare.* Marcus verò cap. 6. cùm iam hora multa fieret. Poſteriori, tempus denotatur poſt occaſum nocti accedens; de quo, *Et cùm ſerò eſſet*, inquit Marcus.

Veſpera dicitur non ſolùm tempus crepuſculi, ſed etiam, quo ante crepuſculum ſol præcipitat in occaſum. Vtramque Mat. Matth. 14.

Luc. 9.

Marc. 15.

9. His præmiſſis ſupereſt dicam, quodnam tempus ſignificetur, cùm hîc dicitur, *Factum fuiſſe phaſe quarta decima die ad veſperam.* Vel vt eſt Hebraicè, Exodi 12 Inter duas veſperas diei decimæ quartæ. Quadripartitam inuenio ſententiarum hac de re diuiſionem. Andreas Maſius hoc loco duas refert à Iudæis celebratas: vna

Tempus inter duas veſperas.

Exod 12.
Quadripartita ſententia de veſpera in qua ſiebat Phaſe.
And Maſius

eſt, veſperam eſſe totum meridianum tempus vſque ad Solis occaſum; itèmque crepuſculum ipſum poſt Solis occaſum, veſperam etiam vocari; ac proinde tempus inter duas veſperas, ſeu veſperum, dici quidquid interiacet inter declinationem Solis à pũcto meridiei, & finem ipſius declinationis: *Pars*, inquit, *Hebræorum maior ſtatuit, fas fuiſſe, mactando agno paſchali operam dare ab hora ſexta, hoc eſt, à meridie diei decimi quarti vſque ad duodecimam horam eiuſdem diei, hoc eſt, vſque ad Solis occaſum; poſt verò id agere nefas: tunc enim inchoatotam die decimo quinto feſtum agebatur; & agnus cum azymis comedebatur.* Hæc Maſius: confirmatique ait hanc ſententiam ex commentario, qui Mechilta inſcriptus eſt: vbi refertur dixiſſe Rabbi Nathan: Quid cauſæ eſt, cur tempus inter duas veſperas accipiendum ſit de eo tempore, quod à ſexta hora ad finem vſque diei labitur? Ei reſponſum eſt, non quidem afferri poſſe cauſam, ſed ita eſſe à maioribus traditum. Eodem ſpectat, quod Rabbi Simeon filius Iohai ſcriptum reliquit in libro Zohar, veſperam dici vniuerſum illud temporis interuallum, quo Sol à meridie in occidentem deuexus fertur: Similiter manè, diei tempus, quo Sol ortus aſcendit ad cœli vſque faſtigium. Cur autem huiuſmodi tẽpus vocetur inter duas veſperas, huiuſmodi rationem affert Rabbi Salomon, quòd id temporis, inter obſcuratione͂ diei hora ſeptima inchoatam, & noctis obſcurationem, quæ fuit initium ipſius noctis, decurrat. Atque hanc ipſam opinionem videtur habuiſſe Onkelus Chaldæus paraphraſtes, qui illud, *inter duas veſperas*, interpretatur *inter duos ſoles*, orientem ſcilicet, & occidentem. Idem tradit Rabbi Dauid Chinchi. Placuit hæc ſententia Lyrano, & Abulenſi, Exod. 12. & Ianſenio cap. 129. Concordiæ; qui tamen eam poſteà mutauit. Illud in hac ſententia ſolùm notari poteſt tanquam inſolens, quòd totum tempus pomeridianum, veſperam appellet; niſi dicas quidquid eſt poſt meridiem horarum veſpertinum dici à multis conſueuiſſe.

Iudæi ferè omnes putant fas eſſe Agno paſchali operam dare a meridie diei 14 vſque ad 12. horam eiuſdem diei.

Rab. Nathan.

Rab Simeon filius Iohai.

R. Salomon.

Onkelus Chaldæus.

R Dauid. Lyranus. Abulenſis. Exod. 12. Ianſenius.

10. Alteram ſententiam, quam refert idem Maſius, celebrem fecit Aben Eſra, affirmans tẽpus inter duas veſperas eſſe crepuſculum veſpertinum, inter Solis occaſum interpoſitum, & noctis initium, vt prima veſpera ſit occultatio corporis ſolaris ſub horizonte; ſecunda ſit ſolaris lucis, quæ interdum poſt illius occaſum, cernitur, obſcuratio, ſiue defectio. Hanc ſententiam videtur amplecti Oleaſter ſuper cap. 12. Exodi, & alij, qui propterea non ſunt recipiendi, quia tempora immolationis agni miſcent cum tempore, quo debet comedi cum azymis: Eſus namque agni, vt traditur Leuit. 23. & Num. 28. & panum azymorum peragebatur, die decimo quinto, qui incipiebat ab occaſu diei decimi quarti, ſcriptura autem immolationem agni diſtinguit ab eſu eiuſdem, & azymorum, referens immolationem ad diem decimum quartum: mãducationem verò illius, & azymorum, ad diem decimum quintum. Accedit, ægrè diſtingui poſſe ab Authoribus huius ſententiæ, tempus quod inter duas interiectum veſperas, dicatum erat immolationi, niſi ipſam noctem diei decimi quinti, veſperam faciant, quod ſuprà non admiſimus. Fateor tamen fauere huic opinioni illa verba Exodi 12. *Primo menſe, quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam*, &c.

Maſius. Aben Eſra.

Oleaſter. Exod 12.

Eſus agni & panum azymorum peragebatur 15. die, qui incipiebat ab occaſu ſolis diei 14.
Leuit 23. Num. 28.

Exod. 12.

A Simili enim modo loquitur ſcriptura de eſu azymorum, & immolatione agni. Quare videtur vtrumque ad veſperam, hoc eſt, ad crepuſculum, decimi quarti diei deſtinari; quod crepuſculum initium eſt decimi quinti diei.

11. Tertia ſententia eſt Lippomani intelligentis tempus inter duas veſperas, ipſam eſſe noctem, quæ inter veſperam diei decimæ quartæ excurrit vſque ad initium crepuſculi matutini diei decimæ quintæ. Cenſet enim cum Abulenſi crepuſculum matutinum vocari veſperam poſſe: ſic enim ait ſuper cap. 12. Exod. *Fortaſſe*, inquit, *quod multa eſſent illa nocte peragenda quæ breui tempore perfici nequirent, duæ veſperæ totam noctem* B *comprehendunt ab occaſu videlicet Solis, vſque ad eius ortum, iuxta illud Matth. 28. veſpere ſabbathi, quæ luceſcit*, &c. Hæc ſententia cùm nec firmus in ea ſit Lippomanus, nec confirmationem afferat aliam ab ea, quam paulò antè reiecimus, admittenda non eſt. Ad quartam veniamus.

Tertia ſententia Lippomani.
Tempus inter duas veſperas quale putauerit eſſe Lippomanus.

Matth. 28.

12. Quartam ſententiam ſequitur ſuprà citatus Maſius, enarrans hunc ipſum Ioſue locum, nempe tempus immolandi agnum paſchalem, quod denotatur per veſperum, vel per veſperam fuiſſe decimi quarti diei extremam partem, hoc eſt, illam, quæ ab hora nona finita ducitur vſq; ad Solis occaſum; habita ratione diuiſionis diei artificialis, quam Iudæi duodecim explebant horis, C tertia, ſexta, nona, & veſpera meiuns: nominibus inſuper à terminis trium horarum noſtrarum, quæ ſingulis partibus quadripartitæ diuiſionis, attribuuntur, acceptis. Verba Maſij ſunt; Statuendum eſt, veſperam in ſcriptura illud diei tempus, quo nondum quidem è noſtro orbe finiente, exceſſit Sol, ſed tamen inclinatiſſimus prope ab occaſu abeſt. Agnus porrò paſchalis mactari ſolebat extrema parte decimæ quartæ diei: Cùm autem iam mactatus, deinde eſſet aſſandus, cœnàque comparanda, noctem aduenîſſet, quæ ad diem decimum quintum pertinebat: Itaque in epulo paſchali accubuiſſe omnes in ea nocte, quæ lucem diei decimi quinti cùm præcederet, D eius diei eſſe pars cenſebatur. Hoc enim Euangelicæ hiſtoriæ conſentaneum eſt, quæ memorat Chriſtum miſiſſe duos diſcipulos ante eam noctem, quæ diei paſſionis ſuæ imminebat, ſcilicet vt agnum paſchalem mactarent. Ipſum autem cum cæteris diſcipulis tandem ὀψίας γενομένης, hoc eſt, cùm ſerum eſſet, Sólque dudum occubuiſſet, adueniſſe, & accubuiſſe, &c. Eandem ſententiam complectitur Caietanus ſuper illa verba Exodi 12. *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Statuitur*, inquit, *horam occidendi eſſe inter veſperas, hoc eſt, inter occaſum Solis, quæ eſt vna veſpera, & inter declinationem Solis ad occaſum, quæ eſt altera prior ve-* E *ſpera; ita vt tempus hoc, duas circiter horas contineat ante Solis occaſum, vt ſic tempus haberent commodum ad excoriandum, & coquendum, vt ſtatim poſt occaſum Solis poſſent illum comedere.* Hæc ille.

Maſij ſententia approbatur.

Caietanus. Exod 12.

13. Accedit huic opinioni Iudaicarum legum peritiſſimus Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 17. Aſſerit namque, conſueuiſſe paſchales hoſtias cædi à ſacerdotibus, atq; immolari ab hora diei nona vſque ad vndecimam. Relinquebatur duodecima fortaſſe hora aſſendo agno, cæteriſque ad cœnam parandis: vt poſt occaſum ſolis, hoc eſt in crepuſculo, quod erat principium diei decimi quinti, ederetur Agnus. Suffragatur quoque huic ſententiæ Ianſenius cap. 143. Concordiæ li

Hora immolationis agni paſchalis ab hora diei nona vſque ad vndecimam. Ioſephus.

Ianſenius.

cèt cap.

Card. Tolet. Ioan. 13.

cet cap. 129. ad primam acceſſerit, vt diximus. Et Card. Tolet. in cap. 13. Ioan. Annot. 4. dicens diſtincta eſſe tempora immolationis agni, & eſus ipſius; non ſolum quia quando immolabatur comedi non poterat, quia præparari opus erat; ſed quia comedendi, & immolandi tempus erat definitum. Nam decima quarta luna ante occaſum ſolis immolabatur, & poſt occaſum comedebatur. Hoc Exodi 12. ex Hebræis verbis planè colligitur. Præcipitur enim immolatio facienda ad veſperam: eſus autem carnis nocte illa. Et infrà dicitur. *Quarta decima die comedetis azyma.* Quamuis enim in vtroque loco latinè, & græcè ſit idem vocabulum, *Ad veſperam*, tamen apud Hebræos eſt varia. Nam agnus immolandus dicitur Hebr. *inter duas veſperas*, Agnus verò iubetur comedi nocte, & rurſus ad veſperam, ſed in ſingulari בערב. Eſt autem diſcrimen non exiguum. Agnus namque verè immolabatur. 14. lunæ, quæ dies finitur ſolis occaſu: ab occaſu enim ſolis iam inchoabatur celebritas decimi quinti diei ſequentis. Quare agnus immolabatur ante ſolis occaſum: & cum azymis poſt ſolis occaſum comedebatur. Azymis autem veſci, mos erat nonniſi in ingreſſu decimæ quintæ diei. Cùm ergò Agnus cum azymis comedendus eſſet, meritò dicitur nocte, ſeu ad veſperam comedendus immolandus verò, inter duas veſperas: habebant enim Hebræi duas veſperas, vt ſuprà annotauimus.

Exod. 12.

Conciliatur D. Ioannes dicens, Chriſtum cœnaſſe ante diem feſtum Paſchæ; *cum cæteris Euangeliſtis, qui ſcribunt, Chriſtum comediſſe paſcha* primo die azymorum.

ANNOTATIO XVII.

Chriſtus comedit paſcha ipſo primo die azymorum.
Luc. 22.

1. CONVENIVNT tres Euangeliſtæ Chriſtum comediſſe paſcha ipſo primo die azymorum. Lucas ſic ſcribit cap. 22. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha; & miſit Petrum, & Ioannem*, &c. Marcus. 14. *Prima die azymorum, quando paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli, quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces paſcha, & miſit Petrum, & Ioannem.* Matth. 26. *Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad IESVM dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Solus Ioannes cap. 13. ait. *Ante diem feſtum paſchæ.* Vnde Græci ſchiſmatici hunc errorem, cæteris quibus ab Eccleſia catholica diſſentiunt, accumularunt, vt dicerent, tres Euangeliſtas erraſſe, atque à Ioanne emendari. Blaſphema hæc aſſertio, ex Auguſt. Epiſtola 19. ad Hierony. confutatur, vbi affirmat, totam labi ſcripturæ authoritatem, ſi vel minimum in ea admittatur mendacium.

Marc. 14.
Matth. 26.
Ioan. 13.
Error Græcorum hauſtus ex verbis Ioannis male intellectis.
Auguſt.

Facilis conciliatio trium Euangeliſtarum cum Ioanne.

2. Cæterum Euangeliſtarum conciliatio facilis eſt, ſi perſpicias; quamuis apud Hebræos feſta celebrarentur, à veſpere, id eſt occaſu Solis, vnius diei, ad veſperam, id eſt, occaſum alterius ſequentis diei; Et idcircò à veſpere decimæ quartæ diei inciperet prima dies azymorum, quæ erat decima quinta Luna, illam tamen veſperam aliquando attribui præcedenti, aliquando ſequenti diei. Hinc fit, vt veſper decimæ quartæ, nunc

A illi, nunc ſequenti diei adnumeretur. Exemplum habes, Exod. 14. *Primo*, inquit, *menſe quarta decima, ad veſperam, azyma comedetis* &c. Vides noctem illam, decimæ quartæ diei attribui; præcipíque in ea azyma comedi? Deinde dicitur. *Septem diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentatum in domibus veſtris.* An non veſpera, & nox illa ſequenti diei annumeratur? Sanè in veſpera decimæ quartæ non erat fermentum domi, ſed azymi panes. Hac doctrina præmiſſa, quæ indubitata eſt, dico, omnes quatuor Euangeliſtas, noctem & veſperam, in qua Agnus comedebatur, retuliſſe ad 14. diem Lunæ; & ſequentem diem appellaſſe 15. Vocarunt quidem 14. diem azymorum, non

Exod. 14.

Tres Euangeliſtæ veſperam, in qua agnus comedebatur, retulerunt ad 14. diem, quem appellarunt azymorum, quia ea nocte azyma incipiebant comedere.

B quia in ea azyma comederentur, ſed quia illa nocte erant comedenda, attributo nomine diei per ſynecdochem parti extremæ, ſiue veſperæ. Computabant enim noctem illam & veſperam, pro decima quarta quando Dominus diſcipulos miſit, vt paſcha illo veſpere edendum præpararent. Ioannes etiam cõputans veſperã decimæ quartæ diei cum eadẽ 14. die, ait, *Ante diẽ feſtũ paſchæ*, hoc eſt in veſpere decimæ quartæ diei, quæ veſpera præcedit 15. diem, qui celeberrimus erat, & paſchæ ſolennitas dicebatur, vt conſtat Num. 28. Quare eundem diem ſignificat, quàm cæteri Euangeliſtæ, nempe 14. Lunæ: veſperam computans ſicut & illi cùm 14. Meritò refutat Toletus

Quomodo D. Ioann. intelligat illa verba: Ante diem feſtum paſchæ.

Num. 28.

Cardin. Toletus.

C Recentiores quoſdam aſſerentes, dici, *ante diem feſtum*, quia hoc factum ſit paulò ante veſperam, quam carpebat tanquam partem ſuam decimus quintus dies. Ioannes enim deſcribit tempus, quo Dominus lauit pedes, & cœnauit; quod ait, factum ante diem decimum quintum: at lotio, & cœna legalis peragebantur poſt veſperam, & poſt Solis occaſum.

Lotio pedum & cœna legalis poſt Solis occaſum fiebat.

3. Dici etiam commodè poteſt, Hebræos vſu ſcripturæ edoctos non conſueuiſſe appellare dies, niſi eos, qui à nocte diſtinguantur: nec in ſacris literis vnquam diem vocari, niſi id temporis, quod à nocte ſecernitur; atque adeò noctem

D annecti ſequentibus diebus. Iuxta hanc doctrinam, dicendum eſt; quando à Ioanne dicitur. *Ante diem feſtum*; diem non ſumi, vt dicitur ab occaſu ſolis, ſed ab ortu: quamuis igitur feſtum ab occaſu inciperet, quoad ſolennitatem; dies nihilominus ab ortu accipiebat initium. Quare *Ante diem feſtum paſchæ*; fuit nox illa præcedens inter 14. & 15. diem. Cæteri verò Euangeliſtæ, primum diem azymorum appellarunt decimam quartam quia in ea parabantur azymi panes, qui nocte ſequenti edendi erant. A præparandis igitur, & fingendis azymis, decima quarta dies dicta eſt prima dies azymorum; Ad quem ſen

Cur decima quarta dies dicatur, à tribus Euangeliſtis prima azymorum?

E ſum Lucæ, & Marci verba rectè accommodantur. *Prima dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha*; Paſcha autem non occidebatur niſi decima quarta ante ſolis occaſum. Videntur ſanè ab azymis parandis vocare 14. diem; diem azymorum. Fortè iam ea die multi azymis veſcebantur (id enim nulla lege prohibitum erat. Ioſephus enim 2. Antiquit cap. 5. refert, Iudæos dies azymorum octo numeraſſe, quod profectò verum eſſe non poteſt, niſi decima quarta dies azymorum vocetur. Hæc ad conciliationem Euangeliſtarum trium cum Diuo Ioanne Maior, & celebrior controuerſia eſt, an Chriſtus paſchæ ſolennitatẽ anteuerterit eo anno, quo paſſus eſt mortem pro generis humani redemptione? Sunt enim ea de re inter graues authores diſcrepantes

Ioſephus.

ſententiæ, quas attingam breuiter, vt quod probabilius eſt, id eluceat.

An Chriſtus celebrauerit paſcha in poſteriori veſpera diei decimi quarti ſicut præſcriptum erat Iudæis.

ANNOTATIO XVIII.

Euthymius. Prima opinio.

Chriſtum comediſſe paſchalem agnum 13. die, & paſſum fuiſſe 14. putarunt aliqui.

1. VARIÆ ſunt hac de re opiniones. Prima eſt, Euthymij aſſerentis, Matth. 26. diem quo Chriſtus celebrauit Paſcha, fuiſſe decimam tertiam Lunæ, & paſſum decima quarta; quando iuxta legem, paſcha celebrabatur. Atque adeò Dominum anteuertiſſe vna die paſchæ celebritatem, mortémque pertuliſſe quando ſecundum legem verè Agnus immolabatur. Idem videtur ſentire Cyrill. lib. 12. in Ioannem cap. 2. & Græci, vt conſtat ex Niceph. lib. 1. cap. 28. à multo iam tempore hoc ipſum, contra Catholicæ Eccleſiæ, ſiue Latinæ placitum defendunt.

Cyrill.

Nicephor. Græcorum opinio diſcrepat ab Eccleſia catholica.

Chryſoſt. Secunda opinio.

Ioan. 18. Theophyl.

2. Secunda, quam aliqui Chriſoſtomo hom. 82. in Ioannem tribuunt, cùm tamen eam ille non apertè indicet, & quam recitauit Theophy. in illud Ioan. 18. *Non introierunt prætorium, ne contaminarentur, vt poſſent comedere Paſcha*: cenſet à Chriſto agnum mãducatum fuiſſe decima quarta, & mortem toleratã 15. Nec Iudæos aut Chriſtum diuerſo tempore Agnum edere ſolitos. Cæterùm, quia id temporis procurandæ Chriſti neci intenti erant Iudæi, contra morem, & legis præſcriptum eſum, & celebritatem agni in decimam quintam distuliſſe: ita ſcilicet vt Chriſto mortuo, & ſepulto, Paſchalem agerent ſolennitatem.

Iudæos diſtuliſſe eſum Agni, vt mortuo Chriſto paſcha peragerent, opinio fuit.

Tertia ſententia probabilis.

3. Tertia ſententia quæ à ſecũda parùm, diſcrepat, & quam probabilem puto, eſt quorundam, qui concedunt à Chriſto manducatum fuiſſe paſcha 14. & mortem toleratam die ſequenti. A Iudæis tamen eſum agni paſchalis fuiſſe ad veſperam 15. diei tranſlatum quando ſcilicet Chriſtus in cruce mortuus eſt; eámque diem ab eis, licet reuera decimaquinta fuerit, vocari decimam quartam ob traditionem, quam hodie obſeruãt. Quando enim dies primus lunæ menſis primi incipit die Lunæ, Mercurij, aut Veneris, non inchoant numerationem ab illo die, ſed à ſequenti, & illo anno aliter computatur primus dies menſis, ſecundum curſus lunaris veram computationem; aliter ſecundum traditionem Iudæorum. Quæ traditio idcirco introducta eſt, ne duo feſta concurrant, in quibus nihil fas eſt operari. Exiſtimabant namque, graue eſſe, & populo incommodum ab omni ſeruili opere, & itinere vacare duobus continuis diebus. Si autem nouilunium Martij incideret in diem Lunæ, ſeu in feriam ſecundam feſtum expiationis, quod eſt decima Septembris, die Veneris agendum eſſet, eſſentque duo feſta in die Veneris, & Sabbathi coniuncta: ſi autem nouilunium Martij eſſet die Mercurij, idem expiationis feſtum incideret in diem quæ illis eſt prima ſabbathi, & nobis Dominica, oporterétque ſabbathum & ſequentem diẽ obſeruare. Quid ſi prima dies eſſet feria ſexta? tunc feſtum Tabernaculorum; ſiue ſcenopegia cum incidat in decimãquintã Septembris, cele-

A braretur in die ſabbathi, quæ eſt nobis Dominica, concurrerêntque ſimul in coniunctis diebus, ſabbathum & feſtum Tabernaculorum. Simili ratione ſi dies Veneris eſſet prima Martij eo anno, dies azymorum eſſet dies Veneris, quæ coniungitur ſabbatho, atque adeo duo feſta ſimul concurrerent.

4. Aiunt ergò hi Autores, quando Chriſtus paſſus eſt, nouilunium fuiſſe die Veneris: ob idque à Iudæis tranſlatum eſſe in diem ſequẽtem: vnde accidit, vt dies Iouis fuerit verè decima quarta, & dies Veneris in qua paſſus eſt mortem decima quinta. Propter tranſlationem tamen nouilunij

B à qua numeratio incipit, non reputari decimam quintã, ſed decimãquartã. Et quando agnum comedit decimã tertiã iuxta Kalendarium Hebræorum illius anni. Ex hac opinione ſequitur Chriſtum voluiſſe veſci agno paſchali ſecũdùm tempus à lege deſignatum, non ſecundum Iudæorum traditionem, quam vel hodie obſeruant.

Kalendarium Hebræorum.

5. Hæc ſententia multùm differt ab illa Græcorum. Illi nãmque aſſerunt in ipſa decimatertia, die à nouilunio verè computata, Chriſtum ediſſe agnum, & paſſum decima quarta die, vt cum immolatione agni typici, concurrat immolatio agni eo typo figurati; vnde vt manifeſtum eſt, multa inferuntur incommodã contra legitimum Euangeliſtarum ſenſum. Huius verò tertiæ ſen-

Iuxta Græcorum opinionem concurrit immolatio agni typici cum immolatione veri agni.

C tentiæ aſſertores, dicunt, Chriſtum verè decima quarta celebraſſe Paſcha iuxta ritum legis, ſiue vt canit Eccleſia.

—Iuxta legitima
Priſcis indulta patribus.

Et decima quinta mortuum; Hebræos autem ob prædictam tranſlationem feſta commutaſſe. Pro hac ſententia allegatur Orig. tract. in Matth. 35. Chryſoſt. & Theoph. in 18. Ioan. & Euthym. ſuper 26. Matth. Et Niceph. lib. 1. cap. 28. Quod tamen hi authores dicunt, Chriſtum legitimum diem præueniſſe, eam aſſertionem nos refutamus. Fertur, Paulum Burgenſem doctum ſacrarũ

Origen. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Niceph.

D literarum ſcrutatorem, magnã olim huic ſententiæ tribuiſſe authoritatem. Eam aliquæ rationes ſatis probabilem reddunt. Prima eſt quia Ioan. cap. 18. refert, Iudæos non fuiſſe auſos in Prætorium Pilati ingredi; ne profanæ ædis ingreſſu polluti, paſcha edere non poſſent. Nondum igitur ederant. At Chriſtus nocte præcedente iam ederat; non igitur Iudæi eodem, quo Chriſtus die, ſed poſtridie agnum comederunt. Hoc argumentum multos in hanc ſententiam traxit authores vt affirmat Maldonatus ſuper capit. 26. Matthæi, quibus ipſe videtur accedere. Quod verò aliqui excogitarunt, paſcha eo loco ſignificare

Paulus Burgenſis.

Prima confirmatio tertiæ ſententiæ. Ioan. 18.

Maldonatus. Matth 26.

E azymos panes, non ſoluit argumẽti vim, cùm inſolens ſit in ſcriptura azymos panes vocare paſcha, & ex nulla conſuetudine, aut lege conſtet, neceſſe eſſe, vt mundi accederent Iudæi ad azyma edenda. Alij reſpondent, paſcha quidem eo loco, agnum ſignificare, ſed ſenſum eſſe, vt eadem nocte ante lucem paſcha ederent, quia nondum nox illa præterierat, qua agnum interfici, & mãducari neceſſe erat. Inquit enim Euangeliſta: *Erat enim manè, & non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha.* Hæc tamen reſponſio ex eo refutatur, quod lex prohibebat, non ſolùm ne totus agnus, ſed etiam ne quidquam ex illo vſque ad manè relinqueretur vt patet Exod. 12. Accedit, Iudæos non ita imprudentes fuiſſe, vt valde diluculo ſolicitarent

Exod. 12.

præſidem,

præſidem,& à ſomno inuitum excitarent,cùm in A accuſatione contra Chriſtum,illius demereri voluntatem optarent. Cur ergò Ioannes particulam *manè*,veluti de induſtria poſuit? Reſpondent huius opinionis aſſertores,id ab eo factum, vt ſignificaret, illuceſcere iam cœpiſſe ſequentem diem: itaque non ſupererat dies vnus integer vſque ad diem, quo Iudæi paſcha erant celebraturi; ſi enim tunc contaminati, & polluti eſſent, non relinqueretur ſatis temporis, vt ſe mundarent; cùm neceſſe eſſet vno ſaltem die, qui ſemel contaminabatur, immundum manere.

Secunda confirmatio tertiæ ſententiæ.
Ioan. 19. 14.

6. Secunda eſt, quia Ioan. 19. ver. 14. ſic habet: *Erat autem Paraſceue paſchæ, hora quaſi ſexta.* Quæ verba referuntur ad diem, quo Chriſtus damna- B tus eſt, & crucifixus, eúmque ipſum paſchæ Paraſceuen nominat,id eſt,pridie diei paſchæ. Nondum igitur Iudæi paſcha celebrauerant. Dicet aliquis huius ſententiæ impugnator fuiſſe paraſceuen, non quidem paſchæ, ſed ſabbathi. Eſt enim παρασκευὴ, præparatio,eorum ſcilicet,quæ ad diem ſequentem neceſſaria erant.Die autem paſchæ,non vetabat lex, quæ ad victum attinebant præparare. Exodi 12. verſ. 16. *Dies prima erit ſancta,atque ſolennis, & dies ſeptima eadem celebritate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quæ ad veſcendum pertinent*, &c. ſolùm ſabbatho concedebatur paraſceue, hoc eſt, dies antecedens, in quo cibi, qui in ſabbatho parari non poterant, C præparentur. Vnde Marcus 15. 14. *Et cùm iam ſerò eſſet factum,quia erat paraſceue, quod erat ante ſabbathum,&c.* Explicans enim quid ſignificaret paraſceue, dixit, ὅ ἐστι προσάββατον, id eſt,pridie ſabbathi. Hæc huius ſententiæ authores non impugnant, negant tamen, apud Ioannem, idem eſſe paraſceuen paſchæ, ac ſi dicat,paraſceuen ſabbathi, quod dies erat paſchæ. Abſurda enim eſt ea locutio. Paraſceuen igitur paſchæ Euangeliſtam eo cōſilio appellaſſe dicunt, diem paſſionis Chriſti, antecedentem Paſcha (quamuis inſtituto maiorum, paſcha paraſceuen non haberet) quia eo anno iuxta Hebræorum kalendarium,paſcha incurrerat in ſabbathum: Quod nemo intelligeret, D niſi ita loquutus fuiſſet. An id intelligeres, ſi abſolutè dixiſſet paraſceue?

παρασκευὴ *quid ſit*
Exod. 12. 16.
Mar. 15. 14.
D. Ioannes videtur locutus iuxta kalend. Hebraicum.

Tertia confirmatio.
Ioan. 19. 31.

7. Tertia,quia cap. 19. 31. Idem Ioannes affirmat, fuiſſe magnum diem illum ſabbathi; hoc eſt,non ordinarium, ſed ſanctiorem & celebriori ritu colendum eo anno. Cur ita? quia in eundem diem, ſabbathum, & paſcha conuenerant. Dices,vocari magnum ſabbathum, non quòd ſimul eſſet paſcha; ſed quod dies vnus azymorum? Id ſanè pernego. Hoc enim nihil ad id quod Euāgeliſta probare inſtituerat, facere potuit. Reddebat namque cauſam cur Iudæi Pilatum rogauerint, vt Chriſto,& latronibus crura,quo citiùs animam efflarent, frangi iuberet, & ante ſabba- E thum de cruce tolli. Cauſa hæc erat;quia die ſabbathi tolli non poterant, & reliqui affixa cruci non decebat: multóque minùs, eo quod magnū erat illud ſabbathum. Ad hanc cauſam firmandam, dies azymorum nihil afferebat momenti; cùm omnibus azymorum diebus, primo, & vltimo exceptis,fas eſſet, laboribus, & negotiis tempus impendere. Exod. 12. 16. Quid ergo magni, quid ſanctitatis,intermedij dies azymorum, ſabbatho addere poterant, vt Ioannes ob eam coniunctionem, magnum diem illum ſabbathi vocaret? Erat ergo inquiunt huius ſententiæ authores, magnus ille dies,& quia ſabbathum, & quia paſcha; quorum neutro fas erat, aut corpora de cruce deponere, aut ſepelire, aut in cruce relinquere, ne aſpectu cadauerum, & præſentia, religio diei celeberrimi contaminaretur.

Cur dixerit Ioannes magnū diem ſabbathi &c.
Exod. 12. 16.

Quarta confirmatio.
Marc. 14. 2.

8. Quarta ſumitur ex Matth. 26. 5. & Marci ca. 14. 2. *Dicebant autem,non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo:* Nam qui de Chriſti cæde deliberabant, nolebant vt differretur illius mors, vt contrariæ ſententiæ authores interpretantur, vltra paſcham (id enim eorum furor, & inuidia nō patiebatur) ſed potius vt accelerarerur, antequā dies paſchæ adueniret,qui ipſis poſt duos dies futurus erat. Facit ad confirmationem illud Ioan. 13. *Ante diem feſtum paſchæ ſciens* IESVS *quia venit hora eius,vt tranſeat,&c. In finem dilexit eos,& cœna facta, &c.* Vbi certum eſt non quemlibet paſcha præcedentem diem,ſed proximum,& pridianum intelligi:Illud incertum,an paſcha Chriſti intelligatur? probabile tamen eſt, ſignificari paſcha, quod celebraturi erant Iudæi, cùm agat de cœna,quam Chriſtus egit, & lotione pedum, quę illius diei initio facta ſunt,quo Chriſtus paſcha celebrauit. Itaque ſi de Chriſti paſcha Ioannes loqueretur,non dixiſſet: *Ante diem feſtum paſchæ*, ſed die feſto paſchæ, ſicut Matth. 26. & Mar. 14. dixerunt: *Prima autem die azymorum*; cùm non de ipſo die Paſchæ, ſed de eius præparatione loquerentur, quàm pridie Paſcha fieri oportebat. Rurſus videtur Ioannes ſignificare illis verbis, voluiſſe ſingularem Chriſti amorem erga diſcipulos, non in celebratione paſchatis, quam aliis iam retro annis peregerat; ſed nouis rebus, hoc eſt lotione pedum, & Euchariſtiæ inſtitutione, quod antè non fecerat; duo autem illa peracta iam cœna Agni paſchalis facta ſunt; atque adeò multa iam nocte,hoc eſt, iam aliquantulum prouecto die paſchæ lege præſcripto; quod Chriſtus celebrauit,pręueniens diem in quem Iudæi ſuum paſcha tranſtulerant. Quare non potuit Euangeliſta verè dicere ante diem Paſchæ Chriſti facta fuiſſe. Supereſt igitur, vt Ioannes de Iudæorum paſchate loquutus ſit, quod commune erat, & vulgo notum, vt volunt huius opinionis aſſertores.

Ioan. 13.
Matth. 26.
Mar. 14.
Inſolitis rebus voluit Chriſtus moriturus indicare amorē ſuū ſuis nempe lotione pedum,& Euchariſtiæ inſtitutione.

Quinta confirmatio.
Luc. 23.

9. Quinta, quia ſi in eo die quo Chriſtus cruci affixus fuit, & paſcha celebrauerat, Iudæorum quoque paſcha fuiſſet, non licuiſſet Ioſepho homini probo,& iis qui illum iuuarunt, Chriſtum de cruce tollere,ac ſepelire:cùm ſanctæ mulieres, de quibus Luc. 23. ne ad ſepulchrum quidem ire, nec corpus vngere propter ſabbathi religionem voluerint; nec credibile eſt, principes ſacerdotum,& Scribas, qui Chriſtum accuſabant de religione violata,in ipſo die feſto Paſchæ omnium ſanctiſſimo, capitalem aduerſus Chriſtum cauſam egiſſe;cùm nullo feſto die, cauſam agere, vel leuiſſimam fas eſſet. Fecerunt illi quidem aliqua die ſabbathi, quæ parùm licere videbantur, ſed multò leuiora: nempe Pilatum adierunt, petierunt cuſtodes corporis Chriſti, ne à diſcipulis aliò transferretur. Acceſſerunt etiam ipſi ad ſepulchrum, & adhibitis cuſtodibus, ſigillo muniérunt. Illud graue erat in die paſchæ, hominē trahere ad iudicium,accuſare, crucifigere. Profectò ſi metu numinis non mouebantur; at timore vulgi abſterreri debuerunt; formidantes, ne de religione violata inſimularentur, & occaſionem darent turbæ tumultuanti, quod contra religionem diei,in virum, quem multi prophetā, & ſanctum prædicabant,profano odio impulſi conſurgerent.

Hoc illi timentes dixerunt: *Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Hanc ego opinionem, vt probabilem lectori offero, dummodo probabiliorem habeat quartam, quam vt communiorem, ita vt veriorem plures amplectuntur.

Vera ſententia de die quo Chriſtus celebrauit Paſcha.

ANNOTATIO XIX.

Refutatur opinio Græcorum.

Chriſtus non comedit paſcha 13. luna.

1. VT quartam ſententiam quæ à pluribus approbatur, explicatè omnes intelligant, quatuor propoſitionibus illius vim expediemus. Prima eſt, Chriſtus non comedit Agnum 13. luna præueniens tempus lege definitum, vt Græci falsò aſſerunt. Hæc præter Catholicorum omniū conſenſum Euangeliſtas patronos habet. Nam Matth. cap. 26. Mar. 14. Luc. 22. affirmant die azymorum quādo neceſſe erat occidi paſcha, Dominum miſiſſe diſcipulos vt paſcha ſibi præpararent. Igitur Chriſtus non præuenit tempus; erraſſe verò tres Euangeliſtas, & correctos à Ioanne eſſe; ſi quis dixerit cum Græcis, error erit nullo modo tolerandus.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Quando Chriſtus paſcha celebrauit, Iudæi etiam celebrarunt.

2. Secunda, quando Chriſtus paſcha celebrauit, Iudæi etiam celebrarunt, nempe 14. luna ad veſperam. Hæc eſt contraria tertiæ opinioni, quam vt probabilem recitauimus. Nihilominus pro hac ſententia faciunt Euangeliſtæ ſi bene inſpiciantur. Matth. 26. ait. *Primo die azymorum, quando neceſſe erat occidi paſcha.* Quid eſt: *quando neceſſe erat occidi paſcha?* Profectò, quando opus erat ab omnibus occidi. Id autem quod neceſſe erat fieri prætermiſſum eſſe, aut dilatum, quomodo credibile eſt, ſpectata Iudæorum ad Moſaicas ceremonias obſeruandas, propenſione? Quid, quod Marc. 14. ait: *die azymorum, quando immolabant paſcha?* verbum immolandi, nónne eos ſeruire legi indicat? Luc. 22. inquit: *Appropinquauit dies azymorum, qui dicitur paſcha.* Quid clariùs? ſanè ſi tranſlatio fiebat, dies illa paſcha dici non potuit. Confirmatur adhuc hæc ſententia, quia diſcipuli Chriſto dicunt: *vbi vis paremus tibi comedere paſcha?* Dominus autem mittit illos ad quendam, cui nuntiarent. *Apud te facio paſcha.* Ergo notum erat etiam vulgo illud paſchæ tempus. Hinc conſtat, multa excogitari ab authoribus ſecundæ & tertiæ ſententiæ ad interpretandos Euangeliſtas, quæ licet probabilia videantur, vim tamen afferunt ſcripturæ; nec illis ſuffragatur Iudæorum noſtri temporis obſeruatio, quanuis dicant, antiquiſſimam eſſe; perfidi namque ſunt, & mendaces, quippe qui fabulis deditı ſint, & nihil ferè legis obſeruent.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

Falſum eſt fundamentum Iudæorum: probatur ex Ioſepho.

3. Quod autem falſa ſit recentiorum Iudæorum traditio circa tranſlationem paſchæ in ſabbathum, ne duo dies feſti concurrerent; quod eſt huius ſententiæ fundamentum: manifeſtum eſt ex Ioſepho. lib. 13. Antiq. cap. 16. *Antiochus,* inquit, *erecto trophæo ad Lycum flumium, vbi Indatem Parthorum ducem profligauerat, hæſit ibi per biduum ad preces Hyrcani Iudæi, quod in id tempus fortè quædam Iudæorum feſtiuitas incurrerat, per quam non licebat eis iter facere. Verum autem eſt, quod ille ſcripſit: nam Pentecoſte inſtabat poſt ſabbathum, quo tempore noſtris iter facere nefas habetur.* Hæc Ioſephus. En duo feſta, ſabbathum ſcilicet, & Pentecoſte ſimul obſeruari vides. At quis non perſpicit, quando Paſcha, & Pentecoſte ſimul concurrunt, etiam paſcha, & ſabbathum fuiſſe coniuncta? Accedit, hanc recentiorum Iudæorum traditionem, canitiem non habere: conſtat enim ante annos non ita multos, talem tranſlationem non fuiſſe in vſu inter ipſos, ſed aliquando ſimul celebratum fuiſſe paſcha feria ſexta, & poſteà ſabbathum; & manipulum ſpicarum demeſſum veſpere feriæ ſextæ, etiam ſabbatho incipiente. Vide commentarium Rabbi Iſaac Arama, in libro Achrdach Iſaac, id eſt ligationis, Iſaac ſuper illud Leuit. 23. *Cùm veneritis in terram, quam ego do vobis, & meſſueritis, &c.* Vbi citat librum Menahoth, quæ eſt pars Talmud multis annis poſt Chriſtum compoſita, ex qua conſtat, nouitiam eſſe illam tranſlationem.

Ioſephus.

Pentecoſte poſt ſabbathū quando incidebat præceſſerat conuentio paſchæ & ſabbathi.

Rab. Iſaac.

Iudæi non diſtulerunt paſcha in alterum diem propter Chriſti mortem.

4. Tertia propoſitio: Iudæi non diſtulerunt paſcha in alterum diem propter Chriſti mortem. Hæc ſecundæ ſententiæ, quam Toletus in Ioan. cap. 13. Annot. 5. §. 3. reſponſio, tolerabiliorem eſſe affirmat, quam primam antecedentem, & tertiam ſequentem, omnino aduerſatur. Confirmatur tamen, quia vix credibile eſt Iudæos contra expreſſam legem, agere voluiſſe, quo tempore ſe legis obſeruantiſſimos, conabantur oſtendere; contrà verò Chriſtum, quem accuſabant tāquam religionis, & obſeruantiæ violatorem, dignum morte eſſe Pilato perſuadebant.

Ioan. 13. Tolet. Card.

Chriſtus immolauit paſcha eodem die, quo Iudæi ſeruata illorum more.

5. Quarta propoſitio: Poſtremum paſcha, quod proximè ante mortem Chriſtus immolauit, eodem tempore ſacrificatum fuit, quo ſecundùm legem, & morem Iudæorum, immolari debuit; atque adeò in poſteriori veſpera diei decimi quarti; vt ſæpè dictum eſt. Hæc ipſa Euangelica hiſtoria patet: Docet enim ea ipſa nocte, captum fuiſſe Chriſtum, in cuius principio paſcha celebrauerat cum diſcipulis; principium autem illud fuit veſpera poſterior decimi quarti diei. Nam ſi in priori id egiſſet, vt Græci volunt, quomodo verum eſſet, eum in proxima nocte, & die captum, accuſatum, & crucifixum fuiſſe? Quid geſtum ſit declarat Canon miſſæ, qui, vel ab Apoſtolis, vel ab Alexandro, id eſt, ſummo Pontifice, qui anno à Chriſto nato 120. floruit ſub his verbis additus eſt. *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, &c.* Vides Chriſtum cùm celebraret paſcha Iudæorum vt refert Ioan. 13. inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum ad veſperam proximè antecedentem diem paſſionis, hoc eſt, pridie quàm pateretur, qui fuit dies 15. Eſt enim vetus Eccleſiæ, & certa traditio Patrum teſtimonio confirmata Chriſtum Dominum paſſum, & mortuum 15. die mēſis primi in ipſo plenilunio. Dionyſ. Areopag. in Epiſtola ad Polycarpum, & in Epiſtola ad Apollophanem philoſophum, aſſerit, oculis ſuis aſpexiſſe ſe Ecclypſim ſolis, quæ contigit ipſo die mortis Chriſti, hoc eſt decima quinta luna, & in ipſo plenilunio. Vide Ambroſ. lib. 10. Epiſtolarum, epiſtola 33. Bedam de ratione temporum cap. 45. Franciſcum Rib. virum in ſacris literis tractandis diligenter verſatum lib. 5. de Templo, cap. 3.

Vetus Patrum traditio eſt Chriſtum fuiſſe crucifixum die primi menſis, in plenilunio.

Dion. Areop.

Ambroſ.

Beda.

Ribera.

Dicitur a Rab. Meſſias liberaturus Iudæos, die, ac menſe, quo liberauit Iſraelitas ab Ægypto.

6. Atque vt mirabilem diuinæ prouidentiæ ordinem perſpicias, ſcito traditionem ab Hebræis celebrari eam, quæ docet, quo menſe anni, & quo eius menſis die conſecuti ſunt Iſraelitæ libertatem ex Ægyptiaca tyrannide; poſteris temporibus, eodem anni menſe, & die Meſſiam eis

per-

Andr. Maſ.

perfectam libertatem allaturum. De qua re ita Andreas Maſius hoc loco. *Addam*, inquit, *vnum memorabile ſanè, quod in Talmud ſcriptum reperi, vbi de anni principio diſputatur: celebrem fuiſſe & veterem opinionem apud priſcos Iudæos, qui dies vertentis anni fuiſſet initium Hebræis libertatis Ægyptiacæ: eundem quoque olim ipſis fore initium libertatis, quam eſſent à Meſſia recepturi. Quam autem id pulchrè cum noſtræ religionis conſonat doctrina, nemo non videt. In Ægypto adepti ſunt illi libertatem menſe primo medio, hoc eſt cum luna ex aduerſo oppoſita ſoli, toto ſuo luceret orbe: Chriſtus quoque Dominus eodem illo menſe, lunáque ſimiliter affecta, nobis ex cruce libertatem ſua morte dedit.* Hæc ille. Idem refert Eugobinus ſuper 12. cap. Exod. *Ponam huc*, inquit, *eorum verba Latinè reddita ex Cabalæ libris. Sic autem illic eſt. Et in eodem die videlicet quinta decima die menſis Niſan, qui reſpondet noſtro Martio, redimendus eſt Iſrael in diebus Meſſiæ: quemadmodum redempti ſunt eo die ex Ægypto de quo ſcribitur. In diebus egreſſionis tuæ ex Ægypto, oſtendam mirabilia: ſic eſt eo loco. Ecce refragari gẽs pertinaciſſima non poteſt, quin ille ſit verus Meſſias, quem nos colimus, qui eadem illa die vniuerſum redemit genus humanum. Condemnabũtur ipſis contra ſe teſtimonium ferentibus.* Hæc Eugob. Si quis voluerit ſcire, quidnam agnus paſchalis, & tempus immolationis illius myſticè præfigurauerit, legat Rup. lib. 2. comment. in Exodum: Et D. Hierony. ſuper illud Iſai. 16. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Hoc*, inquit, *Iſaiæ teſtimonium cum Reginæ Candacis Eunuchus legeret, & non intelligeret, vt traditur in actibus Apoſtolorum capite octauo, interpretante Philippo ſuper paſſione, & nomine Saluatoris intellexit, & ſtatim baptizatus in ſanguine agni, quem legebat, vir meruit appellari, & Apoſtolus Genti Aethiopum miſſus eſt. Qui igitur oblatus eſt Pilato, quia ipſe voluit, & interrogatus non reſpondit, vt patibulum pro nobis damnatus aſcenderet, ipſe tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quem Ioannes monſtrabat dicens, Ecce agnus Dei. Qui etiam in Apocalypſi Ioannis, agnus occiſus ſæpè memoratur, &c.*

Talmud.

Iudæi ex Ægypto exierunt in plenilunio, qui dies reſpondet diei, & menſi quo Chriſtus nos redemit.

Eugobinus.

Cabala.

De myſtica Agni immolatione Rup. & D. Hierony. Iſai. 16.

Eunuchus intelligens locum Act. 8. meruit vir appellari.

7. Qui voluerit tertiam ſententiam, quam probabilem eſſe diximus, confutare, in promptu habere debet reſponſionem, qua ſatisfaciat validiſſimo argumento ſumpto ex Ioannis 18. vbi ſic ait. *Ipſi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, vt poſſent comedere paſcha.* Ex quibus verbis infertur, nondum Iudæos paſcha manducaſſe. Illatio tamen ſolùm vim habet, quia authores illius ſententiæ putant, nomine Paſchæ ſignificari agnum paſchalem, vt ſolet aliis in locis: quod verum non eſt: ſed victimas, & ſacrificia ſignificat, quæ in diebus azymorum offerri, Deus præcepit; quæ ſacrificia Deuter. 16. & 2. Paralip. 25. paſcha appellari conſtat: quibus veſci non licebat, niſi mundis vt patet Exodi 12. & Num. 28. Aliqui ad azyma referunt, ſed nulla authoritate id faciunt, vt vel ipſi authores tertiæ ſententiæ fatentur.

Tertiæ ſententiæ confutari.

Ioan. 18.

Deut. 16.
2. Paral. 25.
Exod. 12.
Num. 28.

8. Ille locus, *Erat autem paraſceue Paſchæ.* Ioan. 19. non ſignificat diem præparatorium paſchæ, ſed ſabbathi; quia tamen illud ſabbathum vnus ex paſchalibus diebus erat, paraſceue paſchæ dicitur: hoc eſt illius Sabbathi, quod cum paſchali die iungebatur. Quod ſatis apertè Marcus ſignificat, dicens. *Et cùm iam*, inquit, *ſerò eſſet factum, quia erat paraſceue, quod eſt ante Sabbathum, venit Ioſeph* &c. vocatur autem à Ioanne ibi. *Magnus dies ille ſabbathi*, quia iungebatur non cum paſchate, ſed cum die vno ex ſeptem paſchalibus. Illud Luc. 23. *Mulieres reuertentes mortuo Domino, parauerunt aromata, & vnguenta*, non ſignificat tunc paraſſe, quando reuerſæ ſunt, quod in feſto non licebat, ſed vſus eſt Euangeliſta quadam anticipatione: nam ſubiunxit, quieuiſſe ſabbatho: Atqui priùs quieuerunt, quàm parauerint Ita interpretandum eſſe Lucam, ex Marco colligimus. 16. *Et cùm tranſiſſet*, inquit, *Sabbathum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent* IESVM. Non ergo parauerunt in paraſceue, quæ erat ſexta feria, & primus dies azymorum, vt tertiæ ſententiæ inculcatores volunt.

Luc. 23.

Marc. 16.

9. At dices teſte eodem Ioanne cap. 19. Ioſephum, & Nicodemum aromata attuliſſe, depoſuiſſe corpus de cruce, vnxiſſe, ſepeliſſe; quod non facerent cùm eſſent iuſti, ſi dies prima azymorum eſſet. Soluitur ex eodem Ioanne tua obiectio facilè. *Vt non remanerent*, inquit, *in cruce corpora ſabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi.* Indicat zelo religionis id fuiſſe factum, quo zelo Sacerdotes in ſabbatho, ſabbathum violant innoxiè. Atque Deut. 21. præcipitur, ne corpora maneant in patibulo, ſed eodem die ſepeliantur. Pro religione igitur, & non contra religionem agebant viri iuſti. An non Tobias cap. 2. cum dies feſtus eſſet, ſurrexit vt ſepeliret eodem die inſepultum cadauer? Licuit in feſtis ſepelire, vt planum eſt, & iumentum ſi in foueam caderet, inde extrahere, ne periret, & cruci affixos latrones, humo tegere.

Ioan. 19.

Deut. 21.

Corpora damnatorum eodem die, quo plectebantur, de cruce deponi, & ſepeliri aſſueſcebat

Tobias cap. 2.
Luc 14.

10. De Iudæorum conſcientia, argumentum ſumi non poteſt; Num pura erat? veluti canes rabidi fremuerunt in Dominum, & in Chriſtum eius. Accuſare, verberare, & in crucem agere, quem blaphemum putabant; Id demum credebant ſtatim, fieri oportere; nec ſolùm contra religionem non eſſe, quin opus eſſe, quod diuinam gloriam, amplificaret, & vbique redderet illuſtrem.

Iudæorum contra Chriſtum agentium praua conſcientia.

Pſalm. 2.

11. Ex his omnibus patet veterem, & communem ſententiam cæteris præferendam eſſe; atque adeò Chriſtum, & Iudæos celebraſſe paſcha in poſteriori veſpera diei decimi quarti iuxta legem, quam Ioſue in Phaſe in Galgalis immolato, & filij Iſraël ante Talmudicos, & Cabaliſticos Iudæos ſolenni ritu ſemper obſeruarunt. Has reſponſiones, ad ſoluenda argumenta pro ſecunda, & tertia opinione aducta, ne cui fortè inſolubilia videantur, habere ante oculos lector poterit, quibus illorum aſſertoribus ſatisfaciat, ſi opus ſit; & ſacram Euangeliſtarum hiſtoriam, planiùs intelligat.

Communis ſententia præfertur.

Verſ. 10.] Fecerunt Phaſe quarta decima die.

An præter Agnum potuerit in Phaſe immolari hædus, vel aliud animal?

ANNOTATIO XX.

1. ALIQVI Hebræi in ea ſunt ſententia, vt dicant, poſſe immolari præter agnum

Aliqui Hebræi putant immolari in paſcha poſſe quodcunque animal, pro ratione familiæ.

non ſolum hædum, ſed etiam quodcunque animal, vt vaccam, taurum, vitulum armicalum. Eorum fundamentum eſt, quia Deut. 16. dicitur, *immolabis Domino Phaſe de ouibus, & de bobus*, &c. Rurſus, Animal paſchale, ſufficere cibos debuit integræ domui: atqui familiæ numeroſæ, agnus, vel hædus quem plus vno immolari in ſingulis domibus, nefas erat, ſufficere eſcas non potuit. Quare in huiuſmodi familijs vitulum mactare contra legem non erat.

Paulus Burgenſ. ſolum Agnum poſſe immolari.

2. Paulus Burgenſis in additione quadam ad poſtillam Lyrani ſuper caput 12. Exodi, extremam aliam ſequitur ſententiam. Affirmat námque nunquam licuiſſe Hebræis in celebritate Phaſe, hædum immolare, ſed agnum tantummodo. Imò reprehendit Latinam editionem Exod. 12. quod hædi meminerit. Eius verba ſunt. Hæc immolatio paſchalis ſecundùm Doctores Hebræos, de agno tantùm debebat fieri, non autem de hædo. &c.

Exod 12.

In paſcha immolari, vel agnum, vel hædum ſas erat.

3. Vera ſententia eſt, licuiſſe immolari in Phaſe, vel agnum vel hædum (vt patet ex cap. Exod. 12.) *Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas.* Additúrque. *Iuxta quem ritum, tolletis & hædum.* Vox hebræa, *Seh*, indifferenter, vt notat Oleaſter ex cap. 14. Deut. ſignificat *agnum*, & *hædum*; ob quam cauſam aliqui Exod. 12. verterunt, *pecudem*. 70. interpretes verterunt, τὸ πρόβατον, id eſt, *ouem*, ſed parùm aptè, vt docet Aug. quæſt. 43. in Exod. quia præcipitur ibi, vt animal in Phaſe immolandum, ſit maſculum, niſi quis τὸ πρόβατον, quia neutrius generis eſt, *maſculum pecus*, interpretetur; ea forma, qua à Poeta dictum eſt, *thus maſculum*. Adde, nuſquam in ſcriptura, vbi de hac ſolennitate paſchali agitur, aliud vllum animal, niſi agnum, vel hædum ad immolationem deſtinari. Nec verò Hebræi aliam tradunt viguiſſe conſuetudinem. Iam locus ille Deut. 16. non refertur ad immolationem decimæ quartæ diei, ad veſperam fieri ſolitam; ſed ad hoſtias pacificas, quæ ſacrificabantur ex ouibus, bobus, aut capris, quas populus in 7. diebus azymorum, in Pentecoſte, & ſcenopegia, quæ tres ſolennitates præcipuæ ſunt, offerebat, vt pars Deo incenderetur: pars à peregrinis pauperibus. Leuitis, & ipſis offerentibus ederetur; iuxta cap. 12. & 14. Deut. Habes Num. 28. quæ ſacrificia, per ſingulos illos ſeptem dies ſolennitatis paſchalis offerri deberent.

Oleaſter. Exod. 12.

Auguſt. 70. Interp.

Nuſquam ad immolãdum in ipſo die lunæ 14. deſtinatur aliud animal præter hædum aut agnum. Deut. 16.

Exod. 12. Deut 14. Num. 28.

Agni eſus non ad ſaturitatem ſpectabat, ſed ad religionem.

4. Quod autem addunt Hebræi, numeroſæ familiæ non ſufficere agnum, vel hædum vnum; ſit ita ſanè, ſi lautè, & opiparè ſit epulandum: id tamen ea ceremonia non iubebat, ſed cùm figura quædam, & repræſentatio in ea cœna ageretur, ſatis erat, vt vel particula aliqua agni, vel hædi ad ſingulos perueniret. An non aquæ benedictæ vel gutta vt effectum ſortiatur, ſufficit; & panis benedicti vel tantilla pars ſatis eſt? Sunt enim quædam, quæ nec numero, nec magnitudine, ſed communicata ſanctimonia æſtimantur. Sic Agno Dei, quæ vna eſt ex præcipuis ſacrarum rerum reliquijs, non circuli magnitudo, ſed virtus indita cuicunque vel minimæ particulæ, nobis venerationi eſt. Vnde illud

Agni Dei quælibet particula, magna eſt virtute.

Exiguus quamuis concludat circulus Agnum
Magna latent: paruo eſt magnus in orbe Deus.

Extat & in lib. 1. ſacrarum cæremoniarum memoria doni præclari quod Vrbanus V. Pontif. Max. miſit ad Imperatorem Græcorum quod donum, tres AgnosDei cum verſibus illorum virtutem indicantibus, continebat.

Confutatio interpretationis Pauli Burgenſ.

4. Contra Paulum Burgenſem excludentem hædum ab immolatione paſchali ſolo Agno retento, omnes Hebræi, & Latini interpretes inſurgunt ſuper locum Exod. 12. Ait enim ille; hæc verba. *Iuxta quem ritum tolletis, & hædum*; non eſſe conſentanea Hebraicæ veritati, quæ ſic habet. *Ex arietibus, & capris accipietis eum*, quorum verborum ſenſus eſt, quod agnus ille immolandus, accipiendus erat de aliquo grege, in quo eſſent arietes. & capræ prout communiter ſolent aſſociari. Hæc Burgenſis. Sed non videt in illa verſione, quam adducit, nihil ineſſe vulgatæ editioni contrarium, dum dicitur, *ex ouibus, & capris accipietis eum.* Pronomen, *eum*, refertur ad vocem Hebraicam. *Seh*, quæ, vt dictum eſt ſine diſcrimine ſignificat agnum, & hædum, vt partitiuè intelligatur, ex ouibus agnum, ex capris hædum accipiendum: Vnde 70. ita vertunt. *Ab agnis, & hædis ſumitis eum:* id eſt, animal immolandum ſumetur vel ex agnis, vel ex hædis: quod ita expono quia litera, ו. *Vau*, adiecta alicui dictioni apud Hebræos aliquando ſignificat *&*, aliquando *vel.* Hinc factum eſt, vt interpretes aliqui verterint, *ex ouibus, & capris ſumetis eum.* Alij. *Ex ouibus, vel ex capris*, &c. Iam illa cõſociatio ouiũ cum capris vt eligatur Agnus paſchalis, quam excogitat Burgenſis, nihil habet energiæ. Denique illis verbis, vt ait Theodor. quæſt. 24. in Exod. hoc tantùm ſignificatur, Agnum eſſe immolandum: ſi cui tamen Agnus deeſſet, poſſe immolari hædum, eodem tamen ritu, ijſdémque cæremonijs, quibus dictum eſt oportere Agnum immolari.

Exod. 12.

70. Interpr.

Theodor.

Cur Deus Agnum, vel hædum potius quam aliud animal immolari iuſſerit in paſchate?

Iſai 53. Ioan. 1. Rom 8. 2 Cor 5. Matth 1.

5. Quæres, cur in paſchali ſacrificio maluerit Deus Agnum, vel hædum immolari, quàm vllum aliud animal? Puto id præcipuè à Deo inſtitutum, vt figuraretur Meſſias, qui, & ob manſuetudinem Agnus dicitur, Iſaiæ 53 & Ioann. 1. & ob ſimilitudinem carnis peccati hædo ſignificati, hædus vocari poteſt. Factus eſt enim pro nobis peccatum, vt ait Apoſtolus Rom. 8. 2. Corin. 5. & carnem ſumpſit ex iuſtis, & peccatoribus, vt conſtat ex Genealogia à Matth. cap. 1. recitata, vt tandem in ara crucis pro omnibus ſacrificaretur. Quod Lyran. id refert ad deteſtationem idololatriæ Ægyptiorum, qui Iouem in imagine arietis adorabant; non videtur rectè dictum. Nam arietem oporteret, ſi ea cauſa locum haberet, potiùs immolare, quàm taurum, in quo illi Apim, potiſſimum numen apud eos colebant. Rectiùs dixiſſet conſultum fuiſſe paupertati, & facilitati, parandi ad ſacrificium paruum animal, qualis eſt Agnus vel hædus. Porrò de ritu, & modo comedendi Agnum paſchalem, agitur diſertis verbis Exod. 12. à verſu 5. vſque ad 12.

Lyranus.

Ægyptij tauro Apim colebant.

Exod. 12

Verſ.10.] Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiuſdem anni.

Cur voluerit Deus celebrari azyma?

ANNOTATIO XXI.

1. SÆPE diximus, ſeptem fuiſſe dies azymorum apud Hebræos, quibus veſci pane fermentato, piaculum erat, & crimen capitale. Dicitur

Exod. 12. Septem dies azymorum.

citur enim Exodi capite 12. *Septem diebus azyma comedetis in die primo non erit fermentum in domibus veſtris; quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael à primo die vſque ad diem ſeptimum. Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis exceptis iis, quæ ad veſcendum pertinent. Primo menſe quarta decima die ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem vigeſimum primum eiuſdem menſis, ad veſperam.*

Leuit. 23. Num. 28. Deut. 16.

2. Idem habetur Leuit. 23. Num. 28. Deut. 16. Ratio huius inſtituti eſt, vt recordarentur Hebræi accelerationis, qua compulſi ſunt, vrgentibus Ægyptiis de regno illo exire. Cùm enim in nocte egreſſionis farinam aqua miſcentes maſſam feciſſent, velléntque eam fermentare, & coquere, coacti ſunt maſſam, ita vt erat in palliis, & veſtium ſinu efferre: qua ſine fermento cocta aliquot deinceps diebus veſcerentur. Quod ergo abſq; Dei præcepto, ſoláq; neceſſitate compulſi, ſemel fecerunt; id Deus, vt ſingulis annis facerent, præcepit. Cur verò numerus ſeptem dierum azymis aſſignetur, ea fortè cauſa eſt, quia totidem diebus, ex Ægypto egreſſi comederunt panes azymos, quamuis Ioſephus l. 2. Antiq. per dies 30. azyma eos tunc ediſſe teſtetur. Ei ſi fides habetur, probabile eſt, Hebræos vſque ad id tempus macerata farina, & modico calore in panis ſpeciem ſolidata, vſque ad id temporis vſos fuiſſe, in quo deficiente omnino Ægyptiaca farina, manna de cœlo illis datum eſt, ſicut ſcribitur Exod. 16. & docet idem Ioſephus lib. 3. Antiq. cap. 1. Sicut enim poſt ingreſſum terræ promiſſionis, vbi de frugibus terræ comederunt, manna defecit, vt infrà videbimus, ſic poſt egreſſum ex Ægypto, vbi farina, quam extulerant ad confectionem azymorum, conſumpta fuit, manna cœleſte conceſſum eſt.

Cur azymi panes induƐti. — *Ioſephus 30. diebus azymos panes comediſſe Hebræos exeuntes de Ægypto aſſerit.* — *Manna datur Iudæis deficiente Ægyptiaca farina. Exod. 16.*

Verſ. 10.] Defecítque manna poſtquàm comederunt de frugibus terræ præſentis anni terræ Chanaan. Nec vſi ſunt vltrà cibo illo Filij Iſrael.

Quonam die manna pluerit in deſerto, & in quo defecerit?

ANNOTATIO XXII.

1. QVANDIV Hebræi farinam Ægyptiacam habuerunt, ea veſcebantur: illa verò conſumpta, cœleſti cibo, hoc eſt, manna recreati ſunt. Hoc ipſum docet Ioſephus lib. 3. Antiq. cap. 1. *Triginta*, inquit, *dierum itinere confecto, commeatum omnem, quem ſecum extulerant, iam aſſumptum deſiderabant, & cùm nihil alimentorum in terra deſerta inuenirent, minimum à deſperatione aberant. Itaque præſenti egeſtate, præteritorum, tam Dei, quàm Moſis beneficiorum memoriam excutiente in iram concitati, videbantur, iamiam correptis ſaxis, ipſum imperatorem inuaſuri, auctorem miſerrimi omnium ipſorum interitus clamitantes.* Hæc ille. Deinde narrat, ad ſubleuandam populi famem, miſiſſe Deũ, primùm quidem coturnices; mox deinde manna, ne quid perfecto epulo deeſſet. Vnde colligo, ſi vera eſt Ioſephi narratio, in menſe Aprilis 16. die, primùm apparuiſſe manna in caſtris Hebræorum, de quo agitur Exod. 16. Erat autem illa dies Dominica, quod probat Origenes ex cap. Exodi citato, vbi dicitur ſex diebus continuis collectum fuiſſe manna. Septima autem die, quæ eſt ſabbathi, nihil collectum. *Quare*, inquit, *ſi die Dominica pluit manna de cœlo, & in ſabbatho non pluit, intelligant Iudæi, iam tunc prælatam fuiſſe Dominicam noſtram Iudaico ſabbatho, & indicatum quòd in ſabbatho ipſorum gratia à Deo, ad eos de cœlo nulla deſcenderit.* Hæc ille. Idem ſentit Auguſt. ſerm. 251. de tempore.

...ſephus. — *Hebræi conſumpta farina ...* — *In Dominica die 16. Aprilis primùm de cœlo pluit mãna iuxta Ioſephum. Exod. 16. Origenes.* — *Die Dominica pluit manna.* — *Auguſt.*

2. Manna autem datum populo fuit præcedente admurmuratione, qua de fame extrema querebantur; vnde Moſes vt furorem plebis mitigaret, ſic ait Exod. 16. *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & manè panes in ſaturitate.* Vel vt Sept. vertunt: *Ad veſperam edetis carnes, & manè replebimini panibus.* Hæc verba expendens Auguſtinus quæſt. 60. in Exodum. *Manna*, inquit, *panum nomine appellat. Non autem vacat myſterio, quod dicit, ad veſperam carnes, & manè panes ſe daturum. Tale quippe aliquid etiam in Helia ſignificatum eſt, cùm ei alimenta coruus afferret. An fortè carnibus ad veſperã, & manè panibus ille ſignificatur, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram? Ad veſperam quippe mortuus ex infirmitate ſepultus eſt: manè autem apparuit diſcipulis, quia reſurrexit ex virtute.* Hæc Aug.

Mitigatur furor populi pollicitatione cibi. — *Exod. 16.* — *Sept. Interp.* — *Auguſtinus.* — *Chriſtus mortuus, & reſurgens, caro eſt, & cibus.* — *Auguſtinus.*

3. Additur in ſacro contextu. *Factum eſt ergo veſpere & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra; manè quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filij Iſrael, dixerunt adinuicem: Manhu? quod ſignificat, quid eſt hoc, Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum*, &c. Infrà. *Appellauitque domus Iſrael nomen eius (man) quod erat quaſi ſemen coriandri, album, guſtúſque eius quaſi ſimilæ cum melle*, &c. Vnde Theodor. quæſt. 30. in Exod. agens de manna: *In nomen*, inquit, *verſa eſt interrogatio.* Erat autem quaſi placenta melle permiſta. Sic enim interpretatus eſt Symmachus, ὡς ἄμυλος ἐν μέλιτι. id eſt: *veluti bellarium mellitum.*

Exod. 16. — *Manna quaſi ſemen Coriandri album.*

4. Quandiu autem durauerit manna, ad finem eiuſdem capitis, his verbis exprimitur: *Filij autem Iſrael comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti ſunt, vſquequo tangerent fines terræ Chanaan*, &c. Quærit Theodoretus quæſt. 31. in Exodum, cur manna ſeruatum in diem craſtinum, corrumpebatur? Reſpondétque non manna vitio id accidiſſe: fidémq; facere ſabbathum, in quo integrum ſeruabatur quod pridie collectum fuit. Illud item, quod multis ſeculis ſeruatum eſt in Arca incorruptum. Id ergo accidit in pœnam diffidentiæ. Cùm enim Iudæis pollicitus eſſet Deus ſuppeditaturum ſe quo vitam agerent à curis liberam, ſingulis diebus eſcam neceſſariam, illi diffidentes, partam ſibi in poſterum diem ſeruauerunt. Aluit illos tamen manna vſque dum venirent in Chananæam, ſicut prædictum à Domino, Exod. 16. Vides quàm cõueniat hic locus cum hoc cap. 5. Ioſue, vbi dicitur: *Poſtquàm ingreſſi ſunt Iſraelitæ traiecto Iordane, terram promiſſionis, defeciſſe manna?* Anteà enim dum vagi, inſtabiléſque in ſolitudine errarent, ſuppeditato in ſingulos dies è

Manna 40 annis datum Iſraelitis.

cœlo

cœlo manna (ſiquidem aliunde cibos non habebant) paſcebantur, ex quo nihil in poſterum reponebant, tanquam hoſpites & peregrini, qui plerumque in diem viuunt. Quod ſi accideret, vt alienos fines, aut cultos agros pertranſirent, nihil omnino, neque aquam quidem ſibi ſine pretio aſſumendam eſſe, & intelligebant, & affirmabant, vtpote quibus inuito Domino, alie nis rebus vti, fuiſſet interdictum.

Auguſtinus.

5. Quærit Auguſtinus quæſt. 62. in Exodum, cur in illa eremi inopia etiam carnes deſiderauerunt Hebræi, cùm de Ægypto exierint, greges multos, & opima pecora exportantes? Refert primùm quandam interpretationem dicentium, id factum, ne ſi pecoribus ſuis veſcerētur, poſteà ad vſum ſacrificiorum nihil haberent gregis ob inopiam pabuli vaſtiſſimæ ſolitudinis. Hæc reſponſio Hebræorum commendat pietatem. Ipſe tamen Auguſtinus ad gulam refert hoc deſiderium. *Congruentius*, inquit, *creditur non eas carnes deſideraſſe, quas de pecoribus habere poterant: ſed eas, quæ deerant, ex aquis videlicet: ipſas quippe in illa eremo non inueniebant.* Vnde etiam illis ortygometra data eſt; id eſt, aues, quas coturnices multi Latini interpretati ſunt, cùm ſit aliud genus auium ortygometra, quamuis coturnicibus non vſquequaque diſſimile. Nouerat enim Deus quid deſiderarent, & deſiderium eorum, quo carnis genere ſatiaret. Vnde illud Pſal. *Et deſiderium eorum attulit eis.* Hæc ferè Aug.

Hebræi fameſcentes, maluerunt greges ſeruare ad vſum ſacrificiorum, quam illos viſci.

Hebræorū gula exquiſitas epulas poſcit, ſcilicet coturnices, id eſt, aues ex aquis.

Ortygometra quænam auis fuerit?

Pſal. 77.

6. Nunc igitur, poſtera à veſpere paſchatis die, in terra ſibi promiſſa commorātes, cibos ad profanas & ſacras epulas parare poſſunt; quippe qui Domini iam erant, & poſſeſſores terræ Chanaan, ſuóque iure vtentes, non ſolùm eo anno, ſed toto annorum conſequentium tempore fruges, quas non ſeminaſſent, metere poterant, & armenta hoſtium ſibi vſurpare. En polentam eiuſdem anni offerunt; eam Hebræa lingua *Kalui* vocat, paratúrque ex frumentis igne toſtis. Interpres latinus Leuit. 2. ita deſcribit: *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igne, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino,* &c. Dicitur autem polenta eiuſdem anni, ad ſignificandum Iſraelitas primo menſe, regionem ingreſſos, terræ frugibus vti cœpiſſe, eo modo, quo reliquo anni tempore vti licebat, nempe ignis calore toſtis, ad parandam placentam.

Hebræi vbi ventum eſt in terram promiſſam metere poterant quæ non ſeminarūt, &c.

Polenta paratur ex frumentis igne toſtis. Leuit. 2.

Polenta offerebatur Deo ex primis frugibus.

7. Rurſus, azymos panes, vt paſchæ celebritas ritè ageretur, comedunt: omnium rerum ad victum, & conuictum neceſſariarum ſuppetit copia. Quid ſupereſt? *Defecit*, inquit, *manna poſtquàm comederunt de frugibus terræ.* Nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael; Diem quæris, quo primùm defecit manna? Is decimus quintus fuit primi menſis anni 41. ab exitu de Ægypto. Liberauit Deus fidem ſuam. Nam Iſraelitas à ſe vocatos, & ex Ægypto eductos, antequàm in promiſſam regionem melle, & lacte fluentem induceret in ſolitudine vbi nihil victus inueniri poterat, per quadraginta annos cœleſti pane abundè donato, pauit, donec in promiſſæ terræ poſſeſſionem eos immiſit, fide dicti ſui feliciſſimo euentu, liberata. Aues, dum pullos in nido alunt, dúmque ad volatum exercent, per arborum ramos, & aeris ſpatia, diuersè agunt, cibis in os per ſingulos dies, aut etiam horas allatis, quoad illi poſſint cubilia ſibi, & eſcas parare: Sic Deus Iſraelitas per deſerta loca ad erudiendum ſibi aſſumptos; tandiu cœleſti pabulo ſuſtentatos, & variè protectos, circunduxit; quandiu ſui promiſſi præſtandi, maturum tempus dilatum fuit. Hoc aduentante, in regione eos, ſub cœlo optimo & beatiſſimo locauit, vbi cibo illo ad tempus pro terræ frugibus ſuppeditato, amplius opus non fuit. Vnde colligitur diuini promiſſi certitudo. Nam Exod. 16. dicitur: *Filij autem Iſrael comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem.* Hîc verò dicitur: Defecítque manna poſtquàm comederunt de frugibus terræ. Hanc rem vt præſentem præuidens Moſes per enthuſiaſmon. Deut. 32. ita cecinit: *Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, circunduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui; ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos,* &c. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra,* &c.

Deficit manna die 15 primi menſis anni 41. ab exitu de Ægypto.

Deus pauit Iſraelitas, ſicut aues pullos ſuos.

Exod. 16.

Deut. 32.

8. Habes quo die, & anni tempore manna datum Iſraelitis primùm fuerit, & quo die etiam, & anno ſublatum: ſimul aduerte, ſummam incommoditatem indicari, quam bellum affert; cum ijs, qui oppugnantur, tum etiam ijs, qui oppugnant. Siquidem vtrique ex regione, cui bellum infertur, aluntur. Grauius tamen damnum oppugnati patiuntur; ijs enim carius annona, commeatúſque conſtat; oppugnantibus viliùs. En Ioſue ipſo anno, quo Chananæorum terram inuadebat, ſibi, & exercitus, eiuſdem regionis fructibus victum parabat, & annonam: *Comederunt*, inquit ſacer hiſtoricus, *de frugibus præſentis anni terræ Chanaan.* Deo tamen iuuante, & promiſſionem ſuam adimplente, felix fuit oppugnatorum conditio: ſiquidem ne vno quidem viro deſiderato, hoſtes ad internecionem extincti ſunt, vt vbertas terræ, ſolos aleret Hebræos.

Miſera oppug... & ...rum.

Deus ... vt Hebr... bratrum ... reretur, vt ... gis habe... Hebræi.

Verſ. 12.] Defecítque manna poſtquàm comederunt de frugibus terræ.

Cur Iudæi deficiente manna, nullum triſtitiæ ſignum ediderunt.

ANNOTATIO XXIII.

1. CONSTAT manna, omnem ſaporis ſuauitatem habuiſſe; cibúmq; fuiſſe, & alendis hominibus, & ægritudinibus remouendis valde idoneum; verùm quibuſdam tædio iam erat, præſertim improbis, & parum religioſis. Hi enim aliquando in ſolitudine admurmurantes, & aliud iam pabuli genus concupiſcentes dixerunt, *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Doluit (vt puto) Ioſue, doluerunt & optimates, ſed rectè dicitur, vt aduertit Abulenſis, nullum editum fuiſſe ſignum triſtitiæ, quia ferè omnes ad epulas terræ effuſi, ſaporem cœleſtis cibi, non percipiebant: Et vero optimates, vulgi lætitiam indicio aliquo doloris turbare noluerunt. Deinde Iudæi, quæ illorum eſt amentia, non tam venerabantur cœleſte beneficium, quam abundantiam rerum, quas terra illis ſuppeditabat. Deum enim colebant, non quia ſigna faceret, ſed quia cibos præſtaret.

Impro... ſtatim ... ſi manna ... dio fuit.

Num. 21.

Abulenſis.

In terra ... nan plerique ... cœleſti ... ſuſi, manna ... rabant ... dolere ... abſtinuerunt.

Vnde

Vnde cùm Chriſtus Dominus, poſt miraculum ſatiati populi, quinque panibus, & duobus piſcibus, videret confluentes ad ſe trans mare, hominum innumerabilium turbas; Iudæorum vitium aperiens, qui Deum ob ſolam commoditatem temporariam quærebant, dixit Ioan. 6. *Amen, Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.* Illi, venerant verſus locum vbi miraculum ad Chriſti benedictionem factum fuerat. Hoc enim eſt, εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου, id eſt, *gratias agente Domino.* Quorum Dominus non ſermoni, ſed animo reſpondit. Videbantur enim blandè, & adulatoriè rogaſſe: *Rabbi quando huc veniſti:* vt ſe noſſe eum indicarent, eos enim eſſe, qui pridiè, paucis multiplicatis ab eo panibus, fuerant ſaturati: vt aliud ab eo ſimile impetrarent miraculum, quo iterum ſaturarentur, vt Chryſoſt. & Theophy. exiſtimant. Omnem operam homines pro pane multiplicando adhibent; iter faciunt, nauigant, ſeruiunt, nullum non mouent lapidem; quod diabolus aduertens in deſerto, lapides ad materiam miraculi, quo panes fierent, obiecit: Reſpondet autem reprehenſione adhibita, vt Chryſoſt. Cyryl. Leontius, Theophyl. & Euth. obſeruarunt, non ſeuera tamen, ſed moderata. Non enim, ait: O ignauos, & ſemper ventri ſeruientes, ſed leui manu vulnus attingit. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.* Queritur Dominus, eos in miraculis, non quærere fructus animæ, ſed corporis. Fructus animæ, fides erat, qua Chriſtum Dominum ex miraculis verum Deum, & hominem agnoſcere debuerãt. Fructus corporis ſaturitas, abundantiáque frumenti, vini, & olei. Per panes enim, vt Greg. lib. 23. Moral. capite vigeſimo ſexto intelligit Dominus omnia, quæ ſunt ad ſuſtentandam vitam neceſſaria.

Ioan. 6. Iudæi propter cibos, non propter ſigna quærebant.

Chryſoſt. Theophyl.

Pro pane augẽdo nihil non faciunt homines: idcirco diabolus lapides obtulit Chriſto, &c.

Chryſoſtom. Cyrillus. Leontius. Theophyl. Euthymius.

Aperuit Chriſtus vulnus Iudæorum ſequẽtium ſe non vt diſcerent ſed vt panes haberent miraculo factos.

Greg. PP.

2. Ad hunc ſenſum alludens Aug. tract. 25. in Ioan. hac vtitur querela. *Propter carnem quæritis,* inquit, *non propter Chriſtum. Quam multi non quærunt* IESVM, *niſi vt illis faciat bene ſecundum tempus. Alius negotium habet, quærit interceſſionem clericorum: Alius premitur à potentiore, fugit ad Eccleſiam. Alius pro ſe vult interueniri apud eum, apud quem parùm valet: Ille ſic, ille ſic impletur quotidie talibus Eccleſia. Vix quæritur* IESVS *propter* IESVM. Hæc Auguſt. Eandem querimoniam ſuo tempore Apoſtolus literis conſignauit ad Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ* IESV *Chriſti.*

Multi quærunt Chriſtum, non propter Chriſtũ, ſed vt ditẽſcãt.

Vix quæritur IESVS *propter* IESVM. Auguſt. Philip. 2.

3. Iudæi ergo deficiente manna, non dicuntur doluiſſe ad tanti miraculi abſentiam; Non enim ſigna quærebant, ſed panem, quem terra, quam obtinebant, largè & munificè fundebat. Horum filij panem à Chriſto petebant: Ioan. 6. qualem Moſes obtinuit à Deo. *Patres,* inquiunt, *noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare.* Cæterùm otioſis nihil Chriſtus ſimile facere voluit. Indicant ſe Moſi meritò credere, populum enim annos 40. non ſerentem, non horrea habentem, aluiſſe; eadem ſe facilitate in ipſum credituros, ſi aliquid ſimile effecerit. *Oſtendunt,* ait Cyrill. *nihil ſe, niſi quæ ad ventrem pertinent, cogitare.* Comparant ſe tacitè cum Patribus; qui cibum poſtulatum à Moſe, cui Chriſtus ſimilis haberi vellet, impetrarunt, eúmque cœleſtem, vt conſtat ex Pſal. 77. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Nunquid & panem poterit dare?* &c. Huic iuſtificationi petitionis

Iudæi non doluerunt quando manna defecit, quia abieſti erant animi, & cibo terræ delectabantur. Ioan. 6.

...rillus.

Iudæi, ... ad ventrem ... cogitabant. ...lm. 77.

A occurrit Chriſtus auocans eorum mentem à ſenſibus, & à pane terreſtri ad cœleſtem transferens ſermonem; vt ad ſe, qui verus panis eſt, & de cœlo deſcendit, cogitatione ferantur. Idcirco ait, *Non Moſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Quibus verbis præmiſit Dominus magnam aſſeuerationem, dicens: *Amen, Amen dico vobis.* Ex diuerſis auctoribus diuerſum panem, alium alio præſtantiorem eſſe confirmat; quemadmodum ſi quis panem anteferat alij, quod à meliore factus ſit piſtore. At manna etiam Deus dederat; Moſes illud non fecerat: tantùm impetrarat. Verùm Chriſtus ex Iudæorum loquitur opinione, qui Moſen illius authorem miraculi faciebant.

Panis Eucharistiæ præfertur mannæ.

B 4. Sed quomodo Chriſtus negat Moſen dediſſe panem de cœlo, ſe autem panem verum vocat? Reſpondeo, de cœlo propriè eſſe, & de cœlo verè deſcendiſſe, quemadmodum Chriſtus ſolus deſcenderat; ideóque verè cœleſtis panis erat. Manna verò illud non de cœlo, ſed de aëre pluerat; dicebatúrq; impropriè panis de cœlo, quemadmodum volucres cœli appellamus; ſiue quia aër, per catachreſim, cœlum dicitur; ſiue quia vt Chry. Theoph. Euthy. & Leontius interpretantur, de cœlo cadere videtur, quod altè de aëre decidit. Verum autem panem iidẽ Patre cum Auguſt. Beda, & Rup. ſic accipiunt, vt typo, ſiue figuræ opponatur, quaſi dicat, Panis ille quem dedit vobis Moſes, non erat veritas, ſed figura, ſiue vmbra. Hic, quem Pater vobis dat, veritas eſt in figura illa adumbrata.

Quomodo Chriſtus panis verus dicatur, manna verò non item?

Manna dicebatur impropriè panis de cœlo, niſi per cœlum aërem intelligas. Chriſtus propriè. Chryſoſt. Theophyl. Euthymius. Auguſt. Beda. Rupertus.

C 5. Probabilior videtur interpretatio Victorini lib. 1. aduerſus Arium, qui intellexit plus quiddã voluiſſe Chriſtum per panem verum ſignificare. Agebat námque non tam de natura, quàm de vi, & efficacia panis. Etenim ſi naturam conſideres, neuter verè panis erat: ſed ille ros, hic Deus & homo: ſi ad efficaciam animum adiicias. Panis ille ad breue tantum tempus vitam corpori; hic æternam tribuebat animo ſalutem. Cùm ergo proprium ſit panis vitam conſeruare, hic verus

D erat panis, qui vitam etiam largitur, & conſeruat immortalem; ille huius comparatione verus non erat. Sumpſit occaſionem Chriſtus ex mentione manna, ſermonem inſtituendi de corpore, & ſanguine ſuo cum Iudæis Capharnaitis, coram Apoſtolis aliiſque diſcipulis (vt interpretantur Chryſoſt. Auguſt. Cyrillus, Euthym. Rupert. D. Thom. Lyranus) vt ſpiritalis, & ſacramentalis cibi agnoſceretur doctrina. Habitus fuit hic ſermo in ſynagoga, vbi illius vim multi ex diſcipulis nõ percipientes, à diſcipulatu Domini defeciuerunt dicentes: *Durus eſt hic ſermo,* vt videre eſt Ioan. 6. ad finẽ. Capharnaitæ verò ab eo ſunt alienati. Quid Apoſtoli? magis in fide ſunt confirmati. Cùm e-

E nim Chriſtus diceret, an ipſi quoque abire vellẽt? nomine omnium reſpondit Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Vides quàm alieni ſint ferè homines à rerum ſpiritualium, & animæ ſaluti vtilium cognitione? Nonniſi Apoſtoli, & qui in ſchola Chriſti ſunt verſati mirabilem de Euchariſtia doctrinam percipiunt. Hunc D. Ioan. locum adduximus, vt planum ſit, nihil humiles Iudæorum mentes altũ de fide, & bonis animæ promiſſis, cogitaſſe, nec eo tempore quo deficiente manna, frugibus terræ veſci cœperunt; nec, quod magis mirum eſt, quando præſentem videbant, & audiebant, tot ſeculis ſperatum Meſſiam. Quid ergo mirum, ſi cœleſtis dulcedo, iis

Victorinus. Nec Chriſtus, nec manna panis erat ſi ad naturam ſpectes ſeu dicendum: ſi efficaciam conſideres.

Panis Chriſti vitam conſeruat immortalem.

ſubtra-

ſubtrahitur qui terrena tantum cogitant, nec quæ ſpiritus ſunt, meditantur?

Verſ. 12.] Defecítque manna, nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſraël.

Quàm benignè Chriſtus pro manna deficiente, manna abſconditum, in lege gratiæ nobis donauit?

ANNOTATIO XXIIII.

1. PRÆBVIT per aliquot annos Deus Iſraëlitico populo manna, hoc eſt, panem è cœlo dimiſſum, & viſibilem, vt eo miraculo & aleretur, & fidem conſeruaret. At in lege gratiæ, non manna viſibile populo Chriſtiano, ſed inuiſibile, & abſconditum maiori beneficio, & inſigniori benignitate vſus, conceſſit. Nam manna abſconditum quàm aptiſſimè Apoc. 2. Chriſtus ipſe appellatur; qui in Euchariſtiæ ſacramento occultatus, cibus eſt fidelium, & panis etiam poſt conſecrationem dicitur, non quod ſub ſpeciebus aliquid panis remaneat (vt aliqui noſtri temporis hæretici contra dogma Catholicum dixerunt) ſed ob tres cauſas.

Apoc. 2. Chriſtus dicitur manna abſconditum.

Cur poſt conuerſionem Euchariſtia panis dicatur?

2. Prima, quia ſolenne eſt ſcripturæ, rem in aliam conuerſam priori nomine appellare. Hinc Exod. 7. virga Aaron; deuoraſſe dicitur Magorum virgas; Atqui virgæ iam non erant vllæ, ſed ſerpentes ex virgarum tranſmutatione facti. Et Ioan. 2. hæc ſunt verba. *Cùm guſtaſſet Architriclinus aquam vinum factam.* Iam aqua non erat, ſed vinum: Vt tamen quale vinum eſſet ſciretur, aqua vocatur.

Exod. 7.

Ioan. 2.

3. Secunda quia interdum appellamus rem vocabulo eius, quod apparet exterius, quamuis reuera talis ſubſtantia non ſit. Sic Tob. 12. Angelus Raphael dictus eſt vir. Et Gen. 18. tres viri apparuiſſe narrantur, & Act. 1. duos viros aſtitiſſe in veſtibus albis. An eſt qui dubitet, in ijs locis viros vocari angelos, quod virorum gererent ſpeciem?

Res vocatur interdum nomine rei ſimilis.

Tob. 12.

Gen. 18.

Act. 1.

4. Tandem, quia panis dici ſolet, id quod nutrit, licèt reuera panis non ſit. Num panis ſubſtãtia erat manna? Et tamen Pſalm. 77. dictum eſt. *Panem cœli dedit eis*, Et Eccle. 15. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus.* An metaphoram non vides? Cùm ergò Chriſtus latens ſub ſpeciebus panis animæ ſit cibus optimus, meritò panis appellatur. Quid, quod, vt Auguſt. Epiſt. 23. ad Bonifacium annotauit, ſpecies ipſæ panis, dicuntur etiam panis? Num inſolitus eſt Metonymiæ vſus? Venuſtè ſanè ex eo quòd continet, id quod continetur intelligimus illud.

Pſalm. 77.

Eccleſ. 15.

Auguſt.

Species panis in Euchariſtia vocantur panis. Metonymia.

Vergil Aen. 7.

——*Cœlo gratiſſimus amnis.*

Id eſt cœli incolis. Et Athenæ dicuntur pro Athenienſibus, Cicer. de Orat. Vt omittam illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas. Vides quam debile ſit hæreticorum argumentum, quo ex eo probant poſt conſecrationem, manere panis ſubſtantiam in Euchariſtia, quòd adhuc panis appelletur: Sed nos ad Euchariſticum panem, cuius figura fuit manna, poſthabitis hæreticis, veniamus. Hunc enim Deus deficiente illo viſibili cibo, nobis miro artificio abſconditum conceſſit, & benignè indulſit.

Hæreticorum debile eſt argumentum, quo poſt conſecrationem ſibi perſuadent, remanere panem.

5. Fuiſſe manna huius cœleſtis panis typum, Chriſtus ipſe docuit Ioan. 6. de Euchariſtiæ ſacramento à ſe inſtituendo, agens. *Hic eſt panis*, inquit, *qui de cœlo deſcendit: non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt.* id eſt, manna quod manducauerunt, non eos à morte potuit liberare. Modò ſeipſum, modò carnem ſuam vocat panem: non enim caro, à ſua vnquam perſona ſeparata eſt, propterea caro eſt, ibi etiam ipſe Chriſtus filius Dei eſt, qui ratione ſuæ carnis nobis eſt panis vitæ factus; quatenus ſub ſpeciebus panis nobis ſeipſum, in carne ſua cibum præbet, &c. Sed quomodo ait Dominus. *Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi?* Numquid caro de cœlo deſcendit? Nequaquam. Hæc in terris de Virgine aſſumpta eſt. Quomodo ergò panis deſcendit de cœlo? Soluit hunc nodum Ambroſius. Lib. 6. de Sacram. cap. 1. *Idem* inquit, *Dominus noſter* IESVS CHRISTVS *conſors eſt diuinitatis, & corporis* &c. Licet igitur humanitas de cœlo non deſcenderit, is tamen qui carni, ſiue humanitati coniunctus eſt, de cœlo eſt, ac proptereà panis dicitur, qui de cœlo deſcendit.

Ioan. 6. Manna fuit figura Euchariſtiæ.

Quomodo dicatur Chriſtus panis qui de cœlo deſcendit.

Ambroſius.

6. Hinc Apoſtolus, 1. Corinth. 10. Manna eſcam ſpiritualem appellauit ſignificare námque voluit, figuram fuiſſe alterius cibi ſpiritualis. Sic enim ait. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt. omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.* Hoc eſt eſcam, quæ erat figura eſcæ futuræ. Greg. Nyſs. in enarratione vitæ Moſeos, non id ſolùm, ſed etiam oſtendit præparationem, quæ olim fuit Hebræis ad manna recipiendum; figuram illius eſſe, quæ præcedere debet Euchariſtici, ſiue abſconditi panis ſumptionem. Eius hæc ſunt verba: *Poſteaquam mare tranſierunt, poſteaquàm amaritudo aquarum ſitientibus virtute ligni in dulcedinem verſa eſt, poſteaquam delitioſè apud fontes, & palmas fuerunt, poſtea denique quàm ex lapide biberunt, tunc quæ ex Ægypto viatica, & cibos ſibi ſumpſerunt penitus defecerunt: tunc omni nutrimento quod ab Ægypto ferebant abſumpto, deſuper ſibi defluit cibus varius ſimul, & ſimplex. Simplex viſu, atque vnicus quomodo varius? ad ſingulorum cupiditates ſe vertens; Quid igitur hinc diſcimus? Quod oporteat videlicet fide, baptiſmate, labore, omni virtute, omni Euangelica doctrina mundos, puróſque animos noſtros facere, ita vt omnino alienigenæ mores, & Ægyptiaca vita, vitiorum ſcilicet omnium turba, nos deficiat, & demum depurato, defæcatóque animo, cœleſtem cibum eſſe ſuſcipiendum quem nulla nobis ſatio agricultura artibus produxit. Sed terra intacta permanſit, & tamen pane plena fuit, quo fameſcentes, myſterium Virginis perdocti, facile ſaturarentur. Is ergo mirabilis ſine agricultura panis, varietate qualitatis ad ſuſcipientium habitudinem, virtutem ſuam commutat. Nam cùm ſit panis, ignorat lac fieri; ſic in carnem verti, nouit ſolus mutari: quidquid denique aſſumenti conueniens, & expetitum ſit, vt Apoſtolus vult, qui hanc nobis menſam præparauit, in id commutatur. Sic enim diuinus ille vir perfectioribus, ſolidum, & in carnis ſpeciem hunc cibum, fieri docet; infirmioribus olus, infantibus lac.* Hæc ille.

1. Cor. 10.

Præparatio ad Euchariſtiam. Nyſſen.

Viatica Ægyptiaca.

Iudais abſumpto cibo Ægyptiaco, defluit manna.

Puro corde cœleſtis panis ſuſcipiendus.

Panis Euchariſticus ad perceptionem vertitur ſuam commutat. Nyſſen.

7. Rogabis, in quo manna illud viſibile, Chriſtum in ſacramento abſconditum figurauerit: Primò, Num. 11. dicitur, manna illud de nocte inuiſibiliter deſcendiſſe: *Cùmque deſcenderet*, inquit, *nocte ſuper caſtra ros*: deſcendebat pariter & man: ſeu vt eſt in Hebræo: Deſcendebat man ſuper ipſum, ſcilicet rorem. Per noctis caliginem, fidei ſtatus, quæ id quod non videat credit, intelligimus. An non in ſacramento Chriſtus

Manna Chriſtum in ſacramento abſconditum quomodo figurauerit. Num. 11.

Nocte deſcendebat manna.

Exod. 16.

præſentem, atque inuiſibilem ſeſe exhibet?

Manna ab admiratione nomen ſumpſit.

8. Secundò, viſo manna, Exod. 16. dixerunt Hebræi, Manhu, id eſt, quid eſt hoc? à qua admiratione cibus ille nomen ſumpſit. An non magis cadit in Euchariſticam conuerſionem hæc admiratio? Aliter interpretatur hanc interrogationem Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 34. Ait enim fuiſſe ſignificatum, Iudæos non cognituros, imò reiecturos Chriſtum per contemptum dicentes; Quid eſt hoc? Idem contra Euchariſtiam dicturos.

Cyrillus.

Pſal. 77.

Manna dicitur panis Angelorum.

9. Tertiò, Pſal. 77. dicitur: *Panem cæli dedit eis; Panem Angelorum manducauit homo.* Vbi vides manna vocari panem Angelorum. Cauſam quæris? Sanè, quia Angelorum fingebatur miniſterio. Angeli quoque vocantur ſacerdotes, qui Euchariſtiam conficiunt, & adorant. Angeli verò aſſiſtunt confectioni, vt adorent. De quo vide Turrianum in poſteriori tractatu de Euchariſtia cap. 2. & Nilum monachum in opere quod ſcripſit ad Anaſtaſium Epiſcopum de D. Chryſoſtomo magiſtro ſuo. *Sæpè,* inquit, *vidit in Eccleſia Angelos, ſed maximè in ſacrificio Miſſæ. Narrabat, quemadmodum ſacerdos oblationem ſanctam facere inciperet, plurimi Angeli è cælo delapſi, ſplendidiſſimis ſtolis induti, nudo pede, aſpectu intenti, vultu demiſſo circunſtantes altare, magna reuerentia, & ſilentio, vſque ad myſterij conſummationem aſſiſtunt. Deinde diſcurrentes huc atque illuc per totam Eccleſiam, Epiſcopos, & presbyteros, qui corpus & ſanguinem diſtribuunt, adiuuant, & corroborant.* Hæc ille. Fortè panis Angelorum etiam dicitur, quia vt docet Dionyſius de cœleſti Hierarchia cap. 1. Participatio Chriſti, quæ nobis συμβολικῶς traditur, Angelis datur ὑπερκοσμίως, hoc eſt, nobis datur in ſymbolis Chriſtus: Angelis verò ſine ſymbolis.

Angeli vocantur ſacerdotes. Angeli aſſiſtunt Euchariſtiæ. S. Nilus. Chryſoſt. Diſtis ex Angelis venerari Euchariſtiam. Chryſoſt. Dionyſius de cœleſti hierar. Chriſtus nobis datur in ſymbolis, Angelis ſine ſymbolis.

Quãdiu durabit Euchariſtia?

10. Quartò manna datum fuit Iſraelitis dum verſati ſunt in ſolitudine; ablatum, vbi terram promiſſam ſunt ingreſſi. Sic Euchariſtia nobis conceditur, dum in deſerto huius vitæ peregrinamur; deficiet, cùm felicem terram, hoc eſt, cœlum ingrediemur. Eſt enim in ea felicitate ſabbathum, hoc eſt, quies, in qua non deſcendebat de cœlo manna.

Datur Euchariſtia quandiu peregrinamur in hac vita.

Manna ad ſolis radios liquefiebat, igni coquebatur, & durum fiebat. Exod. 16. Num. 11.

Quintò, ſicut manna ad Solis radios liquefiebat, igni verò admotum coquebatur, & durum reddebatur: ita Euchariſtiæ ſacramentum, ſi curioſè ad euidentiam quaſi Solis exigatur, curioſitatem reſpuit, nec humanis patitur examinari rationibus. Ignem verò charitatis, & quidquid à ſana fide proficiſcitur, admittit. Si curioſè inſpexeris liquefiet, nihilque vtilitatis percipies.

Deſcendebat ros ſimul cum manna. Exod. 16.

11. Sextò, ſimul cum manna deſcendebat ros. *Manè quoque,* Exodi 16. inquit ſacer hiſtoricus, *ros iacuit per circuitum caſtrorum: cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* Et Num. 11. dicitur ſimile man coriandri ſemini, quoad magnitudinem: in colore margaritæ, vulgò *Perola*, Sept. *coloris bdelij*: Hebr. *Bedolach*, id eſt, *margarita. Cùmque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & man*: vel vt habent Hebræi, *deſcendebat ſuper eum manna.* Quod autem deinde ſuper manna ros deſcenderet, oſtenditur ex illis verbis Exod. 16. quæ in Hebræo ita ſonant: *Manè quoque fuit operimentum roris.* Quod Rab. Salomon exponit de rore aliquantulum concreto, qui eſſet manna operimentum, & quo radiante Sole, liquefacto relinqueretur manna diſcoopertum; in quo ſenſu interpretatur, quod ſequitur. *Et ecce in ſolitudine minutum diſcoopertum*, hoc eſt, manna liquefacto rore apparebat diſcoopertum. Itaque vult hic doctor Hebræus, vt manna veluti inter duas mappas mundiſſimas tegeretur, antequàm Sol mappulam roris ſuperiorem tabefaceret. Idem ſentit Lyranus Exod. 16. & Abulenſis quæſt. 18. ſuper cap. 11. Num. Addit tamen primùm in deſcenſu manna à Deo immiſſum fuiſſe ventum, qui purgaret à ſordibus omnem terræ ſuperficiem, deinde deſcenderet pruina, tùm manna. Non tamen admittit illud roris operimentum, quod Hebræi apponunt ſuo manna. Cæterùm vtcunque opineris, indicatur, ad viuifici panis receptionem neceſſariam eſſe munditiem: hoc namque epulum præcipuã exigit caſtæ mentis puritatem per pruinam quæ excipiebat manna, ſignificatam caſtæ mentis puritatem; ſic enim cum Euchariſtia deſcendet ros gratiæ, longè quàm in aliis ſacramentis abundantior. Illud mirabile eſt, quod annotauit Abulenſis ſuper cap. 15. Exodi quæſt. 7. in hæc verba: *Collegerunt alius magis, alius minus, & menſi ſunt ad menſuram Gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus; ſed ſinguli iuxta id, quod edere poterant, congregauerunt,* &c. Ait enim quamuis reipſa alij plus aliis de manna collegerint; tamen cùm veniebant ad menſuram quæ publicè erat propoſita, omnes reperiebant vnum tantùm gomor, quæ erat quãtitas pro ſingulis definita: illis enim qui plus collegerant diuinitus manna condenſabatur, iis verò qui minus, rarefiebat. Quia etiam id diuinitus continebat, vt id quod quiſque colligebat, ipſi ſufficeret. Accommodat hoc factum Euchariſtiæ Rupertus cap. 15. lib. 3. in Exodum. Sic enim ait: *Vnuſquiſque noſtrum non pro quantitate portiunculæ viuifici panis, quæ illi frangitur, quam ore ſumit, aut dentibus terit, gratiam & vitam accipit,* &c. Confirmat id præter exemplum manna, etiã exẽplo Adæ, cui morſus vnius pomi tantùm nocuit, quantum, ſi quidquid pomorum in arbore illa fuit, deuoraſſet. Vnde D. Thomas in hymno de Euchariſtia.

Opertimentum ſuper manna. Rab. Salomon. Manna inter duas mappas roris, &c. Exod. 16. Lyranus. Abulenſis. Ventus purgat terram à ſordibus antequàm accedat manna. Exod. 15. Abulenſis. Gomor erat publica menſura ſingulis definita, omnium ſami ſufficientem cibum tribuens, quod mirabile eſt. Rupertus.

Sumit vnus, ſumunt mille
Quantum iſte, tantum ille;
Nec ſumptus conſumitur.

Euchariſtia omnibus ſufficit cœ eſſis cibo æqualem particulam licet quãtitas hoſtiæ ſit minima. Philo.

Mirum eſt, quod Philo Iud. l. 2. allegoriarum docet, nempe ſingulas micas in quas ſemen coriandri minutiſſime conciditur, non ſecus germinare atque integrum coriandrum. An hoc ipſum quadrat in Euchariſtiam? nónne tantumdem virtutis continent ſingulæ particulæ, quantum integra hoſtia? Verbo Dei accommodat Philo Iudæus quod de particulis ſeminis coriandri dictum eſt, quod illius vel minima vocula audientibus, virtutis fructum conferat: de Euchariſtia diceret, ſi hoc agnouiſſet myſterium.

Seminis coriandri qualibet particula germinat. Philo.

12. Septimò, dulciſſimus cibus erat manna; & quod mirari poſſis cum guſtui reddebat ſaporem, quem quiſque cuperet iuxta illud Sap. 16. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuauitatem: ſubſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas, & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur,* &c. Probabile tamen eſt, id miraculum (quidquid dicant Hebræi) iuſtis dumtaxat conceſſum; cæteris verò communem ſaporem reddidiſſe, hoc

Manna cur cibus dulcis. Iuſtis reddebat manna ſaporem varium. Sap. 19. Manna improbis ſolùm reddebat ſaporem panis oleati, & melliti.

eſt, panis oleati vt dicitur Num. 11. *Circuiuit*, inquit, *populus, & colligens illud frangebat mola, ſiue terebat in mortorio, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati.* Additur Exod. 16. *Guſtúſque eius quaſi ſimila cum melle.* Hinc illud faſtidium, quo impulſi carnes petierunt: deditque illis Deus coturnices, ita attemperatas faſtidio leuando, vt multis morbum, pluribus mortem afferrent. Pſal. 77. *Adhuc eſca eorum, erant in ore ipſorum; Et ira Dei aſcendit ſuper illos.* Non indigebant carnibus, vt annotauit Theodoretus. Num. 11. quæſt. 19. quia greges attulerant ex Ægypto. Moſes namque Pharaoni dixerat: *Neque vngula remanebit apud te.* Nec verò conſumpti erant: Siquidem Rubenitæ, & Gadditæ, & dimidia tribus Manaſſe, trans Iordanem propter paſcua remanſerant; anno poſt exitum de Ægypto quadrageſimo. Erat prætereà manna, vt Theodoretus ſcitè aduertit, non ſolùm loco panis ſed etiam obſonij. Quid ergo iſti? Carnes volebant, cæpas & ſimilia valetudini parum vtilia, quæ tamen gulam irritarent. Ideircò (inquit Regius vates) Dominus grauiter offenſus, *Occidit pingues eorum*: Hebraicè, *incuruauit præcipuos.* ſiue, *compedibus aſtrinxit*, ne ad terram promiſſam venirent præſertim diuites, & potentes; quippe qui, vtpote delicatiores, authores murmuris fuiſſent. *Prohibet*, inquit Theodoretus, *legiſlator, mel a ſacrificijs, quia apes vniuerſos flores prælibant. Odit Deus voluptatum amatores, iiſque interdum concedit iratus, quæ negaret propitius.* Meritò Auguſtinus ſerm. 1. de Aduentu ait: *Mater vitam*, nempe voluptati deditam, *qui vult accipere vitam.*

Num. 11.

Exod. 16.

Num. 21. 13. Quod autem ſolùm iuſtis manna redderet ſaporem, quem vellent, illa verba indicant: *Dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas deſerviens*, &c. Et illa Num. 21. quæ murmurantes Hebræi, & parum religioſi proferebant. *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Hæc, qui loquebantur, non experiebantur, quem putabant in manna ſaporem: Ita ſentit Lyra in cap. 16. Sap. Abulenſis quæſt. 16. ſuper cap. 11. Num. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis hom. 5. de Paſcha tom. 7. biblioth. Patrum, vbi poſt explicatam manna naturam, ſic ait: *Quod igitur illic auiduas faciebat, hic*, hoc eſt, in Euchariſtia, *fides facit. Quod ſi in corpore cibus ſapiat, in pectore Deus crediturare proficiat*, &c. Eſt hic panis cœleſtis, ſicut manna olim, nobis quotidianus: vt dicitur in orat. Dominica Luc. 11. de Euchariſtia, *Panem quotidianum.* Exponunt Tertul. 7. lib. de oratione Dominica. Cyprian. lib. 4. epiſt. 6. D. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 12. Petrus Chryſolit. ſerm. 6. 8. Ambroſ. lib. 5. de ſacramentis cap. 4. cuius hæc notanda ſunt verba: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Hieronymus contra Pelagianos. Caſſianus coll. 9. cap. 21. & alij apud Matth. cap. 6. pro pane quotidiano vertit Latinus interpres vocem Græcam, ἐπιούσιον, *ſuperſubſtantialem*, vt Euchariſtiam intelligas. Alij ἐπιούσιον ſubſtantialem interpretantur, hoc eſt, ad hominis ſubſtantiam pertinentem: οὐσία, namque Græcis ſubſtantia eſt. Placuit hæc verſio, ſeu expoſitio Cornelio Ianſenio cap. 41. Concordiæ, Baſilio in quæſtionibus breuioribus quæſt. 262. Theophylact. in cap. 6. Matth. Eam approbauit Ambroſius loco citato, ἐπιούσιον, inquit, *dicitur, quia animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.* D. Hieronymus præcipuum ſeu eximium interpretatur apud Matth. cap. 6. quod ex Hebræo, & ex Sept. Interpretibus colligit. *Vbicumque* inquit, *Sept. Interpretes περιούσιον expreſſerunt, nos inuenimus ſegullah, quod Symmachus ἐξαίρετον, id eſt, præcipuum, ſeu eximium tranſtulit*, &c.

Lyranus.

Abulenſis.

Cæſarius Epiſcopus. Bibliotecha Patrum.

Euchariſtia panis eſt quotidianus ſicut manna Luc. 11. Tertul. Cyprianus. Petrus Chryſol. D. Ambroſ.

Sic viue, vt quotidie merearis accipere S. Euchariſtiam Caſſianus coll. 9.

Ianſenius.

Baſilius. Theophylact. Ambroſ. Hieronym. Matth. 6.

14. Pro manna ergo viſibili feliciter nobis donatum eſt manna abſconditum in pane Euchariſtico, qui panis, vel ipſis Iudæis atteſtantibus, Meſſias eſt. Nam Pſal. 32. vbi nos legimus: *Erit firmamentum in terra in ſummis montium.* Hebraicè eſt. *Erit placenta frumenti, vel fruſtum panis in terra in capite montium.* In quem locum Rab. Salomon: *Magiſtri*, inquit, *bonæ memoriæ expoſuerunt, hoc eſſe genus placentarum in diebus Meſſiæ.* Quod autem Meſſias ipſe futurus erat hæc placentula, expoſuit Rabbi Beratchias nomine Rabbi Iſaac: *Sicut*, inquit, *Redemptor primus*, id eſt, *Moſes fecit deſcendere manna*, Exod. 16. *ita Redemptor vltimus*, id eſt *Meſſias, erit placenta frumenti in terra.* Hæc ille. Et Paraphraſtes Chaldaicus ita vertit *Erit ſubſtantificus panis in terra in capite montium.* Rabbi Ionathas in ſua paraphraſi Chaldaica ſic tranſtulit: *Erit ſacrificium panis in terra in capite montium Eccleſiæ.* Hi Rabbini Chriſtum præceſſerunt ſicut & Rabbi Cahana, qui in commentariis ſuper Geneſim ad illa verba cap. 49. de benedictione Iudæ ab ipſo ita tranſlatâ: *Ligans ad vitem ciuitatem ſuam Lauabit in vino veſtem ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum Hæc*, inquit, *verba, Ligans ad vitem ciuitatem: oſtendunt ſacrificium futurum ex vino, in quo vinum tranſmutabitur in ſubſtantiam ſanguinis Meſſiæ: quod autem ſequitur. Rubicundiores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores: illud ſignificat, quod in ſacrificio, quod etiam ex pane conficietur, non obſtante quod album ſit, velut lac, conuertetur ſubſtantia in ſubſtantiam corporis Meſſiæ: et itque in ipſo ſacrificio ſubſtantia ſanguinis Meſſiæ, rubra vt vinum.* Hæc ille. Quis igitur negabit melius cum populo Chriſtiano actum eſſe, cui Meſſias ipſe cibus dulciſſimus effectus ſit ad ſalutem animarum quàm cum Hebræis, quibus manna deficiens ad temporariam vitæ ſuſtentationem ſit attributum? Hic ſunt gratiæ omnes, ſicut in ſapientiæ fonte; quæ gratiæ (vt inquit Philo in lib. de eo quod deterius potiori inſidiari ſoleat) cibi ſunt animæ quæ idonea eſt ad ſugendum (ſicut legiſlator loquitur) *mel de petra, & oleum de ſolido ſaxo.* Petram ſolidam indicans Sapientiam Dei, nutricem baiulam, educatricémque deſiderantium vitam incorruptibilem. Hæc enim tanquam mater eorum, quæ mundo continentur, ex ſeipſa cibos præbet ſuis fœtibus: ſed non omnia diuino alimento digna habentur: Verum eo modo, quæ non degenerem præ ſe ferunt indolem. Nam pleraque pereunt inedia virtutis, grauiori morbo, ac miſeriore, quàm cibi potúſque inopia. Labitur autem diuinæ ſapientiæ fons, nunc leniore fluxu placidioréque nunc vehementiore curſu, maioréque impetu. Quando igitur ſenſim deſcendit, dulceſcit mellis in morem: quando verò celeriter, confeſtimque labitur, fit tanquam oleum illuſtrandæ animæ. Hanc petram vocat Propheta alibi manna per ſynonimiam, antiquiſſimum illud Dei verbum, &c. Habent igitur animæ fideles in Euchariſtico pane, ſi idoneæ ſunt ad ſugendum (vt verbo Philonis vtar) mel de petra, quæ eſt Chriſtus. Oleum gratiæ; manna abſconditum ſontem ſapientiæ, & quidquid deſiderare poſſunt vnde in Pſalm. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,*

Chriſtus eſt manna abſconditum

Pſal. 32.

R. Salomon.

Rab. Beratchias Rabbini Antiquiores de Euchariſtia interpretantur Pſal. 32 verſiculum Erit firmamentum, &c. Rab. Ionathas

R. Cahana.

Gen. 49.

Nomen panis manna ſapientiæ, quæ cibus præbet ſuis fœtibus Euchariſtia commendatur

quàm abſcondiſti timentibus te! In quo verſu in eſt epiphonema, conſiderato pretioſiſſimi ſaporis theſauro in Euchariſtia repoſito. Poſtulat hic cæleſtis cibus cordis puritatem. Legitur in prouerbijs Salomonis (inquit Auguſt. tract. 84. in Ioan. tom. 9.) *Si ſederis cœnare ad menſam potentis, conſidera & intellige, quæ apponuntur tibi.* Quæ eſt menſa potentis? niſi vnde ſumitur corpus, & ſanguis eius, qui pro nobis poſuit animam ſuam, &c. Iubet Auguſtinus, quod Paulus multò ante præceperat, vt accedentes præparemur conſideratione myſterij. In Euchariſtia abſconditi: ne nobis accidat, quod Iudæ. Vnde ſuper Pſalm. 142. dolenter ait: *Quam multos Iudas implet Satanas, indigne accipientes buccellam ad iudicium ſuum,* &c. Agnoſcamus ergo latentem in Euchariſtico pane dulcedinem. Eſt enim Deus, qui oculis corporeis abſconditur (vt Bern. ait) mel in ore: in aure canticũ, iubilus in corde, &c. Felix profectò permutatio mãna deficientis, & viſibilis; cum mãna abſcondito & inuiſibili. Et eſt qui dubitet, benignitatis fuiſſe ſummæ pro manna illo, hoc nobis à Chriſto Domino donari? Poſt immolationem Agni, quæ ſacrificium Euchariſticum ſignificabat, cum Angelo loquitur Ioſue, vt mox videbimus. Qoò intelligant Chriſtiani poſt ſumptionem Euchariſtiæ oportere noſtram conuerſationem cùm Angelis eſſe, & ex eorum præſcripto viuendum.

Poſt ſumptionem Euchariſtiæ cum Angelis agendum.

CAP. V. IOSVE
SECTIO III.

Verſ. 13.] Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho; leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexítque ad eum, & ait.
14. Noſter es, an aduerſariorum.
15. Qui reſpondit. Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini,
16. & nunc venio. Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruũ ſuum? Solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecítque Ioſue, vt ſibi fuera imperatum.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Et fuit cum eſſet Ioſue in Hiericho, leuauit oculos ſuos, & vidit, & ecce vir ſtabat contra eum, & gladius eius euaginatus in manu eius; Et fuit Ioſue ad eum, & ait ei: Ex noſtris es, an ex aduerſarijs noſtris? Et dixit, non ſed ſum princeps exercitus Domini, nunc veni, &c. Solue calceamentum de pede tuo, quia locus ſuper quo tu ſtas, ſanctitas eſt, &c.

Aliter. Contigit autem cùm eſſet Ioſue prope Hiericho, vt ſublatis oculis ſuis videret virum ſtantem contra ſe habentem gladium diſtrictum in manu ſua, &c. Nobiſne adueniſti, an aduerſarijs noſtris? Ettolle calceamẽtum tuum de pede tuo; locus enim in quo ſtas, ſanctuarium eſt. Fecítque ſic Ioſue.

Angelus Domini, qui princeps erat exercitus Iſraelitici.

Sept. Interp. Pro. *Vidit virum,* &c. Εἶδεν φανέντα ἄνθρωπον ἑστηκότα ἐναντίον ἑαυτοῦ. καὶ ἡ ῥομφαία αὐτοῦ ἐσπασμένη ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, &c. Pro, noſter es, &c. ἡμέτερος εἶ, ἢ τῶν ὑπεναντίων ἡμῶν. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ὅτι ἐγὼ ἀρχιστράτηγος, δυνάμεως κυρίου: νυνὶ παραγέγονα, &c. λῦσαι τὸ ὑπόδημά σου ἐκ τῶν ποδῶν σου. ὁ γὰρ τόπος ἐφ᾽ ᾧ σὺ ἕστηκας ἐπ᾽ αὐτοῦ ἅγιός ἐστι.

Explicatur contextus.

1. **V***idit virum ſtantem contra ſe.*] In Hebræo eſt, cùm eſſet Ioſue in Hiericho, &c. Vt vertit Pagnin. vel prope Hiericho, vt vertit Vatab. Noſter tamen interpres aptè tranſtulit: In agro Hiericho. Non enim Ioſue erat intra vrbem, nec aliter intelligunt Hebræi hunc contextum, quàm Hieronymus noſter vertit. Erat in Galgalis Ioſue, & vidit, non in aëre, ſed in planitie agri, in qua ſolus de fixis in terram oculis erat meditabundus, virum, qui Angelus erat. Vocatur autem Angelus viri nomine more ſcriptorarum, vbi aduerte ex Abulenſ. quæſt. 68. in veteri teſtamento non rarò Angelos ſignificari Dei, aut viri nomine. Hoc tamen diſcrimine. Cùm enim apparent in effigie humana, vt apparuerunt Abrahæ. Gen. 18 tres iuuenes, quorum duo ire Sodomam perrexerunt; Mox cap. 19. dicuntur viri. Si autem loquantur non aſſumpta figura humana, quæ videatur, ſed ex nube, vel alio modo, Dei nomine appellantur. Hic modus eſt in toto Pentateucho, & in hoc lib. Ioſue vulgatiſſimus cùm enim Angelus loquatur; paſſim tamen dicitur; *locutus eſt Deus;* qui vt Abulenſ. opinatur, Exod. 23. & 25. numquam per ſe loquitur.

Pagnin.
Vatablus.
Abulenſ.
Cur Angelus, qui apparet, aliquando Deus, aliquando vir dicitur.
Gen. 18.
Gen. 19.
Deus numquam per ſe loquitur.
Abulenſ. Exod. 23. & 25.

2. *Euaginatum tenentem gladium.*] Hebræi, vt in Annotationibus refert Vatab. dicunt, per viſionem hoc accidiſſe Ioſue; non tamen explicant qualis fuerit. Hæc tamen verba indicant corpoream fuiſſe. Vidit namque Angelum ante ſe ſtantem, veluti paratum ad opem ferendam gladio,

Vatab.
In humana figura apparuit Angelus gladio armatus.

quem oſtentabat Iudæis, contra Chananæos. Quare dicendum eſt, ſic à Ioſue viſum fuiſſe, quemadmodum viſus fuit in rubo ardenti, olim à Moſe.

3. Voluit autem Deus hac viſione conſolari Ioſue, & ad res magnas erigere; licèt enim vir ſtrenuus eſſet, quippe qui in deſerto feliciter pugnauerit contra Amalechitas Exod. 17. Et iterum aduerſus, Madianitas, quinque illorum Regibus debellatis vt patet Num. 31. id tamen præſtitit auſpicijs ſummi Imperatoris, hoc eſt Moſis, cuius iuſſu rem bellicam adminiſtrabat. Nunc autem cùm ſucceſſor ſit tanti viri, oportuit, vt in ipſo rerum gerendarum exordio, à Deo robur acciperet, & trepidanti populo certiſſimam victoriam è cœlo promiſſam, quo Dei auxilium ſibi adeſſe intelligerent; denuntiaret. Pugnandum erat contra plus quàm quinquaginta Chananæorum, Reges qui 7. populis paſſim nominatis præerant: Ex quibus Ioſue, vt infrà cap. 12. dicetur 31. occidit: ſuperfuerúntque aliqui poſt mortem eius oppugnandi vt conſtat ex cap. 3. lib. Iudicum. Nec ſolùm Deus Ioſue miſſo Angelo in auxilium futuri belli conſolatus eſt, ſed etiam ipſum populum, cui formidabilis erat vt Regum, & gentium congreſſus.

Exod. 17.
Num. 31.
Ioſue ſub Moſe bis victor extitit in ſolitudine.
Ioſue 11.

4. *Noſter es an aduerſariorum.*] 70. legunt ἡμέτερος εἶ, ἢ τῶν ὑπεναντίων: hoc eſt, noſter es an ex aduerſarijs? Animus Ioſue intrepidus oſtẽditur: qui cùm ſolus eſſet extra caſtra, & meditabundus, atque inermis occurrere viro armato, quem an hoſtis eſſet, ignorabat, non dubitauit. Sed quomodò dubitauit, an ex ſuis eſſet? Quomodò rogas? An in ſexcentis armatorum millibus potuit ſingulos de facie agnoſcere, & ad nomen vocare?

Orationi vacabat Ioſue, cum Angelum vidit.

5. *Sum princeps exercitus Domini.*] Hunc Angelum multi, & graues autores interpretantur, eſſe Michaelem eo ipſo quod vocatur princeps exercitus Domini Theod. quæſt. 4. ſuper Ioſue. *Aiunt quidam*, inquit, *viſum fuiſſe verbum diuinum: Ego autem arbitror fuiſſe Michaelem Archangelum*, &c. Præterea dum ſe principem nominat exercitus Domini, ſignificat ſe præpoſitum eſſe illi populo, & caſtris, quia in eis vera eſt religio, & diuina præcepta obſeruandi profeſſio. De Michale agitur Danielis 10. Vbi dicitur. *Et ecce Michael vnus de principibus primis*, id eſt vnus ex præcipuis Angelis, ſeu vnus Archangelorum. Iudas Apoſtolus eum in ſua canonica Arcangelum appellat. Tempore Ioſue princeps erat vniuerſi populi Hebræi, ſicut nunc eſt vniuerſæ Eccleſiæ. Eam ob cauſam adiuuit Gabrielem, qui cum Daniele cap. 10. loquebatur; cui Angelus Perſarum viginti, & vno diebus reſtitit. Suum igitur Michael erga Ioſue, Danielem, cæteróſque Iudæos fauorem manifeſtans princeps exercitus Domini hîc Danielis 12. princeps magnus vocatur.

Theod.
Angelum, qui apparuit Ioſue putant aliqui fuiſſe verbum diuinum.
Daniel. 10.
Michael princeps exercitus Domini.
Iudas in can.
Michael iuuit Gabrielem, cui Angelus Perſarum reſtitit viginti & vno diebus.
Dan. 12.

6. *Et nunc venio.*] Ioſue videns virum fortem, & bellatorem, incertum habebat, cui parti eſſet auxilium laturus. Poſtquàm tamen audiuit illum eſſe principem exercitus Domini, hoc eſt populi Iudaici, bono animo eſſe cœpit; ſimúlque didicit non hominem, ſed Angelum ſe alloqui. Ex legis nimirum doctrina, atque ex Patrum diſciplina edoctus ſciebat ſingulis prouincijs, regionibúſque, ac gentibus proprios Angelos in tutelam eſſe conſtitutos. Nouerat etiam quoſdam eſſe genios malos, hoc eſt dæmonas, qui in hominum incumberent perniciem; quorum princeps ab Hebræis Sathanas, à Græcis Antitheos cognominatur, tanquam Dei, & hominum hoſtis publicus. Nuncupatur etiam Græcè *diabolus*, Latinè *criminator*. Quantum hominum generi noceant, mali genij, ſiue cacodæmones; qui Luciferum apoſtatam Angelum ſecuti, è cœlo ceciderunt, ita quidam non ineleganter expreſſit.

Singulis prouincijs ac gentibus proprij ſunt Angeli in tutelam dati.
Sathan Hebræis Antitheos dicitur.

Tunc mortalibus imminent:
Humanum capiunt mille modis genus:
Tendunt mille plagas, mille nocent modis
Visus: pectora ineſcant,
Falſa capta cupidine.

Auentinus in Annalibus Boiorum.

7. Ioſue igitur ex reſponſione didicit non eſſe principem, quem alloquebatur Dæmonarchen, aut alium ex ſpiritibus nequiſſimis, & fallaciſſimis. Aperte enim profeſſus eſt, ſe opem ferre Hebræis prout ſibi iniunctum erat à Deo. Cogitanti igitur Duci, quibus artibus poſſet Hiericho expugnare, ait Michael, expugnationem illam non conſilijs, aut oppugnatoribus humanis, ſed diuina ope & exercitus cœleſtis, hoc eſt Angelorum, quos ipſe duceret opera eſſe expediendam. Huc ſpectat illud. *Nequaquam: Et nunc venio*; hoc eſt; non manu militum tuorum, ſed noſtra negotium conficietur. Ad hanc rem curandam nunc primum venio: ideóque non ſum antehac conſpectus. Itaque nihil tu de Hiericho, tanquam tuis viribus ſit expugnanda, cogitare debes. Ego ſum princeps qui Domini exercitum in hanc duco expeditionem. Hoc angeli oraculum, cum piè, & reuerenter (vt par erat) exciperet Ioſue, principem ſibi diuinitus aſſignatum religioſa obſeruantia colit. Antehac enim, ille Angelus in Chananæorum terra non erat. Illis námque ad cuſtodiam ſuæ regionis attributus non fuerat. Propterea ait: *Et nunc venio*, hoc eſt, nunc primùm, ad adiuuandum te, & tuos venio, non vnius diei hoſpes, ſed ad multos annos, hoc eſt ad Chriſti, vſque aduentum habitator.

Expugnatio Hiericho, diuinitus facienda eſt ... Michael.
Michael ducit exercitum Angelorum pro Hebræis.
Michael dux populo Hebræo cuſtos eſt, & cum illo verſatus eſt in terra Chanaan.

8. Quod autem Angelus ait, *nunc venio*, non ſignificat ſe antè ab Hebræo populo abfuiſſe (ſemper enim cum illo verſatus eſt) ſed nunc primum corporali ſpecie ſe oculis obieciſſe. Vnde falſum eſt quod quidam Iudæi dicunt, hunc angelum veniſſe ad increpandum Ioſue, & ſuos, quod non fuerint obſeruati ritus, quando celebratum eſt phaſe matutini, atque veſpertini ſacrificij, aliæq; legis Moſaicæ cæremoniæ. Quorſum enim gladium diſtringeret? bellicus certè eſt hic apparatus. Quorſum ſe principem exercitus nominaret? Quid quod obligati non erant ad ſacrificia, & alias cæremonias agẽdas ante pacificam terræ Chanaan poſſeſſionem? vt colligitur Deut. 12.

Falſum eſt dicunt quidam Iudæi Angelum increpaſſe Ioſue quod non fuiſſent per hunc ritus obſeruati cæremoniæ.

Rabbi Salomon, & alij Hebræi ita interpretantur. *Nunc venio*, Ac ſi dicat olim veni ad Moſen deceſſorem tuum, & quia me recipere noluit, nunc ad te venio. Hoc ex verbis Exodi 33. inferunt, quibus Deus Moſi dixit. *Et mittam præcurſorem tui Angelum meum.* Deinde dicitur. *Facies mea præcedet te.* Refutatio Angeli expenditur in reſponſione Moſis qui ait, *ſi non tu ipſe præcedis, non educas nos de loco iſto.*

Deut. 12.
R. Salomon.
Exod. 33.

9. Non tamen videtur audiendus Rab. Salomon quia nec Deus deinceps aliter comitatus eſt Hebræos, nec angelus, qui in columna nubis, cui motum dabat, caſtra præcedebat, deſiuit populum antecedere Exod. 14. Nunc igitur venire dicitur, quia, quos antea occultatos protegebat, nunc in viſibili ſpecie defendit, & conſolatur. Sic iacob veniens à Meſopotamia, ab Angelo, qui apparuit Laban in itinere, exterrens eum, ne

Viſibil... ad ... ſed ... Exod. 14.

Gen. 32. 31. Iacobo Angeli ſemper adſunt.

A genero noceret, baud dubiè cuſtodiebatur; Non tamen, vt patet Gen. 31. à Iacobo videbatur. Venturo autem in conſpectu fratris ſui Eſau, quē valde timebat, vt dicitur cap. ſequenti, apparuerunt Angeli ſecuritatem pollicentes, & conſolationē; eóſque idcircò appellauit, caſtra Dei. Indigebat maiori adhuc mentis, & virium corroboratione Iacob, vt tranſiret Iordanem: ob eamque cauſam apparuit ei Angelus, cum quo luctatus victoriam reportauit; vinci ſe paſſus eſt Angelus, vt intelligeret, obiectas difficultates facilè ſuperatum iri, *ſi contra Dominum.* (inquit eodem cap.) *fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis?* & ipſe Iacob bene animatus, ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.*

Venturo Iacob in conſpectu Eſau, quem timebat, multi Angeli adfuerunt.

B 10. *Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorauit dicens, &c.* Dei legatum veneratus eſt, Deum in illo adorans, quemadmodum in legato Pontificis, honor defertur ipſi Pontifici à quo miſſus eſt. Non tamē intelligas adoraſſe Ioſue, aut aliquem ex Patribus veteris teſtamenti Angelos, quos viderunt in ſpecie humana adoratione latriæ, quæ ſoli Deo conceditur, ſed duliæ, quam vel hodie deferre poſſumus Angelis, ſi nobis aſtiterint. Nec obſtat huic ſententiæ, quod Angelus, qui apparuit Ioanni Euangeliſtæ in inſula Pathmos, non permiſit ſe adorari. Apoc. 19. & 22. Vbi ſcriptum eſt; *& cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, & dixit mihi: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV. Deum adora, &c.* Solùm enim hic colligitur, vt notat Abulenſ. qu. 76. Angelos, qui ante Chriſti aduentum patiebantur ſe ab hominibus etiam virtute præcellentibus adorari, non admittere facilè hanc propter excellentiam naturę, ſibi debitam venerationem, poſtquam Chriſtus non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Ita enim in Chriſto natura humana, ſupra Angelicam naturam erecta eſt, vt iam Angeli, non modo à Ioanne, qui Apoſtolus erat, & prærogatiua virginitatis Angelis par, ſed nec ab aliis heroicis viris, adorari ſe ſinant. Vnde illa verba *Conſeruus tuus ſum. &c.* hunc habent ſenſum. Ego ſum ſeruus iam ſicut & vos, poſtquam Chriſtus aſſumpſit humanitatem veſtram, eamque gloria, & honore ſublimem fecit: non ſum Dominus, quem Abraham agnoſcebat, puluerem ſe, & cinerem vocans. Hoc enim tunc erat natura veſtra comparata cum noſtra: Hinc tamē non inferas, illicitum eſſe hominibus noui teſtamenti Angelis ſi appareant, reuerentiam duliæ exhibere: Id enim non minùs hodie licitum eſt, quàm olim: dumtaxat dicimus, nō admitti nunc ab Angelis facilè hanc adorationem.

Patres nō adorauerunt Angelos adoratione latriæ.

Dulia debetur Angelis quam in aliis non permittunt ſibi exhiberi. Apoc. 19. 22.

Abulenſis.

Angeli in Chriſto a nobis deſpiciuntur, quia humanā naturam extulit.

Angelis etiam in nouo teſtamēto debitur veneratio duliæ.

C D

11. *Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?* Per tertiam perſonam alloqui Principes, non ſolùm in ſacris literis frequens eſt vſus, ſed etiam in Luſitana lingua, & Hiſpanica. Noſter quidem Ioſue. quem principem exercitus Dei eſſe audierat in tertia perſona alloquitur, & Dominum ſuum vocat; ſimúlque ſe famulum obſequentem profitetur: dumtaxat, quid velit, quídve iubeat, explorat. Diſce hinc, non eſſe damnandam conſuetudinem, qua viros priuatios honoris ergo in tertia perſona alloquimur. Vt cum dicimus Epiſcopo, iubeat dominatio veſtra, &c. Vnde non ſunt laudandi, vt Eraſmus illos laudat in lib. de ratione ſcribendi Epiſtolas quidem qui vt venerari videantur ſimplicitatem antiqui temporis, *tuiſare & voſſare* ſolent. Nos conſuetudinem illuſtrium virorum ſequamur.

E

Conſuetudo perſonæ eſt loqui cum viro per modum in tertia perſona.

A 12. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Locus in quo Ioſue Angelum meruit videre, & totam expugnandi vrbem, ab eo ſeriem audire: ſanctus eſt, ſiue ſanctitas, vt vertit Pagninus, vel ſanctuarium, vt habet Vatablus. Sic, templum, in quo conſulebatur Deus, & diuina reddebantur oracula, ob hoc ipſum ſanctum erat. Cùm ergo omnis locus ſanctus, nuditate pedum ſit venerandus iuxta ritum antiquæ legis, quem Sarraceni obſeruantes ad ſacra ingreſſuri calces ad fores templi & ſoluunt, & relinquunt: par fuit vt Ioſue nuditate pedum loci illius ſanctitatem coleret. Simile quid iuſſum fuit Moſi in rubi ardentis viſione. Idémque mandatur in lege Hebræo ſacerdoti in templo miniſtranti.

Pagninus. Vatablus.

Nuditate pedum ſanctitas olim loci ſignificatā.

B Quare reuerentiæ ergo præcipitur Ioſue tangere eum locum pedibus non calceatis, vt certior fiat Hiericho vrbem cum ſuburbano agro, Deo Regi ſummo, & duci illius regionis capiendæ, primitiarum eſſe, & anathematis nomine ſepoſitam; ideóque ab illo expugnandam nullis hominum adhibitis opibus ob idque non eſſe profanè tractandam, aut ſpoliandam, cum eam Deus ad declarandum elegerit ſuum auxilium, quod iuſtis contra impios præbere ſolet, tum fidem promiſſis obligatam. Proponitur itaque cæleſtis virtutis oſtendendæ expugnatio Hiericho tanquam primum theatrum in terra Chanaan.

Primum theatrum diuinæ virtutis oſtendendæ in terra Chanaā proponitur expugnatio Hiericho.

C 13. Illuſtrat hunc locum Elias Cretenſis ſuper orat. 1. Apolog. Greg. Naz. vbi vir ſanctus opiat contra Iulianum Apoſtatam Eccleſiam Chriſti perſequentem Moſis, & Ioſue in victoriis felicitatem. *Quis*, inquit, *Moſes hunc deuincet, manus in monte extendens, vt crux efformata, & ante indicata. palmam obtineat? Quis Ioſue poſt eum cum diuini exercitus imperatore ſimul in aciem prodiens?* &c. His verbis præmiſſis, quod ad rem præſentem attinet, explicat Elias quid ſit ſoluere calceamentum. *Illud, inquit, ſolue calceamentum; idem eſt, ac ſi dixiſſet. Pedem aduerſus hoſtes moue: quod ſcilicet per calceamentum pes ſignificetur. Cuiuſmodi ſcilicet illud eſt etiam: In Idumæam extendam calceamentum meum: vel etiam quia calceamenta ad ſerpentum, & ferarum morſus cauendos induimus. Eum porrò qui Deum opitulatorem habet, neminē metuere oportet meritò proinde hic, velut ſupernum auxilium iam conſequutus, ab Angelo monebatur, vt ſeipſum omni humano auxilio denudaret. Aut etiam, quia ij qui aduerſus hoſtes quoſcunque tandem quiſpiam intelligere queat, trophæum erigere cupiunt, peccati mortalitatis, cuius pellis, vtpote mortua, ſignum gerit, deponenda eſt.* Hæc Elias, tres vt vides, complexus interpretationes Non omittam, quod Gaudentius Epiſcopus Brixianus de Chriſti calceamento, cuius Ioannes ſoluere corrigiam non audet, ſcriptum reliquit tractatu 5. Exod. Biblioth. tom. 7. *De Ioſue, inquit, & Moſe dixerat, propterea illis iuberi, vt ſoluerint calceamenta, quia terra ſancta eſt hoc eſt, quia in Ægypto terra ſancta non eſt. Et idcircò calceamenta habenda mandantur: in terra autem ſancta decernunt ſoluenda. Quamdiu enim in hoc ſeculo phaſe celebramus, calceamentis vtimur ſacrarum ſcripturarum, quia tutus eſſe non poteſt noſter inceſſus, niſi mandatis dominicis tegatur, vſquequo intremus in ſanctam promiſſionis terram.* Hos Chriſti calceos veneratur Baptiſta Matth. 15. dicens, *cuius ego non ſum dignus corrigiam calceamentorum ſoluere.* Deinde addit Gaudentius. *Sed alia in Chriſto ratio eſt. Ille non propter ſe calceatus eſt, ſed propter nos, quia terra ſuſtinere non poterat maieſtatis eius nuda veſtigia. Calceamenta cum dicit greſſus*

D

Elias Creten. Soluere calceamentum quid? Greg. Naz.

Soluere calceamentum, eſt pedem in bellum mouere.

Calcei induuntur contra ſerpentum morſus, qui in terra promiſſa, timendi non erant.

Pellis calceorū, peccati ſignum gerit, quod deponendum eſt a negotium gerendo.

Gaudentius Epiſcopus.

Bibl. Patr. tom. 7.

In Ægypto iubentur Iudæi habere calceamenta, in terra ſancta, non item.

Calcei Chriſti, quorum ſoluere corrigiam Ioannes non audet, ſunt præcepta. Matth. 15.

Terra non ſuſtinere poterat maieſtatis Chriſti nuda veſtigia.

o'ſtendiſſet.t vtrum ſcripturarũ ꝗ mbus graditur Chriſtꝰ notitia. Et ideo Baptiſta neg at, vel idoneum ſe eſſe, vel dignum, qui ſoluat corrigiam calceamentorum eius, id eſt ſermonem eius; ſiue, vt edifferat vnum de mandatis eius, ſiue vt nudare valeat & euidenter oſtendere calceatæ adhuc in iſto ſeculo verbi Dei veneranda veſtigia. Modo enim videmus per ſpeculum in ænigmate inquit Paul. 1. Corinth. 13.

1. Cor. 13.

14. *Locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt.*] Duo Angelus poſcebat à Ioſue, quæ apud Hebræos ſignificantur per *Neghel*, id eſt, *calceum* à verbo *Ghala*, id eſt, *ſuſcipere de re aliqua curam*, & per *Reghel*, id eſt, *pedem*, ſiue ſecundùm metaphoram *conſuetudinem, & modum*. Quod ad externa attinet, intellige, inquit, locum in quo ſtas, ſanctum eſſe; idcirco pedibus à communi impuritate liberis, eſſe proterendum. Quod verò ad interna attinet, cõſiderationem omnem tuam, & induſtriam, qua moliris humano modo, locum hunc obtinere, à te ablegatum volo. Nam locus hic ſanctus eſt, id eſt, non vulgari ratione, ſed ſeparata à ſenſuum iudicio, & ſingulari miraculo capiendus, & tenendus eſt.

Abulenſis. *Quandiu durauerit ſanctitas in loco in quo Angelus apparuit Ioſue.*

15. Quærit Abulenſ. quandiu perſeuerauerit in loco illo ſanctificatio? Ego duplicem hic conſidero, vnam quæ iam erat ex apparitionibus diuinis crebrò olim factis Abrahæ, & cæteris Patriarchis: Atque hæc quidem non tantam exigebat reuerentiam, vt propter eam nudis pedibus oporteret incedere. Alteram, quæ nunc primùm ad præſentiam Angeli conferebatur, duratura donec ille adeſſet. Propter hanc iubetur Ioſue (inquit Abulenſ.) tandiu nuditate pedum reuerentiam exhibere, quandiu illa durauerit. Similis reuera exigebatur in monte Sinai ob præſentiam gloriæ Domini. Nemini enim licebat (vt dicitur Exodi 19.) tangere illum montem, in promulgatione legis à Deo datæ. *Omnis*, inquit Deus, *qui tetigerit montem, morte morietur.* An nõ quoties Deus ſpecialiter apparuit, ſanctificationem loco contulit? Quid? profectò quando voluit Moſi oſtendere faciem ſuam, & omne bonum, non ſolùm accedere ad montem prohibuit, ſed etiam illicitum fuit in montibus ex aduerſo poſitis, boues, iumenta, atque homines verſari iuxta illud Exod. 34. *Nullus aſcendet tecum, ne videatur quiſpiam per totum montem: bouéſque, & oues non paſcantur è contrà, &c.* Atqui in aliis diebus, in quibus præſentia ſpecialis Dei, aut Angeli aberat, fas erat hæc fieri. Vnde annotauit Abul. ad finem quæ. 77. recedente Angelo induiſſe Ioſue calceos, & in caſtra reuertiſſe.

Duplex loci ſanctitas.

Nuditas pedum Ioſue ob reuerentiam Angeli.

Exod. 19.

Reuerentia.

Quando Deus oſtendit Moſi faciem ſuã, & omne bonũ, prohibuit ne in monte, aut in vicinis homines aut iumenta verſarentur.

Exod. 34.

Recedente Angelo Ioſue calceos induit.

Verſ. 13.] Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos, & vidit virum, &c.

Num oratione, & lacrymis impetrauerit Ioſue à Deo apparitionem Angeli, quemadmodum Iacob, & alij Patres?

ANNOTATIO I.

1. CONSVEVERVNT viri ſanctitate præcellentes antequam negotium aliquod maioris momenti aggrederentur: vt Deum ſibi propitium redderent, & populo, ſi fortè illi offenſus erat, in locum aliquem recedere, à tumultu ſemotum, vt ſoli, oratione & lacrymis cum ſolo Deo agerent; quem ſciebant his armis facilè ab hominibus expugnari. His ſe muniens Iacob, quando timuit; nunc Laban ſocerum ſuum; nunc Eſau fratrem nihil non eſt aſſecutus. His, Angelum cum quo luctatus eſt, vicit. Quod expreſsè Oſeas cap. 12. *Et inualuit ad Angelum*, inquit, *& confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum* &c. Ad hæc arma conuerſus eſt Daniel, cap. 10. ſua, & populi peccata recolens, ob quæ multi ex Hebræis poſthabita legis & Hieroſolymæ deletæ memoria, manere inter Chaldæos volebant. Sic enim ait: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.* Hoc eſt, viginti & vno diebus, vel tribus hebdomadis dierum, vt ex Hebræo vertit Theodotio. Hanc, quam diximus, eſſe cauſam lacrymarum Danielis tradit Theodor. apud Danielem, & Magiſt. hiſt. ſchol. Fortè plorabat etiã, quia hæc oratio, & ieiunium ipſius inciderit in annum Cyri tertium, in quo iam è Babylone dimiſſi erant captiui in terram ſuam; nuntiatúmq; eſt in Chaldæa, Iudæos, qui erant in patria quaſi poſtliminio recuperata ob vicinorum populorũ iniurias, ab vrbis, ac templi ædificatione impediri. Eam ob cauſam orationi, & lacrymis quò Deum placaret, eo tempore vacabat vel fortè, vt ſibi res futuras aperiret. Idem cap. 9. præcedenti, vt impetraret à Deo finem Babylonicæ captiuitatis, cor ſuum effudit in preces; ſic enim ait: *& oraui Dominum Deum meum, & confeſſus ſum*, &c. vtriuſque orationis felix fuit exitus. Ioſue precibus & lacrymis vacaſſe puto (quamuis id ſacra pagina non explicet) vt mereretur exitum ſuarũ rerum diuino beneficio felicem videre.

Viri ſancti lacrymis, & oratione Deum ſibi flectunt ad miſericordiam.

Iacob lacrymis & oratione vicit Angelum.

Oſee 12.

Vis orationis Danielis coram Deo plorantis.

Dan. 10.

Theod.

Theodoret.

Hiſt. ſchol.

Dan. 9.

2. Miraberis tamen cur Ioſue ſciens ex diuinis promiſſionibus tradendam eſſe Hebræis terram Chananæorum, atque adeò Hiericho, de cuius expugnatione ſolicitus erat; egreditur è caſtris; cogitat quid futurum ſit; precatur, & precibus, quod probabile eſt, lacrymas iungit; ſimilis admiratio eſt in oratione Danielis. Cur enim Daniel tam anxiè Deo ſupplicet pro liberatione populi, quẽ Deus tranſactis ſeptuaginta annis, quorum finis aderat; dimiſſurum ſe è captiuitate promiſerat per Hieremiam? Num dubitauerat, ne non fuiſſet illud à Deo promiſſum, vel à Hieremia prædictum? Nequaquam. Dei promiſſis diffidit? Id ſcelus eſt de tanto Propheta ſuſpicari.

Cur Ioſue orauerit cum ſciret tradenda ſibi terram Chanaã.

3. Vtrique dubitationi ſatisfacit Theodor. ſuper Danielem, dicens: *Etiamſi millies Deus nobis aliquid promiſerit, ſi tamen nos promiſſis eius indignos exhibeamus, effectũ beneficentiæ eius, impedimus. Timens igitur Daniel* (idem dic de Ioſue) ne peccata Iudæorum diuinis promiſſis obſtarent, preces apud Deum multiplicat. Suffragatur D. Hieronymus: *Poſtulat*, inquit, *à Deo Daniel promiſſam populi liberationem non quòd incredulus ſit futurorum, ſed vt quod Deus per ſuam promiſerat clementiam, per ipſius preces impleret, vel ne nimia ſecuritas negligentiam, negligentia verò pareret offenſam.* Hæc Hieron. Ex cuius doctrina elicitur Deum aliqua bona ita hominibus deſtinaſſe euentura, vt ſimul media, quibus illa impetranda eſſent, prædeſtinaret; verbi gratia ad impetrãdam terram Chanaan Ioſue induſtriam, & preces; ait enim Ioſue adorans in Angelo Deũ. Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?

Theodor.

Orat Daniel, vt promiſſa Dei per illius preces impleantur: vel ne ſecuritas pareret negligentiam.

Hieron.

An non

Captiuitas Iudæorum oratione & lacrymis Danielis ſoluta fuit.
Act. 9.
Conceditur Iacobi natiuitas ſterili Rebeccæ precibus mariti.

An non orat, qui adorat, & diuinam explorat voluntatem? Ad ſoluendam vero captiuitatem Iudæorum, Danielis ieiunia, lacrymas, & orationem. Sic ſtatuerat olim Deus Paulum ad fidem Chriſti adducere, ſed per orationem tamen beati Stephani. Act. 9. Quid de Iacob Patriarcha dicam? Ad principatum populi Hebræi, & æternam ſalutem prædiſtinatus erat; illius tamen generationem, cum mater eius Rebecca eſſet ſterilis, Iſaac mariti orationibus conceſſit, vt patet ex 25. Gen.

Gen 25.

Promiſſorum Dei duo genera.

4. Poteſt etiam ſolui difficultas, ſi duo conſideres diuinorum promiſſorum genera. Vnum omnino abſolutum, & nullo modo pendens ex hominum arbitrio, quod proinde nulla prauitate impediri poteſt; quale fuit promiſſum ſeruandi genus humanum, miſſo filio Dei in mundum. Alterum conditionale, quod ſcilicet ita Deo conceditur, vt non ſit implendum, niſi ea conditio adſit, quæ ab ipſis, quibus promittitur, poſtulatur; Huius generis arbitror fuiſſe promiſſionem factam Iudæis de æterna terræ Chanaan poſſeſſione. Id enim ita intelligitur promiſſum, ſi illi legi obtemperarent. Quod quia non fecerunt, propterea Dei promiſſis fraudati ſunt. Huius rei exempla inuenies lib. 4. Reg. cap. 21. & 1. Reg. cap. 2. & apud prophetiam Ionæ vaticinantis Niniues euerſionem. Et apud Hieremiam cap. 18. Potuit igitur Daniel timere Dei promiſſioné de liberatione Hebræorum à captiuitate Babylonica, conditionatam eſſe; nimirum liberandum populum ſi eum ſuorum ſcelerum pœniteret; & Daniel, alijque viri ſancti pro huiuſmodi liberatione preces funderent. Idem timor percellere potuit Ioſue animum, atque adeò obnixè, & religioſè pro expugnatione Chananæorum Deo ſupplicauit, populo fortaſſe antè admonito, vt ieiunijs, & orationibus vacaret.

Iudæis promiſſa ſuit æterna poſſeſſio terræ Chanaan ſi legē ſeruarent.
4. Reg. 21.
1 Reg. 2.
Ionæ 3. & 4.
Hierem. 18.

Vis orationis, & lacrymarum potens ad flectendū Deum in aduerſitate.
Dan. 10.
Ioſue oratione, & afflictatione Deum conciliat populo.

5. Hoc inſtitutum ſemper tenuerunt viri virtute clari, vt Deum ſibi, & populo, precibus, ac fletu propitium redderent. Daniel cap. 10. quidem totas tres hebdomadas, in oratione, & fletu fuit. Ioſue noſter, præmiſſa circumciſione, quæ trium dierū acerbo dolore, circūciſos cruciauit, phaſe inſtituit, & azymis, qui panes afflictionis vocantur, & ad pœnitentiam ſunt idonei, populū pauit, vt hac legis obſeruatione, hac afflictatione carnis, & oratione, quā ipſe adhibebat, promiſſam à Deo terrā, ſi fortè conditionalis promiſſio fuit, populo acquireret. Eum imitatus eſt Ezechias in acerbis calamitatibus cōſtitutus, meruítque à periculo liberari, vt patet Iſai. 38. Ei enim dixit Deus per Iſ. 4. Reg. 20. & 2. Paral. 32. *Audiui orationem tuam, & lacrymas tuas.* Quid Tobias? cap. 3. dicitur. *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis*, &c. An non fuit à Deo exauditus? Et Raguel illius cognatus cap. 7. *Non dubito*, inquit, *quòd Deus preces, & lacrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit*, & Pſalm. 55. Vates Regius. *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* Non ſolum Deus lacrymas videt, ſed exaudit? Nulla ſunt tormenta bellica, quæ maiorem reddant ſonitum, quàm piæ, & ardentes lacrymæ. Id intelligens Dauid ait Pſalm. 38. *Auribus percipe lacrymas meas.* Et Pſal. 6. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Arida eſt anima, quæ nec vnam interdum fundit lacrymam. Proculdubio inſtar terræ erit, quæ præ ſiccitate dumos procreat, & ſerpentes. Iungenda eſt lacryma orationi. *Oratio*, inquit Hieronymus, *Deum lenit, ſed lacryma cogit; Hæc vngit, illa* A *pungit.* Et rurſus, *vincit lacryma inuincibilem, ligat omnipotentem inclinat Virginis filium*, &c.

Ezechias oratione & lacrymis ... ratus a periculo.
Iſai. 38.
4. Reg. 20.
2. Paral. 32.
Tob. 3. & 7.
Pſ. 55.
Pſ. 38.
Pſ. 6.
Vis lacrymarū.
D. Hierony.
Oratio Deum lenit, lacryma cogit.

6. In corde viri pij eſt Æthna ardens, & Nilus fluens. Hic admirabili metamorphoſi aqua vertitur in flammas. *Vbi fuerint lacrymæ* (ait Auguſt. in lib. de ſalutaribus documētis) *ibi ſpiritualis ignis accenditur, qui ſecreta mentis illuminat ſed has lacrymas tergit Deus, iuxta illud Apocal. 21. Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum. Felices lacrymæ* (inquit Bernardus in tract. de contemptione mundi) *quas benigna manus conditoris abſtergent, & beati oculi, qui talibus liquefieri elegerunt.* B *Aquæ maris rubri operuerunt Ægyptios; aqua verò piarum lacrymarum obruunt peccata.* Conſiderans Iob cap. 10. ſe citò moriturum, non petebat oblectationem vitæ, ſed lacrymas, & ſalutarem pœnitentiam. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* Et Hierem. cap. 9. *Quis*, inquit, *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* O vtinam caput meum conuerteretur in aquas, quæ per oculos meos, tanquam per canales, fluerent. Quorſum tam efficax lacrymarum optatio? Sanè ob egregias vtilitates. Vt arbor fructus producit, ſic lacrymas deuotio. Vt cibi corpus, ſic lacrymæ animum reficiunt, & conſolatione permulcent. Proculdubio, quemadmodum poſt C vehementes nimbos, redditur aer purus, & tranquillus; ita poſt lacrymarum imbres, mentis ſequitur ſerenitas, atque ſecuritas. Ad eas confugit Petrus Matth. 20. quando amarè fleuit. Et Magdalena Luc. 7. cùm pedes Domini lacrymis rigauit; Daniel cùm populum afflictum vidit. Et Ioſue quoties Deo preces pro ſuis fudit. His ille armis, oratione ſcilicet, & fletu, Angeli à Deo cùm quid ageret, ignoraret, apparitionem promeruit.

Auguſt.
Apoc. 21.
Exod. 14.
Pſ. 14
Caſſiodorus.
Iob. 10.
Hierem. 9.
Poſt lacrymarū imbres mentis ſerenitas adeſt.
Matt. 20.
Luc 7.
Dan. 10.

Verſ. 13.] Leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium. D

Cur Angelus euaginato gladio Ioſue apparuerit?

ANNOTATIO II.

1 SOLENNE eſt in ſacra ſcriptura, vt Angeli eo habitu & forma appareant, qua auxiliū præſtare poſſint ijs, cum quibus agunt, ſi eo fine miſſi ſunt, non vt pœnam inferant, ſed vt opem E ferant. Hinc Gabriel, quia aduentum Meſſiæ fauſtum, & felicem mundo, Virgini annunciaturus erat, hilari, & læto habitu ei aſtitit, vt D. Auguſt, ſerm. 14. in Natali Domini tom. 10. ſi fortè ille ſermo Auguſtini eſt, ſcriptum reliquit, inducens Virginem ita loquentem. *Venit ad me quidam magnus Chriſti paranymphus, non patriarcha primus, aut propheta egregius, ſed Gabriel ille Archangelus facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabili, dixítque mihi; Aue gratia plena.*

Auguſt.
Quo habitu Gabriel apparuit Virgini Mariæ.
Luc. 2.

2. Idem Agelus, vt placet Theodoreto (nec enim alium cogitat à Gabriele) quia varias, & multiplices res proſperas, & aduerſas Danieli prædicturus erat, vario etiam cultu, & multiplici apparuit cap. 10. Erat Daniel in ripa Tigris, & *vidi*, inquit, *& ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes*

Dan. 10.

Gabrielis habitus mirabilis, quo prædixit aduentum Meſſiæ.

A *eius accincti auro obrizo & corpus eius quaſi chryſolitus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius, vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt, vſque ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, vt vox multitudinis* &c. Erat indutus lineis, ad candorem Angelicum ſignificãdum. Erant renes eius accincti auro obrizo; hoc eſt, igne purgato, & optimo, per quod charitatis feruor indicatur. Cinctura renum, ſignificat eum ad Dei mandata paratum. Corpus quaſi chryſolitus, cœli ſpeciem fulgentibus ſtellis radiantem ſignificat. A facie illius fulgur eminebat, ſiue ſplendor gloriæ præcellentis iudex. Oculi inſtar lampadis; perſpicacitatem intelligentiæ deſignabant. Fortitudo in

Quicquid in Daniele erat, ſuſpicatus habuit vti futura.

B brachijs; in ore veritas, & doctrina. Hac effigie apparens Gabriel, varie admodum affecit Danielem. Primùm námque metu pauentem deiecit; deinde ſpe firmatum erexit; præſentia tandem, & futura, intra certum hebdomadarum numerum, aliaque myſteria Meſſiæ pateſecit. Quod autem renes eius dicuntur auro obrizo, id eſt, optimo accincti; indicatur Hebræorum ferrea vincula in aurum conuertenda, ſi prompti fuerint ad diuinæ legis obſequium. Theodorio habet, *auro Ophaz*, in Hebræo eſt pro, *obrizo*, אופז. *Vphaz*, à verbo, *pazaz*, hoc eſt, *roborare*. Vnde *aurum ophaz*, idem ſonat atque aurum purum, & roboratum. Significat etiam prædictum verbum

Hebræorũ vincula, in aurum conuertẽda prædixit Gabriel.

C deaurare, & diſſoluere. Quare illud Gen. 49. *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum manuum illius per manus potentis Iacob*. Hoc eſt, vincula, quibus conſtrictus fuit Ioſeph, diſſoluta ſunt Dei, qui potens eſt Dominus Iacobi, eximia virtute: vertexes etiam optime ſi diceres, *Roborata ſunt brachia, id eſt, fortia facta ſunt opera eius*. Alij transferunt, *Aurata ſunt vincula brachiorum manuum eius*, nempe quando in Ægypto fuit, ad proregis magiſtratum promotus. Eſt etiam, *Vphaz*, ſiue *ophaz*, vrbs illa ditiſſima dicta, *ophir*, quæ corrupto vocabulo dicta fuit *Sophil*, & modò vocatur *Sophala*; ex qua ad nos ſolet in Indicis nauibus

Gen. 49.

Vincula iuſtorum aurea ſunt Dei virtute.

Ioſeph vincula aurea reddita.

Ophir, olim Sophil, nunc Sophala.

D aurum purum, & optimum deuehi; Et olim ad Salomonem, vt dicitur 3. Reg. 10. & 2. Paral. 9. Illa ergo aurea zona indicat Gabriel, vincula iuſtorum, in aurum conuertenda; reliquo autem ornatu varia myſteria, quæ Danieli vult aperire. Mitto apparitiones alias Angelorum. Chriſto in cœlum aſcendente in albis veſtibus viſi ſunt, quia triumphus gloriæ immortalis, qui eo colore innuitur, oſtendebatur. Eodem Domino naſcẽte ad varietates humanas vitæ ſubeundas, verſicoloribus iiſdem Angeli indumentis apparuerunt decorati, vt Diuus Greg. Magnus annotauit. Itaque ſcenæ deſeruiunt cum ad nos veniunt.

3. Reg. 10. 2. Par. 9.

Angeli cum ad nos veniunt, veſtitum accommodant tempori. In aſcenſione Chriſti albis veſtibus, in natiuitate varijs. &c.

Greg. PP.

E Tertia hinc ratio elicitur cur Ioſue Angelus apparuerit de die, habitu principis ad bellum accincti? Cum duce agebat, qui anceps erat, quo artificio capere poſſet hoſtilem ciuitatem: ignorabat quibus armis vti oporteret, cæleſtibúſne, an humanis? Idcirco Angelus ſe bellatorem præbuit; & gladio Chriſtus profeſſus eſt propugnatorem ſe eſſe Hebræi populi, Deóque proinde deberi ſperatæ victoriæ felicitatem. Sic induci tur Angelus Sap. 18. *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet; omnip. ſer. tu. de cœlo à regal. ſed durus bellator in mediam exterminij terram proſiliuit, gladius acutus, inſimulatum imperium tuum portans, & ſtans repleuit omnia morte*, &c.

Sap. 18.

A *Verſ.* 14.] Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

Fueritne, qui Ioſue apparuit filius Dei? An potius Michael, aut Gabriel?

ANNOTATIO III.

B 1. QVÆRI primum poteſt, fueritne is, qui Ioſue apparuit Angelus, an aliqua ex diuinis perſonis? Similis quæſtio eſt de eo, qui in rubo apparuit Moſi. Fuiſſe Deum, indicant illa verba Ioſue; *Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?* Rurſus Exod. 3. Latinus interpres agens de apparitione facta Moſi, ait; *Apparuit ei Dominus*. Nomen autem Domini abſoluiè poſitum, ſoli Deo videtur in ſacris litteris attribui.

Fueritne is, qui apparuit vel Ioſue vel in rubo Moſi, perſona diuina.

Exod. 3.

2. Diuus Auguſt. quæſt. 3. in Exod. tractans illa verba; *Clamauit ad eum Dominus, de rubo*: Videtur appellatione Domini filium Dei intelligere. Ait enim, Dominuſne in Angelo, an Dominus ipſe, qui & magni conſilij Angelus dictus eſt, & intelligitur Chriſtus? Supra enim dixit;

D. Auguſt.

C *Apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis in rubo.* Hæc Auguſt. Idem lib. 2. de Trinit. cap. 12. in hunc modum diſſerit. *Ille qui apparuit Moſi, primò Angelus Domini dictus eſt; deinde appellatur Deus. Nunquid ergò Angelus eſt Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, vt ibi dicitur? Poteſt ergò rectè intelligi & ipſe Saluator.* Hæc ille. Veramus definitionis partem probabilem eſſe definiens.

Chriſtus fuiſſe creat hic Angelus.

3. Theodor. quæſt. 5. in Exod. cenſet eum, qui in rubo apparuit, & iuxta verſionem 70. vocatur Angelus, fuiſſe vnigenitũ Dei filium, confirmátque ex eo, quod dicat, *Ego ſum Deus Abraham*, &c. Et rurſus, *Ego ſum qui ſum*; Hoc enim

Theodor. Qui apparuit fuit filius Dei.

D ſolus Deus verè potuit dicere. Fuit igitur ille Deus, ſed quæ perſona? Non Pater, qui cùm à nemine mittatur, Angelus, ſiue nuntius dici non poteſt. Non Spiritus ſanctus, quippe qui in ſcriptura nuſquam Angelus dicitur. Supereſt igitur, vt fuerit Dei filius, qui Iſaiæ. 9. *Vocatur magni conſilij Angelus*. Et Malach. 3. *Angelus teſtamenti*. Hoc ipſum confirmare videtur, licèt obſcurè Diony. Areop. cap. 4. de cœl. hier. Agens enim de Chriſto, ſic ſcribit, *Magni conſilij Angelus eſt prædicatus. Nam profectò, ſic ipſemet ſuo miniſterio conuenienter loquens, dixit diſcipulis. Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, &c. Ita Dio-

Iſaiæ 9. Malach. 3.

Dionyſ. Areop. putat ſemper filium non aut ſpiritum ſanctum, ſed filium apparuiſſe.

E nyſius. Hanc ſententiam ſequuntur graues alij Eccleſiæ Doctores, qui non ſolùm in duabus prædictis, ſed in omnibus veteris teſtamenti apparitionibus exiſtimant apparuiſſe Deum, non Patrem, nec ſpiritum ſanctum, ſed filium. Ita Iuſtinus Martyr in eo ſermone, quem habuit cùm Tryphone. Tertull. lib. 2. contra Marcionem & in lib. contra Praxeam. Diuus Ambr. lib. 1. de fide; nec ibi ſolùm, ſed etiam lib. 1. de Abraham, vbi enarrans illa verba Gen. 18. *Venerunt autem Angeli duo Sodom in veſpere*, rationem reddit cur tertius Angelus, qui cum illis duobus apparuerat Abrahamo, non perrexerit ire Sodomam, *vbi gratia* inquit, *largienda eſt, Chriſtus adeſt vbi exercenda ſeueritas, ſoli alium miniſtri; deeſt eius* &c. Vocat tertium Angelum Ieſum Dei filium. Chry

Iuſtinus Martyr.

Tertull. Ambroſ.

Gen. 18.

Vbi ſeueritas miniſtri, abeſt Chryſ.

ſoſt. in

Chryſoſt. Hilarius.

ſoſt. in cap. 2. Act. Apoſtolorum, Hil. lib. 12. de Trinitate.

Angeli in apparitionibus ſeré beati ſunt Dei nomine.

4. Mihi tamen veriſimilior eſt Dionyſij aperta ſententia, ad quam Theologi ſcholaſtici ferè accedunt: cenſet namque cap. citato omnes Dei apparitiones ante Chriſti aduentum factas ſanctorum Angelorum miniſterio fuiſſe hominibus exhibitas. Ad nouum teſtamentum eandem extendit doctrinam circa diuina myſteria reuelata Zachariæ, beatiſſimæ Mariæ, & ſponſo eius Ioſeph, atque paſtoribus. Certè qui Moſi apparuit à D. Stephano Act. 7. Angelus ſimpliciter vocatur, non autem *Angelus teſtamenti*, aut, *magni conſilij*, vt vocari ſolet Dei filius. At Deus appellatur? *Ego*, inquit, *ſum, qui ſum*? Quid inde? licèt enim ſecundùm perſonam fuerit Angelus, repræſentabat tamen Dei maieſtatem, & auctoritatem, cuius nomine loquebatur.

Act. 7. Malach. 3. Iſai. 9.

Hieronymus. Galat 3. Lex ordinata per Angelos.

5. Confirmatur hoc ex commentario D. Hieronymi ſuper cap. 3. ad Galatas, vbi ſic ſcribit. Quod ait Paulus *legem fuiſſe ordinatam in manu mediatoris, per Angelos*; hoc vult intelligi, quod in omni veteri teſtamento, vbi Angelus primùm viſus refertur, & poſteà quaſi Deus loquens inducitur; Angelum quidem verè fuiſſe vnum de miniſtris plurimis Dei, cum qui viſus ſit: ſed in illo mediatorem locutum eſſe, qui dixit: *Ego ſum Deus Abraham*, *Deus Iſaac*, &c. Nec mirum ſi Deus loquatur in Angelis, cùm etiam per Angelos, qui in hominibus ſunt, loquatur in Prophetis, dicente Zacharia cap. 1. *Et ait Angelus qui loquebatur ad me*. Et infrà. *Hæc dicit Dominus omnipotens*, &c. Idem explicatiſſimè docet Greg. in præfatione libri Iob.

Zach 1.

Deut 33. Quid ſit Deut. benedictio eius qui apparuit in rubo.

6. Dices Moſen, Deut. 33. poſtulaſſe benedictionem tribui Ioſeph, eius, qui ſibi apparuit in rubo; quod non feciſſet, ſi Angelum eſſe, & non Deum crediſſet. Sic enim ait: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph*, &c. Cæterùm, quid temeritatis erit, ſi affirmes Moſen apprecatum fuiſſe Angeli benedictionem? An non ſancti alicuius viri benedictionem interdum expetimus, nedum Angeli? Certè Iacob, Gen. 48. Ephraim, & Manaſſe duobus nepotibus, non Dei ſolùm, ſed etiam Angeli, precatus eſt benedictionem: *Deus*, inquit, *qui paſcit me ab adoleſcentia mea, & Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis*. Tu quam malis ex duabus ſententiis elige. Porrò, quiſnam Angelus Ioſue apparuerit, iam expendamus.

Angeli benedictio expetenda eſt, nedum ipſius Dei.

Abulenſis Rab. Salomon refutatur.

7. Abulenſis quæſt. 71. refert ſententiam Rab. Salomonis exiſtimantis Angelum, qui apparuit Ioſue, fuiſſe Gabrielem, eo argumento, quod vocetur vir, eodémque argumento ait virum, qui apparuit in agro Ioſeph erranti, & miſit eum in Dothain ad fratres ſuos, Gabrielem eſſe, quia vocetur vir. Daniel námque eum ſemper virum vocat cap. 9. 10. &c. vſque ad finem libri. Argumentum tamen hoc debile eſt: nam Angeli, qui apparuerunt Abrahæ, & Loth viri vocantur, Gen. 18. & 19.

Dan. 9. 10. Gen 18. 19.

Abulenſis ſequitur R. Salomonis ſententiã, quo ait fuiſſe Gabrielem, illum virum, qui oſtendit viam erranti Ioſeph.

8. Huius Rabbini refutato fundamento, opinionem tamen ſequitur Abulenſis ea ratione permotus, quia Gabriel maiorem, & magis peculiarem curam gerebat de Iudæis, quàm alij Angeli. Licèt enim alij eſſent Iudæorum cuſtodes, & principes, atque inter hos Michael de principibus magnis: nullus tamen tam conſtanter agebat cauſam Iudæorum pugnans contra principem Perſarum, quàm Gabriel. Nam Michael

A non tam peculiarem curam gerebat de Iudæis contra principem Perſarum, ſolùm auxiliator Gabrieli acceſſit, iuxta illud Daniel. 10. *Et ecce Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum*. Et ad finem capitis dicitur: *Nemo eſt adiutor meus in omnibus, niſi Michael princeps veſter*. Quare Gabriel videtur eſſe is, qui in exordio rerum gerẽdarum Ioſue aſtitit. Quod autem princeps dicatur exercitus Domini, id non officit huic ſententiæ. An non poſſunt in eodem exercitu eſſe duo principes dignitate impares? Hunc putant columnam per deſertum, ad dirigendos Iudæos in terram promiſſam duxiſſe, & ex ea locutum fuiſſe Moſi, omniaque adminiſtraſſe il-

Dan. 10.

Gabrielem apparuiſſe Ioſue putat Abulenſis.

Gabriel dicitur duxiſſe columnam nubis, & inde Moſi reſpondiſſe.

B li populo vtilia, quaſi prælúdere geſtiens legationi, qua vſurus erat apud Virginem tempore gratiæ.

Vera ſententia.

9. Crediderim tamen Angelum, qui in rubo Moſi locutus eſt fuiſſe Michaelem, eundémque in monte Sinai apparuiſſe, Exod. 19. Et hoc loco Ioſue introducturo Hebræum populum in terram promiſſionis. Moueor eo, quòd apparitiones illæ Moſi, & Ioſue exhibitæ, non ad perſonas priuatas, ſed ad publicam populi Hebræi gubernationem, cui duo illi duces præerant, pertinebant. Quare decebat, vt per eũ Angelum exhiberentur, qui illi populo præſidebat. Hunc au-

Exod. 3. 19.

Michael apparuit Moſi & Ioſue.

C tem conſtat eſſe Michaelem, qui vocatur Daniel. 10. princeps Hebræi populi, & cap. 12. dicitur eſſe *magnus princeps*, *& ſtare pro filiis populi Dei*. Vbi *ſtare*, iuxta hebraiſmum eſt defendere, & cauſam tueri. Quid mirum igitur, ſi hoc loco ipſemet ſeipſum vocet principem exercitus Domini? Adiuuerit Gabriel quidem tãquam in minori principatu conſtitutus, illum populum, pro quo, vt conſtat ex Daniele, valde ſolicitus ſemper fuit; Cuſtos tamen & primarius protector, Michael fuit. Atque vt ſcholaſtici doctores ſecuti D. Thomam aiunt, is ipſe poſt ſynagogæ extinctionem, Eccleſiæ Chriſti datus eſt cuſtos, & defenſor. Vnde Eccleſia orat Deum, vt fidelium defunctorum animas *Michael repræſentet in lucem*

Dan. 10. 12.

Michael cuſtos ſynagogæ, datus eſt Eccleſiæ.

D *ſanctam olim Abrahæ, & ſemini eius promiſſam; ne abſorbeat eas Tartarus aut cadant in obſcurum locum*, &c.

Verſ. 14.] Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

Ex quo Angelorum ordine ſit Michael, qui ſe dicit principem exercitus Dei? & quomodo venerit in auxilium Gabrielis?

E

ANNOTATIO IV.

Dan. 4.

1. APVD Danielem capite 4. inuenies hæc verba: *Et ecce Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum, & ego remanſi ibi iuxta Regem Perſarum*, &c. Hæc dicta ſunt à Gabriele, quem D. Hieronymus interpretatur vocaſſe Michaelem, vnum de primis principibus, hoc eſt, Archangelum, ſiue principem Angelorum, cum quo videtur conſentire Theodoretus. Et quidẽ Iudas Apoſtolus in ſua Canonica Michaelem Archangelum vocat; imò & Eccleſia in offi-

Hieronym.

Theodoretus. Iudas in Can.

officio ſancti Michaelis. Sunt autem Archangeli in ſecundo ordine infimæ hierarchię, ſi propriè loquendum ſit. Theologi tamen, Dionyſ. Areopagitam de cœleſti Hierarchia cap. 9. ſecuti, Michaelem, ex ſupremo ordine infimæ hierarchiæ, in quo ſunt principatus, eſſe arbitrantur, & quidem primum illius ordinis. Ait enim Dionyſios, qui regnis & prouinciis a Deo ſunt præpoſiti, eos, ex ordine principatuum eſſe. Cum autem Hebræus populus id temporis nobiliſſimus fuerit, & cæteris gentibus a Deo antelatus. Quis dubitat principem ſui ordinis fuiſſe Michaelem, qui cuſtodiæ Iudæorum fuerit attributus? quod Gabriel inſinuauit, appellans eum vnum de primis principibus. Nam iuxta Hebraicam veritatem, vnos interdum ſignificat primum, vt cum vna ſabbathi vocatur prima dies hebdomadæ. Si igitur eſt vnus de primis, princeps meritò putandus eſt inter primos, & vt ipſe ait, princeps exercitus Domini; qui ſcilicet ſuperiorem in ſuo ordine non agnoſcat. Aliqui docti iuxta & pij viri, de Michaele præpoſito paradiſi, patrono, & quaſi præfecto Eccleſiæ, ductore ſanctorum Angelorum contra Luciferum, eiúſque ſatellites, magnificentiùs putant ſentiendum. Probabile illis videtur, quod mihi non diſplicet, ipſum eſſe ſupremum Seraphinum, & poſt B. Virginem eiúſque ſponſum Ioſephum, primum dignitatis & beatitudinis locum obtinere. Confirmari poteſt hæc opinio, quia Dan. 10. dicitur, *vnus de principibus primus*. Et cap. 12. *princeps magnus*. Significatur enim eum eſſe vnum, & principem ex ſeptem Angelis omnium ſupremis, de quibus agitur Tob. 12. & Apoc 1. qui profectò ſunt Seraphini, quos mitti interdum in terras ad maiora negotia, non eſt quod quiſquam miretur, cùm ipſe Dei filius ad nos deſcenderit à patre miſſus. Quare cùm omnes ſint adminiſtratorij ſpiritus, veniſſe Michaelem, Raphaelem, & Gabrielem ex Seraphinorum ordine, & propterea Angelos & Archangelos vocari, cùm Angelus, & Archangelus non ſint naturæ nomina, ſed officij (vt Gregorius Papa hom. 34. in Euang. notauit) non dubito. Habeo huius ſententiæ patronum D. Baſilium hom. de Angelis, ſi de Michaele ſermo ſit: Laurentium Iuſtin. in ſerm. de S. Michaele & Ambroſium Catharinum in cap. 1. Epiſt. ad Hebræos.

Michael est vnus principatuum, iuxta Dionyſ.

2. Quare dum audis veniſſe in adiutorium Gabrieli contra principem Perſarum; intellige, applicatum ab eo fuiſſe conatum, & affectũ patrocinandi populo Hebræo, & apud Deum illius liberationem à captiuitate procurandi; rationibus, quibus nitebatur princeps Perſarum, hoc eſt, Angelus, qui Perſis præerat, retinere eum, quo ſuis vtilis eſſet, àcriter confutatis. Admiratione tamen non caret, quod Gabriel addit. *Nemo*, inquit, *eſt adiutor meus, niſi Michael princeps veſter*. Quæ verba ita exponit Theodoretus, non ſolùm Perſarum, & Græcorum principes vobis aduerſantur: quinimò nulla earum virtutum, quæ ſupra cœlos ſunt, vult populum veſtrum boni alicuius compotem fieri, propter multa videlicet ſcelera, niſi ſolùm Michael, cui veſtra tutela credita eſt, &c. Quomodo ex omnibus Angelis ſolus Michael populo Dei ſubuenit? Nónne viro Eliſæo in periculo cõſtituto, quando eum prehendere volebant milites Regis Syriæ innumeri Angeli aſtiterunt, vt ipſum cuſtodirent. 4. Reg. 6. *Ecce*, inquit, *mons plenus equorum, & curruum ignearum*, &c. Quid pro vniuerſo populo facturi, qui vni ſic aderant?

Omnes Angeli, præter Michaelem, & Gabrielem aduerſabãtur Iudæis. Theodor.

Angelus Perſarum, & Græcorum adu[e]rſabantur Iudæis propter eorum ſcelera.

4. Reg. 6.

3. Reſpondeo, cùm dicatur Michael ſolus fuiſſe adiutor Gabrielis, non excludi per particulam, *ſolus*, Angelos, qui illum, vt ducem ſui ordinis comitantur, & quodam veluti agmine ſequuntur. Dicitur enim Apoc. 12. *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone*. Fortè munus procurandi liberationem Iudæorum ex captiuitate, His duobus tantum Angelis, Michaeli & Gabrieli Deus commiſerat. Nam iuxta Dionyſ. cap. 4. de cœleſti Hierarch. Angeli nullum circa res humanas ſuſcipere ſolent miniſterium, aut munus obire, niſi a Deo ſibi iniunctũ? Nõ repugnabo affirmanti tam inſignem fuiſſe eo tempore improbitatem Iudæorum, & flagitia, vt Angeli illis adeſſe, niſi officij gratia ſibi à Deo demandati, recuſauerint. Soli autem Michael, & Gabriel ea neceſſitate erant aſtricti.

Apoc. 12.

Munus procurandi liberationem Iudæorum Michaelis & Gabrielis tantum commiſſum. Dionyſ.

4. Num Angelus terræ Chanaan reſtiterit Michaeli antequam appareret Ioſue ſacra ſcriptura non commemorat. Id tamen accidiſſe probabile ſit, ex modo loquendi, quo ipſe vtitur. *Sum*, inquit, *princeps exercitus Domini: & nunc venio*. Sic enim loquitur, ac ſi altercatus fuerit cum aliquo antequàm veniret, & contentione profligata tãdem venerit in auxilium populi Dei cuius erat dux. Solent enim Angeli principes prouinciarum apud Deum agere cauſam gentis ſibi commiſſæ; & quidquid vtile ad ſalutem eſſe poteſt, ſuis prouincijs ſtudioſè procurare, repugnantibus interim aliarum prouinciarum Archangelis, donec inter eos conſtet, quid Deus velit. Hinc apud Danielem cap. 10. ait Gabriel, qui pro Hebræis pugnabat. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus*. Et paulò infrà. *Et nunc reuertar, vt prælier aduerſus principem Perſarum*, &c. Vbi Lyranus & Carthuſianus dimicationem, & pugnam inter Angelos bonos, non ita eſſe intelligendam cenſent, vt boni Angeli voluntate abſoluta mutuis diſſidentes odiis, inter ſe diſcrepent: ſed quia populorum, quibus præſunt, diuerſa merita & demerita coram Deo exponunt, & diuerſos poſtulant effectus, quandiu quid Deus decreuerit, ignorant. Nam vbi quid Deus voluerit, innoteſcit, ſumma eſt, inter eos, & amica conſenſio. Sed cur tot dierum interpoſita mora? Nónne breuiſſimo tempore expediri coram Deo negotium potuit? Puto id duas ob cauſas accidiſſe. Primùm, vt accreſceret meritum Danielis totas tres hebdomadas in oratione, & lachrymis tranſigentis; illiúſq; eximiæ charitatis exemplum poſteris conderetur. Deinde vt magis oſtenderetur difficultas liberandi ex captiuitate Iudæos; non quidem quòd Dei potentiæ aliquid obſiſtere poſſet, ſed, quia ob deteſtanda ſcelera indigni omnibus ferè Angelis, viderentur eo beneficio. Ruſus, vt magis eluceret diuina benignitas, quæ tot obſtantibus flagitijs, & Angelis ferè omnibus aduerſantibus, eos nihilominus tãto cumularet beneficio. Quia tamen aliqui Doctores nomine principis Perſarum, non Angelum bonum, ſed malum eo intelligunt, quòd Gabrieli reſtiterit, quid probabilius ſit, breui complectar.

Angelus terræ Chanaan altercatus eſt cum Michaele, qui poſt victoriam Ioſue apparuit.

Dan. 10.

Lyranus. Carthuſ.

Inter bonos Angelos qualis pugna.

Alia ratione Angeli dicuntur repugnare liberationi ob duas cauſas.

* *
*

Verſ.14] Et nunc venio.

Quiſnam fuerit Princeps Regni Perſarum, qui viginti, & vno diebus reſtitit Michaeli. Daniel 10.

ANNOTATIO V.

Dan. 10. Fuiſſe malum Angelum qui reſtitit Michaeli putãt aliqui. Hieronym. Rupertus. Thom. Charthuſ.

1. PRINCIPEM Regni Perſarum, de quo Dan. cap. 10. agit, fuiſſe malum Angelum, multi olim crediderunt, exiſtimantes in eam ſententiam iuiſſe D. Hieronym. eam namque illi attribuunt Rupert. lib. 9. de victoria verbi Dei. D. Tho. 1. part. qu. 113. art. 8. Carthuſianus, & ferè Theologi. Cæterùm, qui attentè D. Hieronymum legerit in commentario ſuper citata Danielis verba, inueniet, eum in eam ſententiam propendere, vt putet prædictum Principem, bonum Angelum fuiſſe, quamuis contrariam etiam inſinuauerit, relinquens lectoris iudicio id, quod maluerit, eligendum. Verba Hieronymi ſunt ſuper illud: *Princeps autem Regni Perſarum*, &c. Videtur mihi hic eſſe Angelus, cui Perſis credita eſt, iuxta illud, quod in Deut. legimus 32. *Quando diuidebat altiſſimus gentes, & diſſeminabat filios Adam, ſtatuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum.* Iſti ſunt Principes, de quibus etiã Paulus loquitur, 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum ſeculi huius cognouit*, &c. Hæc ille.

Hieronymus. *Deut. 32.* *1. Cor. 2.*

Principẽ regni Perſarum fuiſſe malum Angelum Rupert. Caſſianus.

2. Quicquid tamen ſit de opinione D. Hieron. Rupertus loco citato, & Caſſianus coll. 8. cap. 1. malum Angelum fuiſſe diſertis verbis docent. Et verò Caſſianus de malis Angelis diſſerens. *Diſcordias*, inquit, *& conflictus ſuper nonnullis gentibus, pro quadam ſibi nequitia vernacula familiaritate ſuſceptis indefeſſo certamine, ſimiliter exercere non deſinunt. Quod etiam in viſione Danielis manifeſtè legimus figuratum, Angelo Gabriele ita narrante. Noli timere Daniel, quoniam ex primo die, quo te affligere cœpiſti in conſpectu Dei, exaudita ſunt verba tua: Et ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus, &c. Quem Principem regni Perſarum minimè dubitandum eſt, aduerſariam fuiſſe poteſtatem, quæ fauebat genti Perſarum inimicæ populo Dei*, &c. In eandem ſentẽtiam multa inuenies apud Rupert. loco indicato, vbi ſic ait: *Profectò, & ſi huius doctoris, id eſt, Hieronymi, autoritas deeſſet, prudens tamen auditor principes illos, Angelos malos intelligere non dubitaret, ſcilicet contra quos bonis principibus præliandum erat, qui contradicebant precibus ſanctorum hominum, & legationi ſanctorum Angelorum, ſiquidem mundi Princeps Diabolus dictus eſt à Domino*, Ioan. 14. *Cùm de toto conſtet, de partibus quis dubitet? Si totius Princeps mundi Diabolus, nónne conſequenter partium mundi, ſcilicet Perſarum, atque Græcorum principes malæ poteſtates maiori principi diabolo ſubminiſtrantes, rectè intelliguntur? Non enim Perſæ, & Græci Dei cultores erant, ſed potius creaturæ*, &c. Putant hi duo Patres nõ cadere poſſe in bonos Angelos diſcordiã: Pro quorum ſententia facit Iob, qui de Deo loquens ait cap. 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus*, quaſi dicat, in beatis mentibus diſcordia eſſe non poteſt. Simile eſt illud eiuſdem cap. 38. *Concentũ cœli quis dormire faciet?* hoc eſt, ſummam inter ſe conſenſionem cæleſtium ſpirituum, quis poterit interrumpere? Cur autem malus Angelus bono reſtiterit, tradit Rupert. cap. 6. *Vnde, inquit, malo Angelo virtus repugnandi aduerſus bonum Angelum, eiq; reſiſtendi? Ex hominum, vel populorum peccatis. Vbi fit iſta pugna inter bonos, & malos Angelos? In campo iuſtitiæ, in conflictu iudicij, ipſo ſpectatore, ac iudice Deo. Sed quomodo boni, & mali Angeli pugnant inter ſe? mali impugnat accuſando, boni defendendo. In quantum eſt magna, & vera accuſatio mali Angeli, in tantum eſt tardior & inualidior defenſio boni. Exempli cauſa Angelus malus, qui aderat Regno Aſſyriorum, quò ductæ ſunt in captiuitatem decem tribus Iſrael, validiſſime eas accuſabat, quòd nunquam receſſiſſent a peccatis Hieroboam, quod Reges omnes ſceleratos, & impios habuiſſent; denique quòd pertinaciter, & incorrigibiliter peccaſſent. Nã toties auditoper Prophetas verbo Domini, factiſq; apud ſe per Heliam, & Eliſæum tot ſignis, & prodigiis, nullatenus ad pœnitentiam molliri, ac flecti potuiſſent. Et quia hæc accuſatio grauiſſima erat, propterea inefficax fuit apud Deum defenſio boni Angeli, qui curam gerebat illarum tribuum. Quapropter nunquam illæ tribus à captiuitate ſunt liberatæ. Similiter malus Angelus qui vocatur hoc loco Princeps Regni Perſarum, vehementer obſiſtebat, ne tribus Iuda à captiuitate liberaretur. Hoc autem faciebat quatuor modis. Primùm inducendo Iudæos ad grauiſſima ſcelera, vt indigni liberatione fierent: tum diſſuadendo Iudæis reditum. Ad hæc, alienando animum Cyri Regis à Iudæis, ne eis faueret. Tandémque ſcelera obijciendo. Hæc ille malus Angelus aduerſus tribum Iuda. Cuius accuſatio fuit illa quidem grauis, ſed non tam efficax, vt aduerſus tribus Iſrael. Peccauit quidem etiam illa, ſed non tam pertinaciter. Habuit enim multos Reges, qui vel pœnitentiam egerunt, vt Manaſſes, vel etiam pij, ac iuſti fuerunt, ac populum correxerunt, vt Ioſaphat, Ezechias, & Ioſias. Proinde ait Gabriel Princeps Perſarum reſtitit mihi.* Hæc ille; addens non vſquequaquam reſtitiſſe malum Angelum, quia modus peccati illius tribus locum relinquebat Gabrieli, & Michaeli iuſtæ defenſioni, atque adeò ſpei liberationis à captiuitate; Tantùm de hac opinione.

Ex hominũ peccatis mali Angeli vires ſumunt ad reſiſtendum bonis.

Accuſatio Angeli mali contra captiuos tribus Iſrael apud Aſſyrios.

Decem tribus nunquam liberatæ ſunt à captiuitate.

Cur tribus Iuda liberata.

Vera ſententia

3. Vera ſententia eſt, fuiſſe bonos Angelos, qui à Daniele cap. cit. principes Perſarum, & Græcorum appellantur, atque à Deo illis Regnis ad cuſtodiam non aliter ſunt præfecti, quàm Michael præpoſitus fuerat Hebræis. Vnde pugna inter ipſos laudabilis fuit dum quiſque, antequã quid Deus decreuerit; agnoſcat pro gente ſibi commiſſa, rationibus agit, locum daturus victori. Authores profero, Theodor. ſuper ca. 10. Dan. Greg. 17. Mor. cap. 8. quem ferè ſequuntur ſcholaſtici, D. Thom. 1. par. quæſt. 113. art. 7. Cui concinunt Lyranus, & Carthuſ. Lege potiſſimùm Greg. & Theod. locis aſſignatis. Ex quibus diſces cur Angeli Græcorum, & Perſarum, Iudæorum in patriã reditum impedirent; dolebãt namque, vt Theod. ait, conſiderata Hebræorum iniquitate, tam impiam gentem maiores prouidentiæ fructus, cæteris populis ferre: non enim nouerant in Deo, qui omnia creauit, occultum myſterium, ſiquidẽ poſt aduentum Chriſti, vt Paul. ait ad Epheſ. 3. innotuit principibus, & poteſtatibus. Gregorius verò præclarè explicat, quæ prælia inter Angelos bonos exerceantur, ſeruata ſemper pace in ſublimibus, vt loquitur ſanctus Iob. Nihil enim eſſe cenſet aliud huiuſmodi prælia, quàm diuerſa gẽtium merita, quæ Angeli cuſtodes, pro ſua quiſque prouincia allegat, in quibus quod vni obeſt, alteri prodeſt; dumque, ſuæ cuique parti ante definitionem ſummi iudicis, patrocinatur, altercari, & præliari dicitur, vt ſuprà annotauimus. Fortè ali-

Theodoret. Greg. PP. D. Thom. Lyranus. Carthuſ.

Epheſ. 3.

Greg. PP. Prælia bonorũ Angelorũ, quæ nam dicantur, quatenus voluntatem quæſiuit?

In bonos Angelos cadere non poteſt diſcordia. *Iob. 25.* *Iob. 38.*

A tè aliquid ſimile accidit Michaeli, qui Ioſue apparuit, cuius cauſa ait: *& nunc venio* quaſi dicat, hactenus præliatus ſum cum Angelo Chananæorum, qui veſtro aduentui obſiſtebat; Nunc illius rationibus iuſtitiæ gladio exciſis, venio in auxilium tuum, & tuorum.

Verſ. 16.] Solue, inquit, calceamentum tuum, de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt.

Myſticæ aliquot interpretationes, cur Moſes, & Ioſue iuſſi fuerint ſoluere calceamenta?

B

ANNOTATIO VI.

Cyprianus. Ambroſius.

1. IN explicatione contextus varias adduximus cauſas cur Ioſue ab Angelo iuſſus fuerit calceamenta ſoluere. Placet adhuc locū hunc eiſdem, & aliis Patrū expoſitionibus ordine quodam illuſtrare. Et in primis occurrit illa, quam adducit beatus Cyprianus lib. 2. aduerſus Iudęos, & Ambroſius in lib. de benedictionibus duodecim Patriarcharum cap. 4. recolentes enim apparitionem factam in rubo, vbi iuſſus eſt Moſes ſoluere calceamenta, quemadmodum hîc Ioſue, aiūt, alludi ad veterem morem, quo apud Iudæos, ſiquis ſine liberis moreretur, qui ei propinquior erat cognatione, aut ducebat illius vxorem, aut ſi nollet, ius ſuum concedebat alteri derracto ſibi, in teſtificationem eiuſmodi ceſſionis, calceo, vt præcipitur Deut. 25. & executioni mandatur, Ruth. 4. Accedebat enim Moſes ad rubum, hoc eſt ad Eccleſiam Dei, quæ per illum ſignificabatur, tanquam ſponſus; iubetur tamen cedere calceamenti detractione Chriſto, vero Eccleſiæ ſpōſo. Idem iubetur Ioſue filio Naue.

C

Detractio calcei ſignificabat ceſſionem iuris.

Deut. 25. Ruth. 4.

Moſes Chriſto ceſſit.

Theodor.

2. Deinde Theod. quæ. 7. in Exodum, ſic ſcribit. *Dicunt nonnulli ea re ſignificaſſe Deum, vt ſolicitudines ſeculares abijceret huic mortali vitæ adhærentes. Nam pelles, vnde conficiuntur calceamenta, mortuorum animalium ſunt. Alij verò dicunt, id fuiſſe imperatum Moſi, vt nuditate pedum ſuorum ſanctificaret terram illam. Quod mihi non probatur. Moſes enim tunc, nedum Pontifex, neque Propheta creatus fuerat, idémque terram illam ſanctam eſſe dixerat. Non igitur Moſes nuditate pedum ſanctificaturus erat locum illum. Duo igitur arbitror per hoc ſignificari: primum quidem, vt religioſorem hac ratione Moſen redderet: Deinde verò, vt prædoceret eum qua ratione oporteret ſacerdotes in tabernaculo deſeruire: nudis enim pedibus illi ſacrificia diuina peragebant.* Hæc ille.

D

D. Franciſci familiæ quadrat hoc dictum.

Sacerdotes nudis pedibus ſacrificium peragebant.

Elias Cretenſ.

Tertia, Elias Cretenſis in Commentariis ſuper orat. 1. Apol. D. Greg. Naz. inter alias expoſitiones, hanc probat, vt ſoluere calceamenta, ſit extendere pedem; iuxta illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, hoc eſt, ibo in Idumæā. Erant Ioſue pedes, imò & Iudæorum, veluti alligati calceis (detinebantur enim in Galgalis celebritate circumciſionis, Paſchæ, & azymorum) præcepit ergò Angelus, vt ſolutis omnibus moræ vinculis properent ad expugnationem Hiericho, & terræ ſanctæ. Quod eò maiori animo aggredi debent, quo locus, in quo Ioſue ſtabat, repræſentationes diuinæ Maieſtatis erat ſanctior. Qui in

E

Soluere calceamenta eſt pedem extendere qui veluti ligatus eſt motus aut affectio.

Ægypto, aut in terra non ſancta ſunt, timeant; atqui in loco ſancto ſunt, qualis eſt religioſus conuentus; ſi iubentur vel ad vltimos Indos pergere; confidenter ſoluant calceamenta pedum, greſſus moueant, pergant, victoriam de ſe. & de mundo, ſi ex obedientiæ præſcripto abierint, haud dubiè reportaturi.

Religioſi ſoluũt calceamenta, quibus vetinentur in conuentu itineri quo Deus iuſſerit.

3. Quartò, Ambroſius annotauit lib. 7. Comm. ſuper Luc. cap. 10. calceamenta fieri ex pellibus animalium mortuorum: atque adeò depoſitionem calceamentorum ſignificaſſe Moſi, vt mortis abiecta formidine, fidenter in liberationem populi incumberet. Idem profectò robur mentis, & fortitudo neceſſaria erat Ioſue terram hoſtilem ingredienti. Quare iubetur calceorum typo, omnem excutere mortis formidinem, & Dei opem in negotiis præſtolari. Illud etiam indicare mihi videtur, ſoluendi calceamenta præceptū; nempe futuro duci, aut doctori alicuius populi omnem ſolicitudinem, & ſecularium rerum curam, atque negotiationem vitæ prorſus abiiciendam, ſi à ſui muneris functione ſit aliena. Sic Chriſtus Ioan. 13. Apoſtolis ſoluere calceos præcepit, aut ſandalia, quibus vtebantur. eorúmque pedes lauit, vt indicaret ſumpturis Euchariſtiam, & Euangelium prædicaturis, mortalium rerum affectiones, & curas non conuenire, atque adeò arcendas eſſe.

Ambroſius.

Calceamentorum typo iubetur Ioſue omnem excutere formidinem.

Ioan. 13.

Sumpturis Euchariſtiam detrahendi ſunt calcei affectuum viciosorum.

4. Quintò, Magnificandum eſt, quod Theodoretus quæ. 7. in Exod. citata, ait, nimirum præcepiſſe Angelum Moſi, vt calceos exueret, quo religioſiorē eum hac ratione redderet. Hinc enim conſtat, contra hæreticos noſtri temporis ſacras cæremonias, quæ ad venerationem, & cultum diuinum augendum, excogitatæ ſunt, magnopere commendandas eſſe, ſi enim Moſi, & Ioſue tam inſignibus viris præcipitur, vt coram Angelo Dei præſentiam, & numen ſignificante, calceamenta exuant, quò reuerenter, & humiliter Deo ſupplicent; Quid nobis? Quid vulgo hominum? Quid in Eccleſia, vbi Euchariſtia, vbi imagines, vbi tot pietatis Chriſtianæ viſuntur incitamenta.

Theod. *Reuerentiæ a ſcitam ſacram.*

Cæremoniæ ſacræ ſtatuendæ.

5. Sextò, Omnem humanam cōfidentiam, quæ calceorū hieroglyphico ſignificatur, abiiciendam eſſe, Ioſue, Angelus indicauit; atque in ſolo Deo, qui terram illam populo Hebræo ſanctificauerat, ſperandum; qui vel in calceis miraculum fecit, ne populus per deſertum, ab ſpinis, aut ſerpentibus læderetur. Sic enim ſcribit Rupert. lib. 1. in Ioſue cap. 15. affirmans neminem, qui natus fuerit in deſerto, mortuum fuiſſe, Deo vitam conſeruantes, ne ſine circunciſione moreretur. *Inter cætera*, inquit, *mirabilia hoc fieri potuit, vt de filijs, qui in locum ſucceſſerunt Patrum circunciſorum nemo moreretur, per quadraginta annos longiſſimæ ſolitudinis. Dicit enim Moſes his*, Deut. 29. *Adduxit vos Dominus quadraginta annos per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamentum pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt. Si illud curare dignatus eſt, vt veſtimenta non attererentur, neque calceamenta pedum illorum vetuſtate conſumerentur; quantò magis illud curaſſe credendus eſt, vt nemo illorum immatura morte moreretur?* Hæc Rupertus. Si ergò Dei tanta prouidentia eſt; quid timere debent, aut ſperare, quibus ille iubet, vt calceos ſoluant? ſine calceis, ſine armis, ſine omni humano præſidio victores euadent.

In calceis miraculum in deſerto fecit Deus propter ſpinas, & ſerpentes.

Natos in deſerto per 40. annos Iſraelitas Deus conſeruauit, donec circumciderentur.

Deut. 29. Rupertus.

Sine armis ſacerdotum victores reddit Deus.

6. Hanc mihi videntur omnes Dei vocem audire: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, &c. qui religioſam aliquam familiam eligunt, vt in ea Deo

ſeruiant,

ſeruiant, exuunt enim omnem humanarum rerum cogitationem, calceiſque, & veſtibus ſeculi detractis, ad Chriſti, in quo ſperant, vexilla vel nudi conuolant. Huius rei mira extant in ſacris hiſtoriis exempla; ac prope quotidiana. Vide Franciſcum Aſſiſinatem, vel tunicam interulam, nedum calceos, vt nudus, nudum Chriſtum ſequeretur. Exuentem recole Ignatium parentem, ac conditorem ſocietatis noſtræ, veſtes, quibus ad ſpeciem & elegantiam vtebatur, exuens pauperi largitus eſt, Chriſti paupertatem amplexus. Quid multa? Exuat fidenter omnem mundi cultum, qui in loco ſancto eſt. Adfuit Deus Ioſue calceos exuenti, adfuit Moſi, aderit & tibi, *Locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt.*

Cœlibatores religioſæ vitæ calceos exuunt, & veſtes pretioſas.

Verſ. 16.] Solue calceamentum tuum.

An Chriſtus Dominus vſus ſit calceis quemadmodum Moſes, & Ioſue vſi ſunt.

ANNOTATIO VII.

1. HÆc quæſtio idcirco hoc loco inſeritur, quia operæpretium fore duxi, explicare vſum calceorum maximè conſentaneum eſſe euangelio. Sunt enim ex recentioribus quidam pij auctores, qui affirmarunt Chriſtum nudis pedibus incedere conſueuiſſe. Hi cùm audiunt Ioannem dicentem cap. primo, ex ore Baptiſtæ: *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti,* &c. Ioannem aiunt, quando hoc pronunciauit, non nouiſſe Chriſtum de facie, ac propterea exiſtimaſſe illum calceis indui ſolitũ. Hæc tamen reſponſio indigna eſt, quæ audiatur, nedum quæ approbetur. Num falſitas & ignoratio eſt in verbis tanti Prophetæ? Dices, prouerbialem induci locutionem. Sit, ita ſanè. Sic tamen, vt morem illius temporis, quo homines calceis vtebantur, corrigiis adaptatis, indicetur. Quod ſi communes tunc vulgò calcei erant; quis negabit, eos vſui Chriſto fuiſſe? Nam vita, & conuerſatio Chriſti in his, quæ ad victum, & conuictum pertinebant, vt ſcripturæ innixi Patres docent, communis fuit. Nouum ſanè, & inſolitum fuit ſine calceis incedere. Nam Dominus vt populum terrefaceret inſolito ſpectaculo, præcepit Iſaiæ capite vigeſimo, ſine calceis incedere, *Vade,* inquit, *& ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic vadens nudus, & diſcalceatus.* In Hebræo eſt, נעל Idem prorſus vocabulum, quo vtitur ſcriptura Exod. 3. cùm dicitur Moſi: *Solue calceamentum.* Et Deut. 25. quando mulier calceamentum tollit de pede fratris viri ſui demortui, nolentis eam in vxorem recipere. Sept. Græcè vertunt, Σανδάλια. Hoc loco eſt, נעלך id eſt, *calceamentum tuum.* Si ergo inter Iudæos inſtar erat prodigij, ſine calceis incedere, quomodo Chriſtus communis vitæ amator, nudis dicitur inceſſiſſe pedibus? Quid quod Baptiſta, cuius aſperrimum fuit vitæ inſtitutum? Si non toto eremi tempore, eo ſaltem quo populo prædicauit, calceis eſt vſus. Certè, ſi illis vſus non fuiſſet, id Euangeliſtæ, qui vel de zona pellicea meminerunt, non diſſimularent. Sicut non ſubticuit ſcriptura, Dauidis Abſalonis impetum fugientis, pedum nuditatem: *Dauid,* inquit, *aſcendebat cliuum, ſcandens, & flens: nudis pedibus incedens,* &c. Petrus etiam Act. 12. vſus calceis fuiſſe conuincitur. Vbi enim nos legimus, calceate caligas, in Græco eſt, Σανδάλια, quæ Sept. Interpretes in veteri teſtamento vertunt pro, *calceis.* Et Græci ferè omnes cum Euthymio, *calceos,* non *caligas,* vt D. Hieron. mauult, ſignificari credunt: calceos, inquam, qui nõ totum pedem tegunt, ſed extimam illius partem nudam relinquũt, quales antiquæ picturæ Apoſtolis & Chriſto ipſi tribuunt. At ſi caligas habuit, hiſne ſine calceis vſus eſt? Auguſtinus libro ſecundo, capite trigeſimo de conſenſu Euangeliſtarum, Apoſtolos non integros calceos, ſed ſandalia geſtaſſe tradit, quem ſequitur Beda ſuper locum Marci 6. vbi ait Apoſtolos ſandaliis calceatos eſſe. At Matth. 10. iubentur Apoſtoli ire ſine calceamentis: Fateor; ſed calceamenta excluduntur, quæ ſandalia non ſunt. Hæc enim iuxta Marcum, permittuntur, diſtinguunturque à calceis, qui totum cooperiunt pedem. A quibus Tertullianus affirmat Chriſtianos ſui temporis abſtinuiſſe, ſolùmque ſandaliis vſos fuiſſe, quorum vſus, ætate Chriſti modeſtiſſimus habebatur. Ipſe Dominus ſandaliis vſus videtur; nec hoc calceamenti genus ab eo excludo, cùm lego Hieronymum in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, negantem Chriſtum calceos habuiſſe; nec enim fuit nudipes, vt nonnulli arbitrantur. Vſa eſt etiam Iudith capite decimo ſandaliis: *Induitque ſandalia pedibus.* Et capite decimo ſexto dicitur: *ſandalia eius rapuerunt oculos illius.* Vnde apparet non totam texiſſe ſandalia pedum nuditatem.

Aliqui putant Chriſtum non fuiſſe vſum calceis.
Ioan. 1.
Chriſtus victu, & conuictu communi vſus eſt.
Iſa. 20. Iſaias calceis vſus.
Exod. 3. Deut. 25.
Sandalia.
Sine calceis incedere apud Hebræos rarum ſpectaculum.
Baptiſta calceis eſt vſus.
Act. 12.
Euthym. Hieronymus.
D. Aug. tradit Apoſtolos non integros calceos, ſed ſandalia geſtaſſe.
Iubentur Apoſtoli ire ſine calceamentis, quæ ſandalia non ſunt.
Matth. 10. Tertul.
Chriſtus ſandaliis vſus. Hieronymus.
Iudith 10. & 16.
Sandalia non tegebant totam pedis nuditatẽ.

2. Illud aduerte, à tribus Euangeliſtis referri humilitatem Baptiſtæ facta mentione calceamẽtorum Chriſti in plurali, Matth. 3. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare.* Marci 1. *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.* Ioan. autem capite primo, vtitur numero ſingulari, magiſque exprimit in Baptiſta inſignem animi demiſſionem, dum ne corrigiam ſoluere vnius calceamenti audeat. *Cuius ego,* inquit, *non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Non tamen eſt diſſidium inter Euangeliſtas. Sæpè enim numerus pro numero ponitur. Et fortè Ioannes, cùm de Chriſto loquebatur, ſæpius illa phraſi; nunc his, nunc illis vſus eſt verbis.

Matth. 3. Marc. 1.
Ioan. 1.
Humilitas Baptiſtæ.

3. Patres myſticè dictam accipiunt à Baptiſta eam parœmiam. Vide Clementem Alexandrinum quinto ſtromatum, Gregorium Nazianzenum in oratione in ſancta lumina: vbi per calceamentum, incarnationem intelligit; per corrigiam verò minora myſteria. Diuum Ambroſium lib. de inſtit. virginis capite decimo quarto. Corrigiam vocat totum carnis aſſumptæ myſterium, cui explicandæ, ſe indignum Ioannes deprædicat. Eandem interpretationem adducit Gregorius homilia ſeptima in Euang. Additque aliam, quam ſumpſiſſe videtur ex eodem Ambroſio libro tertio de fide, capite quinto. Vult enim fieri alluſionem ad illud Ruth 4. vbi dicitur, iuxta legem, cùm aliquis ſine liberis moriebatur, vxorem ductum iri à propinquiori cognato, vt ſuſcitaret ſemen fratris ſui: is enim ſi cedere alteri minus propinquo volebat iure, ſoluebat ſibi calceum, & accipienti viduam in vxorem, tradebat. Cùm ergo Chriſtus ſit ſponſus Eccleſiæ, non Baptiſta, aut alius; Idcirco nemo calceamentum illius ſoluit, ne eo ſigno ſponſum

Myſtica interpretatio. Clem. Alex.
Baptiſta per calceamenta incarnationẽ: per corrigiam minora myſteria intellexit.
Greg. Naz. D. Ambroſ.
Greg. Papa.
Ruth. 4.
Solus Chriſtus Sponſus Eccleſiæ.

ſe Eccleſiæ videretur profiteri. Nam vt dicitur Ioan. 3. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Quare cùm Ioannes ſponſus non ſit, meritò ait, *Non ſum dignus ſoluere eius corrigiam calceamenti.* Hæc tamen accommodatio non ſatis idonea eſt; is enim ſibi calceamentum ſoluebat, qui vxorem recuſabat, & alteri dabat; niſi dicas hos Patres, ſolutionem fieri calceamentorum intellexiſſe à quocumque poſſe, iuxta legem; dummodo conſenſu fieret recuſantis nuptias. Cyrillus libro primo in Ioannem capite vltimo ad humilitatem refert ſerui prouerbialem locutionem: *Humilis, inquit, ſed vera confeſſio. Quis enim hominum dignus eſſe potuit, ſi dignitatem conſideres, vnigenitum Dei filiũ, digno ſignare, & præcurſor eius fieri?* Vnde Chryſoſtomus homil. vndecima in Matthæum, hanc expoſitionem ſecutus, ait: *Quia dictum erat mihi, Prælatus eſt,* ſcilicet Chriſtus, *ne ex comparatione paruus videretur exceſſus, ſubdit non ſum dignus,* &c. Idem homilia decima ſeptima ſuper caput primum Ioannis, *Intuere,* inquit, *quod cum dixit: Poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; non quemquam lucratus eſt, Verùm, cùm de Chriſti generatione verba habere, & in humiliorem ſermonem deſcendere cœpit, tunc ſecuti ſunt diſcipuli, ſcilicet Chriſtum. Vnde animaduertendum eſt, quòd non tam multi ad Chriſtum ſectandum adducuntur, quando magnum aliquid, & altum de Deo dicitur, ſicut cùm ad humiliora, & ad auditorum ſalutem accommodatiora deſcenditur.* Hæc ille. Proculdubio multùm in Ioanne humilitas attollitur. Nam *manus,* vt inquit Chryſoſtomus, *quæ tangere corrigiam pedis præ reuerentia non audebat; meruit capiti diuino, ex obedientia ſuperponi.*

Ioan. 3.

Cyrillus.

Humilis Baptiſtæ, ſed vera cõfeſſio.

Chryſoſt.

Non tam ſequitur turba Chriſtum, cùm ſublimia audit, quàm cùm humilia.

4. Vtinam tam præclaro exemplo admoniti calceos ſuperbiæ exuamus, & reiectis falſæ iuſtitiæ titulis, tragicos inflationis cothurnos tandem ablegemus. D. Sulpitius Seuerus vir eloquentia clarus, & ſanctimonia, ob quam Sanctorum catalogo adſcriptus eſt, in dialogo primo de virtutibus monachorum Orientalium, quanti facienda ſit humilitas, quam Chriſtiana maximè commendat diſciplina, exemplo monachi ſanctiſſimi docet. Hunc enim cùm dæmones de corporibus obſeſſis incredibili poteſtate depelleret; & miracula plurima, ad quæ non ſolùm vulgus hominum, ſed ipſi etiam Comites, & Rerumpublicarum principes, imò cum Epiſcopis ſacerdotes accurrerent ante fores iacentes, & horam, qua virum Dei videre poſſent præſtolantes; nam præter cæteras virtutes, ferebatur omni potu abſtinere, & ſeptem tantùm caricis quotidie ſumptis ſuſtentari: hunc inquam, inuaſit vanæ gloriæ (à qua quis ſecurus eſt?) quædam quaſi titillatio. Et qui ex aliorum corporibus dæmones effugabat, ſeipſum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conuerſus ad Deum fertur oraſſe, vt permiſſa in ſe menſibus quinque diaboli poteſtate, ſimilis ijs fieret, quos ipſe curauerat. Quid multis morer? *Ille præpotens,* inquit Sulpitius, *ille, qui ſignis toto Oriente vulgatus, ille ad cuius limina populi antè confluxerant, ad cuius fores huius ſæculi ſummæ ſe proſtrauerant poteſtates, correptus à dæmone eſt; tentus in vinculis, omnia illa, quæ Emergumeni ſolent ferre, perpeſſus. Quinto tandem menſe purgatus eſt, non tantùm dæmone, ſed quod illi erat vtilius, atque optatius, vanitate?* Hæc ille. Móxque inuehitur in illos, qui ſi vel ab vna fœmina laudentur, inſoleſcunt, dilatant fimbrias; gaudent ſalutationibus. Qui in humili loco ſanctitatem coluit, ad dignitatem promotus, pro aſello quo vtebatur, ſpumante equo ſuperbus inuehitur, & qui parua cella contentus erat, laquearia erigit, multa molitur conclauia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit conſuetam. Imitemur Ioſue virum ſanctiſſimum, & calceos exuentem, & humi proſtratum ante Angelum. Imitemur in ſimili exemplo Moſen, & Chriſtum in primis militiæ noſtræ ducem, *qui cùm ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo, caro factus eſt.* & figuram ſerui accipiens, quid non egit? Quod ſi tantam lucem oculi ferre non queunt, in Baptiſtam intueamur, qui illius ſoluere non audet corrigiam calceamenti.

Mira humilitas monachi ex Sulpitio.

Septem tantùm caricis monachus veſcitur.

Mira victoria vanitatis.

Monachus magni nominis, 5. menſibus torquetur à dæmone, ad [illegible] *vanã gloriam*

Deflendi ſunt, qui ab humili monachorũ vita ad dignitatem aſcendentes ſaſtoſi ſunt.

Hebr. 1.

Verſ. 16.] Fecítque Ioſue, vt ſibi fuerat imperatum, &c.

Cur Ioſue non interrogauerit; ad quem finem ſpectaret imperata pedum nuditas?

ANNOTATIO VIII.

1. EORVM, qui nobis præſunt, partes ſunt, prudenter quid iubeant, aut vetent explorare: noſtrûm verò, qui ſubditi ſumus, obedire ſine vlla diſcuſſione, vbi rei illicitæ ſuſpicio non eſt. Vnde D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. ſexageſima quarta, articulo ſexto. *Miniſter,* inquit, *Iudicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire. Aliter excuſarentur carnifices, qui Martyres occiderunt. Si verò non contineat manifeſtam iniuſtitiam, non peccat, præceptum exequendo; quia non pertinet ad eum diſcutere ſuperioris ſententiam. Nec ipſe occidit innocentem, ſed iudex,* &c. Qui ſubditus eſt, non debet, ſi felicem vitam optat, propendere affectu in aliquam partem. Licet aliqui aſſerant in corpore glorioſo grauitatem, quæ corporis videtur eſſe perfectio, futuram; probabilius id negatur. Non enim decet ſtatum beati ad certam loci differentiam per grauitatem alligari. Agilitatem poſtulat ille ſtatus, vt animæ obediatur. Grauitas, & pondus, eſt propenſio, & affectus. *Amor meus, pondus meum,* inquit Auguſtinus, ſublato hoc pondere ad nutum Prælatis, & Deo obtemperamus. Quid ſi dura imperent? Dumnodo peccatum non ſit in executione, obtempera. Carthuſianus in quarto diſtinctione quinquageſima quæſtione quinta, agens de motu corporis glorioſi: *Probabile eſt* inquit, *eos, qui dum viuerent carceribus propter Deum incluſi vel ſeipſos in clauſtra receperunt, liberius tunc dote agilitatis vſuros eſſe;* &c. Vides captiuitate obedientiæ libertatem adduci? Meritò igitur Ioſue, qui in Angelo maieſtatem quandam, & poteſtatem pluſquàm humanam, qua populo Hebræo præſidebat, agnouit, imperata feciſſe dicitur, nulla adhibita interrogatione, cur nimirum in terra ſancta nudandi eſſent pedes; cùm mox eiſdem calceis eſſent induendi. Diſcant hinc religioſi inſtituti ſectatores, Prælatis ſuis, cæco, vt dicitur, affectu, ſine inquiſitione obedire. *Vir enim obediens loquetur victoriam,* vt Sapiens ait, vel vt Gregorius Magnus legit, *victorias.* Refert Sulpitius Seuerus in dia-

Prælati eſt diſcutere, ſubditi obedire.

D. Thomas.

Subditum non debere propendere affectu in aliquam partem.

Dura imperia ſi non appareat peccatum, ſuſcipienda ſunt.

Carthuſ.

Obedientiæ exempla inſignia.

Certa aſſertio obedientiæ vestigiis prælatis.

logo

Bib. Patr. tom. 2.

A logo de virtutibus Monachorum Orientalium, tom. 2. Bibl. Patr. eluxiſſe maximè in cœnobiis Ægypti obedientiam. *Ego*, inquit, *à Sina monte digreſſus, ad Nilum flumen regreſſus ſum, cuius ripas frequentibus monaſterijs conſertas vtraque ex parte luſtraui. Plerunque vidi vno in loco habitare centenos, ſed & bina, & terna millia, in iiſdem vinculis degere conſtabat. Nec ſanè ibi minorem putetis diuerſantium in multitudine monachorum eſſe virtutem, quam eorum eſſe cognoſcitis, qui ſe ab humanis cœtibus remouerunt. Præcipua ibi virtus, & prima eſt obedientia; neque aliter adueniens ad monaſterium ab Abbate ſuſcipitur, quàm tentatus prius fuerit, & probatus, nullum vnquam recuſaturus quamlibet arduum, ac difficile, indignúmque toleratu Abbatis imperium.* Hæc ille.

Terna monachorum millia in vno loco.

Virtus prima in monacho obedientia.

Non admittebantur olim ad monaſterium niſi, qui nullum recuſabat imperium.

B 2. Duo obedientiæ eximiæ commemorat exempla. Quidam refutabatur ab Abbate propoſita difficultate vitæ religioſæ, & præſertim obedientiæ. Is, minimè deterritus, pollicitus eſt, fore, vt, vel in ignem inſiliret, ſi iuberetur. Caſu clibanus prope ardebat, qui multo igne ſuccenſus, coquendis panibus parabatur. Exundabat abruptis flamma fornacibus. Huc igitur aduenam illum iubet Magiſter intrare: nec diſtulit parere præcepto, medias flammas nihil cunctatus ingreditur. Quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris ceſſere venienti, vt nec Abbatem pigeret dura mandaſſe, nec diſcipulum pœniteret imperio paruiſſe.

C 3. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat; Cùm prima ei lex obedientiæ proponeretur, ac perpetem polliceretur ad omnia obedientiam. Caſu Abbas ſtoracinam virgam iam pridem aridam manu gerebat, hanc ſolo fixit, atque illi aduenæ, id operis imponi, vt tandiu virgulæ aquam irriguam miniſtraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in ſolo arente vireſceret. Subiectus aduena duræ legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo fluuio per duo ferè millia petebatur: iamque emenſo anni ſpatio, labor non ceſſabat operantis, & de fructu operis ſpes eſſe non poterat, tamen obedientiæ virtus in labore durabat; Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio denique ſuccedentium temporum labente curriculo, cum neque noctu, neque interdiu aquarius ille ceſſaret operator, virga floruit. Ego ipſam ex illa, virgula arbuſculam, quæ hodie intra atrium monaſterij eſt, ramis virentibus vidi; quæ quaſi in teſtimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides poſſit, oſtendit. Hæc ferè Sulpitius. Vides quàm grata ſit obedientia, quæ rationibus humanis poſthabitis, fide agit, nec diſcutit, vtilene ſit, an inutile, quod præcipitur? Cæcam hanc obedientiam Deus ſæpè miraculis decorauit. Cur igitur Ioſue diſcuteret, quorſum hæc potius cæremonia ab illo exigeretur, quàm illa? Quid pedum nuditas boni afferret? Bonus diſcipulus à magiſtro ſuo Moſe didicerat, Deo in omnibus ſine cunctatione obedire. Florentes olim virtute fuerunt, qui ſe Deo obſequentes, & in rebus difficillimis, ne dum in ſoluendis calceis præbuere. Obédientia námque, vel ſola eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit, vt Gregorius Mag. ait, Hanc veneratus Ioſue vir ſanctiſſimus; *fecit* (loquit ſacer hiſtoricus) *vt ſibi fuerat imperatum.* Multa inuenies de obedientia apud Ioannem Climacum. Gradu 4. tom. 3. Biblioth. Patrum, vbi inter alia, ſic obedientiam deſcribit. *Obedientia eſt animæ propriæ perfecta abnegatio per corpus certius oſtenſa.* Rurſus. *Obedientia eſt inexaminatus, atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immediata ad Deum excuſatio, mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter.* Tertiò, *obedientia eſt ſepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis, nihil reſiſtitque, nihilque diſcernit*, &c. Tam eximiæ obedientiæ præclarum ibidem ſubijcit exemplum in latrone, publicè ex obedientia, cui ſe ſubiecerat, vt monachus eſſet, peccata fœdiſſima confitente; quæ vir grauis viſus eſt in charta, prout ſingula pronunciabantur, calamo delere.

Monachi mira patientia, & obedientia, qua virga floruit.

Cæcam obedientiam Deus miraculis decorauit.

Greg. PP.

Ioann. Climacus. Bib. Patr. tom. 3.

Deſcriptio obedientiæ.

IN CAPVT SEXTVM IOSVE.

PERIOCHA.

Brocardus.

HACTENVS de ingreſſu Iſraelitarum in terram Chanaan. Nunc agitur de expugnatione. Prima occurrit Hiericho, ciuitas id temporis clariſſima, hodie pagus eſt, vt in deſcriptione Paleſtinæ diximus, à paucis incolis inhabitata.

Tantum æui longinqua poteſt mutare vetuſtas.

Eam non tam induſtria, & vi humana aggrediuntur Hebræi quàm cæleſtibus adiuti conſilijs. Cadunt ad clangorem ſacerdotalium tubarum, muri. Quà libet, intratur, non parcitur ſexui, aut ætati. Quicquid metalli eſt, Deo dicatur. Cætera ferro, & flammæ cedunt. Vna Rahab cum familia viuit, & Dei populo accedit. Tandem victor Ioſue graui imprecatione vſus. Maledictus vir, *inquit*, coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho.

LIBRI IOSVE

CAPITIS SEXTI SECTIO PRIMA.

Verſ. 1.] Hiericho autem clauſa erat,
atque munita timore filiorum Iſ-
rael, & nullus egredi audebat, aut
ingredi. Dixítque Dominus ad
2. Ioſue. Ecce dedi in manu tua
Hiericho, & Regem eius, om-
3. néſque fortes viros. Circuite vr-
bem cuncti bellatores, ſemel per
4. diem: Sic facietis ſex diebus: Se-
ptimo autem die ſacerdotes tol-
lant ſeptem buccinas, quarum
vſus eſt in iubileo, & præcedant
Arcam fœderis: Septiéſque cir-
cumibitis ciuitatem, & ſacerdo-
5. tes clangent buccinis. Cúmque
inſonuerit vox tubæ longior, at-
que conciſior, & in auribus ve-
ſtris increpuerit, cõclamabit om-
nis populus vociferatione maxi-
ma, & muri funditus corruent ci-
uitatis ingredientúrque ſinguli
per locum contra quem ſteterint.
6. Vocauit ergò Ioſue filius Nun ſa-
cerdotes, & dixit ad eos, Tollite
Arcam fœderis, & ſeptem alij ſa-
cerdotes tollant ſeptem Iubileo-
rum buccinas, & incedant antè

A 7. Arcam Domini. Ad populũ quo-
que ait. Ite, & circumite ciuitatẽ,
armati præcedentes Arcam Do-
8. mini. Cúmq; Ioſue verba finiſſet,
& ſeptem ſacerdotes, ſeptẽ buc-
cinis clangerent ante arcam fœ-
9. deris Domini; omníſque præce-
deret armatus exercitus: reliquũ
vulgus arcam ſequebatur, ac buc-
10. cinis omnia concrepabãt. Præce-
B perat autem Ioſue populo, di-
cens: Non clamabitis, neque ex-
audietur vox veſtra, neque vllus
ſermo ex ore veſtro egredietur:
donec veniat dies, in quo dicam
vobis: clamate, & vociferamini.
11. Circuiuit ergò Arca Domini ciui-
tatem ſemel per diem, & reuerſa
12. in caſtra manſit ibi. Igitur Ioſue
de nocte conſurgente, tulerunt
C 13. ſacerdotes Arcam Domini; & ſe-
ptem ex eis ſeptem buccinis, qua-
rum in Iubileo vſus eſt, præcede-
bántque Arcam Domini ambu-
lantes, atque clangentes, & ar-
matus populus ibat ante eos, vul-
gus autem reliquum ſequebatur
arcam, & buccinis perſonabat.
14. Circuierúntque ciuitatem ſe-
cundo die ſemel, & reuerſi ſunt
in caſtra: ſic fecerunt ſex diebus.

15. Die autem ſeptimo diluculò conſurgentes, circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties. A
16. Cúmque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes. Dixit Ioſue ad omnem Iſrael; vociferamini: tradit enim vobis Dominus ciuitatem, &c.

Aliæ verſiones.

B *Hebraicè.* Et Hiericho claudebat viros ſuos, & clauſa omnino erat propter filios Iſrael: nõ erat egrediens, nec ingrediens. Pro, *Sacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo*, &c. tollent ſeptẽ tubas arietinas ante arcam. Pro, *Cúmque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior*, &c. Et erit quando protrahent ſonitum cum cornu C arietino. Pro, *Et muri corruent ciuitatis*, &c. Et cadet murus ciuitatis ſub ſe, & aſcendent populus, quiſque è regione ſui. Pro, *cùm ſeptem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini*, &c. Septem ſacerdotes tollentes ſeptem tubas arietinas ante arcam Domini, tranſierunt, & clanxerunt tubis, & arca fœderis Domini ibat poſt eos. Pro, *die* D *autem ſeptimo diluculò conſurgentes*, &c. Et fuit, die ſeptimo ſurrexerunt, cum aſcendit aurora, &c.

Aliter. Pro, *Sacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo*, &c. Et ſeptem ſacerdotes, ferant ſeptem cornua arietina ante arcam, &c. Pro, *Cumq́; Ioſue verba finiſſet, & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent*, &c. Poſteaquam E autẽ Ioſue loquutus eſſet ad populum, tulerunt ſeptem ſacerdotes ſeptẽ cornua arietina, & tranſeuntibus ante arcam Domini, clanxerũt cornibus, ſequebatúrque eos arca fœderis Domini. Et primipilares præcedebant ſacerdotes, qui claſſicum canebãt cornibus, (extremum autem agmen ibat poſt arcam) eundo, & clangendo cornibus. Pro, *non clamabitis, neque exaudietur vox veſtra*, &c. Ne iubilum, aliquem, aut ſonum voce edatis. Pro, *die autem ſeptimo diluculò conſurgentes*, &c. Illuſceſcẽte ſeptima die, manè ſurrexerunt, cùm aurora exoriretur.

Sept. Interpr. Pro, *ſacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo, & præcedãt arcam fœderis, vertunt:* καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας τοῦ ἰωβὴλ ἐνώπιον τῆς κιβωτοῦ. *Id eſt*, ſeptem ſacerdotes accipiunt ſeptem buccinas iobel coram arca.

Explicatur contextus.

1. *Iericho autem clauſa erat, atque munita timore filiorum Iſrael.*] Non vtitur ſacra hiſtoria amplificatione aliqua ad captandam attentionem ſicut ſolẽt hiſtorici prophani, vt Liuius, qui lib. 1. 3 Dec. præfatur ſe ſcripturũ bellum maximè memorabile, cùm ſcripturus ſit ſecundum bellum Punicum, de quo Silius. *Ordior arma quibus cœlo ſe gloria tollit Æneadum.* & Virg. illatum à Troianis bellum narraturus, ſic præfatur lib. 7. — *Sacra hiſtoria, res maximè memorabiles narrat ſine præfatione.* — *Liuius.* — *Sil. Italicus.* — *Virg. Aen. 7.*

—— *Dicam horrida bella*
Dicam acies, actóſque animis in funera reges.

Non ita ſacra hiſtoria, ſimplicem ſequitur narrationem, vt veritas ipſa nos alliciat. Oſtendit ergo primùm, vrbem humanis armis, & induſtria difficilem fuiſſe expugnatu, vt futuri miraculi magnitudinem ipſius loci deſcripta ratio nos doceat. De ea, ita D. Ambr. lib. 7. in cap. 10. Lucæ. *Meminimus, quod Hiericho magna ciuitas fuerit muralibus ſepta parietibus quæ non ferro peruia, non ariete poſſet eſſe penetrabilis.* Et infrà. *Vrbis autẽ ipſius inexpugnabiles muros, ſeptem tubarum ſacerdotalium ſono, & populi iubilantis vlulatu conſono corruiſſe.* Hæc ille. Quod valido fuerit muro circundata, & interius exteriúſque probè obſerata indicant duo verba, סגרת בסגרת *ſogereth*, & *meſugereth*, quæ noſter interpretes vertit, *clauſa, atque munita.* Luſitanè, *fechada, è mais que fechada*, deriuantur à verbo סגר. clauſa igitur erat intus, & foris, additis vectibus, peſſulis, & ſeris omnium generum, quàm firmiſſimis. Vel, vt ait Paraphraſtes Chaldaicus, *clauſa erat foribus ferreis, & roborata vectibus chalybeis.* Cauſa tam accuratæ cuſtodiæ, timor erat, ne filij Iſrael intro vi irrumperent. Pro, *timore filiorum Iſrael* Hebr. Chald. & Græcè legitur, *A facie filiorum Iſrael.* — *Ambroſ.* *Hiericho erat ciuitas humanis viribus vix expugnabilis.* — *Paraph. Chal.*

2. *Et nullus egredi audebat, aut ingredi.*] Erat ciuitas clauſa tam arctè, vt nemini exitus, aut introitus pateret. Omnes viri ex oppidis vicinis incluſi erant. Fas illis non erat ad ſua oppida alicuius commeatu, quærendi gratia redire. Nec ciuibus Hierichuntinis aliquod habere cum externis commercium. Conſultum námque eſt à Rege ea incluſione, ne ciuitas aut irruptione, im- — *Obſidio arctiſſima Hierichuntinorum.*

petúque bellico caperetur, aut deditione ſe ſuperare præ metu collatis ſignis, Hierichuntini ne parabant. Vna illis erat ſpes in longa obſidione. Nam bene muniti propugnaculis, & murorum ambitu erant; commeatu proptereà ad multos dies abundabant. Sperabant fore, vt Hebræi, tandem fatigati, ſoluerent obſidionem.

Ciues Hay bis egreſſi ſunt contra Iſraelitas: atque adeo animoſiores extitere Hierichuntinis.

Hinc conſtat animoſiores fuiſſe ciues vrbis Hay, quam Hiericho. Nam hi egredi non audebant præ metu. Illi autem bis egreſſi ſunt contra Iſraelitas, eóſque, occiſis nonnullis, in fugam aliquando compulerunt. Præterea, non ſolùm audierant famam tranſitus Iordanis, ſicut Hierichuntini, ſed miraculo inſuper complanatos fuiſſe muros Hiericho ad præſentiam Hebræorum, nihilo tamen magis territi, quamuis multò pauciores eſſent, manus conſerere, non dubitarunt.

Certitudo futuri euentus exprimitur à Deo per particulam, Ecce.

3. *Dixitq́, Dominus ad Ioſue: Ecce dedi in manu tua Hiericho, & regem eius, omnéſque fortes viros.*] Hebraicè eſt. *Vide, dedi in manum tuam. &c.* Vox, *ecce*, Hebraicè ראה ex verbo deducitur, quod *videre*, & *contemplari* ſignificat. Suum omnino beneficium agnoſci voluit Deus; ideóque attentionem excitat in Ioſue, qui diuini conſilij miniſter eſt futurus. Vt ille ſuorum animos erigeret certiſſima euentus feliciſſimi denuntiatione, dicéns: Ante oculos, intérque manus ſunt omnia veſtras. Deus autem hîc loquitur per illum ipſum Angelum, per quem cap. præcedenti locutus eſt, ac proptereà Angelus Dominus appellatur, vt ſæpe in ſacris fit libris. Sic Iudic. 6. vbi agitur de Gedeone, dicitur: *Dixit ei Dominus; Ego ero tecum.*

Iudic. 6.

Externo ſermone locutus eſt Deus per Angelum.

Hæc autem verba debuerant proximè coniungi, ad illud, quod dixerat Angelus ſuprà, *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Interpoſuit tamen ſacer hiſtoricus id, quod ad vrbis expugnandæ pertinebat, munitionem, contra Hebræorum exercitum, vt aptè ſubiiceret modum capiendi obſeſſos. Vtrum autem hic Deus ipſe, an Angelus idē, qui ad finem capitis ſuperioris loquatur, dubium eſſe poteſt. Abulenſis ad fin. quæſt. 1. non dubitat hic etiam externo ſermone locutum fuiſſe Deum per Angelum; imo vnum, & idem eſſe oraculum. Non tamen abſurdum erit, ſi quis dicat, cum Angelus ſuperiùs, non ſeſe Dominum dixerit, ſed principem exercitus Domini, iuſſeriſque Ioſue locum venerari, etiam nudis pedibus tanquam ſummi Dei templum; hoc alterum reſponſum viſione interna, à Ioſue, vt à Prophetis ſolet, acceptum; dum is precibus, & contemplationi intentus vacat.

Abulenſ.

Idem Angelus in præcedenti capite...

Quid ſi aliter?

4. Quod verò ait, *in manu tua*, omnem rei gerendæ adminiſtrationem Ioſue traditam eſſe ſignificat; ac diligenter curandam committit. Victoriam non humanis viribus aſcribendam indicat. Quippe non tantum loci natura, ac ſitu; ſed etiam incolarum induſtria, & operibus ciuitas præſtabat; viporè, cui Rex erat, cuius autoritate, & potentia defendi regnum pollet, & viri non imbelles, ſed verè fortes. Itaque Hierichū externus, interiuſque munitam, omni vigilantia cuſtoditam, à Rege gubernatam, fortibus fortam viris, Ioſue ſe traditurum, pollicetur Deus. Non excepit Moabitas, Ammonitas, & Idumæus, vt Moſi exceperat, dummodo Ioſue intelligat non ſuis viribus, ſed diuinis parandam eſſe victoriam.

Omnem belli adminiſtrationem ... Deus Ioſue pollicetur.

5. Si quæras, quomodo mortuus fuerit Rex Hiericho: Reſpondet Abulenſ. quæſt. 2. cum quod probabile eſt, gladio tantum, & non atrociori aliquo ſupplicio fuiſſe mulctatum. Is enim nihil egit contra Iſraelitas: in ſuæ vrbis defenſionem, duntaxat, incubuit. Alij verò Reges peculiari dedecore affecti ſunt in morte, quia iniurij populo Dei fuerunt. Rex enim vrbis Hay bis clientes ſuos in Iſraelitas permouit: quare comprehenſus, in patibulum eſt actus, vt infra cap. 8. narratur. Alij verò quinque Reges populos ad bellum concitarunt, vt Gabaonitas cum Hebræis fœderatos oppugnarent. Idcirco cum aduerſo Marte confligentes in ſpeluncam abderentur, educti, & humi, quam longi erant proſtenſi, pedibus victorum conculcati ſunt, ac tandem patibulis vſque ad veſperum appenſi, vt videbimus cap. 10.

Abulenſ.

Rex Hiericho ... gladio ... ſupplicio.

Rex Hay, & quinque Reges ... quia iniurij fuerunt Iſraelitis ...

6. *Circumite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem; ſic facietis ſex diebus, ſeptimo autem die ſacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo, &c.*] Modus, quo capienda eſt Hiericho, præſcribitur. Non enim obtinenda denuntiatur in clypeo, & haſta, ſed in Dei numine, Hebræis nihil interim armorum tractantibus, muros funditus ſubruentis, iuxta illud Exod. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Iubet circuire ciuitatem, orbe ab vno loco, verbi gratia ab vna porta ciuitatis ad eandem perfectè circunducto. Vocantur hic bellatores viri, Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſes: ſunt autem illi ipſi, qui ſupra quadraginta millia armatorum expleuerunt, & nunc præcedere arcam fœderis iubentur, vulgo eos, & arcam ſubſequente. Nec ij ſolùm ſubſecuturi ſunt arcam, ſed omnes, qui vigeſimum annum non excedunt. *Sic facietis ſex diebus, &c.* deeſt hic hæc clauſula, quæ omnino intelligēda eſt, & ſeptem ſacerdotes tollant ſeptem cornua iubileorum ante arcam, ordinent quippe inſtituendi pompam præſcribit non ſolùm bellatoribus, ſed etiam ſacerdotibus. Hi namque numero ſeptem non ſolùm ſeptimo die, ſed etiam ſex ante diebus, tubis ſeptem non argenteis, ſed ex cornibus arietinis fabrefactis, quibus vti debebant in iubileo, præcedere arcam, iuſſi ſunt.

In Dei numine ... denuntiatur Hiericho.

Exod. 14.

Ordo ... in orbem ...

Septem tubis ... ſacerdotibus ...

7. Septimo autem die factæ ſunt ſeptem circuitiones. Hunc diem ſabbathum fuiſſe putat Rab. Salomon, quem citat Abulenſ. Lyra, Carthuſianus, Dionyſ. & alij, vt hoc quoque ſabbatho tribuatur, quód in eo miraculo corruerint in ſeptima circuitione muri Hierichuntini. Rab. Chimi putat primo die azymorum factam fuiſſe primam circuitionem: deinde cæteras, itaut ſeptima inciderit in ſeptimam diem. Fides tamen huius rei penes authores eſt, qui coniecturam tantùm, & conuenientiam ſequuntur. Fauet illorum aſſertioni non eſſe interdictum negotium bellicum, etiamſi laborioſum ſit, in ſabbatho, in quod incidiſſe aliquam ex ſeptem præſcriptis luſtrationibus, certum eſt. Nec verò intelligas ſolùm in ſeptimo die clanxiſſe ſacerdotes tubis, id enim licet in primo, ſecundo, & ſeptimo die factum duntaxat exprimatur, cæteris etiam luſtrationibus conceditur infrà. Diſcrimen ergo inter præcedentes ſex dies, & diem ſeptimum, in numero luſtrationum ſitum eſt.

Die ſabbathi facta eſt ... luſtratio.
R. Salomon.
Abulenſis.
Lyranus.
Carthuſ.
R. Chimi.

8. *Sacerdotes tollant ſeptem buccinas quarum vſus eſt in Iubileo.*] Id eſt, accipient in manus ſeptem buccinas ad celebritatem anni Iubilei paratas. Erat autem apud Iudæos, quinquageſimus annus,

qui re-

Quinquageſimus annus Iubilæi erat celeberrimus.

qui remiſſionis tubæ, & iubilei dicitur, celeberrimus. In hoc anno libertate donabãtur omnes Iſraelitæ, qui ſeruituti, quocumque modo, erant mancipati. Hoc tamen priuilegio non fruebantur ſerui ex alia natione ad Iudaiſmum conuerſi. Hæreditatum etiam iura ſuis dominis inſtaurabantur, ex diuinæ legis præſcripto. Interpretantur autem buccinas, ſiue tubas iubileorum, non quaſcunque, ſed factas ex arietinis cornibus. Arabum namque lingua, quæ Hebrææ proxima eſt, aries, Iobel, dicitur. Inde feſtiuitati quinquageſimi anni, nomen etiam fuit factum Iobel, quod huiuſmodi cornuum ſono, anni illius ſacri, indiceretur aduentus, vt noſtra vulgata indicat editio. Sed cur hic iubentur inflari huiuſmodi cornua? Quia ſicut eo anno antiqua Hebræorum aſſerebatur libertas, & prædia ſuis reſtituebantur dominis: Ita hic ſono buccinarum innuere voluit Deus tempus iam adeſſe, quo terra Chanaan ad communem Dominum, & principem, ab iniuſtis vindicata poſſeſſoribus, alijs traderetur colonis. De cauſa, & modo celebrandi feſtiuitatem Iubilei, & illius vtilitatibus, agitur Leui. 15. vbi dicitur, tubis circunſonandum eſſe per totam Iudæorum prouinciam, menſis ſeptimi die decimo, in feſto propitiationis, vt omnes pernoſcerent annum libertatis aduenisse.

Libertas ſeruis dabatur in anno Iubilæi.

Iobel vocabulum Arabicum arietem ſignificat.

Arietinæ buccinæ anni aduentum anni Iubilæi.

Leuit. 15.

9. Sed quomodò dicuntur perflandæ à ſacerdotibus buccinæ, quarum vſus eſt in iubileo? Reſpondemus à Iudæis numquam in deſerto fuiſſe celebratum Iubileum; lex enim data fuit poſt exitum de Ægypto in tabernaculo teſtimonij in monte Sinaj. Oportuit autem, vt annus aliquis eſſet iubileus, vt intercederent ſeptem hebdomadas annorum, quæ ſunt ſeptem ſepties, id eſt anni 49. Sic enim annus ſequẽs quinquageſimus erat, & Iubileo deſtinatus. Quare cùm anni computandi eſſent ab eo, quo lex promulgata fuit in ſolitudine, nec niſi quadraginta tantùm ab eo tempore vſque ad ingreſſum Iſraelitarum in terram promiſſam, fuerint exacti, adhuc vndecim ſupererant numerandi, vt Iobilei celebritas peragi poſſet. Quid ergò? vocari dico buccinas, quarum vſus eſt in iubileo, eas, non quæ aliquando vſui fuerint in aliquo iubileo, ſed quas Moſes affabrè dolauerat in deſerto, ad celebritatem Iubilei, quam acturi erant Hebræi poſt ingreſſum in terram promiſſionis. Quod autem Abulenſ. q. 7. ait, has tubas non corneas fuiſſe, vt omnes tam Hebræi, quàm noſtri affirmãt, ſed argenteas, debili innititur argumento. Ait enim dedecere, fieri in deſerto à Moſe arietinas ſeptem buccinas, & ſeruari per tot annos ad celebritatem Iubilei cum facile ſit, vbique arietum cornua inueniri. In cæremonijs namque non pretium rei, ſed myſterium requirimus. Pax autem anno quinquageſimo conueniens, aptius arietinis buccinis, quàm argenteis, aut quocunque modo metallicis ſignificatur.

Annus Iubilæi non poterat in deſerto celebrari.

Buccinæ Iubilæi ... dicta.

Abulenſ. non rectè ſentit ... tubas.

10. *Et præcedant arcam fœderis.*] Sacerdotes clangentes tubis præcedebant arcam fœderis Domini. Eoque ſono prope arcam, veluti ad vexillum conſtituti, milites, & omne vulgus ad ſpem victoriæ erigebant, tanquam ſi Deus cuius erat in arca numen, ſuam voluntatem huiuſmodi ſigno declararent.

Clangor tubarum ſacerdotalium erigebat vulgi animos ad ſpem victoriæ.

11. *Septies circuibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent tubis.*] Sex diebus poſt ſingulas luſtrationes, redibant Hebræi in caſtra. In ſeptimo die, iubentur in ſeptem continuæ circuitiones, quibus finitis concident muri. Hinc colligo, licet Hierichο turribus, & propugnaculis probè munita fuerit, ambitum tamen illius non ita magnum fuiſſe, cum, ſeptem vno die luſtrationes continuæ à numeroſo Hebræorum exercitu fieri potuerint, arca Domini humeris impoſita, & buccinis ſine intermiſſione clangentibus. Adde, eodem die corruiſſe muros, iugulatos ciues, gladio non ſexui, non ætati, imò nec iumentis parcente; Et iniecta domibus flamma, omnia populante. Erat autem officium ſacerdotum tubis clangere in bello, in ſacrificijs, in feſtiuitatibus, & kalendis, vt dicitur Num. 10. *Filij Aaron clangent tubis, eritque vobis legitimum ſempiternum.*

In 7 die, finitis ... circuitionibus ... muri.

Num. 10.

12. *Cùmque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior; conclamabit omnis populus, & muri funditus corruent ciuitatis.*] Quanquam in ſingulis præcedentium dierum circuitionibus, clangor ſemper ſit adhibitus nihilominus præcipitur, vt in ſeptimo die alius ineatur clangendi modus, nempe prolixior, & conciſior, non quidem in omnibus luſtrationibus, ſed ſub finem ſeptimæ. Vt nimirum populus illa varietate ſoni excitatus, prout antè fuerat præmonitus, illis verbis, *Conclamabit omnis populus*, ad Deum ſuum ſimul acclamaret. Voluit enim Deus, vt nota eſſet, & teſtata Hierichuntinis, & omni hominum poſteritati potẽtia, qua multitudini a ſe auxilium poſcenti, adeſt. Inuocabãt Hebræi, vt annotauit Abulenſ. quæſt. 8. Deum ſuum, vt complanaret muros vrbis, firma fide id ita futurum ſperantes. Quid, quod Deus recordari dicebatur populi, quando clamabant ad Deum, & buccinis clangebant? Num. 10. *Si exieris*, inquit, *ad bellum de terra tua, clangetis vlulantibus tubis: vt ſit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro*, &c.

Abulenſ. Clamabant Hebræi precantes Deum, vt muros vrbis complanaret. Num. 10.

13. *Et muri funditus corruent ciuitatis.*] Hebraicè dicitur, *cadet murus vrbis ſub ſe*, vel, *ſub ea.* Vbi Caiet. ſic ait. *Dicendo, ſub ea: manifeſtat, quod vel ad foſſam circumcirca, vel maiori miraculo ſub terram caſurus erat murus, vt Iſraelitæ non impedirentur à ruinis muri, ſed liberum haberent ingreſſum circumcirca in ciuitatem.* Hæc ille. Cuius expoſitio non diſplicet. Quid, quod Chaldæus Paraphraſtes idiotiſmi obſcuritatem interpretatus, dixit. *Abſorbebitur ſubter ſe*, ſenſus eſt, ſimulatque totus populus acclamauerit, corruent turres, mœnia, & quidquid propugnaculi eſt, vſque ad terræ planiciem; domibus interim, quæ intra vrbem ſunt, intactis.

Caietan.

Muri ſubitò terram abſorpti ſunt.

14. *Ingredienturque ſinguli per locum contra quem ſteterint.*] Hoc ad miraculi amplificationem pertinet: ſignificat quidem complanationem huiuſmodi futuram, vt muros omnis ſolo æquetur, & à terra, vt, inquit Chald. abſorbeatur; idque in nictu, oculi, vt dicitur, vnóque temporis momento: itaut nullus ſolicitus eſſe debeat qua parte irrumpet in ciuitatem: nullo namque labore è regione ſuæ ſtationis aditus ei patebit. Hoc eſt, quòd verba illa ſignificant, *Ingredientur ſinguli per locum contra quem ſteterint.* Quod à Deo idcirco factum putat Abulenſ. ne quis ex Hierichuntinis effugeret, poſt ruinam murorum. Erat vrbs circumquaque à circunfuſis militibus vallata. Quare ſi ingrederentur per portas, aut loca alia patefacta, parte murorum aditum alicubi impediente, diſpergerentur ſtudio ingrediendi, eorũmque effugerent gladios ex obſeſſis complures. Oportuit igitur; ne id eueniret, vt ea, quiſque, qua erat, ingrederetur parte.

Patuit ingreſſus in vrbem Hebræis ex omni parte ne fugerent Hierichuntini.

15. *Vocauit ergo Ioſue filius Nun ſacerdotes, & dixit*

ad eos: tollite Arcam fœderis.] Quia miniſtri partes agebat Ioſue in ordinanda pompa, qua luſtranda erat vrbs; non appellatur Ioſue ſimpliciter, ſed patris adiuncto cognomine. Quod etiam in priuatis hominibus ſæpiſſimè, & in prophetis nominandis non raro obſeruare poteris. Vt, *viſio Iſaiæ filij Amos*. &c. Hæc ergò apud ſacerdotes denuntiatio, tanquam à Propheta ex Dei mandato facta eſt, quod, vel priuato dari ad ſacros iuxta, & profanos principes moris fuit. Ad conſeruandam igitur ſacerdotum autoritatem, conſultò Deus huiuſmodi mandata ad ſacros ritus ſpectantia, non à Ioſue, vt princeps laicus erat. Sic enim religionis cæremonias præſcribere non debuit, ſed vt filius Nun. & Propheta ad hoc electus perferenda curauit. Vt enim annotauit Arias Montanus hoc loco, voluit Deus viro huic pro locorum, & temporum ratione, & ducis, & prophetæ vices dare, ita tamen, vt quo nomine quidquid ageretur, opportuna nominis, & cognominis apellatione, vel alia notatione exponeretur. Atque ita intellige nũtiũ qui ſacerdotes ad Ioſue vocarit, hoc titulo fuiſſe vſum. Vocamini à Ioſue filio Nun; ſacerdotéſque ipſos vocationis ius agnoſcentes, præſtò vocanti adfuiſſe, & paruiſſe. *Tollite arcam fœderis*. Id eſt, portate eam ſuper humeros, vt circunducatur. Quanquam portare arcam, muneris erat Leuitarum Caathitarum, vt diximus ſupra cap. 3. & patet ex Num. 3. & 4. Voluit tamen Deus, vt hic ſacerdotum humeris geſtaretur, ſicut in tranſitu Iordanis; & Regum tempore, cum reſtituta fuit in domum Domini, fugiente Dauid à facie Abſolonis, 2. Reg. 15. Rurſum, cum portaretur de domo Obethedon Gethei in ciuitatem Dauid, 1. Par. 15. Tandem cum filij Heli eam in bellum extulerunt, 1. Reg. 4. Erat enim rei gerendæ magnitudo, etiam ex hac geſtatione, decoranda, ſicut in commemoratis euentibus.

Conſeruata ſacerdotũ authoritas à Deo, & Ioſue, quandò eos vocauit.

Num. 3. & 4. *Quamuis portare arcam munus eſſet Leuitarum; in maioribus negotijs portabatur à ſacerdotibus.* 2. Reg. 15. 1. Paralip. 15. 1. Reg. 4.

16. *Et ſeptem alij ſacerdotes tollant ſeptem Iubileorum buccinas, & incedant ante Arcam Domini.*] Non ſignificat eos, qui arcam tollerent, ſeptem fore, & tubicines totidem. Nam ſi hoc voluiſſet ſignificare, ſeptem alteri ſcriberet. Tantùm alios eſſe indicauit eos, qui buccinas perflarent; ab ijs qui arcam humeris ſubueherent, quorum à tranſitu Iordanis, notus erat numerus. Septem Iubileorum buccinas iubētur ſeptem ſacerdotes portare. In quo, non vſurpant Leuitarum officium, ſed ſuum obeunt.

17. Hinc infertur in veteri teſtamento licuiſſe ſacerdotibus ad bellum ire. Vnde Num. 10. *Si exieris ad bellum de terra tua contra hoſtes: clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro*, &c. Clangere autem buccinis ſolis ſacerdotibus fas erat, vt in eodem cap. dicitur. Munus itaque ſacerdotum in bello erat cùm argenteis tubis, tùm ſermone, milites ad ſtrenuè dimicandum exhortari, vt patet Deut. 20. *Appropinquante autem prælio, ſtabit ſacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum. Audi Iſraël. Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis: non pertimeſcat cor veſtrum; nolite metuere: nolite cedere: nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt; Et pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos à periculo.* Interdum Arcam Fœderis exportabant ſacerdotes, vt Ophni, & Phinees, contra Philiſtæos. 1. Reg. 4. Vt animus adderetur pugnaturis. Interdum verò cum hoſtibus conflixiſſe compertum eſt, vt patet in filijs Heli in bello occiſis, & in Machabæis, qui erant ſummi ſacerdotes, & tamen acerrimè præliabantur, & in alijs, qui non erant valde neceſſarij in miniſterio ſanctuarij. Non tamen illis pugnandi lex vlla indicta fuit, ſicut laicis; quippe Leuitis, & ſacerdotibus cuſtodia, & miniſterium tabernaculi ſolum imponitur, Num. 1. *Tribum Leui*, inquit, *noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filijs Iſraël; ſed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonij, & cuncta vaſa eius, & quidquid ad cæremonias pertinet. Ipſi portabunt tabernaculum, & omnia vtenſilia eius, & erunt in miniſterio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur*, &c. Licebat tamē illis pugnare, & hoſtes occidere, cum nulla, extet in veteri teſtamento prohibitio: ſicut modò extat iure humano, 23. quæſt. 8. per totum. Quod ius vim habet ex verbis Chriſti, Matt. 26. *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Quibus verbis vtitur Diuus Thom. 2.2. quæſt. 40. art. 2. & autoritate Apoſtoli dicentis, 1. Tim. 3. *Oportet Epiſcopum eſſe, non percuſſorem*, id eſt, non effuſorem ſanguinis: quod autem dicitur de Epiſcopo, ad omnes pertinet in ſacro ordine conſtituros, vt exponit Abulenſ. quæſt. 25. ſuper cap. 1. Num.

Licuit in veteri teſtamento ſacerdotibus in bellum ire. Num. 10.

Sacerdotes in bello clangebant tubis, & milites ad pugnam hortabantur. Deut. 20.

Interdum ſacerdotes arcam portabant in bello. 1. Reg. 4.

Sacerdotes ... etiam ... pugnabant.

Non tamen ... gebantur vlla lege atque pugnandi. Num. 1.

Nulla olim ... propoſita ... ſacerdotibus ... bello pugnantibus, & hoſtes occidentibus, ſicut modò.

1. Tim. 3.

18. *Ad populum quoque ait, ite, & circuite ciuitatem armati, præcedentes arcam Domini.*] Exercitus ordo hîc deſcribitur. Primi omnium armati incedebant, nempe illi, qui ante fratres ſuos armati Iordanem tranſmiſerant, Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe. Hi propriè dicuntur bellatores, & armati, quippe qui nihil præter arma è regione ſua attulerant. Hos ſequebantur ſeptem illi ſacerdotes cornicines. Deinde arca eminebat, quatuor minimùm ſacerdotum humeris impoſita; pone quam cæteri à vigeſimo anno numerati tanquam ad bellum idonei quanquam magna ex parte inermes, pergebant: totum agmen, tribus Dan poſtrema claudebat, cui quartum vexillum poſtremúmque in exercitu loci, ſors obtigit. Iam ſuprà diximus ſolenne fuiſſe in deſerto, vt vexillum Iudæ tres tribus, Ruben totidem agnoſcerent. Rurſúſque vexillum Ephraim tres, & Dan aliæ tres, ſequerentur. Itaque nouiſſimi caſtrorum omnium filij Dan, per turmas ſuas proficiſcebantur. Quare Dan Hebraicè dictus eſt, *Meazzaph*, id eſt, collector. Latinè diceres, *poſtremum agmen*. Noſtri milites vocant, *Retagoarda*; vt eos, qui præcedunt, *Auanguarda*, eiuſmodi fuerunt ij, quibus mandatum eſt, vt præcederent armati. Quare contextus ita diſpungendus eſt, vt illud. *Ite, circuite ciuitatem*, omnem ſpectet exercitum. Hoc verò, *armati præcedentes arcam Domini*, ad duas tribus cum dimidia attinet. Iuxta hunc diſpungendi modum interpretantur hunc locum Caiet. & Montanus, Lyranus, Rab. Salomon, & ferè Hebræi. Sunt qui dicant armatos, & bellatores iuberi arcam præcedere. Quicunque illi tandem ſint; reliquum verò vulgus militum, qui aut laſſati erant, aut inermes arcam ſequi. Ita Abulenſ. quæſt. 8. & Carthuſianus. Suam tamen ſententiam non ſatis confirmant ex eo, quòd infrà dicatur, omnem populum armatum præceſſiſſe arcam. Nam populi armati nomine ſolùm cenſentur duæ tribus, & ſemis: nec abſurdum eſt, cæteros milites vulgus appellari.

Ordo, quo Hebræi ... inſtructi ... debant.

Quartum Hebræorum vexillum.

Caietan. Montan. Lyranus. Rab. Sal. Abulenſ. Carthuſ.

19. Sed quid opus erat armis, vbi certa erat ſpes victoriæ? Voluit Deus hoc modo populi illius tentare fidem, & ad cogitationem legis in arca incluſæ animos conuertere, vt illa exercitatione

Arma milites non pugnaturi geſtabant, ne hoſtes ante miraculum contra inermes inſurgerent.

fidem corroborarent, &, quæ ſibi promiſſa fuerant, diſcerent euentu non caritura. Accedit; profuiſſe in illis luſtrationibus, licèt non pugnarent, arma, ne Hierichuntini audaciam ſumerent contra inermes, pugnandi, vel irruptione facta, vel immiſſis è muro ſagittis, & alus miſſilibus telis.

20. *Cúmque Ioſue verba finiſſet, & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent. Omniſq; præcederet armatus exercitus, reliquúmque vulgus, &c. ac buccinis omnia concrepabant.* Mox, vt Dei mandatum à Ioſue expoſitum & commendatum eſt. Arca primùm ſubuecta humeris ſacerdotum extitit. Ante illam ſeptem ſacerdotes, totidem perflare cœperunt buccinas: Hos Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe, armis ad pugnandum, ſi opus eſſet, præcincti, anteceſſerunt. Reliquorum bellatorum hominum vulgus Arcã ſequebatur. Inter eundum, & ambiendum vnà cum pedum ſtrepito clangor perſonabat tubarũ. Quod dicitur: *buccinis omnia concrepabant*: innuitur in verbo *concrepandi*, modificatio ſonitus, qui inceſſum gradúmque militarem impelleret, & aptè componeret. Luſitanè, *dar ſinal que marchem*. Gallicè, *ſonner à marcher*. Reliquum autem vulgus; non intelligas, imbellem puerorum, fœminarum, aut ſenum multitudinem, ſed bellatores omnes; præter eos, qui armati præcedebant. Nam Hebraicè eſt, *Aſaph*, id eſt, *collector*, ſiue *congregator*. Chaldaicè, *Et tribus domus Dan ibat poſt Arcam*. Græcè ὁ λοιπὸς ὄχλος, id eſt, *reliqua turba*.

[illegible] commendatur militibus vrbem oppugnantibus.

21. *Præceperat autem Ioſue populo, dicens non clamabitis, &c. donec veniat dies in quo dicam vobis, clamate, & vociferamini.* Modum incedendi in luſtrationibus vltimum antecedentibus præſcribit. Interdicit clamorem militarem, & omnem cum Hierichuntinis communicationem, etiamſi ad reſpondendum prouocarentur, vt ſolet fieri ex muris. *Non audietur vox veſtra.* Morem illum videtur execrari, quo in obſidione ſolent hoſtes vtrinque ſe inuicem mutuis proſcindere conuitus. Sic, nuntij Sennacherib Regis Aſſyriorum miſſi cum exercitu in Hieruſalem contra tres præfectos domus Ezechiæ, & Iudæos contumelioſè locuti ſunt, 4. Reg. 18. Inter alia Dynaſtæ, qui Ezechiæ nomine excipiebat legationem, & petebat, vt Syriacè, & non Iudaicè loqueretur propter populum, qui blaſphemiis auditis offendebatur, reſpondit Rabſaces. *Numquid ad Dominum tuum, & ad te miſit me Dominus meus, vt loquerer ſermones hos, & non potius ad viros, qui ſedent ſuper murum, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam vobiſcum*, &c. Simili arrogantia, & exprobratione quidam Numanus, è Turni caſtris, contra obſeſſos Troianos à Poeta latino fingitur vociferatus. Hæc licentia militaris pro loco, & tempore Ducis prouidentia temperanda eſt, vt eam hîc temperat Ioſue, quo ſignificet bellum illud non humanis conſiliis, ſed diuina virtute omninò conficiendum eſſe. Ac proinde nec ab illis quicquam, neq; vocem ipſam pro cuiuſque arbitratu eſſe interponendam, niſi quando, & quemadmodum Authori Deo placuerit, vt exitus, non ipſorum opera, ſed Dei ope perfectus agnoſcatur. Itaque totis illis diebus exerceri milites voluit fide, obedientia, & ſpe diuini beneficij.

[illegible] 4. Reg. 18.

Virg. Aen. 9.

Hebræi milites [illegible] fide obedientia, [illegible]

22. Expende, quàm arctum ſilentium poſtulet à militibus. *Non clamabitis*, inquit, *neque exaudietur vox veſtra, neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, &c.* Nihil in illa expeditione audiri volebat, quo vnus alium admoneret, aut inſtrueret; ſingulos intentos facit ad buccinarum ſonum, ad quem compoſito gradu, ſuum ordinem conformarent. Idque impetrat, quod neque Scipiones, neque Cæſares, aut Alexandri, non dico impetrare, ſed nec pollicitationibus vllis propoſitis petere à ſuis militibus auderent. Nempe, vt neque de conſilio Ducis, ipſis incerto, inter ſe agerent, neque de ſuis commodis, aut incommodis, quidquam, vt fit, effutire audeant, dicteriis inſuper, & facetiis, quibus pleríque capiuntur, interdictis; omniqúe admurmurandi conſuetudine, qua in deſerto Moſi moleſti fuerant ſublata. Mirum eſt, nullum populi fuiſſe, poſt vnam, atque alteram circuitionem, ob dilationem victoriæ, auditum murmur! Tantùm Ioſue, quia I E S V S typus fuit, valuit auctoritas. Præcipue tamen præcipit, ne ſermo, aut verbum index cogitationis, aut rerum, quæ diuino conſilio fiunt, aut gubernandæ ſunt, promatur. *Nullus*, inquit, *ſermo egrediatur ex ore veſtro.* Nomen quippe Hebræum, *Dabar*, non ſolum *ſermonem*, aut *verbum*, quod pronontiatur, ſed rem ipſam, & meditationem animi ſignificat. Imperato igitur ſilentio, omnem voluit Ioſue occaſionem præcidere, fidem, aut ſpem colloquio moroſo minuendi.

Impetrauit Ioſue [illegible] impetrare.

Nullum fuit auditum murmur poſt [illegible] à Ioſue [illegible] Moſi, qui admurmurantium populum [illegible] non potuit.

23. *Circuiuit ergo Arca Domini ciuitatem ſemel per diem, & reuerſam caſtra manſit ibi.* Antiqui ſcriptores tradunt, primam circuitionem primo hebdomadis die factam, itaut ſeptimo die fuerit capta vrbs, & incolæ interfecti abſque vlla ſabbathi violatione. Id, nimirum inſtituente Deo ſabbathi authore, eo fortè modo, quo ſacrificari ſibi in ſabbatho voluit victimas; decreuit hac vrbem illam, quæ prima erat, cum omnibus in ea inuentis, ſibi, etiam in ſabbatho conſecrari. Hæc prima circuitio, nemine obſiſtente, quieta fuit, ac ſi ſola arca ſine militum præſidio iuiſſet, & redierit; cùm tamen præceſſerint armati, & vulgus locum ſuum teneret, ſacerdotibus interim mira ſecuritate, buccinis concrepantibus.

Non eſt violatum ſabbathum [illegible]

24. *Igitur Ioſue de nocte conſurgente tulerunt ſacerdotes Arcam.* Vigilantiſſimi Ducis cura declaratur: qui ſui muneris haud oblitus, ſomnos ſollicitudine abſcindit, ſummo manè, ſacerdoteſque ſuo exemplo compellit, ad imponendam humeris arcam, & milites, vt præeuntem, in ſecunda circuitione ſequantur, eadem continuatione, ſerieq; rerum ſeruata. Æneas, quem præſtantem ducem Poeta latinus finxit, noctem inſomnem nauigando duxit: nec tamen propterea in aurora, id detrimentum naturæ quiete vlla compenſauit: ſic enim ait.

Dux vigilantiſſimus ſomnum abrumpit.

Aeneid. 7.

Iamque rubeſcebat radijs mare, & æthere ab alto,
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Cùm tam genialis eſſet aurora, & laſſatis remigio claſſiarijs, ad quietem opportuna: Dux tamen impiger in rei gerendæ meditationem intentus.

Flectere iter ſocijs, terraq; aduertere proras
Imperat, & lætus fluuio ſuccedit opaco.

Vigilantem ſuum Cyrum Xenophon, vigilantem Fabium Maximum, & inſomnem induxit Liuius. Annibal in duro ſolo inter gregarios milites excubabat; ſitiens à viſo fonte recedebat, ſolitus, vt inquit Silius Italicus.

Xenophon.

Liuius.

Silius Italicus lib. 1.

Primus inire manu, poſtremus ponere pugnam.

Quid cæteros magni nominis Imperatores commemo-

memorem? Nec in ſecunda ſolum circuitione vigilans fuit Ioſue, ſed in omnibus ſequentibus, ſcriptum eſt enim, *Circuierunt ciuitatem ſecundo die ſemel, & reuerſi ſunt in caſtra, ſic fecerunt ſex diebus, &c.*

25. *Die autem ſeptimo diluculo conſurgentes circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat ſepties.*] Hoc loco indicatur commune populi totius, & concors ſtudium, qui, quòd præmonitus eſſet, luſtrationis frequentiis repetendæ; ſeptima die omnes diluculo conſurrexere, & nulla re mutata, ſepties ambierunt vrbem firma fide, atque conſtanti ſpe, mandatum ad finem vſque exequentes.

Silentium iuſſu imperatorio ſublatum eſt die ſeptimo.

26. *Cùmque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes, dixit Ioſue ad omnem Iſrael: vociferamini: tradidit enim vobis Dominus ciuitatem.*] Sub finem ſeptimi circuitus, ſonus prolixior, & conciſior editus fuit. Tunc Ioſue authoritate Imperatoria, & prophetica, vociferari iuſſit, clamore partam victoriam, & obtentam ſignificante. Non, inquit, vociferamini, quia tradit vobis Dominus ciuitatem, ſed, quia iam tradidit; ſupereſt, vt portæ aperiantur. Pro portis, ſubſidens miraculo murus, ampliſſimam patefacti aditus, copiam offert. Inſania eſt corruiſſe muros ratione certæ horæ, aut alicuius conſtellationis ſtellarum; vt portæ, & mendaces aſtronomi ſomniare ſolent. Hæc vrbs, antequam caderet, iam tradita erat Hebræis, à Deo, qui liberè omnia agit, & ruituram prædixerat, diutiſſimè aliâs duraturam. *Vobis*, inquit, *tradidit Deus vrbem.* Neque enim, ſi alij eâdem hora veniſſent, quibus ea promiſſio facta non fuerat, corruiſſent vltro muri: vobis parata fuit hæc felicitas. Exitus ergò gentis huius, & vrbis, non ex maligno planetarum, & aſtrorum aſpectu, vt Mathematici fingere ſolent; ſed ex Dei conſilio, & decreto pendebat.

Antequam caderet Hiericho, iam à Deo tradita erat Hebræis.

Verſ. 1.] Hiericho autem clauſa erat, atque munita timore filiorum Iſrael, & nullus egredi audebat, aut ingredi.

Expugnatio Hiericho duce Ioſue, ſignificat victoriam, quam Eccleſia duce IESV, *nunc reportat, perfectam in fine mundi reportatura.*

ANNOTATIO I.

Patres mũdum intelligunt nomine Hiericho, contra populum Dei charmatũ, & tandem victum.

1. ALLEGORIAM hiſtoriæ huius capitis explicaturi, Patrum ſequemur ſentẽtias, qui ferè mundum nomine Hiericho, intelligunt. Sicut enim Hiericuntini Deo idololatria, & prauis moribus infeſti erant; ac proinde populo Dei hoſtes: ita mundus hic ſuperſtitione varia, & corrupta morum diſciplina, ciues ſuos in Deũ, & Dei cultores obarmat, infelici exitu tandem ruiturus. Quibus id tubis fiet, & quo ordine, ſacra docet ſcriptura. Atq; antequàm Patrum proferam interpretationes, referam, quid ſentiat D. Auguſt. in lib. 2. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, cap. 3. (ſi fortè Aug. author eſt illius libri.) *Prima*, inquit, *ex Chananitidis ciuitatibus occurrit Hiericho, quæ luſtrata circuitu dierum ſeptem, quaſi arca dominica, & exercitus expaueſcens aduentum eius corruit. In quo circuitu nullo armorum ſuffragio vſus eſt victor populus, ſed ad clamorem in gyro ſonantem, murus erat vſque ad fundamenta dirutus. Vbi nihil extra naturam eſſe factum, geſta res oſtendit. Siquidem & hoc terræmotibus eſſe factum, frequenter ſcriptura denuntiat. Quomodo & in famoſo illo terræmotu centum Libyæ vrbes corruerunt, & in terræmotu Dominicæ paſſionis vndecim in Thracia ſubuerſa ſunt. Attamen hæc dicentes, non caſu accidiſſe murorum Hiericho ruinam oſtendimus. Sed nec contra naturam, ſicut aliquid in miraculis factum oſtendimus. Hoc enim, ſicut & cætera, miniſtrari Angelico opere deſignauimus, Dei iuſſu effectum fuiſſe, non dubitamus:* Hæc ille.

Centum ciuitates terræmotu in Libya corruerunt. Terræmotu in Aſia, & Thracia, quo patiente Chriſto.

Ioſephus.

2. Ioſephus miraculum etiam agnoſcens, & Dei virtutem in hac obſidione lib. 5. Antiqu. ita ſcribit. *Prima die feſtiuitatis ferebant arcam ſacerdotes, & circa eam vndique pars erat armatorum cuſtodientium. Aliique ſacerdotes, &c. Circuibant autem iterum vrbem, arca præcedente, & ſacerdotibus ad opus populum commonentibus (illis enim videtur non indictum ſilentium:) Cumque ſepties circuiſſent, & paulatim quieuiſſent, repentè cecidit murus, neque machina, neque alia violentia ab Hebræis illata. Illi verò ingredientes vrbem Hiericho, omnes in ea peremerunt, inopinabilem muri ruinam obtupeſcentes, &c.*

Sacerdotibus eſt indictum ſilentium …

Origen.

3. Sed iam expendamus quid munita ciuitas Hiericho, & contra filios Iſrael obſerata ſignificet; Quid tubæ ſacerdotales? Quid IESVS Naue Hebræi ductor exercitus? Primùm, Origen. homil. 7. in Ioſue, ita philoſophatur. *Hiericho formam ſeculi præſentis obtinet, cuius robur, & munimenta ſacerdotalibus tubis videmus eſſe deſtructa. Firmitas námque, cui velut muro, mundus iſte nitebatur, idolorum cultus erat, diuinationum fallacia arte dæmonum miniſtrata augurum, magorúmque commenta; quibus omnibus, velut muris, ambiebatur hic mundus. Inſuper etiam diuerſis Philoſophorum aſſertionibus, & diſputationibus, veluti proceris quibuſdam turribus firmabatur. Veniens ergo* IESVS CHRISTVS, *cuius ille prior filius Naue deſignabat aduentum, miſit ſacerdotes Apoſtolos ſuos portantes tubas ductiles prædicationis, ſcilicet cœleſtem doctrinam. Sacerdotali tuba primus in Euangelio ſuo Matthæus increpuit. Marcus quoque, Lucas, & Ioannes, ſinguli tubis ſacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epiſtolarum ſuarum perſonat tubis; Iacobus quoque, & Iudas. Addit nihilominus adhuc & Ioannes tuba canere per epiſtolas ſuas, & Apocalypſim; & Lucas Apoſtolorũ geſta deſcribens. Nouiſſimè autem ille veniens, qui dixit; Puto nos Deus nouiſſimos Apoſtolos oſtendit, & in quatuordecim epiſtolarum ſuarum fulminans tubis muros Hiericho, & omnes idololatriæ machinas, & Philoſophorum dogmata vſque ad fundamenta deiecit.* Hæc Origenes.

Mundus, … … … … … antequam Chriſtus …

Quatuor … … … tubæ … … id eſt mundus.

Pauli … tuba … … Hiericho, … 1. Cor. …

Auguſt tom. 3.

Gloſſ. Iſi…

Gloſſa ex D. Iſidoro. *Myſterium tubarum ſacerdotalium, quibus mundus ad iudicium conuocandus eſt, hic expendit. Circundatur Hiericho, inquit, & oppugnari eam neceſſe eſt. Gladius non educitur aduerſus eam, nec tela vibrantur; tubæ tantùm ſacerdotibus adhibentur, & in his muri Hiericho ſubruuntur:* Deinde addit, *Hiericho hunc mundum ſignificat. Vnde homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones.* Forma erat Adæ, qui de paradiſo in hunc mundum truſus eſt. *Cæci quoque, qui erant in Hiericho, quos illuminauit Deus, ſignificabant eos, qui in hoc mundo cæcitate ignorantiæ premebantur* Hæc gloſſa.

Luc. 10.

Cæci ſanati … Hiericho Chriſto.

4. Illud hìc lubet aduertere, cœcos, quos Dominus ſanauit, non intra Hiericho, vnde ingreſ-

ſus, & egreſſus Regis edicto impeditur, ſed, vt inquit Matth. cap. 20. *Sediſſe ſecus viam, & audiuiſſe, quia* I E S V S *illac tranſiret. Et ſtetit* (inquit) I E S V S, *& vocauit eos.* Vide benignitatem Saluatoris. *Cæci erant*, inquit Hieronymus, *quò pergerent, ignorabant, & ſequi non poterant Saluatorem. Multæ foueæ in Hiericho, multæ rupes, & prærupta in profundum vergentia. Idcirco Dominus ſtat, vt venire poſſint, & vocari iubet, ne turbæ prohibeant.* Hæc ille. Non fuit, qui Hierichuntinis perſuadere poſſet, vnam illis viam ſalutis concedi, ſi de pace cum Ioſue paciſcantur. Clauſa eſt Hiericho, nemo egreditur, nemo ingreditur ad eam. Qui in via adhuc ſunt, quamuis cæci, & debiles, de I E S V multa audiunt, & ſi vocati accedunt, ſani recedunt, & incolumes, quos antea ægrè ſequebantur, iam præcedunt.

Matth. 20.

Hiero. tom. 9.

5. Quæris quomodo tubæ ſonitu ruitura ſit Hiericho, id eſt, mundus? Audi gloſſam. *Hiericho ergo, id eſt, mundus caſura eſt. Conſummatio enim ſeculi iam dudum ſanctis voluminibus vulgata eſt. Conſummatio autem fiet tubarum vocibus. Vnde Apoſtolus; Canet enim tuba, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, & ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Tunc ergo* I E S V S *cum tubis vincet Hiericho, & proſternet eam. Itaut ex ea ſola meretrix ſaluetur, & omnis domus eius. Veniet ergo* I E S V S, *& in voce tubarum: ſed iam nunc oremus, vt deſtruat mundum, cum qui in maligno poſitus eſt, & omnia, quæ in mundo poſita ſunt, quia omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Saluet autem hanc ſolam, quæ exploratores eius ſuſcepit: quæ Apoſtolos eius in fide, & obedientia ſuſceptos, in ſuperioribus collocauit, & ſociet hanc meretricem cum domo Iſrael: ſed iam non reputemus veterem culpam: aliquando meretrix fuit, nūc autem vni viro caſta virgo eſt copulata Chriſto. Vnde* 1. Cor. 11. *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, vt enim poſſet euadere, ne cum Hiericho interiret validiſſimum ab exploratoribus ſignum ſalutis accepit ſpartum coccineum. Per Chriſti enim ſanguinem Eccleſia ſaluatur.* Hæc gloſſa. Itaque, quamuis clauſa ſit Hiericho; quāuis à ſuo Rege, qui princeps, & rector eſt tenebrarum gubernetur; quamuis propugnaculis munita ſit, funditus I E S V C H R I S T I auſpiciis euertetur, vt cedat Deo, quod diabolus obtinebat. *Ego*, inquit Chriſtus, *vici mundum.* Ille vnicuique fideli, qui cultor eſt pietatis, ait. *Ecce dedi in manu tua Hiericho, & regem eius, omnéſque fortes viros.* Exhortánſque nos ad victoriam; *Circuite*, inquit, *vrbem cuncti bellatores.* Quamuis enim ipſe vicerit mundum; armatos tamen nos iubet, & ad pugnam paratos incedere, vt hoſtibus terrori ſimus. *Confidite*, inquit, *non in vobis, ſed in me, quia ego vici mundum.* Enarrans D. Auguſt. Ioannis verba citata: *Spiritu*, inquit, *dato factum eſt in eis, quod nunc dictum eſt. Confidunt enim & vicerunt. In quo? niſi in illo. Non enim viciſſet ille mundum, niſi membra eius vinceret mundus.* Vnde ait Apoſtolus, 1. Cor. 15. *Gratias ago Deo, qui dat nobis victoriam.* Continúoque ſubiecit: *Per Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum qui dixerat ſuis: Confidite, ego vici mūdum, &c.* & Apoc. 5. dictum eſt: *Vicit leo de tribu Iuda.* Nos ergo tam glorioſi ducis ductu, contra Hiericho pugnemus, victoriam haud dubiè reportaturi. Hæc eſt enim victoria quæ vincit mundum. Doluerunt Ephramitæ, quòd Gedeonem non ſunt ſecuti in bello contra Madianitas: Id nobis nè accidat, Chriſtum ſequamur. Licèt autem trecentis, id eſt, paucis, contentus ſit militibus curandum eſt, vt in illis cenſeamur. Erimus enim in hoc bello victores, quamuis hoſtes innumeri ſint.

Conſummatio vniuerſi mundi peracta ſono tubarum fiet.

1. Cor. 15.

Saluatur meretrix quæ exploratores excepit.

1. Ioan. 5.

Ibid. ca. 2.

1. Cor. 11.

Per Chriſti ſanguinem Eccleſia ſaluatur.

Quomodo Chriſtus mundum vicit, & tamen nos armari iubet.

Verſ. 3.] Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem, & ſic facietis ſex diebus: ſeptimo autem die ſacerdotes tollāt ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo, & præcedant arcam fœderis. Septiéſque circuibitis ciuitatem. Cumq; inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior, &c.

Cur Hiericho funditus Dei iuſſu euertenda, toties ante euerſionem, iubetur circundari?

ANNOTATIO II.

1. HVIVS rei cauſa eſt, vt Iudæorum, illa dilatione, promiſſæ ad finem tot circuitionum victoriæ, fides, & ſpes probaretur, & obedientiæ, qua præſtitum eſt, quod mandatum fuerat, nobis exemplo eſſet.

2. Rupert. lib. 1. in Ioſue cap. 19. myſticè hæc interpretatur. Hiericho namque ſignificare hic ait, ciuitatem diaboli, quæ Hieruſalem, id eſt, ciuitati Dei ſemper fuit inimica, & Babylon appellari in ſcriptura conſueuit, vt in Pſal. 86. *Memor ero Rahab, & Babylonis.* Rahab videlicet in bono, Babylonis autem in malo, ipſius memor ero. Rahab, inquam, vt ſola viuat cum vniuerſis, qui cum ea per fidem in domo ſunt: Babylonis autem in malo ipſius, ſcilicet vt muri eius funditus corruant, ſitq; ipſa anathema, & omnia, quæ in ea ſunt.

Rupertus.

Hiericho ſignificat ciuitatem diaboli.

Pſalm. 86.

3. Moram illam ſex dierum datam ait, quia ſex diebus mundus, &, omnes creaturæ productæ ſunt, quibus vitæ huius laborioſæ tempus ſignificatur, nobis ad vitam beatam promerendā conceſſum. Iudicanda eſt ergo ciuitas hæc, quia Deū non cognouit, nec ei obediuit, Rom. 1. *Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, itaut ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt,* &c. Igitur ſex diebus ſemel per ſingulos dies, ciuitas inimica circumeunda eſt, quia pro intellecta creatura mundi, impietas hominum, qui non probauerunt habere Deum in notitia, iudicanda eſt: Septimo autem die, id eſt, multo maximè pro aduentu filij Dei iudicandi ſunt, qui non receperunt eum. *Nunquid enim non audierunt?* Rom. 10. *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Pſal. 18. Audierunt, cœlis enarrantibus, viderūt in ſole poſitum tabernaculum eius, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius. Pſal. 18. Quid quod non magis eos latuit filij Dei aduētus, quàm ſol iſte, qui ab omnibus videtur. Ob hanc cauſam iudicandi ſunt, nec excuſandi. Rectè igitur factum eſt, vt ſex diebus, ſemel in ſingulis ambiretur ciuitas, & in ſeptimo die ſepties. *Septimus namque dies*, inquit Rupertus,

Iudicanda eſt ciuitas mundi, quia Deo non obediuit.

Rom. 1.

Rom. 10.

Pſalm. 18.

Pſalm. 18.

Damnabitur diabolus in iudicio extremo, & mūdus, &c.

in quo requieuit Deus ab omni opere quod patrarat, ipſe eſt filius Dei, cuius illis aduentus ad iudicium eſt. Itaque & Rex ciuitatis diabolus, videntibus cunctis præcipitabitur, & muri eius corruent funditus; flentibus, ſicut plenius in Apocalip. cap. 18. habemus. Et plangentibus omnibus, qui cum illa fornicati ſunt, ac dicentibus, væ væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. Itémque ſecundò, væ væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſino, & purpura, & cocco & deaurata eſt auro, & lapide pretioſo, & margaritis, quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Rurſus tertiò, væ væ ciuitas magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habent naues in mari de pretijs eius, quoniam vna hora deſolata eſt. Hæc Rupertus, referens hiſtoriã euerſionis Hiericho ad euerſionem ciuitatis mundanæ, vbi iudicandi ſunt, qui tubas ſacerdotales, hoc eſt Apoſtolicos viros audientes, & Chriſtum aduenisse agnoſcentes, intra muros anathematizatos ſuperbiæ, fornicationi, alijſque vitijs obſtricti, exire ad Ioſue, vt veniam cum meretrice mererentur, noluerunt.

Apoc. 18.

Qui tubas ſacerdotales vitijs obſtricti audire noluerunt: iudicabuntur cum inteſta fuerit ciuitas diaboli.

D. Chryſoſt.

4. Diuus Chryſ. homil. 5. de pœnit. tom. 5. bonitatem Dei commendat, quòd hac circuitionum mora tempus indulſerit Hierichuntinis ad pœnitẽtiam. Eſt enim Deus velox in ædificationem: tardus verò in deſtructionem. Cum ſtruit, velociter ſtruit, cum deſtruit, tardè deſtruit. E conuerſo autem fit in nobis. Cæterùm Deus potentiæ excellentia velox, multa de bonitate tardus. Sex diebus cœlum, terrámque fecit, magnitudines, lateráque montium, campeſtria, montes, flumina, paradiſum, omnem cultum, & virtutem, mare hoc magnum, inſulas, viſibilem hunc mundum, & qui in eo eſt, ornatum ſex in diebus conſummauit. Hic igitur tam velox in conſtruendo, cum ceperit vnius demoliendæ vrbis conſilium, inuentus eſt bonitate tardus. *Vult* (inquit Chryſoſt) *Hiericho demoliri, & dicit ad Iſrael, circuite eam ſeptem diebus, & octaua die cadet murus. Mundum vniuerſum ſex in diebus conſtruis, & vnam vrbem ſeptem in diebus ſoluis? Quare non repentè deſtruis? Numquid de te propheta non clamat, dicens, ſi aperueris cœlum, tremor montes occupabit, liqueſcent ſicut cera à facie ignis. Numquid non opera virtutis tuæ narrans dixit. Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris? montes transferre, & mare potes, atque vrbem vnam non vis deſtruere repugnantem, ſed dies ſeptem tribuis excidio. Quare tuũ potẽtia imbecillior? ſed clemẽtia diuturnius toleras. Septẽ huic addo dies; velut triduũ Niniuæ.* Sequitur 70. qui legunt, *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur; ſi forte pœnitentiæ ſuſciperet prædicationem, & ſaluaretur. Et quis eis pœnitentiæ prædicator? Hoſtes vrbem circunſepſerunt, ducesque circundederunt muros, multus vndique timor, tumultus multus. Quam tu igitur pœnitentiæ viam aperueras, neque enim prophetam miſiſti, neque Euangeliſtam deſignaſti. Num inter eis quiſquam fuerat, qui ſanam ſuggereret? Ita,* inquit, *habebant intus pœnitentiæ Doctorem admirabilem illam Rahab, quam per pœnitentiam ſaluaui. Eiuſdem erat maſſæ; ſed eadem quoniam non erat ex ſententia, pœnam non communicaui.* Hæc Chryſ.

Mora hebdomadæ pœnitentiæ data eſt ad pœnitentiam.

Sex diebus Deus mundum condidit. Hiericho verò conditam, vt demoliretur, ſeptem dies aſſumit.

Octaua die cadit murus. Chryſoſt. Pſalm. 67. & Mich 1. Pſalm. 45.

Bonitas, tardat Deum ne ſubitò deſtruat, & puniat, vt hac mora valeant, qui velint pœnitere.

Rahab relicta intra Hiericho ad prædicandam pœnitẽtiã Chry.

Deus vtiliter expectat antequam puniat.

5. Idem paulò antè longanimem cõmendauerat Dei patientiam in differendo ſupplicio pro peccatis debito, vt interim per pœnitentiam, qui peccarunt, veniam mereantur. Imò etiam ſi actus quis in culpam ad vltimum malorum deueniat, differt tamen Deus vtiliter expectans pœnitentis ſalutem. Exemplis ex ipſo Chryſ. Sumptis rem illuſtrabo. Thare, Gen. 11. dicitur Pater Abraham, idolorum & cultor, & factor: ſed non ſtatim impietatis pœnam Thare irrogauit; & merito, ſi enim præueniens Deus, radicem amputaſſet, vnde tãtus fidei fructus germinaſſet? Quid Eſau nequius? conſideratur ob alterius occaſionem, clementiæ: Malitia ille nonne fornicator, nonne profanus erat? nonne odibilis Deo, iuxta illud Rom. 9. cap. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui?* Quare ergo protinus non meritam ſuſcipit animaduerſionem? Si exciſus fuiſſet, maximum fortaſſis iuſtitiæ fructum mundus amiſiſſet. Qualem audi Gen. 36. & 1. Paralip. 1. *Eſau genuit Raguelem, Raguel Zaram, Zaram Iob.* Cernis quantus elanguiſſet patientiæ flos, ſi præueniens Deus à radice pœnas exigiſſet?

Gen. 11. Thare idolorum cultor, & factor.

Rom. 9.

Gen. 36. 1. Paral. 1. Iob ex Eſau progenitus.

6. Ægyptij vltra fidem blaſphemi fuerunt; patienter expectat, quouſque ibi monaſteria, & Eccleſiæ, atque in illis florerent, qui Angelicam imitarentur vitam. Romanæ leges, ſi quando contigerit prægnantem ob peccatum ad mortem damnari; ſuſpendunt executionem, donec pepererit. Iniuſtam rem iudicantes cum peccatrice, ſimul innoxium fœtum tolli. Nonne Deus decentius radicem cuſtodit, in fructibus pœnitentiæ beneficium reſeruans?

Ægypti [illegible] tam [illegible] Si prægnans [illegible] datur, [illegible] fructu in ea.

7. Quid ſi velox ad pœnam fuiſſet Deus? Paulum Eccleſia non poſſediſſet, ſi primò talem tanquam noxium necaſſet. Propterea diſtulit blaſphemantem, vt pœnitẽtem. Lupum in paſtorem tranſtulit Dei longanimitas. Publicanum fecit Euangeliſtam. Si videris olim ebrium, nunc ieiunare: ſi olim blaſphemum, nunc Theologum: ſi eum, qui quandóque turpibus cantilenis os inquinauerit ſuum, diuinis nunc hymnis animam purgare: mirare Dei longanimitatem, pœnitentiámque collauda; ac demutationem, & conuerſionem illius ſuſcipiens, dic: *Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi.* Ad pœnitentiam nos hortatur Greg. Nyſs. Philoſophiæ lib 1. de homine cap. 3. quia hoc beneficium, quòd per pœnitentiam poſſit reparare gratiam, Soli homini conceſſum eſt. *Neque,* inquit, *dæmones, aut [illegible] pœnitentiam agendo, venia digni effici poſſunt.* Et recuera in hoc maximè iuſtus Deus oſtenditur. Nam Angelis nullam habentibus impulſionem ad peccatum pertrahentem, nulla datur venia pœnitentiam agentibus; At homo paſſiones habet, quæ ſæpe mentem peruertunt; quare illi proprium eſt ab his cauſis, ex quibus antè peccauerat, per pœnitentiam exui. Cæterùm non intelligas, veram in Angelis damnatis reperiri vnquam pœnitentiam. Hæc enim nonniſi ex motione ſpiritus ſancti conceditur. Quare interpretandus eſt Greg. Nyſs. de quadam quaſi pœnæ tenentia, quæ ſine diuino concurſu, eſt prorſus inutilis.

Paulus [illegible] Deus [illegible] ad [illegible]

Mutatio pœnitentium, [illegible] mutatio. Pſal. 76.

Greg. N[illegible]

Soli homini [illegible] pœnitentiam [illegible] gratiam Angelis [illegible]

8. An non Deus ſimulátque in nobis pœnitentia elucet, benignus adeſt? Non ſatis illi eſt expectare, ſi fortè conuertatur peccator, ſed inter expectandum, ad primum pœnitentiæ gemitum accurrit miſericors. Chryſ. *Non expectat,* inquit, *Deus tẽpus in pœnitentia. Dixiſti peccatũ tuum, & iuſtificatus es; pœnituiſti, & miſericordiã es cõſecutus. Non tẽpus æſtimatur, ſed pœnitentiæ modus peccatum extinguit. Fuit, qui multo exacto tempore, ſalutem non impetrauerit, atque repentino momento, ſi verè fuerit confeſſus, à peccato ſoluetur. Nam Samuel pro Saule multo tempore deprecans, & inſomnes ducens noctes, non fuit exauditus. Non enim cum propheta oratione peccatoris conuenit pœnitentia. Vnde illi Deus,* 1. Reg. 16. ait

Ad primum pœnitentis [illegible] Deus [illegible]

1. Reg. 16.

Vſquequo

Samuel pro Saule deprecans non fuit exauditus, quia Saulem non pœnitebat culpæ.

Vſquequo tu ploras? vſquequo oſtendis tempus, & perſeuerantium deprecantis. Et repulit Deus tempus deprecationis prophetæ. Non enim cum iuſti interuentu, Regis pœnitentia ſtetit. Sancto Dauid, inquit Chryſoſtomus, *per Nathan correpto, dicentiq́; peccaui Dómine,* 2. Reg. 12. *verbum vnum, vno in momento prolatum, verè, puréque vniuerſam contulit pœnitenti ſalutem.*

2. Reg. 12.

Dauidi peccanti Deus non ſtatim ſupplicium intulit: diſtulit pœnam in tempus, quo eſſet medicina.

9. Quæres, cur Deus non ſtatim poſt peccatum corripuerit Dauid? Enimverò peccauit Dauid, concepitque, vteróque geſtauit mulier, & peccatum nulla correctio ſecuta eſt. Sed poſt infantis partum de peccato nati, mittitur peccati medicus. Quare autem protinus peccantem non correxerit? quoniam vidit in ipſo peccati vigore obcœcatam peccantium animam, & obturatæ ſunt eorum aures in peccati profundo merſorum. Differt ergo furibundæ paſſioni auxilium addens; tantúmque temporis correptio procedit, & vno in temporis momento pœnitentia, & remiſſio. *Dominus,* inquit Nathan, *tranſtulit peccatum tuum.* O mirandam diſpenſationem? Cernis, quod ad ſalutem velox. Idem & in aliis facit; tardans ad demolitionem, ad reparationem properans. Hæc ferè ex Chryſoſtomo. Dum ergo legis Hiericho toties circundari ab exercitu Hebræorum ante demolitionem; agnoſce Dei clementis benignitatem. Vult enim iuſtificari in ſermonibus ſuis. Non ſubitò opprimit ciuitatem; tempus concedit, in quo poſſint obſeſſi de ſalute cogitare.

Deus ad ſalutem velox, tardus in inferenda pœna.

Verſ. 16.] Cúmque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes: dixit Ioſue ad omnem Iſrael: vociferamini; tradidit enim vobis Dominus ciuitatem.

Verſ. 20. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, &c.

Vociferatione populi, & tubarum ſono cadentes muri, indicant quantum valeant ad mundi & peccati destructionem concordiæ affectus, & ſacerdotum prædicatio?

ANNOTATIO III.

1. SEPTIMO ordine non ſolùm ſacerdotes tubis cecinerunt, vt caderent muri Hiericho, ſed & audita longiori, & magis conciſa tubæ voce, dicitur vniuerſus populus magno vlulatu proclamaſſe. Vel ſicut in Vatablo, & in quibuſdam aliis exemplaribus habetur, iubilaſſe iubilo magno. Eſt autem iubilum id, quod ex gaudio fit voce, tamen verbis explicatur. ἀγαλλίαμα, Græci vocant. Silius lib. 13.

Vatablus.

Iubilus eſt id, quod ex gaudio fit voce.

Silius Ital. 13.

Et lætus ſcopulis audiuit iubila Cyclops.

D. Auguſtinus citatus in Onomaſtico Conradi, ait, *Iubilare propriè eſt, gaudium verbis non poſſe explicare, & tamen voce teſtari, quod corde conceptum eſt.* Vel, vt Feſtus tradit: Eſt incondita voce, & clamore gaudium teſtari, Græci ἀγαλλιᾶσθαι dicunt, vel ἀλαλάζω, quod eſt, iubilo, & victorioſè clamo. Eraſmus ſcribit propriè eſſe perpetuo ſonitu ſtrepere, ſono ſonum excipiente. Bene igitur iubilus, ſiue clamor de victoria à noſtro Interprete, vociferatio dicitur. Origenes aliter ſentit homil. 7. approbans tamen verſionem, quæ habet populum iubilaſſe. *Quamuis,* inquit, *iſte ſermo impropriè tranſlatus eſſe videatur; neque enim iubilum, neque vlulatum propriè ſignificat, ſed illam magis oſtendit vocem, qua belli tempore exercitus clamorem conſonum tollens vnanimiter ſe cohortari ad prælium ſolet: tamen hic ſermo in ſcripturis iubilatio magis, quàm vlulatio conſueuit inſcribi, vt cùm dicitur: Iubilate Deo omnis terra. Et iterũ. Beatus populus, qui ſcit iubilationẽ. Quare vociferatio populi concors, & vnanimis, iubilatio quædam fuit, & victoriæ acclamatio, per modũ hymni aut gratiarum actionis. Vt meritò dici beatus hic populus valeat, quippe qui ſciat iubilare.* Expendens verba Dauidici verſiculi Origenes, quærit quid iſtud tantum ſit operis, quod beatum populum faciat? Deinde ita philoſophatur. *Non dixit, beatus populus, qui operatur iuſtitiam; vel beatus populus, qui ſcit myſteria; vel qui ſcit cœli, ac terræ, ac ſyderum rationem: ſed beatus, inquit, populus, qui ſcit iubilationem. In aliis timor Dei beatum facit, ſed vnum tantummodo hominem facit beatum; Sic enim dicit, Beatus vir, qui timet Dominum. Alibi etiam plures fiunt beati, ſicut pauperes ſpiritu, vel manſueti, vel pacifici, vel mundo corde. Hîc autem beatitudo profuſa eſt, & tanta hîc neſcio quæ cauſa beatitudinis indicatur, vt vniuerſum pariter populum faciat beatum, qui tamen ſcierit iubilationem. Vnde mihi iubilatio videtur indicare quendam concordiæ, & vnanimitatis affectum, qui ſi incidat in duos, vel tres Chriſti diſcipulos, omnia quæcumque petierint in nomine Saluatoris, præſtat eis pater cœleſtis. Si verò tanta fuerit beatitudo, vt vniuerſus populus concors & vnanimis maneat, vt eadem dicant omnes, in eodem ſenſu, atque in eadem ſententia permanentes: iſto tali populo vocem vnanimiter eleuante, fiet illud, quod ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum, quia terræmotus factus eſt magnus, vbi tunc vnanimes orabant Apoſtoli cum mulieribus, & Maria matre* IESV, *& terræmotu facto deſtruentur, & cadent omnia, quæ terrena ſunt, ac mundus ipſe ſubuertetur.* Hæc Origenes. Adde Spiritum ſanctum deſcenſurum.

Iubilus eſt clamor, qui fit ſono ſonum excipiente.

Origenes.

Vociferatio populi concors, iubilatio eſt in bello, maximè poſt victoriam, ſi gratiarum actio accedat.

Math. 5.

Nihil alia impetrat populus, qui ſcit iubilationem.

Concordiæ vnanimis effectum indicatum voca bulo iubilationis.

Act. 2.

2. Ad clamorem iubilationis contra ciuitatem mundi, & peccati muros, ſuos milites hortatur Chriſtus, dicens: *Confidite, ego vici mundum.* Habes in te Ieſum ducẽ per fidem, fac tibi tubas ductiles ex ſcripturis ſanctis; inde prome ſenſus, inde ſermones; propterea enim tubæ ductiles appellantur. In ipſis cane, id eſt, in pſalmis, & hymnis, in Apoſtolicis dogmatibus. Si in talibus cecineris tubis, & ſepties arcam teſtamenti circumtuleris, id eſt, ſi legis myſtica præcepta, ab Euangelicis non ſepares tubis; ſi etiam iubilationis conſenſũ de temetipſo exigas, id eſt, cogitationum, & ſenſuum tuorum, populus, qui intra te eſt, concordẽ ſemper, & conſonam proferat vocem, & non aliquando verum dicas; aliquando perſonæ potentis adulatus mendacio maculeris ſi nõ te aliquãdo blandum remiſſio faciat, aliquãdo iracundia truculentum; ſi non arrogans erga modicos, & apud ſuperbos humilis inueniaris: deniq; ſi nõ pugna intra te geritur carnis aduerſus ſpiritum. Si hæc intra te iam conſonant, & concordant, vocem iubilationis emitte, quoniam tibi deſtructus, & deiectus eſt mundus. Talis, opinor, erat

Ioan. 16.

Qui nulla turbatur appetitione iniqua, aut motu animi praua ſcit iubilationẽ deſtructo mundo.

ille, qui confidenter dicebat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hæc ille. Optat Diuus Auguſtinus, victis Hierichuntinis, id eſt, blandis virtutum hoſtibus cœlo frui. *Felix,* inquit, *æternitas, & Deitatis beata viſio. Quando introibo in te, vt videam Dominum meum, qui habitat in te.* Hortatur nos quoque Propheta Pſalm. 45. ad canendum Chriſti de hoſtibus Eccleſiæ partam victoriam. *Omnes,* inquit, *gentes plaudite manibus,* id eſt, geſtu lætitiam oſtendite. Iubilate, hoc eſt, inſtrumentis muſicis animi gaudium exprimite: *Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ,* hoc eſt, vt Rabbi Eliezer exponit, Aſcendit Deus in montem Sinai cum B bombo tubæ. Sed rectius ad Chriſtum victorem, in cœlum cum Angelorum canentium iubilo, aſcendentem hæc referunt Patres. Quid enim parta victoria supereſt, niſi vt laudes victoris ab ijs, pro quibus ille decertauit, cum lætitia decantentur?

3. Ad Angelos etiam ſanctos pertinet iubilatio hæc. In aduentu námq; CHRISTI IESV muri Hiericho ſubuerſi ſunt. Quomodo autem vincitur mundus? Paulum magiſtrum adhibeamus. *Chirographum,* inquit, *quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, & exuens principatus, & poteſtates traduxit, liberè triumphans eos in* C *ligno crucis. Ex his verbis intellige,* inquit Origenes, *quòd videntes* IESVM *cœleſtes virtutes, principatus, & poteſtates contrarias, exutas poteſtatibus ſuis, alligatum fortem, & vaſa eius diripi, increpuerunt tubis ſuis cœleſtibus,* quia alligato principe huiuſmodi, victus eſt mundus, & vocem exultationis, & iubilationis in triumpho Chriſti, cœleſtis exercitus dedit. Verè ergo beatus eſt populus gentium, qui nouit talem hâc iubilationem cœleſtis exercitus, qui myſteria agnoſcit, & credit. Gentibus ad fidem conuerſis à Ioſue noſtro, poſt obſeruatam, quæ ab illo fuit promulgata, doctrinam, ſeptem ſacramentis, quaſi ſeptem luſtrationibus, contra ſeptem capitalia vitia, quibus mundus D inflatur, & clauditur, contentam: *vociferamini,* id eſt, vocem iubilationis indicem edite; *Tradidit enim vobis Dominus ciuitatem.* Hoc eſt, me duce, ſecuri eſtote de victoria; vobis victus eſt mundus cum omni, quæ in eo includitur, peccati malitia.

Alligato diabolo cum ſuis ſatellitibus, Angeli exultarunt.

IESVS *ſeptē ſacramentorum luſtrationibus, contra 7. peccata capitalia factis triūphat de mundo.*

Verſ. 10.] Præceperat autem Ioſue populo, dicens: Non clamabitis, neque exaudietur vox veſtra, neque vllus ſermo ex ore veſtro egredietur: donec veniat dies, in quo dicam vobis, Clamate, & vociferamini.

Quare populo ſilentium indicitur, non verò ſacerdotibus?

ANNOTATIO IIII.

1. IN expugnatione Hiericho, conſultò præcipitur populo, vt ne muſitent quidem. Enimverò quidquid hîc geritur, diuinum eſt, fidem A poſtulat, non induſtriam. In cæremoniis autem, & myſterijs diuinis populus auſcultare debet, &, quæ iubentur præſtare; loqui autem niſi quando iubetur à propheta, qualis erat Ioſue, aut à ſacerdote, non debet, plurima námque, niſi lingua caſtigetur ſilentio, ſolet vulgus effutire, præſertim in bello, & in cœtu, in quo exitus rerum, illi non manifeſtantur. Alij namque communes, & publicas querelas incitant, & fouent: alij vanos ſpargunt rumores; alij conuitia in alios, & non rarò in ipſos duces. Quid Hebræi facerent dilata victoria circuitionibus? An non ſæpè in ſolitudine admurmurare ſoliti ſunt? Ex hoc genere illa ſunt, Exod. 14. *Leuantes filij Iſrael oculos viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valdè, clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moſen. Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto? nónne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, recede à nobis, vt ſeruiamus Ægyptijs? multo melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine, &c.* Et verò vbi ad rubrum mare peruentum eſt, ecce Ægyptiorum circumfuſa multitudo in arctum Hebræos compellebat. Aderant enim ſeptingenti currus cum equitum quinquaginta millibus. Aderant & peditum ducenta millia, vt author eſt Ioſephus lib. 2. Antiquit. In hac locorum iniquitate concluſi Hebræi, cùm nec obſidionem præ inopia diu tolerare, nec exitum, & fugam inuenire poſſent, nec armis admodum inſtructi eſſent, etiamſi maximè pugnare cuperent; nihil ſupereſſe videbant niſi vt turpi deditione ſaluti conſulerent. Quo factum eſt, vt Moſen grauiſſimis verbis accuſarent, obliti prodigiorum, quibus libertatem eis Deus promiſerat, minimúmq; aberat, quin propheta lapidato, ſpretiſque per incredulitatem diuinis promiſſis, oblata Ægyptiis deditione, in priſtinam redirent ſeruitutem: Nam & lamentis mulierum, & puerorum exaſperabantur. Ignari videlicet diuini conſilij erant, & quia pro ſua libidine fieri repente miracula, non videbant, admurmurabant, Moſi, & Deo moleſti, &c.

In myſteriis peragendis exigitur populi ſilentium.

Exod. 14.

Admurmuratio Iſraelitarum in deſerto contra Moſen.

Contra Hebræos Ægyptiorum exercitus quantus. Ioſephus

Hebræi parum abfuit quin propè mare rubrū Moſi lapidato ad Ægyptios redirent ſeruitutem.

Iterum, Exod. 16. ſcriptum eſt. *Dixerúntque filij Iſrael ad eos, vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate, cur induxiſtis nos in locum iſtum, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Hanc murmurationem nonniſi cibo dato, ſedauit Deus. Dixitque Dominus ad Moſen: *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo.*

Exod. 16.

2. In Raphidin aquæ penuria nonnihil preſſi, contra ducem ſuum Moſen inſurgentes, aiunt, Exod. 17. *Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus reſpondit Moſes: Quid iurgatis contra me? Cur tentatis Dominum?* &c. *Sitiuit ibi populus, & murmurauit contra Moſen, dicens: Cur feciſti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos noſtros, ac iumenta ſiti?* &c. E Duo peccata commiſit in Raphidin, hoc eſt, in vndecima manſione, quæ iuxta montem Dei Oreb ad occaſum adiacebat; Alterum iurgij aduerſus Moſen; alterū tentationis aduerſus Deum. Dixerunt enim, vt inferius exprimitur: *Eſt Deus in nobis, an non?* Verè námque tentabant (vt annotauit Caietanus) vertendo in dubium propter penuriam aquæ, vtrum Deus eſſet gubernator eorum exigebántque notitiam huius dubij, tanquam debitam experimento aquæ concedendæ. Par enim erat, vt viſis tot miraculis, ad preces humiles conuerſi, ad Deum recurrerent, qui aquę illis beneficium poterat largiri. Talis fuit hîc populi murmuratio, vt timuerit Moſes, niſi Deus

Exod. 17.

Duo peccata populi: vnum iurgij contra Moſen, alterum tentationis contra Deum iuxta montem Oreb. Caietanus.

aquam

Deus pollicitus eſt aquam ſitienti populo, ne Moſes lapidibus obrueretur. Exod. 17.

aquam miraculo dediſſet, mortem ſibi à iurgante multitudine inferendam. Quare Deus, ne ille iactus lapidum pateretur, defenſionem illi, & miraculum pollicitus eſt. *En ego ſtabo*, inquit, *coram te ibi; ſupra petram Oreb, percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Quibus verbis propriam promittit præſentiam ſecundùm operationem fœcundam, ad producendam ex petra aquam. Itaque quaſi paratum ſe exhibuit Deus ad effundendam aquam, vt inquit Caiet. ad ſimilitudinem viri ſtantis; ſimulatque virga percuſſus fuiſſet lapis. Iterum admurmurarunt poſt multos annos in Cades. Num. 20. Verſi in ſeditionem dixerunt. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem.* &c. Occurrit Deus precibus Moſis, & Aaronis. *Loquimini*, inquit, *ad petram coram eis, & illa dabit aquas, & percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ*, &c. Nocuit murmuratio populi hîc Moſi, & Aaroni; pulſati namque ſunt aliqua diffidentia. Idcirco interdicitur illis ingreſſus in terram promiſſam, *quia non credidiſtis mihi*, &c. præbet occaſionem peccati prælatis ſubditorum murmur. Cernis populi ingenium? audis querelas, & ſermones multiplices, & Deo ipſi ſæpè contumelioſos? Huiuſmodi pro temporum, & loci occaſione querelas, obloquutiones, & ſuſurros potuiſſe in exercitu Hebræorum, tot luſtrationibus fatigato, interdum ſentiri, quis inficiabitur. Alijs rogantibus; quid hoc genus pompæ ſibi vult, vt alij armati; alij inermes incedant? Quorſum Iubileorum buccinæ, argenteis ſilentibus, quæ magis aptæ ſunt ad bellum, iubentur perſonare? Quid ambitus? Quid mora? Quid imperatum ſilentium? Num expectamus, vt vicinæ gentes coëant in fœdera contra nos, & non valentes reſiſtere, iugulemur? Poterant hæ cogitationes animum pulſare. Cæterùm aliquid huiuſmodi proloqui, aut muſſitare, populo interdicitur. Audire illi fas eſt ſacerdotes, & quid expediat addiſcere, & opere complere: mutire interdicitur; & quod mirū eſt obtemperatur Ioſue, quod negatum eſt Moſi; nunquam enim potuit ſilentium à Iudæis impetrare. Quid illud? notant Rupertus, & Caiet. habuiſſe Iudæos in Ægypto vaticinium, quo ſperabant ſibi naſciturum redemptorem, ſcilicet, Moſen, qui eos à ſeruitute liberaret. In hoc vaticinio, quod ſilētio colendum erat, gloriari cœperunt coram Ægyptijs. Quid Pharao? Ob id grauius eos afflixit. *Venite* (inquit Exod. 1.) *ſapienter opprimamus eos.*

Num. 20. murmurante populo, non deſiniit fontes de petra educi erumpente miraculo aquæ.

Pulſatus eſt Moſes in Cades aliqua diffidentia.

Præbet occaſionem peccati prælatis, ſubditorum murmur.

Nunquam potuit Moſes ſilentium à Iudæis murmurantibus impetrare. Mutire à Ioſue interdictum, & obtemperatur. Rupertus. Caietan. Nocuit Iudæis protuliſſe vaticinium, quo ſperabant ſe liberandos à Moſe.

3. Quid ſacerdotibus? His præcipitur, vt tubis perſonent, hoc eſt, vt populum doceant quomodo incedere debeat in obſeruatione mandatorum Dei. Vnde Gloſſa ex Iſid. ſumpta, ſic ait, Hiericho Luna interpretatur; Luna verò mundum ſignificat: quia ſicut Luna menſtruis completionibus deficit, ita hic mundus, ad conſummationem temporum currens, quotidianis defectibus cadit. In arca verò Eccleſia figuratur: fortes prædicatores, in tubis æneis. Hanc enim, vrbem Hiericho ſeptem diebus ferentes Arcam Iſraelitæ, in æneis tubis clangentibus circumeunt, & muri eius per Arcæ præſentiam, & tubarum ſonitum cadunt; quia in hoc tempore, quod ſeptem dierum viciſſitudine voluitur, dum arca fertur; id eſt, dum orbem terrarum circumiens Eccleſia mouetur, ad prædicatorum voces, quaſi ad tubarum ſonum muri Hiericho, id eſt, elatio mundi, & ſuperbæ infidelitatis obſtacula corruunt, &c. Tubas æneas vocat Gloſſa, cùm arie-

Gloſſa.

Hiericho, lunam ſignificat.

Arca ſignificat Eccleſiam: tubæ prædicatores.

tinæ eſſent; per ſynecdochen puto, quia aliqua pars talis erat.

4. Similem tropologiam habes apud Auguſt. ſerm. 16. de tempore, tom. 10. *Hiericho*, inquit, *typum habuit mundi huius: ſicut enim tunc canentibus tubis, muri ceciderunt, ita & nunc oportet, vt ciuitas mundi, id eſt, ſuperbia cum ſuis turribus, auaritia, ſcilicet, inuidia, atque luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus concupiſcentijs malis aſſidua ſacerdotum prædicatione deſtruatur, atque diſpereat*, &c. Deinde tantùm abeſt, vt ſilentium indictum ſacerdotibus putet eſſe, vt potius vitium illis imputandum eſſe arbitretur, niſi populum ad honeſtas actiones adhortentur. Non ergò oportet, vt ſacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem, Iſaiæ 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Clamare ergò iubemur, & vehementer clamare. *Ne pereas*, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, *ne tacendo pereas*; Et, dum verecundiæ eius conſulis, non conſulas ſanitati, ne vulnera illius, quæ clamando reſecare poteras, reticendo enutrias. Et ne vox quemquam lateat ſacerdotis; addit Deus *ſicut tuba exalta vocem tuam.* Quod dictum ita explicat Auguſt. *Scitis, quòd tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris; non tàm delectationem præferre, quàm inferre formidinem.* Tuba itaque peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret, ſed & cor concutiat; nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu; & ſtrenuos quoſque hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nam ſicut in prælio, tuba formidoloſi militis animum deijcit, & mentem fortis accendit; ita & ſacerdotalis tuba, mentem peccatoris humiliat, animos viri ſancti corroborat. Nec parcit voci, vt parcat ſaluti, & vno eodémque ſono iſti adhortationem dat, quemadmodum ſit fortior ad vincendum: illi terrorem incutit quemadmodum ſit tardior ad peccandum, &c. Qui tantùm delectat, inſtar eſt medici, qui putat ſe munus ſuum præſtare, ſi cithara, & cantu oblectauit ægrotum, nullo alio adhibito vulneri medicamento.

Auguſt.

Superbia, ciuitas eſt mundi; cuius muri & turres, id eſt cætera peccata ſono Euangelij cadunt.

Sacerdotes iubentur non tacere, ſed tuba canere.

Iſai. 58.

Cauendum eſt prælatis, ne dum verecundiæ peccatoris conſulunt, non conſulant ſanitati.

Tuba non tam delectationis, quàm terroris eſt.

Tuba, id eſt, prædicatio, quæ cor penetrat.

5. Quanta ſit potentia tubæ, hoc eſt, ſacerdotalis doctrinæ contra peccatores, myſticè, & eleganter ita in conſequentibus declarat idem Auguſt. *Sacerdotalibus tubis Hiericho muri, qui intra ſe continebant peccatorum populum, corruerunt. Non illos pulſauit aries, non expugnauit machina; ſed, quod mirum eſt, ſacerdotalis ſonus, aut tubæ terror euertit. Muri, qui aduerſus ferrum inexpugnabiles extiterant, ſacra tubarum voce colliſi ſunt. Quis enim non ſtupeat in illo facto, ſaxa ſono diſrupta, fundamenta clangore eſſe quaſſata, & ita vniuerſa collapſa, vt cùm victores nihil manu læderent, apud aduerſarios nihil ſtabile remaneret? ſed quamuis muros illos nemo contingeret, expugnabantur tamen forinſecus ſono iuſtorum intrinſecus habitacula peccatorum. Sic enim æquo Dei iudicio & iuſtis aperuerunt viam, & defenſionem perfidis negauerunt.* Addit Diuus Auguſt. hæc omnia in figura facta eſſe; ſicut enim tunc tubarum clangor, deſtructis cæmentorum muris, ad populi interiora peruenit; ita nunc prædicatio ſacerdotum, deſtructis prauis cogitationibus, ad animæ nuda penetrauit. Et ſicut ſacræ vocis ſonus contumacem populum deſtruxit, & captiuauit: ita & nunc ſacerdotalis prædicatio populum peccatorem ſubiugat. Septenarius autem numerus, quo circundati tubis ſacerdotum, muri ceciderunt, ſignificat per ſacerdotes Dei, non vnam tantùm

Potentia tubæ Euangelicæ.

Auguſtinus.

Expugnantur ſono iuſtorum, habitacula peccatorum.

Virtus prædicationis efficax.

1. Ioan. 2.

ciuitatem, ſed totius mundi ini.quitatem ani.pari. Scriptum eſt enim 1. Ioan. 2. *Quoniam mundus perібit, & omnia,quæ in mundo ſunt. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Habes cur populo ſilentium ſit indictum, itémque cur ſacerdotibus, vt buccinis perſonent, ſit imperatum.

Verſ. 6.] Vocauit ergò Ioſue filius Nun ſacerdotes, & dixit ad eos: Tollite Arcam fœderis, & ſeptem alij ſacerdotes tollant ſeptem Iubileorum buccinas, & incedant ante Arcam Domini.

Et infrà.

12. Igitur Ioſue de nocte conſurgente, tulerunt ſacerdotes Arcam Domini, & ſeptem ex eis ſeptem buccinas, quarum in iubileo vſus eſt.

De feſto quinquageſimi anni, qui iubileus dicitur; & quales fuerint buccinæ, quarum in Iubileo vſus erat.

ANNOTATIO V.

Sacerdotes in bello portabant arcam, & perflabant tubas.

1. BIPARTITA tribuuntur ſacerdotibus, in inceſſu bellico officia. Vnum exportandi arcam humeris impoſitam, cui oneri quatuor minimùm neceſſarij erant vectores. Alterũ perflandi ſeptem corneas tubas ante arcam, quod munus ſeptem mandatum eſt ſacerdotibus. De arca fœderis egimus cap. 3. ſect. 2. §. 4. & ſequenti. Hic de buccinis agendum eſt, quarum fuit vſus in anno Iubilei. Et in primis de anno Iubilei. De eo ita ſcribitur Leui. 25. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta nouem, & clanges buccina menſe ſeptimo decima die menſis Propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra, ſanctificabíſq; annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipſe eſt enim Iubileus.* Deinde additur. *Reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam: & vnuſquiſq; redie: ad familiam, quia Iubileus eſt, & quinquageſimus annus Non ſeretis, atque metetis ſponte in agro naſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis ob ſanctificationem Iubilei, ſed ſtatim oblata comedetis. Anno Iubilei redeant omnes ad poſſeſſiones ſuas.* Hæc de Anno Iubilei, de quo Abulenſ. latè agit eo loco quæſt. 6.

Leuit 25.

Anni quinquageſimi, ſiue iubilei, priuilegia.

Abulenſ.

De ſeptimo anno, qui dicitur ſabbathum terræ.

2. Operæpretium tamen eſt, antequàm huius anni celebritatem, quæ maxima eſt, ob libertatem amplè conceſſam; vt de ſeptimo anno, qui dicitur ſabbathum terræ, ſiue annus remiſſionis, aliquid præmittere, quò annus quinquageſimus, qui etiam annus remiſſionis vocatur, rectiùs intelligi poſſit. De eo ita habetur Leu 25. *Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, ſabbathizet terra ſabbathum Domini. Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligéſque fructus eius: ſeptimo autem anno ſabbathum erit terræ requietionis Domini; agrum non ſeres, & vineam non putabis. Quæ ſponte gignet humus, non metes, & vuas*

A *primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam, annus enim requietionis terræ eſt. Sed erunt vobis in cibum, tibi, & ſeruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ, qui peregrinatur apud te, iumentis tuis, & pecoribus, omnia quæ naſcuntur, præbebunt cibum,* &c. Hic annus ſeptimus, annus remiſſionis propterea vocabatur, quia larga erat diuitum in pauperes indulgentia. Primum namque in pauperum ſubſidium inſtitutum eſt, ne meterentur ſegetes, ſed leuiter tantùm carperentur; fructuſque prædiorum, hoc eſt agri, vineæ, & oliueti communes eſſent, vt Exod. 23. ſcriptum eſt. Ac, ne Iudæi timore inopiæ huic præcepto repu-

B gnarent. Leuit. 25. ait Deus. *Quod ſi dixeritis; Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum.*

In anno ſeptimo, qui annus remiſſionis dicitur larga erat diuitũ in pauperes indulgentia.

Exod 23.

Leuit. 25.

Annus ſextus præſtabat fructũ duorũ annorum.

2. Deindè inſtituta eſt remiſſio ſeruitutis. Serui enim Hebræi eodem anno manumittebantur, iuxta illud Exod. 21. *Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis,* &c. Quid ſi alienigena eſſet ſeruus, nunquam libertate donabatur, vt dicitur Leuit. 25. Sed à quonam tempore numerandi ſunt ſeptem anni ſeruitutis? Num ab emptione ſerui? Id videntur ſignificare illa verba, ſex annis ſeruiet tibi, in ſe-

C ptimo egredietur liber gratis. Reſpondeo annum remiſſionis ſerui non reſpicere tempus emptionis, ſed communem eſſe, ſicut ſabbathum. Quare ſeruus paulò antè emptus, vbi annus aduentabat, liber erat. Eadem ratio eſt in debito contracto, de quo ſtatim dicendum eſt aliquid.

Exod. 21. *Seruus Hebræus in ſeptimo anno dimittebatur.*

Tertio, Indicta erat remiſſio debitorum Deut. 15. Septimo anno facies remiſſionem; quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit, quia annus remiſſionis eſt Domini. A peregrino, & aduena exiges; Ciuem, & propin-

D quum repetendi non habebis poteſtatem.

Deut. 15. *Debita remittebantur in ſeptimo anno ciuibus, non aduenis.*

3. Quæres vndenam computandus erat annus remiſſionis? Certum eſt computandum eſſe ab anno, quo ingreſſi ſunt cum Ioſue filij Iſraël in terram promiſſionis. Ducta námque inde ratio, ſeptimum quemque annum, remiſſioni aſſignabat, vt planè intelligitur Leuit. 25. ex illis verbis. *Quando ingreſſi fueritis,* &c. Deut. 31. Hinc auari, quò propior erat annus ſeptimus, minoris ſeruum vendebant, & ad mutuandum ſegniores erant. Idcircò Dominus, Deut. 15. *Caue,* inquit, *ne fortè ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo. Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, &*

E *auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod poſtulat mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* &c.

Anni ſeptimi computatio.

Leuit 25.

Deut. 31.

Deut. 15

4. Peculiare erat huic anno, vt liber Deuteronomij in eo legeretur? *Poſt ſeptem annos,* inquit Legiſlator, *anno remiſſionis in ſolennitate tabernaculorum conuenientibus cunctis ex Iſrael, vt appareant in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus, & leges, verba legis huius coram omni Iſrael audientibus eis, & in vnum omni populo congregato,* &c. Erat hæc lectio vtiliſſima, & verò nobis quàm vtilis ſit ſacra vtriuſque teſtamenti lectio, declarat Apoſtolus, 1. Timoth. 4. hanc commendans diſcipulo: *Dum venio, attende lectioni.* Gregor. in Paſt. par. 3. cap. 11. *Quia,* inquit, *occupationum tumultibus, impulſus animus à ſemetipſo corruit. Ideò ſacri eloquij præcepta quotidie meditari debet, & ad amorem cœleſtis patriæ ſeſe reſtaurare;* & D. Hieron. ad Galat. 4. *Scriptura,* inquit, *diuina ædificat, & delectat.*

Anno ſeptimo legebant Deuteronomium.

Vtiliſſima ſacra lectio.

1. Tim 4.

Greg Paſt.

D. Hieronym.

Galat 4.

ſed

Prodeſt diuina ſcriptura ſi de litteris vertatur in vocem.
2. Petr. 1.

ſed multo plus prodeſt, ſi de literis vertatur in vocem. Hanc commendat, 2. Petr. 1. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Ac ſi dicat: ſiquis nobis non credit diuinitatem Chriſti aſſerentibus, ex eo quòd maieſtatis eius ſpectatores fuimus, & vocis de cœlo delapſæ auditores; habemus propheticum ſermonem firmiorem vobis, ô Iudæi, quamuis non veriorem, quem negare non poteſtis, ſicut noſtrum negatis teſtimonium. Is autem ſermo propheticus eſt, Pſal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu* &c. *Cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ* in hac ſeculi nocte lucenti ne offendatis, donec adſit perfecta cognitio, vide Bedam. Quid quod ſacra lectio, non ſolùm lucem, ſed munditiam confert. Ioan. 15. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Scientiam boni, & mali ſtabilit. Auguſt. *Quidquid homo extra didicerit, ſi noxium eſt ibi damnatur, ſi vtile eſt ibi inuenitur.* Hæc Aug. lib. 2. de doctr. Chriſtiana cap. vlt. Septimo quoque anno Iudæi in conuentu publico Deuteronomium lectitabant, hoc eſt, ſecundum legem, vt nos legem gratiæ, quæ ſecunda dici poteſt, in noſtro ſabbatho, hoc eſt, quoties vacat, lectitemus; ad illam nos conformemus. Hæc de anno ſeptimo. Nunc ad quinquageſimum veniamus.

Iudæis firmior propheticus ſermo eſt argumentum.
Pſal. 2.
Ioan. 15.
Auguſt.

5. Ergo quinquageſimus quiſque annus celeberrimus erat apud Hebræos, ob libertatem, & indulgentiam, quæ munificè Dei iuſſu omnibus concedebatur, & quidem maior, quàm in anno ſeptimo. Illius hæc erat computatio, ſicut ſeptimo anno elapſo incipiebat altera hebdomada annorum numerari: ita finito quinquageſimo incipiebant alij quinquaginta numerari. Quare totum apud Hebræos, tempus per ſeptenarios, & quinquagenarios ducebatur annos, vtroque numero integritatem ſuam ſeruante, vt bene annotauit Abulenſ. in cap. 25. Leuit. quæſt. 6. contra quoſdam aliter numerantes. Iuxta quem, & omnes, qui rectè ſentiunt primus annus quinquageſimus, poſt ingreſſum in terram promiſſionis, vltimo ſeptimæ hebdomadæ annorum, ſucceſſit. Ac proinde quinquageſimus, qui remiſſionis dicitur, annum ſeptimum remiſſionis conſecutus eſt, vt idem Abulenſ. ſcitè aduertit loco citato quæſt. 7.

Ratio numerandi annos, quibus conſtabat iubileus.
Abulenſ.

6. Anni quadrageſimi noni, menſe ſeptimo, clangebant buccinis ſacerdotes de quibus hic dicitur: *Septimo autem die ſacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo.* &c. Quorſum, dices? nimirum, vt notum eſſet omnibus annum ſequentem eſſe iubileum, & hilareſcerent. Idcirco dictum eſt, Leuit. 25. *Sanctificabiſq; annum quinquageſimum, hoc eſt, populum præparabis celebritati, futuræ anno quinquageſimo.* Propterea additur: *Et vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ,* id eſt, edicto promulgabis. Septimo denuntiabatur menſe, quia ſanctior ille, reliquis menſibus erat, ob ſolemnitates multas in eum incidentes: inter quas expiationis dies ſanctiſſimus erat, vt cap. 5. ſect. 2. diximus. Deus enim tunc propitius reddebatur, & peccata condonabat. Quare æquum erat, vt in tali die admonerentur creditores benignitatis, qua remiſſuri mutuo debita erant, Dei præcepto.

Leuit. 25.

7. Porrò cum annus ſeptimus, & quinquageſimus, quiſque æquè remiſſionis annus appelletur: [illegible] tamen perfecta, anno tantùm quinquageſimo quadrat. Fieri namque poterat, vt ſeruus anno ſeptimo libertatem non aſſequeretur; qui tamen anno quinquageſimo, haud dubiè, liber a domini poteſtate recedebat, Exod. 21. *Si emeris ſeruum Hebræum ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis ſin autem Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios, & filias, mulier, & liberi eius erunt domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo. Quod ſi dixerit ſeruus: diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber, offeret eum Dominus diis, & applicabitur ad oſtium, & poſtes perforabitq; aurem eius ſubula, & erit ei ſeruus in ſeculum.* Hoc eſt, vſque ad annum Iubilei, eſt enim in Hebræo לעולם. *leolam.* Quod nomen, cùm ſine litera ו ſcribitur, ſignificat (vt aduertit D. Hierony. ad Galath. 3.) *annum quinquageſimum*, cùm verò illam habet, *æternitatem.* Loquitur autem de vxore alienigena, Hebræa quippe ſeptimo etiam anno libertate donabatur; & tamen quinquageſimo anno, tam ipſe, quàm vxor, liberi egrediebantur.

Exod. 21.
Seruus, qui [illegible]
D. Hieron.

8. Prætereà ſeptimo anno, non redibat res immobilis vendita antiquo domino, niſi eam pretio redimeret; in quinquageſimo etiam ſine pretio, Leuit. 25. *Reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque redibit ad familiam priſtinam, quia Iubileus eſt, & quinquageſimus annus.* Hoc fiebat, tum ne aliqui locupletiſſimi euaderent, aliis in paupertate degentibus; tum ne familiæ, & ſortes in terra promiſſionis cuique tribui aſſignatæ, ad alias tribus tranſirent: Quòd eruditè explicat Abulenſ. quæ. 13. ſuper cap. 25. Leuitici. Hinc eueniebat, vt quò propior erat annus quinquageſimus, eò res immobiles minori pretio venderentur, Leuit. 25. *Quantò plures anni remanſerint poſt Iubileum, tantò creſcet & pretium; & quantò minus temporis numeraueris, tantò minoris & emptio conſtabit.* Tempus enim frugum vendidit tibi; hoc eſt, non rei ſubſtantiam, ſed fructuum colligendorum tempus.

Anno 50 redibant ſine pretio antiquo domino res immobiles in 7. non item.
Leuit. 25.
Abulenſis.
Leuit. 25.

9. Cæterùm, cùm per poſſeſſiones, quæ erant intra vrbes, non diſtinguerentur familiæ, & tribus (ſiquidem in qualibet tribu Iſraël vrbes concedebantur Leuitis ad habitandum, non tamen illarum agri) ſiquis domum, intra vrbis muros venderet, quam intra anni ſpatium non redimeret, nec in Iubileo redimere poterat, vt dicitur cap. citato. Illa etiam cauſa redditur, quia nolebat legiſlator, vt domus vrbanæ facilè venderentur, ſpe recuperandi eas, in anno iubilei: ſed eas potius ſibi ad diuturnam habitationem conſeruarent. Solæ domus [illegible] ciuitatum, vbicumque eſſent, etiamſi non redimerentur, in iubileo, ſuis dominis cedebant. Vide Abulenſ. loco indicato. Habet hæc ipſa, quæ a nobis dicta ſunt ferè apud Ioſephum lib. 3. Antiqu. cap. 10. vbi de ann. 7. & 50. ſcribit. *Septimo quoque anno remiſſionem agris aedit &c.* Solùm aduerto vbi Latinus interpres vertit, *fœnus remittitur*, in Græco legi *δάνειον*, quod vocabulum, *mutuum*, & omne debitum ſignificat etiamſi fœnus non ſit.

Domus Leuitarum [illegible] non redimerentur in anno iubilei ſuis dominis cedebant.
Abulenſ. Ioſephus.
δάνειον, debitum quodcumque eſt.

Deriuatio, & ſignificatio Iubilei.

10. Supereſt vt deriuationem, & ſignificationem iubilei explicemus. Andreas Maſius hoc loco à Iubal primo Muſicorum inſtrumentorum inuentore deduci arbitratur. Alij à Iobel, quæ vox Arabicè, arietem ſignificat, quod arietinis cornibus hæc ſolennitas indiceretur. Ita ſentiunt Pagninus, & Munſterus in ſuis theſauris ſiue le-

Andr. Maſius.
Iubal primus inuentor muſicorum inſtrumentorum.
Pagninus. Munſterus.

Buccina iubilæi. Eugubinus. Oleaſter.

xicis. Eugubinus in annotationibus in cap. vltimum Numerorum. Oleaſter in cap. 25. Leuitici. Itaque a Iobel, quæ vox cornu arietinum ſignificet, iubileum dici, hi authores putant, quod ſacerdotes cornibus arietinis eo anno clangerent. Mihi, licèt aliquando ea placuerit ſententia, horum tamen doctorum authoritas, id nunc ſolùm perſuadet, vt arietinis cornibus ſimiles has buccinas dixerint. Quis enim credat in maxima omnium celebritate, arietinis cornibus vſum fuiſſe? aut muros Hierichuntinos, his buccinis, iuſſu Ioſue inſonantibus corruiſſe? At dices: iubet ille buccinas expediri, quarum vſus eſſet in iubileo? Iubet: verum non arietinas, ſed ſimiles arietum cornibus, & ad iubileum deſtinatas. Id enim ſignificatur illis verbis, *Quarum vſus eſt in iubileo.* B

Ioſephus.

11. Quare Ioſephum ſequor, quippe, qui Hebrææ linguæ peritiſſimus erat, docétque hoc vocabulo libertatem ſignificari. Cui D. Hieronym. aſſentitur lib. 2. in Iſaiam; ſuffragantur, & 70. qui pro iubileo ſæpe vertunt, ἄφεσιν hoc eſt, remiſſionem. Nec tamen negauerim tubas iubilei corneas fuiſſe, hoc enim probabile; imò ſolùm verum. Cùm enim Leuit. 25. dicitur clanges buccina in Hebræo eſt, *ſaphar*, quàm vocem Hieronymus in cap. 5. Oſeæ ſuper illud; *clangite buccina in Gabaa*; buccinam, interpretatur, & recuruo cornu effici dicit. Sept. tranſtulerunt, *tubam corneam*, cùm dicitur Pſalm. 97. *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.* C Nego tamen huiuſmodi tubas ex arietinis cornibus factas, vt crediderunt Pagnin. Vatabl. & alij. Video námque eas buccinas, neque ſignificationi conuenire, vt in feſto tubarum, neque vſui anni quinquageſimi. Buccina námq; paſtoralis eſt (ait Hieronym. loco citato) nec paſtores arietino, ſed bubulo ad buccinas vtuntur cornu. Abulenſ. ſuper hoc cap. 6. Ioſue. quæſt. 6. videns dedecere, vt arietinæ buccinæ inſeruirent iubileo, & multò magis, ad ſonitum militarem, in ambitu Hiericho; tubas iubilei argenteas fuiſſe cenſet, quibus in ſolennitatibus, vt habetur Num. 10. populus congregabatur; ſed lapſus eſt (ni fallor) illæ enim duæ tantùm fuerunt, vt ex D loco Numerorum citato conſtat, & ex cap. 11. Ioſephi lib. 3. Antiq. Hic verò ſeptem buccinæ iubentur à Ioſue tolli, ſacerdotéſque ſeptem illis vti: ſacerdotes (inquit) tollant ſeptem buccinas. שופר, eſt in Hebræo, id eſt, κερατίνας, vt vertunt Sept. nos *buccinas corneas*, dicere poſſumus, maiorum ſcilicet animalium.

D.Hieron.

D Hieron. Oſeæ 5.

70. Interpr. Pſalm. 97.

Pagninus. Vatablus.

Num. 10.

Ioſephus. Buccinæ corneæ quæ erant in Iubileo non ex mero ære ſed ex animalium maiorum cornu.

12. Et quidem Ioſeph. lib. 5. Antiq. cap. 1. Tubas, de quibus hic agimus cornua vocat, quod ad ſimilitudinem cornuum eſſent factæ. Vnde Varro lib. 4. de lingua latina: *Cornua*, inquit, *dici, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.* An putamus Turnum cornibus arietum, ſignum belli dediſſe, cum Poeta ſcribit,

Ioſeph.

Varro.

Virg. Aen. 8. & 7.

E

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu?

Et in ſeptimo Æneid.

Æreáque aſcenſu conſpirant cornua rauco.

Manear ergo iubilei tubas non arietinas fuiſſe, ac propterea hoc vocabulum noſter interpres Latinus non adhibuit, quod Pagninus in ſua verſione, & alij Hebraizantes adhibuerunt, corneas fuiſſe fateor; ſed ex maiorum animalium cornibus factas. Ipſum verò iubilei nomen, hoc eſt, iobel, in Hebræo eſt æquiuocum, ſignificatque libertatem ſiue remiſſionem, vt dictum eſt, vel (vt annotauit Abulenſ. ſuper cap. 25. Leu. quæ. 7. ad

Pagninus.

Iobel Hebraicè ſignificat libertatem remiſſionem, buccinam.

ſtituendi buccinam, ex quacunque materia, corneæ ſcilicet argentea, vel ærea. Nam, Exod. 19. vbi dicitur: *cum cœperit buccina clangere, tunc aſcendant in montem* in Hebræo ponitur Iobel, quis dicet ſignificare in eo loco hanc vocem, cornu arietinum? corneas igitur, non ex cornu arietinu factas interpretor buccinas iubilei fuiſſe. Decebat autem, vt in ingreſſu terræ promiſſæ Iudæi ex captiuitate Ægyptiaca tandem emergentes, in prima victoria, ad libertatem vocibus, & cornibus eam ſignificantibus clamarent; Huc pertinet, Pſal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem facti ſumus ſicut conſolati*, vel vt Genebrard. placet, *ſomniantes*: id eſt; adeò conſolati & læti ſumus noſtra reſtitutione vt videremur veriùs ſomniare reditum, quàm oculis vſurpare, vix bonũ tam inſperatum capere animus poterat. Simili figura vtitur Liuius lib. 33. de Græcis audientibus vocem præconis iubentis, vt beneficio populi Romani retinerent libertatem, & ſuis legibus viuerent. *Maius*, inquit, *gaudium fuit, quam quod vniuerſum, homines caperent, vix ſatis credere ſe quiſquis audiſſe. Alij alios intueri mirabundi, velut ſomnij vanam ſpeciem.* Act. 12. *Petrus exiens ſequebatur Angelum, & neſciebat verum eſſe, quod fiebat, exiſtimabatq; ſe viſum videre. Facti ſumus ſicut lætantes.* Chald. *ſicut infirmi, qui conualuerunt.* Quid dicent ex captiuitate peccati emergentes ad lucem gratiæ? *Magnificauit Dominus facere nobiſcum.* Sane magna nobis fecit, & cum Moſe canent, Exod. 15. *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt.* Illud: *Conuerte Domine*, &c. Chald. *Conuerte Domine captiuitatem noſtram: ſicut conuertuntur terra, quando abundant aquarũ fluenta tempore ſiccitatis.* In Orthographia ſcientiá mihi reſeruo; ſecundum quam rectè iobileus ſcriberetur, vt habet Hieronym. cap. 1. epiſtolæ ad Galatas. Iobeleum, aut iobelum rectiùs, vt Ioſephus; cùm ſit in Hebræo Iobel: vſum tamen ſequor, quem correcta editio latina reſpiciens, iubileum ſcribit.

Exod. 19.

Pſalm. 125.

Genebrar.

Liuius.

Præcones, &c. ſunt Græcis.

Act. 12.

Chal. P. Expreſſionis tiua ...

Hieronymus.

Iobeleum, aut iobelum ſcribunt aequ.

13. Libuit pauliſper immorari in explicatione ſeptimi & quinquageſimi anni, quorũ apud Hebræos magna erat celebritas, & de quibus fre- D quens eſt in ſacris literis mentio, vt quando annuas feſtiuitates cap. 5. ſect. 2. complexi ſumus; has etiam duas, interpoſitione longioris temporis, & quibuſdam priuilegiis celebriores, noſtris commentariis (quando hîc occaſio ſe obtulit) adderemus. Pro myſtica verò & tropologica ſignificatione, quam in cæteris feſtis ferè appoſuimus, placet Philonis Iudæi ex lib. de charitate, verba ſubiungere, quibus oſtendit præcepta ſeptimi, & quinquageſimi anni propterea tradita eſſe, vt charitas diuina, & humana eluceret in hominum ſocietate; *Quid lex*, inquit, *de anno ſeptimo, quo ceſſat agricultura, & pauperibus licet è diuitum agris fructus ſponte natos, ſeu natura donum, ſecurè tollere: ſexcennio*, inquit, *fruantur coloni ſuis poſſeſſionibus, & laboribus: ſeptimus annus ſit eorum, qui carent prædiis, ac pecuniis, quo etiam terra conceditur immunitas. Abſurdum enim eſſet aliorum labores prodeſſe aliis: nunc poſſeſſionibus quodammodo vacuis, & intactis ab agricolarum opera, tota gratia ſoli Deo debetur, omnibus egentibus expoſita:* & infrà.

Philo Iudæus.

Lex pauperum miſericordiam ... ſeptimus annus.

14. *Quid item illa de anno quinquageſimo? nónne quamuis aliam charitatis ſpeciem ſuperat? ita profectò: id quod nemo negauerit, qui has leges non deguſtauit modò, ſed lautius in eis epulatus eſt, expletus deliciis ſuauiſſimis. Fiunt enim tunc eadem, quæ anno ſeptimo, & accedunt alia maiora, ſcilicet in priſtinas poſſeſſiones*

Charitas oſtenditur in reſtitutione poſſeſſionum, à quibus miſeri exciderant.

reſtitutio; ex quibus aliquis propter temporum difficultates exciderat. Non permittit enim poſſeſſionem aliorum bonorum, occludens aditum auaritiæ, vt cohibeat inſidiatricem, fontémque omnium malorum concupiſcentiam: nec cenſet æquum, vt coloni ſuis agris priuentur in perpetuum, & paupertatis pœnas dent, miſerandi potius, quàm puniendi. Hæc ille.

Charitas in nouo teſtamento maior eſſe debet, quàm in veteri.
Matt. 12.

Quod ſi tanti erat charitas in veteri teſtamento, qualis eſſe debet in nouo? certè ratione charitatis quilibet Chriſtianus maior dicitur Ioanne Baptiſta, Matt. 12. *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo*, vt enim inquit Abulenſ. quæſt. 56. in cap. Matt. citatum. *licèt nemo fortè in Eccleſia noua, quæ iuxta Chryſ. eſt regnum cælorum, ſit maior Ioanne ſanctitate: Eſt tamen quilibet maior eo, ſtatus dignitate. Nam ſtatus noui teſtamenti eſt excellentior quolibet ſtatu præterito. Ioannes autem non fuit in eo, ſed in veteri teſtamento, vel medius amborum, ſicut dicit Chryſ. quòd fuit finis legis, & principium Euangelij.* Hæc Abulenſ.

Chryſoſt.
In nouo teſtamento quilibet maior eſt Ioanne Bap. ſtatus dignitate.
Abulenſ.
Cant. 8.

Chariras autem legis nouæ, Cant. 8. exprimitur, provt ad Deum & proximum extenditur. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*, vel chariras. Philo Carpathius Epiſcopus, *ita*, inquit, *obfirmatur animus charitate Dei ac proximi, vt vel ad inferos preces penetrare faciat diuina gratia nixus ad ſubleuãdas animas purgãdorũ: ita nos adamauit & ſponſus, vt eò deſcenderit ad eruẽdas eorum animas, qui ante ipſius aduentum illuc deſcenderant.* Idem enarrans verba ſequentia, *lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Ita legit: *Alæ ignis, carbones ignis flammæ ipſius.* Deinde ſubdit. *O immenſæ charitatis ardorem! Carbones ignis, ſunt flammæ, & alæ dilectionis ſponſæ in ſponſum & in genus humanum. In his duobus tota lex pendet & prophetæ. Quicunque hæc ſtudiosè ſeruat, is inextinguibilem poſſidet charitatem.* Hæc illæ. Subdit ſponſus, *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Et meritò. Vide Paulum; Recordare Martyrum victorias. Memineris te in ſtatu nouæ legis, quæ perfectiorem exigit charitatem viuere. *Charitas* (inquit Marſil. Ficinus) *numen eſt amatorium: ſi quem prehenderit, veluti ex ſpeculo eiaculari faciet flammantes radios. Mentem illuſtrat, voluntatem accendit, reflectítque lucem.*

Philo Carpathius.
Charitas Christi ...
Alæ ignis, & ... ignis debet charitas.
Marſilius Ficinus.

15. Vt tamen per annum quinquageſimum, tubis denuntiatum; diem vniuerſalis iudicij intelligamus, in quo in æternam ingreſſuri ſumus libertatem, impetrata prius Chriſti merito peccatorum remiſſione, admonet nos clangor buccinæ, de quo 1. Theſſ. 4. *Quoniam*, inquit, *ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi*, &c. Fortè ſigna, quæ proxima erũt iudicio, tanquam tubæ aduentare iubilei annum, & requiem ſanctorum indicant. Etenim Apoc. 8. & 9. de his ſignis agens Ioannes 7. commemorat tubas. Menſe ſeptimo audiendus eſt hic clangor, quia illa ætas mundi, extremum tempus erit, vt ait Iſychius in die expiationis, quia per illa ſigna Deus omnes ad pœnitentiam excitabit, 1. Timot. 2. *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.* Tunc remiſſio erit; & ſabbathum perfectum ijs, qui pro Chriſto in agone huius mundi decertarunt. Apoc. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Erit tunc Iubileus, quæ vox vt diximus, libertatem ſignificat; quia tunc, qui captiui erant ſentient ſe Chriſti redemptione aſſertos in optatam filiorum Dei libertatem, & in bonorum, quæ peccato fuerant amiſſa, reſtitutionem. Nos ergò interim dum Iubilei annus differtur, buccinas ex præſcripto veri Ioſue, quarum vſus eſt in iubileo, hoc eſt, ſacerdotum conciones, & ſacræ ſcripturæ ſententias audiamus, & in animo cuſtodiamus.

... tubas anni quinquageſimi, ... iudicij ...
1. Theſſ. 4.
Apoc. 8. & 9.
... ſigna ... ad pœnitentiam, ... in fine ...
1. Tim. 2.
Apoc. 14.

LIBRI IOSVE
CAP. VI. IOSVE
SECTIO II.

Verſ. 17. 1.] Sítque ciuitas hæc anathema: Et omnia quæ in ea ſunt
Domino, ſola Rahab meretrix viuat, cum vniuerſis qui cum ea in
18. domo ſunt: abſcondit enim nun-
19. tios, quos direximus. Vos autem
cauete, ne de his, quæ præcepta
ſunt quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia
caſtra Iſraël ſub peccato ſint, at-
20. que turbentur. Quidquid autem
auri, atque argenti fuerit, & vaſorum æneorum ac ferri, Domino
conſecretur, repoſitum in theſauris eius. Igitur omni populo vociferante, & clangẽtibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox
ſonitúſque increpuit, muri illicò
21. corruerunt: Et aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat:
Ceperúntque ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem: Boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Vos autem cauete*, &c. Vos autem cauete ab anathemate, ne forte capiatis anathema, & tollatis de anathemate, & ponatis caſtra Iſraël in anathema, & turbetis ea. Pro, *muri illico corruerunt*, &c. Cecidit murus ſub ſe, &c.

Aliter. Ita vertes: ſit verò vrbs Hærem Domino: ipſa vrbs ſcilicet & omnia, quæ in ea ſunt: duntaxat Rahab caupona meritoria in vita ſeruetur, ipſa videlicet, &

omnes, qui ſunt cum ea in domo. Nam abſcondit nuntios, quos miſeramus. Verumtamen vos cauete ab hærem, ne fortè vaſtantes capiatis de hærem faciatiſque caſtra Iſraelitica hærem, turbetiſque ea. Pro, *igitur omni populo, vociferante, & clangentibus tubis*, &c. Iubilans igitur populus clanxerunt cornibus. Cúmque audiſſet populus ſonum cornu vociferabatur, & ipſe populus iubilo magno, & corruit murus ſubter ſe, &c.

Sept. Interp. Pro, *Quidquid autem auri, atque argenti fuerit & vaſorum aeneorum, ac ferri Domino conſecretur repoſitum in theſauris eius.* Vertunt ex Hebræo. καὶ πᾶν ἀργύριον, καὶ χρυσίον, καὶ πᾶς χαλκὸς, καὶ σίδηρος, ἅγιον ἔσται τῷ κυρίῳ: εἰς θησαυρὸν, &c.

Pro, *Igitur, omni populo vociferãte*, vertunt, ἠλάλαξαν πᾶς ὁ λαὸς ἀλαλαγμῷ μεγάλῳ, καὶ ἰσχυρῷ. id eſt, *vociferati ſunt omnis populus, vociferatione magna & forti.* Vim vocabuli, ἀλαλαγμὸς, præcedenti ſect. Annot. 3. ex Origene expreſſimus. Eſt enim iubilatio quædam & victoriæ acclamatio per modũ hymni, & gratiarum actionis.

Explicatur contextus.

3. S*itque ciuitas hæc anathema & omnia quæ in ea ſunt Domino.*] Cùm ſolus Deus ciuitatem potentia ſua expugnauerit, rationi conſentaneum fuit, vt illi tota illa ciuitas, veluti Chananæitidis terræ primitiæ offerretur. Iubet ergò Ioſue omnia cremari præter ea, quæ cedere poſſunt in theſauros Domini. Ea verò, quæ hic narrantur, per recapitulationem dicuntur. Non enim ſonantibus in vltima luſtratione tubis, & vociferante populo, cadente muro, præcepta fuerunt, ſed multò antè. Suóne, an diuino impulſu anathemate vrbem alligauerit Ioſue incertum, probabilius diuinò. Alia nàm que hîc commemorantur quæ diuina iuſſione facta ſunt, quamuis oraculi mentio non fiat. An à Ioſue profecta eſt imprecatio contra eum, qui aliquando ædificaturus erãt Hierichun? Audi quid ſcriptura dicat, 3. Reg. 16. *In diebus illis ædificauit Ahiel de Bethel Hiericho. In Abiram primogenito ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt in*

3. Reg. 16.

A *manu Ioſue filij Nun* &c. Sicut ergò in hac imprecatione, non fit mentio Dei, cuius impulſu facta eſt, ita nec in anathemate. *Sit* inquit, *ciuitas iſta anathema.* Hebraicè pro anathema eſt, חרם, *Herem* quæ vox ſignificat, *deſtructionem* vel *conſecrationem*, vel, *ſeparationem* ſecundum triplicem hanc ſignificationem hic accipitur; Nam & ciuitas deſtructa eſt flamma domos, incolas, veſtes & iumenta ipſa populante, & conſecratio in eo cernitur. quòd multa, quæ inuenta ſunt, theſauris Domini applicantur. vt aurum argentum, & reliqua metalla. ſeparatio ſiue abdicatio perſpicitur in dedicatione. quæ fit Deo omnium ſpoliorum; dum incendio ab humanis vſibus remo-

B uentur, & in honorem, & gloriam Dei conſumi iubentur.

4. Quorſum ita factum? vt lex obſeruaretur, qua iubebantur omnes idololatræ ciuitatis alicuius eo ſcelere infamis. cum ipſa ciuitate ab Iſraelitis iugulati primum; deinde cum diuitijs veluti in ſacrificiũ Deo gratum & honorificum comburi. Enim verò Deut. 13, vbi agitur de pœna ciuitatis idololatriæ crimine, notatæ ſubiũgitur. *Percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, & omnia, quæ in ea ſunt vſque ad pecora: quidquid ſupellectilis fuerit, congregabis, in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo tuo. & ſit tumulus ſempiter-*

C *nus*, &c. Atqui idololatriæ deditam eſſe Hiericho quis dubitat? Quomodo igitur miraris omnia, quæ in ea erant ſub anathemate eſſe, & conſecrata velut in ſacrificium Domino.

5. Ponderandum adhuc exactiùs eſt, id, quod ad rationem anathematis pertinet; ſeparatio ſcilicet, ſiue abdicatio. Iſraelitæ námque omnia, quæ iure belli ad ſe pertinebant, à ſe abdicantes Domino obtulerunt. Primò abdicauerunt à ſe ipſam vrbem, cum domibus, quæ aptiſſimæ erãt habitationi. Idque ea adhibita imprecatione, vt qui ædificaret Hiericho maledictus eſſet. Vides in æternum rei pretioſæ factam propter Dei gloriã renuntiationem. Quid religioſi? Erat Hierichun-

D tinę vrbi ſalubritas aeris & habitatio commoda, vt patet 4. Reg. 2. vbi ſcriptũ eſt. *Dixerúntque viri ciuitatis ad Heliſæum, ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe perſpicis; ſed aqua peſſima, & terra ſterilis.* Deinde narratur quomodò iniecerit Heliſæus ſal in aquas, & ſterilitas in vbertatem conuerſa ſit, quod accidit poſtquàm Ahiel ædificauit Hiericho, 3. Reg. 16. Fructus Hierichuntinos, vberiores eſſe, & grandiores, quàm in alijs locis teſtatur Bernardus in lib. qui inſcribitur ſpeculum virginum. *Roſa Hiericho* (inquit Abulenſ. hic quæſt. 13.) *comantem oſtendebant ad magnitudinem ſcutellæ florem.* Vnde Eccl. 24. Vbi agi-

E tur de excellentia arborum & herbarum, quæ in certis locis naſcuntur; ſubiungitur. *Quaſi palma exaltata ſum in cades, & quaſi plantatio roſæ in Hiericho.* Hanc ergò vrbem fertilem, & amœnam Hebræi à ſe abdicauerunt.

6. Secundò, abdicauerunt à ſe viros, & fœminas, quas iure belli, ſuo poterant reſeruare mancipio, obedientes præcepto, quo Deut 20. iubebantur, vt de gentibus, quarum terram poſſeſſuri erant, neminem permitterent viuere, quauis tributi, aut ſeruitutis oblata conditione; ſed in ore gladij occiderent, ſcilicet, ſeptem populos Amorrhæos, Chananæos, &c. Ne ſi qui ex his remanerent eſſent Iudæis *ſicut lancea in lateribus, & claui in oculis*, atque eis omni tempore aduerſa

Deut. 13.

3. Reg. 16.

Bernard.

rentur,

Num 34. Ioſue 16.&17. Iudic. 2. & 3.

rentur, vt patet Num. 34. Quod ita accidit, relictis quibuſdam tributariis, vt patet infrà cap. 16. & 17. Iratus námque Deus dedit illos hoſtes Iudæis, ad ruinam eorûm, vt conſtat Iud. 2. & 3.

Peccata omnia Deo conſecrarūt Hebræi, & quidquid metalli erat in vrbe.

Tertiò abdicarunt boues & iumenta, quæ iure belli capere poterant, vt factum eſt poſteà in expugnatione vrbis Haj infrà cap. 8. & aliarum ciuitatum regionis Chanaan.

Quartò, aurum, argentū, & quidquid metalli erat à ſe remouentes, Deo conſecrarunt, cū omni pretioſa ſuppellectili; ne quid ad aliquem perueniret. Anathema verò vrbis Hiericho tria includit, nempe deſtructionem, conſecrationem, & abdicationem. Quam imitantur, qui voto religionis ſe Deo conſecrant dicentes, Pſal. 118. *Tuus ſum ego*, id eſt, non ſum meus, non carnis, non peccati, non mundi, ſed tuus; tibi dedico ſenſus, cogitationes, méque totum velut in holocauſtum. Ad hanc abdicationē hortatur Hieron. in epiſtola ad Iulianum. *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe mundum relinque, priſtina veſtimenta cōtemne ſæculi pallium derelinque, vt alter Ioſeph. Elias ad cœlorum regnum feſtinans, non poteſt ire cum pallio. Contemne aurum. E Philoſophis vnus multarum poſſeſſionum pretium proiecit in mare. Abite, inquit, in profundum malæ cupiditates. Ego vos mergam, ne ipſe mergar, &c. Quid facimus Chriſtiani?* Suadet Bernardus in epiſt. nobis fugam ſeculi ob pericula quotidiana. *Domus*, inquit, *ardet, ignis inſtat à tergo & fugienti prohibetur egredi, & hoc ab his qui in ipſo incendio poſiti ſūt, & fugere periculum noliu*, &c. Mox exclamat Bernardus. *O durum patrem, ô ſæuam matrem, ô parentes crudeles & impios, imò non parentes ſed peremptores quorum dolor ſalus eſt pignoris*, &c. Iudæis ſatis fuit à ſe abdicaſſe ſpolia Hiericho, & Deo conſecraſſe, vt victores euaderent. Nobis non externa ſolùm bona, ſed nos ipſos abdicandos eſſe præcipitur. Vnde Bernardus de contemptu mundi. *Qui relinquere omnia diſponis, te quoque primum inter reliqua numerare memento, ſi deliberas ſequi eum, qui exinaniuit propter te, ſemetipſum.* Iſidorus lib. 11. de ſummo bono. *Si quis renuntiat, omnibus quæ poſſidet, & ſuis non renuntiat moribus, non eſt Chriſti diſcipulus.* Euſebius Emiſſenus hom. 5. ad Monach. *Exultat aduerſarius noſter quando nos videt maxima contempſiſſe, & in minimis poſteà deformiùs vinci, &c.* Poſtquàm Apoſtoli dixerunt. *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. Id eſt, etiam nos ipſos. Facti ſunt inſtar nubeculæ, quaſi veſtigium hominis, 3. Reg. 18. quæ aſcendit orante Elia de mari poſt tres annos, & ſex menſes ſiccitatis. *Facta eſt nubes ex pluuia grandi*, qua inducta eſt vber ras terræ. Petrus nubecula, Andreas, & qui hos imitantur. aſcendunt, quia non premuntur onere diuitiarum, fœcundant ſacra doctrina terram ſterilem. De his Iſai. 6. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?*

Perfectæ abdicationis typus.

Exhortatio ad perfectam abdicationem.

Philoſophus mergit aurum, ne ipſe mergatur.

Bernard.

Qui impediunt religionis ingreſſum peremptores ſunt, non parentes.

Bernard.

Iſidorus. *Qui omnibus renuntiat, & ſuis non renuntiat moribus, nō eſt Chriſti diſcipulus.*

Euſebius Emiſſenus.

Matth. 19.

3. Reg. 18.

Qui omnibus renuntiat, vt Apoſtoli ſicut nubes volant.

Rectè ſponſa, totam ſe dedicans diuino ſponſo, timet omnem euagationem ad res externas. Quare Cant. 1. ait: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubas in meridie. Ne vagari incipiam poſt veſtigia ſodalium tuorum.* Nyſſenus orat. 2. in Cant. legit: *O tu quem diligit*, &c. totam ſe ab ſponſo pendere profitetur, dicens: O tu, quem diligit anima mea, qui Rex es, & paſtor dic vbi meridieris, ne à te diſcedam. In cruce meridionatur, illuc ibit anima ſancta. Vnde Ignatius Martyr, vt refert Dionyſius de diuinis nominibus, cap. 4 dicebat; *Amor meus crucifixus eſt.* D. Auguſtinus in lib. de verbis Domini

Cant. 1.

Nyſſenus. *Qui ſe dedicat Deo, timeat excurſum ad res externas euagationem.*

Dionyſ. & Ignatius *Amor, inquit, meus crucifixus eſt.*

Auguſtinus.

A ſerm. 50. referens hæc verba: *Videte quo affectu hic exigatur amor ſpiritualis. Qui amat Chriſtum, quaſi fœdum, & ſolùm formoſum. Vidimus eum*, inquit Iſaias, *& non habebat ſpeciem neque decorem. Tanti in cruce apparuit. Talis ſe ſpinis coronatus exhibuit, quaſi amiſſa potentia, quaſi non filium Dei. Quid eſt quod amat iſta, quæ dicit: Indica mihi quem diligit*, &c. *Quid eſſet vnde amaretur, niſi formoſus eſſet*, &c. *Ne vagari incipiam.* In Hebræo, ne errare, ſiue pallio tegi incipiam, &c. Non vult, qui totus eſt Dei, vagari. Rebecca Gen. 24. velamine texit caput videns Iſaac ſponſum procul, vt indicaret illi ſoli ſeruari totam pulchritudinem. *At illa tollens citò pallium ſuum operuit ſe*, &c. Abnegemus ergo

Iſai. 53.

Amatur Chriſtus ... vt formoſus.

Gen. 24.

Rebecca pallio texit pulchritudinem ſuam, ſoli ſponſo ſeruatā.

B & abdicemus quidquid Hiericho, id eſt, mundus habet, & nos ipſos in primis, vt victores ſimus, & diuino placeamus ſponſo. Achan *Imitatores ſunt, qui lingulam auream, aut purpuram. aut argentum præ Chriſto amant: exturbabuntur miſeri, & cremabuntur cum ſuis delitiis. Sara, quod ſe dixerit ſororem Abrahæ*, Gen. 20. *cùm eſſet coniux dixit Abimelech. Hoc erit tibi in velamē oculorum, id eſt, hic caſus, quo caſtigata eſt*, (Ita ſonant Heb.) *efficiet, vt deinceps, non voces Abraham fratrem, ſed maritum, qui ſit tibi velamen oculorum ad omnes ne ſcilicet oculos ad te adiiciant, & concupiſcant: Velamen oculorum habet anima, quæ Chriſtum habet ſponſum*, &c.

Gen. 20.

Velamen oculorum Saræ.

C 7. *Sola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſcondit enim nuntios.*] Ab anathemate exceptam vult Ioſue eſſe Rahab, tum propter fidem; tum propter operam ab ipſa poſitam, ad Dei conſilium promouendum, in obſidione patriæ ſuæ ſeruatis nuntiis Hebræorum. Quare in Iſraelitarum numerum, ſi non genere, tamen adoptione oportuit cenſeri. *Abſcondit*, inquit, *nuntios, quos direximus.* Vt enim ait Chriſtus Dominus, qui accipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; ac proinde quæ nuntium in nomine nuntij ſuſcepit, eum ſuſcepit, à quo nuntius eſt miſſus: Miſ-

Prouectio Rahab ex eo ſtu ... nuntios Populi Dei.

D ſi autem fuerant illi nuntij à populo Dei; quare remuneranda fuit benignitas, qua illos protexit. tum iuriiurandi protectione. tum honorifica ad populum Dei adnumeratione.

8. Voluit autem Ioſue mulieris etiam nomen, & artem notam eſſe populo, ne quid in diruptione vrbis per imprudentiam ageretur, nulluſque poſteà dolis, calumniis, fraudibus, cauillationibuſque eſſet. Vniuerſis prætereà, qui in domum Rahab confugiſſent, dummodo, vt pactum fuerat, neceſſarij illius eſſent, & cognati, incolumitas conceditur. Habes præclarum exemplum a Ioſue exhibitum principibus ſeruandi fidem, etiam inter arma. Cùm autem ait, *Viuat*, ſaluam,

Incolumitas datur iis, qui fuerint in domo Rahab domeſtici & cognati illius ſimul.

E omninoque illæſam eſſe vult. Verbum enim Hebræum hoc loco poſitum, & vitam, & integritatem, & ſanitatem ſignificat. Additur, *in domo*, quoniam. qui extra domum eſſent, neque pacto, neque iure, cenſebantur excepti, licèt cognatione, aut affinitate mulieri coniungerentur.

9. *Vos autem cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt vobis, quicquam contingatis.*] Proponit Ioſue publicè Dei mandatum ſub grauiſſima denuntiatione cuſtodiendum. Nam cauendi verbum ei minatur; qui neglexerit, vel contempſerit, publico, aut priuato commodo ſeruiens, id, quod Dei nomine præcipitur. Hebraicè eſt; *Simru*, id eſt, *cuſtodite*, ſeu *cauete*; Quid cauendum? Ne de his, quæ præcepta ſunt vobis quippiam contingatis, hoc eſt, ne profano contactu, ſiue ad vſus veſtros,

aliquid

aliquid de rebus, quæ anathematis iudicio vobis ſunt denunciatæ capiatis.

10. *Et ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur.*] Eos qui contra auſi fuerint, deuotos, ſacróſque atque interdicto obnoxios fore denuntiat. *Et ſitis præuaricationis rei*, hoc eſt, anathematis crimen ſubeatis ij, qui priuatim eiuſmodi patraueritis ſcelus. Id Hebraicè ſignificat, *Thahharimu*. *Et omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint*: nempe anathematis. vt Hebræa, Chaldaica, & Græca littera interpretatur. Hîc apertè declarat Ioſue eos, qui res ſacras, & tangi prohibitas, ſibi vſurpauerint non modò ſibi, ſed toti exercitui, malum allaturos. Idcirco ab huiuſmodi ſcelere, duplici nomine, & periculo tum priuato, tum publico deterrentur.

Qui rem aliquam Hiericho vſurpauerit ſibi & populo Dei nocebit, inquit Ioſue Abulenſis.

Illud rectè aduertit Abulenſis quæſt. 25. ad finem, nimirum diſtingui hæc duo, eſſe præuaricationis reum, & ſub peccato eſſe. Qui enim ſcelus committit, eſt præuaricationis reus: qui autem non peccat, & tamen ſubiicitur pœnæ peccati, dicitur eſſe ſub peccato. Ad hunc modum peccante contrà edictum Achan, ipſe quidem reus præuaricationis fuit, & propterea morte mulctatus. Caſtra verò Iſraelitarum, in præuaricatione non fuerunt, ſed tantùm præuaricationis pœnæ obnoxia, quam experti fuerunt 36. viri, qui pugnantes contra vrbem Hai, vulneribus conciſi ceciderunt, cæteris in fugam compulſis. Imò ſi crimen illud Achan non fuiſſet punitum, numquam Iſraelitæ victoriam in conſequentibus præliis reportaſſent, vt patet ex cap. ſequenti. *Non poteris*, inquit, *ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere.* Quibus verbis indicat Ioſue Dei punientis huiuſmodi ſcelera morem agnoſcens omnia caſtra, vel vno tantùm peccante, niſi crimen expietur, exturbatum iri. Turbari autem hoc loco eſt, proſperum Reipublicæ curſum intercipi, atque impediri. Eadem ſententia dictum eſt à Iacob Gen. 34. duobus filiis: *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis, & Phariſæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci ſumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Et 1. Reg. 14. Ionathas patrem incuſans ait: *Turbauit pater meus terram*, &c. Minatur itaque Ioſue futurum, vt caſtra Iſraelis, cuius erat fama omnibus vicinis vrbibus formidabilis, vnius ob noxam Dei ſingulari prouidentia, & ope deſtituta, hoſtium crudelitati expoſitum iri, & ludibrio.

Non erant Iſraelitæ victuri hoſtes in conſequentibus præliis niſi puniretur Achan.

Gen. 34.

1. Reg. 14.

11. *Quidquid autem auri & argenti fuerit & vaſorum æneorum, ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius.* Singulis obligationem indicit, exportandi in theſauros domus Domini omnem, ſine exceptione, cuiuſcumque metalli materiam, ſiue ea formam vaſorum habeat, ſiue informis ſit. Explicatiſſima autem voluit eſſe, quæ ad anathema, quæque ad incolumitatem familiæ Rahab pertinebant, ne quis auaritiæ, aut crudelitatis ſuæ tanquam ſibi ignorata eſſet ducis voluntas, ſi quid contra edictum peccaret, excuſatione vti poſſet.

Omne metallum Deo ſeruatur.

12. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis poſtquàm in aures multitudinis, vox, ſonitúſque increpuit, muri illicò corruerunt.*] Res, vt fuerat promiſſa magno eſt confecta miraculo. Iuſſerat Deus ſeriem rei gerendæ per Ioſue prænuntiari ad hunc modum: *Cúmque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus, vociferatione maxima & mu-*

A *ri funditus corruent ciuitatis. Ingredientúrque ſinguli per locum contra quem ſteterint.* Hanc ſeriem hic habes exactè obſeruatam. Quippe bis clamaſſe populum ſignificat ſemel illis verbis. *Igitur omni populo vociferante.* Fuit hic clamor lætitiæ, & plauſus index, ob affirmationem illis factam vrbis tantùm non traditæ. Non tamen ad hunc clamorem muri corruerunt. Ille namque poſt tubarum prolixiorem clangorem edẽdus erat, vt fuerat prænuntiatum. Tubarum verò ſonitus, illis verbis ſignificatur editus, *clangentibus tubis*. Hanc verò clangorem ad muros diruendos populi iteratus clamor, victoriam celebrans eſt conſecutus. Hoc illud eſt. *Poſtquam in aures multitudinis vox, ſonitúſque increpuit.* Enim verò ad tubarum

B conciſum ſonitum, vox illa populi altior, & vehementior, cornuum permiſta clangori acceſſit. Vehementiorem autem fuiſſe Hebræa, & Græca lectio exprimit; ita nimirum, vt ſinguli clamorem, contenta voce ediderint, quantum potuerunt maximum.

Quid eſt; *Muri illicò corruerunt?* Ad ſonitum tubarum, & vociferantis populi ciuitatem ambientis; ita muri ceciderunt, vt à terra abſorpti ſint, vt Hebræa indicant, & Chaldaicus Paraph. expoſuit.

13. *Et aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat. Ceperúntque ciuitatem, & interfecerunt omnia*

C *quæ erant in ea*, &c.] Aditus ad vrbem liber ſingulis militibus, & cæteris Hebræis: ita patuit, vt aſcenderet vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat, & ceperunt vrbem expugnatores. *Et interfecerunt*, inquit, *omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem, boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt vrbem.* Hanc omnem, quæ prima illius regionis fuerat, ita ex diuino decreto vaſtari oportuit, vt nihil ex illa, quod poſſet in humanos transferri vſus, ſupereſſet. Crimen ob quod extincta funditus ea gens fuerit, iniquitas eſt completa, vt à Moſe prædictum fuit. Amorrhæos namque tulit Deus, do-

D nec ſcelera ad certum menſuræ modum peruenirent, qui ſub aduentum filiorum Iſrael cumulum accepit.

Nihil ex prima ſpoliis [illegible] completam Amorrhæorum iniquitatem.

14. Quid cauſæ ſit, cur pueri anathemate inuoluerentur, diſputant Patres, & in primis Diuus Auguſtinus in hunc locum, quem citat Abulenſis quæſt. 32. & 33. vt ſuo loco videbimus. Interim illud in cauſa eſſe arbitror, tum quod filij parentum exempla videre poterant, & ad eandem morum corruptelam proni, quod viderant imitari. Infantes autem tenerioris ætatis, quamuis rerum cognitionis expertes ſint, in externis tamen parentum bonis numerantur. Hæc autem obſeruatio in Dei iuſſis locũ habet, à quo quidquid præcipitur, ſanctum eſt. Non verò in hu-

E mana adminiſtratione, in qua parentes pro filiis, filios pro parentibus, aut aliquem pro aliena culpa ſupplicio affici, illicitum eſt. Denique voluntatis diuinæ fuit, vt veluti herbæ noxiæ extirparentur incolæ terræ Chanaan; vt ager ille melioribus plantis. hoc eſt, Hebræis veri numinis cultoribus, recipiendis, idoneus eſſet. Sic orbem terrarum octo exceptis capitibus inundatione deleuit, vt ſobolem, ex qua naſciturus erat Meſſias, aptè præpararet.

Auguſtinus. Abulenſis.

A Deo ſæpè infantes teneriores ætatis [illegible] parentum numerantur [illegible] in illorum bonis numerantur.

Mali delentur vt ſuccedant boni.

15. Pro, *Interfecerunt*, Hebraice eſt, יַחֲרִימוּ. *Iahharimu*, id eſt, vt Sept. vertunt, *anathematizauerunt*. Quo verbo iudicij ratio indicatur. Pecora igitur omnia, & iumenta, cum vtriuſque ſexus multi-

multitudine ſub anathemate comprehenduntur, & occiduntur. Equorum, & camelorum, lege id iubente, vbicumque apud hoſtes reperirentur, crura ſuffriogebantur, eóque modo, ſi fortè in hac vrbe erát, in has bellvas animaduerſum fuiſſe, credibile eſt. Iam labor ipſe in direptione vrbis, & tot capitum occiſione poſitus; ſabbathi, ſi forte ea dies ſabbathum erat, religionem non violauit, Deo, qui author eſt legis, diſpenſante.

Verſ. 17.] Sitq́; ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt Domino.

Quanam ſignificatione vſurpet ſacra ſcriptura vocem anathema?

ANNOTATIO I.

Anathemata ſunt quæ Diis inferis dicata omnes capita.

1. ANATHEMA, græcè, *ἀνάθεμα*, idem eſt, quod *deteſtatio*, vel *execratio*: Item *donarium*, quod in templi pariete, vel columna Diuis ſuſpenditur, *ἀπὸ τοῦ ἀνατιθέναι*, hoc eſt, *à ſeponendo*, vel *ſuſpendendo*, vel certè ab eo, quod piaculum eſſet, ea loco mouere. Dicitur & græcè *ἀνάθημα*, per η, vnde *ἀναθήματα*, à verbo *ἀνατίθημι*, id eſt, *tribuo, accommodo, ſuſpendo*: dicti ſunt ſacri homines, quorum capita Diis inferis dicata ſunt, & deuota, & *ἀνάθεσις*, eſt dicatio ipſa, & cōſecratio. Expreſſit Macrob. vim huius vocis, ſecundum quam donaria per eam ſignificari diximus his verbis. *Ornamenta fanorum ſunt clypei, corona & huiuſmodi donaria: neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur.* Hoc vocabulo etiam ſtatuas ſignificari affirmat Budæus in comment. linguæ Græcæ, fortè, quia in ſublimi loco ponuntur, eo nos ſignificare hodie poſſumus quicquid voti cauſa, in templis ſuſpenditur, ſiue imagines ſint ceree, ſiue argenteæ, ſiue vexilla in ſignum victoriæ, fauore Virginis, aut alterius diui, ab hoſtibus reportatæ.

Macrobius.

Budæus.

2. Quidam volunt, *anathema*, compoſitum eſſe à præpoſitione *ἀνὰ*, id eſt, *ſurſum*, & *θῆτα*, quæ litera in fronte damnatorum in ſignum exitij deſcribebatur. Vnde, vbi, Sept. tranſtulerunt, *anathema*, habetur Hebraicè, *Herem*, quæ vox propriè *occiſionem* ſignificat, vt paulò antè annotauimus. Imò quicquid Deo mactatur, dicitur *Herem*. Quare hoc loco, *ſitq́; ciuitas hæc anathema*, Hebraice eſt, *Herem*, quam vocem magis explicat ſequens ſententia: *Et omnia, quæ in ea ſunt Domino*, quaſi dicat, non nobis, ſed Domino igni, aut ferro mactentur. Numer. etiam 18. vbi noſtra editio habet: *Omne, quod ex voto dederint filij Iſrael, tuum erit*, Hebraicè legimus: *Omnis Herem*, id eſt, omnis interfectio animalium ex voto cedet tibi.

3. Huc reſpexit D. Hieronym. in epiſt. ad Algas. quæ. 9. explicans illa verba Apoſtoli ad Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, &c. Sic enim ait: *Hoc idem ipſum eſt dicere, optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, &c. quod, *dele me de libro vitæ: ſimulque cerne Apoſtolum quanta charitatis in Chriſto ſit, vt pro illo cupiat emori, & ſolus perire dummodo in illum credat humanum genus: perire autem non in perpetuum, ſed in præſentiarum.* Deinde paulò infrà addit: *Quod autem anathema interdum occiſionem ſonet, multis veteris inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt.* Hæc Hiero.

Hieronym. Rom. 9.

Anathema aliquando ſignificat occiſionem.

4. Confirmat hanc vocem ſignificare ſeparationem, & occiſionem ille locus Zachar. 14. vbi agitur de Iudæorum refutatione, & vocatione gentium, ſic enim ait: *& anathema non erit amplius.* vbi Hieronym. interpretatur. *Nullus erit meus hoſtilis impetus.* Chaldæus verò vertit. *Nec occiſio erit amplius.* Quæris quomodo id impleatur? quando experimur in Eccleſia veram eſſe illam Chriſti promiſſionem, Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Imò tempore perſecutionum, quantumcunque martyrum effunderetur ſanguis, non erat anathema, id eſt, totius vniuerſalis Eccleſiæ occiſio, & deuaſtatio; ſicut enim *granum frumenti, ſi mortuum fuerit, multum fructum affert*: ita vnius martyris ſanguis occiſi pro Chriſto centum denuò ad fidem aggregabat; compenſante nimirum Eccleſia ſua detrimenta, nouis ſemper, & cumulatioribus incrementis.

Zach. 14.

Hieronym. Chal. Paraph.

Matth. 16.

Ioan. 12.

5. Contrarium minatur Deus, Malach. 4. mundi incolis, & ſectatoribus. *Ne forte* inquit, *veniam, & percutiam terram anathemate*, id eſt, vſque ad vltimum excidium: Sept. vertunt, *Ne forte percutiam terram penitus.* Hoc anathema mundi, ſiue excidium vltimum ad diem finalis iudicij differtur, quando peccatoribus cunctis morte ſubiatis, iuſtis dicetur, Luc. 21. *Hæc autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*, quaſi dicat, quæ impiis dies anathema, vobis ſalus erit. At cur dubitando dixit Dominus: *Ne fortè veniam & percutiam?* Nonne indubitata fide credimus, venturum in iudicium Dei filium? *Videbunt* (inquit Dominus, Matt. 24. & 25. & Luc. 21.) *filium hominis venientem in nube*, &c. Reſpondeo particulam, *fortè*, appoſitam eſſe, vt ſignificetur, permitti liberum arbitrium peccatoribus ad reſipiſcendum, ne illis aduentus filij Dei anathema ſit, ſiue damnatio, ſed ſalus, & redemptio. Nomine terræ, peccatores & reprobos intelligit Auguſt. lib. 20. de Ciuit. cap. 29. *Terra*, inquit, *ſunt qui terrena ſapiunt*, &c. Igitur dum ait Deus, *ne fortè*, &c. nos admonet, vt ſtatim illum amanter quæramus ante tempus anathematis, exemplo ſponſæ, de qua Cant. 3. quæ in lecto cogitans futurum aduentum, maluit ſurgens illi occurrere de nocte, etiam cum detrimento, quàm in molli culcitra illum expectare, quando *ignis ante eum præcedet*, &c. Quanti illi ſteterit hoc negotium declarat. *Inuenerunt*, inquit, *me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem.* D. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 7. & lib. 3. de virg. putat Angelos malos intelligi, quia infrà dicitur. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me & vulnerauerunt me*, &c. Solet namque fieri, vt impedimenta occurrant iis, qui Deum quærunt. Bernard. ſerm. 78. in Cant. magiſtros & duces intelligit viæ ſpiritualis. Ne quis putet ſine duce ſibi quærendum Chriſtum, ille vigiles illos, & magiſtros ſponſæ ſubmiſit, vt eam viam docerent. Carpit eos Bernard. qui ſine duce Chriſtum quærunt: *Seductori*, inquit, *dat manum, qui dare diſſimulat præceptori*, &c. In eandem ſententiam loquitur Auguſt. in prologo librorum de doctrina Chriſtiana, *quod per hominem diſcendum eſt, ſine ſuperbia diſcat homo. Profuit ſponſæ vigilum inſtructio: Paululum*, inquit, *cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Rich. in Cant. putat meruiſſe ſponſam, inuenire ſponſum, quod interrogauerit vigiles, qui ea inferiores erant de ſuo ſponſo interrogare.

Malach. 4.

Excidium mundi vltimum vocatur anathema.

Luc. 21.

Matt. 24. 25.

Auguſt.

Cant. 3.

Bernard.

Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori.

Auguſt. Cant. 3.

Profuit ſponſæ vigilum inſtructio.

Greg. Nyſſ. Ambroſ.

Greg. Nyſſ. orat. 6. notat non inueniri Deum ab ſponſa niſi creaturis omnibus pertranſitis, Ambroſ. ſerm. 7. in Pſalm. 118. *Si bonos*, inquit, *cuſtodes accipimus, vtique Angeli ſunt. Qui verò Angelos tranſiuit, verbum inuenit.* D. Auguſt. in lib. ſpeculi, cap. 33. tom. 9. *Deus, quem nemo amittit niſi deceptus: nemo inuenit, niſi purus, aut purgatus*, &c.

Auguſtinus.

Quid ſit tenere IESVM.

Sponſa igitur ne vnquam anathema ſit, id eſt, ſeparata à IESV, quem quæſiuit, & inuenit, *Tenui*, inquit, *nec dimittam.* Sept. vertunt ἐκράτησα, id eſt, fortiter tenui, ſeu apprehendi; nec dimittam ſemel complexum. Expendit Chryſoſt. hom. 11. ad Philipp. emphaſim huius prehenſionis in illis verbis. *Sequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu*, quem locum ſic explicat. *Ex pereuntibus eram, ſuffocabar, apprehendit me Deus. Nam & ipſe, nos cùm fugeremus magno ſtudio perſecutus eſt, oſtendit apprehendere volentis diligentiam, & noſtram plurimam auerſionem*, &c. Idem hom. 5. cap. 2. ad Hebr. in illud, *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen*, &c. *Non dixit*, inquit Chryſoſt. *ſuſcepit, ſed iſto verbo vſus eſt apprehendit ex metaphora inſequentium eos, qui auerſi ſunt. Vt fugientes occupent, & vt reſilientes apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipſo naturam humanam inſequutus apprehendit, oſtenditq́; quoniam miſericordia ſola hoc fecit*, &c. Fortè ſponſus ſicut Chriſtus, Luc. 24. *finxit ſe longius ire*, & diſcipuli coegerunt illum manere: *Mane nobiſcum Domine*, &c. Ita ſponſa tenuit non inuitum. Ambr. in lib. de Iſaac & anima, capite 5. referens verba ſponſæ ait; *multi ſunt, qui in otio quærunt* IESVM, *nec inueniunt, & quærunt in perſecutionibus, & citò inueniunt. Quia in periculis ſuorum fidelium adeſt. Quàm modicum*, inquit, *ſponſa cùm tranſiui ab eis, inueni eũ, tenui eum, & non dimiſi eum*, &c. De Mariis quæ non inuenerunt Chriſtum in monumento, & audierant ab Angelo: Ieſum quæritis Naz. crucifixum, ſurrexit, non eſt hîc. Ita idem Ambroſ. *Dum vadunt Apoſtolis nuntiare, miſeratus quærentes occurrit ei* IESVS, *dicens, Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius. Tenetur ergo* IESVS, *& delectatur ſic teneri*, &c. Guitmundus in lib. 1. de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti, excitat nos ad prehendendum Chriſtum, quando ipſe in Euchariſtia iuxta Concil. Lateran. premi ſe dentibus humanis, & atteri patitur: Thomæ manibus ſe attractari paſſus eſt. Soli Mariæ dixit, vt Ambroſ. annotauit loco citato: *Noli me tangere*, fortè, quia non credebat illum propria virtute ſuſcitatum. Accedamus ergo ſincera fide, & amore ad IESVM antequam iudicaturus mundum veniat; Ne fortè percutiat terram, id eſt, nos terræ, & peccato otioſè adhærentes anathemate.

Chryſoſt. *Deus nos ſequitur, vt prehendat fugientes.* Hebr. 2. Luc. 24. Ambroſius. *Multi in otio quærũt* IESVM, *& non inueniunt, niſi in perſecutionibus.* Matth. 26. Guitmundus. Conc. Later.

1. Cor. 16. D. Hieron.

6. Hinc rectè intelligitur illud, 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſit anathema*: ſuper quem locum D. Hieronym. ſicut illis, qui eum amant, vt redemptio venturus eſt Chriſtus; ita eis, qui eum non amant, anathema fit, id eſt, vt eos abominetur & perdat. Videtur autem Apoſtolus alluſiſſe ad illum Malachiæ paulò antè citati locum. *Ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Deinde perſpicitur quid ſit, 1. Cor. 12. *anathema* IESV. *Nemo*, inquit, *in ſpiritu Dei loquens poteſt dicere anathema* IESV, ſignificant namque hæc verba ſpiritum Dei non eſſe ſpiritum blaſphemiæ, quo Ieſu Chriſti nomen blaſphemetur: ita interpretatur Chryſoſt. quem ſecutus Theophylactus: *Hoc tibi*, inquit, *ſignum ſit inſani vaticinij, execrari, blaſphemare omnituſq́; inceſſere* IESVM, &c. Tale ſignum ediderunt Phariſæi, Ioan. 8. qui Dominum blaſphemantes dicebant: *Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* Hos imitantur hæretici, qui veſtem eius, hoc eſt, Eccleſiam maledictis, & dicteriis abſcindunt.

1. Cor. 12. Chryſoſtom. Theophyl. Ioan. 8.

7. Aduerte tandem, quod Hebræi חרם Græci ἀνάθημα, ſiue ἀνάθεμα dicunt, id ipſum lingua Syrorum vocari *Maranatha*. Solum Græcum anathema in bonam partem, & in malam accipitur, ſignificat enim donaria Deo dicata & appenſa, prætereà homines deteſtandos, qui ad arcendam Dei minabundi iram, morti deſtinati immolabantur. In quo ſenſu Paulus dixit Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à fratribus meis.* Idem obſeruatum eſt apud Latinos in nomine ſacer & ſacrum. Denotat enim rem ſanctam, & Deo dicatam. Itémque id, quod execrandum eſt & deteſtabile: ſic Æneid. 3.

Maranatha apud Syros idem quod anathema. Rom. 9. Virg. Æn. 3.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Rurſus, homo ſacer dicebatur apud antiquos, qui poſt diras execrationes peſtilentiæ expiandæ, vel alterius calamitatis gratia alicui Deorum immolabatur: quamuis per metaphoram latè interdum accipi ſoleat pro quouis homine ſcelerato, & deteſtabili, Græcè κάθαρμα, Hor. lib. 2. ſer. Sat. 6.

Homo ſacer quid ſit. Horat.

Inteſtabilis & ſacer eſto.

Vide Macrob. lib. 3. Saturn. Hæc de ſignificatione, & vſurpatione vocabuli anathematis, dicta ſufficiant.

Macrobius.

Verſ. 17.] Sitq́; ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt.

An anathema ſimile fuerit excommunicationi? & quomodo à veteribus impoſitum ſit?

ANNOTATIO II.

Anathema quo damnabantur vrbes.

1. ANATHEMA, quo damnabantur vrbes, modum præ ſe ferebat excommunicationis. Hæc autem, iudicis canonum decreta rimantis arbitrio, interdum plures, interdum pauciores habet effectus: aliquando etiam multos; aliquando paucos ligat. Ad hunc modum per ſententiam anathematis contra aliquam vrbem prolati, interdum tota vrbs damnabatur, ne vnquam habitaretur. Aliquando cum vrbe ſpolia igni applicabantur. Abigebantur nonnunquam cum cæteris ſpoliis pecora, aut iugulabantur. Nec verò ſemper Dei iuſſu ponebatur anathema: Cõſtat enim poſitum fuiſſe ab Hebræis, Num. 21. ſuper aliquas ciuitates, ſic enim ſcriptum eſt. *At Iſrael voto ſe obligans ait: ſi tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius* (hoc votum fuit de anathemate:) Deinde additur: *Exaudiuitq́; Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille occidit ſubuerſis vrbibus eius, & vocauit nomen loci illius Horma, id eſt anathema*, &c. Ex quo manifeſtum eſt licuiſſe hominibus ſuo arbitratu, modũ anathematis præſcribere: quando Deus quid vellet, non ſignificabat.

Num. 21.

2. Quæ-

Primum genus anathematis Demolitio & complanatio vrbium combuſta cum præda.
Ioſue 8.

2. Quæres an eodem modo ſemper anathema ſit inflictum ciuitatibus? Negat Abulenſis quæſt. 14. Aliquando namque ſola ciuitas combuſta, vt tumulus eſſet ſempiternus denuntiabatur ſeruata præda, & militibus diſtributa; vt accidit in anathemate Hai, de quo infrà cap. 8. *Iumenta autem, & prædam ciuitatis diuiſerunt ſibi filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Ioſue, qui ſuccendit vrbem, & fecit eam tumulum ſempiternum.* Licèt autem anathematis in litera mentio non fiat, res ipſa poſitum fuiſſe, vel eo indicat, quia combuſta eſt, & in tumulum redacta ſempiternùm, ne quis in ea ampliùs habitaret. Quid verò anathema eſt, ſi hoc non eſt? Cur Hiericho anathema? Quia dictum eſt, ciuitas hæc anathema ſit: quam vocem ſecuta eſt incenſio, & demolitio ne vnquam incoleretur. Demolitio ergo & complanatio vrbium anathema eſt. Nam Num. 21. Poſtquàm dictum eſt. *Deleuit Iſrael vrbes Chananæorum.* Sequitur, *Vocauit nomen loci illius anathema.*

Num. 21.

Secundum complanatio cum ... ſeruata parte theſauris Dei.

Secundus modus anathematis erat; cùm poſt complanationem interdicebatur ædificatio imprecatione aliqua, cum rerum omnium, quæ intra muros eſſent, extinctione: ſeruatis iis duntaxat, quæ in theſauros Domini poterant inferri, vt argentum, aurum, ferrum, &c. Huiuſmodi fuit anathema Hiericho.

Omnium excidium.

Tertius modus erat cùm factis imprecationibus prædictis nihil nec Deo, nec hominibus applicabatur; ſed muris complanatis ferro, & ignibus omnia tradebantur. Hanc præcepit Deus, Deut. 13. fieri vrbium Iſraelitarum idololatrantium, expiationem; ob cauſas quæ eo loco redduntur. Ad hoc genus anathematis pertinet illud, quod voto Iſraelitarum inflictum fuit, vrbibus Chananæis Regis Arath, quæ erant extra fines terræ promiſſionis ad meridiem. Vide Abulenſ. quæſt. 14. ad finem, & ſuper cap. 21. Num.

Deut. 13.

Quale fuerat anathema poſitum in vrbibus Chananæis? Abulenſis.

2. Sciſcitabitur ſecundò aliquis, cur in euerſione Hiericho, Iſraelitæ Deo conſecrarint aurum, argentum, & omnia metalla? An quia id per Ioſue à Deo fuit præceptum? vel potiùs, quia Deus vult, vt pro collatis in nos beneficiis debitas illis reddamus, non ore ſolùm, ſed etiã opere gratiarum actiones? Vtraq; gratiarũ actio commendatur, Pſalm. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis.* Mox ſubiungitur: *Et redde altiſſimo vota tua.* Opera exigit à nobis magis Dominus, quàm verba. Nam iuxta Ariſt. 10. Eth. *operationes ſermonibus præſtant in moralibus.* Quare confeſſio laudis magis cernitur in re, quàm in voce. Hinc Deo decimas damus, & primitias, quaſi proteſtantes annuum nos cenſum debere, fructuum terræ largitori. Cùm igitur Iſraelitæ nulla humana induſtria debellauerint Hiericho, rerúmque illius diuino ſint beneficio potiti, quaſi primitias, ſiue primos fructus terræ Chanaan; eam ipſam Deo conſecrant memores illius oraculi. Deut. 8. *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia contulerunt; ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe tibi vires præbuerit, vt impleres pactum ſuum, quod promiſit patribus tuis.* Quid quod Deus aliquando nulla humana ope interueniente, ad felices exitus pugnas perducebat, iuxta illud Exod. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis?* Oportuit ergo grati animi indicium præbere Deo, cui ſoli primæ vrbis ceſſit victoria; eiuſdem vrbis oblatione & dedicatione.

Cur Iſraelitæ in euerſione Hiericho Deo conſecrarint ſolum metalla?

Pſal. 49.

Ariſt.

Confeſſio laudis diuinæ magis cernitur in re, quàm in voce.

Primam vrbem expugnatam quaſi primitias Deo conſecrant Iſraelitæ.
Deut. 8.

Exod. 14.

Grati debemus eſſe benefactori Deo.

3. Admonet nos hic locus, vt grati ſimus benefactori Deo. Bernardus ſerm. 13. in Cant. *Origo*, inquit, *fontium, & fluuiorum omnium mare eſt. Virtutum autem, & ſcientiarum Dominus* IESVS CHRISTVS. *Quis enim Dominus virtutum, niſi ipſe Rex gloriæ? ſed & ipſe ſcientiarum Dominus eſt,* 1. Reg. 2. *Quod ſi copia aquarum ſecretis recurſibus æquora repetunt, vt inde rurſus ad vſus noſtros iugi erumpant obſequio. Cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant proprio fonti, ſine fraude, & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Remittatur ad ſuum principium cæleſte profluuium, quo vberiùs terra refundatur. Qualiter inquis? In omnibus gratias agentes,* 1. Theſſal. 5. &c. Tantùm valet gratiarum actio vt omnia ſanctificet, 1. ad Timoth. 4. inuehitur in eos Apoſtolus, qui abſtinendum eſſe dicebant à cibis, *quos Deus creauit, vt cum gratiarum actione perciperentur.*

1. Reg. 2.

Vtiliter Deo gratias agimus

Eccleſ. 1.

1. Theſſal. 5.
1. Timoth. 4.

Sunt qui Deo acceptis beneficiis terga vertunt & largitorem bonorum obliuiſcuntur. Vt qui aqua indigent, ad fontem accedunt; eum reſpiciunt, &c. Móxque hauſta aqua, in hydria terga vertunt. Hier. 2. queritur Deus dicens. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, &c. Ac ſi dicat, afflicti me quæſierunt; poſt acceptam verò miſericordiam ad priſtina ſcelera redierunt, ingrati. Id ne fieret, præcepit Deus, Ezech. 49. vt qui per vnam portam accederet, vſque ad ſancta ſanctorum, per aliam egrederetur, ne propitiatorio terga verteret. Pueri Hebræi, Dan. 3. ſe liberos ab incendio videntes, vt grati eſſent, ad laudem diuinam concitarunt, cùm res omnes creatas, tum increatas, vt noctes quæ nihil ſunt; quia tamen ordinem habent à Deo in harmonia temporis cùm diebus, idque ab artifice Deo: inde laudatur Deus; ſicut ſilentia ipſa in muſicis interuallis; & vmbræ in picturis, artificem commendant, ſic tenebræ Deum. Imitemur Tobiam cap. 12. qui penſitans beneficia ab Angelo, quem virum putabat, accepta; Filio ait. *Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?* Cui filius, numerans beneficia reſpondit. *Peto, vt roges eum, ſi fortè dignetur medietatem, de omnibus quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.* Placuit Angelo hæc gratitudo, ſeque manifeſtauit vnum eſſe ex eorum numero, qui aſtãt coram Deo. *Tum proſtrati in faciem per horas tres benedixerunt Deum.* Quid nos toties illuminati, & donis maioribus, id eſt, gratiæ cumulati facere debemus? Pſalm. 70. *Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemiſti*, cauſã reddit. *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt quis ſimilis ſit tibi:* In Hebr. iuxta Hieron. *Et cogitationes tuæ pro nobis.* Gratam ſe diuino ſponſo, Cantic. 1. præbet ſponſa, dicens: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Agnouit ſcilicet, vberum nomine, pietatem, & dilectionem tenerrimam, quæ maximè reſidet in pectore, in quo ſunt vitalia. Vnde Apoc. 1. præcinctum vidit Chriſtum ad mamillas Ioannes. Idem magis expreſſit in vino, quo omnia ſignificantur oblectamenta. Hebræi aliqui vertunt: *Meliores ſunt amores tui vino.* Debetur tanto amori gratitudo. Iuſtinus lib. 11. refert, cùm Darius Alexandrum fugeret, & perſuaderetur ab amico, vt pontem, quo euaſerat deiiceret, ne aduerſariis viam præberet, reſpondiſſe, nolle ſe ingratum eſſe in pontem, à quo tranſeundi beneficium recepiſſet. Ponderat Chryſoſtomus homil. 38. ſuper Geneſim cap. 16. Agar ingratitudinem erga

Saram, à qua acceperat beneficium, vt admitteretur ad thalamum Abrahæ, contempſit enim dominam ſuam deinceps. D. Gregorius lib. 2. homil. 19. in Ezech. cap. 40. ad illa verba: *Et veſtibulum ante fores eius: & cælatæ palmæ erant vna hinc, & altera inde in fronte eius.* Omnes, inquit, *qui ad vita aditum tendimus, ex dextro, & ſiniſtro latere habere palmam debemus. A dextro palmam habet is, quem proſpera non extollunt. A ſiniſtro, quem aduerſa non deiiciunt.* Deinde addit: *Diſcamus itaq; fratres, & in proſperis & in aduerſis gratias agere.* Hæc Gregorius, quibus verbis, duas erigi palmas ab eo putat; qui triſtis, aut lætus gratias Deo agit, id nobis quod optimum eſt, ſemper prouidente.

Verſ. 17.] Sítque ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt.

Cur Hebræi Deo obtulerint Hiericho, potiùs quàm aliam vrbem terræ promiſſæ? & cur nihil ceſſerit expugnatoribus, ſicut metalla Deo?

ANNOTATIO III.

1. TRIPLEX occurrit cauſa, cur potiùs Hiericho, quàm aliæ vrbes captæ in terra promiſſionis, fuerit Deo oblata. Prima eſt, quia nouerant Hebræi; primitias tam fructuum, quàm operationum noſtrarum, Deo eſſe gratiſſimas. Cùm enim appetitus hominis auidè feratur ad percipiendos, in ſuam vtilitatem primos fructus, vt ſignificauit Apoſtolus 2. Timoth. 2. *Oportet laborantem agricolam, de ſuis fructibus edere primum,* &c. Sanè cùm ſe homo priuat ea voluptate, idque Deo offert, quod ardenter appetit, diuinam ſibi maximè conciliat beneuolentiam. Quare decens fuit, vt Hebræi ciuitatem primò captam, tanquam primitias quadam prærogatiua pretioſiores, numini conſecrarent.

2. Altera eſt; quia voluerunt liberales eſſe in oblatione Deo facta: Liberalitas autem iuxta Ariſtotelem lib. 4. Ethic. non tam æſtimatur ex magnitudine doni, quàm ex affectu dantis. *Nihil,* inquit, *prohibet liberaliorem eſſe minora dantem, ſi à minoribus det, hoc eſt, ſi ex tenuitate ſua, affectu liberali donet.* Hanc ſententiam confirmauit Chriſtus, Luc. 21. cùm viduam æra minuta inferentem in gazophylacium, diuitibus maiora donantibus antepoſuit. *Verè dico vobis, quòd hæc vidua pauper, plus omnibus miſit.* Ac ſi dicat: Omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Domini; hæc autem ex eo, quod eſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit, &c. Iudæi ergo nihil in bonis ex terra Chananitide, habebant præter Hiericho. Quare, vt voluntatem Deo gratam oſtenderent, illam, vt erat, integram Deo obtulerunt, non magnitudinem, aut paruitatem muneris, ſed affectum, quo quidquid habebant, antequàm aliarum vrbium, præda diuites eſſent, æſtimatione dignum reputantes.

Luc. 21.

Voluntatem Deo gratã declarant Iſraelitæ conſecrantes in Hiericho.

3. Tertia, quia in aliarum vrbium expugnatione, licèt à Deo adiuti fuerint, non tamen, ipſis quieſcentibus totum negotium confectum eſt; ſicut in vrbe Hierichuntina. Nihil enim aliud ab Hebræis geſtum legimus, quàm pompam, Dei iuſſu circunductam. In deportatione arcæ, præceſſit populus armatus. Deinde ſecuti ſunt ſacerdotes cum buccinis. Tertio loco arca: poſtremo reliquum vulgus. En pompam habes. Sic in proceſſionibus Eccleſiæ, propter quas Deus ſingularia populo Chriſtiano confert beneficia, fideles præcedunt vexillis, crucibuſque armati. Deinde ſacerdotes hymnos decantant. Tertiò, it prælatus ſub vmbella Euchariſtiam, aut ſacratas ferens reliquias; Tandem vulgus hominum. Quis ergo diruit muros circumducta pompa, niſi qui illius author fuit, & inſtitutor? In aliis vrbibus legitur à Iudæis fuiſſe pugnatum, aut aliquid ſaltem, Deo cooperante actum. Hîc Hierichuntini nec mutire auſi ſunt, omnes in ſua quiſque domo, veluti inertia pecora in ouili occiſi ſunt. Iſraelitæ, vrbe, opibus, incolis; ſolo clamore victores effecti potiti ſunt, Dei nutum ſequentes. Pluribus ergo nominibus hæc vrbs Deo debita erat, quàm aliæ. Quid mirũ, ſi illi, à quo data fuit, conſecretur? Conſueuerunt viri, & fœminæ, alta mente præditæ, filios, quos cùm eſſent ſteriles ediderunt; auctori fœcunditatis Deo conſecrare. An non mater Sanſonem ſibi, ſterilitate laboranti conceſſum, voto Nazarenorum perpetuò alligauit, Iudic. 13. Quid Anna, 1. Reg. 1. Samuelem, ſibi, cùm infœcunda eſſet, diuinitùs datum, Deo, à quo illum acceperat, veluti rem illi debitam officiosè retulit, templóque addixit.

Hierichuntini, velut inertia pecora in vrbe conclusi, ab Iſraelitis occiſi ſunt.

Conſueuerunt parentes Deo conſecrare filios quos miraculo genuerunt.

Iudic. 13.

Anna.

1. Reg. 1.

4. Supereſt explicemus, cur, quæ combuſta ſunt, dicantur data eſſe Deo? Profectò, ſicut metalla ad vſum vaſorum tabernaculi Deo dicata ſunt; ita illa, quæ incendio abſumuntur, ſi ob Dei gloriam id fiat; ſacra fiunt, & Deo grata. Primùm ex intentione offerentium, & colentium illo munere Deum. Deus autem pluris intentionem facit, quàm opus ipſum; licèt opere etiam ipſo, quatenus intentionis ſynceritatem indicat, delectetur.

Cur quæ combuſta ſunt, dicantur Deo dicata.

Quicquid Deo offertur, tanti Deus eſſe offerentis mentem habet.

5. Secundò, ex punitione idololatriæ, & impudicitiæ, cui aſtricti erant Hierichuntini. Sicut enim Deus occidit Sodomitas, & quatuor eorum ciuitates ſubuertit, Geneſ. 18. & 19. ita ſi quis vicem illius agens, vt diuinam vindicaret offenſionem, perimeret infandos hos populos Deo gratus haud dubiè foret, & acceptus. Idem iudicium eſt de quibuſcumque idololatris. Inter Iudæos, ſi aliqua ciuitas coleret idola; præcipiebatur, omnis Iſrael conſurgere, vt ciuitas illa cum hominibus pecoribus, cæteriſq; rebus igni conſumeretur, & in tumulum redigeretur ſempiternum. Hac conſumptione cenſebatur Deus delectari, Deut. 13. *Statim,* inquit, *percuties, habitatores vrbis illius in ore gladij, delebiſq́ eam, & omnia quæ in ea ſunt vſque ad pecora. Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus,* &c. Conſumi Domino, eſt in honorem Dei cremari; vt intelligas vrbis Hierichuntinæ incenſionem, in honorem Dei, ex Hebræorum voto, ceſſiſſe. Quamuis autem ille locus Deuteronomij ſolùm loquatur de vrbibus, quæ incolerentur à Iudæis, quoniam illis maior inerat flagitium ob legem violatam, & pactum initum cum Deo, de non recipiendis Diis alienis; tamen cùm Gentiles idololatræ, à peccato non excuſentur vt Apoſt. ait ad Rom. 1. aliqua pœna, licèt mitiori, affici æquum erat.

Gen. 18. & 19.

Deut. 13.

Conſumi Domino, idololatria dedita, eſt in honorem Dei cremari.

Rom. 1.

Num. 21. Hebræi vouerunt Deo vaſtationem vrbium ethnicorũ tamquam rem illi gratam.

6. Tertiò, Hebræi vouerunt Deo ſub anathemate demolitionem vrbium ethnicorum, tanquam rem ipſi gratam, vt patet Num. 21. *Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius.* An, qui ita loquuntur, non putant votum ſuum eſſe Deo gratum? Res ipſa, gratum eſſe indicauit, ſubiungit námque ſacer hiſtoricus. *Exaudiuitque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chananæum quẽ ille interfecit, ſubuerſis vrbibus eius, & vocauit nomẽ loci illius horma, id eſt, anathema.* Vides ceſſiſſe in honorem Dei, non ſolùm anathematizationem ciuitatum Iudæorum idola ſectantium, ſed etiam gentilium? Conſtat igitur non ſolùm acceptaſſe Deum metalla vrbis Hiericho, tanquam donum ſibi gratum; verùm etiam omnium, quæ in ea erant in honorem numinis, factam combuſtionẽ.

Num. 31. Abulenſ.

B 7. Quæres cur ſola metalla conſeruata fuerint Deo, cùm tamen, & purpura eſſet, in illa ciuitate, vt conſtat ex pallio Achan & byſſus & pili caprarum, atque pelles, quæ ſagis, & operimentis ſanctuarij, vſui eſſe poterant? Reſpondetur. Nihil aptè, & ſecundum legem potuiſſe ex ea vrbe Deo applicari præter metalla. Vt enim Abulenſ. ſcitè annotauit quæſt. 25. quæ de manubijs gentilium Deo offerenda erant, oportebat igni antè purgari, quidquid ergò ignis purgationem ferre non poterat, vt purpura & pelles, & quidquid huiuſmodi eſt, populo quidem inſeruire poterat lotum aqua; Deo autem applicari non poterat. In rebus námque quæ Deo applicantur, maior munditia requiritur, quàm quæ aqua fieri poteſt. Cùm igitur metalla ſolùm ignem ſuſtinere ſine detrimento valerent, hæc ſola ex anathemate, Deo dicata ſunt.

Metalla ſolùm Deo applicata ſunt ex ſpolijs Hiericho, quia ſola ignem quo purgationis ſuſtinere poterant.

Verſ.17.] Sola Rahab meretrix viuat, cùm vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſcondit enim nuntios, quos direximus.

Quantam fiduciam ſalutis æternæ ſperandæ peccatrici animæ, vera ad Deum conuerſio afferat clamante Ioſue; qui Redemptoris noſtri typus eſt, viuat Rahab meretrix.

ANNOTATIO IIII.

1. MAGNAM vim habet ad conciliandam amicitiam diuinam, ſine qua nihil nobis boni euenire poteſt, peccatricis animæ, vera per fidem & pœnitentiam ad Deum conuerſio. Hinc Auguſt. in lib. de ſalutaribus docum. tom. 4. Si in aliquo peccato tranſgredimur poſt baptiſmum, nos abluere pœnitentiæ lacrymis curemus, quia pius Deus dedit ſecundum baptiſmum, id eſt, fontem lacrymarum, & ordinauit nobis pœnitentiam, &c. Aitque dignos fructus pœnitentiæ facere, eſſe peccata præterita non iterare, & cũ Apoſtolo clamare, Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia, an gladius, &c.* Atque, vt vera pœnitentia agnoſcatur quædam colligere placet ex Clim. Gradu 5. *Pœnitentia, inquit, eſt corporeæ conſolationis perpetua, & rugis repudiatio. Pœnitentia eſt ſe ipſum ſemper con-*

Auguſt.

Lacrymas vocat D. Auguſt. ſecundum baptiſma. Rom. 8.

Climacus. Pœnitentia eſt corporeæ conſolationis repudiatio.

A *demnans cogitatio, ſecuráque cuiuſque, ſui cura. Secundò, Pœnitens eſt reus, confeſſione liber. Pœnitens eſt cruciatuum ſui, ſemper opifex. Tertiò, Pœnitentia eſt voluntaria omnium, quæ affligunt, toleratio.* Subijcit Climacus exẽpla pœnitentiæ præclara, quæ vidit in monaſterio, qui carcer dicebatur. Quoſdam intuitus eſt in pauimento ſtrato cilicio, & cineræ ſedentes, ac faciem genibus cooperientes. Alios iugiter pectora tundentes: animámque ſuam ad iram ſuſpirio ingenti reuocantes. Ex his, alij quidem pauimentum madefaciebant lacrymis; alij verò quia lacrymarum imbres non habebant, ſe ipſos lamentabantur, &c. Quis hos viros neget Deum, qui vel vna lacryma pœnitentis animæ flectitur, promeruiſſe? Magnam vim eſſe pœnitentię innumera hominum ac mulierum teſtantur monimenta. Mitto Paulum, cuius ſunt notiſſima toto orbe facta, & Magdalenam, mulierémque Samaritanam, ac innumeros viros, qui in nouo teſtamento hoc confirmant. Vna Rahab ex ſacra hiſtoria nobis proponitur, quæ ex paganiſmo ad veri Dei cultum, & religionem traducta iratum Hierichuntinis, ex quibus ipſa erat, Deum, fide & bonis operibus reddidit propitium. Hinc in tumultu patriæ, & ciuium ſuorum excidio, audire meruit illas Ioſue voces. *Sola Rahab meretrix viuat, cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt. Abſcondit enim nuntios, quos direximus*, &c. Potuit incolumitatem ſuis ciuibus afferre, niſi eorum mentes, libido, & corrupti mores occœcaſſent, vt aduertit Chryſoſt. hom. 5. de pœnitentia tom. 5. ſaniora conſilia ſuggerentem audire noluerunt, & fortaſſe peccato eorum non communicantem; ſunt aduerſati. Tantùm abeſt vt illi aures darent.

Pœnitens eſt reus, confeſſione liber.

Pœnitentium, quos in carcere vidit Climacus, rara exempla.

Rahab meretrix pœnitentiæ exemplo potuiſſet ſuos ciuibus, ſi ... ſana conſilia. Chryſoſt.

2. Hic ſignificatam habemus Chriſti Domini noſtri, qui verus eſt Ioſue, clementiam, qua publicanis, & meretricibus ſyncero animo ad pœnitentiam conuerſis inſignia exhibet beneficia. Quod homilia citata præclarè expendit Chryſ. *Reſpice, inquit, veræ clementiæ prædicatorem, qui in lege dicit: Non mœchaberis, verbum tranſmutans de clementia, clamat per beatum* IESVM *Naue. Rahab meretrix viuat*, Ieſus ille, qui dicit; *Rahab meretrix viuat*, imago erat Domini IESV dicentis *Meretrices & publicani præuenient vos in regnum Dei.* Si viuere debet, quare meretrix? Et ſi meretrix quare viuet? Dico, inquit, priorem ſtatum, quo ſequentem diſcas mutationem. Et quid Rahab, fecit ad ſalutis argumentum? quòd in pace exploratores ſuſcepit? Id etiam meritoria faciũt hoſpitia. At neque ex ipſa ſola dilectione, ſalutem conſequitur, ſed fide præuia atque in Deum diſpoſitione, & quo diſcas fidei magnitudinem, ipſam audi ſcripturam. Erat in fornice, velut in volutabro confuſa margarita, aurum in luto abiectum, pietatis flos ſpinis circumfoſſus, religioſa anima recluſa impietatis loco. Atque mentem in me diligentius flecte. Suſcepit exploratores. Et quem prodidit Iſraël in deſerto hunc prædicauit Rahab in fornice. Quomodo autem Iſraël audiuit in deſerto cùm mons replebatur, nube & caligine, atque coruſcationibus? Audiuit à Deo de medio ignis. *Audi Iſraël Dominus Deus tuus, vnus eſt. Non erunt tibi Dij alieni. Præter me, non eſt Deus.* Hæc audiens vitulum conflauit, Deumque reprobauit, & dicit Aaron, *Fac nobis Deos.* Si dij, quare dicis fac? quomodo enim dij, qui fiunt? Sic malitia obcœcans ſibi ipſi repugnat. Vnus factus eſt vitulus, & clamat ingratus populus.

In Ioſue ſignificata Chriſti clementia erga peccatores. Chryſoſt.

C

D

Math. 21.

E

Rahab erat in volutabro margarita; in luto aurum; inter ſpinas circumcinctum.

Deut. 6. Exod. 20. Exod. 32.

Vituli adoratio.

A *Hi dij tui Iſraël qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Hi dij, vnum reſpiciens factum vitulum. Quare igitur hi dij, vt oſtendat, quod non ſolùm eum, quem vidit adorat, ſed & Deorum pluralitatem annuntiat.

Deus vnus à populo in deſerto auditus, negatus à Rahab in fornice prædicatur.
Ioſ. cap. 2. 6.

3. Quorſum hæc? Vt intelligas Deum vnum à populo lege inſtructo, & ſignis cœleſtibus in deſerto erudito, negatum; à Rahab in fornice incluſa prædicari. Dicit ergò exploratoribus à Ioſue deſtinatis. *Noui quanta Deus veſter fecerit.* Ægyptius & Iudæus dicit. *Hi ſunt dij tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Meretrix non dijs, ſed Deo ſalutem aſcribit. *Nouimus quanta fecerit Deus veſter Ægyptijs in deſerto, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.* Rahab (inquit Chryſ.) Eccleſiæ figura fornicatione dæmonum olim inuoluta; tunc verò Chriſti exploratores ſuſcipientis, non eos, qui à IESV Naue, ſed Apoſtolos à IESV vero ſaluatore tranſmiſſos. *Noui*, inquit, *quoniam Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum; & præter eum non eſt Deus.* Hæc accipientes Iudæi non cuſtodierunt, hæc audiuit Eccleſia & obſeruauit. Digna itaque Rahab omni laude Eccleſiæ imago. Quare Paulus eam fidei memor, ex priori ſtatu haud reprobam cogitauit. Hebr. 11. *Fide*, inquit, *Abel ſacrificium obtulit.* Atque multos deinde connumerans ſanctos adiecit. *Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis. Exploratores excipiens in pace, & remittens alia via.* Hæc Apoſtolus pro, vt illius verba transfert Diui Chryſoſtomi interpres.

Ibidem cap. Conuerſio Rahab conuerſa ad Deum.
Rahab figura fuit Eccleſiæ gentium.
Hebr. 11.
Rahab ſanctis adnumeratur, à D. Paulo.

4. Ex conceſſa Rahab incolumitate, ſumit occaſionem Diuus Chryſoſt. commendandi nobis pœnitentiam. Si enim hæc virtus dignam efficit mulierem ethnicam ſalute, & prædicatione, quid nobis accidet clamat in deſerto Ioſue. *Viuat Rahab meretrix.* Clamat Paulus. *Fide Rahab meretrix non perijt cum infidelibus*, Nos ſi pœnitentiã induxerimus, nonne ſalutẽ conſequemur? Præoccupet, inquit, pœnitẽtia pœnam: *præoccupemus faciem eius in confeſſione.* Rogum peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lacrymis. Multus enim peccati ignis; at quem modica extinguit lacryma. Hinc Pſalm. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Oſtendit lauacrum, & purgatorium peccati lacrymas eſſe. Hæc ille. Credibile eſt poſt fidem veri Dei animo receptam, lacrymis ſordes peccatorum, à Rahab penitus fuiſſe elutas. Sanè Regius vates Pſalm. 6. Deum orans quem fide colebat, vt ſe, & à morbo & à peccato ſanaret. Profuſis largiter lacrymis exauditus eſt. *Laboraui*, inquit, *in gemitu meo.* Hebr. *Fatigatus ſum gemendo, & ſuſpirando. Lauabo per ſingulas noctes* &c. Hebr. *Mergam, ſiue natare faciam fletu meo lectum meum etiam noctibus. Turbatus eſt à furore oculus meus*, &c. Hebr. *obtenebratus eſt, vel deterritus eſt*, &c. Hieronym. *caligauit præ amaritudine à furore*; id eſt, morbo à te immiſſo; vel iuxta alios. Caligauit oculus meus præ indignatione mea, & ira maximo mœrore à me cõcepta. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Hebr. ad oculum referunt, quaſi dictum ſit. *Inueterauit ſiue conſenuit, & conſumptus eſt oculus meus inter meos vexatores.* Genebr. Triſtitia tanta confectus ſum, vt canos contraxerim ante ſenij mei tempus maximo inimicorum meorum gaudio & ſpectaculo. *Diſcedite omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, &c. Inimici ſunt, qui nos ad peccatum

Pœnitentia, ex conuerſione Rahab effectus ex pendentes.
Pſalm. 94. Ignem peccati extinguit lacryma.
Pſalm. 6. Vis lacrymæ pœnitentium.
Regis Dauid pœnitentis gemitus.
Hieronym.
Effectus mirabiles pœnitentiæ. Genebrard.

impellunt, hos pœnitens remouet, & omnes occaſiones peccandi, dum ait, *Diſcedite omnes*, &c. *Quoniam exaudiuit* &c. Scopus precum & lacrymarum eſt, audiri. Habent lacrymę ſuam vocem: fructus eſt a Deo exaudiri, cuius rei ſigna interdum apparent. Quod vel in ſuis precibus annotarunt ethnici contingere, affirmantes exorata, quæ præcabantur. Ouid. 2. de Pont. Eleg. 1.

Quod precor euenies: Sunt quædam oracula vatũ.
Nam Deus optanti proſpera ſigna dedit.

Diſcat hinc hominum genus, Deo fidere; peccata præterita plangere; & quæ dolenter planxit, numquam amplius iterare. Omnium malorum cauſa eſt peccatum. Ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato, bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt clades. Vnde videns Chriſtus Ioan. 5. paralyticum, quem ſanauit, prius anima, poſteà corpore ægrotaſſe; ait, *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Nónne ſanitas, quæ per fidem & pœnitentiam acceſſit Rahab; in corpus, & bona illius vtiliter permanauit? *Viuat*, inquit, *Ioſue Rahab meretrix, cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt.* Sicut contagio ſceleris familiæ nocet; ita ſanitas animæ ſoſpitem domum reddit & incolumem?

Fructus lacrymarum eſt à Deo exaudiri.
Ouidius.
Ex peccato, triſtitia tumultus, & mala omnia oriuntur.
Ioan 5.

Verſ. 18.] Vos autem cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt quippiam contingatis & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint, atque turbentur, &c.

Abulen.q.4.

Quonam pacto pro vnius peccato, tota aliquando punitur communitas?

ANNOTATIO V.

1. POTEST aliqua communitas rea eſſe ſceleris, quod quis committit, quia ei fauet, & prono impetu ad diuini numinis offenſionem currenti, ſuccenturiatur. Hoc ſi accidat, non ſolius flagitij auctoris pœna expiatur communitas, ſupplicium ſimul irrogat Deus omnibus, qui auxiliares manus aut conſenſum præſtitere, aut, in exigenda pœna lege præſcripta, negligentes fuerunt. Huius rei exemplum habes Leuit. 20. Vbi Deus minatur pœnam immolãti filios ſuos idolo Moloch, & omnibus. qui in ſacrilegã hanc conſenſerint immolationem. *Qui dederit*, inquit, *de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum.* Et infrà. *Quod ſi populus terræ quaſi, paruipendens imperium meum dimiſerit hominem, qui dedit de ſemine ſuo idolo Moloch, nec voluerit eum occidere: ponam faciem meam contra hominem illum, & cognationem eius; ſuccidamq; ipſum, & omnes qui conſenſerint ei, vt fornicaretur cum idolo Moloch de medio populi ſui* &c. Moloch autem (vt id obiter intelligatur) vt Hebræi arbitrantur, & annotat A Fonſeca in ſcholio Caietani; Saturnus eſt; fuitque idolum filiorum Ammon. Facies illi vituli erat; manus paratæ ad accipiendum. Septem receptaculis compactum corpus,

Punitur communitas, quæ vel vnius hominis peccato fauet.
Leuit. 20.
A Fonſeca in Caiet.
Idolum Moloch cui idololatræ filios ſuos mactabant, eſt Saturnus.

pro

Effigies idoli Moloch.

pro conditione victimæ, oſtiola pandebat. Qui filium offerebat ſeptimũ aperiebat cubile:dúmq; eiulans puer cremabatur,in manibus ſuccenſi ſimulacri,ſaltatione, tympanotum ſonitu, & cantu,ne lamenta audiret,lætitiam ſignificabat.Obitet ad mores conſidera mundi nos fallentis imaginem in Moloch, *blanditur* (inquit Cyprian.) *vt decipiat*, dum locus in quo pluſquam parricidale hoc ſacrilegium parabatur,ab Iſaia cap.5.Gehenna dicitur: quo nomine ob quandam ſimilitudinem,Matt. 5. Chriſtus Dominus tormenta inferorum,& cruciatus, ſignificauit.

Moloch mundi eſt fallentis imago. Cyprianus. *Iſaia. 5.* *Matth. 5.*

Gen. 34.

2. Alterum exemplum extat, Gen. 34. vbi narratur pro ſtupro Dinæ illato à Sichimitarum principe, omnes vnius vrbis ciues fuiſſe interfectos. *Arreptis* (inquit Moſes) *duo filij Iacob,Simeon, & Leui,fratres Dinæ gladiis, ingreſſi ſunt vrbem confidenter: interfectiſq́; omnibus maſculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt*,&c.Scio,vtramque in partem diſputari ab interpretibus, peccauerintne filij Iacob in hac occiſione.Etenim ſacta ſcriptura, Gen. 49. eam vituperat, & deteſtatur,in duobus præſertim fratribus Simeone, & Leui; quos moriens pater maledictis ſuis deſigit. *Simeon*,inquit, *& Leui fratres,vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum,non veniat anima mea, & in cœtu illorum, non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum: maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*, &c. Damnat iniquitatis, furoris, & pertinaciæ Iacob illius cædis authores. Ex aduerſo autem admirabilis fœmina, & faſtis digna,Iudith.cap.9. in laudem Simeonis,ex cuius tribu erat, internecionem illam interpretatur. *Deus*, inquit, *Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum,qui violatores extiterunt,in coinquinatione ſua, & denudauerunt femur virginis in confuſionem, & dediſti mulieres eorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis,qui zelauerunt zelum tuum*, &c. Vides, vt Deo attribuat impulſum, quo ad cædem permoti ſunt filij Iacob? Deum ait in vltionem patrati ſceleris gladium dediſſe. Bona Sichimitarum cum poſſeſſoribus tradidiſſe filiis Iacob, ipſóſque interfectores zelum Dei in facienda illa cæde,zelauiſſe. Quomodo ergo de iniuſtitia coargui poſſunt Dinæ fratres? Particulam illam orationis Iudith (in defenſionem alienigenarum) idem ſignificare puto, atque in vltionem & vindictam Sichimitarum,qui alienigenæ erant. Solet quippe Latinus interpres verbum defendendi vſurpare pro verbo vlciſcendi. Sic accipitur ad finem cap. 1. Iudith,vbi agitur de Nabuchodonoſor. *Iurauit per thronum & regnum ſuum,quod defenderet ſe de omnibus his regionibus*; hoc eſt, quod vindictam, ſumpturus ſit de gentibus, quæ eum recipere Regem noluerunt, & ad Rom. 12. *Non vos defendentes chariſſimi* id eſt,vlciſcentes, & vindicantes, à quibus læſi eſtis.

Stuprum illatum Dinæ à Sichimitarũ principe, punitur exidio vrbis. *Gen. 49.* *Propterea Iacob cædem factam in Sichimitis a Simeone & Leui.* *Iudit. 9.* *Iudith laudat vindictã ſumptam de Sichimitis.* *Defendendi verbo interdum ſignificat, vltionem in ſacris literis.* *Iudith. 1.* *Rom. 12.*

3. Sed parum refert ad noſtrum inſtitutum peccauerintne filij Iacob in illa cæde, an non? Eos peccaſſe ſi non in re, ſaltem in modo, communis opinio eſt. Illud quod ad rem propoſitam facit, affirmamus, Deum illorum gladiis, & furore vſum fuiſſe ad vindicandam iniuriam ſtupri fœminæ nobiliſſimæ à principe illati. Atqui,mali fuerunt in eo facto, quod inconſulto patre, & pacti immemores Sichimitas occiderint. Fateor: ſed quid mirum? Malis Deus ſæpe vtitur ad diuinæ iuſtitiæ executionem. Aſſyrios,quorum deteſtabatur, idololatriam, & crudelitatem; miſit ad expugnandam Hieruſalem,quæ à cultus diuini, & legis obſeruantia turpiter deſciuerat. Contra Aſſyrios rebus proſperis inſoleſcentes, Medos & Perſas. Horum vires ſibi præfidentes Macedonum ferro attriuit. Sint iſta, dices; ſed cur pro ſcelere principis, tota ciuitas, internecioni, & prædæ data fuit? Id permiſſu, & interdum iuſſu irati numinis iuſtè fieri, vel ethnici ſolo naturæ inſtinctu ducti agnouerunt. Vnde illud Æneid.1.

Peccaſſe filios Iacob, in cæde Sichimitarum, communis opinio eſt. *Malis Deus ſæpe vtitur ad diuinæ iuſtitiæ executionem.* *Virg. Aen. 1.*

> *Palláſne exurere claſſem*
> *Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto*
> *Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?*
> *Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem*
> *Diſiecitq́; rates,euertitq́; æquora ventis.*

Quid vbi conſenſus eſt multitudinis, in principis flagitium? Author hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Carthuſianus ſuper cap. 9. Iudith, affirmant dignos tam acerbo ſupplicio fuiſſe Sichimitas, quòd eorum, vel aſſenſu, vel cooperatione, flagitium illud fuerit patratum, nec de eo poſteà egerint pœnitentiam. Atque hanc ob cauſam laudari à Iudith cædem illam,Deo impulſore factam. Idem ſentit Caiet. ſuper cap. 34. Geneſ. Admittit námque peccaſſe fratres Dinæ, in modo; cædem tamen ipſam iuſtè fuiſſe irrogatam, & prædam abactam: eo quod,inquit, ciuitas erat in culpa tanti ſceleris: nec in veritate filij Iacob pacem cum eis fecerant, ſed fictè ad hoc, vt poſſent vindictam exercere. Quapropter modus (vt dictum eſt) fuit iniquus valde. Nam fides etiam hoſti ſeruanda eſt.Hæc ille.

Hiſt. ſchol. Carthuſ. *Iudith 34. Caietanus. Gen.34.* *Sichimitæ in culpa principis ſui aliquo modo fuerunt.*

4. Accedit ad eandem ſententiam Thomas Anglicus ſuper cap. 34. Gen. vbi ex tribus interpretationibus, quas omnes approbat, ſecundam, in qua peccatum Sichimitarum ſuo principi cõſentientium exaggeratur, ſic proponit. *Altera*, inquit, *opinio eſt, cædem illam ſine crimine factam eſſe à filiis Iacob, nec eos vſos eſſe malo dolo, ſed bona cautione,prudentiáq́; conſilio. Sichimitæ námque illius patrati facinoris participes fuerant, ideóque digni erant ſupplicio. Nam quod Sichem, & Sichimitæ conſenſerunt accipere circunciſionem, potiùs id fecerunt propter carnalem amorem puellæ, & vt gratificarentur principi & Domino ſuo, quàm propter amorem diuini cultus, & religionis, & inſuper eò adducti ſunt ſtudio auaritiæ, ſpe nimirum promiſſi eis lucri ex bonis Hebræorum ad ipſos deuoluendis*,&c. Deinde excuſat prædictus Thomas filios Iacob à ſcelere, quia ſi in ea cæde & præda peccatum ab illis eſſet, non eſſet ſufficiens facti eorum illa increpatio. *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis*, &c. Imò Iacob prædam, & captiuas mulieres reſtitui iuberet; quod haud quaquam factum eſt, Quid,quod Gen.cap. 48. agrum Sichimitarum filio ſuo Ioſeph tradidit poſſidendum, quem ait acquiſiuiſſe ſe in arcu & gladio, nempe per filios ſuos? Planè ſenſit Patriarcha iure iuſti belli illam Sichimiticam prædam fuiſſe vindicatam. Accedit in teſtamento duodecim Patriarcharum, qui liber inſertus eſt bibliothecæ Patrum,à Simeone,& Leui affirmari,ſe cladem illam Sichimitis bono animo intuliſſe; nec illi inde culpam ſibi, ſed laudem potiùs aſcribunt. Iam maledictionem Iacob contra Simeonem, & Leui prophetiam de Chriſti morte, multi fuiſſe cenſent; quam ardenti ſtudio procurarunt ſacerdotes,qui erant ex tribu Leui,&Scribæ, quorſum ex tribu Simeon, plurimi erant. Hanc Chriſti mortem præuidens Iacob ſub nominibus

Tho. Angl. *Simeon & Leui non peccaſſe in cæde Sichimitarum.* *Gen. 48.* *Teſtamentum Patriarcharũ.* *Bibl. Patr.* *Tertullianus.*

Maledicti ſunt ſacerdotes & ſcribæ, in Leui & Simeone ob procuratã Chriſti mortem.

minibus Leui, & Simeonis, eorum damnat poſteros præcipuos mortis Meſſiæ authores. Ita Tertul. lib. 3. contra Marcionem.

Richardus non excuſat omnino à culpa filios Iacob.

5. Refert idem Thomas opinionem Richardi damnantis peccati Sichimitas & in pacto, quo ſe circunciſioni fecerunt obnoxios. Deus, inquit, videbat cor Sichimitarum in eo pacto non eſſe rectum, ſed prauum, & ad carnalem concupiſcẽtiam, & temporalem auaritiam conuerſum, potiùs quàm ad ipſius Dei cultum & religionem ſpectans: idcircò non ceſſauit mouere cor filiorum Iacob ad zelum vltionis. Quanquam, quod inconſulto, atque inſcio patre fecerint, excuſari à peccato non poteſt. Erat enim Iacob adeundus tanquam iudex, vt ius diceret.

Culpa primi parentis in nos deriuata fuit propter interpretatiuum cõſenſum.

6. Tertium exemplum eſt in peccato Adami. Eo námque diuinum præceptum tranſgrediente, ad cuius obſeruationem, non ſolùm ipſe, ſed tota etiam in ipſo poſteritas erat obligata: omnes homines, qui ab illo propagati ſunt, tanquam conſenſus interpretatiuè participes; rei ſunt culpæ, & pœnæ facti ſunt obnoxij, calamitates, quibus quotidie affligimur, quid à nobis in primi parentis tranſgreſſione actum ſit, nónne apertè teſtantur?

Pœna aliquando plectitur cõmunitas ob vnius peccatum.

Aliquando pœna plectitur communitas, ob peccatum vnius hominis, quamuis ipſa, nullum culpæ præbuerit aſſenſum. In hoc tamen euentu, ſolus peccator obnoxius eſt pœnæ, ſicut & ſolus eſt culpæ reus. Cæterum communitas inuoluitur ſupplicio aliquo, impedito commodo, quod ei erat euenturum, quandiu culpæ reus non punitur; Deo nefas iuſtè execrante. Sic Eccleſia, cenſuris aliquando, & pœnis iure ſtatutis, communitates afficit, ob vnius perſonæ crimen, vt videre eſt in interdicto, quod iuriſperiti deambulatorium vocant. Decernitur quippe in perſonam, cum ea adiectione, vt locus, quem reus ille fuerit ingreſſus, eo ipſo ſit interdictus quandiu ibi fuerit, aut etiam certo tempore poſtquàm receſſerit. In ceſſatione à diuinis, idem apparet, ſuſpendit námque Eccleſia organa, quibus vtitur in diuinis laudibus; omnémque publicum templi cultum; vt peccator, vel hoc ſpectaculo ſcelus horreat, & facti pœnitens doleat ſui cauſá ſacramentorum vſu & ſacrificiorum vtilitate priuari innocentes.

Decernitur interdictum ab Eccleſia propter vnius hominis peccatum.

Ceſſatio à diuinis incutit peccatori horrorem.

Ionæ & Vectores in periculo fuerunt propter Ionæ peccatum.

7. Atque, vt ex ſacris literis exempla ſuppetant; vnius Ionæ nauigatio in primis occurrit. Nónne ob illius inobedientiam *nauis periclitabatur conteri* (vt inquit ſacer textus cap. 1.) Ignari nautæ cauſæ, ob quam tenebris, & procella ſubita mare inhorruerat, clamauerunt vnuſquiſque (gentiles enim erant) ad Deum ſuum, & miſerunt vaſa, quæ erant in naui in mare, ne pondere nimio nauis mergeretur. Huc quadrat illud Pſal. 16. *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Vndenam tam acerba incumbentis mali orta eſt tempeſtas? vnus in naui illa erat inobediens Ionas; hunc Deus vt puniat, comites nauigationis periculo inuoluit, vt tandem criminis reum agnoſcant, & à ſuo, quo pœna ceſſet, exturbent comitatu. Interim illi iactant in mare onera, vt alleuiaretur? *Arbitrantur* (inquit Hieronym.) *nauem ſolito onere prægrauari & non intelligunt totum pondus eſſe fugitiui prophetæ*, &c. Nihil eſt peccato grauius, ſolidiſſimum eſt cœlum, ſed ita Angelorum peccato grauatum eſt, vt pondus ferre nequiuerit. Animas in purgatorio igni, ne in cœlum euolent, cunctatur? Ægyptij, quia hoc onere premebantur, Exod. 15. *Deſcenderunt in profundum, quaſi lapis.* Quid, quod Chriſtus Dominus, eo quòd pœnæ peccato debitæ ſolutionem in ſe recepit, clamat, Pſalm. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* O deteſtandam peccati fœditatem! ô pondus abominandum, quod non ſolùm premit authorem, ſed eos etiam, qui in illius ſunt ſocietate. Ioannes Euangeliſta (vt ab iis qui à Polycarpo martyre audierunt, refert Ireneus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 3.) Cum Epheſi in balneum introiſſet, vbi Cerinthus hæreticus lotum ierat, vbi eum vidit, exiliit, dicens, timere ſe ne balneum concidat, in quo eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Vnus Achan, quod aliquid, ex rebus abſtulerit quæ Dominus attrectari prohibuerat, multorum cædis cauſa fuit, vt infrà videbimus: & imperatorem ſuum Ioſue, atque vniuerſum grauiter perturbauit exercitum. Nec ante ceſſauit turbatio, quàm cognitus, per ſortes delicti reus, lapidibus obrutus pœnas dedit, ſic etiam ceſſauit tempeſtas, cognito per ſortes, Iona, & in mare proiecto. De licito & illicito vſu ſortium, vide D. Thom. 22. quæ. 95. art. 8. & quæ infra cap. 7. annotabimus.

Pſal. 16.

Onus nauis, in qua vehebatur Ionas, peccatũ erat fugitiui prophetæ.

Exod. 15.

Pondus peccati omnia deprimit.

Pſalm. 68.

Irenæus.

Scelerati timendi & fugiendi ſunt.

Thom. 22. q. 95.

8. Minatur Deus interdum toti communitati ſupplicium ob ſcelus in adminiſtratione rerum ſacrarum, ab vno, vel paucis patratum: ſic Num. cap. 1. agens de metatione caſtrorum ſancit, vt Leuitæ caſtrametentur in circuitu ſanctuarij, forèque ait, ſi aliquis de extraneis accedat, vt indignatio fiat ſuper totam multitudinem. Rurſus Num. 18. vbi ſermo eſt de ſacerdotum officio præcipitur, vt Aaron, & filij eius excubent in miniſterijs ſacerdotalibus, ea interminatione adhibita, vt ſi aliquis, qui ex Aaronitis non ſit accedat, oriatur indignatio ſuper totam multitudinem. Ad hunc modum Ioſue Dei iuſſu, populi ad prædandum effuſam cupiditatem, hoc loco nimis coërcet. *Vos*, inquit, *cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint, atque turbentur.* Conſulat igitur vnuſquiſque ſuæ conſcientiæ latebras. Et ſi quid à ſe peccatum introſpexerit, timeat: diſcatque ex Diuo Auguſt. ſerm. 1. de pœnitentia, quid debeat agere. *Quotieſcunque*, inquit, *euenerit, vt in quodcunque graue peccatum aliquis cadat: Sic de miſericordia confidat, vt tamen iuſtitiam contremiſcat. Nec dicas, cum ad ſenectam peruenero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam. Quam multos mors repentina ſubtraxit, vt nec ad illam momentaneam pœnitentiam potuerint peruenire? Erubeſcimus modò paruo tempore pœnitentiam agere? O infelix homo! de ipſo vulnere non erubeſcis, & de ligatura erubeſcis? Peccatum enim, vulnus eſt, pœnitentia vulneris ligatura.* Idem infrà. *Neſcio, qua conſcientia, periculoſam nobis ſecuritatem inducimus? Percutitur enim etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei*, &c. Nitamur ergò, dum per tempus licet de peccatis pœnitere, ne pœna illis debita, nobis, & alijs ab irato infligatur numine. Quamuis enim peccatum occultiſſimum ſit, Dei tamen, nec oculos effugiet, nec dexteram ſcelerum vltricem.

Num. 1.

Propter vnius culpam minatur Deus pœnam multitudini.

Num. 18.

Verſ.

Verſ.20.] Clangentibus tubis, poſt quàm in aures multitudinis, vox ſonitúſque increpuit, muri illico corruerunt: Et aſcendit vnuſquiſque, per locum, qui contra ſe erat; ceperúntque ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, &c.

Quomodo Hiericho euerſa ab Hebræis, ſignificet euerſionem vrbis, in qua ſua peccatum habet præſidia?

ANNOTATIO VI.

Primi conditores Hiericho ignorantur.

1. A Quonam conditore, ædificata fuerit Hiericho, hiſtoriæ ſilent. Eam duntaxat ſcimus antiquitate, munitione, & opibus, antequàm à populo Dei incenderetur, florentem fuiſſe, & inter Chananæos fama & potentia nobilem. Multa de ea inuenies apud Adrichomium in tribu Beniamin, num. 81. ex Ioſepho, Diuo Hieronym. & Brocardo, annotata. Illud mirabile eſt, quod idem autor, num. 63. refert videlicet propè fontem Eliſæi, de quo agitur 4. Reg. 2. qui è pede montis, non procul ſcaturit, arbores creſcere, inſtar prunorum, ſpinoſas tamen, in quibus enaſcuntur flores, quos vulgus, roſas vocat Hierichuntinas. Nocte enim natalitia noſtri Saluatoris, paulatim hiant, atque inde ſe recludunt, licèt ſiccæ ſint, & aridæ, in Virginei partus, vt credere par eſt, teſtimonium. Vide Salig. rom. 9. cap. 6. illam, typum vrbis extitiſſe, quam peccatum extruit, & omni ratione, vt quietam in ea habeat ſedem, omnes conſentiunt. Lyra huc refert huius loci tropologiam. *Hiericho*, inquit, *ſignificat ciuitatem culpæ, quam fecit amor ſui, vſque ad contemptum Dei. Hæc ciuitas triplici muro clauditur, muro ſcilicet carnalis concupiſcentiæ, temporalis afluentiæ & mundialis excellentiæ.* Hæc Lyra.

Adrichomius. Ioſephus. D.Hieronym. Brocard.

Fons Eliſæi.

Roſa Hierichũtina ex ſpinoſis plãtis colliguntur. In nocte natalis Chriſti virginei partus reddunt teſtimonium.

Hiericho typus eſt vrbis, quam peccatum ſibi munit.

Lyranus.

3. Quis poterit tam inſigni munimine inſoleſcentem vrbem euertere. Hic triplex murus, ſicut clangentibus tubis Hiericho; ita ſacri eloquij, & Euangelicæ prædicationis clamoribus momento ſubuertitur. *Triplex hic murus* (inquit Lyra) *ſubuertitur ſonitu ſanctæ prædicationis, clamore deuotæ orationis, circuitu propriæ diſcuſſionis qui circuitus debet fieri ſeptem vicibus, id eſt perfectè: quia perfectio numero ſeptenario deſignatur. Qui enim conuertitur de culpa ad gratiam, debet deligenter & perfectè diſcutere propriam conſcientiam. Quidquid autem in hac ciuitate reperitur ſaluti contrarium debet interimi. Quod autem inuenitur ibi auri philoſophicæ ſapientiæ, argenti eloquentiæ, vaſorum æneorum, id eſt, naturalis induſtriæ, quæ valet ad multa, ſicut, & vaſa ferri, id eſt, corporalis, & temporalis potentiæ: debet Domino conſecrari; id eſt, de cætero bonis actibus applicari. Rahab cum ſuis propter opus pietatis ſaluatur quia ſecundùm dictum Saluatoris* Matt. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Hæc ille.

Triplex murus Hiericho ſubuertitur ſono ſanctæ prædicationis.

Lyranus.

Quidquid hic auri philoſophici, argentea eloquentiæ, & metallicæ induſtriæ, Deo conſecretur.

Matt. 5.

Nec ſolùm inuenio, vocabulo Hiericho ſignificari lunam deficientem vel (vt alij volunt)

A ciuitatem culpæ, ſed etiam (vt Arias Montanus annotauit fol. 174. ethymologiæ, & naturæ rationem ſecutus) locum odoratum nuc fragrantem. Inditúmque hoc nomen fuiſſe vrbi illi ob excellentem balſami naturam, ex omni terrarum orbe, vni illi patriæ conceſſam Ægyptus quidem balſami quoque plantas gignit, minus tamen generoſas. Quare propter perpetuam præſtantiſſimi odoris, atque eximiam fragrantiam credibile eſt, Hiericho nomen illi vrbi fuiſſe impoſitum. Quid ergò hinc elicimus? anathematizari à Deo omnem hypocryſim, & ſimulationem. Honeſto námque odoris eximij vocabulo, decorata Hiericho multum veneni in ſe, nihil balſami conti-

Montanus. Hiericho lunam ſignificat, lunam & odoratum, propter roſas, & balſamum.

B nebat. Latebant ſub odore balſami; periuria, homicidia, adulteria, idololatria. Pereat ergò Hiericho, hoc eſt locus odoratus, in quo non eſt odor virtutis ad ſalutem: ſed odor mortis ad condemnationem. Non vult Deus, vt in terra ſancta ciuitas ſit, quæ odore ad ſe homines attrahat, & in vitiorum fœditatem conijciat: ſicut panthera, quæ feras, quas odore, quem ſuauiſſimum ex ſe emittit, vt ſe ſequantur alliciens, tandem diſcerpit vnguibus, & fameſcens deuorat.

Hiericho nomine odorem præferebat, intus venenum continebat.

4. Ab Hiericho expugnata, victor egreſſus eſt Ioſue, incolumémque ſecum extulit Hebræorum exercitum lætum Pæana emodulaturum. Ad illum, qui ſalutem expectant, aggregantur. Quid

C hæc ſignificant? Vinci ciuitatem peccati non poſſe ſine IESV; ad quem, qui accedunt ſalui fiunt, & illuminantur, veluti illi duo cœci, *qui appropinquante Domino Hiericho.* Matt. 20. & Luc. 10. *erant ſecus viam.* Vicit autem Dominus Ieſus in nobis, & peccatum, & mundum, cuius etiam Hiericho typus eſt. Interpretatur autem Luna, quæ continuum patitur in ſuo lumine defectum. An non mundus perpetuæ mutabilitati ſubiectus eſt? *Ab Hiericho* (inquit, Auguſt. lib. 1. quæſt. Euangel. quæſt. 28. tom. 4.) *Egreditur Dominus iam de iſta terra, reſurrectione diſcedens: ſequuntur eum turbæ multæ; credunt in eum populi, & gentes.*

Ad IESVM accedunt victores mundi, & qui illuminari volunt. Matt. 10. Luc. 10.

Auguſt.

D *Duo autem cœci, ſedentes iuxta viam, ſignificant de vtroque populo quoſdam iam cohærentes per fidem diſpenſationi temporali, ſecundùm quam Chriſtus via eſt; & deſiderantes illuminari. Oportebat autem, vt tantùm clamarent, donec reſiſtentis ſibi turbæ ſtrepitum vincerent: id eſt, tam perſeueranter animum intenderent orando, atque pulſando quouſque conſuetudinem deſideriorum carnalium, quæ tanquam turba obſtrepit cogitationi, lucem veritatis æternæ videre conanti vel ipſam hominum carnalium turbam, ſtudia ſpiritualia impedientem fortiſſima intentione ſuperarent.* Hæc Auguſt.

Duo cœci ſanati à Chriſto prope Hiericho.

5. Non ſolùm peccati vrbem, & mundum ipſum, ſed etiam vtriuſque pompas Chriſto duce

E proſtratas, euerſio Hiericho ſignificat. Vt autem muri Hiericho ſonantibus tubis corruerunt: ita munitiones, & propugnacula, quibus, complures ſua vitia defendunt, pecuniæ & mundi põpis inhiantes, per Chriſti prædicationem corruunt. Deſtruit porrò Hiericho, qui abrenũtiat Satanæ, & mundi pompis; reædificat verò qui reuertitur ad vitia, amittitque primogenitum in fundatione, & nouiſſimum filium in portarum poſitione, quod accidit Hiel de Bethel, vt patet ex fine huius capitis, & ex lib. 3. Reg. cap. 16. quia & fundamenta fidei, à quibus, virtutum, & ſalutis æternæ, ædificium conſurgit, & ianuas bonæ actionis, quibus Chriſtiani hominis mores perficiuntur, parui faciens, perdit. Cadat ergò Hiericho,

Deſtruunt Hiericho qui abrenunciant Satanæ, & mundi pompis.

3. Reg. 16. Euerſam ab Iſraelitis ædificat Hiericho, qui fidei fundamẽta, & probæ vitæ ianuas non curat: ſed contraria ſaluti facit.

nec ſit hæreticus, aut apoſtata, qui muros eius anathemate damnatos, reædificet. Nulla ſit vrbs, in qua ſua peccatum habeat præſidia. Nihil Hebræi, præter metalla Deo conſecrata, ſupereſſe in Hiericho ſiuerunt. *Ceperunt*, inquit, *ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt*, &c. Qui ſenſus allegoricos voluerit ex hac hiſtoria plures
Origenes. elicere, legat Orig. ſuper Ioſue hom. 1. 67. & ſuper Matth. hom. 13. & ſuper Luc. hom. 34.
Auguſt. Auguſt. lib. 1. quibus in Euang. quæſt. 28. Diuum
Hieronym. Hieronymum ſuper cap. 20. Matth. & ſuper Pſal.
Cyrillus. Rupertus. 86. & Cyrill. lib. 4. ſuper Ioan. cap. 28. Rupert.
Ambroſ. Oſeæ 2. Ambroſ. ſerm. 87.

LIBRI IOSVE

CAPVT SEXTVM

SECTIO III.

Verſ. 22.] Duobus autem viris, qui
exploratores miſſi fuerant, dixit
Ioſue: Ingredimini domum mu-
lieris meretricis, & producite
eam, & omnia, quæ illius ſunt,
23. ſicut illi iuramento firmaſtis. In-
greſsíque Iuuenes eduxerunt Ra-
hab, & parentes eius, fratres quo-
que, & cunctam ſupellectilem,
& cognationem illius & extra ca-
24. ſtra Iſraël manere fecerunt. Vr-
bem autem, & omnia quæ erant
in ea ſuccenderunt; abſque auro
& argento, & vaſis æneis, & ferro,
quæ in ærarium Domini conſe-
25. crarunt. Rahab verò meretricem,
& domum patris eius, & omnia,
quæ habebat, fecit Ioſue viuere;
& habitauerunt in medio Iſraël
vſque ad præſentem diem: eo
quod abſconderit nuntios, quos
miſerat, vt explorarēt Hiericho.
26. In tempore illo, imprecatus eſt
Ioſue dicens. Maledictus vir co-
ram Domino, qui ſuſcitauerit, &
ædificauerit ciuitatem Hiericho.
27. In primogenito ſuo fundamenta
illius iaciat, & in nouiſſimo libe-
rorum ponat, portas eius. Fuit
ergò Dominus cum Ioſue, & no-
men eius vulgatum eſt in omni
terra.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Ingreßiq; Iuuenes eduxerunt*, &c. Et ingreſſi ſunt pueri exploratores, & eduxerunt Rahab, & patrem eius, & matrem eius, & fratres eius, & omnia quæ erāt ei, & omnes familias eius eduxerunt, &c. Pro *Imprecatus eſt Ioſue dicens*, &c. & adiurauit Iehouah in tempore illo, dicendo, &c. Expreſſit Vatablus quemadmodū, & Pagninus patrem & matrem Rahab, ereptos fuiſſe ex incendio, quos vulgata editio parentum nomine complectitur.

Aliter. Pro, *maledictus*, &c. Execratus vir coram Domino, qui reædificauerit vrbem hanc: in primogenito ſuo fundamentū iaciet & in minimo natu ſuo collocabit portas eius. In ſcholio Vatab. ſic locum explicat. Cùm incipiet eam inſtaurare, etiamſi tum multos liberos habuerit, cùm tamen finem operi imponet, paucos habebit, aut certè vnicum: hoc eſt euadet orbus, & priuabitur liberis quemadmodum accidit Hiel. 3. Reg. 16. 3. Reg. 16.

Sept. Interpret. Pro, *& precatus eſt Ioſue*, &c. habent ϰ ὥρκισεν ἰησȣ̃ς Hebr. וישבע, &c.

Explicatur contextus.

1 DVobus autem viris, qui exploratores miſſi fuerant dixit Ioſue: ingredimini domum mulieris meretricis & producite eam, & omnia, &c.*] Hæc per recapitulationem quam figuram, Anacephalæoſin Græci vocant, dicta accipe. Prius enim Rahab ex vrbe educta fuit, quàm cæderentur ciues Hiericho. Quomodò námque illi, quam non nouerant, parcerent milites, in tumultu & direptione vrbis, niſi ante ipſam direptionem, ab exploratoribus iuſſu Ioſue, cum familia ſua, fuerit producta? Hic tamen oportuit huius liberationis fieri mentionem, vt conſtet, quàm exactè ſeruari præceperit Ioſue iuramenti, quo obligati erant Hebræi, ſanctiſſimam religionem. Iam enim ex luſtrationibus ſeptemdiebus factis conſtitit, quid conſtantia Iudæorum in fide oraculo habita, meruerit, cùm ad ſonitum tubarum ſeptimo die cecidiſſe muros audiuimus, vt meritò dixerit Apoſtolus Hebr. 11. *Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem*. Nunc, quid fides Rahab perſeuerans obtinuerit à Deo expli-

Anacephaleoſis. *Exactè ſeruari facit Ioſue iuramenti religionem.* *Hebr. 11.*

candum fuit; de qua idem Apoſtolus: *Fide*, inquit, *Rahab meretrix non perijt cum incredulis excipiens exploratores cum pace.*

2. Iubentur autem à direptione protegi omnia, quæ Rahab ſunt, hoc eſt, non ſolùm domeſtica illius ſupellex, & pecora, quæ vel domi, vel in agro erant, ſed etiam quidquid aliqua cognatione aut iure illam attingebat, ſicut iuramento fuerat cautum, cap. 2. *Quomodo*, inquit, *feci vobiſcum miſericordiam, ita & vos faciatis mecum, & cum domo patris mei: detiſq; mihi ſignum verum, vt ſaluetis patrem meum, & matrem, fratres, & ſorores meas.* Quamuis autem has ſolùm Rahab exceperit perſonas: Exploratores totam illius exceperunt cognationem. *Innoxij*, inquiunt, *erimus à iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram, ſignum non fuerit iſte funiculus coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos: & patrem tuum, & matrem, ac fratres, & omnem cognationem congregaueris in domum tuam.*

3. *Ingreſſiq; iuuenes eduxerunt Rahab, & parentes eius, &c. Et extra caſtra Iſrael manere fecerunt.*] Cùm Rahab educti ſunt cognati illius. In Hebræo eſt, *Et omnes progenies eius.* Exiſtimat Arias Montanus eam partem murorum non corruiſſe, in qua domus Rahab innitebatur: idque ex eo colligit, quod in ipſo tumultu ſignum coccineum viderint exploratores, & eò ducti, ingreſſi ſunt domum, & iis, qui in ea erant ſoſpitatem attulerint: Vero ſimilius eſt quod exiſtimat Abulenſis, nihil murorum perſtitiſſe; atque adeò quæ modò dicuntur de incolumitate Rahab, ante ruinam murorum fuiſſe peracta, & per anacephalæoſin narrari. Neque enim vrbis iam deuotæ, atque ſacræ excidium ante cœptum fuit, quàm familiæ Rahab fuerit diligenter conſultum, cuius liberationem vrbis, & ciuium conſecuta eſt ſtrages.

Montanus putat eam partem murorum non corruiſſe in qua domus Rahab innitebatur cũ ... coccineo.

Abulenſis opinio vlterior.

Quæ de incolumitate Rahab dicuntur ante ruinam murorum facta eſſe.

4. At cur extra caſtra manere fecerunt Rahab, & quæ ad illam pertinebant? An quia dum Hierichuntini occidebantur, & opes abſumebantur incendio, decuit in loco tuto conſeruari? Vel ob id potiùs, quia cùm familia illius, Gentilium ſuperſtitione eſſet imbuta, oportuit vt qui Iſraelis religione initiati non erant, tantúmque proſelyti cenſebantur: tantiſper dum ad Iudaicas per circuncïſionem cæremonias aut alios ritus non tranſibant, tanquam immundi extra caſtra manerent? Quid quod ipſi Iudæi circunciſi, ſi legali aliqua immunditia polluti erant, extra caſtra, donec luſtrarentur, commorari cogebantur. Exemplum habes Num. 5. de leproſis & fluentibus ſemine, atq; ſuper mortuo pollutis, & Num. 31. præcepit Dominus. vt Iſraelitæ, qui de cæde Madianitarum læti venerant, in caſtra non intrarent, donec priùs luſtrarentur. Rahab igitur, & qui cum illa euaſerant ex anathemate, peractis cæremoniis, quæ ad munditiam præſcriptæ erãt, in caſtra recepti ſunt, vt indicant illa verba: *Habitauerunt in medio filiorum Iſrael vſque ad præſentem diem.*

Extra caſtra manere fecerunt Iſraelitæ Rahab & eos qui cum illa erant, donec Iudaicas diſcerent cæremonias.

Num. 5.

Num. 31.

6. *Vrbem autem, & omnia, quæ erant in ea ſuccenderunt; abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.*] Hæc per Ioſue curata ſunt vt Deus antè decreuerat. Nec verò in populo diligens executio deſiderata fuit, ſi vnum excipias Achan, de quo capite ſequenti agendum eſt. Suprà dictum eſt, *quidquid auri*, &c. *fuerit, Domino conſecretur*, &c. Nunc id ipſum narratur factum. Solùm aduerto à Chaldæo, quod hic, & ſuprà dictum eſt ærarium Domini, ſiue theſaurus, vocari domum ſacrarij Domini. Etenim theſaurus Domini ſeruabatur in tabernaculo ſacrarij. Quod ædes ſacrarij vſque eò vocatum eſt, dum ædes Deo à Salomone eſt ædificata. Hebræi, & Theodoretus ad primitiarum cæremoniam pertinere hanc metallorum, in domum Dei illationem exiſtimant. Cui ſententiæ congruit, quod de ſpoliis vrbis Hai, nihil ſibi ſumit Dominus. Fortè ad rei geſtæ memoriam conſeruandam id præcepit Deus. Sicut Num. 31. quæ oblata fuerant de manubiis Madianitarum Moſes, & Aaron, in ſacrarium intuliſſe memorantur. Poſt cædem ciuium, ante vrbis incendium, omnia domorum latibula luſtrata diligenter ſunt, & quidquid metalli fuit inuentum, theſauris Domini reſeruatur. Vocatur autem hic ærarium, locus theſaurorum ab ære: quia vt author eſt Iſidorus 16. Ethymol. primum metallum à mortalibus inuentum, æs fuit, ex quo moneta, & vaſa ad humanos vſus cœperunt conflari. Alio nomine vocari ſolet gazophylacium, Luc. 21. & paſſim lib. 1. Paralip. à gazis, ſiue diuitiis ſeruandis.

Gazophylacium Iſidorus.

Luc. 21. 1. Paralip.

6. *Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Ioſue viuere.*] Conſeruata eſt Rahab, & cognati illius, cum omnibus bonis, quæ ad eorum familias pertinebant. Id enim ita ſore, iuramento confirmarunt exploratores cap. 2. Fecit autem Ioſue viuere eos, quos à direptione, & interitu liberauit. Qui enim quempiam à mortis periculo eripit, vitam illi dicitur conferre. Sic Medici, quem pharmaco, aut potione ſalutifera à lethargico morbo liberarunt, illi vitam ſe donaſſe gloriantur. Quod autem Hebræi nonnulli dicunt, proptereà dici Ioſue feciſſe viuere Rahab, quia aſſumpſit eam in vxorem, ſomnium eſt.

Falluntur qui dicunt Ioſue duxiſſe Rahab vxorem.

7. *Et habitauerunt in medio Iſrael vſque ad præſentem diem, &c.*] Hoc idiotiſmo ſignificari ſolet ab Hebræis æqua libertatis & iurium in aliqua communitate participatio. בקרב *Bekereb*, hoc eſt, in medio hanc participationem indicat. Nam קרב *kereb*, pro quo medium reddere latinè ſolemus, interiora ventris propinquitatem, neceſſitudinem, & quidquid ad charitatem, gratiamque ſpectat, adſignificat. Simili idiotiſmo vſa eſt Sunamitis illa reſpondens Eliſæo officij pro beneficio ipſi exhibendi occaſionem, & materiam quærenti. *Numquid habes negotium*, inquit Eliſæus, *& vis loquar Regi, vel principi militiæ?* Reſpondit illa. *In medio populi mei habito.* Hoc eſt, bono in ſtatu ego, réſque meæ omnes ſunt, chara, & grata meis dego, bono apud gentem meam ſum loco, nec aliquo apud principem fauore, pro negotio expediendo indigeo. Huiuſmodi conditionem Rahab, & illius cognatis apud Iſraelitas conſtitiſſe, perpetuóque fuiſſe conſeruatam, illa verba docent, *& habitauerunt in medio Iſrael.* Atque, vt familiæ illi ſua iura ita conſtarent, vt nullius calumnia, vel fraude annis conſequentibus peruerti poſſent; additur cauſa cur id beneficium alienigenæ mulieri collatum fuerit. *Eo quòd*, inquit, *abſconderit nuntios, quos miſerat Ioſue.* Quaſi dicat, Oportuit beneficium publicè factũ in vtilitatem Iſraelitarum; publico etiam beneficio, ob illuſtre promeritum, rependere. Nuntios namque publica authoritate miſſos, non ſolùm non prodidit, verùm abſcondit, ſeruauit, liberóſque officioſo mendacio vſa dimiſit.

In medio habitare eſt, in aliqua communitate, æqua libertatis iura communicare.

8. Diſcant

A 8. Diſcant hoc exemplo omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, quo pacto excipi & ornari oporteat eos, quos ex paganiſmo, aut ex aliqua ſuperſtitione Deus ad Catholicam voluerit Eccleſiam adſcribi. Profectò mirum eſt apud Hebræos, generis aliàs ſui inſolentes, & faſtidioſos iactatores, adeò honeſtum fuiſſe locum Rahab Chananææ, vt & nuptiæ cum Salmone nobiliſſimo principe coniunctæ fuerit, & nepotum propagatio conſtiterit vſque ad IESVM CHRISTVM, Dei filium, orbiſque totius redemptorem. Quod patet ex Matth. 1. in deſcriptione námque genealogiæ Saluatoris dicitur: *Naaſon autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Boos de Rahab.* B Sic quoque de Ruth Moabitide Saluator progenitus eſt, quia accepit eam in vxorem Boos filius Salmonis. Et verò ſicut pater eius Salmon duxit alienigenam vxorem Rahab: ita ille Ruth, vt conſtat ex cap. 1. Matth. ex Ruth 4. Vnde reiiciendi ſunt Hebræi, qui abſque vllo ſcripturæ ſacræ ſuffragio affirmarunt, Rahab fuiſſe à Ioſue in vxorẽ cooptatam. Hactenus de Rahab.

Rahab nupſit Salmoni, cuiuſq; poſteritas Chriſti ortu veneranda fuit.
Matth. 1.
Ruth. 4.

9. *In tempore illo imprecatus eſt Ioſue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit & ædificauerit ciuitatem Hiericho.*] Grauis hîc proponitur imprecatio de vrbe Hiericho numquam futuris ſeculis poſt euerſionem miraculo factam ædificandam. In tempore illo, hoc eſt, poſtquàm Hiericho diruta eſt, & incendio abſumpta. C Nihilque iam appareret, præter cinerum congeriem. Imprecatus eſt Ioſue, tanquam Dei miniſter, magno cum clamore malum ei, qui aliquando tentaret, primam illam ciuitatem, quam Iſraelitæ tanquam ſacrificium Deo obtulerant, à fundamentis excitare. Eſt autem imprecari, malum quippiam in caput alicuius precari, Græcè ἀράομαι. Vnde Quintilianus declam. 1. *Non imprecamur*, inquit, *debilitatem, naufragia, morbos.* Et Virg. 4. Æneid.

Imprecari eſt malum alicui precari.
ἀράομαι.
Quintilianus.
Virg. Aen. 4.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas,
Imprecor.

Ouidius.

Habes imprecationis exemplum apud Ouidium D in libro edito in quendam, quem vocat Ibin. Imprecatione igitur vehementi vſus eſt Ioſue dicens: *Maledictus vir*, &c. In Hebræo, & in Græco, pro, Imprecatus eſt, ſunt verba, quæ ſignificant adiurare. Imo Hebræum verbum eam vim habet, vt ſignificet compellere ad iurandum, quo intelligamus (vt annotauit Abulenſis ad finem quæſt. 59.) compuliſſe Ioſue Iſraelitas ad iurandum fore, vt numquam ſuſcitarent vrbem Hiericho, quæ iuratio obligationem ad poſteros etiam tranſmiſit.

Compulit Ioſue Iſraelitas ad iurandum fore vt numquam ſuſcitarent Hiericho.

10. Duæ autem ſunt cauſæ, ob quas vſus eſt Ioſue hac imprecatione. Prima eſt, vt numquam deleretur memoria diuini beneficii, quo in fauorem populi E Hebræi, ad ſonitum tubarum, muri Hiericho ceciderunt. Atqui, ſi ciuitas illa reædificaretur futuro tempore vt ſit, nihil iam homines haberent, quo admonerentur tanti prodigij, nec occaſionem prætereuntes haberent, interrogandi, cur tam nobilis & antiqua ciuitas, in lapidum fuerit redacta congeriem. Altera elicitur ex anathematis conditione, ſecundùm quam, vrbs illi ſubiecta, poſtquàm complanata erat, & inceſa, relinquebatur in tumulum ſempiternum, iubente Deo, ne quis eam vnquam reædificaret, vt patet Deut. 13. Quid ergo mirum ſi Ioſue imprecationẽ hîc vtatur contra Hierichontinæ vrbis Deo anathemate deuotæ, reædificatorem?

A Non prætermittam id, quod ad eruditionem facit, vocari nimirum in fonte ſanctitatem, hunc rem ſanctam in hoc cap. eandem quam deuotam Latini dicunt. Nec immerito: res enim ſancta, ſiue deuotæ, quas Græci anathemata vocant, tam hæ ſunt, quæ in locis ſacris dicantur, quàm quæ adolentur, atque abolentur. Hebræi קרבן. *Corban*, & eliſa durioris ſoni littera, *Coban*, eadem notatione, qua Græci ἀναθήματα dicunt. Vnde extat apud Hebræos doctores hæc iurandi, aut vouendi formula in tract. de iureiurando, & votis, vt refert Maſius: Anathema & res deuota eſto, quidquid illud ſit, quo ego tibi proſim, aut quam tu vtilitatem ex me capias. B Atque hoc voto, cum quis apud aliquem vſus eſt, quantâuis ei neceſſitudine obligatum; atq; adeò erga ſuum ipſius parentem, nefas eſſe ſtatuunt Rabbini, illum vllo beneficij genere, aut officij hunc iuuare: ne quod Deo vouit, id humanis ſeruiat commodis. Atque hæc ipſa eſt illa traditio, quam citat, damnátque Chriſtus, Matt. 15. & Marc. 7. tanquam legi Moſis aduerſantem. Niſi fortè, qui Syriacum Euangelium, in quo hæc lucidiora ſunt adiecit.

11. Imprecationis ergo forma hæc eſt: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho.* Vult, vt non ſolùm inter homines maledictus ſit, ſed etiam coram Domino: vel ſignificat, non ſolùm ab Iſraelitis ſed C etiam à Deo maledici ædificatorem Hiericho. Alius ſenſus eſſe poteſt. *Maledictus vir coram Deo*, id eſt, maledictus vir à Deo, quaſi dicat, Deus maledixit ei, qui iſtam vrbem ædificaturus eſt, quam maledictionem ego ſpiritu prophetico prænuntio Deóque præſente, atque vlciſcente, quod prædico ratum, firmum fixumque eſto.

12. *In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.*] Hoc eſt, in mortem primogeniti ſui iaciet fundamentum, & in paruo ſuo ſtatuet portas eius. Sic enim habent Hebræa, vel vt noſtra editio: *Et in nouiſſimo liberorum ponat portas eius*, hoc eſt, & in mortem filij ſui paruuli ſtatuet portas eius. D His verbis ſignificat conditorem vrbis maledictæ puniendum, ob temeritatem, & inobedientiam intra fundationis, & ſupremæ manus tempus omnium filiorum orbitate.

Ædificator Hiericho [illegible] *orbitate.*

13. Illud non eſt prætermittendum, vt benedictionis, ſic & maledictionis ſiue imprecationis iuſtæ mirabiles eſſe effectus. Benedictionis effectus habes in Patriarcharum benedictionibus, de quibus agitur Gen. 49. vbi etiam, quid imprecatio valeat, multùm elucet. Idem perſpicies ad finem Deuteronomij in cantico Moſis. Vna ex imprecationis ſiue maledictionis partibus, ſterilitas eſt, & filiorum orbitas; vt è contrario fœcunditas, & numeroſæ E ſobolis propagatio, benedictionis pars eſt. Definit igitur Deus maledictionis partem, quæ decretum ſuum teſtaretur de perpetua Hiericho vaſtatione. Porrò duo in hac imprecatione prohibentur: Alterum ne vrbs eadem in eodem loco ſuſcitaretur; Alterum, ne vrbs alia, quocumque loco ſub nomine Hiericho ædificaretur. Ex alterutra námque ædificatione, nomen quo obliteraretur, miraculi memoria, extaret, nec quis ſciret, poſt longa ſecula, quid diuinitus acciderit Hierichuntinæ vrbi. Antiquam Conimbricam, vbi olim fuerit Conimbricenſes, ipſi dubitant; & Hiſpalenſes, vbi vetus Hiſpalis, poſtquàm, quæ Romulea olim, nunc alieno nomine vſurpato Hiſpalis appellatur,

Effectus benedictionis, & maledictionis. Gen. 49.
Propagatio ſobolis, eſt benedictionis effectus.
Conimbrica [illegible]
Hiſpalis antiqua.

Montanus.

tur, vt annotauit Arias Montanus in cap. 5. Ioſue. A Vtrumque ergo canet Ioſue, ne quis vrbem hanc reparet neue quis Hiericho vrbem quouis loco ædificet. Hæc diſtinctio ob articulorum, & demonſtrationum varietatem, & proprietatem, quibus latinitas caret; aperta eſt in Hebræo, Chaldaico, & Græco contextu. In vulgata tamen tranſlatione cognoſci poteſt, ſi alteri ex duobus verbis, alterum ex appoſitis attribuatur. Nam ad illa verba: *Qui ſuſcitauerit ciuitatem*, adde ex illis linguis; hanc eandem ipſam, quæ euerſa, & incenſa eſt. Ad illa verò: *Et ædificauerit Hiericho*, id eſt, vrbem aliquam, cui nomen indiderit Hiericho. Eſt igitur huius vaticinij ſententia, quam explicauimus. Eam Deus certò probauit euentu, ſicut in B fine hiſtoriæ Achab filij Amri ſcriptũ eſt 3. Reg. 16. *In diebus*, inquit, *eius ædificauit Hiel de Bethel Hiericho, in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbũ Domini, quod locutus fuerat, in manu Ioſue filij Nun.* Quæ verba planè confirmant à Ioſue, vt propheta coram Domino, id eſt, Dei iuſſione, factam eſſe hãc imprecationem.

Prohibetur reædificatio Hiericho, in quacunque loco.

3. Reg. 16.

Euentus confirmauit imprecationem Ioſue.

14. *Fuit ergo Dominus cum Ioſue, & nomen eius vulgatum eſt in omni terra.*] Veræ & germanæ dignitatis exiſtimationem rerum publicarum adminiſtratoribus, & principibus conciliari exemplo Ioſue Deus oſtendit, non ſumptu magno in claſſibus apparandis; non turrium & murorum C inſana ſubſtructione; non vectigalium amplificatione. In his enim ægri mortales plerunque & oleum, & operam perdunt, & rem atque decus vnâ amittunt, ſicut Regius vates, Pſal. 126. cecinit. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*: ſed præeuntem Dei lucem ſequendo, illi vſque decreta magnificando, ſcriptum enim eſt; *cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces, fructus ventris.* Tanti quippe eſt Dei numen propitium, & dextrum habere, vt Ioſue fide, pietate, & mãdatorum Dei obſeruatione, antequàm vllum aduerſus Chananæorum Reges bellum D gereret, meruerit, cum admiratione, in tota illa regione nominari. Propagabatur quotidie cum claritate illuſtris apud omnes gentes illius fama, ex illa tantùm cauſa, quòd Dominus eſſet cum illo. Nam ſi facta quæras, quænam illa, ad id tempus extitere? Fama igitur ad omnes oras felicitatem Ioſue perferebat, cui Deus adeò dexter, propitiúſque eſſet, vt vel otioſo, fluuios aperiret, vrbes munitiſſimas expugnaret; hoſtium conſilia indicaret, arcana reuelaret, & futuris temporis prædiceret euentus. His accedebat commemoratio grati animi erga eos, à quibus beneficium acceperat; multarúmque virtutum, quæ in illo elucebant enumeratio. In Hebræo pro eo quod in- E terpres Latinus reddidit, *Nomen*, eſt vocabulum *Samuagh*, quod auditionem ſiue famam ſignificat. In eadem ſignificatione, nomen hic ponitur quemadmodum & apud prophanos ſcriptores, vt Georg. 3. Virg.

Non diuitiis parantur, ſed diuina voluntate deſpiciuntur magis fama.

Pſal. 126.

Ioſue magnum apud omnes habebatur, ex quod Dominus eſſet cum illo.

Vir. Georg. 3.

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæſaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quod abeſt ab origine Cæſar.

Hora. 4. Car.

Et Horat. lib. 4. Car. Ode 15. laudans Cæſarem.

Vagantis frena licentiæ
Iniecit: amouitq; culpas,
Et veteres reuocauit artes
Per quas latinum nomen, & Italæ
Creuere vires, famáque & imperi

Porrecta maieſtas ad ortum
Solis, ab Heſperio cubili.

15. Sed quomodo nomen Ioſue vulgatum eſt in omni terra? Num, quia ſol ſtetit illius iuſſu ſpatio vnius Diei immotus? Nam cætera eius facta quomodo cognoſci toto orbe potuerunt? Reſpondet Abulenſ. quæ. 70. non eſſe hinc dictum ita accipiendum, vt credamus nomen, & famam Ioſue ad omnes omnino gentes quotquot, orbẽ incolunt perueniſſe, ſed ad gẽtes terræ Chanaan, aliáſque iis vicinas. Et verò licèt omnes gentes ſolem ſuſpexerint ſtantem, non cognoſcerent id miraculo fieri. Sunt enim nationes quædam ita immanitate efferatæ, vt vix animam pro ſale habeant ne putreſcant, parúmque à belluis differant; quales ſunt illæ quas Ariſt. 7. Ethic. beſtiales vocat, & ad Septentrionalem Oceanum degunt. Quales etiam ſunt illi, qui ad Auſtralem plagam in deſertis Æthiopicis vagantes, monſtra magis hominum dixeris, quàm veros homines, vt author eſt Iſidor. lib. 11. Ethym. & Solinus in Polyſtor. c. de Æthiopia.

Quomodo Ioſue nomen vulgatũ ſit in omni terra?

Abulenſis.

Stantem ſolem tempore Ioſue gentes barbaræ non notarunt.

Ariſtot.

Iſidorus.
Solinus.

16. Quod ſi velis agnouiſſe omnes gentes eam ſolis ſtationem miraculo factam eſſe, quomodo diſcernere potuerunt, magis propter Ioſue, quàm propter Arabes, Chaldæos, aut Ægyptios accidiſſe? Num, miſſi ſunt ad omnes gentes huius facti internuntij? vix ſanè fieri poteſt, vt vnius hominis, quantumcunque ille conſpicuus ſit, vel ob itinerum difficultatem; vel ob commercij impeditum vſum ad omnes gentes fama perueniat. Quod rectè conſiderauit Boetius lib. 2. de conſolatione proſa 7. Hinc concluditur famam Ioſue non fuiſſe toto orbe vulgatam, ſed ad omnes gẽtes perueniſſe, quæ Chananæos circumſtant. Cuius enim hominis, aut ciuitatis nomen, ad vltimas mundi plagas perlatum eſt? Quid Roma illuſtrius? & tamen tempore Ciceronis cùm à condita vrbe plures quàm ſeptingenti numerarentur anni, nõ erat vltra Caucaſum, Romanum nomen cognitum, nec in India fuerat auditum. Vides Reip. ampliſſimæ, & factis clariſſimæ, cùm adulta eſſet, nomen Caucaſum, intra tot annos, non tranſcendiſſe? Quomodo ergo facta Ioſue vulgari tam breui tempore toto orbe potuerunt? An propter ſolem ad preces illius ſtantem, fama nominis eius, mundum peruagata eſt? Maius miraculum fuit, quod retrogrederetur ſol in horologio Achaz lineis decem, regnante Ezechia, cuius votis cœlum annuit, vt patet 4. Reg. 20. & Iſaiæ 38. nec tamen ob id, nomen Ezechiæ toto fuit orbe vulgatum. Licet enim rem nouã mundus admiraretur; ignorabant homines, tantum prodigium in gratiam Ezechiæ oſtendi; ſiquidem Chaldæi aſtrologiæ periti, Hieroſolymã nuntios miſerũt, vt dicitur 4. Reg. 20. qui cauſam nouitatis ſciſcitarẽtur & diſcerent ab Ezechia. Quomodo ergo ſolẽ ſteтiſſe precibus Ioſue Chaldæi, aut remotiores adhuc populi potuerunt ſcire, cum apud illos tam inauditum eſſet Ioſue nomẽ, quàm Homerici Therſitæ? Cùm ergo dicitur nomen Ioſue vulgatum eſſe in omni terra, particula, *omnis*, diſtribuit non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum (vt in ſcholis loquimur) ſicut cùm dicitur Gen. 41. in Ægyptum veniſſe omnes prouincias, vt emerent eſcas; nec enim omnes, ſed aliquæ eò mittebant prouinciales ſuos emptum cibos, & Matth. 27. cùm dicitur: *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*: particula, *vniuerſam terram*, non extenditur ad omnes

Steiſſe ſolem propter Ioſue, remotæ gentes non agnouerunt.

Boetius.

Ioſue nomen magnum in tota Chanaan terra.

Romanum nomen non erat cognitum vltra Caucaſum tempore Ciceronis.

Retrogredi ſolem maius miraculum quam ſtare.

4. Reg. 20.
Iſai. 38.

4. Reg. 20.

Gen. 41.

Matth. 27.

proſus mundi regiones, vt annotatur in ſcholio Abulenſ. ad finem quæſtionis 72. ſed ad terras non multùm à Paleſtina diſtantes. Quare ſententia horum verborum. *Et nomen eius vulgatum eſt in omni terra*, interpretatur Abulenſ. per aliquas terras vicinas. Quaſi ſacræ literæ id tantùm velint ſignificare; Ioſue nomen vulgatum eſſe in omni terra Chananæorum, & vicinarum gentium. Eſt quippe in huiuſmodi locutionibus exaggeratio quædam per hyperbolen, qua non profani tantùm ſcriptores, ſed ſacri etiam vtuntur.

Verſ. 24.] Vrbem autem, & omnia, quæ erant in ea ſuccenderunt, abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.

Vtrum muri Hiericho, à Deo abſque vllo Angelorum miniſterio diruti ſint, antequam vrbs incenderetur.

ANNOTATIO I.

Non corruerunt muri Hiericho aliqua cauſa naturali impellente.

Angelorum miniſterio diruti ſunt muri.

Exod 14. Columna nubis mouebatur ab Angelo.

Dan 5.

Abacuc ab Angelo in cincinno capitis portatus eſt.

Ariſtot.

Intelligentia motrix extenſione virtutis eſt in toto cœlo, quod mouet.

1. EX ipſis ſacri contextus verbis, colligitur muros Hiericho, vno impetu repète fuiſſe complanatos clangentibus tubis, vociferantibúſque Hebræis, & vt ita fieret, à Deo poſtulantibus, iuxta illud; *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox, ſonitúſque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat, &c.* Nec verò aliqua pars relicta eſt, ſed quidquid muri erat à fundamentis ſimul dirutum eſt; quod ſignum eſt, id non terræmotu, aut alia cauſa naturali impellente eueniſſe. Ineſt enim in huiuſmodi euentis, quando naturæ vis ſubeſt, ſucceſſio ruinæ in partibus, nunc minori, nunc validiori motu concuſſis. Quare non aura in viſceribus terræ à Deo producta primum, deinde ad ſola murorum fundamenta per Angelos applicita, cauſa fuit ruinæ: ſed Angeli, per vnicam operationem ſuæ virtutis, iuſſu Dei ita applicitæ, vt ruentibus muris æque planus pateret Hebræis prorſum ingreſſus. Quod autem Angeli applicent ad portandum onus, vel mouendam aliquam rem, virtutem ſuam, tanquam Dei miniſtri conſtat ex columna nubis, quæ Exodi decimo quarto, cum ſuopte impulſu mutari non poſſet, ab Angelo mouebatur. Idem confirmatur Dan. 5. ex Angelo à Iudæa vſque ad Babylonem in cincinno capitis exportante Abacuc euntem ad meſſores cum cibo in alueolo. Ille quippe Angelus, non ſoli capillo, vt exprimit contextus; ſed toti corpori virtutem, ne è nubibus caderet, applicuit. Num capillus tantæ firmitatis erat; vt tenere poſſet molem corporis in aëre pendentis? Vtitur tamen ea locutione ſcriptura, quià per aërem ſic propheta ferebatur, vt ſolo capitis pilo trahi ſe putaret. Quid de orbibus cœleſtibus dicam? Ariſt. 7. Phyſic. & 12. Metaph. Sphæras cœli ab intelligentijs, quas nos Angelos vocamus, moueri affirmat; Eſt autem intelligentia mouens quoduis cœlum, extenſione virtutis, in toto orbe moto, vt grauiores docent philoſophi. Hinc Iob 9. ait Deus orbem portari ab Angelis, id eſt, ab Angelis moueri cœlos, & Matth. 4. dicitur. *Aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem*; quo exemplo vtitur Abulenſ. in ſcholio ad quæſt. 49. Non fuiſſe ruinam murorum Hiericho immediatè à Deo per ſolam voluntatem, effectam; confirmat idem Abulenſ. quæſtion. 50. ſequenti. Mihi ea ratio idonea viſa eſt, quæ elicitur ex doctrina Magiſtri lib. 1. & 2. ſententiarum. Deus námque per ſe agit ea, ad quæ virtus creaturæ, quæ illi ad nutum obedit, pertingere non poteſt, vt creare rem, cuius nulla pars antè extiterit; mortuos ſuſcitare, & quæ huiuſmodi ſunt; Illa tamen quæ Angelorum virtute fieri poſſunt, cùm ſint adminiſtratorij ſpiritus, par eſt (ne dicamus ordinem rebus præſcriptum turbari) Angelis committi: ac proindè per Angelos dirutam fuiſſe Hiericho, tanquam per adminiſtros diuinæ iuſtitiæ ciuitatem anathemate damnantis. Iugulatio autem ciuium, & rerum domorúmque incendium, Hebræis permittitur.

Iob 9.

Matth. 4.

Abulenſ.

Magiſt. ſent.

Deus per ſe agit ea, ad quæ virtus creaturæ non pertingit.

Verſ. 24.] Abſque auro, & argento, & vaſis æreis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.

An ſolùm repoſita fuerint in theſauris Domini, quatuor metalla, hic enumerata?

ANNOTATIO II.

Num 31.

Abulenſ.

Exod 25. 35. Stannum, plumbum, & cuprum non fuerunt cum auro, nata ab excidio Hiericho.

Num 31.

1. Reg.

Exod. 25

2. CVM varia ſint metallorum genera, & quatuor hic duntaxat aſſignentur, quæ ærario reſeruentur; quæri poteſt, quid actum ſit de reliquis metallis, qualia ſunt plumbum, & ſtannum legimus, Num. 31. non ſolùm hæc quatuor metalla, ſed alia etiam cuiuſcunque generis in præda Madianitarum ſumpta fuiſſe. *Hoc eſt*, (inquit ſacra hiſtoria) *præceptum, quod mandauit Dominus Moſi; aurum & argentum; æs & ferrum, ſtannum, plumbum, & omne quod poteſt tranſire flammas igne purgabitur*, &c. Cur ergo hîc alia metalla ab his quatuor reijcientur? Abulenſ. q. 44. ad obedientiam, quæ Dei mandato reſpondere debuit fideli executione cauſam refert. Num prætermittenda erat forma mandati? Accedit ſtannum, plumbum, & cuprū non poſſe vtiliter conſeruari ad vſum aliquem ſanctuarij. Nec enim Exod. 25. & 35. aliquid præcipitur fieri ex horum metallorum materia, quod tabernaculo inſeruiret.

3. Alia autem ratio eſt de præda Madianitarum; ibi námque vniuerſa præda in Hebræorum ceſſit vſus; nec aliquid applicatum eſt ſanctuario, niſi ex libera cuiuſq; militis oblatione. Et Num. 31. pecora inter expugnatores diuiſa ſunt. Hic autem omnia iubentur concremari, præter illa quatuor metalli genera. Quare, vt obediētia, quæ (vt dicitur 1. Reg. 15.) *melior eſt quàm victimæ*, ſeruaretur, ſolùm nominatis parcendum fuit metallis. Sed ad quid ferrum? conſtat quippe nullum vas, aut inſtrumentum ex ferro factum vſui fuiſſe ſanctuario, Nunquid Deus, Exod. 25. & 35. præcipiens offerri à populo res neceſſarias ad

> *Ferrum vtile erat Leuitis ad figendum ſanctuarium, & alias vſus, idcirco ſeruatur.*

A ſanctuatij vſum, ferri meminit? Nihilominus non fruſtrà parcitur ferro. Hoc enim licet in miniſtratione ſanctuarij, & vaſis, quæ aurea erant, argentea, aut ærea locum non haberet; inſeruiebat tamen Leuitis ad clauos, aliáque inſtrumenta fabricanda, ſine quibus nec deponi poterat, nec erigi tabernaculum. Quomodo quęſo te, aut figere poſſent æreos paxillos, baſes argenteas, & pleraque ligna ſine ferro?

> *Non præcipit Deus Iſraelitis, vt offerant ferrum.*

4. Sed cur non præcipitur Iſraelitis, vt offerant ferrum, ſicut tria reliqua metalla? Quia ad ſanctuarij fabricam, nec ad vaſa illius neceſſarium erat: ſola autem præcipit Deus offerri quæ coniuncta erant miniſterio ſanctuarij. Hic verò B iuſſit ferrum etiam in theſauris ſeruari, vt inſtrumenta, quibus integra adminiſtratio etiam remotè perficiebatur, non deeſſent. Hinc ſacra hiſtoria *vrbem*, inquit, *& omnia quæ erant in ea ſuccenderunt; abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.* Vides exactæ obedientiæ vmbram. Longè aliter ſe geſſit Saul 1. Reg. 15. in expugnatione Amalech. Audi præceptum, per Samuelem illi propoſitum. *Percute Amalech, & demolire vniuerſa eius; non parcas ei: & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum.* C Quid Saul? Dei mandatum parui faciens inobediens fuit: ſubiungitur namque. *Percuſſitq; Saul Amalech. Et apprehendit Agag Regem Amalech viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij, & pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt.* Ægrè tulit Deus hanc præcepti violationem. Vnde Samuel, exprobans factum Regi, triumphalem ſibi iam in Carmelo ob victoriam erigenti fornicem, & volenti oues plurimas Deo immolare. *Numquid vult*, inquit, *Dominus holocauſta, & victimas, & nō potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victima: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.* D *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo, quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex*, &c. Atque vt Rex inobediens intelligeret ratum fore, quod prædixit, addidit. *Porrò triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam*, &c. Rectè D. Gregorius enarrans illa verba: *Melior eſt obedientia, quàm victima.* Meritò, inquit, obedientia præfertur victimis, quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. Adeò verò Deus curat, vt in iuſſionibus omnes apices obſeruentur, vt crimen in conſcientia E vnius, vel paucorum occultatum, abire impune non ſinat. In furto Achan, qui ex anathemate Hiericho aliquid clam ſurripuit capite ſequenti, huius ſeueritatis habebimus exemplum.

> *Obedientia exacta.*
>
> *1. Reg. 15.*
>
> *Saul tranſgreſſus præceptum quo iubebatur delere omnino Amalech.*
>
> *1. Reg. 15.*
>
> *Deiicitur de regno Saul ob inobedientiam.*
>
> *D. Gregor.*

Verſ. 25.] Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Ioſue viuere; & habitauerunt in medio Iſrael, vſque ad præſentem diem: eo quòd abſconderit nuntios, quos A miſerat, vt explorarent Hiericho, &c.

Prudentia Ioſue in conſeruanda Rahab, Dei curam indicat, qua illos tuetur, & remunerat qui fidei bona opera aſſociant.

ANNOTATIO III.

> *Ioſue ſollicitudo in conſeruanda Rahab.*

B 1. ADMIRABILEM ſolicitudinem vidimus in Ioſue, in procuranda Rahab meretricis incolumitate. *Sit*, inquit, *ciuitas hæc anathema, ſola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſcondit enim nuntios, quos direximus.* Hæc ante ruinam murorum dicta ſūt. In ipſo rerum tumultu, & direptionis perturbatione minimè oblitus beneficij accepti, & fœderis iurati. *Duobus viris*, inquit ſacer hiſtoricus, *qui exploratores miſſi fuerant dixit: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia, quæ illius ſunt, ſicut illi iuramento firmaſtis.* Poſt vrbis excidium audis: *Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat fecit Ioſue viuere.* C Quæris quodnam fuerit huius meretricis promeritum? Nuntios populi Dei accepit: illis aures dedit, fidem, ſine qua placere Deo nemo poteſt, recepit. Quid enim illæ voces cap. 2. ab illa editæ ſignificant? *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.* Fidei miſericordiam, quæ Deo ſemper grata fuit, adiunxit. *Iurate*, inquit, *mihi per Dominum, vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detiſq; mihi verum ſignum, vt ſaluetis patrem meum, & matrem*, &c. Volupe eſt in tropologia tantiſper, dum vtilitas affulſerit, immorari, vt hiſtorico ſenſui, myſticus interdum, quod Patres non rarò faciunt à nobis copuletur. Neſcio enim quo pacto fit, vt ſacra ſcriptura D allegoriis, & tropologiis penſiculatè conſideraris, lectori dulceſcat, & cum vtilitate quodammodo adblandiatur.

> *Rahab fides, & promeritum.*
>
> *Tropologia in ſacris literis interdum vtilis eſt.*

2. Cogitemus ergo Rahab, animam eſſe fidei myſteriis imbutam, quæ cognitis antè actæ vitæ ſordibus, aures ſacerdotibus, & Dei miniſtris præbet, tædióque ſcelerum ad honeſtas actiones ſuſcipiendas impulſa, ad pietatem, & miſericordiam afficitur. Deique promiſſionibus, quibus ad ſpem vitæ æternæ erigimur credens iuſtorum cœtui cooptari auidiſſimè deſiderat. Quid Deus per Ioſue ſignificatus? Profectò huic animæ aderit, nec eam in anathemate mundi huius, in Hiericho deſignati perire ſinet. Imò muneribus au- E gebit ampliſſimis, & cœleſtibus gratiis cumulabit. *Quis eſt homo*, inquit Regius vates Pſalm. 33. *qui vult vitam, diligit dies videre bonos.* Dei beneficia ſunt, vita, & dies boni. Hæc vt quis aſſequatur, audiat quæ ſubiunguntur; *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam.* Exiſtimat Auguſtinus in lib. 50. homiliarum, homilia prima, agi in his verſiculis de vita, non temporaria, ſed æterna; nec de diebus huius temporis, quoniam pauci, & mali ſunt, ſed diebus æternitatis, ad quos ſeruatis præceptis quæ ſubiiciuntur, peruenire poſſumus, & eam pacem obtinere, quæ bene operantibus promittitur

> *Rahab animam figurat pœnitentem, [illegible]*
>
> *Pſal. 33.*
>
> *Beneficia ſunt Dei, vita, & dies boni.*
>
> *Auguſtinus.*

Quid ſit velle vitam, & dies videre bonos?

ritur. Quæ eſt iſta pax niſi quam non habet Hiericho ſiue mundus? quæ iſta pax eſt, niſi quam non habet iſta vita, quæ in beatæ vitæ comparatione, nec vita eſt. Neq; enim de hac vita diceret: *Quis eſt homo, qui vult vitam?* & ad iſtam, vel retinendam, vel producendam præceptis ſequentibus vteretur: quanquam & iſtam quis non velit? Nam hæc ſaltem optatur prolixa, quia non poteſt eſſe ſempiterna: & per hanc poteſt homo peruenire ad illam, ſi quemadmodum vult eam longam, ſic velit & bonam. Audi Auguſtinum docentem quomodo nos gerere debeamus in hac vita, vt æternam obtineamus, de qua interrogat Propheta; *Quis eſt homo qui vult vitam, &c. In hac*, inquit, *vita iubet nos Apoſtolus redimere tempus, quoniam dies mali ſunt. Et quid eſt redimere tempus, niſi cùm opus eſt etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda, & capeſſenda ſpatia temporis, comparare? Vnde etiam Dominus præcepit* Matth. 5. *dicens: Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium, vt ſcilicet amiſſa re temporali impendas ad quietem, quod eras impenſurus ad litem. Quod itaque non de vita & diebus huius temporis loquatur ſpiritus Dei, dicens: Quis eſt homo, qui vult vitam, & vult dies videre bonos? ſequentia declarant. Talia enim præcepta ſubiungit, quibus obaudiendo, vitam & dies bonos habere poſſimus, vt hæc vita, quam nunc agimus, & hi dies pro eiſdem præceptis implendis plerumque amittendi ſint.* Hæc Auguſtinus. Optauit vtramque vitam Rahab, æternam ſcilicet, & temporariam; præceptis ſe ſubmiſit, cohibens linguam ſuam à malo, & doli omnem ſpeciem fugiens, inquiſiuit pacem, videns vrbem anathemate damnatam, in qua erat, vſa eſt miſericordia; propterea meruit, vt à Ioſue pacem, in communi excidio impetraret. *Sit ciuitas hæc anathema*, inquit Ioſue, *ſola Rahab meretrix viuat; abſcondit enim nuntios, quos direximus.*

Hæc vita optatur prolixa, quia non poteſt eſſe ſempiterna.

Auguſtinus.

Quid ſit redimere tempus.

Matth. 5.

In mundi excidio de ſtur anima fide & bonis operibus dedita. Viuat.

3. Quamuis aliqua anima meretrix fuerit, & in peccatorum cœno diu immerſa iacuerit; ſi tandem diuinis conſiliis, & inſpirationibus locum in hoſpitio pectoris dederit; boniſq; inuigilauerit ſtudiis audiet Deúm Angelis dicẽtem: Viuat, viuat (*O quæ viuá*) Ruat mundus, fatiſcat terra, elementa calore ſoluantur. Viuat tamen anima fidei & bonis operibus ex flagitioſa vita ad Deum conuerſa. Iubentur occidi non ſolùm viri bellatores, ſed etiam fœminæ; non parcitur ſenibus, nec pueris infantibus; Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Ioſue viuere. Quæres, cur mulieres Hierichuntinæ non fuerint ſeruatæ? An non licebat in ancillas ſaltem accipere? Reſpondet Abulenſis Hebræis poſtquàm ingreſſi ſunt terram Chanaan eam fuiſſe legem propoſitam, vt ſi contra gentem aliquam alienigenam pugnarent, quæ extra Chananæorum fines habitaret, acceptarent oblatam pacis & tributi conditionem: aperientibus portas vrbis ciuibus ob pactam incolumitatem, vt patet Deut. 20. Si autem pacifici ciuitas nollet ea expugnata, interficiebat Iſraeliticus populus omnes maſculos ſeruatis fœminis & pueris, vt mancipia eſſent, cæteráque prę da abacta, vt inter victores diſtribueretur. Quid ſi cum Chananæis, quorum Iſraeli adiudicata terra erat, pugnandum foret? Nec fœminis, nec pueris parcendum erat, vt conſtat ex cap. 20. Deut. ac proinde nec Hierichuntinis fœminis, aut pueris. In bello quidem contra Madianitas, Num. 31. paruuli ſeruati ſunt, quia Madianitæ non habitabãt in terra quæ ad Iſraelitarum poſſeſſionem pertineret. Seruatæ etiam fuerunt fœminæ iuxta legem Deut. 20. poſteà tamen Deus Madianitides fœminas occidi iuſſit, non quidem virgines, hæ namque ſeruatæ fuerunt, ſed quæ cognouerant viros, impulerantque Hebræos ad fornicationem & idololatriam in monte Phegor, Num. 31. Hiericho autem Chananæorum, ciuitas erat Iſraeli attributa; ac proinde oportuit, vt nec pueris quidem lactentibus vita concederetur. Iam pecora occiſa ſunt, non ob legem Deut. 20. traditam, ſed propter legem anathematis à Ioſue indictam. *Sit*, inquit, *ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, ſola Rahab meretrix viuat.* Hinc intelliges ex mundi & peccati anathemate, neminem ſaluari niſi qui Rahab fidem & miſericordiam, qua vſa eſt aduerſus exploratores ſit imitatus.

Abulenſis.

Deut. 20. interficiebantur bello ſuperati omnes maſculi verum quæ a gentilibus extra Chananæ ea ſeruabant ſeruatis fœminis & pueris.

Aliter agebatur cum Chananæis. Deut. 20.

Num. 31.

Deut. 20.

Priuilegium virginum etiã. Seruatæ ſunt virgines in excidio vrbis. Num. 31.

Deut. 20.

4. Felix anima, quam Deus ex impiorum cœtu, morti æternæ deſtinato, ad iuſtorum euocat ſocietatem. Sic ſponſam euocat diuinus ſponſus Cant. 4. dicens: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Chaldæus Paraphraſtes ita tranſtulit. *Dixit Dominus Deus mecum habitabis ô cœtus Iſrael, qui ſimilis es ſponſæ honeſtæ, ſeu pudica & caſta, & mecum ingredieris in domum ſanctuarij: & offerent tibi munus principes populi, qui habitant ſuper fluuium Amana, & incolæ, qui morantur in vertice montis niuis, & gentes, quæ ſunt in Hermon, & afferent tibi tributa habitatores ciuitatum fortium, qui ſunt robuſti ſicut leones, & munus ab vrbibus montium, qui ſunt fortiores, quàm leones.* Hæc ad verbum ſumpta ſunt ex Chaldæo, allegoriam ſimul & hiſtoriam complectente, nos animam Chriſto inſtar ſponſæ nuptam malumus intelligere. Cui Deus ait Pſal. 44. Poſtquàm mundi voluptatibus, & peccati blandimentis renuntiauit. *Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum, & adorabunt eum*, &c. Ità interpretatus eſt Diuus Hieronymus hanc ſententiam in epiſtola ad Euſtochium. Facit ad hanc allegoriam illud Gen. 12. vbi dicitur Abraham. *Egredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi*, &c. Quæ verba enarrans Philo in lib. de Abraham fol. 311. miratur Abraham audito hoc oraculo in regionem externam relictà patria ea celeritate properaſſe, qua ſi exul eſſet, in patriam rediret rem factam ſe habere putans, ſi mandatum exequeretur celeriter. Deinde ſubdit. Quis alius tam conſtans fuiſſet, vt non flecteretur affectu cognationis, & patriæ, quarum innatum, & coalitum eſt cuique deſiderium magis, aut certè non minùs, quàm membra corporis? Teſtes ſunt legiſlatores, qui ſecundum, ab extrema capitali pœna atrociſſimorum criminum conuictis, ſtatuerunt exilium, &c. Idem in lib. de migratione Abrahæ, eadem verba ad allegoriam trahens, ſic ſcribit: *Volens Deus purificare hominis animam, primùm offert ei perfectæ ſalutis occaſionem, nempe migrationem à corpore, ſenſu, atque ratione: egredere igitur, & fuge carcerem corporis, ſimul voluptates, & concupiſcentias cuſtodes eius carceris, quantum potes, eas profligans*, &c. Miratur etiam & laudat D. Ambroſ. lib. 1 de Abraham cap. ſecundo huius ſanctiſſimi Patriarchæ, obedientiam, qua Deo vocanti obſequutus eſt.

Vocat Deus animam ad ſalutem, ex impiorum cœtu. Cant. 4.

Chald. Paraph.

Pſal. 44.

Hieronymus.

Gen. 12.

Philo.

Obedientia Abrahæ exeuntis de patria.

Philo.

Iubemur corporeo mundo, & ab eo diſcedere.

Ambroſ.

Cuiuſ-

Deuotio prima virtus. Ambr.

Cuiuſmodi, inquit, fuerit in eo viro deuotio conſideremus. Ea enim virtus ordine prima eſt, quæ eſt fundamentum cæterarum, primámque eam ab eo exigit Deus, dicens. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Satis autem fuerat dixiſſe de terra tua; Sed ideò addidit ſingula, vt eius affectum probaret, ne fortè aut imprudenter cœpiſſe videretur, aut fraus aliqua mandatis cœleſtibus pararetur. Tentatur ergò vt fortis: incitatur, vt fidelis, prouocatur vt iuſtus, &c. Et Diuus Paulus ad Hebr. 11. Fide, inquit, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem. & exijt neſciens, quò iret, &c. Eat anima quò Deus vocat.

Abraham tentatur vt fortis.

Hebr. 11.

Exire Deus iuſſit Abraham, vt eſſet pater credentium: & poſt mortem ſinum haberet ad quem reciperentur iuſti.

5. Sed, ad quem ſcopum vocat Deus animam; quam de periculis eruit? Abraham quidem exire iuſſit de Vr Chaldæorum, & cognatione ſua, vt pater eſſet credentium, & promiſſionem reciperet de Chriſto, & ſinum haberet etiam poſt mortem, ad quem colligerentur omnes iuſti, donec cœli ianuæ per Meſſię paſſionem aperirentur. An felicitas homini contingere maior poteſt? Quid animæ ad Deum ex luto ſcelerum conuerſæ dicitur? Cant. 4. ait Deus, veni coronaberis, inuitatur ad præmium, verbum námque coronandi, id denotat. Verbum verò Hebr. שור, Sur, pro quo Latinus interpres reddidit, coronaberis, ſignificat non ſolùm regnare, ſeu coronam regni accipere, ſed etiam munus vel tributum more regum offerre, ſeu accipere. Sed, vnde extrahitur anima, vt Deo iungatur, & præmijs decoretur? Non de Hiericho, quæ ſignificat locum odoramẽtorum, vnde erepta fuit Rahab meretrix (quamuis ex delitijs, etiam multi, ad meliorem frugem cum Rahab traducantur.) Sed, de capite, inquit, Amana, de vertice Sanir, & Hermon. De cubilibus leonum, de montibus pardorum. Hæc extrema verba per appoſitionem dicta accipe, vt ſit ſenſus literalis: Veni de Libano, qui mons eſt omnium quos Syria habet altiſſimus, adeò (vt authore Cornelio Tacit. Annal. 21.) medijs ſolis ardoribus opacus, & niuibus canus ſit. Quod nomen לבנ. Leban, quo ab Hebræis inſignitur, & album ſonat, adſignificat. Veni de capite Amana, hoc eſt, de Amano monte qui Ciliciam & Syriam diuidit; de quo Plin. lib. 5. cap. 22. Sanir verò & Hermon vnus idémque mons eſt duobus nominibus appellatus, vt conſtat Deut. 3. & affirmat Diuus Hieronym. in principio cap. 27. Ezechiel, & in lib. aduerſus Heluidium. Vel, vt ait Greg. Nyſſen. hom. 8. in Cant. duo ſunt vertices eiuſdem montis ex quorum radicibus effunduntur duo Iordanis fontes. Veni ergò, inquit, ô ſponſa de montibus, qui magna ex parte cubilia leonum & ferarum ſunt; atque prædonum luſtra. Non carebant prædicti montes, his belluis: ac proindè ad deteſtationem illorum, & odium, ſponſam, quæ ibi nata fuerat & educata concitat commemoratione leonum, & ferarum, vt ſic Hieruſalem & palatium Salomonis; oblita iam prorſus patriam, & mores deteſtandos, prudenter amare incipiat. Quid animæ prædeſtinatæ Deus? Veni de Libano, de ſcelerum latibulis, &c. Placet Hebræorum interpretatio quam etiam admittit Paraphraſtes Chaldaic. vt in illis verbis, De cubilibus leonum, de montibus pardorum; per leones & pardos intelligamus homines barbaros, impios & violentos, qualis fuiſſe dicitur Nembrod. Gen. 10. & Nabuchodonoſor Rex Aſsyriorum Hierem. 4. Aſcendit, inquit, leo de cubili ſuo egreſſus eſt de loco ſuo. vt ponat terram tuam in ſolitudinem. Et

Cant. 4.

שור.

Exire Deus animam de locis quibus irretiuntur peccatis ad præmia.

Cornel. Tacit.

לבנ.

Plini. 5.
Sanir & Hermon vnus mons eſt.
Deut. 3.
D. Hieronym.
Greg. Nyſſ.

Duo Iordanis fontes.

De ſcelerum latibulis nos Deus euocat.

Homines impii leones dicuntur.

Gen. 10.

Hierem. 4.

A Nero de quo 2. ad Timot. 4. liberatus ſum de ore leonis, & D. Ignatius Epiſt. 12. ad Romanos ſcribens de martyrio ſuo milites, qui eum à Syria Romam vſque ad necem deducebant, leopardos ob crudelitatem vocat. A Syria, inquit, Romam vſque cum beſtijs depugno per terram, per mare, nocte diéque colligatus decem leopardis, hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt. Ecce quid in mundo habes, cum illius bona ſitienter appetis. Vocat te Deus ad coronam; deſere crudelem mundum, & à barbaris inhabitatum domicilium.

2. Timot. 4.
Ignat. Mar.

Leopardi dicuntur milites crudeles.

6. Mihi videtur Deus dum terroribus propoſitis, & triplici inuitatione adhibita tantopere curat, vt ſponſa veniat de Libano & de ferarum ſpelæis, & prædonum latibulis; nobis ſignificare; ſi ſalutem volumus, vt à praua impiorum B conſuetudine nos abſtrahamus, & ab ipſis animæ affectibus; qui ſi vitioſi ſunt, inſtar habent leonum, & monſtrorum. A quibus niſi ſeparemur quemadmodum Rahab de Hiericho per exploratores, Ioſue iuſſu, ſeparata fuit, & extra caſtra poſita, noſtram agnoſcere non poterimus infelicitatem. De hac materia agit D. Hiero. ſuper cap. 13. Hierem. vbi propheta reprehendens conſuetudinem peccandi inueteratam; Si mutare poteſt, inquit, Æthiops pellem ſuam, ſic & vos poteritis benefacere cùm ſitis mali, &c. Vbi adnotauit Theodor. conſuetudinem eſſe alteram naturam: C Vide & D. Ambroſ. in Pſalm. 1. ſuper illud, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. D. Chryſoſt. hom. 3. ad Popul. Antioch. de pœnitentia tom. 5. & hom. 5. de laudibus Pauli tom. 3. Sanè D. Auguſt. lib. 8. confeſs. cap. 5. dolenter queritur, retardatum ſe fuiſſe diu à praua conſuetudine, ne ſe ad iuſtorum cœtum aggregaret. Suſpirabam, inquit, ad vacandum tibi. ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat D me obſtrictum dura ſeruitus, &c. Hinc illud ſupplicium, quod, (vt autor eſt Valer. Max. lib. 7. cap. 2.) Cretenſes ijs imprecabantur, quos oderant. Optabant enim vt mala conſuetudine delectarentur. Modeſto, inquit, voti genere, efficaciſſimum vltionis euentum repererunt. Inutiliter enim aliquid, concupiſcere & in eo perſeueranter morari, exitio vicina dulcedo eſt. Hæc ille. Quis ergò non videt, multa in vna Rahab collata fuiſſe beneficia: Erepta eſt de ciuitate anathemate alligata: fecit eam viuere Ioſue, eandem matrimonio Salmoni coniunxit, vt mater eſſet Iſraelitarum, ac tandem Meſſiæ. E Peritura erat, niſi credidiſſet, niſi miſericordia vſa fuiſſet, niſi exploratores, qui eam liberatam ierant, ſecuta ad iuſtorũ caſtra tranſiſſet. Nihil illi nocuit vita præterita, & praua conſuetudo, poſtquàm vitæ ſuæ rationes, ad ſaniora conſilia conuertens, Dei ſe obſequio mancipauit. Exeamus igitur de latibulis montium; de ferarum ſpelæis, ablegemus omnem prauam conſuetudinem, quę inſtar eſt ferreæ catenæ, quæ nos, ne pedem ad cœlum moueamus, alligat, nec pericula, in quibus degimus ſinit videre. Sic enim prouidentiæ, in noſtra ſalute procuranda, diuini Ioſue, quotidie habebimus documenta: coronas inſuper ſi dixero, nihil noui dixero. Tanta eſt numinis, in ſuos benignitas. Hanc experti ſunt, tres illi adoleſcentes in fornacem Babylonicam miſſi;

Praua conſuetudine vt ſe ſeparemur à leonibus.

Hieronym. Hierem. 13.

Theodoret.

Ambroſ.

D. Chryſoſt.

Auguſtinus queritur de praua conſuetudine.

Peccatores conſuetudo ... ligati.

Valer. Max.

In peccato immorari ... vicina dulcedo eſt.

Dei prouidentia in noſtra ſalute procuranda.

Saram, à qua acceperat beneficium, vt admitteretur ad thalamum Abrahæ, contempſit enim dominam ſuam deinceps. D. Gregorius lib. 2. homil. 19. in Ezech. cap. 40. ad illa verba: *Et veſtibulum ante fores eius: & calatæ palmæ erant vna hinc, & altera inde in fronte eius. Omnes,* inquit, *qui ad vitæ aditum tendimus, ex dextro, & ſiniſtro latere habere palmam debemus. A dextro palmam habet is, quem proſpera non extollunt. A ſiniſtro, quem aduerſa non deiiciunt.* Deinde addit: *Diſcamus itaq; fratres, & in proſperis & in aduerſis gratias agere.* Hæc Gregorius, quibus verbis, duas erigi palmas ab eo putat; qui triſtis, aut lætus gratias Deo agit, id nobis quod optimum eſt, ſemper prouidente.

Verſ. 17.] Sitque ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt.

Cur Hebræi Deo obtulerint Hiericho, potiùs quàm aliam vrbem terræ promiſſæ? & cur nihil ceſſerit expugnatoribus, ſicut metalla Deo?

ANNOTATIO III.

1. TRIPLEX occurrit cauſa, cur potiùs Hiericho, quàm aliæ vrbes captæ in terra promiſſionis, fuerit Deo oblata. Prima eſt, quia nouerant Hebræi; primitias tam fructuum, quàm operationum noſtrarum, Deo eſſe gratiſſimas. Cùm enim appetitus hominis auidè feratur ad percipiendos, in ſuam vtilitatem primos fructus, vt ſignificauit Apoſtolus 2. Timoth. 2. *Oportet laborantem agricolam, de ſuis fructibus edere primum,* &c. Sanè cùm ſe homo priuat ea voluptate, idque Deo offert, quod ardenter appetit, diuinam ſibi maximè conciliat beneuolentiam. Quare decens fuit, vt Hebræi ciuitatem primò captam, tanquam primitias quadam prærogatiua pretioſiores, numini conſecrarent.

2. Altera eſt; quia voluerunt liberales eſſe in oblatione Deo facta. Liberalitas autem iuxta Ariſtotelem lib. 4. Ethic. non tam æſtimatur ex magnitudine doni, quàm ex affectu dantis. *Nihil,* inquit, *prohibet liberaliorem eſſe minora dantem, ſi à minoribus det, hoc eſt, ſi ex tenuitate ſua, affectu liberali donet.* Hanc ſententiam confirmauit Chriſtus, Luc. 21. cùm viduam æra minuta inferentem in gazophylacium, diuitibus maiora donantibus antepoſuit. *Verè dico vobis, quòd hæc vidua pauper, plus omnibus miſit.* Ac ſi dicat: Omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Domini; hæc autem ex eo, quod eſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit, &c. Iudæi ergo nihil in bonis ex terra Chanaanitide, habebant præter Hiericho. Quare, vt voluntatem Deo gratam oſtenderent, illam, vt erat, integram Deo obtulerunt, non magnitudinem, aut paruitatem muneris, ſed affectum, quo quidquid habebant, antequàm aliarum vrbium, præda diuites eſſent, æſtimatione dignum reputantes.

Luc. 21.

Voluntatem Deo gratã declararũt Iſraelitæ conſecrantes eã Hiericho.

3. Tertia, quia in aliarum vrbium expugnatione, licèt à Deo adiuti fuerint, non tamen, ipſis quieſcentibus totum negotium confectum eſt; ſicut in vrbe Hierichuntina. Nihil enim aliud

A ab Hebræis geſtum legimus, quàm pompam, Dei iuſſu circunductam. In deportatione arcæ, præceſſit populus armatus. Deinde ſecuti ſunt ſacerdotes cum buccinis. Tertio loco arca: poſtremo reliquum vulgus. En pompam habes. Sic in proceſſionibus Eccleſiæ, propter quas Deus ſingularia populo Chriſtiano confert beneficia, fideles præcedunt vexillis, crucibuſque armati. Deinde ſacerdotes hymnos decantant. Tertiò, it prælatus ſub vmbella Euchariſtiam, aut ſacratas ferens reliquias; Tandem vulgus hominum. Quis ergo diruit muros circumducta pompa, niſi qui illius author fuit, & inſtitutor? In aliis vrbibus legitur à Iudæis fuiſſe pugnatum, aut aliquid ſaltem, Deo cooperante actum. Hîc Hierichuntini nec mutire auſi ſunt, omnes in ſua quiſque domo, veluti inertia pecora in ouili occiſi ſunt. Iſraelitæ, vrbe, opibus, incolis; ſolo clamore victores effecti, potiti ſunt, Dei nutum ſequentes. Pluribus ergo nominibus hæc vrbs Deo debita erat, quàm aliæ. Quid mirũ, ſi illi, à quo data fuit, conſecretur? Conſueuerunt viri, & fœminæ, alta mente præditæ, filios, quos cùm eſſent ſteriles ediderunt; auctori fœcunditatis Deo conſecrare. An non mater Sanſonem ſibi, ſterilitate laboranti conceſſum, voto Nazaræorum perpetuò alligauit, Iudic. 13. Quid Anna, 1. Reg. 1. Samuelem, ſibi, cùm infœcunda eſſet, diuinitùs datum, Deo, à quo illum acceperat, veluti rem illi debitam officioſè retulit, temploque addixit.

B

Hierichuntini, velut inertia pecora in ouili concluſi, ab Iſraelitis occiſi ſunt.

Conſueuerunt parentes Deo conſecrare filios quos miraculo genuerunt. Iudic. 13. Anna. 1. Reg. 1.

C

4. Supereſt explicemus, cur, quæ combuſta ſunt, dicantur data eſſe Deo? Profectò, ſicut metalla ad vſum vaſorum tabernaculi Deo dicata ſunt; ita illa, quæ incendio abſumuntur, ſi ob Dei gloriam id fiat; ſacra fiunt, & Deo grata. Primùm ex intentione offerentium, & colentium illo munere Deum. Deus autem pluris intentionem facit, quàm opus ipſum; licèt opere etiam ipſo, quatenus intentionis ſynceritatem indicat, delectetur.

Cur quæ combuſta ſunt, dicantur Deo dicata.

Quicquid Deo offertur, ex intentione offerẽtis meritum habet.

D 5. Secundò, ex punitione idololatriæ, & impudicitiæ, cui aſtricti erant Hierichuntini. Sicut enim Deus occidit Sodomitas, & quatuor eorum ciuitates ſubuertit, Geneſ. 18. & 19. Ita ſi quis vicem illius agens, vt diuinam vindicaret offenſionem, perimeret infandos hos populos Deo gratus haud dubiè foret, & acceptus. Idem iudicium eſt de quibuſcumque idololatris. Inter Iudæos, ſi aliqua ciuitas coleret idola; præcipiebatur, omnis Iſrael conſurgere, vt ciuitas illa cum hominibus pecoribus, cæteriſq; rebus igni conſumeretur, & in tumulum redigeretur ſempiternum. Hac conſumptione cenſebatur Deus delectari, Deut. 13. *Statim,* inquit, *percuties, habitatores vrbis illius in ore gladij, delebiſq; eam, & omnia quæ in ea ſunt vſque ad pecora. Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus.* &c. Conſumi Domino, eſt in honorem Dei cremari; vt intelligas vrbis Hierichuntinæ incenſionem, in honorem Dei, ex Hebræorum voto, ceſſiſſe. Quamuis autem ille locus Deuteronomij ſolùm loquatur de vrbibus, quæ incolerentur à Iudæis, quoniam illis maior inerat flagitium ob legem violatam, & pactum initum cum Deo, de non recipiendis Diis alienis; tamen cùm Gentiles idololatræ, à peccato non excuſentur vt Apoſt. ait ad Rom. 1. aliqua pœna, licèt minori, affici æquum erat.

Gen. 18. & 19.

E

Deut. 13.

Conſumi Domino contra idololatras dictum, eſt in honorem Dei cremari.

Rom. 1.

6. Tertio,

Num. 21. Hebræi vouerunt Deo vaſtationem vrbium ethnicorum, tanquam rem illi gratam.

6. Tertiò, Hebræi vouerunt Deo ſub anathemate demolitionem vrbium ethnicorum, tanquam rem ipſi gratam, vt patet Num. 21. *Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius.* An, qui ita loquuntur, non putant votum ſuum eſſe Deo gratum? Res ipſa, gratum eſſe indicauit, ſubiungit námque ſacer hiſtoricus. *Exaudiuitque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chananæum quē ille interfecit, ſubuerſis vrbibus eius, & vocauit nomē loci illius horma, id eſt, anathema.* Vides ceſſiſſe in honorem Dei, non ſolùm anathematizationem ciuitatum Iudæorum idola ſectantium, ſed etiam gentilium? Conſtat igitur non ſolùm acceptaſſe Deum metalla vrbis Hiericho, tanquam donum ſibi gratum; verùm etiam omnium, quæ in ea erant in honorem numinis, factam combuſtionē.

B

7. Quæres cur ſola metalla conſeruata fuerint Deo, cùm tamen, & purpura eſſet, in illa ciuitate, vt conſtat ex pallio Acban & byſſus & pili caprarum, atque pelles, quæ ſagis, & operimentis ſanctuarij, vſui eſſe poterant? Reſpondetur. Nihil aptè, & ſecundum legem potuiſſe ex ea vrbe Deo applicari præter metalla. Vt enim Abulenſ. ſcitè annotauit quæſt. 25. quæ de manubijs gentilium Deo offerenda erant, oportebat igni antè purgari, quidquid ergò ignis purgationem ferre non poterat, vt purpura & pelles, & quidquid huiuſmodi eſt, populo quidem inſeruire poterat, lotum aqua; Deo autem applicari non poterat. In rebus námque quæ Deo applicantur, maior munditia requiritur, quàm quæ aqua fieri poteſt. Cùm igitur metalla ſolùm ignem ſuſtinere ſine detrimento valerent, hæc ſola ex anathemate, Deo dicata ſunt.

Num. 31. Abulenſ.

Metalla ſolùm Deo applicata ſunt ex ſpolijs Hiericho, quia ignem quo purgarentur ſuſtinere poterant.

C

Verſ.17.] Sola Rahab meretrix viuat, cùm vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſcondit enim nuntios, quos direximus.

D

Quantam fiduciam ſalutis æternæ ſperandæ peccatrici animæ, vera ad Deum conuerſio afferat clamante Ioſue; qui Redemptoris noſtri typus eſt, viuat Rahab meretrix.

ANNOTATIO IIII.

E

1. MAGNAM vim habet ad conciliandam amicitiam diuinam, ſine qua nihil nobis boni euenire poteſt, peccatricis animæ, vera per fidem & pœnitentiam ad Deum conuerſio. Hinc Auguſt. in lib. de ſalutaribus docum. tom. 4. Si in aliquo peccato tranſgredimur poſt baptiſmum, nos abluere pœnitentiæ lacrymis curemus, quia pius Deus dedit ſecundum baptiſmum, id eſt, fontem lacrymarum, & ordinauit nobis pœnitentiam, &c. Atque dignos fructus pœnitentiæ facere, eſſe peccata præterita non iterare, & cū Apoſtolo clamare, Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia, an gladius,* &c. Atque, vt vera pœnitentia agnoſcatur quædam colligere placet ex Clim. Gradu 5. *Pœnitentia,* inquit, *eſt corporeæ conſolationis perpetua, & iugis repudiatio. Pœnitentia eſt ſe ipſum ſemper con-*

Auguſt.

Lacrymas vocat D. Auguſt. ſecundum baptiſma.

Rom. 8.

Climacus. Pœnitentia eſt iugis repudiatio corporeæ conſolationis.

A

demnans cogitatio, ſecuráque cuiuſque, ſui cura. Secundo, Pœnitens eſt reus, confeſſione liber. Pœnitens eſt cruciatuum ſui, ſemper opifex. Tertiò, Pœnitentia eſt voluntaria omnium, quæ affligant, toleratio. Subijcit Climacus exēpla pœnitentiæ præclara, quæ vidit in monaſterio, qui carcer dicebatur. Quoſdam intuitus eſt in pauimento ſtrato cilicio, & cinere ſedentes, ac faciem genibus cooperientes. Alios iugiter pectora tundentes: animámque ſuam ad iram ſuſpirio ingenti reuocantes. Ex his, alij quidem pauimentum madefaciebant lacrymis; alij verò quia lacrymarum imbres non habebant, ſe ipſos lamentabantur, &c. Quis hos viros neget Deum, qui vel vna lacryma pœnitentis animæ flectitur, promeruiſſe? Magnam

Pœnitens eſt reus, confeſſione liber.

Pœnitentium, quos in carcere vidit Climacus, rara exempla.

B

vim eſſe pœnitentiæ innumera hominum ac mulierum teſtantur monimenta. Mitto Paulum, cuius ſunt notiſſima toto orbe facta, & Magdalenam, mulierémque Samaritanam, ac innumeros viros, qui in nouo teſtamento hoc confirmant. Vna Rahab ex ſacra hiſtoria nobis proponitur, quæ ex paganiſmo ad veri Dei cultum, & religionem traducta iratum Hierichuntinis, ex quibus ipſa erat, Deum, fide & bonis operibus reddidit propitium. Hinc in tumultu patriæ, & ciuium ſuorum excidio, audire meruit illas Ioſue voces. *Sola Rahab meretrix viuat, cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt. Abſcondit enim nuntios, quos direximus,* &c. Potuit incolumitatem ſuis ciuibus afferre, niſi eorum mentes, libido, & corrupti mores occæcaſſent, vt aduertit Chryſoſt. hom. 5. de pœnitentia tom. 5. ſaniora conſilia ſuggerentem audire noluerunt, & fortaſſe peccato eorum non communicantem; ſunt aduerſati. Tantum abeſt vt illi auteſalarent.

Rahab meretrix pœnitens, exemplo pœnit. ſuæ ſaluti fuit ciuium, ſi ... ſana monſ.... Chryſoſt.

C

2. Hic ſignificatam habemus Chriſti Domini noſtri, qui verus eſt Ioſue, clementiam, qua publicanis, & meretricibus ſyncero animo ad pœnitentiam conuerſis inſignia exhibet beneficia. Quod homilia citata præclarè expendit Chryſ. *Reſpice,* inquit, *vero clementia prædicatorem, qui in lege dicit: Non mœchaberis, verbum tranſmittant de clementia, clamat per beatum* IESVM *Naue. Rahab meretrix viuat.* Ieſus ille, qui dicit; *Rahab meretrix viuat,* imago erat Domini IESV dicentis *Meretrices & publicani præuenient vos in regnum Dei.* Si viuere debet, quare meretrix? Et ſi meretrix quare viuet? Dico, inquit, priorem ſtatum, quo ſequentem diſcas mutatiuuem. Et quid Rahab, fecit ad ſalutis argumentum? quòd in pace exploratores ſuſcepit? Id etiam meritoria fecit hoſpitia. At neque ex ipſa ſola dilectione, ſalutem conſequitur, ſed fide præuia atque in Deum diſpoſitione, & quo diſcas fidei magnitudinem, ipſam audi ſcripturam. Erat in fornice, velut in volutabro confuſa margarita, aurum in luto abiectum, pietatis flos ſpinis circumfoſſus, religioſa anima recluſa impietatis loco. Atque mentem in me diligentius flecte. Suſcepit exploratores. Et quem prodidit Iſraël in deſerto hunc prædicauit Rahab in fornice. Quomodo autem Iſraël audiuit in deſerto cùm mons replebatur, nube & caligine, atque coruſcationibus? Audiuit à Deo de medio ignis. *Audi Iſraël Dominus Deus tuus, vnus eſt. Non erunt tibi Dij alieni. Præter me, non eſt Deus.* Hæc audiens vitulum conflauit, Deumque reprobauit, & dicit Aaron, *Fac nobis Deos.* Si dij, quare dicis fac? quomodo enim dij, qui fiunt? Sic malitia obcæcans ſibi ipſi repugnat. Vnus factus eſt vitulus, & clamat ingratus populus.

In Ioſue ſignificata Chriſti clementia erga pœnitentes. Chryſoſt.

D

Matth. 21.

E

Rahab erat in volutabro margarita; in luto aurum, flos ſpinis circumſeptus.

Deut. 6. Exod. 20. Exod. 32.

Vituli adoratio.

Hi dij tui Iſraël qui eduxerunt te de terra Ægypti. Hi dij, vnum reſpiciens factum vitulum. Quare igitur hi dij, vt oſtendat, quod non ſolùm eum, quem vidit adorat, ſed & Deorum pluralitatem annuntiat.

Deus vnus à populo in deſerto auditus, negatur à Rahab in fornice prædicatur.
Ioſ. cap. 2. 6.

3. Quorſum hæc? Vt intelligas Deum vnum à populo lege inſtructo, & ſignis cœleſtibus in deſerto erudito, negatum; à Rahab in fornice incluſa prædicari. Dicit ergò exploratoribus à Ioſue deſtinatis. *Noui quanta Deus veſter fecerit.* Ægyptius & Iudæus dicit. *Hi ſunt dij tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Meretrix non dijs, ſed Deo ſalutem aſcribit. *Nouimus quanta fecerit Deus veſter Ægyptijs in deſerto, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* Rahab (inquit Chryſ.) Eccleſiæ figura fornicatione dæmonum olim inuolutæ; tunc verò Chriſti exploratores ſuſcipientis, non eos, qui à IESV Naue, ſed Apoſtolos à IESV vero ſaluatore tranſmiſſos. *Noui*, inquit, *quoniam Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum; & præter eum non eſt Deus.* Hæc accipientes Iudæi non cuſtodierunt, hæc audiuit Eccleſia & obſeruauit. Digna itaque Rahab omni laude Eccleſiæ imago. Quare Paulus eam fidei memor, ex priori ſtatu haud reprobam cogitauit. Hebr. 11. *Fide*, inquit, *Abel ſacrificium obtulit.* Atque multos deinde connumerans ſanctos adiecit. *Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis. Exploratores excipiens in pace, & remittens alia via.* Hæc Apoſtolus pro, vt illius verba transfert Diui Chryſoſtomi interpres.

Ibidem cap. Confeſſio Rahab conuerſæ ad Deum.

Rahab figura fuit Eccleſiæ gentium.

Hebr. 11.

Rahab ſanctis adnumeratur, à D. Paulo.

4. Ex conceſſa Rahab incolumitate, ſumit occaſionem Diuus Chryſoſt. commendandi nobis pœnitentiam. Si enim hæc virtus dignam efficit mulierem ethnicam ſalute, & prædicatione, quid nobis accidet clamat in deſerto Ioſue. *Viuat Rahab meretrix.* Clamat Paulus. *Fide Rahab meretrix non perijt cum infidelibus*, Nos ſi pœnitentiá induxerimus, nonne ſaluté conſequemur? Præoccupet, inquit, pœnitétia pœnam: *præoccupemus faciem eius in confeſſione.* Rogum peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lacrymis. Multus enim peccati ignis; at quem modica extinguit lacryma. Hinc Pſalm. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis meis ſtratum meum rigabo* Oſtendit lauacrum, & purgatorium peccati lacrymas eſſe. Hæc ille. Credibile eſt poſt fidem veri Dei animo receptam, lacrymis ſordes peccatorum, à Rahab penitus fuiſſe elutas. Sanè Regius vates Pſalm. 6. Deum orans quem fide colebat, vt ſe, & à morbo & à peccato ſanaret. Profuſis largiter lacrymis exauditus eſt. *Laboraui*, inquit, *in gemitu meo.* Hebr. *Fatigatus ſum gemendo, & ſuſpirando. Lauabo per ſingulas noctes* &c. Hebr. *Mergam, ſiue natare faciam fletu meo lectum meum etiam noctibus. Turbatus eſt à furore oculus meus*, &c. Hebr. *obtenebratus eſt, vel deterritus eſt*, &c. Hieronym. *caligauit præ amaritudine à furore*; id eſt, morbo à te immiſſo; vel iuxta alios. Caligauit oculus meus præ indignatione mea, & ira maximo mœrore a me cócepta. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Hebr. ad oculum referunt, quaſi dictum ſit. *Inueterauit ſiue conſenuit, & conſumptus eſt oculus meus inter meos vexatores.* Genebr. Triſtitia tanta confectus ſum, vt canos contraxerim ante ſenij mei tempus maximo inimicorum meorum gaudio & ſpectaculo. *Diſcedite omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, &c. Inimici ſunt, qui nos ad peccatum

Pœnitentia, & conuerſione Rahab effectus ex pendantur.

Pſalm. 94. Ignem peccati extinguit lacryma.
Pſalm. 6.
Vis lacrymæ pœnitentium.

Regis Dauid pœnitentis gemitus.

Hieronym.

Effectus mirabiles pœnitentiæ Genebrardi.

A impellunt, hos pœnitens remouet, & omnes occaſiones peccandi, dum ait, *Diſcedite omnes*, &c. *Quoniam exaudiuit* &c. Scopus precum & lacrymarum eſt, audiri. Habent lacrymę ſuam vocem: fructus eſt a Deo exaudiri, cuius rei ſigna interdum apparent. Quod vel in ſuis precibus annotarunt ethnici contingere, affirmantes exorata, quæ præcabantur. Ouid. 2. de Punt. Eleg. 1.

Fructus lacrymarum eſt à Deo exaudiri.

Ouidius.

Quod precor eueniet: Sunt quædam oracula vatū.
Nam Deus optanti proſpera ſigna dedit.

Diſcat hinc hominum genus, Deo fidere; peccata præterita plangere; & quæ dolenter planxit, numquam amplius iterare. Omnium malo-
B rum cauſa eſt peccatum. Ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato, bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt clades. Vnde videns Chriſtus Ioan. 5. paralyticum, quem ſanauit, prius anima, poſteà corpore ægrotaſſe; ait, *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Nónne ſanitas, quæ per fidem & pœnitentiam acceſſit Rahab; in corpus, & bona illius vtiliter permanauit? *Viuat*, inquit, *Ioſue Rahab meretrix, cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt.* Sicut contagio ſceleris familiæ nocet; ita ſanitas animæ ſoſpitem domum reddit & incolumem?

Ex peccato, triſtitia tumultus, & mala omnia oriuntur.

Ioan. 5.

C

Verſ. 18.] Vos autem cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt quippiam contingatis & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint, atque turbentur, &c.

Abulenſis q. 26.

D

Quonam pacto pro vnius peccato, tota aliquando punitur communitas?

ANNOTATIO V.

1. POTEST aliqua communitas rea eſſe ſceleris, quod quis committit, quia ei fauet, & prono impetu ad diuini numinis offenſionem currenti, ſuccenturiatur. Hoc ſi accidat, non ſolius flagitij auctoris pœna expiatur communitas, ſupplicium ſimul irrogat Deus omnibus, qui au-
E xiliares manus aut conſenſum præſtitere, aut, in exigenda pœna lege præſcripta, negligentes fuerunt. Huius rei exemplum habes Leuit. 20. Vbi Deus minatur pœnam immolánti filios ſuos idolo Moloch, & omnibus. qui in ſacrilegá hanc conſenſerint immolationem. *Qui dederit*, inquit, *de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum.* Et infrà. *Quod ſi populus terræ quaſi, paruipendens imperium meum dimiſerit hominem, qui dedit de ſemine ſuo idolo Moloch, nec voluerit eum occidere: ponam faciem meam contra hominem illum, & cognationem eius; ſuccidamq; ipſum, & omnes qui conſenſerint ei, vt fornicaretur cum idolo Moloch de medio populi ſui* &c. Moloch autem (vt id obiter intelligatur) vt Hebræi arbitrantur, & annotat A Fonſeca in ſcholio Caietani; Saturnus eſt; fuitque idolum filiorum Ammon. Facies illi vituli inerat; manus paratæ ad accipiendum. Septem receptaculis compactum corpus,

Punitur communitas, quæ, vel vnius hominis peccato fauet.

Leuit. 20.

A Fonſeca in Caiet.
Idolum Moloch cui idololatræ filios ſuos maƈtabant, eſt Saturnus.

pro

Effigies idoli Moloch.

pro conditione victimæ, oſtiola pandebat. Qui filium offerebat ſeptimũ aperiebat cubile: dúmq; eiulans puer cremabatur, in manibus ſuccenſi ſimulacri, ſaltatione, tympanorum ſonitu, & cantu, ne lamenta audiret, lætitiam ſignificabat. Obiter ad mores conſidera mundi nos fallentis imaginem in Moloch, *blanditur* (inquit Cyprian.) *vt decipiat*, dum locus in quo pluſquam parricidale hoc ſacrilegium parabatur, ab Iſaia cap. 5. Gehenna dicitur: quo nomine ob quandam ſimilitudinem, Matt. 5. Christus Dominus tormenta inferorum, & cruciatus, ſignificauit.

Moloch mundi eſt fallentis imago. Cyprianus. Iſaia. 5. Matth. 5.

Gen. 34.

2. Alterum exemplum extat, Gen. 34. vbi narratur pro ſtupro Dinæ illato à Sichimitarum principe, omnes vnius vrbis ciues fuiſſe interfectos. *Arreptis* (inquit Moſes) *duo filij Iacob, Simeon, & Leui, fratres Dinæ gladiis, ingreſſi ſunt vrbem confidenter: interfectiſq; omnibus maſculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt*, &c. Scio, vtramque in partem diſputari ab interpretibus, peccauerintne filij Iacob in hac occiſione. Etenim ſacra ſcriptura, Gen. 49. eam vituperat, & deteſtatur, in duobus præſertim fratribus Simeone, & Leui; quos moriens pater maledictis ſuis defigit. *Simeon*, inquit, *& Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum, non veniat anima mea, & in cœtu illorum, non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum: maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*, &c. Damnat iniquitatis, furoris, & pertinaciæ Iacob illius cædis authores. Ex aduerſo autem admirabilis fœmina, & faſtis digna, Iudith. cap. 9. in laudem Simeonis, ex cuius tribu erat, internecionem illam interpretatur. *Deus*, inquit, *Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt, in coinquinatione ſua, & denudauerunt femur virginis in confuſionem, & dediſti mulieres eorum in prædam, & filios illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum*, &c. Vides, vt Deo attribuat impulſum, quo ad cædem permoti ſunt filij Iacob? Deum ait in vltionem patrati ſceleris gladium dediſſe. Bona Sichimitarum cum poſſeſſoribus tradidiſſe filiis Iacob, ipſóſque interfectores zelum Dei in facienda illa cæde, zelauiſſe. Quomodo ergo de iniuſtitia coargui poſſunt Dinæ fratres? Particulam illam orationis Iudith (in defenſionem alienigenarum) idem ſignificare puto, atque in vltionem & vindictam Sichimitarum, qui alienigenæ erant. Solet quippe Latinus interpres verbum defendendi vſurpare pro verbo vlciſcendi. Sic accipitur ad finem cap. 1. Iudith, vbi agitur de Nabuchodonoſor. *Iurauit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus his regionibus*; hoc eſt, quod vindictam, ſumpturus ſit de gentibus, quæ cùm recipere Regem noluerunt, & ad Rom. 12. *Non vos defendentes chariſſimi* id eſt, vlciſcentes, & vindicantes, à quibus læſi eſtis.

Stuprum illatum Dinæ à Sichimitarũ principe, punitur excidio vrbis. Gen. 49. Vituperat Iacob cædem factam in Sichimitis a Simeone & Leui. Iudit. 9. Iudith laudat vindictã ſumptam de Sichimitis. Defenſionis nomen interdum ſignificat, vltionem in ſacris literis. Iudith. 1. Rom. 12.

3. Sed parum refert ad noſtrum inſtitutum peccauerintne filij Iacob in illa cæde, an non? Eos peccaſſe ſi non in re, ſaltem in modo, communis opinio eſt. Illud quod ad rem propoſitam facit, affirmamus, Deum illorum gladiis, & furore vſum fuiſſe ad vindicandam iniuriam ſtupri fœminæ nobiliſſimæ à principe illati. Atqui, mali fuerunt in eo facto, quod inconſulto patre, & pacti immemores Sichimitas occiderint. Fateor: ſed quid mirum? Malis Deus ſæpe vtitur ad diuinæ iuſtitiæ executionem. Aſſyrios, quorum deteſtabatur, idololatriam, & crudelitatem; miſit ad expugnandam Hieruſalem, quæ à cultus diuini, & legis obſeruantia turpiter deſciuerat. Contra Aſſyrios rebus proſperis inſoleſcentes, Medos & Perſas. Horum vires ſibi præfidentes Macedonum ferro attriuit. Sint iſta, dices; ſed cur pro ſcelere principis, tota ciuitas, internecioni, & prædæ data fuit? Id permiſſu, & interdum iuſſu irati numinis iuſtè fieri, vel ethnici ſolo naturæ inſtinctu ducti agnouerunt. Vnde illud Æneid. 1.

Peccaſſe filios Iacob, in cæde Sichimitarum, communis opinio eſt. Malis Deus ſæpe vtitur ad diuinæ iuſtitiæ executionem. Virg. Aen. 1.

Palláſne exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Diſiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.

Quid vbi conſenſus eſt multitudinis, in principis flagitium? Author hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Carthuſianus ſuper cap. 9. Iudith, affirmant dignos tam acerbo ſupplicio fuiſſe Sichimitas, quòd eorum, vel aſſenſu, vel cooperatione, flagitium illud fuerit patratum, nec de eo poſteà egerint pœnitentiam. Atque hanc ob cauſam laudari à Iudith cædem illam, Deo impulſore factam. Idem ſentit Caiet. ſuper cap. 34. Geneſ. Admittit námque peccaſſe fratres Dinæ, in modo; cædem tamen ipſam iuſtè fuiſſe irrogatam, & prædam abactam: eo quod, inquit, ciuitas erat in culpa tanti ſceleris: nec in veritate filij Iacob pacem cum eis fecerant, ſed fictè ad hoc, vt poſſent vindictam exercere. Quapropter modus (vt dictum eſt) fuit iniquus valde. Nam fides etiam hoſti ſeruanda eſt. Hæc ille.

Hiſt. ſchol. Carthuſ. Iudith 14. Caietanus. Gen. 34. Sichimitæ in culpa principis ſui aliquo modo fuerunt.

4. Accedit ad eandem ſententiam Thomas Anglicus ſuper cap. 34. Gen. vbi ex tribus interpretationibus, quas omnes approbat, ſecundam, in qua peccatum Sichimitarum ſuo principi conſentientium exaggeratur, ſic proponit. *Altera*, inquit, *opinio eſt, cædem illam ſine crimine factam eſſe à filiis Iacob, nec eos vſos eſſe malo dolo, ſed bona cautione, prudentiq; conſilio. Sichimitæ námque illius patrati facinoris participes fuerant, idcóque digni erant ſupplicio. Nam quod Sichem, & Sichimitæ conſenſerunt accipere circunciſionem, potiùs id fecerunt propter carnalem amorem puellæ, & vt gratificarentur principi & Domino ſuo, quàm propter amorem diuini cultus, & religionis, & inſuper eò adducti ſunt ſtudio auaritiæ, ſpe nimirum promiſſi eis lucri ex bonis Hebræorum ad ipſos deuoluendis*, &c. Deinde excuſat prædictus Thomas filios Iacob à ſcelere, quia ſi in ea cæde & præda peccatum ab illis eſſet, non eſſet ſufficiens facti eorum illa increpatio. *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis*, &c. Imò Iacob prædam, & captiuas mulieres reſtitui iuberet; quod haud quaquam factum eſt, Quid, quod Gen. cap. 48. agrum Sichimitarum filio ſuo Ioſeph tradidit poſſidendum, quem ait acquiſiuiſſe ſe in arcu & gladio, nempe per filios ſuos? Planè ſenſit Patriarcha iure iuſti belli illam Sichimiticam prædam fuiſſe vindicatam. Accedit in teſtamento duodecim Patriarcharum, qui liber inſertus eſt bibliothecæ Patrum, à Simeone, & Leui affirmari, ſe cladem illam Sichimitis bono animo intuliſſe; nec illi inde culpam ſibi, ſed laudem potiùs aſcribunt. Iam maledictionem Iacob contra Simeonem, & Leui prophetiam de Chriſti morte, multi fuiſſe cenſent; quam ardenti ſtudio procurarunt ſacerdotes, qui erant ex tribu Leui, & Scribæ, quorſum ex tribu Simeon, plurimi erant. Hanc Chriſti mortem præuidens Iacob ſub no-

Tho. Angl. Simeon & Leui non peccaſſe in cæde Sichimitarum. Gen. 48. Teſtamentum Patriarcharũ. Bibl. Patr. Tertullianus.

Maledicti ſunt ſacerdotes & ſcribæ, in Leui & Simeone ob ſceleratã Chriſti mortem.

minibus Leui, & Simeonis, eorum damnat poſteros præcipuos mortis Meſſiæ authores. Ita Tertul. lib. 3. contra Marcionem.

Richardus non excuſat omnino a culpa filios Iacob.

5. Refert idem Thomas opinionem Richardi damnantis peccati Sichimitas & in pacto, quo ſe circuncisioni fecerunt obnoxios. Deus, inquit, videbat cor Sichimitarum in eo pacto non eſſe rectum, ſed prauum, & ad carnalem concupiſcẽtiam, & temporalem auaritiam conuerſum, potius quàm ad ipſius Dei cultum & religionem ſpectans: idcircò non ceſſauit mouere cor filiorum Iacob ad zelum vltionis. Quanquam, quod inconſulto, atque inſcio patre fecerint, excuſari à peccato non poteſt. Erat enim Iacob adeundus tanquam iudex, vt ius diceret. B

Culpa primi parentis in nos deriuata fuit propter interpretatiuum cõſenſum.

6. Tertium exemplum eſt in peccato Adami. Eo namque diuinum præceptum tranſgrediente, ad cuius obſeruationem, non ſolùm ipſe, ſed tota etiam in ipſo poſteritas erat obligata: omnes homines, qui ab illo propagati ſunt, tanquam conſenſus interpretatiuè participes; rei ſunt culpæ, & pœnæ facti ſunt obnoxij, calamitates, quibus quotidie affligimur, quid à nobis in primi parentis tranſgreſſione actum ſit, nónne apertè teſtantur?

Pœna aliquando plectitur cõmunitas ob vnius peccatum.

Aliquando pœna plectitur communitas, ob peccatum vnius hominis, quamuis ipſa, nullum culpæ præbuerit aſſenſum. In hoc tamen euentu, ſolus peccator obnoxius eſt pœnæ, ſicut & ſolus eſt culpæ reus. C Cæterum communitas inuoluitur ſupplicio aliquo, impedito commodo, quod ei erat euenturum, quandiu culpæ reus non punitur; Deo nefas iuſtè execrante. Sic Eccleſia, cenſuris aliquando, & pœnis iure ſtatutis, communitates afficit, ob vnius perſonæ crimen, vt videre eſt in interdicto, quod iuriſperiti deambulatorium vocant.

Decernitur interdictum ab Eccleſia propter vnius hominis peccatum.

Decernitur quippe in perſonam, cum ea adiectione, vt locus, quem reus ille fuerit ingreſſus, eo ipſo ſit interdictus quandiu ibi fuerit, aut etiam certo tempore poſtquàm receſſerit. In ceſſatione à diuinis, idem apparet, ſuſpendit namque Eccleſia organa, quibus vtitur in diuinis laudibus; D numémque publicum templi cultum; vt peccator, vel hoc ſpectaculo ſcelus horreat, & facti pœnitens doleat ſui cauſa ſacramentorum vſu & ſacrificiorum vtilitate priuari innocentes.

Ceſſatio à diuinis ſit in peccatori horrorem.

7. Atque, vt ex ſacris literis exempla ſuppetant, vnius Ionæ nauigatio in primis occurrit. Nónne ob illius inobedientiam *nauis periclitabatur conteri* (vt inquit ſacer textus cap. 1.) ignari nautæ cauſæ, ob quam tenebris, & procella ſubita mare inhorruerat, clamauerunt vnuſquiſque (gentiles enim erant) ad Deum ſuum, & miſerunt vaſa, quæ erant in naui in mare, ne pondere nimio nauis mergeretur. Huc quadrat illud Pſal. 106. *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* E Vndenam tam acerba incumbentis mali orta eſt tempeſtas? vnus in naui illa erat inobediens Ionas; hunc Deus vt puniat, comites nauigationis periculo inuoluit, vt tandem criminis reum agnoſcant, & à ſuo, quo pœna ceſſet, exturbent comitatu. Interim illi iactant in mare onera, vt alleuiaretur? *Arbitrantur* (inquit Hieronym.) *nauem ſolito onere prægrauari & non intelligunt totum pondus eſſe fugitiui prophetæ.* &c. Nihil eſt peccato grauius, ſolidiſſimum eſt cœlum, ſed ita Angelorum peccato grauatum eſt, vt pondus ferre nequiuerit. Animas in purgatorio igni, ne in cœlum euolent, cunctatur? Ægy-

Ionæ vi Victores in periculo fuerunt propter Ionæ peccatum.

Pſal. 16.

Onus nauis, in qua vehebatur Ionas, peccatũ erat fugitiui prophetæ.

ptij, quia hoc onere premebantur, Exod. 15. *Deſcenderunt in profundum, quaſi lapis.* Quid, quod Chriſtus Dominus, eo quòd pœnæ peccato debitæ ſolutionem in ſe recepit, clamat, Pſalm. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* O deteſtandam peccati fœditatem! ô pondus abominandum, quod non ſolùm premit authorem, ſed eos etiam, qui in illius ſunt ſocietate. Ioannes Euangeliſta (vt ab iis qui à Polycarpo martyre audierunt, refert Ireneus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 3.) Cum Epheſi in balneum introiſſet, vbi Cerinthus hæreticus lotum ierat, vbi eum vidit, exiliit, dicens, timere ſe ne balneum concidat, in quo eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Vnus Achan, quod aliquid, ex rebus abſtulerit, quæ Dominus attrectari prohibuerat, multorum cædis cauſa fuit, vt infrà videbimus: & imperatorem ſuum Ioſue, atque vniuerſum grauiter perturbauit exercitum. Nec ante ceſſauit turbatio, quàm cognitus, per ſortes delicti reus, lapidibus obrutus pœnas dedit, ſic etiam ceſſauit tempeſtas, cognito per ſortes, Iona, & in mare proiecto. De licito & illicito vſu ſortium, vide D. Thom. 22. quæ. 95. art. 8. & quæ infra cap. 7. annotabimus.

Exod. 15. Pondus peccati omnia deprimit.

Pſalm. 68.

Ireneus.

Scelerati vitandi & fugienda ſocietas.

Thom. 22. q. 95.

8. Minatur Deus interdum toti communitati ſupplicium ob ſcelus in adminiſtratione rerum ſacrarum, ab vno, vel paucis patratum: ſic Num. cap. 1. agens de metatione caſtrorum ſancit, vt Leuitæ caſtrametentur in circuitu ſanctuarij, toréque ait, ſi aliquis de extraneis accedat, vt indignatio fiat ſuper totam multitudinem. Rurſus Num. 18. vbi ſermo eſt de ſacerdotum officio præcipitur, vt Aaron, & filij eius excubent in miniſterijs ſacerdotalibus, ea interminatione adhibita, vt ſi aliquis, qui ex Aaronitis non ſit accedat, oriatur indignatio ſuper totam multitudinem. Ad hunc modum Ioſue Dei iuſſu, populi ad prædandum effuſam cupiditatem, hoc loco nimis coërcet. *Vos*, inquit, *cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur.* Conſulat igitur vnuſquiſque ſuæ conſcientiæ latebras. Et ſi quid à ſe peccatum introſpexerit, timeat: diſcatque ex Diuo Auguſt. ſerm. 1. de pœnitentia, quid debeat agere. *Quotieſcunque*, inquit, *euenerit, vt in quodcunque graue peccatum aliquis cadat: Sic de miſericordia confidat, vt tamen iuſtitiam contremiſcat. Nec dicat, cum ad ſenectutem peruenero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam. Quam multos mors repentina ſubtraxit, vt nec ad illam momentaneam pœnitentiam potuerint peruenire? Erubeſcimus modò paruo tempore pœnitentiam agere? O infelix homo! de ipſo vulnere non erubeſcis, & de ligatura erubeſcis? Peccatum enim, vulnus eſt, pœnitentia vulneris ligatura.* Idem infrà. *Neſcio, qua conſcientia, periculoſam nobis ſecuritatem inducamus? Percutitur enim etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei*, &c. Nitamur ergò, dum per tempus licet de peccatis pœnitere, ne pœna illis debita, nobis, & alijs ab irato infligatur numine. Quamuis enim peccatum occultiſſimum ſit, Dei tamen, nec oculos effugiet, nec dexteram ſcelerum vltricem.

Num. 1.

Propter vnius culpam minatur Deus pœnam multitudini.

Num. 18.

Verſ.

*Verſ.*20.] Clangentibus tubis, poſt quàm in aures multitudinis, vox ſonitúſque increpuit, muri illico corruerunt: Et aſcendit vnuſquiſque, per locum, qui contra ſe erat; ceperúntque ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, &c.

Quomodo Hiericho euerſa ab Hebræis, ſignificet euerſionem vrbis, in qua ſua peccatum habet præſidia?

ANNOTATIO VI.

Primi conditores Hiericho ignorantur.

1. A Quonam conditore, ædificata fuerit Hiericho, hiſtoriæ ſilent. Eam duntaxat ſcimus antiquitate, munitione, & opibus, antequàm à populo Dei incenderetur, florentem fuiſſe, & inter Chananæos fama & potentia nobilem. Multa de ea inuenies apud Adrichomium in tribu Beniamin, num. 81. ex Ioſepho, Diuo Hieronym. & Brocardo, annotata. Illud mirabile eſt, quod idem auctor, num. 63. refert videlicet propè fontem Eliſæi, de quo agitur 4. Reg. 2. qui è pede montis, non procul ſcaturit, arbores creſcere, inſtar prunorum, ſpinoſas tamen, in quibus enaſcuntur flores, quos vulgus, roſas vocat Hierichuntinas. Nocte enim natalitia noſtri Saluatoris, paulatim hiant, atque inde ſe recludunt, licèt ſiccæ ſint, & aridæ, in Virginei partus, vt credere par eſt, teſtimonium. Vide Salig. tom. 9. cap. 6. illam, typum vrbis extitiſſe, quam peccatum extruit, & omni ratione, vt quietam in ea habeat ſedem, omnes conſentiunt. Lyra huc refert huius loci tropologiam. *Hiericho*, inquit, *ſignificat ciuitatem culpæ, quam fecit amor ſui, vſque ad contemptum Dei. Hæc ciuitas triplici muro clauditur, muro ſcilicet carnalis concupiſcentiæ. temporalis afluentiæ & mundialis excellentiæ.* Hæc Lyra.

Adrichomius. Ioſephus. D. Hieronym. Brocard.

Fons Eliſæi.

Roſa Hierichûtina ex ſpinoſis plātis colliguntur. In noste natalis Christi virginei partus reddunt teſtimonium.

Hiericho typus eſt vrbis, quam peccatum ſibi munit.

Lyranus.

3. Quis poterit tam inſigni munimine inſoleſcentem vrbem euertere. Hic triplex murus, ſicut clangentibus tubis Hiericho; ita ſacri eloquij, & Euangelicæ prædicationis clamoribus momento ſubuertitur. *Triplex hic murus* (inquit Lyra) *ſubuertitur ſonitu ſanctæ prædicationis, clamore deuotæ orationis, circuitu propriæ diſcuſſionis qui circuitus debet fieri ſeptem vicibus, id eſt perfectè: quia perfectio numero ſeptenario deſignatur. Qui enim conuertitur de culpa ad gratiam, debet deligenter & perfectè diſcutere propriam conſcientiam. Quidquid autem in hac ciuitate reperitur ſaluti contrarium debet interimi. Quod autem inuenitur ibi auri philoſophicæ ſapientiæ, argenti eloquentiæ, vaſorum æneorum, id eſt, naturalis induſtriæ, quæ valet ad multa, ſicut. & vaſa ferri, id eſt, corporalis, & temporalis potentiæ: debet Domino conſecrari; id eſt, de cætero bonis actibus applicari. Rahab cum ſuis propter opus pietatis ſaluatur quia ſecundùm dictum Saluatoris* Matt. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Hæc ille.

Triplex murus Hiericho ſubuertitur ſono ſanctæ prædicationis.

Lyranus.

Quidquid hic auri philoſophici, argentea eloquentia, & metallica induſtria. Deo conſecretur.

Matt. 5.

Nec ſolùm inuenio, vocabulo Hiericho ſignificari lunam deficientem vel (vt alij volunt) ciuitatem culpæ, ſed etiam (vt Arias Montanus annotauit fol. 174. ethymologiæ, & naturæ rationem ſecutus) locum odoratum huc fragrantem. Inditúmque hoc nomen fuiſſe vrbi illi ob excellentem balſami naturam, ex omni terrarum orbe, vni illi patriæ conceſſam Ægyptus quidem balſami quoque plantas gignit, minus tamen generoſas. Quare propter perpetuam præſtantiſſimi odoris, atque eximiam fragrantiam credibile eſt, Hiericho nomen illi vrbi fuiſſe impoſitum. Quid ergò hinc elicimus? anathematizari à Deo omnem hypocryſim, & ſimulationem. Honeſto námque odoris eximij vocabulo, decorata Hiericho multum veneni in ſe, nihil balſami continebat. Latebant ſub odore balſami; periuria, homicidia, adulteria, idololatria. Pereat ergò Hiericho, hoc eſt locus odoratus, in quo non eſt odor virtutis ad ſalutem: ſed odor mortis ad condemnationem. Non vult Deus, vt in terra ſancta ciuitas ſit, quæ odore ad ſe homines attrahat, & in vitiorum fœditatem conijciat: ſicut panthera, quæ feras, quas odore, quem ſuauiſſimum ex ſe emittit, vt ſe ſequantur alliciens, tandem diſcerpit vnguibus, & fameſcens deuorat.

Montanus. Hiericho lunam ſignificat, locum odoratum propter roſas. & balſamum.

Hiericho nomine odorem præferebat, intus venenum continebat.

4. Ab Hiericho expugnata, victor egreſſus eſt Ioſue, incolumémque ſecum extulit Hebræorum exercitum lætum Pæana emodulaturum. Ad illum, qui ſalutem expectant, aggregantur. Quid hæc ſignificant? Vinci ciuitatem peccati non poſſe ſine IESV; ad quem, qui accedunt ſalui fiunt, & illuminantur, veluti illi duo cœci, *qui appropinquante Domino Hiericho.* Matt. 20. & Luc. 10. *erant ſecus viam.* Vicit autem Dominus Ieſus in nobis, & peccatum, & mundum, cuius etiam Hiericho typus eſt. Interpretatur autem Luna, quæ continuum patitur in ſuo lumine defectum. An non mundus perpetuæ mutabilitati ſubiectus eſt? *Ab Hiericho* (inquit, Auguſt. lib. 1. quæſt. Euangel. quæſt. 28. tom. 4.) *Egreditur Dominus iam de iſta terra, reſurrectione diſcedens: ſequuntur eum turbæ multæ; credunt in eum populi, & gentes. Duo autem cœci, ſedentes iuxta viam, ſignificant de vtroque populo quoſdam iam cohærentes per fidem diſpenſationi temporali, ſecundùm quam Chriſtus via eſt; & deſiderantes illuminari. Oportebat autem, vt tantùm clamarent, donec reſiſtentis ſibi turbæ ſtrepitum vincerent: id eſt, tam perſeueranter animum intenderent orando, atque pulſando quouſque conſuetudinem deſideriorum carnalium, quæ tanquam turba obſtrepit cogitationi, lucem veritatis æternæ videre conanti vel ipſam hominum carnalium turbam, ſtudia ſpiritualia impedientem fortiſſima intentione ſuperarent.* Hæc Auguſt.

Ad IESVM accedunt, qui exeunt mundo, & qui illuminari volunt. Matt. 20. Luc. 10.

Auguſt.

Duo cæci ſanati à Christo prope euntibus.

5. Non ſolùm peccati vrbem, & mundum ipſum, ſed etiam vtriuſque pompas Chriſto duce proſtratas, euerſio Hiericho ſignificat. Vt autem muri Hiericho ſonantibus tubis corruerunt: ita munitiones, & propugnacula, quibus complures ſua vitia defendunt, pecuniæ & mundi pōpis inhiantes, per Chriſti prædicationem corruunt. Deſtruit porrò Hiericho, qui abrenūtiat Satanæ, & mundi pompis; reædificat verò qui reuertitur ad vitia, amittitque primogenitum in fundatione, & nouiſſimum filium in portarum poſitione, quod accidit Hiel de Bethel, vt patet ex fine huius capitis, & ex lib. 3. Reg. cap. 16. quia & fundamenta fidei, à quibus, virtutum, & ſalutis æternæ, ædificium conſurgit, & ianuas bonæ actionis, quibus Chriſtiani hominis mores perficiuntur, parui faciens, perdit. Cadat ergò Hiericho,

Deſtruunt Hiericho qui abrenuntiant Satanæ. & mundi pompis.

3. Reg. 16. Euerſam ab Iſraelitis ædificat Hiericho, qui fidei fundamenta, & proba vita ianuas non curat; ſed contraria ſaluti facit.

nec ſit hæreticus, aut apoſtata, qui muros eius anathemate damnatos, reædificet. Nulla ſit vrbs, in qua ſua peccatum habeat præſidia. Nihil Hebræi, præter metalla Deo conſecrata, ſupereſſe in Hiericho ſiuerunt. *Ceperunt*, inquit, *ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Boues quoque & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt*, &c. Qui ſenſus allegoricos voluerit ex hac hiſtoria plures elicere, legat Orig. ſuper Ioſue hom. 1. 6. 7. & ſuper Matth. hom. 13. & ſuper Luc. hom. 34. Auguſt. lib. 1. quibus in Euang. quæſt. 28. Diuum Hieronymum ſuper cap. 20. Matth. & ſuper Pſal. 86. & Cyrill. lib. 4. ſuper Ioan. cap. 28. Rupert. Oſeæ 2. Ambroſ. ſerm. 87.

Origenes. Auguſt. Hieronym. Cyrillus. Rupertus. Ambroſ.

LIBRI IOSVE
CAPVT SEXTVM
SECTIO III.

Verſ. 22.] Duobus autem viris, qui
exploratores miſſi fuerant, dixit
Ioſue: Ingredimini domum mu-
lieris meretricis, & producite
eam, & omnia, quæ illius ſunt,
23. ſicut illi iuramento firmaſtis. In-
greſsíque Iuuenes eduxerunt Ra-
hab, & parentes eius, fratres quo-
que, & cunctam ſupellectilem,
& cognationem illius & extra ca-
24. ſtra Iſraël manere fecerunt. Vr-
bem autem, & omnia quæ erant
in ea ſuccenderunt; abſque auro
& argento, & vaſis æneis, & ferro,
quæ in ærarium Domini conſe-
25. crarunt. Rahab verò meretricem,
& domum patris eius, & omnia,
quæ habebat, fecit Ioſue viuere;
& habitauerunt in medio Iſraël
vſque ad præſentem diem: eo
quod abſconderit nuntios, quos
miſerat, vt explorarēt Hiericho.
26. In tempore illo, imprecatus eſt
Ioſue dicens. Maledictus vir co-
ram Domino, qui ſuſcitauerit, &
ædificauerit ciuitatem Hiericho.
27. In primogenito ſuo fundamenta
illius iaciat, & in nouiſſimo libe-
torum ponat, portas eius. Fuit
ergò Dominus cum Ioſue, & no-
men eius vulgatum eſt in omni
terra.

Alia verſiones.

Hebraicè. Pro, *Ingreſsíq. Iuuenes eduxerunt*, &c. Et ingreſſi ſunt pueri exploratores, & eduxerunt Rahab, & patrem eius, & matrem eius, & fratres eius, & omnia quæ erāt ei, & omnes familias eius eduxerunt, &c. Pro *Imprecatus eſt Ioſue dicens*, &c. & adiurauit Iehouah in tempore illo, dicendo, &c. Expreſſit Varablus quemadmodū, & Pagninus patrem & matrem Rahab, ereptos fuiſſe ex incendio, quos vulgata edirio parentum nomine complectitur.

Aliter. Pro, *maledictus*, &c. Execratus vir coram Domino, qui reædificauerit vrbem hanc: in primogenito ſuo fundamentū iaciet & in minimo natu ſuo collocabit portas eius. In ſcholio Vatab. ſic locum explicat. Cùm incipiet eam inſtaurare, etiamſi tum multos liberos habuerit, cùm tamen finem operi imponet, paucos habebit, aut certè vnicum: hoc eſt euadet orbus, & priuabitur liberis quemadmodum accidit Hiel. 3. Reg. 16. 3. Reg. 16.

Sept. Interpret. Pro, *& precatus eſt Ioſue*, &c. habent καὶ ὥρκισεν ἰησοῦς Hebr. וישבע, &c.

Explicatur contextus.

1 *Duobus autem viris, qui exploratores miſſi fuerant dixit Ioſue: ingredimini domum mulieris meretricis & producite eam, & omnia, &c.*] Hæc per recapitulationem quam figuram, Anacephaleoſin Græci vocant, dicta accipe. Priùs enim Rahab ex vrbe educta fuit, quàm cæderentur ciues Hiericho. Quomodò námque illi, quam non nouerant, parcerent milites, in tumultu & direptione vrbis, niſi ante ipſam direptionem, ab exploratoribus iuſſu Ioſue, cum familia ſua, fuerit producta? Hic tamen oportuit huius liberationis fieri mentionem, vt conſtet, quàm exactè ſeruari præceperit Ioſue iuramenti, quo obligati erant Hebræi, ſanctiſſimam religionem. Iam enim ex luſtrationibus ſeptem diebus factis conſtitit, quid conſtantia Iudæorum in fide oraculo habita, meruerit, cùm ad ſonitum tubarum ſeptimo die cecidiſſe muros audiuimus, vt meritò dixerit Apoſtolus Hebr. 11. *Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.* Nunc, quid fides Rahab perſeuerans obtinuerit à Deo expli-

Anacephaleoſis.

Exactè ſeruari Ioſue iuramenti religionem.

Hebr. 11.

candum fuit; de qua idem Apoſtolus: *Fide*, inquit, *Rahab meretrix non perijt cum incredulis excipiens exploratores cum pace.*

2. Iubentur autem à direptione protegi omnia, quæ Rahab ſunt, hoc eſt, non ſolùm domeſtica illius ſupellex, & pecora, quæ vel domi, vel in agro erant, ſed etiam quidquid aliqua cognatione aut iure illam attingebat, ſicut iuramento fuerat cautum, cap. 2. *Quomodo*, inquit, *feci vobiſcum miſericordiam, ita & vos faciatis mecum, & cum domo patris mei: detiſq; mihi ſignum verum, vt ſaluetis patrem meum, & matrem, fratres, & ſorores meas.* Quamuis autem has ſolùm Rahab excepe-rit perſonas: Exploratores totam illius exceperunt cognationem. *Innoxij*, inquiunt, *erimus à iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram, ſignum non fuerit iſte funiculus coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos: & patrem tuum, & matrem, ac fratres, & omnem cognationem congregaueris in domum tuam.*

3. *Ingreſſiq́; iuuenes eduxerunt Rahab, & parentes eius, &c. Et extra caſtra Iſrael manere fecerunt.*] Cùm Rahab educti ſunt cognati illius. In Hebræo eſt, *Et omnes progenies eius.* Exiſtimat Arias Montanus eam partem murorum non corruiſſe, in qua domus Rahab innitebatur: idque ex eo colligit, quod in ipſo tumultu ſignum coccineum viderint exploratores, & eò ducti, ingreſſi ſunt domum, & iis, qui in ea erant ſoſpitatem attulerint: Vero ſimilius eſt quod exiſtimat Abulenſis, nihil murorum perſtitiſſe; atque adeò quæ modò dicuntur de incolumitate Rahab, ante ruinam murorum fuiſſe peracta, & per anacephalæoſin narrari. Neque enim vrbis iam deuotæ, atque ſacræ excidium ante cœptum fuit, quàm familiæ Rahab fuerit diligenter conſultum, cuius liberationem vrbis, & ciuium conſecuta eſt ſtrages.

Montanus putat eam partem murorum non corruiſſe in qua domus Rahab innitebatur cũ funiculo coccineo.

Abulenſis opinio eligitur.

Quæ de incolumitate Rahab dicuntur ante ruinam murorum fuerunt acta.

4. At cur extra caſtra manere fecerunt Rahab, & quæ ad illam pertinebant? An quia dum Hierichuntini occidebantur, & opes abſumebantur incendio, decuit in loco tuto conſeruari? Vel ob id potiùs, quia cùm familia illius, Gentilium ſuperſtitione eſſet imbuta, oportuit vt qui Iſraelis religione initiati non erant, tantúmque proſelyti cenſebantur: tantiſper dum ad Iudaicas per circuncïſionem cæremonias aut alios ritus non tranſibant, tanquam immundi extra caſtra manerent? Quid quod ipſi Iudæi circuncïſi, ſi legali aliqua immunditia polluti erant, extra caſtra, donec luſtrarentur, commorari cogebantur. Exemplum habes Num. 5. de leproſis & fluentibus ſemine, atq; ſuper mortuo pollutis, & Num. 31. præcepit Dominus. vt Iſraelitæ, qui de cæde Madianitarum læti venerant, in caſtra non intrarent, donec priùs luſtrarentur. Rahab igitur, & qui cum illa euaſerant ex anathemate, peractis cæremoniis, quæ ad munditiam præſcriptæ erāt, in caſtra recepti ſunt, vt indicant illa verba: *Habitauerunt in medio filiorum Iſrael vſque ad præſentem diem.*

Extra caſtra manere fecerũt Iſraelitæ Rahab & eos qui cum illa erant, dum Iudaicam diſcebant cæremoniam.

Num. 5.

Num. 31.

6. *Vrbem autem, & omnia, quæ erant in ea ſuccenderunt; abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.*] Hæc per Ioſue curata ſunt vt Deus antè decreuerat. Nec verò in populo diligens executio deſiderata fuit, ſi vnum excipias Achan, de quo capite ſequenti agendum eſt. Suprà dictum eſt, *quidquid auri, &c. fuerit, Domino conſecretur*, &c. Nunc id ipſum narratur factum. Solùm aduerto à Chaldæo, quod hic, & ſuprà dictum eſt ærarium Domini, ſiue theſaurus, vocari domum ſacrarij Domini. Etenim theſaurus Domini ſeruabatur in tabernaculo ſacrarij. Quod ædes ſacrarij vſque eò vocatum eſt, dum ædes Deo à Salomone eſt ædificata. Hebræi, & Theodoretus ad primitiarum cæremoniam pertinere hanc metallorum, in domum Dei illationem exiſtimant. Cui ſententiæ congruit, quod de ſpoliis vrbis Hai, nihil ſibi ſumit Dominus. Fortè ad rei geſtæ memoriam conſeruandam id præcepit Deus. Sicut Num. 31. quæ oblata fuerant de manubiis Madianitarum Moſes, & Aaron, in ſacrarium intuliſſe memorantur. Poſt cædem ciuium, ante vrbis incendium, omnia domorum latibula luſtrata diligenter ſunt, & quidquid metalli fuit inuentum, theſauris Domini reſeruatur. Vocatur autem hic ærarium, locus theſaurorum ab ære: quia vt author eſt Iſidorus 16. Ethymol. primum metallum à mortalibus inuentum, æs fuit, ex quo moneta, & vaſa ad humanos vſus cœperunt conflari. Alio nomine vocari ſolet gazophylacium, Luc. 21. & paſſim lib. 1. Paralip. à gazis, ſiue diuitiis ſeruandis.

Gazophylacium Iſidorus.

Luc. 21.
1. Paralip.

6. *Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Ioſue viuere.*] Conſeruata eſt Rahab, & cognati illius, cum omnibus bonis, quæ ad eorum familias pertinebant. Id enim ita fore, iuramento confirmarunt exploratores cap. 2. Fecit autem Ioſue viuere eos, quos à direptione, & interitu liberauit. Qui enim quempiam à mortis periculo eripit, vitam illi dicitur conferre. Sic Medici, quem pharmaco, aut potione ſalutifera à lethargico morbo liberarunt, illi vitam ſe donaſſe gloriantur. Quod autem Hebræi nonnulli dicunt, propterea dici Ioſue feciſſe viuere Rahab, quia aſſumpſit eam in vxorem, ſomnium eſt.

Falluntur qui dicunt Ioſue duxiſſe Rahab vxorem.

7. *Et habitauerunt in medio Iſrael vſque ad præſentem diem, &c.*] Hoc idiotiſmo ſignificari ſolet ab Hebræis æqua libertatis & iurium in aliqua cõmunitate participatio. בקרב. *Bekereb*, hoc eſt, in medio hanc participationem indicat. Nam קרב. *kereb*, pro quo medium reddere latinè ſolemus, interiora ventris propinquitatem, neceſſitudinem, & quidquid ad charitatem, gratiámque ſpectat, adſignificat. Simili idiotiſmo vſa eſt Sunamitis illa reſpondens Eliſæo officij pro beneficio ipſi exhibendi occaſionem, & materiam quærenti. *Numquid habes negotium*, inquit Eliſæus, *& vis loquar Regi, vel principi militiæ?* Reſpondit illa. *In medio populi mei habito.* Hoc eſt, bono in ſtatu ego, réſque meæ omnes ſunt, chara, & grata meis dego, bono apud gentem meam ſum loco, nec aliquo apud principem fauore, pro negotio expediendo indigeo. Huiuſmodi conditionem Rahab, & illius cognatis apud Iſraelitas conſtitiſſe, perpetuóque fuiſſe conſeruatam, illa verba docent, *& habitauerunt in medio Iſrael.* Atque, vt familiæ illi ſua iura ita conſtarent, vt nullius calumnia, vel fraude annis conſequentibus peruerti poſſent; additur cauſa cur id beneficium alienigenæ mulieri collatum fuerit. *Eo quòd*, inquit, *abſconderit nuntios, quos miſerat Ioſue.* Quaſi dicat, Oportuit beneficium publicè factũ in vtilitatem Iſraelitarum; publico etiam beneficio, ob illuſtre promeritum, rependere. Nuntios námque publica authoritate miſſos, non ſolùm non prodidit, verùm abſcondit, ſeruauit, liberóſque officioſo mendacio vſa dimiſit.

In medio habitare eſt, in aliqua communitate, æqua libertatis iura communicare.

8. Diſcant

8. Diſcant hoc exemplo omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, quo pacto excipi & ornari oporteat eos, quos ex paganiſmo, aut ex aliqua ſuperſtitione Deus ad Catholicam voluerit Eccleſiam adſcribi. Profectò mirum eſt apud Hebræos, generis aliàs ſui inſolentes, & faſtidioſos iactatores, adeò honeſtum fuiſſe locum Rahab Chananææ, vt & nuptiæ cum Salmone nobiliſſimo principe coniunctæ fuerit, & nepotum propagatio conſtiterit vſque ad IESVM CHRISTVM. Dei filium, orbiſque totius redemptorem. Quod patet ex Matth. 1. in deſcriptione nàmque genealogiæ Saluatoris dicitur: *Naaſon autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Boos de Rahab.* Sic quoque de Ruth Moabitide Saluator progenitus eſt, quia accepit eam in vxorem Boos filius Salmonis. Et verò ſicut pater eius Salmon duxit alienigenam vxorem Rahab: ita ille Ruth, vt conſtat ex cap. 1. Matth. ex Ruth 4. Vnde reiiciendi ſunt Hebræi, qui abſque vllo ſcripturæ ſacræ ſuffragio affirmarunt, Rahab fuiſſe à Ioſue in vxoré cooptatam. Hactenus de Rahab.

Rahab nupſit Salmoni, cuiuſq. poſteritas Chriſto orto veneranda fuit. Matth. 1.

Ruth. 4.

9. *In tempore illo imprecatus eſt Ioſue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit & ædificauerit ciuitatem Hiericho.*] Grauis hic proponitur imprecatio de vrbe Hiericho numquam futuris ſeculis poſt euerſionem miraculo factam ædificandam. In tempore illo, hoc eſt, poſtquàm Hiericho diruta eſt, & incendio abſumpta. Nihilque iam appareret, præter cinerum congeriem. Imprecatus eſt Ioſue, tanquam Dei miniſter, magno cum clamore malum ei, qui aliquando tentaret, primam illam ciuitatem, quam Iſraelitæ tanquam ſacrificium Deo obtulerant, à fundamentis excitare. Eſt autem imprecari, malum quippiam in caput alicuius precari. Græcè ἀράομαι. Vnde Quintilianus declam. 1. *Non imprecamur*, inquit, *debilitatem, naufragia, morbos.* Et Virg. 4. Æneid.

Imprecari eſt malum alicui precari.

ἀράομαι.

Quintilianus.

Virg. Aen. 4.

Littora litteribus contraria, fluctibus vndas,
Imprecor.

Habes imprecationis exemplum apud Ouidium in libro edito in quendam, quem vocat Ibin. Imprecatione igitur vehementi vſus eſt Ioſue dicens: *Maledictus vir*, &c. In Hebræo, & in Græco, pro, Imprecatus eſt, ſunt verba, quæ ſignificant adiurare. Imo Hebræum verbum eam vim habet, vt ſignificet compellere ad iurandum, quo intelligamus (vt annotauit Abulenſis ad finem quæſt. 59.), compuliſſe Ioſue iſraelitas ad iurandum fore, vt numquam ſuſcitarent vrbem Hiericho, quæ iuratio obligationem ad poſteros etiam tranſmiſit.

Ouidius.

Compulit Ioſue Iſraelitas ad iurandum fore vt numquam ſuſcitarent Hiericho.

10. Duæ autem ſunt cauſæ, ob quas vſus eſt Ioſue hac imprecatione. Prima eſt, vt numquam deleretur memoria diuini beneficii, quo in fauorem populi Hebræi, ad ſonitum tubarum, muri Hiericho ceciderunt. Atqui, ſi ciuitas illa reædificaretur futuro tempore vt fit, nihil iam homines haberent, quo admonerentur tanti prodigij, nec occaſionem prætereuntes haberent interrogandi, cur tam nobilis & antiqua ciuitas, in lapidum fuerit redacta congeriem. Altera elicitur ex anathematis conditione, ſecundùm quam, vrbs illi ſubiecta, poſtquàm complanata erat, & incéſa, relinquebatur in tumulum ſempiternum, iubente Deo, ne quis eam vnquam reædificaret, vt patet Deut. 13. Quid ergo mirum ſi Ioſue imprecationé hic vtatur contra Hierichuntinæ vrbis Deo anathemate deuotæ, reædificatorem? Non prætermittam id, quod ad eruditionem facit, vocari nimirum in fonte ſanctitatem, ſiue rem ſanctam in hoc cap. eandem quam deuotam Latini dicunt. Nec immeritò: res enim ſanctæ, ſiue deuotæ, quas Græci anathemata vocant, tam hæ ſunt, quæ in lucis ſacris dicantur, quam quæ adolentur, atque abolentur. Hebræi קרבן. *Corban*, & eliſa durioris ſoni littera, *Coban*, eadem notatione, qua Græci ἀναθήματα dicunt. Vnde extat apud Hebræos doctores hæc iurandi, aut vouendi formula in tract. de iureiurando, & votis, vt refert Maſius: Anathema & res deuota eſto, quidquid illud ſit, quo ego tibi proſim, aut quam tu vtilitatem ex me capias. Atque hoc voto, cùm quis apud aliquem vſus eſt, quantâuis ei neceſſitudine obligatum; atq; adeò erga ſuum ipſius parentem, nefas eſſe ſtatuunt Rabbini, illum vllo beneficij genere, aut officij hunc iuuare: ne quod Deo vouit, id humanis ſeruiat commodis. Atque hæc ipſa eſt illa traditio, quam citat, damnátque Chriſtus, Matt. 15. & Marc. 7. tanquam legi Moſis aduerſantem. Niſi fortè, qui Syriacum Euangelium, in quo hæc lucidiora ſunt adierūt.

11. Imprecationis ergo forma hæc eſt: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho.* Vult, vt non ſolùm inter homines maledictus ſit, ſed etiam coram Domino: vel ſignificat, non ſolùm ab Iſraelitis ſed etiam à Deo maledici ædificatorem Hiericho. Alius ſenſus eſſe poteſt. *Maledictus vir coram Deo*, id eſt, maledictus vir à Deo, quaſi dicat, Deus maledixit ei, qui iſtam vrbem ædificaturus eſt, quam maledictionem ego ſpiritu prophetico prænuntio Deóque præſente, atque vleiſcente, quod prædico ratum, firmum fixumque eſto.

12. *In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.*] Hoc eſt, in mortem primogeniti ſui iaciet fundamentum, & in paruo ſuo ſtatuet portas eius. Sic enim habent Hebræa, vel vt noſtra editio: *Et in nouiſſimo liberorum ponat portas eius*, hoc eſt, & in mortem filij ſui paruuli ſtatuet portas eius. His verbis ſignificat conditurem vrbis maledictæ puniendum, ob temeritatem, & inobedientiam intra fundationis, & ſupremæ manus tempus omnium filiorum orbitate.

Reædificator Hiericho ... filiorum orbitate.

13. Illud non eſt prætermittendum, vt benedictionis, ſic & maledictionis ſiue imprecationis iuſtæ mirabiles eſſe effectus. Benedictionis effectus habes in Patriarcharum benedictionibus, de quibus agitur Gen. 49. vbi etiam, quid imprecatio valeat, multùm elucet. Idem perſpicies ad finem Deuteronomij in cantico Moſis. Vna ex imprecationis ſiue maledictionis partibus, ſterilitas eſt, & filiorum orbitas; vt è contrario fœcunditas, & numeroſæ ſobolis propagatio, benedictionis pars eſt. Definit igitur Deus maledictionis partem, quæ decretum ſuum teſtaretur de perpetua Hiericho vaſtatione. Porrò duo in hac imprecatione prohibentur: Alterum ne vrbs eadem in eodem loco ſuſcitaretur; Alterum, ne vrbs alia, quocumque loco ſub nomine Hiericho ædificaretur. Ex alterutra namque ædificatione, nomen quo obliteraretur, miraculi memoria, extaret, nec quis ſciret, poſt longa ſæcula, quid diuinitus accideret Hierichuntinæ vrbi. Antiquam Conimbricam, vbi olim fuerint Conimbricenſes, ipſi dubitant; & Hiſpalenſes, vbi vetus Hiſpalis, poſtquam, quæ Romulea olim, nunc alieno nomine vſurpato Hiſpalis appellatur,

Effectus benedictionis, & maledictionis. Gen. 49.

Propagatio ſobolis, eſt benedictionis effectus.

Conimbrica vetus.

Hiſpalis antiqua.

Montanus.

tur, vt annotauit Arias Montanus in cap.5.Ioſue. A Vtrumque ergo cauet Ioſue, ne quis vrbem hanc reparet néue quis Hiericho vrbem quouis loco ædificet. Hæc diſtinctio ob articulorum, & demonſtrationum varietatem, & proprietatem, quibus latinitas caret; aperta eſt in Hebræo, Chaldaico, & Græco contextu. In vulgata tamen tranſlatione cognoſci poteſt, ſi alteri ex duobus verbis, alterum ex appoſitis attribuatur. Nam ad illa verba: *Qui ſuſcitauerit ciuitatem*, adde ex illis linguis; hanc eandem ipſam, quæ euerſa, & incenſa eſt. Ad illa verò: *Et ædificauerit Hiericho*, id eſt, vrbem aliquam, cui nomen indiderit Hiericho. Eſt igitur huius vaticinij ſententia, quam explicauimus. Eam Deus certò probauit euentu, ſicut in B fine hiſtoriæ Achab filij Amri ſcriptū eſt 3. Reg. 16. *In diebus*, inquit, *eius ædificauit Hiel de Bethel: Hiericho, in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbū Domini, quod locutus fuerat, in manu Ioſue filij Nun*: Quæ verba planè confirmant à Ioſue, vt propheta coram Domino, id eſt, Dei iuſſione, factam eſſe hâc imprecationem.

Prohibetur reædificatio Hiericho, in quocumque loco.

3. Reg. 16.

Euentus confirmauit imprecationem Ioſue.

14. *Fuit ergo Dominus cum Ioſue, & nomen eius vulgatum eſt in omni terra.*] Veræ & germanæ dignitatis exiſtimationem rerum publicarum adminiſtratoribus, & principibus conciliari exemplo Ioſue Deus oſtendit, non ſumptu magno in C claſſibus apparandis; non turrium & murorum inſana ſubſtructione; non vectigalium amplificatione. In his enim ægri mortales plerunque & oleum, & operam perdunt, & rem atque decus vnâ amittunt, ſicut Regius vates, Pſal. 126. cecinit. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*: ſed præeuntem Dei lucem ſequendo, illi vſque decreta magnificando, ſcriptum enim eſt; *cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini filij merces. fructus ventris*. Tanti quippe eſt Dei numen propitium, & dextrum habere, vt Ioſue fide, pietate, & mādatorum Dei obſeruatione, antequàm vllum aduerſus Chananæorum Reges bellum gereret, meruerit, cum admiratione, in tota illa D regione nominari. Propagabatur quotidie cum claritate illuſtris apud omnes gentes illius fama, ex illa tantùm cauſa, quòd Dominus eſſet cum illo. Nam ſi facta quæras, quænam illa, ad id tempus extitere? Fama igitur ad omnes oras felicitatem Ioſue perferebat, cui Deus adeò dexter, propitiúſque eſſet, vt vel otioſo, fluuios aperiret, vrbes munitiſſimas expugnaret; hoſtium conſilia indicaret, arcana reuelaret, & futuris temporis prædiceret euentus. His accedebat commemoratio grati animi erga eos, à quibus beneficium acceperat; multarúmque virtutum, quæ in illo elucebant enumeratio. In Hebræo pro eo quod in- E terpres Latinus reddidit, *Nomen*, eſt vocabulum *Samuagh*, quod auditionem ſiue famam ſignificat. In eadem ſignificatione, nomen hîc ponitur quemadmodum & apud prophanos ſcriptores, vt Georg. 3. Virg.

Non diuitiis principes, ſed diuinæ voluntatis obſequio magnificant.

Pſal. 126.

Ioſue magnus apud omnes habebatur, eo quòd Dominus eſſet cum illo.

Vir. Geor. 3.

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæſaris, & nomen famâ tot ferre per annos,
Tithoni prima quod abeſt ab origine Cæſar.

Et Horat. lib. 4. Car. Ode 15. laudans Cæſarem.

Hora. 4. Car.

Vaganti frena licentiæ
Iniecit: amouitq́; culpas,
Et veteres renouauit artes
Per quas latinum nomen, & Italæ
Creuere vires, famáque & imperi

Porrecta maieſtas ad ortum
Solis, ab Heſperio cubili.

15. Sed quomodo nomen Ioſue vulgatum eſt in omni terra? Num, quia ſol ſtetit illius iuſſu ſpatio vnius Dei immotus? Nam cætera eius facta quomodo cognoſci toto orbe potuerunt? Reſpondet Abulenſ. quæ. 70. non eſſe hoc dictum ita accipiendum, vt credamus nomen, & famam Ioſue ad omnes omnino gentes quotquot, orbē incolunt perueniſſe, ſed ad gētes terræ Chanaan, aliaſque iis vicinas. Et verò licèt omnes gentes ſolem ſuſpexerint ſtantem, non cognoſcerent id miraculo fieri. Sunt enim nationes quædam ita immanitate efferatæ, vt vix animam pro ſale habeant ne putreſcant, parúmque à belluis differant; quales ſunt illæ quas Ariſt. 7. Ethic. beſtiales vocat, & ad Septentrionalem Oceanum degunt. Quales etiam ſunt illi, qui ad Auſtralem plagam in deſertis Æthiopicis vagantes, monſtra magis hominum dixeris, quàm veros homines, vt author eſt Iſidor. lib. 11. Ethym. & Solinus in Polyſtor. c. de Æthiopia.

Quomodo Ioſue nomen vulgatū ſit in omni terra?

Abulenſis.

Stantem ſolem tempore Ioſue gentes barbaræ non notarant.

Ariſtot.

Iſidorus.
Solinus.

16. Quod ſi velis agnouiſſe omnes gentes eam ſolis ſtationem miraculo factam eſſe, quomodo diſcernere potuerunt, magis propter Ioſue, quàm propter Arabes, Chaldæos, aut Ægyptios accidiſſe? Num, miſſi ſunt ad omnes gentes huius facti internuntij? vix ſanè fieri poteſt, vt vnius hominis, quantumcunque ille conſpicuus ſit, vel ob itinerum difficultatem; vel ob commercij impeditum vſum ad omnes gentes fama perueniat. Quod rectè conſiderauit Boetius lib. 2. de conſolatione proſa 7. Hinc concluditur famam Ioſue non fuiſſe toto orbe vulgatam, ſed ad omnes gētes perueniſſe, quæ Chananæos circumſtant. Cuius enim hominis, aut ciuitatis nomen, ad vltimas mundi plagas perlatum eſt? Quid Roma illuſtrius? & tamen tempore Ciceronis cùm à condita vrbe plures quàm ſeptingenti numerarentur anni, nō erat vltra Caucaſum, Romanum nomen cognitum, nec in India fuerat auditum. Vides Reip. ampliſſimæ, & factis clariſſimæ, cùm adulta eſſet, nomen Caucaſum, intra tot annos, non tranſcendiſſe? Quomodo ergo facta Ioſue vulgari tam breui tempore toto orbe potuerunt? An propter ſolem ad preces illius ſtantem, fama nominis eius, mundum peruagata eſt? Maius miraculum fuit, quod retrogrederetur ſol in horologio Achaz lineis decem, regnante Ezechia, cuius votis cœlum annuit, vt patet 4. Reg. 20. & Iſaiæ 38. nec tamen ob id, nomen Ezechiæ toto fuit orbe vulgatum. Licet enim rem nouā mundus admiraretur; ignorabant homines, tantum prodigium in gratiam Ezechiæ, oſtendi; ſiquidem Chaldæi aſtrologiæ periti, Hieroſolymā nuntios miſerūt, vt dicitur 4. Reg. 20. qui cauſam nouitatis ſciſcitarētur & diſcerent ab Ezechia. Quomodo ergo ſolē ſtetiſſe precibus Ioſue Chaldæi, aut remotiores adhuc populi potuerunt ſcire, cum apud illos tam inauditum eſſet Ioſue nomē, quàm Homerici Therſitæ? Cùm ergo dicitur nomen Ioſue vulgatum eſſe in omni terra, particula, *omnis*, diſtribuit non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum (vt in ſcholis loquimur) ſicut cùm dicitur Gen. 41. in Ægyptum veniſſe omnes prouincias, vt emerent eſcas; nec enim omnes, ſed aliquæ eò mittebant prouinciales ſuos emptum cibos, & Matth. 27. cùm dicitur: *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*: particula, *vniuerſam terram*, non extenditur ad omnes

Stetiſſe ſolem propter Ioſue, remotæ gentes non agnouerant.

Boetius.

Ioſue nomen magnum in tota Chanaan terra.

Romanum nomen non erat cognitum vltra Caucaſum tempore Ciceronis.

Retrogredi ſolem maius miraculum quam ſtare.
4. Reg. 20.
Iſai. 38.

4. Reg. 20.

Gen. 41.

Matth. 27.

pror-

prorſus mundi regiones, vt annotatur in ſcholio Abulenſ. ad finem quæſtionis 72. ſed ad terras non multùm à Paleſtina diſtantes. Quare ſententia horum verborum. *Et nomen eius vulgatum eſt in omni terra*, interpretatur Abulenſ. per aliquas terras vicinas. Quaſi ſacræ literæ id tantùm velint ſignificare; Ioſue nomen vulgatum eſſe in omni terra Chananæorum, & vicinarum gentium. Eſt quippe in huiuſmodi locutionibus exaggeratio quædam per hyperbolen, qua non profani tantùm ſcriptores, ſed ſacri etiam vtuntur.

Verſ. 24.] Vrbem autem, & omnia, quæ erant in ea ſuccenderunt, abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.

Vtrum muri Hiericho, à Deo abſque vllo Angelorum miniſterio diruti ſint, antequam vrbs incenderetur.

ANNOTATIO I.

1. EX ipſis ſacri contextus verbis, colligitur muros Hiericho, vno impetu repètè fuiſſe complanatos clangentibus tubis, vociferantibúſque Hebræis, & vt ita fieret, à Deo poſtulantibus, iuxta illud; *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox, ſonitúſque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit vnuſquiſque per locum, qui contra ſe erat, &c.* Nec verò aliqua pars relicta eſt, ſed quidquid muri erat à fundamentis ſimul dirutum eſt; quod ſignum eſt, id non terræmotu, aut alia cauſa naturali impellente eueniſſe. Ineſt enim in huiuſmodi euentis, quando naturæ vis ſubeſt, ſucceſſio ruinæ in partibus, nunc minori, nunc validiori motu concuſſis. Quare non aura in viſceribus terræ à Deo producta primum, deinde ad ſola murorum fundamenta per Angelos applicita, cauſa fuit ruinæ: ſed Angeli, per vnicam operationem ſuæ virtutis, iuſſu Dei ita applicitæ, vt ruentibus muris æque planus pateret Hebræis prorſum ingreſſus. Quod autem Angeli applicent ad portandum onus, vel mouendam aliquam rem, virtutem ſuam, tanquam Dei miniſtri conſtat ex columna nubis, quæ Exodi decimo quarto, cum ſuopte impulſu mutari non poſſet, ab Angelo mouebatur. Idem confirmatur Dan. 5. ex Angelo à Iudæa vſque ad Babylonem in cincinno capitis exportante Abacuc euntem ad meſſores cum cibo in alueolo. Ille quippe Angelus, non ſoli capillo, vt exprimit contextus, ſed toti corpori virtutem, ne è nubibus caderet, applicuit. Num capillus tantæ firmitatis erat; vt tenere poſſet molem corporis in aëre pendentis? Vtitur tamen ea locutione ſcriptura, quia per aërem ſic propheta ferebatur, vt ſolo capitis pilo trahi ſe putaret. Quid de orbibus cœleſtibus dicam? Ariſt. 7. Phyſic. & 12. Metaph. Sphæras cœli ab intelligentijs, quas nos Angelos vocamus, moueri affirmat; Eſt autem intelligentia mouens quoduis cœlum, extenſione virtutis, in toto orbe moto, vt grauiores docent philoſophi. Hinc Iob 9. ait Deus orbem portari ab Angelis, id eſt, ab Angelis moueri cœlos, & Matth. 4. dicitur. *Aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem*; quo exemplo vtitur Abulenſ. in ſcholio ad quæſt. 49. Non fuiſſe ruinam murorum Hiericho immediatè à Deo per ſolam voluntatem, effectam; confirmat idem Abulenſ. quæſtion. 50. ſequenti. Mihi ea ratio idonea viſa eſt, quæ elicitur ex doctrina Magiſtri lib. 1. & 2. ſententiarum. Deus námque per ſe agit ea, ad quæ virtus creaturæ, quæ illi ad nutum obedit, pertingere non poteſt, vt creare rem, cuius nulla pars antè extiterit; mortuos ſuſcitare, & quæ huiuſmodi ſunt; Illa tamen quæ Angelorum virtute fieri poſſunt, cùm ſint adminiſtratorij ſpiritus, par eſt (ne dicamus ordinem rebus præſcriptum turbari) Angelis committi: ac proindè per Angelos dirutam fuiſſe Hiericho, tanquam per adminiſtros diuinæ iuſtitiæ ciuitatem anathemate damnantis. Iugulatio autem ciuium, & rerum domorúmque incendium, Hebræis permittitur.

Non corruerunt muri Hiericho aliqua cauſa naturali impellente.

Angelorum miniſterio diruti ſunt muri.

Exod. 14. *Columna nubis mouebatur ab Angelo.* Dan 5.

Abacuc ab Angelo in cincinno capitis portatus eſt.

Ariſtot.

Intelligentia motrix extenſione virtutis eſt in toto cœlo, quod mouet.

Iob 9.

Matth. 4.

Abulenſ.

Magiſt. ſent.

Deus per ſe agit ea, ad quæ virtus creaturæ non pertingit.

Verſ. 24.] Abſque auro, & argento, & vaſis æreis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.

An ſolùm repoſita fuerint in theſauris Domini, quatuor metalla, hic enumerata?

ANNOTATIO II.

2. CVM varia ſint metallorum genera, & quatuor hic duntaxat aſſignentur, quæ ærario reſeruentur; quæri poteſt, quid actum ſit de reliquis metallis, qualia ſunt plumbum, & ſtannum legimus, Num. 31. non ſolùm hæc quatuor metalla, ſed alia etiam cuiuſcunque generis in præda Madianitarum ſumpta fuiſſe, *Hoc eſt*, (inquit ſacra hiſtoria) *præceptum, quod mandauit Dominus Moſi; aurum & argentum; æs & ferrum; ſtannum, plumbum, & omne quod poteſt tranſire flammas igne purgabitur*, &c. Cur ergo hìc alia metalla ab his quatuor reijcientur? Abulenſ. q. 44. ad obedientiam, quæ Dei mandato reſpondere debuit fideli executione cauſam refert. Num prætermittenda erat forma mandati? Accedit ſtannum, plumbum, & cuprū non poſſe vtiliter conſeruari ad vſum aliquem ſanctuarij. Nec enim Exod. 25. & 35. aliquid præcipitur fieri ex horum metallorum materia, quod tabernaculo inſeruiret.

3. Alia autem ratio eſt de præda Madianitarum; ibi námque vniuerſa præda in Hebræorum ceſſit vſus; nec aliquid applicatum eſt ſanctuario, niſi ex libera cuiuſq; militis oblatione. Et Num. 31. pecora inter expugnatores diuiſa ſunt. Hic autem omnia iubentur concremari, præter illa quatuor metalli genera. Quare, vt obedientia, quæ (vt dicitur 1. Reg. 15.) *melior eſt quàm victimæ*, ſeruaretur, ſolùm nominatis parcendum fuit metallis. Sed ad quid ferrum? conſtat quippe nullum vas, aut inſtrumentum ex ferro factum vſui fuiſſe ſanctuario, Nunquid Deus, Exod. 25. & 35. præcipiens offerri à populo res neceſſarias ad ſan-

Num 31.

Abulenſ.

Exod 25 35. *Stannum, plumbum, & cuprum non fuerunt cum auro reſeruata ab eo. duce Hebræis.*

Num. 31.

1. Reg. 15.

Exod. 25.

ſanctuarij vſum, ferri meminit? Nihilominus non fruſtrà parcitur ferro. Hoc enim licet in miniſtratione ſanctuarij, & vaſis, quæ aurea erant, argentea, aut ærea locum non haberet; inſeruiebat tamen Leuitis ad clauos, aliáque inſtrumenta fabricandæ, ſine quibus nec deponi poterat, nec erigi tabernaculum. Quomodo queſo te, aut figere poſſent æreos paxillos, baſes argenteas, & pleraque ligna ſine ferro?

Ferrum vtile erat Leuitis ad figendum ſanctuarium, & aliis vſui, idcircò ſeruatur.

Non præcepit Deus Iſraelitis, vt offerrent ferrum.

4. Sed cur non præcipitur Iſraelitis, vt offerant ferrum, ſicut tria reliqua metalla? Quia ad ſanctuarij fabricam, nec ad vaſa illius neceſſarium erat: ſola autem præcipit Deus offerri quæ coniuncta erant miniſterio ſanctuarij. Hic verò iuſſit ferrum etiam in theſauris ſeruari, vt inſtrumenta, quibus integra adminiſtratio etiam remotè perficiebatur, non deeſſent. Hinc ſacra hiſtoria *vrbem*, inquit, *& omnia quæ erant in ea ſuccenderunt; abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.* Vides exactæ obedientiæ vmbram. Longè aliter ſe geſſit Saul 1. Reg. 15. in expugnatione Amalech. Audi præceptum, per Samuelem illi propoſitum. *Percute Amalech, & demolire vniuerſa eius; non parcas ei: & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum.* Quid Saul? Dei mandatum parui faciens inobediens fuit: ſubiungitur namque. *Percuſſitq́, Saul Amalech. Et apprehendit Agag Regem Amalech viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij, & pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt.* Ægrè tulit Deus hanc præcepti violationem. Vnde Samuel, exprobans factum Regi, triumphalem ſibi iam in Carmelo ob victoriam erigenti fornicem, & volenti oues plurimas Deo immolare. *Numquid vult*, inquit, *Dominus holocauſta, & victimas, & nō potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo, quòd abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex*, &c. Atque vt Rex inobediens intelligeret: ratum fore, quod prædixit, addidit. *Porrò triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam*, &c. Rectè D. Gregorius enarrans illa verba: *Melior eſt obedientia, quàm victima.* Meritò, inquit, obedientia præfertur victimis, quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. Adeò verò Deus curat, vt in iuſſionibus omnes apices obſeruentur, vt crimen in conſcientia vnius, vel paucorum occultatum, abire impune non ſinat. In furto Achan, qui ex anathemate Hiericho aliquid clam ſurripuit capite ſequenti, huius ſeueritatis habebimus exemplum.

Obedientia cæſta.

1. Reg. 15.

Saul tranſgreſſus eſt præcepti quo oportebat delere omnino Amalech.

1. Reg. 15.

Deijcitur de regno Saul ob inobedientiam.

D. Gregor.

Verſ. 25.] Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Ioſue viuere; & habitauerunt in medio Iſrael, vſque ad præſentem diem: eo quòd abſconderit nuntios, quos miſerat, vt explorarent Hiericho, &c.

Prudentia Ioſue in conſeruanda Rahab, Dei curam indicat, qua illos tuetur, & remunerat qui fidei bona opera aſſociant.

ANNOTATIO III.

A

1. ADMIRABILEM ſolicitudinem vidimus in Ioſue, in procuranda Rahab meretricis incolumitate. *Sit*, inquit, *ciuitas hæc anathema, ſola Rahab meretrix viuat cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſcondit enim nuntios, quos direximus.* Hæc ante ruinam murorum dicta ſūt. In ipſo rerum tumultu, & direptionis perturbatione minimè oblitus beneficij accepti, & fœderis iurati. *Duobus viris*, inquit ſacer hiſtoricus, *qui exploratores miſſi fuerant dixit: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia, quæ illius ſunt, ſicut illi iuramento firmaſtis.* Poſt vrbis excidium audis: *Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat fecit Ioſue viuere.* Quæris quodnam fuerit huius meretricis promeritum? Nuntios populi Dei accepit: illis aures dedit, fidem, ſine qua placere Deo nemo poteſt, recepit. Quid enim illæ voces cap. 2. ab illa editæ ſignificant? *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.* Fidei miſericordiam, quæ Deo ſemper grata fuit, adiunxit. *Iurate*, inquit, *mihi per Dominum, vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detiſq́, mihi verum ſignum, vt ſaluetis patrem meum, & matrem*, &c. Volupe eſt in tropologia tantiſper, dum vtilitas affulſerit, immorari, vt hiſtorico ſenſui, myſticus interdum, quod Patres non rarò faciunt à nobis copuletur. Neſcio enim quo pacto fit, vt ſacra ſcriptura allegoriis, & tropologiis penſiculatè conſideratis, lectori dulceſcat, & cum vtilitate quodammodo adblandiatur.

B

Ioſue ſolicitudo in conſeruanda Rahab.

C

Rahab fides, & promeritum.

Tropologia in ſacris literis interdum vtilis eſt.

D

2. Cogitemus ergo Rahab, animam eſſe fidei myſteriis imbutam, quæ cognitis antè actæ vitæ ſordibus, aures ſacerdotibus, & Dei miniſtris præbet, tædióque ſcelerum ad honeſtas actiones ſuſcipiendas impulſa, ad pietatem, & miſericordiam afficitur. Deiique promiſſionibus, quibus ad ſpem vitæ æternæ erigimur credens iuſtorum cœtui cooptari auidiſſimè deſiderat. Quid Deus per Ioſue ſignificatus? Profectò huic animæ aderit, nec eam in anathemate mundi huius, in Hiericho deſignati perire ſinet. Imò muneribus augebit ampliſſimis, & cœleſtibus gratiis cumulabit. *Quis eſt homo*, inquit Regius vates Pſalm. 33. *qui vult vitam, diligit dies videre bonos.* Dei beneficia ſunt, vita, & dies boni. Hæc vt quis aſſequatur, audiat quæ ſubiunguntur; *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam.* Exiſtimat Auguſtinus in lib. 50. homiliarum, homilia prima, agi in his verſiculis de vita, non temporaria, ſed æterna; nec de diebus huius temporis, quoniam pauci, & mali ſunt, ſed diebus æternitatis, ad quos ſeruatis præceptis quæ ſubiiciuntur, peruenire poſſumus, & eam pacem obtinere, quæ bene operantibus promittitur

Rahab animam ſignificat pœnitentem, & Dei miniſtris obſequentem.

E

Pſal. 33.

Beneficia ſunt Dei, vita, & dies boni.

Auguſtinus.

Deuotio prima virtus Ambr.

Cuiuſmodi, inquit, *fuerit in eo viro deuotio conſideremus. Ea enim virtus ordine prima eſt, quæ eſt fundamentum cæterarum, primámque eam ab eo exigit Deus, dicens. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Satis autem fuerat dixiſſe de terra tua; Sed ideò addidit ſingula, vt eius affectum probaret, ne forte aut imprudenter cœpiſſe videretur, aut fraus aliqua mandatis cœleſtibus pareretur. Tentatur ergò vt fortis: incitatur, vt fidelis, prouocatur vt iuſtus*, &c. Et Diuus Paulus ad Hebr. 11. *Fide*, inquit, *qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem. & exijt neſciens, quò iret*, &c. Eat anima quò Deus vocat.

Abraham tentatur vt fortis.

Hebr. 11.

Ratio. Deus iuſſit Abraham, vt is vita pater eſſet credentium, & poſt mortem ſinum haberet ad quem reciperentur iuſti.

5. Sed, ad quem ſcopum vocat Deus animam, quam de periculis eruit? Abraham quidem exire iuſſit de Vr Chaldæorum, & cognatione ſua, vt pater eſſet credentium, & promiſſionem reciperet de Christo, & ſinum haberet etiam poſt mortem, ad quem colligerentur omnes iuſti, donec cœli ianuæ per Meſſię paſſionem aperirentur. An felicitas homini contingere maior poteſt? Quid animæ ad Deum ex luto ſcelerum conuerſæ dicitur? Cant. 4. ait Deus, *veni coronaberis*, inuitatur ad præmium, verbum námque coronandi, id denotat. Verbum verò Hebr. שור, *Sur*, pro quo Latinus interpres reddidit, *coronaberis*, ſignificat non ſolùm regnare, ſeu coronam regni accipere, ſed etiam munus vel tributum more regum offerre, ſeu accipere. Sed, vnde extrahitur anima, vt Deo iungatur, & præmijs decoretur? Non de Hiericho, quæ ſignificat locum odoramétorum, vnde erepta fuit Rahab meretrix (quamuis ex delitijs, etiam multi, ad meliorem frugem cum Rahab traducantur.) Sed, *de capite* inquit, *Amana, de vertice Sanir, & Hermon. De cubilibus leonum, de montibus pardorum*. Hæc extrema verba per appoſitionem dicta accipe, vt ſit ſenſus literalis: Veni de Libano, qui mons eſt omnium quos Syria habet altiſſimus, adeò (vt authore Cornelio Tacit. Annal. 21.) medijs ſolis ardoribus opacus, & niuibus cauus ſit. Quod nomen לבנ. *Leban*, quo ab Hebræis inſignitur, & *album* ſonat, adſignificat. *Veni de capite Amana*, hoc eſt, de Amano monte qui Ciliciam & Syriam diuidit; de quo Plin. lib. 5. cap. 21. Sanir verò & Hermon vnus idémque mons eſt duobus nominibus appellatus, vt conſtat Deut. 3. & affirmat Diuus Hieronym. in principio cap. 27. Ezechiel, & in lib. aduerſus Heluidium. Vel, vt ait Greg. Nyſſen. hom. 8. in Cant. duo ſunt vertices eiuſdem montis ex quorum radicibus effunduntur duo Iordanis fontes. Veni ergò, inquit, ô ſponſa de montibus, qui magna ex parte cubilia leonum & ferarum ſunt; atque prædonum luſtra. Non carebant prædicti montes, his belluis: ac proindè ad deteſtationem illorum, & odium, ſponſam, quæ ibi nata fuerat & educata concitat commemoratione leonum, & ferarum, vt ſic Hieruſalem & palatium Salomonis; oblita iam prorſus patriam, & mores deteſtandos, prudenter amare incipiat. Quid animæ prædeſtinatæ Deus? *Veni de Libano, de ſcelerum latibulis*, &c. Placet Hebræorum interpretatio quam etiam admittit Paraphraſtes Chaldaic. vt in illis verbis, *De cubilibus leonum, de montibus pardorum*; per leones & pardos intelligamus homines barbaros, impios & violentos, qualis fuiſſe dicitur Nembrod. Gen. 10. & Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum Hierem. 4. *Aſcendit*, inquit, *leo de cubili ſuo egreſſus eſt de loco ſuo. vt ponat terram tuam in ſolitudinem*. Et Nero de quo 2. ad Timot. 4. *liberatus ſum de ore leonis*, & D. Ignatius Epiſt. 12. ad Romanos ſcribens de martyrio ſuo milites, qui eum à Syria Romam vſque ad necem deducebant, leopardos ob crudelitatem vocat. *A Syria*, inquit, *Romam vſque cum beſtijs depugno per terram, per mare, nocte diéque colligatus decem leopardis, hoc eſt, militibus. qui me cuſtodiunt*. Ecce quid in mundo habes, qui illius bona ſitienter appetis. Vocat te Deus ad coronam; deſere crudelem mundum & à barbaris inhabitatum domicilium.

Cant. 4.

שור.

Cornel Tacit.

לבנ.

Plinius. Sanir & Hermon vnus mons eſt. Deut. 3. D Hieronym Greg. Nyſſ.

Duo Iordanis fontes.

Homines improbi leones, pardi dicuntur.

Gen. 10. Hierem. 4.

2. Timot. 4. Ignat. Mar.

Leopardi dicuntur milites crudeles.

6. Mihi videtur Deus dum terroribus propoſitis, & triplici inuitatione adhibita tantoperè curat, vt ſponſa veniat de Libano & de ferarum ſpelæis, & prædonum latibulis; nobis ſignificare; ſi ſalutem volumus, vt à praua impiorum conſuetudine nos abſtrahamus, & ab ipſis animæ affectibus; qui ſi vitioſi ſunt, inſtar habent leonum, & monſtrorum. A quibus niſi ſeparemur quemadmodum Rahab de Hiericho per exploratores, Ioſue iuſſu, ſeparata fuit, & extra caſtra poſita, noſtram agnoſcere non poterimus infelicitatem. De hac materia agit D. Hiero. ſuper cap. 13. Hierem. vbi propheta reprehendens conſuetudinem peccandi inueteratam; *Si mutare poteſt*, inquit, *Æthiops pellem ſuam, ſic & vos poteritis benefacere cùm ſitis mali*, &c. Vbi adnotauit Theodor. conſuetudinem eſſe alteram naturam: Vide & D. Ambroſ. in Pſalm. 1. ſuper illud, *& in cathedra peſtilentiæ non ſedit*. D. Chryſoſt. hom. 3. ad Popul. Antioch. de pœnitentia tom. 5. & hom. 5. de laudibus Pauli tom. 3. Sanè D. Auguſt. lib. 8. confeſs. cap. 5. dolenter queritur, retardatum ſe fuiſſe diu à praua conſuetudine, ne ſe ad iuſtorum cœtum aggregaret. *Suſpirabam*, inquit, *ad vacandum tibi ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui. tenebat me obſtrictum dura ſeruitus*, &c. Hinc illud ſupplicium, quod (vt autor eſt Valer. Max. lib. 7. cap. 2.) Cretenſes ijs imprecabantur, quos oderant. Optabant enim vt mala conſuetudine delectarentur. *Modeſto*, inquit, *voti genere, efficaciſſimum vltionis euentum reperierunt. Inutiliter enim aliquid, concupiſcere & in eo perſeueranter morari, exitio vicina dulcedo eſt*. Hæc ille. Quis ergò non videt, multa in vna Rahab collata fuiſſe beneficia? Erepta eſt de ciuitate anathemate alligata: fecit eam viuere Ioſue, eandem matrimonio Salmoni coniunxit, vt mater eſſet Iſraelitarum, ac tandem Meſſiæ. Peritura erat, niſi credidiſſet, niſi miſericordia vſa fuiſſet, niſi exploratores, qui eam liberaturi erant, ſecuta ad iuſtorũ caſtra tranſiſſet. Nihil illi nocuit vita præterita, & praua conſuetudo, poſtquàm vitæ ſuæ rationes, ad ſaniora conſilia conuertens, Dei ſe obſequio mancipauit. Exeamus igitur de latibulis montium; de ferarum ſpelæis, ablegemus omnem prauam conſuetudinem, quę inſtar eſt ferreæ catenæ, quæ nos, ne pedem ad cœlum moueamus, alligat, nec pericula, in quibus degimus ſinit videre. Sic enim prouidentiæ, in noſtra ſalute procuranda, diuini Ioſue, quotidie habebimus documenta: coronas inſuper ſi dixero, nihil noui dixero. Tanta eſt numinis, in ſuos benignitas. Hanc experti ſunt, tres illi adoleſcentes in fornacem Babylonicam miſſi,

Praua conſuetudo

Hieronym. Hierem. 13.

Theodoret.

Ambroſ.

D. Chryſoſt.

Auguſtinus queritur de praua conſuetudine.

Valer. Max.

Dei prouidentia in noſtra ſalute procuranda.

A Nam tyrannus ipſe admiratus ait optimatibus ſuis, Daniel 3. *Nonne tres viros miſimus in medio ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, &c. Vides, vt faſtu ſedato perculſus miraculo ad pietatem tyrannus perducatur? *Et ait* (inquit Daniel) *Sidrach, Miſach, & Abdenago ſerui Dei excelſi, Egredimini, & venite; ſtatimq; egreſſi ſunt de medio ignis.* Vbi Theodoretus: *Didicit miſer, qui dixerat, quis eſt Deus, qui eruet vos de manibus meis, eſſe Deum ineffabilis poteſtatis, igni imperantem, vt contrariam ſanctis oſtenderet qualitatem, quem Deum ille appellabat Deum eſſe cognouit, & celſiſſimum Deum. Egreſſis* B *autem ſanctis admirantur omnes ſatrapæ, & toparchæ, & præfecti ſanctorum corpora, incorrupta, & illæſa, contemplantes, ipſóſque capillos, qui nihil ex illa flamma ſenſiſſent, neque capillos tantùm, ſed ipſam etiam veſtem & calceamenta, quæ permanſerant inuiolata, atque adeò, vt ipſius quoque ignis carerent odore.* Hæc Theodoretus. Idem Nabuchodonoſor, vt Danielis cap. 4. ſcriptum eſt; poſtquàm 7. annis in pœnam ſuperbiæ, qua in ipſum Deum blaſphemias euomuit, belluarum more in agro vixit, ab vxore & liberis & ab omni cultu diuina prouidentia deſtitutus, à clementiſſimo Domino, in ſanam C mentem & regnum eſt reſtitutus. Tantùm autem vtilitatis ex calamitatibus, cœleſti prouidentia immiſſis percepit, vt prophetæ inſtar de Deo & ſentiat & loquatur. Quin etiam damna, quæ illi animi inſana elatio attulerat; humilitas & pœnitentia reparauit.

Dan. 3.

Theod.

Nabuchodonoſor à ſuis omnino deſtitutus, Dei miſericordia reſipuit.

7. Quæres, cur Deus, Balthazarem Nabuchodonoſoris filium non priùs peccantem afflixerit aliqua pœna ob peccatū, quo vaſa ſacra polluit, & alia flagitia patrauit, quàm extremo mulctauerit ſupplicio? Fortè pœna leuiori admonitus, ſicut Nabuchodonoſor ad pœnitentiam, quod accidit patri eius, conuerteretur, Theodoretus in D commentarijs ſuper illa verba Danielis cap. 5. *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens: Inquirendum eſt*, inquit, *curnam autor omnium rerum Deus, eruditum Nabuchodonoſor, rurſus in regnum reduxerit; iſtum verò ſtatim & regno priuarit, & vita? Conſiderantes comperimus, primum, quia Nabuchodonoſor alterum impietatis pœnas luiſſe non conſpexerat, idcirco dignum venia iuſto Dei iudicio exiſtimatum; Sed iſte ſummum patris ſupplicium conſpicatus, nihil inde percepit vtilitatis. Iure itaque iuſtus iudex illi definito tempore ſupplicium præſcripſit, iſtum autem nulla venia dignum cenſuit. Alioquin & omnia* E *futura prouidens Deus, & proinde apertè ea cognoſcens, atque iam præterita, præcognita illius pœnitentia, ea quæ ad eum pertinebant, moderatus eſt. Iſtius autem præcognoſcens perpetuam impietatem, morte ſedat impietatis incrementum.* Hæc Theodoret. Arripiamus ergò exemplo Rahab, Nabuchodonoſoris, & ferè omnium, qui Deo placuerunt, omnem opportunitatem pœnitendi de peccatis; idque ſine dilatione, ne fortè, cùm velimus reſipiſcere, inſtantis mortis periculo turbati, quod accidit Balthazari, ſalutem animæ noſtræ procurare non poſſimus. Eſt enim quorundam deteſtandum ingenium, quos non ſolùm peccati pœnitentia non pungit, ſed nouæ culpæ acceſſione deteriores fiunt. Vnde Chryſ. aduerſus gentiles. *Anima*, inquit, *quæ ſemel peccatum guſtauit, & neque dolore, neque pœnitentia eius tangitur: negligentia ſua facit, vt ſemper morbi creſcat acceſſio. Et quemadmodum in materiam aridam cadens ſcintilla ſtatim accenditur, neque ſubſiſtit donec quod reliquū eſt, paſcatur, ſemper fortius ſe armante incendio: ſic & natura peccati procedens, vlterius pergit ſemper fit, magiſque indomita. Et ideò poſteriora peccata, ferme prioribus ſunt grauiora.* Hæc Chryſoſt. Furor igitur eſt, peccati admiſſi differre pœnitentiam, cùm in compertum ſit, eam procraſtinatione fieri difficiliorem. Quæ cùm ita ſint, aſſociemus ergò fidei, bona opera, neque vllum momentum ſine diuinarum rerum meditatione abire permittamus; Sic enim Deus, qui Rahab protexit, quod nuntios populi ſui abſconderit, & ſaluos demiſerit, nobis etiam propitius, & fauens aderit operibus bonis incumbentibus.

Dan. 5.

Cur Deus locum dederit pœnitentiæ Nabuchodonoſor, non verò Balthaſari eius filio.

In Balthazare morte ſedat Deus impietatis incrementa.

Verſ. 25.] Rahab verò meretricem fecit Ioſue viuere, &c.

An licuerit Salmoni principi tribus Iudæ, ducere vxorem Rahab Chananæam.

ANNOTATIO IIII.

1. CONSTAT ex Matth. cap. 1. à Salmone, qui princeps fuit tribus Iudæ imperante Ioſue, Rahab pro beneficio, quo ſibi Hebræos ſeruatis exploratoribus aſtrinxit, ſtabili cōnubio & honorifico fuiſſe coniunctam; infamia, ſi quam ex meretricio quæſtu aliquādo contraxit, penitus ſublata. Id autem coniugium tanta felicitate initum fuit, vt ex illius fœcunditate progenita fuerit Virgo Maria, de qua, vt Matt. ait, *natus eſt* IESVS, *qui vocatur Chriſtus.* Quæri tamen ſolet, fasne fuerit Salmoni viro Iudæo, Rahab Chananæam vxorem ducere? Quam quæſtionem quia eruditionem aliquam lectori afferet, breui expediam. Illicitas fuiſſe eas nuptias, primum confirmo, quia Num. 36. dicitur. *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ maritos de eadem tribu accipient.* Secundò, Exodi 34. peculiariter cautum eſt, ne accipiatur vxor Chananæa. *Nec vxorem* (inquit Deus) *de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne poſtquam fuerint fornicatæ faciant fornicari filios tuos.* Idem præcipitur Deut. 7.

Matt. 1.

Rahab nupſit Salmoni viro nobili ex tribu Iuda.

Num. 36.

Exod. 34.

Deut. 7.

2. Tertiò, quia Salomon Rex reprehenditur 3. Reg. 11. quod contra ritum Iudaicum & legem Exod. 47. & Deut. 17. Vxores duxerit alienigenas, ſic enim ait ſacra hiſtoria. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſraël; Non ingrediemini ad eas neque de illis ingredientur ad veſtras; certiſſime enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum*, &c.

1 Reg. 11.

Exod. 47.

Deut. 17.

3. Nemini tamen dubium eſſe debet licuiſſe Salmoni inire nuptias cum Rahab. Quomodo ais? Dicam. Certè (quod omnes ſciunt) ſi ſecundum legem agendum eſſet, interdictæ erant huiuſmodi nuptiæ; nec ſolùm interdictæ, ſed occidenda fuit Rahab, ſicut & cæteræ fœminæ Chananeæ, vt patet Deut. 20. Diſpenſatum tamen fuit cum fœmina, de populo Iudaico benemerita, & digna, non ſolùm quæ viueret, ſed

Deut. 20.

Lex vniuerſalis excipit caſum, quem legiſlator exciperet, ſi occurreret.

etiam, quæ ad familiam, & religionem Hebræorum nobili marito copulata, aggregaretur. Lex namque vniuerſalis ſemper caſum excipit, quem mens legiſlatoris, ſi adeſſet, exciperet.

4. Hinc iam ad argumenta, quibus contraria ſententia aſſerebatur reſpondere, non eſt difficile. Ad primum dicimus legem illam, Num. 36. (Num 36.) *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua.* Induxiſſe tantùm obligationem Hebræis vnius tribus, vt non acciperent vxores, de alia tribu Iſraelitica (ſi cum Iſraelitica fœmina contrahendum erat matrimonium) quàm de ſua. Lex quippe, proptereà fuit ſcripta, ne ſi quis cum Iſraelitide alienæ tribus connubio iungeretur, turbarentur in filiis, ob ius adeundi hæreditatem, poſſeſſiones ſingulis tribubus à Ioſue aſſignatæ. Nam ſi vxor quærebatur ex eadem tribu, hæreditariæ portiones, in eadem tribu remanebant. Quod hæc fuerit mens legiſlatoris verba ipſa, quæ ſequuntur, indicant. Poſtquàm enim dictum eſt; *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſua, & omnes fœminæ maritos de eadem tribu accipiēt:* ſubditur; *Vt hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus; ſed ita maneant, vt à Domino ſeparatæ ſunt?* Quid ſi nuptiæ fierent cum alienigena muliere? Non illis obſiſtit lex. Ex iis námque nulla ſequitur in tribu viri Iudæi, hæreditatum turbatiò. Quidquid enim dotis fœmina adducit, id tribui accedit mariti ſui, ſi ſobolem habeat: ſi non habeat, nulla fit permiſtio. Quare Salmon ducens vxorem alienigenam nihil contra legem molitus eſt. Duntaxat, quia Chananæa erat (nuptiæ nàmque cum Chananæis fœminis, peculiariter à lege erant interdictæ) diſpenſatione indiguit, qua ob inſigne prometitum digna fuit.

Lex connubiorū apud Iſraelitas, ne miſcerentur tribus.

5. Ad ſecundum dicendum eſt vetari, Exod. 34. (Exod. 34.) ne aſſumerentur in coniugium fœminæ Chananæorum; non ſimpliciter, ſed cum hac additione nimirum, ſi in gentilica ſuperſtitione perſeuerarent. Sic enim periculum erat pertrahendi maritos, aut filios ad idololatriam, vt patet Deut. 7. (Deut. 7.) *Filiam tuam non dabis filio eius, & filiam illius non accipies filio tuo; quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me; ſed magis ſeruiat Dijs alienis,* &c. Quare, ſi fœminæ alienigenæ ad ritus Iudaicos conuerti vellent, quemadmodum voluit Rahab, ad Hebræorum matrimonia, quin accederent, nulla lex obſtabat. Nec tamen fas erat (vt aduertit Abulenſ. qu. 58.) (Deut. 20. Abulenſ. q. 58.) eo quod conuerti ad Iudaiſmum vellet, admittere ad coniugium fœminam Chananæam; ob peculiarem prohibitionem, qua nec vita quidem donari à Iudæis poterat, niſi in euentu, quo digna vita, ob inſigne aliquod promeritum, vt Rahab, exiſtimaretur. Tunc enim, vt diximus, locus relinquebatur iuſtæ diſpenſationi, cui legiſlatoris mens non obſiſtebat.

6. Ad tertium concedendum eſt, 3. Reg. 11. (3. Reg. 11.) reprehendi Salomonem, non tam quod alienigenas duxerit (id enim poterat, vt diximus, niſi periculum eſſet idololatriæ) quàm quod eas neque ritè duxerit, neque caſtè, ſed potiùs intemperanter adamauerit. Et quidem non eſſe Salomonem reprehendendum, quod filiā Pharaonis ſibi matrimonio copulauerit, nec peccarū in eo aliquod admiſiſſe affirmat Bellarm. in diſput. de Matrimonio cap. 23. (Bellarminus.) & alij; ob eam rationem puto, quod Deus in lege diſpenſari non vetuerit propter grauem cauſam, qualis erat potentia Salomonis, eo connubio firmanda, & conuerſio fœminæ nobiliſſimæ, ad ritus Iudaicos. Nàmque teſte Paulo, 1. Corinth. 7. (1. Cor. 7.) *Sanctificatus vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificatur mulier infidelis per virum fidelem.* Et hoc quidem frequentiùs vſu venit, vt mulier infidelis per virum fidelem ſanctificetur, & religionem viri ſui amplectatur. Sanè Ludouicus de Soto maior, in præludiis canticorum; Filiam Pharaonis Ægyptiaca ſuperſtitione abiurata, ad mariti ſui religionem acceſſiſſe credibile putat. (Ludouic. Sot. Filia Pharaonis ad Iudaiſmum conuerſa eſt.) Hanc autem, eò videtur, inter cæteras vxores Salomoni vitio copulatas, connumeraſſe ſacer hiſtoricus, quia ipſa quoque alienigena erat, & è barbaro Ægyptiorum populo oriunda, eamque plus nimio amās in aliqua fortè ſcelera, quæ alienigenarum mulierum magis propria erant, quàm Iſraeliticarum, turpiter prolapſus ſit. Indulgens namque Rex, in ea ætate, quam non longe à ſepulchro, & mortis recordatione negant eſſe oportere vxoribus alienigenis; ea patrauit flagitia ſenex, quæ iuuenis fuerat deteſtatus.

7. Quod autem ſine legis præuaricatione ſæpe licuerit, non ſolum Salomoni & aliis magni nominis principibus vxores ducere alienigenas cauſa aliqua honeſta, & laudabili interueniente, conſtat ex nuptiis Boos filij Salmonis, de quo agimus, cum Ruth Moabitide. (Ruth. 4.) Cui tantum abeſt, vt tribules indignarentur, vt potius in vrbe ſua Bethlem, omnes ei bene precarentur. Idem patet in duobus filiis Noemi, Maalon, & Chelcon; qui alienigenas vxores acceperunt, Orphan, & Ruth, (Ruth. 1.) & tamen nihil in eo facto, vitij illis attribuitur. Quin & Sanſon Dalida mulierem Philiſtæam vxorem duxit, Iudith 14. (Iudith 14.) nec illum ob eas nuptias legimus à Deo vituperari: imò numinis præterni deinceps fauore adiutus, multis reportatis de hoſte victoriis, apud omnes gentes, clarus fuit.

8. Non eſt igitur cur aliquis dubitet licuiſſe Salmoni clariſſimo & nobiliſſimo principi tribus Iudæ Rahab de ſuo populo bene meritam matrimonio copulare. Habe igitur vir magne, in tuo coniugio fœminam ad veri Dei, quem tu colis, religionem toto pectore conuerſam. Non te pœniteat quod alienigena, imò quod Chananæa ſit. Cui enim merita præclara vitam, cùm morti lege eſſet obnoxia, tribuunt; huic beneficia, diuina cumulatiora accedent. Eam tibi Deus connubio iungit ſtabili, & propriam dicat.

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Gignet tibi Boos, ex quo nobiliſſimi naſcentur nepotes: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius, aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.*

Verſ. 26.] In tempore illo imprecatus eſt Ioſue dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaceat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.

Quàm varij fuerint olim ritus, in imprecationibus adhiberi ſoliti?

A

ANNOTATIO V.

1. ANtiquiſſimus mos eſt ille,quo rebus aut perſonis ſolent homines malum precari. Extant huius antiquitatis plurima exempla iam apud prophanos, quàm apud ſacros ſcriptores. Atque vt à prophanis tractationem auſpicemur, vrbes ſolenni carmine deuouebantur, vt author eſt Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 4. in hunc modum.

Macrobius.

Formula imprecandi malũ vrbibus.

Diſpater Veiouis, Manes, ſiue vos, quo alio nomine fas eſt nominare, vt omnes illam vrbem Carthaginem exercitúmque, quem ego me ſentio dicere fuga, formidine terrore compleatis; quiq; aduerſum legiones, exercitúmque noſtrum arma, teláque ferent, vti vos eum exercitum, eos hoſtes, eóſque homines, vrbes, agróſque eorum, & qui in his locis, regionibúſque, agris, vrbibúſve habitant abducatis, lumine ſupero priuetis.

B

2. Vſurpabant Romani, quaſdam execrationes, quas certa conceptione Diis referebant acceptas, in alicuius hominis aut populi perniciem; ſic Craſſo expeditionem Parthicam paráti Atteium Tribunumpleb. Dirarum adhibuiſſe imprecationem, author eſt præter Plutar. in Craſſo lib. 1. de diuinat. Tullius, & Velleius Patercul. lib. 2. cecinitque Lucanus lib. 4. dicens,

Execrationes in perſonam concepta.

Tullius. Plutarchus. Velleius. Lucanus.

——*Craſſumq; in bella ſecuta*

Sæua Tribunorum vouerunt prælia Diræ.

C

Vtebantur autem Romani promiſcuè execrandi, & deuouendi verbo; in imprecationibus. Ouid. in Ibin.

Ouidius.

Illum ego deuoueo, quem mens intelligit, Ibin.

3. Fuiſſe ſolennes quaſdam execrationes, indicat Liu. lib. 31. cum ait præeuntibus execrabile carmen ſacerdotibus. Author lib. de viris Illuſtr. qui falsò Plinio aſcribitur, cap. 27. de P. Decio filio agens: *Exemplum*, inquit, *patris imitatus aduocato M. Liuio Pontifice haſtæ inſiſtens. & ſolennia, verba reſpondens ſe & hoſtes Dijs manibus deuouit.* Quale verò id carmen eſſet, aperit Liuius libro octauo, qui Decium in prælio contra Latinos, his verbis, præeunte Pontifice Maximo, ſe deuouiſſe narrat.

Liuius. Solennes execrationes apud Romanos.

Author. li. vir. Illuſtr.

Decij ſe deuouerunt Dijs manibus.

D

Iane, Iupiter, Marſpiter, Quirine, Bellona, Lares, vos precor vti populo Romano, vim, victoriámque proſperetis. Hoſtéſque populi Romani terrore morteque afficiatis: ſicut verbis nuncupaui, ita pro Republica popu. Rom. legione:, auxiliáque hoſtium mecum Dijs manibus, tellurią; deuoueo.

Formula deuouendi ſe pro Repub.

Prætermiſi, ne longum facerem, conſultò aliqua verba. Adiicit Liuius, licuiſſe conſulibus, & dictatoribus cum legiones hoſtium deuouerent, non vtique ſe, ſed quem vellent ex legione Romana ſcripta, ciuem deuouere. Vide eundem Liuium lib. 10.

Liuius.

E

4. Imprecandi perſonis malum, variæ extant formulæ equidem iis, quibus imprecabãtur malum Romani, Deos iratos exoptabant. Plaut. in Amphitruo, Act. 2. ſce. 2.

Variæ imprecationes.

Plautus.

Te ſummæ Iuppiter,

Quæſo Amphitruom, vt ſemper iratus ſies.

Eſt & illa imprecationis ſpecies crebris comicorum vſurpata ſermonibus, *Dij te perdant. Dij te eradicent.* In vſu etiam erat hic imprecandi modus. Virg.

Virg. Eclo. vlt.

Quæ res tibi vertat malè,

Hos illi quod nec bene vertat, mittimus agnos.

5. Sunt & aliæ imprecationes apud Claſſicos authores: *Malè vale. Malè ſit tibi: Abi in malam crucem; Abi in malam rem; Væ capiti tuo, atque ætati tuæ.* Iam peregrè proficiſcentibus, viam illam, ſine reditione imprecabantur.

Rurſum imprecationes in ſe, vel in alios, de quorum ſalute erant ſolliciti factas, ita auertere ſolebant, vt in eorum qui malè precati erant capita recciderent.

Sibi malè precari.

6. Quid, quod cum maledictis Ocymum ſeri conſueuit? Plin. 19. cap. 7. *Nil ocymo fœcundius. Cum maledictis ac probris ſerendum præcipiunt: lætius proueniet. Satum etiam pauitur terra cuminum, & qui ſerunt, precantur ne exeat.* Hæc Plin. Hæc ex prophanis carpſimus.

Quædam herbæ cum probris ſeta, lætius eduntur proueniunt.

Quinto, in hiſtoria ſacra exempla quoque ſunt imprecationum, quæ in res & perſonas fieri ſolebant. Et quidem anathema, quo damnabantur vrbes, modum quendam præferebat excommunicationis, vt annotauimus ſuprà ſect. 2. huius capit. annot. 2. Nec verò ſemper Dei iuſſu ponebatur anathema; ſed interdum voto ducis, aut populi. Conſtat quippe ab Hebræis poſitum eſſe ſuper aliquas ciuitates: Num. 21. *At Iſrael,* inquit, *voto ſe obligans ait: ſi tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius.* Hoc votum fuit, de anathemate. Deinde additur. *Exaudiuitq; Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille occidit, ſubuerſis vrbibus eius, & vocauit nomen loci illius Horma, id eſt, anathema.* A duce exercitus denuntiabatur interdum anathema, vt à Ioſue hîc factum eſt. *Sit,* inquit, *ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt* &c. Solam excipit Rahab cum ſuis & metalla. Illud ſeueriſſimum fuit, & valdè formidabile anathema, quo Deus decreuit, Deut. 13. fieri ad vrbium Iſraelitarum, quæ idola colerent expiationem: muris námque complanatis, ferro & igni omnia trádi iubet. Vide Abulenſ. ſuper hoc cap. quæſt. 14. ad finem, & ſuper cap. 21. Numerorum, & quæ diximus ſuprà, ſect. 2. Annot. 3.

Anathema in ciuitates indictum.

Num. 21.

Horma, id eſt, anathema.

Deut. 13.

Expiatio vrbium Iſraeliticarum idolatria notar. quæ quo...

Abulenſis.

7. Grauiſſimæ tamen imprecationis exemplum hîc proponitur contra Hiericho. Enimuerò poſt anathema, incendiúmq; illius Ioſue ſpiritu prophetico afflatus malè precatur ei, qui reædificare illam volet, dicens, *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho.* Vbi vides non ſpectare hanc maledictionem, ad eos, qui domos, in eodem ſitu ædificare vellent, vt annotauit Abulenſ. quæſt. 60. ſed iis, qui muros à fundamentis excitarent, & ambiendo conditoris nomen; portas, muro circundatæ ciuitati adhiberent. Contra huiuſmodi temerarium, & proteruum hominem dicitur: *In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.* Nec vana fuit maledictio hæc: ſic enim ſcriptum eſt 3. Reg. 16. *In diebus Achab ædificauit Ahiel de Bethel Hiericho: in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius.* Quæ verba Rupert. cap. 21. in Ioſue ſic enarrat. *Idem eſt,* inquit, *ac ſi diceret. Quã do fundamenta eius iecit, ſtatim mortuus eſt filius eius primogenitus, & deinceps inter ædificandum paulatim ſecundum ordinem natiuitatis, decedentibus filiis omnibus (quod nouiſſimum erat operis) poſuit portas eius, mortuus eſt filius eius nouiſſimus mira ambitione pertinaciam fulciente: vt ambiendo conditoris nomen totum cum effectu perderet genitoris honorem.* Hæc ille. Cernis, vt ambitio magni nominis, ædificationem vrbis maledictæ, filiorum charitati, quæ magna eſt, anteponat.

Imprecatio, poſt indictum anathema.

Abulenſis.

3. Reg. 16.

Rupertus.

Ambitio ſiliorum vita maiorem æſtimauit.

8. Septimò, imprecatio in perſonas facta, ſiue maledictum Hebraicè dicitur, אלה. quæ vox

אלה.

etiam *detractionem*, *conuitia*, *& maledicentiam*, ſonat. Atque vt miſſam faciamus maledictionem, qua Deus primos parentes poſt peccatum percu-

Gen. 3.

lit, Gen. 3. Illa grauis fuit, qua Noë vſus eſt in fi-

Gen. 9.

lium irriſorem, Gen. 9. *Maledictus*, inquit, *Chanaan*, *ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Cæterùm

Theodoretus.

Maledictio Hi-nubo continet propheticã prædictionem.

Maledictio Noë in filium.

vox illa, *maledictus*, vt Theodoretus exponit, non continet optationem, & imprecationem mali, ſed eorum, quæ poſteritati illius euentura erant propheticam prædictionem. Mihi non videtur abſurdum, ſi quis dicat imprecationem inuoluere. An non potuit pater precari malum filio ſuo, abſque impatientia acceptæ ab eo iniuriæ, & ſine cupiditate vindictæ; ſed ſanctiſſimo zelo iuſtitiæ? Potuit ſanè. Imprecatur malum ſceleribus illius debitum; ídque afflatu Dei,

Eccl. 3.

Optanda eſt parentum benedictio.

cuius hoc eſſe decretum reſciuerat. Quare optandam eſſe paternam benedictionem, hoc exemplo diſcimus; maledictionem verò timendam. Iuxta illud. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem eradicat fundamenta.* Obiter aduerte

Theod.

Caietan.

Chanaan puer nuditatem Noë vidit & cum patri irriſit.

cum Hebræis, quos ſequuntur Theodor. & Caiet. non maledici Cham, qui peccauit, ſed Chanaan filium eius. Nempe, quia Chanaan nuditatem, & turpitudinem Noë vidit & irriſit, & patri ſuo nuntiauit. Item, vt euidentiùs magnitudo ſceleris Cham oſtenderetur; Eiuſmodi enim fuerat, vt non ſolùm in ipſo, ſed in prole, & poſteritate puniri dignũ fuerit. Rurſus, ne, ſi Cham malediceretur ad totam poſteritatem, illius imprecatio funderetur. Maledictio autem ſolùm includit poſteritatem Cham, per filium Chanaan propagandam, non autem per alios tres filios,

Chryſoſt.

Theodor.

Chus, Meſrain, & Phur. Tandem Diuus Chryſ. & Theodor. affirmant non auſum fuiſſe Noë

Cham filio ſuo non maledixit Noë, quia acceperat à Deo benedictionem cum fratribus.

Cham maledicere in perſona, cui cum cæteris fratribus, quando egreſſus eſt de arca Deus benedixit. Vide D. Ambroſ. de Noë & arca cap. 32.

Ambroſ.

Seruus ſeruorum quis dicatur.

Chryſoſt.

Auguſt.

Maledictiones Moſis, Iacob, & aliorum.

Illud. *Seruus ſeruorum*, quod non habet, 70. interpretum translatio, in Hebræo eſt; Significátque abiectiſſimum ſeruitutis genus. Quod inſinuat D. Chryſoſt. hom. 19. in Gen. *Ecce*, inquit, *fratrem, eodem natum patre, eodémque egreſſum vtero peccatum fecit ſeruum; Et ablata libertate, iugum illi viliſſimæ ſeruitutis impoſuit, vnde poſteà ſeruitus ſumpſit originem. Neque enim anteà ſolebant, ita molliter viuere, & delitiari, vt aliorum miniſterijs, & ſeruitijs vterentur. Erátque par omnium honos ſublata è medio honorum diuerſitate. Peccatum autem vbi intrauit, libertatem perdidit, & corrupit dignitatem naturæ datam, ſeruitutémque introduxit.* Hæc Chryſoſt. Vide Auguſt. lib. 19. de Ciuit. cap. 15.

Deut. 32.

9. Octauò, habes propoſitas Deut. 32. graues imprecationes à Moſe ſpiritu prophetico iactatas in Iſraelitas, ad idola prolabentes. Et à Iacobo

Gen. 49.

Patriarcha in Ruben primogenitum ſuum, Gen. 49. Grauis etiam fuit maledictio, quam intorſit

2. Reg. 16.

Semei in Dauid Regem, 2. Reg. 16. dicens, *egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul*, &c.

3. Reg. 2.

De quo dixit poſteà Dauid, 3. Reg. 2. *Qui maledixit mihi maledictione peſſima*, &c. Quando res aliqua maledicitur propter perſonam ferè per eam imprecationem, Hebræorum more, intelligitur

Per maledictionem ſterilitas intelligitur: per benedictionem fœcunditas.

ſterilitas, ſicut per benedictionem, fœcunditas, vt Gen. 3. cùm dicitur: *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ*, &c. Vt rectè annotauit Vatablus; Diuus Paulus

Hebr. 6.

Vatabl.

ad Hebr. 6. declarat hanc maledictionem.

Pſalm. 108.

10. Nonò, inuenies quoque in Pſalm. 108. 24. (vt Valença. & alij obſeruant) triginta maledictiones in Iudam proditorem, qui 30. argenteis Chriſtum vendidit, cæteróique Chriſti Domini perſecutores iactatas iuxta D. Auguſtini interpretationem; qui enarrans illum verſiculum, *conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius. Quemadmodum*, inquit, *in Iuda ſic in Iudaico populo intelligendum eſt: qui repulſo à ſe Chriſto factus eſt ſubditus diabolo; cuius perſuaſiones in omnibus prauis & terrenis cupiditatibus præpoſuit æternæ ſaluti, cùm iudicatur exeat condemnatus. Quia in nequitia, & in infelicitate perſiſtens, theſaurizat ſibi iram in die iræ, & reuelationis, iuſti iudicij Dei, qui reddet, vnicuique, ſecundùm opera ſua. Et oratio eius fiat in peccatum; quia non fiat per mediatorem Dei, & hominum, hominem* IESVM CHRISTVM *& ſacerdotem magnum, in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Fiant dies eius pauci. Secundum regnum accipiendum eſt Iudæorum quia non diu poſtea perſeuerauit regnum Iudæorum. Et Epiſcopatum eius accipiat alter. Ipſum Dominum Chriſtum, non incongruenter intelligi exiſtimo Epiſcopatum populi Iudæorum, quia de tribu Iuda factus eſt ſecundùm carnem. Et Apoſtolus ait Rom. 15. dico enim Chriſtum miniſtrum fuiſſe circuncifionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum, & ipſe ait*, Matt. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël, quia illis exhibuit in carne præſentiam.* Et Magi Matt. 2. *qui ab Oriente venerunt, hoc dixerunt, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Et hoc in titulo ſcriptum erat ſuper crucifixum. Vnde illud mutare volentibus non fruſtrà reſpondit Pilatus*, Ioan. 19. *Quod ſcripſi, ſcripſi; Hunc ergò Epiſcopatum populi Iudæorum, accepit alter; id eſt, populus gentium.* Hæc Auguſt. qui ingenioſè reliquas imprecationes Iudaico populo, Chriſto, interitum acerbo odio molienti, accommmodat. Genebrard. Et alij Iudæ proditori maledici volunt, dum dicitur, *Epiſcopatum eius accipiet alter*: quia nimirum illius præfecturam & Apoſtolatum adeptus eſt alter, nempe Matthias Act. 1. Illa verba. *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua*; ſi Iudæ conueniant, coniugatum dices; ſi populo Hebræo (vt malunt Theodor. Euthym. & Chryſoſt.) non eſt, difficultas. Adde, accumulari maledictiones, non vt omnes ad amuſſim accidant, ſed quæcunque poterunt, donec pereat, vt poetæ faciunt Callimachus & Ouid. in Ibin. Illud, *ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam illius, & diripiant alieni labores eius*, hunc ſenſum habet, iuxta Genebr. Subtiliter & ſtudioſè capiat creditor omnes eius facultates, quas auxit ex ſacrilegio. Extranei, qui non ſunt veri hæredes, diripiant bona illius, vt ad extremam redigatur egeſtatem. Chaldæus, hîc vaticinatus eſt, de Iudæ ſectatoribus. Colligat fiſcus omnia, quæ ipſius ſunt, cum quo Bernardus concinit dicens. Quæ non capit Chriſtus, rapit fiſcus. Eſt & in pſalmis, & locis alijs paſſim imprecatio.

11. Decimò, ex nouo teſtamento, ſolùm afferam illam Pauli imprecationem, qua vtitur, 2. ad Timoth. 4. aduerſus Alexandrum quendam, ſic enim ait. *Alexander ærarius multa mihi mala oſtendit reddet illi Dominus ſecundùm opera eius; quem & tu deuita valde enim reſtitit verbis noſtris.* Aliqui legunt, *Reddat illi*, &c. mirantúrque quonam pacto Apoſtolus malum imprecetur huic hæretico cùm ad Rom. 12. iubeat nos, qui in lege gratiæ degimus abſtinere à maledicto. *Benedicite*, inquit, *& nolite maledicere.* Cui admirationi ſatisfacit D.

Margin notes, right column: *Maledictiones 30 in Iudam.* — Auguſt. — *Nota Chriſtum vocari iuxta Auguſt. Epiſcopatum.* — Rom. 15. — Matth. 15. — Matt. 2. — Ioan. 19. — Auguſt. — Genebrad. — Act. 1. — Theodor. Euthym. Chryſoſt. — Callimachus. — Ouidius. — Chaldæus. — *Quæ non capit Chriſtus, rapit fiſcus.* — 2. Timot. 4. — Rom. 12. — D. Thom.

Thom. 2. 2. quæſt. 25. art. 6. dicens, licere homini precari malum, non ſub ratione mali, ſed ſub ratione iuſtitiæ, & diuinæ gloriæ. Quadrat ſolutio ſpectata lectione Græca, quæ habet ἀποδῴη hoc eſt, *reddat*: confirmarique poteſt ex Act. 23. Vbi idem Paulus alapa percuſſus, ita alloquitur Pontificem: Percutiat te Deus, paries dealbate. D. Chryſ. nullum eo loco mouet ſcrupulum etiamſi legat ἀποδῴη hoc eſt, reddat. Noſtra vulgata, editio, & emendata habet, *reddet*, fortè interpretes legit ἀποδώσει. Vnde plerique annotant illa verba Pauli contra Alexandrum ærarium, quem D. Chryſ. in cap. 12. Epiſt. ſecundæ ad Corinth. putat vocari Angelum Satanæ, qui ſe colaphizet, non tam continere imprecationem quàm prædictionem, ſicut & illa Act. 23. *Percutiat te Deus*. Vide Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 21. tom. 4. Vide etiam commentarios noſtros ſuper 2. ad Timot. cap. 4.

Licet precari malum ſub ratione iuſtitiæ, & diuinæ gloriæ.
Act. 23.
D. Chryſ.
2. Corinth. 12.
Act. 23.
Auguſt.
2. ad Tim. cap. 4.

12. De ficulnea maledicta à Chriſto his verbis. *Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet, quæ ſtatim aruit*; Vide cap. 11. Marci & Matt. cap. 21. De alijs maledictionibus, vide Matth. cap. 5. 11. 15. 4. 25. 41. Marc. cap. 7. 10. 9. 19. Luc. 6. 28. Ioannis 7. 49. quæſt. 18. Act. 19. quæſt. 23. 5. Rom. 12. 14. 1. Cor. 4. 12. Galat. 3. 10. & 13. 1. Timot. 4. 10. Iacob 3. quæſt. 1. Petr. 2. 13. Vbi nos hortatur, ad patientiam, cùm quis nobis malum imprecatur, exemplo Chriſti, qui cùm malediceretur, non maledicebat. Næ, maledicendi conſuetudo, & imprecandi malum alijs, propria eſt hominis imbecillæ mentis, & in deſperatione ob aliquam infelicitatem poſiti; præſertímque fœminarum; quibus id vitium, ne vires colligat, multis modis à concionatoribus interdicendum eſt. Iudaici populi eſt proprium conuitiari, & maledicere alijs, maximè poſtquàm (vt ait Oſeas cap. 4.) *ligauit eum ſpiritus in alis ſuis.* Hoc eſt (vt Hieron. exponit) poſtquàm immundus ſpiritus idolorum ita ligauit Iſraelem in alis ſuis, vt eum liberè volitare non patiatur. Affigit enim eum terræ, nec ſinit cœleſtia contemplari, aut amare. Hinc totus eſt in priuata vtilitate conquirenda, omnibúſque hominibus, qui illius auaritiæ non fauent, quamuis procul abſint, maledicendis; eò námque maledicentia, & imprecationibus euolant, quibus veluti diaboli pennis alligantur, quò pedibus ire non poſſunt. Profectò intelligi poteſt hic locus de Iudæis noſtri ſæculi, qui quod parentes habuerint Moſaicæ ſectæ, quæ poſt Chriſti aduentum abolita eſt, addictos; ſuam gentem colunt, & cæteros aſpernantur; nec veri Iudaiſmi quidquam habent, præter cæremonias quaſdam, quæ hodie manes ſunt, & ridiculæ. De illis ita Iuuenal Saty. 14.

Ficulnea à Chriſto maledicta.
Marc. 11.
Matt. 21.
Luc. 6.
Ioan. 7.
Act. 19.
Rom. 12.
1. Cor. 4.
Galat. 3.
1. Tim. 4.
Iacob. 3.
1. Petr. 2.
Imprecari malum alijs fere pusilli eſt animi.
Oſeæ 4.
Iudæi alijs maledicere & conuitiari ſolent.
D. Hieronym.
Iudæi poſt Chriſti aduentum cæremonias colunt Moſaicas inutiliter.
Iuuen. 14.

Romanas autem ſoliti contemnere leges
Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, & metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes
Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſa, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.
Sponte tamen iuuenes imitantur cætera, ſolam
Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur.

13. Extat Hebraicè ſcriptus libellus, in quo quæritur, quid obſtet Iudæis quò minus credant in Chriſtum, qui à Deo in mundum miſſus eſt? Duæ in eo traduntur cauſæ, vna eſt maledicendi, & imprecandi conſuetudo ijs, qui ad Chriſtum conuertuntur, omne malum. Virum enim, aut fœminam, quæ Chriſto nomen dat, vocant, *Meſchumad*, id eſt, *apoſtatam*. quaſi dicant, non eſt illi vllo pars in ſeculo futuro, neque eſt expiatio animæ eius in æternum. Expuunt coram eo, vocántque filios eius *Mamſerim*, hoc eſt, *ſpurios*, & vxorem eius immundam & pollutam. Non comedunt cum eo, neque bibunt, Sed excommunicant & a ſe propellunt. Maledicunt ei quotidie, veſpere & manè tribus vicibus. Vilipendunt eum; nec connubio filijs ſuis iungunt. Inſidiantur vitæ illius; nec qui eum occiderit punitur, imò laudatur, & benedicitur. Imprecanturque occiſo in hunc modum: *Deleatur nomen eius. Expiatio peccatorum noſtrorum, eſto nobis apoſtata iſte. Væ ei, væ patri eius, & matri. Væ magiſtro eius*, &c. Altera cauſa eſt, ditefcendi cupiditas, præſertim in contractu vſurario. Putant enim fas ſibi eſſe fœnerari Chriſtianis, quos reputant alienos & quaſi hoſtes, malè interpretantes illum locum ſcripturæ. *Non fœnerabèris fratri tuo, ſed alieno.* Hinc fit, vt ad Chriſtum, qui vſuram prohibet, nolint conuerti, ſerui facti mammonæ. Sed Deus (vt autor aducitur in eodem libello) ſtudium illorum, quoad cumulandas diuitias accenſi ſunt, pro idololatria illis imputat. Denique qui modo ſimulacra non colunt; pecunias veluti idola colunt obliti illud Pſalmi, *labores manuum tuarum, quia manducabis bene tibi erit.* Iudæi vſuris inhiantes, ex rapina viuunt, labores deteſtati; ac proinde iuſtitiam omnem, & probitatem, quam lex Chriſti commendat, tanquam vtilitati vſurariæ, & otioſæ vitæ contrariam odio habent. Hinc fit, vt interdum Iudæi, tanquam idololatræ, velut olim, ab vltore Deo puniantur, licèt enim ſimulachrorum adoratores non ſint, pecuniam tamen ita colunt, vt vel Deum ipſum, pecuniæ poſtponant.

Iudæi ad conuerſionem cunctantur a maioribus ſuis.
Cur Iudæi Chriſtum recipiant.
Iudæi conuertentes ad Chriſtum [illegible]
Tribus vicibus quotidie maledicunt Iudæorum [illegible]
Imprecantur quotidianas [illegible]
Auaritia [illegible] *Chriſtianis.*
Iudæi [illegible]
Vſuris [illegible]
Iudæi [illegible]

14. Quæ Iudæi in Chriſtum maledicta non coniecerunt? A quibus probris abſtinuerunt? Quas paſſi ſunt in eorum tribunalibus Apoſtoli contumelias? Quas hodie in Chriſtianiſmum, qui nunc ſanctiſſimis legibus, nunc fiſco illorum coercet auaritiam, execrationes & Diras, ore impudenti non congerunt? Cerne. rogo quæſóque ô homo, qui procliuis es ad maledicendum; quos imiteris? Vide, quos audias magiſtros; Pudeat eorum mores referre, quorum vel nomen, ſi tibi exprobraretur, pudori foret.

Verſ. 26.] In tempore illo imprecatus eſt Ioſue, dicens maledictus vir coram Domino.

An licuerit Iobo malum precari diei, in qua natus eſt; ſicut licuit Ioſue ei maledicere, qui ſuſcitaret Hiericho?

ANNOTATIO VI.

1. NON peccaſſe Ioſue, quando imprecatus eſt infortunium viro, qui ædificaret Hiericho, conſtans eſt Patrum ſententia. Id enim fecit prophetico afflatus ſpiritu, & Dei ipſius

Non peccauit Ioſue imprecans malum ei qui ædificaret Hiericho.

impulſu,

impulſu, vt confirmat euentus ipſe, qui narratur, 3. Reg. 16. de quo ſuprà egimus. Accidiſſe quippe Hiel ædificatori, filiorum iacturam ſacræ literæ annotarunt, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun.

3 Reg. 16.

2. Quid Iob? cap. 3. *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine*, &c. Acerba vir ſanctiſſimus vtitur imprecatione, poſtquàm, ſi verba apponeret ſacra ſcriptura illis ſimilia, quæ claudunt caput primum, ſcilicet; *In omnibus his non peccauit Iob*, nihil eſſet dubij; cùm tamen nihil ſimile habeamus, quærendum eſt, qua mente maledixerit diei, vitæque ſuæ, vt hinc peccauerit, nec ne, manifeſtum fiat. Recepta námq; à Theologis eſt D. Thomæ ſententia, dicentis 2. 2. qu. 76. peccatum eſſe creaturis, etiam rationis expertibus maledicere. Idque ob duas cauſas; vna, quia pœnæ, qualis eſt maledictio, capaces non ſunt. Altera, quia refundi maledictum videtur in naturæ auctorem. Quomodo ergo ab irati animi nota liberari poteſt, qui diei qua natus eſt, maledicit? Occaſione ſumpta ex hac imprecatione, Iudæi Thalmudiſtæ, quos Brentius, & Anabaptiſtæ ſequuntur, Iobum maledicentiæ, atq; blaſphemiæ arguunt.

Iob 3.
An peccauerit Iob maledicens diem, in quo natus eſt.
D. Thom.
Peccatum eſt creaturis maledicere.
Thalmudiſtæ & hæretici Iobum arguunt blaſphemiæ ſed imperitè, ac temerè.

3. Ego certè, quem ſcriptura ſacra, & Deus commendat, ea culpa liberandum puto. Ad finem quippe capitis primi dicitur, non peccaſſe, nec ſtultum quid labiis ſuis contra Deum fuiſſe locutum. Quod autem cap. 38. Deus Iobum imperitiæ, aut ſtultiloquij notare videatur; & ipſe cap. 39. & 41. ſuam dolenter confiteatur inſipientiam, aut leuitatem. Rurſumque dum ardentiùs innocentem ſe aſſerit, in leuem aliquam lapſus ſit culpam, ad imprecationes capitis tertij non pertinet.

Iob 1.
Iob 38.
Ibid. 39. & 41.

4. Multis ergo modis explicatur Iob à Catholicis expoſitoribus, ne maledicendo aliquid illicitum admiſiſſe videatur. Primò; Lyra ait, eum non ex proprio ſenſu loqui, ſed ſuppoſita amicorum hæreſi opinantium poſt hanc vitam, nullum aut præmium bonis, aut pœnam malis eſſe conſtitutam. Quod ſi verum eſſet ærumnoſiores ſũt iuſti impiis, & Iob tot patiens ob virtutem damna, longè ærumnoſior, vt quid enim illi vita? *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus ſum*, ſi veſtra, quod ego non puto, vera eſt opinatio. Hunc errorem D. Thomas attribuit amicis Iob; alij variis ſapiẽtibus, quales hi erant, & animi immortalitatem apertè confitentibus, id impingere nullo modo audent. Quare Lyræ expoſitio non omnibus placet.

Iob in imprecationibus cap. 3. non peccauit, Lyranus.
D. Thomas.

5. 2. Origenes, Olympiodorus, & ferè Græci, à vitio excuſant verba Iobi, quod in rem præteritam, quæ maledicto iam contaminari non poteſt, cadant, cùm reuocari & adeſſe non poſſit. Quod perinde eſt, ac ſi quis maledicat rei numquam futuræ, vt ea ratione æger curis animus, quando aliter non poteſt, reſpiret. Vide Iuſtinum Martyrem in reſponſ. quæſt. 16. ad gentes. Aſiquis in hoc modo exponendi fortè aduertet, illicitum eſſe ex intentione creaturæ, etiam non exiſtenti maledicere. Vide Diuum Thomam loco citato.

Origenes. Olympiodorus.
Iuſtinus Mar.
D. Thom.

6. Tertiò, Seuerianus, ea verba prolata cenſet imprecatoriè non ſui, ſed diuinæ prouidentiæ defendendæ cauſa. Timebat námque ne amici tanta calamitate perculſi, diuinam calumniarentur prouidentiam: hinc illæ voces, Vtinam neq; natus, neque conceptus fuiſſem, ne mei cauſa Deus ab hominibus accuſaretur iniuſtitiæ. Hæc interpretatio in prunam recidet, ſi bene inſpiciatur.

Seuerianus.

7. Quartò, D. Chryſoſtomus homil. 4. de patientia Iob, hæc a Iobo dicta putat, vt auertat ſermonem ab omni blaſphemia, quam diabolus fortè menti ſuggerebat, in diuinam prouidentiam. Nec alli intentionem fuiſſe rei cuipiam inferendi iniuriam, vtitúrque exemplo hominis apoſtematis morbo circumuenti, qui non habens quomodo recidẽti medico vlcus aduerſetur circunſtantia tangit, atq; aſtantes mordet. Timens igitur Iob blaſphemiæ atrocitatem facit inanimatis iniuriam, atque fiduciam paſſione adauget, non contra Deum audens, ſed ſe denique accuſans. Simile quid reſpondet Theodoretus, ingenioſè magis, quàm ſolidè. Videtur námque eum Chryſoſtomo ſentire, licuiſſe Iobo, ſi non in alias creaturas, at certè in eas, quæ ad ſe pertinerent, & in ſeipſum maledicta cõgerere. Quod tamen, ſi à blaſphemia liberes, non video quo pacto ab immoderata iracundia valeat excuſari. niſi fortè verba, non tam ab impatienti animo, quàm à dolenti profecta accipias. Atque hinc aperitur mihi quidam modus meo iudicio optimus vindicandi à culpa virum ſanctiſſimum Quiſnam ille eſt?

Chryſoſt.
Theodoretus.

8. Dico, his querelis & maledictis, doloris magnitudinem, ſenſúmque ab eo affectum exprimi, & effectum. Huc referendas eſſe has Iobi imprecationes, & querelas multi tam Græci, quàm Latini putarunt. Qua etiam ratione Chriſtus Dominus, mœſtitiam, & mortis, ſenſitiuæ parti inhærentem formidinem expreſſit Matth. 27. & Marc. 15. dicens: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me*. Et D. Paulus ſe infelicem hominem vocat Rom. 7. & propter legem membrorum venundatum ſub peccato, id eſt, ſubiectum humanæ fragilitati, & querelis quæ peccati ſpeciem habent; Atque ita non quod vult bonum hoc facit, ſed quod non vult malum. Nihil dolere. non ſine magna mercede contingit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. Vnde Didymus exponens illud Iob 6. *Numquid rugiet onager cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præſepe plenum ſteterit?* perſpiciens exemplum afferri à Iobo ad ſuos gemitus, aut excuſandos, aut extenuandos, ex ipſa brutorum natura. ſic ait. Neque eum qui iuſtus eſt ſenſum omnem exuiſſe humanitatis neceſſe eſt, quamuis is conſtanter caſus ferat aduerſos. Nam acerbarum rerum ſenſu ſuſcepto, cum quis in cruciatu propter Deum exclamat, ea demum virtus eſt, &c. Quid, quod non ſolùm gemitum, at clamorem non debilitare fortitudinem, ſed augere etiam, & confirmare, ſapientes putant (vt autor eſt Cicero Tuſcul. 2.) probátque exemplo curſorum, athletarum, & pugilum. Nullis etiam vocatis teſtibus, vt leniat animi dolorem; lingua promit cordis vulnera quæ venis hærent, & mentem interdum cœco carpunt igni. Hinc Propertius.

Iob maledictis expreſſit affectum, & effectum doloris.
Matth. 27. Marc. 15
Rom. 7.
Non dolere immanitatis, aut ſtuporis indicium eſt.
Iob 6. Didymus.
Gemitus non frangunt animos fortium aduerſis, ſed confirmant.
Cicero.
Propertius.

Hæc certè deſerta loca, & taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri poſſidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impunè dolores;
Si modò ſola queunt ſaxa tenere fidem.

9. Tanta eſt enim doloris incluſi in animo vis, vt exæſtuet, & niſi voce aut gemitu erumpat, medullas torreat; & abſumat. Cauſam reddit Ariſtotele

Incluſus dolor niſi erumpat, torret medullas.

Ariſt.

Qui dolent, clamant, qui metuunt, ſilent.

ſtoteles 27. Problemat. ſciſcitatur namque, cur cùm metus & dolor quædam ſint ægritudo, qui dolent, clamant; qui metuunt, ſilent. Deinde reſpondet. *Dolores vel omnes, vel certè plurimos calore tuitari atque augeri; calorem autem is auget, qui ſuum ſpiritum cohibet; excalefacit enim doloris incitabula, contractio introrſum calore per ſpiritum, atque excoquit: Hinc ergo fit erumpente naturaliter ſpiritu, clamorem fieri in doloribus, & eodem per vim compreſſo, creſcere, & accendi. At verò metus, qui frigidus eſt, ſpiritu indiget, & calore.* Hæc Ariſtoteles. Ex quo patet elici naturaliter, cùm quis dolet voces, ne intus exæſtuet incluſus dolor. Huc pertinet illud Iobi. *Parce mihi Domine.* Vt enim Olympiodorus ait: quia cum Deo loqui ſemel eſt auſus. *Parce mihi,* inquit, *Domine*: nam qui me vrunt dolores, ſermonem mihi prorſus extorquent, &c. Veriſſimè dictum eſt Iſaiæ 26. *In tribulatione murmuris, doctrina tua eis,* hoc eſt, tua correptio ſeuera, conqueri, murmurare, & ingemiſcere coget. ſed non ideò abiicient tuam doctrinam cùm abs te puniuntur, quamuis doleant, & ingemant. An retinere poterit tormentum bellicum, ignem tenui foramine, ad ſulphureum puluerem admiſſum? Euomet profectò globulum latentem, & ingenti ſonitu omnia complebit. An non tribulatio ignis eſt? Virtutis eſt, os obſtruere, ne verbum exeat iniurioſum, poſtquàm quis contumelia prouocatus eſt, exemplo Dauid Pſalm. 38. *Cuſtodiam,* inquit, *vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Nititur æger animus deſpumare conuitia in aduerſarium: nihilominus, *Poſui,* inquit, *ori meo cuſtodiam.* Hebr. *capiſtrum,* vel *fiſcellam.* Ingens dolenti animo ſupplicium. Epiſtomide comprimitur ſeruis os maledicum: ſimile quid egi, inquit Dauid, *cùm conſiſteret peccator aduerſum me,* hoc eſt, cùm me inimicus vexaret verbis contumelioſis: quod etiam feci, ne ſcandalo eſſem rudioribus, qui prauè interpretari poſſent mea verba.

Iſai. 26. — Similitudo. — *Tribulatio inſtar ignis eſt.* — Pſal. 38.

Iob ſiluit ſeptem dies.

10. Iobus quid i præſentibus amicis, quorum pernouerat mores ſeptem integros dies obmutuit. Quamuis enim alta mente, multa & præclara dogmata contineret, quibus ſuam poſſet innocentiam tueri, maluit ſilentio vti: ſicut Regius vates aliquando fecit, dicens: *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Quandiu ſiluiſti? *donec,* inquit, *concaluit cor meum intra me*: hoc eſt, donec ſenſi præcordia inflammari. Vide Iobi imaginem in Dauide, vocem, & ſuſpiria ſupprimit, ſicut ille, ac tandem loquitur; *locutus ſum in lingua mea.* Et quia vix dolor frænos capit, laxaui habenas, ne præ dolore deficerem. Sic Iob cap. 7. *Et ego non parcam ori meo; loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ, dimittam aduerſum me eloquium meum.* Accipienda ergo ſunt maledicta Iobi, in diem ſuum natalem coniecta, tamquam ſuſpiria hominis non impatientis. ſed vicem ſuam ægrè dolentis.

Silet Dauid quandiu dolor poteſt in gemitum non erumpere. — Iob 7. — *Accipienda ſunt maledicta in diem, quo natus eſt coniecta tanquam ſuſpiria dolentis.*

11. Quid ſi Iobi voces, non ſolùm à culpa liberem; ſed amoris in Deum ardentiſſimi indices fuiſſe dixero? Huc pertinere illius querelas ait Chryſoſtomus, & Polychron. in præfatione Catenæ. Et quidem Chryſoſtomus ad filialem refert in Deum charitatem, & confidentiam. Vnde Nicetas in protecor. cap. 7. *Anxio,* inquit, *metu poſito, & vehementi erga Deum charitate incenſus, qui iudex eſt integer, & incorruptus, cauſam dicit. Hæc verò nec duri, aſperi ve hominis verba ſunt ſed quaſi filii apud patrem,* &c. Amantium notæ ſunt, accuſare amantem interdum gloriari de amicitiæ fœdere numquam violato; crudelem dicere quem vnicè diligas, & inimicum, ſibi malè precari, vt illi ſit benè. Hoc indicant Poetarum carmina, & præſertim in affectibus. quos in Didone Virgilius lib. 4. expreſſit; ſed in profanis immorari non libenter ſoleo. Melius idem oſtendit Iob cap. 13. *Quantas habeo iniquitates, ſcelera mea, atque delicta oſtende mihi.* & cap. 17. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* & cap. 13. *Cur abſcondis faciem tuam & arbitraris me inimicum tuum?* Amantium etiam more, initia amoris mutui ex alto repetit cap. 29. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me? quomodo ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris,* &c. Sic Cant. 8. ait ſponſus. *Sub arbore malo ſuſcitaui te*: reuocans in memoriam nuptiarum & amoris exordia. Non eſt ergo aliquid vitij in Iobi oratione, qua ait; *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Siquidem hanc imprecationem, non iracundia, aut impatientia, ſed dolor ſenſibus inhærens, & charitas in Deum extorſit, veluti quadam neceſſitate, & impulſu adhibito.

Chryſoſt. Polychron. cap. 2. — Nicetas. — *Querelæ Iobi amoris ſunt erga Deum indices.* — Virg. Æn. — Iob 13. — Infra 17. — Iob. 13. — Infra 29. — Cant. 8. — Iob 3.

12. Accedit, amore iuſtitiæ, & deteſtatione peccati impelli Iobum, vt dicat: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Tempus tolli cupit, vt quæ in eo facta ſunt, ſimul tollantur, ſcilicet diem ortus ſui & ſuæ cõceptionis noctem. Quorſum ais? vt primigeniæ noxæ labes natiuitati, & conceptioni affixa auferatur. Sic Dauid malum imprecatur montibus Gelboe, quod ægrè tulit certamen, Deo inconſulto in eo committi. Ex quo intelligitur leuitas principum, qui diem natalem ſuum magna lætitia celebrant. E contrario laudandus eſt Eccleſiæ ritus, ſecundùm quem mortis ſanctorum, quæ illis verus eſt ad æternam gloriam natalis dies, ferias agit. Eſſet quidem, ſi perſeueraret originalis iuſtitia, magnum & ſingulare emolumentum naſci, & hominem eſſe; culpa tamen primi parentis accidit, vt non emolumentum, ſed detrimentum eſſe, ſapientes iudicent; exemplo præſertim Hieremiæ 20. qui diei maledixit, qua natus fuit, & nuntio, qui patri ſuo ſe natum fuiſſe dixit. Quibus verbis declarauit dolere ſe, quòd natus ſit, id ipſum ſignificans, quod Iob diris imprecationibus variè repetitis fecit. Quin & gentiles, quamuis primigenij peccati ignorationem haberent; pœnas tamen, & calamitates experti, quæ in vitam humanam ex illo redundarunt diẽ hominis natalem deteſtati ſunt. Vnde, vt refert Plutarchus in epiſt. qua conſolatur vxorem ſuam de morte filiæ; Silenus inquit, Midam Regem docuit, nõn naſci hominem longè optimum eſſe; proximum autem, quàm ocyſſimè mori. Et Plato in Axioco. de Amphiarao, poſt longam vitæ humanæ miſeriarum enumerationem, ita ait in carmine quod. refert.

Eccleſia non diem natiuitatis, ſed mortis celebrat. — Hieron. 20. — *Homines [illegible] natalem detestati sunt [illegible].* — Plutarchus. — Silenus. — Plato. [illegible]

Iuppiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, & iuſti metas non attigit æui.

Additque de ſuo, *Naſcens fleat, qui tanta vitæ intrat mala.*

13. D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 5. in illa verba: *Poſt hac aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo dicens: Pereat.* &c. Ex ipſo narrationis ordine colligit, nequaquam maledictum per impatientiam proferri ab eo, qui amicis adhuc tacentibus ad maledictionis vocem erupit. Si enim ira (inquit)

Greg. Papa. — *In pr[illegible] ab [illegible]*

motus malediceret, audito damno ſubſtantiæ, cognita morte filiorum, cum proculdubio ad maledictionem dolor incitaret. Sed tunc, quid dixerit, audiuimus, *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Rurſum, ſi ira motus malediceret, ſaltem percuſſus in corpore, vel malè ſuaſus à coniuge maledictum inferre potuiſſet. Sed quid tunc reſpondit agnouimus. *Loquuta es, quaſi vna de ſtultis mulieribus. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala, quare non ſuſtineamus?* Poſt hæc verò deſcribitur, quia amici veniunt, flent, conſident, tacent, mòxque ſubiungitur hoc, quod diei ſuo maledixiſſe perhibetur. Nimis itaque incongruum eſt, vt ſuſpicemur eum nullo inſtigante, nullo pulſante, ex impatientia ad vocem maledictionis erumpere, quem nimirum nouimus inter damna rerum, mortémque filiorum inter vulnera corporis, inter verba male ſuadentis vxoris, magna creatori præconia humili mente reddidiſſe. Patefecit ergò, qua mente hæc quietus dixerit, qui tot Dei laudes etiam percuſſus enarrauit. Idem cap. 2. eiuſdem lib. vt Iobi imprecationem à culpa liberet, duplex diſtinguit maledictum ſecũdum ſcripturæ vſum. Vnum, quod profertur iudicio iuſtitiæ. Alterum, quod iactatur liuore vindictæ. Illud licitum eſt; eóque Deus ipſe vtitur, Geneſ. 3. dicens: *Maledicta terra in opere tuo.* & 12. cum Abrahæ ait: *Maledicam maledicentibus tibi.* Hoc verò illicitum; vnde ad Rom. 12. prohibetur. *Benedicite, & nolite maledicere.* & rurſum. *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* Hac doctrina ſuppoſita (inquit Greg.) Deus ergo maledicere dicitur, & tamē maledicere homo prohibetur; quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit niſi examine, & virtute iuſtitiæ. Cùm ergo ſancti viri maledictionis ſententiam proferunt non ad hanc ex voto vltionis, ſed ex iuſtitia examinis erumpunt. Intus enim ſubtile Dei iudicium aſpiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire cognoſcunt, & eo in maledicto non peccant, quo ab æterno iudicio non diſcordant. Hinc eſt quod Petrus Act. 6. in offerentem ſibi pecunias Simonem, ſententiam maledictionis intorſit, dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Hinc Elias duobus quinquagenariis ad ſe venientibus, 4. Reg. 1. dixit, *ſi homo Dei ſum deſcendat ignis de cœlo, & conſumat vos.* & infrà. Virtus

Duplex maledictum in ſcriptura diſtinguitur. Vnum iudicium ex iuſtitia, alterum ex vindicta.
Gen. 3.
Inf. 12.
Rom. 12.

Sancti cū maledicunt rei alicui, non ex voto vltionis, ſed iuſtitia mouētur.

Act. 6.

4. Reg. 1.

A ſubſequens teſtatur, qua mente maledictionis ſententia promitur; cum permaneat maledictionis innocentia, & tamen eum, qui maledicitur, vſque ad interitum maledictio abſorbet. Deinde applicans doctrinam Iobi facto. *Non eſt*, inquit, *eius maledictio ex malitia delinquentis, ſed ex rectitudine iudicis: non eſt ira commoti, ſed doctrina tranquilli.* Hæc Gregor. ſignificans id ipſum, quod ſuprà ex Lyra retulimus; nempe vidiſſe virum ſanctum amicos ſcidiſſe veſtimenta, & deſperatione fractos, quod amicum viderent in extrema calamitate poſitum, de iuſtitia diuina & prouidentia, non ita bene ſentire. Ac proinde erupiſſe foras in vocem illam doloris indicem: *Pereat dies*, &c. hoc eſt, (vt ipſe cap. 7. explicat) Dies mutabili-
B tatis pereat, & lumen æternitatis erumpat. Idem cap. 9. per diem cui maledicitur, peccati proſperitatem intelligit: per noctem verò, mentis cæcitatem. Putátq; à viro ſanctiſſimo in dolore proprio, cauſam totius humani generis defleri; quippe qui reducat in animum culpæ originem, iuſtitiámque ſimul pœnæ illatricem conſideret. Hinc lamenta: *Pereat*, &c.

14. Licuit ergo Iobo malum precari diei natiuitatis ſuæ, & aliis maledictionibus vti, non liuore vindictæ, vt Gregorius ait, ſed amore iuſtitiæ, ſiue ob peccatum, in quo omnes concipimur, & naſcimur ſiue ob alias cauſas quas tradidimus. Quare non minùs alienus à culpa exiſtimandus eſt, quàm Ioſue, qui imprecatus eſt, & maledixit
C viro, qui ſuſcitaret, & ædificaret, ſolo æquatam Hiericho, quem non ſolùm non peccaſſe, ſed laude dignum, in eo facto extitiſſe, cùm ex lib. 3. Reg. cap. 16. tum ex verbis, quæ poſt maledictionem hîc ſubiiciuntur, manifeſtum eſt. Sic enim concluditur cap. 6. *Fuit ergo Dominus cum Ioſue, & nomen eius vulgatum eſt in omni terra.* Væ illis, qui ob flagitia imprecationibus ſanctorum alligati in hac vita futuræ damnationis, quædam experiri incipiunt, quaſi progymnaſmata. Sancti viri, cum malum imprecantur alicui, nihil ex odio aut vindictæ ſtudio moliuntur: tantùm id exequuntur, quod interno iudicio conſentaneum eſſe diuinæ voluntati animaduertunt.

***

Greg. PP.

Iob videns amicos nō bene ſentientes de prouidentia Dei, doloris indicem edidit vocem.

3. Reg. 16.

IN CAPVT SEPTIMVM IOSVE.

PERIOCHA.

1. *POST explicationem anathemate damnatæ vrbis; agitur in hoc ſeptimo capite. Primùm de exploratoribus in ciuitatem Hai à Ioſue miſſis. Deinde de tribus bellatorum millibus, qui ſufficere pro loci, & munitionis magnitudine ad expugnationem videbantur, aduerſo Marte, ad fugam compulſis: Quorum ignominioſa refutatio Hebræorum animos ita infregit, vt Ioſue cum ſenioribus ad oraculum accurrens, diuinum placari numen quod iratum populo eſſe ſuſpicabatur, ſtuduerit, ſimulq́; cauſam inopinati infortunij ſciſcitari. Queritur Deus ab anathemate Hiericho aliquid contra præceptum, furtò ſublatum fuiſſe. Quod ſcelus, niſi morte ſacrilegi prædonis expietur fore ait, vt Iſrael ab hoſtibus vincatur, & contemnatur:* Anathema, *inquit*, in medio tui Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere, &c. *Audito oraculo, Ioſue ſortibus prædone deprehenſo; confeſſionem ab eo criminis extorſit; adductoq́; ad vallem Achor pro concione, hæc verba, quaſi ſolennia edixit. Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Imprecatione audita populus, qui circumquaque aderat, ad lapides conuerſus, Achan noxæ deditum interemit. Ait námque ſacer hiſtoricus.* Lapidauit eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. *Gratum fuiſſe Deo hoc ſupplicium, indicant illa verba.* Et auerſus eſt furor Domini ab eis. *Diſcant hoc exemplo mortales diuina reuereri mandata, nec aliquid putent diuinum effugere aſpectum poſſe: verum námque illud eſt, quod Lyricus cecinit.* Lyricus.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

2. *Diſcant & principes, ſcelera, ob quæ Deus in Remp. iraſcitur, vlciſci; vt auertatur furor Domini ab eis; vtq́; facinoroſorum hominum audacia, ſi aliter, nequit, timore pœnæ, comprimatur.*

LIBRI IOSVE

CAPITIS SEPTIMI SECTIO PRIMA.

Verſ.1.] Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de
2. anathemate: iratúſque eſt Dominus contra filios Iſrael. Cúmque mitteret Ioſue de Hiericho viros contra Hai, quæ eſt iuxta Bethauen ad Orientalem plagam op-
3. pidi Bethel, dixit eis: Aſcendite, & explorate terram. Qui præcepta complentes explorauerunt
4. Hai. Et reuerſi dixerunt ei. Non aſcendat omnis populus, ſed duo, vel tria millia virorum pergant, A
& deleant ciuitatem: Quare omnis populus fruſtra vexabitur cótra hoſtes pauciſſimos? Aſcenderunt ergo tria millia pugnato-
5. rum? Qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines. Perſecutiq́; ſunt eos aduerſarij de porta vſque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitq́; cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt. B

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Et præuaricati ſunt filij Iſrael præuaricationem in anathemate. Pro, *Quare omnis populus fruſtrà vexabitur?* &c. Ne laborare facias illuc omnē populum: quia pauci ſunt: & aſcenderunt è populo illuc ferè tria millia virorum.

Pro, *Et ceciderunt per prona fugientes*, &c. Et percuſſerunt eos in deſcenſu.

Aliter. Præuaricati ſunt filij Iſrael præuaricationem, ídque in Herem. Pro, *Quare omnis populus fruſtra vexabitur?* &c. Ne fatiges populum vniuerſum mittendo vſq; illuc; quoniam illorum pauci ſunt. Pro, *Corruerunt ex eis triginta ſex homines*, &c. Percuſſerúntque viri Hai ex illis circiter triginta ſex viros.

3. *Sept. Interp.* Pro, *Aſcenderunt ergo*, &c. Καὶ ἀνέβησαν ἀπὸ τοῦ λαοῦ ὡσεὶ τρισχίλιοι ἄνδρες, hoc eſt, *quaſi tria millia.* Adde, Pagninum, Vatablum, & Sept. conuenire cum Hebræo in particula taxatiua, tam in numero euntium ad bellum, quàm occiſorum.

Explicatur contextus.

1. *FILII autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum.*] Vno peccante dicitur totus Iſrael peccaſſe. Quia id quod publicè impetrabatur, & omnes, & ſingulos comprehendebat, aliâs ſingularem illam aduersùs omnem Iſraelem, & benignam prouidétiam haudquaquam experturos. Et verò occultas ſinguli animi labes, aut pœnitentia expiabant, aut alia pœna exoluebant; Nec Deus ob huiuſmodi culpas, quamuis grauiſſimæ eſſent, beneficentiæ erga populum, perennem curſum retardabat. At ſi quod mandatum publicè indictum eſſet, vel vno peccante, totus Iſrael ea prouidentia deſtituebatur, quæ totam ſpectabat communitatem, donec ſceleris reo mulcta irrogaretur. Cap. 6. præcedenti edixerat Ioſue, ne quis rem aliquam de anathemate vſurparet. *Vos*, inquit, *cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis. Hoc eſt, cauete, ne vel vnus veſtrum rem minimam contingat; ſi enim quippiam contactum fuerit, vos contigiſſe arguemini.*

Obſerua item, ſacræ ſcripturæ morem, ſecundùm quem cœtui alicui aſcribitur, quod ab vno qui pars cœtus eſt, patratur, vt Matth. 26. cùm dicitur, de vnguento ſuper caput Chriſti Domini effuſo: *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt.* Vnus námq; fuit tantùm Iudas, vt habetur Ioan. 12. cui ea effuſio diſplicuit. Quod autem ſolus Achan peccauerit, ex eo patet, quòd applicitis ad Dominum omnibus tribubus & familiis, & domibus, hic ſolus reus eſt inuentus. Eſt autem præuaricari quocumque modo à præſcripto ſui officij deflectere: Græcè [illegible]. Plin. lib. 18. cap. 19. *Arator niſi incuruus, præuaricatur.* In litigiis autem propriè præuaricari dicitur accuſator qui colludit cum reo, & veras quidem probationes diſſimulat, falſas verò admittit. Cicero de

Aruſpicum reſponſis: *A Catilina*, inquit, *pecunia accepit, vt turpiſſimè præuaricaretur.* Vlpianus in l. Athletas ff de his, qui notantur infamia. *Qui præuaricatur ex vtraque parte conſiſtit, quin imò ex aduerſa.* Præuaricari accuſatori eſt illi præuaricando ſeruire. Cicero pro Cluentio. *Hoc quamquam ſedulò faciebat, tamen interdum non defendere, ſed præuaricari accuſatori videbatur*, &c. Apponere ſibi præuaricatorem dicebant antiqui, pro eo, quod eſt curare ſe per aliquem accuſandum, quo, cum reo colludente, facilè ille abſoluebatur. Cicero Philippica ſecunda. *Iam vereor P. C. (quod turpiſſimum eſt) præuaricatorem mihi appoſuiſſe videar.* Hinc præuaricatio crimen eius ſignificat, qui in contrariis cauſis, quaſi variè eſſe poſitus videtur.

2. Verbum tamen מעל. *Maghal*, quo bis vtitur Latinus interpres in ſacris literis, non vnam tantùm ſignificationem habet, vt apud legiſperitos; apud quos, is præuaricari dicitur, qui ab aduerſario corruptus, cauſam, quam receperat, agendo prodit. Significat quippe (vt etiam ex hoc loco conſtat) fidem eam prodere, quam vel populus principi, vel vir viro, vel vxor marito, more vel pacto debet, à quo ſi recedat, iuris dicitur violator. Luſitani dicunt *Falſar*: ſic 4 Reg. 1. dicitur. *Præuaricatus eſt Moab in Iſrael.* Fuit autem iſta præuaricatio violatio fœderis initi, de quo in eodem libro cap. 3. *Porrò Meſa Rex Moab nutriebat pecora multa, & ſoluebat Regi Iſrael centum millia arietum, & centum millia agnorum cum velleribus ſuis Regi Iſrael. Cùmque mortuus eſſet Achab, præuaricatus eſt fœdus, quod habebat cum Rege Iſrael*, &c. Porrò (vt annotauit Arias Montanus hic) interpres, cùm verbum *Maghal*, quod hoc loco habes, in fonte, ter & quadrageſies in veteri teſtamento inueniatur duntaxat, hæc tamen coniugata præuaricari, præuaricatio, & præuaricationes ſexagies, & nouies adhibuit. Vnde neceſſe eſt eum, qui ſuperſit numerum ad alias Hebræas referri dictiones. Igitur dum filij Iſrael dicuntur hoc loco præuaricari mandatum, intellige Dei ius ſanctum violatum, & vrbis ſacratam Deo in anathema ſuppellectilem, ſacrilego auſu fuiſſe, in priuati alicuius vtilitatem ſublatam, Fraus etiam contra præceptum innuitur præuaricationis vocabulo. Cùm enim omnes legem anathematis propoſitam, confirmarint, hanc infregerunt furto.

3. *Et vſurpauerunt de anathemate.*] Hæc ſumma criminis: *vſurpaſſe aliquid de anathemate.* Vſurpandi autem verbo propriè vtitur interpres. Licèt enim formam habeat frequentatiui, à verbo vtor, deriuati; à Gellio tamen libro tertio, cap. 2. & à Iuriſconſultis non rarò accipitur pro, rem alienam aut iuriſdictionem, cùm ad ſe non pertineat ſuam facere. Vnde cùm res Hierichuntinæ ratione anathematis partim igni, partim Deo eſſent voto applicitæ; quicquid in priuatos vſus cuiuſque acceptum eſt, ſacrilegium fuit, ſiue vſurpatio rei alienæ, ſacrilega.

4. *Nam Achan filius Charmi de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate.*] Indicatur tribus, & familia ſacrilegi Achan; quæ etſi dux & princeps cęterarum fuerit, ea tamen nota afficitur, quod audacem, & ad ſcelus præcipitem hominem bonis alioqui prognatum parentibus, habuerit. Non ſatis eſt familiæ & generis commédatio, vt quiſque laudabilis exiſtat. Boni quippe, & mali ſtudium, in vniuſcuiuſque optione, & arbitrio ſitum eſt. Quare ignobiles habendi ſunt, qui ma-

Ob occultam cuiuſque vitæ culpam Deus non puniebat olim communitatem: ſed ob transgreſſionem mandati publicè mandati.

Aſcribitur communitati, quod ab vno patrata eſt. Matth. 26.

Ioan. 12. Soli Iudæ diſplicuit effuſio vnguenti Magdalenæ.

Præuaricari quid ſit [illegible]

Præuaricari in litigiis eſt colludere cum reo.

Vlpianus.

Apponere ſibi præuaricatorem

Cicero.

Præuaricari eſt fidem debitam alicui, vel ex negotio prodere.

4. Reg. 1

Montanus.

Interpres Latinus ſæpe vſus eſt præuaricandi verbo & eius coniugatis.

Gellius.

Vſurpatio ſacrilega fuit furtum Achan.

Ignobiles habendi ſunt, qui vitiis maiorum gloriam contaminant.

Matth. 4. *Chryſoſt.*

totum gloriam propria contaminant prauitate. In illud Matth. quartum. *Patrem habemus Abraham*, inquit Chryſoſtomus, *Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipſe enim ſe vacuum ab omnibus oſtendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quòd fuerit Noe filius? Nónne ſeparatus eſt de medio filiorum, qui ſecundùm carnem frater fuerat natus, ſecundùm autem factus eſt ſeruus. Nec familia eius ſancta potuit defendere impios mores*, &c.

Abrahamus filius Thare cultoris idolorum fuit.

Idem. *Quid Timotheo nocuit, quod fuit ex patre gentili; aut quid nocuit Abrahæ, quod patrem habuerit Thare laterum Deorum cultorem? Nónne ſeparatus à genere ſuo, poſitus eſt in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, ſed pater ſanctorum, nec potuerunt eius gloriam ſordidare paterni errores*, &c. Longè ab hac Abrahami gloria abfuit Achan: quippe qui cùm haberet parentes nobiliſſimos, hæreditariæ nobilitati maculam inſperſit; & tribui Iudæ, ex qua prognatus erat. Cum audis Achan filium Charmi de tribu Iuda, dicere rectè potes illud Statij lib. 3. Syl. 2.

Statius.

--- Non te ſeries inhonora parentum
Obſcurum proauis, & priſca lucis egentem
Plebeia de ſtirpe tulit.

Multi à maiorum virtute degenerarunt, vt Eſau, Achan, &c.

5. Cùm verò additur; *Tulit aliquid de anathemate*; ſordes agnoſcis, ob quas notatiſſimi ſunt cum Achan, innumeri penè homines, qui à maiorum virtute deſciuerunt. Talis extitit Eſau, Gen. 25. vendita pro edulio primogeniturá. Similem ignominiam contraxerunt vndecim Patriarchæ, à Ioſeph de crimine peſſimo apud patrem accuſati, Gen. 37. In hoc numero cenſetur Abſalon Dauidis filius, Roboam, Salomonis, Manaſſes, Ezechiæ. Cenſeri etiam poteſt ille, de quo 1. Reg. 25. *Erat Abigail prudentiſſima, & ſpecioſa; porrò vir eius durus & peſſimus, & malitioſus.* Fuit autem Deo acceptiſſimus Caleb, à quo genus ducebat Nabal. Quid Ioatham commemorem, filium Gerſam filij Moſi? Is ſacerdos fuit idolorum. I, nunc, & de parentum, qui talia genuere hominum monſtra, gloriare, imaginibus. Rectè Iuuenal. Satyr. 7.

Gen. 37. *1. Reg. 25.* *Iuuenalis.*

Quis fructus generis tabula iactare capaci,
Famoſos equitum, cum dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis malè viuitur? Effigies quò
Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox?

Inutilem atque ignominioſam deputat eſſe (tantum abeſt, vt laudabilis ſit) vitio notatam nobilitatem. Quin & illud addit valde obſeruandum.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior, qui peccat habetur.

6. *Iratúſque eſt Dominus contra filios Iſrael.*] Occultæ nobis ſunt diuini iudicij rationes. Vnus peccauit, & furor Dei in populum efferbuit. Miraris fortè nouum iuſtitiæ modum? cedat admiratio tua in Dei gloriam. Quomodo quæris? Intellige huiuſmodi iuſtitiam, non imitandam, ſed cum veneratione colendam nobis ante oculos proponi. Vt enim rectè annotauit Caietanus hoc loco, & nos infrà explicabimus, homo non poteſt pœnas peccato priuati alicuius viri debitas, ad alios, qui innocentes ſunt, extendere; cùm non ſit Dominus mortis & vitæ, nec poteſtati eius ſubſit occidere, & viuificare. Deus autem licèt omnia ſoluat in nihilum nulli iniuriam facit; vtitur quippe iure ſuo. Idcirco Achan peccante, iratus dicitur in filios Iſrael. Aliqua tamen ratio æquitatis infrà in hoc Domini furore,

Caietanus.

Homo non poteſt pro peccato vnius hominis alios punire? Deus poteſt.

eluceebit hiſtoriam conſideranti & pœnæ adhibitæ ſcopum. Voluit enim Deus exemplum condere, quo intelligerent homines, non impunè laturum, qui vel occultiſſimè illius læderet maieſtatem, cuiuſcumque præcepti publicè ab eo promulgati tranſgreſſione. Præuaricationem autem Achan ex eo capite ſacrilegam fuiſſe putat Lyranus, quia furatus eſt aurum, & argentum; quæ metalla inferenda erant in Domini ærarium. Quod licèt verum ſit, non tamen ſacrilegij ſcelus in ſolius metalli furto conſtitit, vt hic aduertit Abulenſis quæſt. 2. Cùm enim omnia eſſent anathemate addicta, ſacrilegus eſſet, licèt ſolùm pallium, aut bouem ſibi reſeruaſſet.

Non ferit impunè qui occultè peccat. *Lyranus.* *Sacrilegium in furto Achan, vnde? Abulenſis.*

Sed quando ira Dei in totum populum Iſraeliticum excanduit, ob vnius peccatum? Quando terga hoſtibus vertit Iſrael in expugnatione Hai, viginti ſex viris in bello deſideratis. Vltrix numinis vindicta apparuit, cùm ab oraculo dictum eſt. *Non poterit Iſrael ſtare ante hoſtes, eóſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate.* Eiuſdem verò reconciliatio declaratur poſt ſupplicium ſacrilego Achan irrogatum illis verbis: *Et auerſus eſt furor Domini ab Iſrael.* Excanduit ergo ira Dei in populum, cui prohibitus erat rerum Hierichuntinarum contactus, quamuis vel vnus tantùm eo ſcelere ſe aſtrinxerit, ob id potiſſimum, quia communitas, & partes illius eodem cenſebantur contaminari delicto.

Communitas, & partes eodem cenſentur pollui delicto.

7. *Cúmque mitteret Ioſue de Hiericho viros contra Hai, quæ eſt iuxta Bethauen ad Orientalem plagam oppidi Bethel, &c.*] Exponit ſacer hiſtoricus quemadmodum intellexerit Ioſue, Deum iratum eſſe Hebræis. Poſt Hiericho captam, & perpetuo excidio ſacratam, proxima erat Hai in editiore colle ſita, atque Hierichuntinis ad proſpectum poſita. quam Hebræi actutum eſſent bellaturi. Interiacebat inter Hiericho, & Bethel, non longè à Bethauen. Eius ſitus & confinia eò diligentius hoc loco narrantur, vt intelligat lector, quamobrem ea prima vrbs ferro laceſſita ſit. Id enim accidit, quia in vicino erat & duobus oppidis finitimis munitior, atque frequentior: qua expugnata facile erat dum alias euerti, cum non ita magnæ eſſent. Eſt & alia Hai in Ammonitarum regione ſita, cuius apud Hieremiam facta eſt mentio. Vide Ariam Montanum in Apparatu in lib. Chanaan. & Chriſtianum Adrichomium in Geographia Beniamin num. 75. Hæc de qua hic agitur ciuitas, a Ioſepho 5. Antiq. cap. 1. *Ada*, vel *Aina* dicitur à D. Hieronymo in locis Heb. *Agas & Ai*, in Iſaia, *Aiath* appellatur. vt notat Montanus in indice bibliorum. Per eam Sennacherib tranſiit oppugnaturus Hieruſalem. Eiuſdem fit mentio Iſaiæ 10. Hierem. 49. & 1. Eſdræ 2. & 2. Eſdr. 7. Fuit ciuitas quondam pulcherrima. Eius D. Hieron. ætate, vt ipſe de locis Heb. teſtatur, vix paruæ ſupererant ruinæ, & locus pro vrbe monſtrabatur.

Situs, & confinia Hai, quæ Ada vel Aina vel Aiath. *Hai alia apud Hieremiam.* *Montanus. Adrichomius.* *Ioſephus 5. Antiq. Hieronymus. Iſai. 10. Hierem. 49.* *1. Eſdræ 2. 2. Eſdræ 7.*

8. *Bethauen*, ciuitas eſt alia à *Bethel*, vbi caſtrametati ſunt Philiſtæi contra Saul, 1. Reg. 13. confunditur à pleriſque cum Bethel, ſed imperitè. Occaſionem erroris dederunt Hebræi, affirmantes ex eo tempore, quo in Bethel ab Hieroboam vituli aurei fabricati ſunt, & à decem tribubus adorati; Bethel vocari Bethauen, id eſt, domum idoli, quæ ante vocabatur domus Dei. Hoc errore notato dicendum eſt, Bethauen aliud eſſe oppidum à Bethel, vt late probat Abulenſis quæſt. 6. & ſatis indicat contextus huius capitis,

Bethauen. 1. Reg. 13. *Bethel vocatur oppidum idolorum, ob domos propter vitulos. Abulenſis.*

cum

1. Reg. 14.

cùm dicitur: *contra Haj, quæ eſt iuxta Bethauen ad orientalem plagam, oppidi Bethel.* Hoc illud eſt oppidum vbi Ionathas, cùm mel comediſſet, quod voto prohibuerat Saul, parùm abfuit, quin patris iuſſu occideretur. Iam diuerſum eſſe à Bethel præter D. Hieronym. Abulenſ. & alios affirmat Chriſtianus Adrichomius in theatro terræ ſanctæ, in Geographia Beniamin, num. 40.

Hieronym. Adrichomius.

9. Quod attinet ad Bethel, interpretes accuratiores, enarrantes illud Oſeæ cap. 4. *Et ne aſcenderitis in Bethauen*, &c. duplicem conſtituunt Bethel (tametſi vnicam Maſius, infrà ſuper cap. 16. conſtituat) Alteram in ſorte tribus Ephraim, de qua loquitur Oſeas. Alteram in ſortè tribus Beniamin, de qua hic, & c. 18. loquitur Ioſue. Illius, quæ erat extra ſortem Beniamin & Luza dicta eſt, meminit Ioſue eodem cap. 18. Quare Luza ſiue Bethel, quæ erat extra ſortem Beniamin ſignificatur, vt colligit Lyranus, ab Oſea cap. 5. cùm ait: *Vlulate in Bethauen, poſt tergum tuum Beniamin*, &c. Quæ verba explicans D. Hieronym. præfatus, Bethauen eſſe, quæ priùs dicebatur Bethel, ait; *Pulchrè dixit, quod Bethauen poſt tergum ſit Beniamin. Vbi enim tribus finitur Beniamin, haud procul in tribu Ephraim, hæc vrbs cōdita eſt.* Vnde perſpicies D. Hieronym. correxiſſe ſuam ſententiam. Scripſerat námque in locis Hebr. Bethel, quæ primum Luza vocabatur cecidiſſe in ſortem Beniamin duodecimo ab Ælia lapide. At ſuper Oſeam, in quem poſt commentarios de locis Hebr. ſcripſit, aliter ſentit. Hæc igitur Bethel de ſorte Ephraim eſt, cùm prius Luza diceretur ab amygdalorum frequentia, Nam לוז, *amygdalus*. Hebræis eſt: à Iacob dicta eſt Bethel, id eſt, domus Dei Gen. 28. quod expergefactus, poſt viſionem ſcalæ, in hæc verba proruperit. *Verè non eſt hic aliud niſi domus Dei*, &c. appellauítque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Quidam ex his verbis, ſequentes Græcos codices, putarunt Luzam prius dictam eſſe Vlamaum; in qua opinione fuit Auguſt. quæſt. 85. & 113. in Gen. Cæterum aſſertores huius ſententiæ carpit Hieronym. in loc. Hebr. & in Traditionibus in Gen. Quoniam, *Vlam*, non nomen vrbis eſt, ſed vocabulum Hebræum, quod ſignificat *prius*. Ita enim eſt in Hebræo, *Et vlam-luz nomen ciuitatis a principio.* At quoniam hæc vrbs tempore O[illegible] ſedes erat idololatriæ, per irriſionem a propheta vocatur, non *Bethel*, id eſt, *Domus Dei*, neque *Luza*, id eſt, *amygdalus*, ſed *Bethauen*, id eſt, *domus iniquitatis*, vt vertit Theodotion, aut *domus inutilis*, ſiue *nihili*, vt verterunt Aquila, & Symmachus. Et verò in prophetis, ſiue legamus Bethauen ſiue domum און. *on*, ſemper Bethel, quæ *Luza*, olim vocabatur intelligi exiſtimo. Quare & Chaldæus Paraphraſtes cap. 7. & 10. Oſea pro *Bethauen*, poſuit *Bethel*. Hebræorum igitur opinio, quam Lyranus probabilem putat, in eo poteſt admitti, ſi *Bethel*, quæ olim *Luza*, dicta fuit, cum *Bethauen*, confundat, ob rationem aſſignatam. Non verò ſi nullam agnoſcat Bethel in ſorte Beniamin, de qua hic eſt, ſermo; Hæc enim alia eſt ab illa. Vt ergò Luza ab euentu dicta eſt Bethel quod ibi viderit Iacob Deum ſcalæ innixum, quamuis eo tempore alia eſſet einſdem nominis vrbs, quæ attributa fuit tribui Beniamin, de qua agitur hoc 7. capite. Ita ipſa Bethel ab euentu alio, id eſt, ab idolorum cultu dicta eſt Bethauen, quamuis altera eſſet vrbs, quæ Bethauen diceretur, Etymologia in ipſam aptè conueniente. Itaque, ſic mihi videtur Oſeas Bethel vocare Bethauen, ac ſi diceret. *Quæ olim vocata es Bethel, id eſt, domus Dei; iam indigna es hoc nomine; digna es, quæ voceris Bethauen, id eſt, domus vanitatis, iniquitatis, & idoli.* Non meminit autem Dan, vbi erat altera vitula aurea, quoniam Bethel erat longè celebrior, tum ob antiquam loci ſanctitatem; tum quia Hieroboam ibi primum idola adorauit, 3. Reg. 12. Hinc illa querimonia Oſeæ, cap. 10. *Vaccas Bethauen coluerunt*, id eſt, vitulum aureum & vaccas, quas cum vitulo plures fecerunt Iſraelitæ, & adorauerunt, Ægyptiorum ſuperſtitionem imitantes. Idque in Bethel Ephraim, quæ Bethauen ob idola dicitur.

Oſea. 4. Maſius. Duplex Bethel. Ioſue. 18. Lyranus. Oſea. 5. Hieronym. Hieronym. in lib. de locis Hebr. ad finem. Luza dicta eſt a Iacob Bethel, id eſt, domus Dei. Gen. 28. Vlamaum. Auguſt. Theodotion. Aquila Symmachus. Chald. Par. Lyranus.

Vrbs, quæ olim ob viſionē ſcalæ dicta eſt domus Dei, poſtea ob idololatriam vocata eſt domus idoli.

3. Reg. 12. Oſeæ. 10.

10. Video nihil contrarium ſacris litteris aſſeuerari, ſiquis dicat cum Maſio vnam fuiſſe Bethel, quæ attributa fuerit tribui Beniamin, & ab Ephraim poſteà vindicata per proditionem, vt notat Adrichomius loco citato; num. 42. Huic námque quadrare poteſt Luzæ & Bethelis, nomen; & Bethauen appellatio propter idola Hieroboam: Eſt enim Bethauen idem quod domus idoli, cuius deſtructionem vaticinatur Amos, cap. 3. & iuſſu Ioſiæ Regis facta narratur, 4. Reg. 23.

Maſius. Adrichomius. Amo. 3. 4. Reg. 23.

A Ioſue itaque exploratores præmittuntur, qui etiam viam cernant, & locis ſitum conſiderent vrbis Haj, quam oppugnare animus erat. Huic muneri obeundo non quoſcunque milites, ſed ſtrenuos, ac planè viros elegit. Qui iuſſa exequentes reuerſi ſunt, & dixerunt Imperatori ſuo.

11. *Non aſcendat omnis populus, ſed duo, vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem.*] Re perſpecta exploratores, vrbem minimè difficilem eſſe expugnatu, communi ſuffragio decernunt. Imò ſine magno ſumptu, paucis armatorum millibus, nimirum duobus, vel ſummum tribus euertendam, ne dum obtinendam aſſirmant.

12. *Quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos?*] Cenſent deinde exploratores reliquam exercitus multitudinem, quæ numeroſa erat, & frequens quieſcere interim oportere dum a paucis itur ad pugnam; Quid enim opus eſt fatigari? In plano loco commodiſſimum eſt tantiſper immorari, dum a ſocijs hoſtis debellatur. Erat Haj in edito loco poſita, & ſitu magis, quam armis munita. Quare a paucis, ſi humano conſilio res ageretur, capi poſſe videbatur. Eſt autem militaris prudentiæ laus, non mandare multis, quod à paucis confici poteſt, vt indicat illud Luc. 14. *Quis Rex iturus cōmittere bellum aduerſus alium Regem, non ſedens prius cogitat ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe*, &c.

Prudentiæ eſt non mandare multis quod a paucis fieri poteſt. Luc. 14.

13. *Aſcenderunt ergò tria millia pugnatorum: qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt a viris vrbis Haj.*] Paulo aliter numerum armatorum, quos Ioſue miſit contra Haj refert Ioſephus; Sic enim ſcribit lib. 5. Antiquit. Poſt paucos verò dies vaſtationis Hiericho, miſit IESVS triginta millia armatorum in ciuitatem Haj poſitam ſupra Hiericho, quatenùs dimicarent. Et congreſſis hoſtibus ceciderunt Hebræorum viri, ſex & triginta, &c. Apertè recedit hic Ioſephus à veritate ſacræ hiſtoriæ augens numerum pugnatorum, fortè, vt veriſimilior ijs, quibus ſcribebat videretur narratio: Vel, ſaltem, vt plauſibilior reddatur hiſto-

Ioſephus.

Ioſephus recedit a veritate ſacræ hiſtoriæ dum ait miſiſſe Ioſue contra Haj, triginta millia armatorū quod interdum facit

Abulenſ. Iudic 4. Ioſephus.

ria, ex congreſſu numeroſæ multitudinis. Quod nos cap. 3. annotauimus ex Abulenſ. quæſt. 39. & 40. Nunc, vt alia exempla prætermittam illud ſatis eſt, quo ex ſcriptura habemus Iudic, 4. à Rege Iabin, nongentos currus falcatos in bellum parari. At Ioſephus lib. 5. Antiquit. tria millia curruum numerat.

Veritas nobis ſacræ ſcripturæ tenenda eſt. Itaque cum duo millia ſatis eſſe putarentur, miſſa ſunt tria millia pugnatorum virorum, qui incolumes ad portas vſque vrbis adrepſerunt. Fracti tamen animo, & diuinam prouidentiam, cuius ſingulari ope ſibi in alijs certaminibus præſente, omnia aduerſæ fortunę tela retundebant, ceſſaſſe experti, nulla inita pugna, viſo tantùm hoſte fugerunt. Atque conſpectis oppidanis, vt Hebræa Chaldæa, & Græca lectio exprimit, ſtatim terga verterunt. Hinc apertè concluditur à Deo immiſſum fuiſſe timorem in Iſraelitas, in pœnam furti anathematis; Sic enim, cùm ei placuit, immiſit timorem in Hierichuntinos, quo perculſi, veluti inertia pecora ab Iſraelitis, occidebantur, poſtquàm muri ſuæ ciuitatis, miraculo corruerunt.

14. *Et corruerunt ex eis triginta & ſex homines; & ceciderũt per prona.*] Oppidani, vbi perturbatis ordinibus fugere Iſraelitas conſpexerunt. Cùm ſuperiores loco eſſent montis decliuitatem, ipſis melius cognitam, ſecuti; exercitus fugæ cædem, 36. militum addiderunt. Quidam, vt refert Abulenſ. quæſt. 12. putant eos, qui occiſi fuerunt pœnas dediſſe ſceleris, quòd admiſerunt ſacrilegio Achan conſentientes. Hoc tamen non conſtat; ſicut nec illud, quod à quibuſdam dicitur; propterea de domo Achan, 36. incendio, & lapidatione perijſſe, quia totidem, in bello contra vrbem Haj ob peccatum illius, fuerint interfecti. Quomodò autem peccante Achan iſti 26. viri puniti fuerint capite præcedenti explicauimus, vide ibidem Abulenſ. quæſt. 30. aliâs quæſt. 42. vbi latinè legimus, *per prona*. Hebraicè eſt verbum, quod decliue & pronum, & timiditatem etiam ſignificat.

Ambroſ. *Milites, 36. occiſi in Haj putantur quod peccato Achã conſenſerint.*

De domo Achã 36. lapidati ſunt, pro numero interfectorum apud Haj.

Abulenſ.

15. *Perſecutique ſunt eos aduerſarij de porta vſque ad Sabarim.*] Ad portam vſque peruenerant Hebræi milites, quibus oppidani occurrentes, nihil impedimenti, quo minùs voto potirentur, oppoſuerunt. Cæterùm cum primo tantùm aſpectu territos fugere viderent; à porta vrbis, quam occupauerant ad locum vſque depreſſum, quà mons interrumpebatur, fugientes inſecuti ſunt, & triginta ſex occiderunt. Deſcribitur autem ſpatium intra quod malè pugnatum eſt ab Hebræis. Ducitur id ſpatium à porta ciuitatis, vſque ad locum fractionum. *Sabarim*, quippe, vt plerique Hebraizantes, inter quos Caietanum numero, arbitrantur, non eſt hîc nomen proprium, ſed appellatiuum ſignificans fractiones: Situs námque loci præcipiti decliuitate inter prærupta ſaxa pendentis, ſignificatur. Vnde & Hebraicè non dicitur, *& ceciderunt per prona fugientes*, quamuis ea tranſlatio, ſatis accommodata ſit, ſed dicitur: *Et percuſſerunt eos in pendulo.* In loco námque inter montis fractiones, pendulo, occiſi ſunt Iſraelitæ. Fauet huic interpretationi Arias Montanus in commentario huius capitis, Dionyſius Carthuſianus, & Abulenſ. quæſt. 13. vbi quærit, an *Sabarim*, ſit nomen loci, aut agri, vel potiùs appellatiuum; tandémque ſi appellatiuum ſit, eo ſignificari ait laſſitudinem. & confractionem,

Hebraizant es. Caietanus. *Sabarim, id eſt, fractiones.*

Montanus.

Carthuſian. Abulenſ. *In loci fracti laſſitudine terga verterũt ciuibus Haj.*

A vt nimirum intelligamus Iudæos, vſque ad defatigationem nimiam, à porta vrbis Haj, fugiſſe, cum 36. militum ſuorum iactura: Si verò proprium (quod vulgata indicat tranſlatio) terminum fugæ deſignari, quæ vulgò *Sabarim* nominetur.

16. *Pertimuitque cor populi & inſtar aquæ liquefactum eſt.*] Audita clade inſperata, populus formidare cœpit; eóque viſis militibus, qui aduerſo Marte refutati, in caſtra venerant, proceſſit timor, vt cor populi pertimuiſſe dicatur. Erant namque illius populi cor vnum, & anima vna. Quare ſicut in corpore, vno membro languente,

Amor populi [illegible] facit.

B cætera quoque dolorem ſentiunt; ita tribus hominum millibus, in turpem fugam fœdè compulſis, & triginta ſex deſideratis, exercitus totus timuit, & languere cœpit, atque hoc affectu fortiſſimi etiam quique laborarunt. Dicitur autem cor populi inſtar aquæ liquefactum, hoc eſt, diſſolutum quaſi aqua, vt intelligamus hoc tropo extremam exanimationem. Audacia namque gignitur collectis in vnum animi, & corporis viribus. Vnde propterea aliqui iram colligunt, vt cùm libuerit, fortiùs exardeſcat. Sic Boetius lib. 1. de conſol. proſa 4. cùm efficaci oratione philoſophiam alloqui vellet, inquit, *Tum ego collecto*

Audacia gignitur collectis in vnum, animi & corporis viribus. Boetius.

C *in vires animo dixi* &c. Et Turnus apud principem poëtarum Danaeis, ſibi infenſi hominis orationem audiens, iram colligit, quæ vix locum reſponſioni dabat, vt indicant illa verba.

Aeneid. 12.

Talibus exarſit dictis violentia Turni

Dat gemitũ, rumpítque has imo pectore voces, &c.

E contrario autem cùm aliquis timet, ſoluuntur vires; & ignauo frigore cor quodammodo emoritur, calore in varias partes labente: quod ſignificauit Virgilianus Entellus his verbis.

——Non laudis amor, nec gloria ceſſit

Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta

D *Sanguis habet, frigéntque effœta in corpore vires*, &c.

17. Hinc, diſſolui eorum cor dicitur, qui nimis timent; Sic Amorrheorum, & Chananæorum Regum metus, poſt tranſitum filiorum Iſraël per Iordanem, exprimitur ſuprà cap. 5. *Poſtquàm audierunt omnes Reges, &c. quod ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filijs Iſraël donec, tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus timentium introitum filiorum Iſraël*, &c. Porrò exaggeratur timor, quando inſtar aquæ cor liquefieri dicitur. Significatur námque nihil virium in præcordijs relinqui, quemadmodùm, cùm ex amphora liquor omnis effunditur. Quo tropo,

Diſſoluitur in timentibus.

Liquefieri cor dicitur quaſi aqua, cum nihil virium relinquitur.

E Gen. 49. eleganter vſus eſt Iacob, vt indicaret nullam primogenituræ benedictionem Ruben relictam eſſe. *Effuſus es*, inquit, *ſicut aqua, non creſcas*, &c. Prætereà cor inſtar aquarum liquefactum, valde Emphaticè dictum eſt. Aquæ enim cùm flante Borea gelidæ ſunt, in vnam coëunt molem, & ſolidantur. Cùm verò Zephiro flante liquefiunt, à ſe ipſis labentes diffugiunt. Ita & cor noſtrum cùm collectæ vires ſunt, audacter agit: Cùm verò liquefit, vires inſtar aquarum dilabentes, diſſoluuntur.

Gen. 49.

18. Itaque omne cor languebat, omnis conſcientia premebatur, Dei occultum erat iudiciũ; Ignorabatur ſcelus ob quod tanta clades obuenerat, in hac rerum perturbatione, cuiuſmodi conſilium ſit capiendum pulcherrimo exemplo docuit Ioſue: qui rem ex diuina ſententia profectam interpretatus, non pugnam auctis copiis inſtaurare, non quicquam priùs agere ſtatuit,

Cum [illegible] ad Deum confugiendum eſt.

quam

quam Dei Iſraelitis inſenſi iram pœnitentia, & efficaci oratione placare, & modum, quo id fieri poſſet ab ipſo Deo efflagitare. Illum conſecuti ſunt Iſraelitæ, de quibus ita Ioſephus lib. 5. Anti. cap. 1. *Potiores inopinabiliter videbant hoſtes, & ſaccos ſuperinduentes ſtolis ſuis, tota die erant in luctu, & lacrymis conſtituti, nulli requirentes cibum: caſu ſiquidem, qui contigerat grauiſſimè videbantur afflicti.*

Ioſephus.

Verſ. 1.] Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate.

Quomodo propter alienum peccatum, aliqui à Deo iuſtè ſoleant puniri?

ANNOTATIO I.

Ezech. 18. 1. NEMINEM à Deo pro peccato alieno puniri, confirmare videntur aliqua ſacræ ſcripturæ loca. Primùm, Deus Ezech. 18. *Filius*, inquit, *non portabit iniquitatem patris: ſed anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Secundò, Deut. 24. vetuit patres occidi pro peccatis filiorum, & filios pro peccatis parentum; ſed pœnam cuique ſuæ culpæ reſpondentem, præſcripſit. Tertiò, Sapientiæ 12. ſcriptum eſt. *Iuſtè omnia diſponis, ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum iudicas a tua virtute.*

Deut. 24. *Sap. 12.*

Pœna triplex ſignificatio. 2. Quid tamen ſentiendum ſit facilè conſtabit, ſi prius tres pœnæ acceptiones præmiſero. Accipitur námque vno modo propriè vt vera pœna eſt, & culpæ reſpondet. Altero impropriè, quo pacto medicinæ potiùs, quàm ſupplicij rationem habet. Tertiò, ſecundum vtramque ſignificationem ſimul. Si pœna propriè ſumatur, nonniſi peccato, quo æqualitas iuſtitiæ violata eſt, applicari ſolet, vt voluptas peccati contra legem patrati pœnæ acerbitate compenſetur. Quoniam verò peccatum voluntate ſuſceptum eſt, opus eſt vt actus perſonalis ſit, cui ſua pœna reſpondeat, nec ad alios extendatur. Quid ſi accipiatur, vt vim medicinæ habet? certum eſt, eam ſic non in bonis ſpiritualibus, & corporeis duntaxat verſari. Vnde hac pœna ſæpe affici innocentes, & videmus, & legimus, vt patet ex ſancti Iobi, & Tobiæ hiſtoria. Vtilis eſt autem, iuſtis talis pœna, vel ad ſanandas peccatorum reliquias, vel ad futura crimina præcauenda, vel certè ad cumulatiorem gratiæ fructum, ex tolerantiæ merito percipiendum.

Pœna propriè applicatur culpæ qua æqualitas iuſtitiæ violatur.

Pœna interdum habet rationem medicinæ.

3. Habet autem afflictio aliquando rationem pœnæ ſimul, & medicinæ, vt ſi per eam ſatisfit legi peccato violatæ, aut is, qui affligitur ex perpeſſione ſpiritualem capit vtilitatem; quia etiam culpam deteſtatur, & ad id, quod bonum eſt afficitur.

Sunt & in duplici genere bona, quibus aliquis, dum pœna mulctatur, priuari poteſt. Quædam enim ſunt ſpiritualia, vt ſi quis priuetur diuina gratia, virtutibus infuſis, & cæleſtibus auxiliis, quæ bonum hominis ſtatum, & Deo gratum, vel continent, vel conſeruant. Quædam corporalia, vt ſi quis priuetur ſanitate, viribus, diuitiis, honore, & amicorum cognatorúmque præſidio.

Explicatur quæſtio. 4. Hinc haud difficile eſt ad paucas, & quàm veriſſimas propoſitiones conferre doctrinam,

A qua propoſitæ quæſtionis explicatio manifeſta fit. Prima eſt: Neminem puniri pro alieno peccato pœna ſpirituali. Tum quia pœna ſpiritualis animam afficit, ſecundum quam vnus homo, nec eſt aliquid alterius, nec ex alio depēdet. Huic doctrinæ concinit illud Ezechielis cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij, ſed anima quæ peccauerit ipſa morietur. Ecce omnes animæ meæ ſunt, vt anima patris, ita & anima filij mea eſt.* & infrà. *Si impius genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui, quæ fecit, timuerit Deum, nec fuerit ſimile eis, hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita viuet.* Huc etiam ſpectat locus, Deut. 24. & Sapient. 12. citatus.

Prima propoſitio. Nemo punitur pro alieno peccato pœna ſpirituali. *Ezech. 18.* *Deut. 24. Sap. 12.*

B 5. Secunda propoſitio: Corporali pœna poſſe puniri aliquem propter aliorum peccatum, vel cùm eſt expers culpæ, ob quam plectitur, vel cùm eſt particeps, ex ſacris literis manifeſtum eſt. Et quidem fieri punitionem, tam bono eius, qui punitur, quàm eorum, propter quorum delicta affligitur, exemplo eſſe poſſunt Ezechiel, & Daniel: Hi námque cum innocentes eſſent, tamen participes fuerunt captiuitatis, & calamitatis, quam Hebræi ob ſuam impietatem perpeſſi ſunt. Magno autem bono fuiſſe Hebræis, quod hi duo prophetæ ſimul cum illis in captiuitatem fuerint abducti; ex eo conſtat, quia & tolerabilior reddita eis eſt captiuitas, & religio, inter idololatras C ſæpe in periculo poſita, illorum ope fuit conſeruata.

Secunda propoſitio. *Innocentes pœna corporali aliquando puniuntur, cum nocentibus.*

6. Quid ſi quis corporali pœna mulctetur propter aliorum peccata, à quibus ipſe longiſſimè abeſt? Profectò ea pœna, in malum hominis cedit, cuius cauſa punitur; ipſe verò, qui affligitur, emolumentum ex perpeſſione referre poteſt. Sic propter parentum flagitia etiam innocentes liberi puniuntur: & propter dominorum ſcelera ſerui, & ſubditi inſontes. Talis autem punitio, magno ſcelerum authoribus ſupplicio eſt, & doloris tormento; ipſis autem filiis, & ſeruis vtilitatem affert, dum huiuſmodi pœnis a ſcelerū imitatione deterrentur. Huc pertinet illud, Exod. 20. D *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis & zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Sunt & ſimilia loca, quæ facilè occurrunt ſacras literas euoluenti.

Innocentes liberi cum puniuntur propter ſcelera parentum, vtilitatem reportant. *Exod. 20.*

7. Vt tamen hic Exodi locus intelligatur, quid Hebræi, & quid Chriſtiani doctores ſentiant, in medium afferam. Hebræorum interpretatio eſt, Deum differre patrum ſupplicium, ſi ij forte reſipiſcant. Quod ſi filij eorum, nepoteſque, atque etiam pronepotes illorum improbitatem imitentur: tunc demum pœnas à Deo repeti, & maiorum flagitia in poſteris vendicari. Rab. Moſes Gerundenſis aſſerit, vnius duntaxat idololatriæ E pœnas luere filios, ſi ipſi quoque idola venerentur; cæterorum verò criminum haudquaquam. Eo nimirum modo, quo leges ciuiles, vnum læſæ maieſtatis crimen, non autem alia flagitia in filiis puniunt. Atque hæc interpretatio à Catholicis ferè recipitur.

Quid ſit viſitare iniquitatem patrum in filios. *Prima interpretatio.* *Filij imitatores patrum, in quorum viſitatur pœna iniquitas.* *Rab. Moſes.* *Solam idololatriæ imitationem puniri in filiis.* *Secunda interpretatio.*

8. Secunda interpretatio, quæ multis placet eſt, ſignificari illis Exodi verbis patientiam & longanimitatem Dei, non ſtatim punientis ſcelera, ſed longanimiter expectantis, dum ſuorum criminum homines pœniteat, & ipſi de ſe pœnam ſumentes, vicem diuinæ impleant vltionis. Verbum verò, *pachad*, pro quo Latinus interpres poſuit, *viſitare*, non ſolùm ſignificat viſitare, ſed e-

Significant Exodi verba Dei patientiam, in pœnis irrogandis.

tiam recordari, ſicut dictio, *Aon*, cum iniquitatem ſignificet, ſæpe tamen adhibetur pro pœna iniquitati debita: vt apud Hieremiam, Thren. 4. *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento.* Quorum verborum hæc eſt ſententia: pœnam, quam Deus Hebræis intulit tempore captiuitatis Babylonicæ, grauiorem ſupplicio Sodomorum, & acerbiorem fuiſſe: cum illa calamitas lenta, & diuturna fuerit; hæc autem breuiſſima. Breuitas autem pœnæ, grauitatem minuit. Quare a Deo viſitari iniquitatem patrum in filiis, nihil videtur aliud, quàm a Deo, quæ maiorum ſcelera, quaſi punire oblitus, reliquerat multa, eadem in poſteris inuenta, vendicari. Hinc in Pſalm. 108. dictum eſt: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.* Et 3. Reg. 17. vidua Sareptana dixit Eliæ. *Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.*

Thren. 4.

Captiuitas Babylonica, grauior pœna reputatur ob durationem, ſupplicio Sodoma.

Pſal. 108.

3. Reg. 17.

Theodor. *Tertia interpretatio.*

9. Tertia interpretatio eſt Theodor. qu. 20. in Exod. Ait enim verba illa continere Dei comminationem, terrificam magis, quàm efficacem, id eſt, quæ vim habeat deterrendi homines a flagitiis malorum, quæ, illorum ergò poſteritati accident, metu iniecto: non autem quod ea comminatio effectum aliquando ſit ſortitura. Solet quippe Deus, quæ illius eſt benignitas, grauiora minari ſupplicia, quàm ſumere: *vult enim omnes homines ſaluos fieri.* Neminem verò ob aliena peccata puniri teſtatiſſimum fecit, inquit dicens, *Filius non portabit iniquitatem patris, ſed anima, quæ peccauerit ipſa morietur.*

Comminatio Dei in 3. & 4. generationem.

1. Tim. 2.

Ezech. 18.

Quarta interpretatio.

10. Quarta interpretatio, quæ eadem eſt cum ſecunda, adducitur ab eodem Theod. magiſque ab illo probatur, quam ea, quæ proximè explicata fuit. Ait enim verba illa Dei, non ſignificare diuinæ vindictæ ſeueritatem, ſed potius diuinæ patientiæ ſuauem curſum: quippe qui non ſtatim, vt quiſque peccat, pœnas ſumat, ſed diu ſupplicium, in tertiam ſcilicet & quartam generationem proroget. Verùm, ſi poſteri ſuorum maiorum ſcelera pergant imitari, Deum non amplius conniuere, ſed quæ multa in patribus reliquerat, ea tandem in poſteris vindicare. Quod Deum facere, ait, ne ex perpetua impunitate intoleranda oriatur peccandi licentia; eaque opinio animis inſideat, qua nihil Reip. pernicioſius poteſt accidere, nulla Dei prouidentia mundum regi. Vt enim (inquit Eccleſ. 8.) *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſq; timore vllo filij hominum perpetrant mala*, &c. Hæc interpretatio valde idonea eſt, & ſacræ ſcripturæ conſentanea.

Vindicat Deus in ſceleratis nepotibus, quæ in auis multa reliquerat.

Eccleſ. 8.

11. Sed quid eſt vindicare in tertiam, & quartam generationem, patrum peccata in filiis? Primùm dico nominari tertiam & quartam generationem, quia vſq; ad id temporis poſſunt progenitores viuere, atque adeò inuicem videre, & poſteri peccata maiorum, quæ imitantur, & maiores poſterum pœnas ſibi dolori futuras. An nõ filij peccatis parentum innutriti, procliuiores, & magis audaces redduntur ad peccandum? Quaſi quoddam miraculum deputat ſcriptura, Numer. cap. 26. filios Core peccati eius non fuiſſe participes, nec vnà cum patre interiiſſe. *Factum eſt*, inquit, *grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent.*

Filij peccatis parentum innutriti procliuiores ſiunt ad peccandum

Num. 26.

Viſitare generationem in tertiam, & quartam generationem, hoc eſt in multas generationes, & longam geneſim.

12. Deinde nihil abſurdi mihi videtur eſſe ſi quis dicat; in tertiam & quartam generationem, dictum eſſe, quaſi in multas generationes. Nam Hebræa lingua multitudinem ternario ſignificat cum ſi alium numerum addas, verbi gratia, quartum vt hoc loco, exceſſum deſignabit multitudinis. Vnde Eccleſ. 16. *Ab vno ſenſato inhabitabitur patria, & a tribus impiis deſeretur.* Sic apud Latinos dicitur etiam aliquis, ter maximus; ter quaterque beatus; ter venerandus. Ergo viſitare in tertiam, & quartam generationem eſt in longam poſterorum geneſim pœnas culpæ debitas prorogare.

Eccle. 16.

13. Pro particula illa: *Eorum, qui oderunt me.* Iudicat non ſolum parẽtes, ſed filios etiam, qui puniuntur in improbitate deprehendi. Quod cùm ita ſit, dicuntur adhuc filij puniri propter parentum ſcelera, quia licet ipſi eam vindictam ſceleribus ſuis promeruerunt, tamen ad mali exempli paterni deteſtationem, ea locutio vſurpari ſolet. Quomodo autem Deus pro peccato vnius hominis totam communitatem iuſte aliquando puniat, in contextu explicauimus. Id enim accidere fere ſolet quando quis præceptum tranſgreditur, cui adſtricta erat tota communitas, vt contigit in ſcelere Achan: quòd licet occultum fuerit, pœna tamen ad omnes Iſraelitas peruenit: vnde dicitur, filios Iſrael præuaricatos fuiſſe mandatum. Confert ad explicationem huius loci, Origen. ſententia, quam retulit Gratianus d. 45. cap. vlt. Ea eſt: vnius culpa prouocari iram Dei aduerſus populum, quando qui peccant nimis indulgenter habentur a magiſtratu, nec coercentur iuſta ſeueritate. Nam & Apoſt. 1. Cor. 5. ob hanc cauſam acriter obiurgat Corinthios. Hæc tamen ſententia locum habet in iis flagitiis quæ vulgò ſciuntur. Hæc enim ſi non puniantur, ſuccenſet Deus magiſtratibus, & populo. In occultis, quale fuit Achan, alia eſt ratio. Quare in ſupplicio Achan, id effici a Deo arbitror, vt non ſe ſolum quiſque curet, ſed mutuum inter ſe omnes, tãquam vnius corporis membra, ſint ſoliciti, & intelligãt, quam ſancto, & indiuiduo vinculo, ſub vno capite Deo, conſtricti teneantur. Eóque quiſque adlaboret, ne non ſolùm ſua, verùm nec ſocij ſui culpa, ſacrum illud caput offendatur, a quo ſoleat communis in omnia membra dolor deriuari. Ineſt autem in hac pœna vtilitas: quia dum ignoratur peccatum occultum, quiſque timet, & ad Deum conuertitur. Quare pœna huiuſmodi licet ira Dei dicatur, miſericordia potius eſt, & benigni patris admonitio. Qua verò iuſtitia, filios innocentes pro peccato patris, morti Deus ipſe adiudicauerit infrà explicabitur, vbi de his agetur, qui cum Achan occiſi ſunt.

1. Cor. 5.

Verſ. 1.] Nam Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate.

Vnde conſtet Achan fuiſſe nobilẽ? & quid myſterij ſit in ordine, quo nati ſunt Phares & Zaram, iuxta cap. 38. Geneſeos.

ANNOTATIO II.

1. FVISSE Achan virum nobilem ſacer hiſtoricus docet, enumerans illius progenitores,

rores, inter quos ponitur Zare, qui filius fuit Iudæ patriarchæ, & ex Thamar ſimul cum Phares in lucem editus, vt patet Gen. 38. Palmarium autem erat inter Hebræos ex tribu Iuda naſci, ob ſingulares illius familiæ prærogatiuas; quarum præcipua erat expectata à Patribus Meſſiæ natiuitas. Adeò autem honorificum fuit attigiſſe familiam, ex qua naſciturus eſt mundi ſeruator aliqua propinqnitate, vt Zare proauum Achan propterea plerique beatum putent, & felicem, quod viſus ſit in ipſo ortu, velle præire fratrem ſuum Phares, cui primogenitura contigit. In partu námque Thamar prior Zaram extra vterum manum protulit, qua retracta, Phares prior exijt. Contendere quippe iam tum gemelli fratres videbantur, vter primogenitus, & Christi parens futurus eſſet? Quod dubium de primogenitura conſiderans, Matth. cap. 1. honorem gemellis quodammodò partitus eſt; ita Phares in Christi genealogia numerans, vt Zaram non penitus excluderet, ſed ſuum illi quod arrogare ſibi videbatur ius reſeruaret. An non magna laus fuit tam parum abfuiſſe, quin parens Christi eſſet? Accidit in Iacob & Eſau ſimile quiddam. Nónne Iacob in vtero matris, Eſau egredientis plantam tenuit, quaſi prior egredi conatus? Sed non vicit ſicut Phares. Non compos voti factus eſt naturæ iure, aut proprijs viribus, ſed matris induſtria, Dei beneficio, & fratris ſcelere, à quo primogenituram obtinuit. Hinc diſce cur Euangeliſta expreſſerit Zare, dicens: *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Cùm paulò antè ex duobus gemellis, Iacob nimirum & Eſau, alterum non nominauerit. Tametſi ea quoque ratio reddi poteſt, cur potius Zaram, quàm Eſau fuerit nominandus; quia Eſau non ſolùm, quod ad Christi genealogiam ius habebat temerè vendiderit; ſed etiam à corpore Christi, quod erat vetus Eccleſia maiori culpa ſe abduxerit. Aliúmque populum, à populo Dei diuerſum, quaſi aliam Eccleſiam hæreticorum more, conſtituerit.

Gen. 38.

Tribus Iuda magni fiebat propter Meſſiam ex ea naſciturum.

Matth. 1.

Gen. 25.

2. Rab. Salomon, propterea ait fieri hîc Zare mentionem, quod huius digito prius egredientis de vtero, obſtetrix coccineum ligauerit filum dicens Gen. 38. *Iſte egredietur prior.* Quæ poſteà videns ab alio ruptam fuiſſe pelliculam, ob idque prius exijſſe. *Quare*, inquit, *propter te diuiſa eſt maceria, & vocauit nomen eius Phares.* Alius autem vocatus eſt Zaram, id eſt, oriens, vel lucens, quia in digito coccineum prætulit filum, vel quia prior naſci, manu porrecta conatus ſit. Ait ergò Rab. Salomon, coccineum filum Zare digito alligatum ſignificaſſe, fore aliquem de ſtirpe ſua, qui pannum coccineum furaturus erat in anathemate Hiericho. Addit, narrari hic generationem Achan, aſcendendo vſque ad Zare, quia agebatur de furto in auro, argento, & pallio coccineo; quod Zare coccineum filum, manu ſua naſcens prætulerit. Hæc tamen commenta ſunt huius Rabbini, quæ refutari non eſt opus. Mihi ſacra ſcriptura proauos propterea nobiles numeraſſe videtur ſacrilegi Achan, vt conſtaret quantum ille à nobilitate maiorum degenerauerit. Nobilitas autem illius, non ſolùm ex tribu proditur, ſed etiam à Zare proano, cuius inter Hebræos notiſſima erat claritas, ob hiſtoriam, quæ naſcenti accidit. Quam grauiſſimi patres noui teſtamenti allegorica expoſitione ſæpe illuſtrarunt. Et quidem Ireneus, Chryſoſt. &

R. Salomon. Phares diuiſionem ſignificat, quod nomen ei datum eſt, quod membranulam ſecundinarum ruperit. Gen. 38.

R. Salomonis commentum.

Nobilitas Achã proditur, vt ille à maioribus degeneraſſe oſtendatur.

Ireneus. Chry. &c.

A Theodor. iſtos fratres ita præfiguraſſe duos populos, Iudaicum & gentilem aiunt, vt Zaram typus ſit populi gentilis, Phares verò populi Iudaici. Vnde Ireneus, lib. 4. aduerſus hæreſes, cap. 42. Cum ille, inquit, ſcilicet Zaram retraxiſſet manum, prior exiuit frater eius Phares; Et deindè ſecundus ille, in quo erat coccinum, Zara: clarè manifeſtante ſcriptura eum populum, qui habebat coccinum ſignum, id eſt eam fidem, quæ eſt in præputio præoſtenſam, primum in patriarchis, poſt deindè ſubſtractam, vti naſceretur frater eius. Deindè ſic eum, qui prior eſſet, ſecundo loco natum. Hic eſt cognitus per B ſignum coccinium, quod quidem eſt paſſio Christi, &c.

Theodor.

Phares. & Zaram ſignificant duos populos.

3. Idem tradit Chriſoſt. hom. 62. in Geneſ. eleganter, vt ſolet. *Quomodo*, inquit, *erat poſſibile, vt poſtquàm Zara protuliſſet manum extra vterum, atque ea coccino ligata eſſet, hanc ille mox retraheret & daret poſteriori tranſitum, niſi diuina quadam virtus, hæc prius diſpenſaſſet, & ſicut in vmbra quadam præfiguraſſet. quod ſtatim ab initio Zara (id autem eſt Oriens) figura eſſet Eccleſiæ, & fidelium ante legem. Fuerunt enim ſicut Zara, qui manum protulit, & in ea coccinum habuit, Noe, & Abraham, & ante illos Abel & Henoch. quibus magnum ſtudium fuit, vt placerent Deo, Poſtquàm vero in multos propagati,* C *multa peccatorum onera collegerunt, quo, vel paruam aliquam conſolationem haberent, data eſt lex tanquam vmbra quadam, non peccata tollens, ſed tantum demonſtrans. Verùm quia neque lex eis profuit, ſed nihilominùs peccatis immergebantur adueniens communis Dominus noſter ſpiritualem hanc, & virtutibus claram vitam humano generi largitus eſt, cuius figuram Zara implebat.* Hæc Chryſoſt. cuius veſtigijs inſiſtens Theodor. quæſt. 95. in Geneſim quærit, quid indicauerit, quod Phares, & Zaram accidit? In reſponſione autem cum Chryſoſtomo facit; id ſolùm de ſuo addens, nempe funiculum coccineum, antiquorum, ſacrificia denotaſſe, qui etiam ſacrificijs Deum placabant, vt Abel, Noë, D Henoch, Melchiſedech, &c. manum autem retraxiſſe, vt prior egrederetur Phares: quia lex intercesſit media inter eos, qui antè legem, & poſt legem fuerunt. Vnde ad Rom. 7. *lex autem ſub intrauit*, &c.

Chryſoſt.

Zaram, id eſt, Oriens figura eſt Eccleſiæ.

Zaram figura Chriſti Theodor. *Funiculum coccineum antiquorum ſacrificia denotauit.*

Rom. 7.

4. Contrario modo allegoriam tractarunt alij patres. Ex quibus Rupertus, lib. 8. in Geneſim, cap. 31. enarrans illa verba. capitis 38. Inſtante partu apparuerunt gemini in vtero eius; Sic ait. *Tempus eſt, vel dies partus, hoc tempus acceptabile, & hic dies ſalutis ab hora paſſionis Chriſti, cuius amaritudo,* (Sic enim interpretatur nomen Thamar) *id eſt, mors omnem hominem tam Iudæum, quam Gentilem ad æternam vitam parturiuit. Nam iſti ſunt duo* E *gemini, qui in vtero Thamar reperti ſunt inter ſe diſcordantes, & quaſi de priuilegio naſcendi contendentes: quos Apoſtolus exæquare, & ad pacis concordiam formare cupiens, partim exterret minis, partim demulcet promiſſis; Ira,* inquit, *& indignatio, & tribulatio. & anguſtia, in omnem animam operantis hominis malam. Iudæi primùm, & Græci, gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco: non enim eſt, perſonarum diſtinctio apud Deum. Sed quid ſignificat, quod in effuſione infantium vnus protulit manum? Nimirum iſte manum proferens præſignauit Iudæum, qui primus legem accepit, & cui primum oportebat loqui verbum Dei. At ille repulit illud, & indignum ſe iudicauit æterna vita. Manum ergò coccino ligatam ciiò retraxit, id eſt, conſcientiam Chriſti*

Rupertus. Gen. 38

Thamar id eſt, amaritudo.

ſanguine pollutam auertit, alter protinus egreſſus eſt quia gentium populus ad lucem fidei venit, & Deo natus eſt. Hæc ille.

Iſidorus. Zara Iudaicum populum ſignificauit, qui veteratu notauit, cum Chriſtum negauit.

5. Iſidorus ſuper eiſdẽ verbis: *Zara,* inquit, *ſignificabat antiquũ Iſraeliticum populũ ſub lege conſtitutum qui prior quaſi manũ emiſit quando dictis propheticis & legalibus ſacrificijs natiuitatem & paſſionem Domini carne prænunciauit. Sed inſtante partu manum ſubtraxit: quia adueniente plenitudine temporum, credere in Dei filium noluit: Et eum in præſentia poſitum deſpexit de quo tamen multa in poſterum prædixit. Phares porrò, qui interpretatur, diuidens prius egreſſus eſt: quia poſtquàm cæcitas in Iſraël facta eſt, plenitudo gentium introiuit; & ſic poſtmodum Iſraël ſaluus erit.* Hæc Iſidorus.

Cyrillus, ortum Phares ad gentium refert vocationem.

6. Cyrillus, quem citat Catena in Geneſim; ortum Phares ad gentium vocationem refert præcedentem Iſraelitarum vocationem. Quod *Phares,* inquit, *prior egreſſus eſt, non obſcurum ſignum eſt gentes prius ad fidem vocandas, quàm genus Iſraël. Coccinum verò ſanctiſſimum Chriſti ſanguinem ſignat. Quis autem maceriam ſoluit niſi Chriſtus,* &c.

Achan ſe, & tribum ſuam furto fœdauit.

7. Conſtat ergò Achan, non ſolùm propter tribum Iuda, quæ regia erat, ſed etiam propter proauum Zare, nobiliſſimum fuiſſe ſed cùm tulit aliquid de anathemate, furti infamia, & ſe & tribum ſuam fœdauit. Pennas (vt dicitur) nido maiores voluit extendere; fortunámque & rem, quam mediocrem ac tenuem à maioribus acceperat auctiorem reddere. Quod quidem ſi virtute fieret, ſumma laus eſſet, tantùm abeſt, vt vitio id dandum putem. An non hinc laudem corriuabat, qui dixit.

Horat.

Me libertino natum patre, & tenui in re
Maiores pennas, nido extendiſſe loqueris,
Vt quantum generi demas, virtutibus addas.

Nunc autem cùm turpi ſacrilegio, & auaritiæ dedecore obrepere ad rei familiaris incremẽta certauerit, à nobilitate maiorũ deſciuit. Quare tanquam degener & ignobilis pœna plectendus eſt. Nobilibus, ſi maiorum inſiſtũt veſtigijs, honores concedendi ſunt; quod Moſes ſe feciſſe refert, Deut. cap. 1. *Tuli,* inquit, *de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos principes tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos ſingula* &c. Nobiles quippe niſi degeneres præferant animos, quadam videntur neceſſitate, compelli ad honeſtos maiorum ſuorum mores imitandos, quod Boetius de Conſolat. proſa 5. lib. 3. affirmauit; *In nobilitate,* inquit, *bonum id arbitramur eſſe ſolum, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent.*

Deut. 1.

Boetius. Neceſſitas nobilibus impoſita ſequendi maiorum veſtigia.

Verſ. 2.] Iratúſque eſt Dominus contra filios Iſraël.

Cur non liceat hominibus iraſci contra innocentes, eóſque, ſicut Deus interdum facit, pro alieno peccato punire?

ANNOTATIO III.

Duplex diuinæ vindictæ genus.

1. Dvplex diuinæ vindictæ genus eſt. Altero, quo in puniendis in hac vita improbis vtitur Deus. Altero, poſt hanc vitam.

A Deus ergò qui æquiſſimo iure omnia libeans, nihil non iuſtè & decenter facit, improbos & flagitioſos homines, non ſemper corporalibus, & manifeſtis mulctat ſupplicijs. Torquet illos mala conſcientia; dolorem illis afferunt eorum, quos diligunt cruciatus, quibus licet inſontes ſint, ipſorum cauſa affliguntur: vnde ait Abul. quæſt. 8. Achan cum filijs, & filiabus (cùm tamen filij & tota domus, nihil peccauerint, ſiquidem nec furti conſcij illi conſenſerunt, nec fauorem præſtiterunt) iuſto Dei iudicio fuiſſe combuſtum. Quomodo inquis? Auctus eſt reo cruciatus, eorum, quos ob ſuam culpam torqueri videbat,

B conſpectu. Quid ipſi innocentes? Deum iniuſtitiæ arguere non valent. Etſi enim nihil egerint in eo furto filij, & domeſtici Achan; tamen alio crimine inquinati fortè erant, quod ſcrutatorem cordium Deum latere non potuit. Aut ſaltem pœna quam tulerunt pro patris peccato, vitam æternam meriti ſunt, & ſcelerum aliorum condonationem, vt idem Abulenſ. probat, Exod. cap. 34. & Numer. 14. Pœna, inquit, inflicta filijs pro patribus, interdum profecit ad eorum magnum meritum, aut aliquorum criminum deletionem.

C 2. Hinc iam aperire libet cauſam, cur non liceat homini, quod fas eſt Deo. Homo enim, non poteſt iure aliquo, filios occidere pro peccato parentum. Pœnæ námque ciuiles in reos dumtaxat feruntur. Quare cùm innocentes, culpæ, ob quam rei dici poſſint, immunes ſint, mulctari ob alienum delictũ, ſupplicio non debẽt; vnde Deus, Deut. 24. Vetuit filios occidi pro peccatis parentum. Ipſe autem legiſlator Deus cùm ſit hominũ procreator & ſupremus Dominus, quippe qui vitæ ac mortis poteſtatem habeat; bona quæ quiſque habet, ipſamque vitam; poteſt abſque cuiuſque iniuria, cui voluerit eripere: poteſt fi-

D lios inſontes, propter parentum ſcelera, occidere; ídque magno ipſorum bono. Rurſus, vt tali genere vindictæ à maleficijs proniores ad peccandum homines, abſterreantur. Nimirum intelligentes, ſuorum ſcelerum vindictam, ſeram quidem eſſe poſſe, irritam verò aut prætermiſſam nequaquàm.

3. Quid poſt hanc vitam? Merentes ſolùm Deus punit; nec quiſquam pro alieno peccato plectitur. Hîc námque pœnæ, medicinæ rationem habere poſſunt; illic nullo modo. Quare humanum tribunal imitari debet diuinum iudicium; non in illo priori, ſed in hoc poſteriori puniendi

E genere. Nullus enim hominum vitæ, mortis, corporis aut bonorum pleno iure Dominus eſt: nec ſcire poteſt cui, aut quo tempore mala temporalia profutura ſint; nec quem interficit, viuificare valet.

4. Igitur atroci pœna; mortis nimirum, mutilationis aut verberum nemo humano iudicio, niſi pro peccatis proprijs condemnari aut mulctari debet. Pœna verò alia, qualis eſt amiſſio bonorum temporalium, etiam ſine culpa, nec tamen iniuſtè quidam interdum plectuntur propter aliorum peccata, vt huiuſmodi damnum ad criminis, quod reus aliquis admiſit, deteſtationem, etiam inſontes impellat. Sic cùm in aliqua ciuitate multi flagitium ingens patrarunt; ciuitas ipſa, priuilegio aliquo, aut immunitate priuatur interdum: quod damnum ad innocentes etiam deriuatur. Itemque ob leſæ maieſtatis cri-

men, non ſolùm ad reum, priuatio bonorum, & A
publici honoris, ſed ad illius etiã filios, pertingit.

5. Iam ergo conſtat quomodo intelligi debeant illa verba: *Iratúſque eſt Dominus contra filios Iſrael.* Potuit námque ſine iniquitatis nota etiam in innocentes Deus iraſci, & pœnam ob vnius peccatum; etiam mortis infligere, non peccantibus, cùm Dominus ſit vitæ & mortis, & pœna temporaria, tamquam conuenienti medicina, vti poſſit. Homo autem ei, qui non peccauit, pœnam corpoream irrogandi, poteſtatem non habet cùm dominus vitæ non ſit.

Differri ſupplicium peccantibus ſeueritatis magis, quàm miſericordiæ indicium eſt. Greg. Papa.

6. Quod autem Deus peccantibus ſupplicium, non ſtatim inferat, non eſt miſericordiæ, ſed ſeueritatis indicium. Vnde Gregorius ſuper illa B
verba Iob 35. lib. 26. Moral. *Nunc non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur valde Deus.* Vel vt vulgata editio habet. *Nunc enim non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur ſcelus valde. Peccata,* inquit, *hominum diuina ſeueritas inulta remanere non permittit, ſed iram iudicij à noſtra hic correctione inchoat, vt in reproborum damnatione conquieſcat. Eant ergo nunc reprobi, & voluptatum ſuarum deſideria inulta iniquitate conſument, atque eo temporalia flagella non ſentiant, quod æterna eos ſupplicia expectant. Bene autem inulta eorum nequitia Chan peccante ſignata eſt, cui à patre dictum eſt: Maledictus Chanaan puer, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis: ſed quid eſt quod Cham* (Gen. 9.)
peccante Chanaan eius filius ſententiam vltionis accepit. Niſi quod reproborum nequitiæ, hic quidem inultæ C
proficiunt, ſed in poſterum feriuntur. Rectè igitur dixit Iob. Nunc non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur valde Deus. Quia etſi quædam longanimiter tolerat, quædam etiam in hac vitâ flagellat; & hic nonnumquam ferire inchoat, quos poſteà æterna damnatione conſumat. Ergo quædam Deus in hac vita percutit, quædam vero inulta relinquit. Si enim nulla puniret, quis Deus res humanas curare crederet? Sin autem cuncta puniret, extremum iudicium vnde reſtaret? Quædam igitur feriuntur, vt rectoris noſtri ſuper nos ſolicitudinem formidemus. Quædam verò inulta ſeruantur, vt adhuc iudicium reſtare ſentiamus. Hæc Gregorius in

Quædam Deus puniat a hic puniat, quædam multa relinquit in futuro ſæculo punienda.

Heb. *Non viſitabit naſus eius*, id eſt, ſic tuam vitam D
affliget Deus, vt conqueri non poſſis. Dei furorem ad futuros impiorum cruciatus refert Nyſſenus in Pſalm. 6. *Domine ne in furore*, &c. *Orat*, inquit, *ne in illo futuro furore tradatur ad iudicium, néve per illam iram adhibeatur ſibi caſtigatio*, &c. Tunc enim inferet Deus furorem, & viſitabit in naſo ſuo. Quia tamen Eliu cum Iobo agebat, inquit Gregorius, ab Eliu rectum dicitur, ſed non rectè. Vera ſunt namque, quæ dixit, ſed ab Iob increpationibus aliena. Quare bene de diuina prouidentia ſperare diſcant, qui nullo peccati ſtimulo punguntur; cæteri licèt arridentem ſibi videant fortunam, grauem Dei manum, in vita E
futura experientur, & aliquando etiam in poſteris, vſque ad tertiam, & quartam generationem. Dictum enim eſt Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; vt accidit quatuor Sodomorum ciuitatibus, quas ſimul vindex hauſit flamma, cum habitatoribus, & primogenitis Ægyptiorum: cùm non eſſet domus in tota Ægypto, ex qua mortui alicuius funus non efferretur; & exercitui Pharaonis, in quo erant quinquaginta millia equitum, & ducenta peditum, ne viro quidem vno ſubmerſionem euadéte, vt in Cant. Moſis annotauimus ex cap. 14. Exodi, & ex Ioſepho. Tandémque in caſtris Sennacherib, centum octoginta quinque millia vindex Angeli

Nyſſenus. Pſal. 6. Greg. Papa. ...c. 13. ...n. 19. ...od. 12. ...a vltio a ... quoſdam ... ...14. ...phar.

gladius vna nocte iugulauit, 4. Reg. 19.

4. Reg. 19.

7. Aliquando opus eſt puniri multos in ſcelere deprehenſos, quibus licèt correctio prodeſſe poſſet, tamen niſi occiderentur, ſcandalo aliis nocerent. Vnde Moſes videns populum coluiſſe vitulum conflatilem; cùm alioqui manſuetiſſimus eſſet accinctus enſe cum aliis Leuitis tranſiuit per medium caſtrorum à porta vſque ad portam, & occidit viginti tria millia virorum, Exod. 32. Huius ſeueritatis duplicem tradit cauſam Abulenſis quæſt. 8. ſuper cap. 1. Deut. Prima eſt, quia à Deo afflatus eſt, vt id nemine contra eum inſurgente, faceret. Altera, quia illud crimen grauiſſimum erat ob idololatriam, quæ diuino cultui directè contraria eſt, quod in cæteris peccatis non cernitur. Vnde Deut. 13. præcipitur, vt ſi in aliqua ciuitate colerentur, vel ſemel idola totus Iſrael eam oppugnet; occiſiſque incolis abſque vllo ſexus, aut ætatis diſcrimine, muriſq; dirutis, & ædificiis omnibus, ita incendat, vt tumulus ſempiternus ſit, & anathema. Et cap. huius libri 22. narratur, Rubenitas, & Gaditas cum dimidia tribu Manaſſe, quod altare, in tumulis Iordanis contra legem erexerint, ſic offendiſſe reliquas tribus, vt decreuerint in Silo factis comitiis, eos omnino perimere, niſi ad ſaniora cõſilia, auditis nuntiis, de eo ſcelere, nomine Ioſue & populi, qui cum illo erat, expoſtulantibus, ſe conuertiſſent. Multa ſunt, quæ hunc locum illuſtrare poſſent. Nos tamen, id tantum nobis tractandum propoſuimus, quo oſtenderemus, ſuccenſere hominem homini non debere ob peccatum alienum: quod tamen Deo licitum eſſe, ſacra atteſtatur ſcriptura.

Moſes ob peccatum vituli occidit 23. millia. Exod 32. Abulenſis. Deut. 13. *Animaduerſio cõtra ciuitatem idololatria deditam.* Ioſue 22.

Verſ. 4.] Aſcenderunt ergo tria millia pugnatorum, qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines.

Deum interdum iraſci contra populum aliquem ob peccatum, vel vnius hominis, non punitum ab iis, qui præſunt, Origenis, & Auguſtini ſententia.

ANNOTATIO IIII.

1. ORIGENES homil. 17. in Ioſue, ſentire videtur propterea Achan, eò veniſſe infortunij, vt ſacrilegium turpiſſimum committeret, quo Deum ad inferendum ſupplicium Hebræo populo prouocauit; quod ab iis, qui præerant, non fuerit in ſimilium ſcelerum patratione obiurgatus. Plerumque enim prælati nobilium gratia peccata condonant, aut illorum timent ſupercilium; & minora peccata dum relinquunt impunita, maioribus præbent occaſionem. Origenis verba ſunt: *Non otiosè tranſcurrendum eſt, quòd vno peccante, ira ſuper vniuerſum populum venit. Hoc modo accidit, quando ſacerdotes, qui populo præſunt, erga delinquentes benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas, ne fortè malè de eis*

Origenes. *Achan ſacrilegium patrauit, quod in minoribus peccatis antea deprehẽſus, non fuerit obiurgatus.*

loquan-

loquantur, ſacerdotalis ſeueritatis immemores, nolunt implere, quod ſcriptum eſt, Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, & iterum, auferte malum, ex vobis ipſis. Nec zelo Dei ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem: Tradidi huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Neque illud Euangelicum implere ſtudent, vt ſi viderint peccantem, primò ſecretè conueniant, poſt etiam duobus aut tribus arbitris. Quod ſi contempſerit, & poſt hæc Eccleſiæ non fuerit correctione emendatus, de Eccleſia pulſum velut gentilem habeant ac publicanum, & dum vni parcunt vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum.

1. Tim. 5.

1. Cor. 5.

Neceſſitas correctionis.

Deinde exclamat Origenes. *Quæ iſta bonitas? quæ iſta miſericordia eſt, vni parcere, & omnes in crimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida grex vniuerſus inficitur, ſic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcunque ſceleris committente, plebs vniuerſa polluitur, & ideò obſeruemus nos inuicem, & vniuſcuiuſque conuerſatio nota ſit maximè ſacerdotibus, & miniſtris. Nec putent ſe rectè dicere; quid hoc ad me ſpectat, ſi alius malè agit? Hoc eſt dicere caput ad pedes, quid ad me pertinet, ſi dolent? ſi malè habent pedes mei, non mea intereſt, dummodo caput in ſanitate perduret. Aut ſi dicat oculus manus, nō indigeo opera tua; quid ad me pertinet ſi doles? ſi vulnerata es? Nunquid ego oculus conturbabor ex ægritudine manus? Tale ergo eſt, quod agunt ij, qui Eccleſiis præſunt, non cogitantes, quia vnum corpus ſumus omnes, qui credimus, vnum Deum habentes, qui nos in vnitate conſtringit, & continet Chriſtus. Cuius corporis, tu qui Eccleſiæ præſides, oculus es. Propterea vtique, vt omnia circumſpicias, & omnia ventura prouideas. Paſtor es; vide oniculas Domini ignaras periculi, ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, non occurris? non reuocas? non ſaltem voce cohibes, & correptionis clamore deterres?* Hæc Orig. qui docet imitandum Chriſtum Dominum, qui in cœlo reliquit, nonaginta nouem oues, & ad terras deſcendit, vt, vel vnam errantem ouiculam à ſe inuentam, in cœlum humeris ſubuectaret.

Polluitur ex vno peccatore populus.

Oportet aliorum morbis animæ, ne contagio ſecundaris ſequatur, aut pœna multos opprimat; ſtatim mederi.

Præſides ſunt oculi Eccleſiæ.

2. Quare putat Origen. æquum non eſſe, vt pro leui culpa aliquis abſcindatur à corpore Eccleſiæ: ſed ſi fortè admonitus, & correptus quis pro delicto ſemel, & iterum ac tertio, nihil emendationis oſtenderit, contra hunc medici diſciplina vtendum eſſe. Si oleo vnximus, ſi malagmate molliuimus, nec tamen cedit medicamentis tumoris duritia, ſolùm ſupereſt remedium deſecandi, ſic enim Dominus dicit, *ſi dextra manus ſcandalizauerit te, abſcinde eam, & proiice abs te* Nunquid nam manus corporis noſtri ſcandalizat nos? An de hac manu corporis Euangelium dicit, abſcinde eam, & proiice abs te? Hoc eſt quod dicit, vt ego, qui videor tibi eſſe manus dextra, & presbyter nominor, & verbum Dei prædicare videor, ſi aliquid contra Eccleſiaſticam diſciplinam, & Euangelii regulam geſſero, ita vt ſcandalum tibi Eccleſiæ faciam in vno conſenſu Eccleſia vniuerſa conſpirans excidat me dextram ſuam, & proiiciat a ſe. Expedit enim tibi Eccleſiæ, abſque manu tua, quæ malè agendo ſcandalum feci, introire in regnum cœlorum, quàm mecum ire in gehennam. Rationem tandem reddit Origenes, cur in hac doctrina immoratus ſit. *Hæc*, inquit, *idcircò diximus, quia videmus in ſcripturis ſanctis referri, quod propter vnum peccantem, anathema facti ſunt filij Iſrael ita vt vincerentur ab hoſtibus* &c.

Rebelles abſcindendi ab Eccleſia.

Matth. 5.

Propter vnum Achan prævaricatorem anathema facti ſunt filii Iſrael.

3. Hæc cum ita ſint curare debent prælati, ne vitia abire ſinant impunita, ſunt enim quidam apud quos locum habet illud:

Vitia impunita abire non ſinant prælati.

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Nam ſuo ſe munere rectè defungi putant, quod aliquos, qui cùm ſeueritati diſciplinæ, caput facilè ſummittunt, ſupplicio mulctent. Sanè niſi contra peruicaces flagella moueant, ſibi, & cōmunitati ſibi commiſſæ detrimento erunt. Audiant Augu. lib. 16. de Ciuit. cap. 2. *Plerumque a malis hominibus docendis, admonendis, & obiurgandis malè diſſimulatur; vel quia laboris piget, vel quia os eorum verecundamur offendere, vel quia eorum inimicitias deuitamus, ne nobis noceant, aut obſtent in iis rebus, quas adipiſci appetit noſtra cupiditas; vel quia amittere formidat infirmitas. Quò fit vt quamuis bonis vita malorum diſpliceat, & ideò cum eis, non incidant in damnationem æternam: tamen, quia peccatis eorum parcunt, ideò cum eis temporaliter flagellantur: vere hanc vitam amaram ſentiunt, cuius nimium amando dulcedinem, peccantibus amari eſſe noluerunt. Nam ſi propterea quiſque obiurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quòd opportunius tempus expectet, vel metuit, ne obiurgati deteriores euadant, & infirmis erudiendis impedimento ſint, aliòſque premant, atque auertant à fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis.* Hactenus Auguſt. vides quantùm noceat eorum, qui præſunt, nimia in condonandis flagitiis indulgentia. Frequenter illud ſupplicium accidit ob populi ſcelera, vt gubernator illi præponatur, qui in vlciſcendis criminibus ignauus ſit, & diſſimulator. Quod exprimitur à Iob cap. 34. his verbis: *Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Interdum etiam euenire ſolet, vt vnum peccatum impunitum, vniuerſæ Reip. turbet pacificationem, & diuinorum beneficiorum, obturet fontes, qui manare ad iucundiſſimum populi hauſtum, conſueuerant. Quod in furto Achan, contigiſſe nemo non videt? Nónne triginta ſex viri propter illius ſacrilegium, occiſi ſunt? Nónne fuga, & tumor Iſraelitis ignominiā peperit, quia proſtrati animi vix aſſurgere ad ſpem aliquam victoriæ deinceps potuerunt?

Auguſtinus.

Conſilium charitatis eſt quando pœnitentiæ corripiendos expectat.

Qui ... tor eſt ... tempore ... est.

Iob 34.

Vnum ... impunitu ... bat Reipubl.

Verſ. 5.] Perſecutiq; ſunt eos aduerſarij de porta vſque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes; pertimuitq; cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt.

Nihil firmitatis ineſſe in humanis conſiliis ſi Dei fauore deſtituamur.

ANNOTATIO V.

1. PRVDENTER Ioſue rem bellicam adminiſtrauit, præmittens exploratores in ciuitatem, quam expugnare decreuerat. Boni etiam imperatoris vices impleuit, auditis nuntijs, qui rerum & viarum gnari erant, cum militum expediens ad bellum numerum, qui ſatis eſſe pro paucitate hoſtium, & viribus expugnandæ vrbis, videbatur. Vnde igitur fuga militum? vnde quorundam interitus? vnde pauor animis omnium Hebræorum, qui innumeri erant, iniectus? Nequa re, fauore numinis, quo hactenus protegebatur, propter peccatum, deſtitutus eſt Iſrael. Proptereà nulla inita pugna, viſo tantùm hoſte terga vertit.

Iſrael ob ... terga vertit.

vertit. Quod declarant illa verba; *ſtatim terga vertentes*, id eſt, conſpectis duntaxat oppidanis percuſſi ſunt. Hoc ipſum Hebræa, Chaldæa, & Græca verba indicant. Hic videmus Iſraelitas illos, qui miſſi in expeditionem fuerant non punitos fuiſſe miraculo aliquo ſingulari, ſed illa Dei peculiari tutela deſtitutos, quam ſæpius fuerant experti, relictóſque communi rerum & bellorum aleæ. Quæ pœna adeò grauis fuit, vt præter alia damna, pauorem inſolitum ſenſerit populus, quo vel nemine perſequente, in horrore erat: Quod expendens Chryſoſt. hom. 1. de verbis Iſaiæ; *vidi Dominum*, &c. tom. 1. ait: *Expauit cor populi, & factum eſt velut aqua. Vide vnius peccati pœnam, vide plagam acerbiſſimam: vnus peccauerat, & in populum vniuerſum mors, ac trepidatio irruit. Quid hoc, ô bone Domine? Tu ſolus iuſtus, & recta iudicia tua. Qui cuique iuxta propria facta, reddis iudicium. Tu humani generis amator dixeras in ſuo quemque peccato moriturum; nec alium pro alio daturum pœnas. Quod igitur hoc eſt tuum iuſtum iudicium? Bona ſunt tua omnia Domine, & valdè bona, & ad noſtram vtilitatem diſpenſata. Lues quædam*, inquit, *eſt peccatum, per vltionem diuulgetur, ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, vt illi cognoſcant, quantas pœnas vna peperit tranſgreſſio, fugiant vltionem, de multis, alioqui ſuſtinendam æternam vindictam.* Hæc Chryſ. Dei iudicium, vtilitatem allaturum Iudæis profitens, non minùs, quàm ſi medicina contagioni antequàm robuſta fieret applicaretur. Quantus inceſſerit populo timor his verbis, lib. 5. Antiq. declarauit Ioſephus. *Congreſſis hoſtibus, ceciderunt Hebræorum ſex & triginta. Cùmque hoc nunciatum fuiſſet Iſraelitis, magnam triſtitiam, & crudelem anguſtiam protinus habuerunt: & non tantùm propter cognatos amiſſos, licet omnes viri boni, & nimis exercitati periiſſent, quantùm propter deſperationem ſuam. Credentes enim iam ſe terram obtinuiſſe, & à prælijs iam exercitū vacare, hoc Deo taliter permittente, potiores inopinabiliter videbant hoſtes: & ſaccos ſuperinduentes ſtolis ſuis, tota die erant in luctu, & lacrymis conſtituti, nulli requirentes cibum: caſu ſiquidem, qui contigerat, grauiſſimè videbantur afflicti.* Hæc Ioſephus.

Chryſoſtom.

Pſalm. 118.
Rom. 2.

4. Reg. 14.

Dei ſeuerū iudicium in cauſa Achan, medicina fuit contagionis antequam ſuperet applicata.

Ioſephus.

2. Experti ſunt Hebræi nihil ſine Dei præſidio firmum eſſe, nihil ſtabile. Namque homo homini niſi ſingulariter à Deo protegatur, parùm præſtare ſolet, cùm vterque & animo & membris, & viribus conſtet, neque maximis, neque multùm diſparibus. Neque verò, quod hic armis, aut bellico apparatu ſit inſtructior, ideò meliorem partem habiturus eſſe, exiſtimetur: Legimus namq; & audiuimus plerumque opibus & ſitu potiores, ab inermibus, & bellandi imperitis loco pulſos fuiſſe & armis ſpoliatos. *Quia*, (vt regius Vates ait: Pſalm. 146.) *non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Cùm igitur fortes & beneualentes, ab infirmis copiis & ſæpe ante victis, ſuperari videamus, ad voluntatem, & conſilium Dei, ratio eſt reuocanda: *qui hunc humiliat, hunc exaltat. Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc. Veruntamen fæx eius non eſt exinanita bibent omnes peccatores terræ.* Quòd autem aliqui extra hanc ancipitem bellorum aleam verſentur, & perpetuam ſortiti ſint felicitatem, Dei ſingulari prouidentię, & gratiæ eſt aſcribendum, vt Pſalmographus cecinit: *Beneplacitum eſt Domino ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Singularem hanc ſuæ virtutis efficaciam. Iſraelitis nunc tantiſper ſubduxit, dum malis edocti, intelligerent; nihil humanam illis profuturam induſtriā, ſi à præſcripto recederent diuinæ voluntatis. Seruus enim; qui neſcit voluntatem Domini ſui, & non facit, vapulabit ille quidem: cæterum qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit, vapulabit multis. Fortè ita intelligendus eſt verſiculus ille: *Iratus eſt Dominus contra filios Iſrael*, hoc eſt, id illis ſubtraxit ſingulare præſidium, quo nō hominibus tantùm, ſed vt Iſraelitæ muniti, & firmati erant. Huc illud pertinet, quod infrà ait Deus. *Non ero vltra vobiſcum*, quemadmodum ſcilicet, vobiſcum hactenùs fui vt cum filius Iſrael.

Sine Dei præſidio nihil firmum.

Pſal. 146.

Pſalm 74.

Pſalm 146.

[illegible]

Subtractio diuini auxilij.

Deum fletu placat Ioſue.

3. Quid ergò faciendum, vt Dei præſidium, ſine quo conatus noſtri irriti redduntur, promereri valeamus? Fletu, & lacrymis numen offenſum exemplo Ioſue placare ſtudeamus; vt enim Regius vates ait, Pſalm. 32. *Ecce oculi Domini ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Non eſt ſpes figenda in hominum viribus, & potentia, fragilia hæc ſunt; Non equorum celeritas, non gigantum robur, non Regum diuitię, ſalutem afferre poſſunt: à Deo pendere ſpe debemus. Næ illi, qui apud inferos cruciantur, malè ſe in rebus humanis ſpes ſuas dum viuerent collocaſſe ſerò agnouere. Vnde præclaris ſimilitudinibus exprimunt ipſi, Sap. 5. quid tibi & cæteris impiis accidat. Audi illorum voces: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra*, &c. Deinde ſubdit Sapiens. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis*, &c. Vocat Sapiens ſpem humanam, lanuginem, videre eſt interdum in cardui flore, qui inſtar maligranati, coronam pinnis & ſpinis pulchram præfert, obtinente medium cæruleo ſplendoris glomere, *vulgò* [illegible], Lumani vocant. Quis fructus dulcedinem aliquam non ſperet? Expecta tantiſper, dum viriditas exſiccetur. En tibi pro fructu lanugo, quæ vel flatu leui exiens volitat huc illuc, & pueris ludibrio eſt. In lanuginem tota abit pulchritudo, *Gauaes*, pueri noſtrates appellant, eos floccos, qui vix apparent, cum euaneſcunt. Quid aliud ſunt res proſperæ?

Pſalm. 32.

Sera pœnitentia & [illegible] apud inferos.

Sap. 5.

Spes humana lanugini, ſpumæ, fumo, & hoſpiti vnius diei comparatur.

4. Vocat etiam ſpumam gracilem. Ex aquæ ſaponis contactu craſſa & lubrica, globum verſicolorem, flatu per canaliculum immiſſo efformant in aere pueri. Iride dixeris pulchriorem. Dum ad aſpectum pendentis globi ſtupes; ſubitò venti, aut guttæ incurſu in nihilum abit. Quid Reges? quid principes ſunt? ictus aquæ importunè hauſtus, aut ſyderatio vitam illis adimit.

Similitudo ab ſpuma ducta.

Fumum præterea dicit. Cur quæſo? Vides aliquando ex calcaria, aut carbonaria, nigrantem fumi nubem aſſurgere: dixeris cœlum fuligine, ea nube fœdatum iri; Mox flante Aquilone ſubſidunt illæ cœlo minantes fumi nubes. Huic fumo Pſa. 101. Rex propheta vitā ſuam cōparauit. *Defecerunt ſicut fumus dies mei.* Aſcendit quibuſdam veluti fumeis gradibus vita; ſed in ipſo aſcenſu, deficit, & in nihilum redigitur.

A fumo.

Pſalm. 101.

5. Additur. *Et tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* In meritorijs tabernis hoc accidit. Hoſpites à caupone hilari vultu excipiuntur, apponitur menſa, cibi, præſertim ſi diuites ſunt,

Similitudo qua exprimitur breuis vitæ proſperitas.

exqui-

exquiſito condiri artificio præbentur: cæterùm cum diſcedunt, licèt cauponi, beneficia præſtiterint, acerbè ſollicitantur, vt vel obolum perſoluant; nulla illorum relicta memoria. Quid ſi princeps aut Rex caſu aliquo hoſpes fuit? Nomen illius in tabella ſcribitur; die, quo tranſijt notato. Quid ſunt Pyramides? quid Coloſſi? Quid Mauſolæa? Hoſpites, ô Reges? vnius diei in mundo fuiſtis cum applauſu excepti; ſupereſt poſt hunc diem hoſpitij, in tabella cauponis, veſtri memoria impreſſa, tanquam recordatio hoſpitis vnius diei. Et eſt, qui in bonis huius vitæ fiduciam collocet? Putauerunt exploratores Haj exiguam Hebræorum manum ſufficere, ad ciuitatulam illam delendam. Sed decepti ſunt, conſilijs ſuis exitum belli mentientes. Didicerunt námque ſtatim, accepto infortunio, quicquid ab hominibus, Deo aduerſante, agitur, aut non propitio, ſucceſſu carere. Meritò addit ſpiritus
Sap. 5. ſanctus. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum; Et cogitatio illorum, apud altiſſimum; ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpei, de manu Domini, quoniam dextera ſua teget eos,* &c.

LIBRI IOSVE

CAPITIS SEPTIMI
SECTIO II.

Verſ. 6.] Ioſue verò ſcidit, veſtimen-
ta ſua, & pronus cecidit in terram
coram arca Domini, vſque ad
veſperam tam ipſe, quàm omnes
ſenes Iſraël: miſerúntque pulue-
rem ſuper capita ſua, & dixit Io-
7. ſue. Heu Domine Deus, quid vo-
luiſti traducere populum iſtum
Iordanem fluuium, vt traderes
nos in manus Amorrhæi, & per-
deres? vtinam, vt cœpimus man-
8. ſiſſemus trans Iordanem. Mi Do-
mine Deus, quid dicam, videns
Iſraelem hoſtibus ſuis terga ver-
9. tentem? Audient Chananæi, &
omnes habitatores terræ, & pa-
riter conglobati circundabunt
nos atque delebunt nomen no-
ſtrum de terra: quid facies ma-
10. gno nomini tuo? Dixítque Do-
minus ad Ioſue; ſurge, cur iaces
11. pronus in terra? Peccauit Iſrael,
& præuaricatus eſt pactum meum
tulerúntque de anathemate, &
furati ſunt atque mentiti, & ab-
12. ſconderunt inter vaſa ſua. Nec
A poterit Iſrael ſtare ante hoſtes
ſuos, eóſque fugiet: quia pollu-
tus eſt anathemate, non ero vltrà
vobiſcum, donec côteratis eum,
qui huius ſceleris reus eſt, ſurge,
ſanctifica populum, & dic eis:
ſanctificamini in craſtinum: hæc
enim dicit Dominus Deus Iſrael:
13. Anathema in medio tui eſt Iſrael:
B non poteris ſtare coram hoſtibus
tuis, donec deleatur ex te, qui hoc
14. contaminatus eſt ſcelere. Acce-
détiſque mane ſinguli per tribus
veſtras: & quamcunque tribum
ſors inuenerit, accedet per co-
gnationes ſuas, cognatio per do-
15. mos, domúſque per vicos. Et qui-
cunque ille in hoc facinore fuerit
C deprehenſus, comburetur igni
cum omni ſubſtantia ſua: quo-
niam præuaricatus eſt pactum
Domini, & fecit nefas in Iſrael.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere*, &c. Ah, Ah Domine Deus, vt quid tranſire
D feciſti populum hunc Iordanem, &c. Pro, *ſurge, cur iaces pronus*, &c. Surge, vt quid tu cadis in faciem tuam? Peccauit Iſrael, & tranſgreſſi ſunt pactum meum, & tulerunt de anathemate, & etiam furati ſunt, & etiam mentiti ſunt, & etiam poſuerunt inter vaſa ſua, &c. Pro, *Et quamcunque tribum*
E *ſors inuenerit*, &c. Et erit tribus, quam ceperit Dominus, accedet per familias, & familia, quam ceperit Dominus, accedet per domos: & domus quam comprehenderit Dominus, accedet per viros, &c.

Aliter. Pro, *Et quamcunque tribum ſors inuenerit*, &c. Quam deprehenderit Dominus accedet ſecundum familias ſuas, & familia quam deprehenderit Dominus, accedet ſecundùm domos, &

domus quam, deprehẽderit Dominus accedet viritim, &c. Vatablus in ſcholio ita habet. Tribus, quæ deprehendetur indicante Domino, accepiſſe de anathemate, hoc eſt, ſuper quam ſors temperata à Domino ceciderit.

Sept. Interp. In ſua tranſlatione apertè exprimunt ſortes, per quas tribus, familiæ, domus, & viri, inter quos reus erat, agnoſcebatur, non aliud fuiſſe, quàm ſignum aliquod à Deo immiſſum, quo viſo, omnes intelligebant vbi eſſet anathema. Sic enim habet eorũ verſio, ϗ συναχθήσεσϑε πάντες τὸ πρωὶ κατὰ φυλὰς ὑμῶν. ϗ ἔσται ἡ φυλὴ, ἣν ἂν δείξῃ κύριος, καὶ προσάξετε κατὰ δήμους. καὶ δῆμον ὃν ἂν δείξῃ κύριος προσάξετε κατὰ οἶκον. &c. *Id eſt*, Et congregabimini omnes manè per tribus veſtras, & erit tribus, quam demonſtrauerit Dominus, & adducetis per populos, & populum, quem oſtenderit Dominus, adducetis per domum, &c.

Explicatur contextus.

1. IOSVE *verò ſcidit veſtimenta ſua.*] Ex publicæ calamitatis ſenſu, vel ex manifeſta numinis offenſione, morem fuiſſe olim ſcindendi veſtes, compertum eſt. Sic Ioſue audito rei aduerſæ nuntio; viſaq; populi conſternatione veſtem ſcidit, vt eo ſigno declararet intimum animi ſenſum. Dolorem etiam ſignificauit Moſes, tabulis, quas Deus fecerat, & conſcripſerat, confractis. Dauid veſtibus ſępe ſciſſis ſępe lugubri habitu deformatus mœrorem declarauit. Quid Ezechiam & alios optimos principes commemorem? Nuntius ille, qui mortem Saulis, & Ionathæ narrauit veſte conciſſa, & cinere aſperſo capite apparuit, 2. Regum capite primo. In ſignum magnæ triſtitiæ, ac ſi Chriſtus blaſphemaſſet, ſacerdos magnus ſcidit veſtimenta ſua, Matth. 26. Apud Ethnicos etiam ſcriptores ſigna publicæ triſtitiæ extant, Æneid. 1. Virg.

Scißa veſtis indicium magnæ triſtitiæ, & doloris.

2. Reg. 1.

Matt. 26.

Virg.

Intereà ad templum non æqua Palladis ibant.
Crinibus Iliades paſſis, peplúmque ferebant.

Donatus.

Peplum genus veſtis longæ.

Vbi Donatus, peplum Mineruæ conſecratum eſſe ait. Erat id genus longæ veſtis, & tenuiſſimæ. Sanè eorum doctrina reiicienda eſt, qui principes aſſerunt in publicis calamitatibus, immoto oris & corporis habitu, vt ſuæ conſulant auctoritati, permanſuros. Quæ enim auctoritas eſt, nullum in duris Reipublicæ temporibus humanitatis ſenſum oſtendere.

——— Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit, hæc noſtri pars optima ſenſus.

Iuuen. Satyr. 15.

2. *Et pronus cecidit in terram coram arca Domini.*] Proterui hominis eſt, & parum religioſi, in turbatis Rerump. temporibus iram diuinam non agnoſcere, & ſibi atque populo metuere; Exemplóque ſuo ad pietatem, ſi princeps eſt, tum populum impellere, tum magiſtratus in idem ſtudiũ concitare. Quid Ioſue? percepto, ex nuntio, ſuorum damno; conuocatis ſenatoribus & inito conſilio, decreuit ante omnia ſacroſanctum locum petere; ibidémque coram arca, quæ Dei ſolium repræſentabat veſtibus laceratis, & capitibus lugentium ritu puluere inſperſis humi procumbere & tandiu ieiunio & orationi vacare donec veniæ ac miſericordiæ Dei lux aliquã affulgeret. Declaratur ſumma numinis reuerentia, dum dicitur: pronus cecidit in terram, coram arca Domini. Erant in arca tabulæ legis & gloria Domini inter Cherubinorum alas oſtendebatur, idcirco coram arca non genu flexione, ſed totius corporis proſtratione reuerentiam oraturus princeps, cum ſenatoribus quàm poteſt maximam exhibet. Quid nos facere oportet coram pixide, quæ ſacram continet Euchariſtiam?

Ioſue in publica calamitate præbuit exemplũ.

Reuerentia coram pixide, in qua ſacra eſt Euchariſtia quæ ...

3. *Vſque ad veſperam.*] Hoc eſt, Perdurauit proſtratio, & oratio coram arca fœderis, a tempore auditæ calamitatis quod matutinum fuit, id eſt, ante meridianum, vſque ad veſperam. Expectabãt enim omnes diuini oraculi reſponſum. Nec antè illis facultas ſurgendi data eſt, quàm Ioſue orans à Deo didicit tempus eſſe ſurgendi, & reum anathematis inquirendi. Hinc diſce delectari Deum lacrymis, & precibus noſtris. Nam beneficia, quæ liberaliter præſtare poteſt, & vult, interdum tandiu differt, donec intelligatur illum diſpoſuiſſe, vt nonniſi ſanctorum precibus, vel noſtris, quamuis indignis obtineantur, vt ait D. Greg. lib. 1. dialog.

Proſtratio Ioſue coram arca donec agnouit voluntatem Dei.

Quædam Deus ſua ... non concedere niſi p... ...

Greg PP, Abulenſis.

Abulenſis quæſt. 15. enarrans hunc locum hanc doctrinam confirmat ex Hebræorum, in oratione & ieiunio, perſeuerãtia, ſic enim ſcribit: *Toto hoc die non comederũt*, inquit, *nec biberunt iacentes proni ad magnam cordis amaritudinem declarandam, & vt Deus miſereretur eorum. Sic enim in ſignum triſtitiæ magnæ pro morte Saulis, & Ionathæ, atque Iſraelis, Dauid planxit & ieiunauit vſque ad veſperam cum viris ſuis. Apprehendens*, inquit, *Dauid veſtimenta ſua ſcidit: omnéſque viri qui erant cum eo, & fleuerunt, & planxerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam.* Hæc ille.

Ieiunium & oratio vſque ad veſperam producta

2. Reg. cap. 1.

4. *Tam ipſe, quàm omnes ſenes Iſrael.*] Senes dicuntur hoc loco magiſtratus, & conſiliarij. Hi námque ferè ſenes eſſe ſolent, vnde, vt ille ait.
A ſenibus nomen mitte Senatus habet.
Procumbente igitur in terram Ioſue, & caput puluere inſpergente. Ipſi quoque capite puluere fœdato in terram precabundi, & flentes procubuerunt. Quod factum, non ſolum ad pietatem ſpectauit, ſed ad honorarium etiam ſui principis comitatum. An principe ad terram ſe religiosè abijciente, ſtare debent magiſtratus?

Magiſtratus ferè ſenes eſſe ſolent.

5. *Miſerúntque puluerem ſuper capita ſua.*] Pulueris ſuper caput inſperſione; animi ſumma triſtitia, quam debilitatio, & infractio conſequitur, ſignificari ſolet etenim, qui hoc agunt, acciſas eſſe ſuas res dolent, in modum pulueris, iuxta illud Pſal. 17. *Et comminuam eos velut puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.* Signi-

Pulueris inſperſio.

Pſ. 17.

ficatur præterea magna humiliatio, qua quis ſe ipſo puluere depreſſiorem conſiderat.

6. Duo hic ſciſcitari lector poteſt. Primum eſt, quomodo Deus ſtare promiſſis dicendus ſit, quæ fecit cap. 1. Ioſue dicens: *Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ, ſicut fui cum Moſe, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te.* En poſt hoc oraculum, videmus acceptam cladem. Alterum, quomodo dicatur Ioſue cecidiſſe in terram coram arca; cùm intra ſancta ſanctorum, vbi arca erat, non introierit.

Abulenſis.

Promiſſis Deus promiſerat Iſraeli obſiſtere poſſe, intellecta conditione, ſi non peccarent.

Vtrique interrogationi ſatisfacit Abulenſis hîc quæſt. 14. & 15. Primæ quidem, quia, vt ſæpe annotauimus promiſſiones Dei, quibus felicitatem pollicetur, aut malum aliquod minatur B ferè conditionales ſunt: atq; dum Deus promiſit, neminem fore qui reſiſteret Hebræis viuente Ioſue; voluit intelligi conditionem hanc nimirum ſi populus non peccaſſet. Nunc autem populus præuaricatus eſt pactum Domini ſubripiens aliquid de anathemate: ac propterea connectit Deus Amorrhæorum manus contra peccantes, donec crimen pœna auctoris ſui expiaretur. Conſueuit námque Deus in ſceleribus, quæ ſupplicio corrigi poterant, ſupplicio irrogato, miſericordiam & benignitatem declarare. Audi Pſal. 88. vbi agitur de promiſſione facta Dauid:

Expiat Deus ſupplicio irrogato peccatum Iſraelitarum.

Pſal. 88.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: ſi cæremonias meas prophanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint, viſitabo in virga peccata eorum, & in plagis iniquitates eorum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, &c. C

Leuit. quoque cap. 26. idem oſtenditur, cùm poſt illatas peccatis pœnas ſubiungitur: *Attamen cùm eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos; nec ſic deſperſi vt conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis*, &c. Hic modus ſeruabatur in punitionibus Hebræi populi quandiu ſanari potuit eorum plaga; Poſtquàm verò medicinam cœpit reſpuere dimiſit eos Deus. Vnde Abulenſis. *Cùm autem*, inquit *facta eſt plaga deſperata, Deus dimiſit eos totaliter in perditionem, ſicut patet vſque hodie.* Hæc ille. Quod autem in promiſſione facta Ioſue intelligatur conditio, patet ex verbis in eodem cap. 1. infrà poſitis ad commendationem legis. *Non declines*, inquit, *ab ea ad dexteram neque ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta, quæ agis. Non recedat volumen legis huius de ore tuo*, &c. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam: quaſi dicat, ſine hoc non poteris dirigere viam tuam, & proſperè in ea verſari. D

Abulenſis. Poſtquam Hebræi reſpuere cœperant medicinam, dimiſit eos Deus.

Solus Moſes, & ſummus ſacerdos ingredi ſanctuarium poterant.

Alteri interrogationi ſatisfacies, ſi dicas tempore belli arcam ſuis tectam velis ſeruari ſolitam, non intra ſancta ſanctorum, quò poſt Moſen introire ſoli ſummo ſacerdoti, idque ſemel in anno, fas erat, ſed extrà ad opportunitatem expeditionum. Quare non ſolum Ioſue, ſed ſeniores, & populus poterant coram arca eſſe, quin ingrederentur ſanctuarium, ſoli Moſi licitum fuit quandocumque vellet ingredi in ſancta ſanctorum ad conſulendum Dominum, vt patet Num. 7. E

Moſes in ſancta ſanctorum quoties libebat ingrediebatur.

7. *Heu Domine Deus quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium.*] Doloris ſignificationem ſimulque diuinæ iræ deprecationem continet, hæc Ioſue oratio, pro *heu*, quæ latinè eſt interiectio, in Hebræo legitur, אהה. *Aha.* pro *Domine Deus*, אדני יהוה. *Adonai Iehu.* Modus alloquendi Deum in plurali. *Adonai*, id eſt, *Domini mei*, reuerentiam numinis præfert. Interiectio

Interiectio Aha apud Hebræos

A אהה. *aha*, quam Latinus interpres in *heu* vertit, repentinum gemitum, eundémque peracerbum refert vſurpatúrque frequenter in luctu, cogitata priùs & ad lunata rei, quæ dolorem auget ... grauitate. In lugubri quidem negotio, inſtar concluſionis eſt, vt apud Hierem. 4. *Heu, heu, heu Domine decepiſti populum iſtum, & Hieruſalem dicens, Pax erit vobis. & ecce peruenit gladius vſque ad animam*; Et apud externos ſcriptores. *Hierem. 4.*

> *Eheu fugaces, Poſthume Poſthume*
> *Labuntur anni, nec pietas moram*
> *Rugis, & inſtanti ſenectæ*
> *Afferet, indomitæq; morti.* *Horat. 2. Od. 4.*

Aduerte tamen ex Abulen. q. 15. interiectionem *Aha*, quæ hic ponitur ad expreſſionem doloris, B poni apud Hierem. cap. 1. ſine ea expreſſione. *Abulenſis.*

Ait enim Propheta, iuxta noſtram verſionem *A, A, A, Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Videns quippe D. Hieronym. diuerſos affectus ſignificari hic & apud Hieremiam, hic vtitur interiectione dolentis, ibi aliter affecti. Quod accurati interpretis laus eſt ſumma. *Hierem. 1.* *Hieronymus.*

Expende etiam, dum obſecrans Ioſue ait, *Domine Deus* Hebraicè duo nomina adhiberi. *Adonai* nimirum, quod dominationem poteſtatem, iúſque dominij continet, & ad ſeruum refertur: & tetragrammaton illud myſterijs plenum, quod ad miſericordiam referri ſolet. Vtrumque hoc C loco ſæpiſſime à Ioſue vſurpatur. Primò quidem vtitur, vt Deus Iſraelitarum condonet culpam memor eos eſſe ſeruos, & poſſeſſionem, quam ipſe ſibi aſcripſerit & Adonai nomine aſſumpto, ſuam fecerit. Quare ad eligentis gloriam ſpectat parcere electis. Dignitatem hanc diuini nominis reſpicit Propheta, Pſal. 115. dicens: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, hoc eſt, non propter illa miracula quæ in noſtri gratiam, cùm de Ægypto exiuimus, patrata ſunt, laudemur: ſed tu, ô Domine! in quo ineſt miſericordia, & promiſſorum fides. Eandem hic conſiderat Ioſue orans Deum vt dominium ſuum, & auctoritatem tueatur, populúmque illum, familiam ſuam eſſe meminerit, eamq; conſeruare ſibi velit. D Recordatus eſt Ioſue promiſſionis patribus factæ quæ ſub nomine Adonai, Exod. 7. intelligitur. Ego, inquit Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente. & nomen meum Adonai, non indicaui eis, pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, &c. Altero verò nomine miſericordiam efflagitat. Quaſi dicat, Hoc tantum te oro, vt vtrumque nomen quo te inuoco, tibi aſſeras. Plus namque apud nos valet tui nominis, & exiſtimationis conſeruatio, & amplitudo, quàm vlla priuata vtilitas.

Adonai & Iehoua ... eius ſynonyma.

8. *Vt traderet nos in manus Amorrhæi, & perderet. Vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.*] E Queritur apud Deum de rerum euentu, quo poſt miraculum tranſiti Iordanis, & euerſionem Hiericho, in ſumma erant Iſraelitæ trepidatione. Ex vno namque infortunio futuros ſucceſſus coniectantes timebant, ne propter aliquod peccatum traderentur Chananæis, & Amorrhæis. Erant autem Amorrhæi Reges, partim trans Iordanem: & hi quidem debellati fuerant viuente Moſe: partim citra Iordanem: de his modò ſermo eſt; Dolet quippe horum viribus infringi Hebræorum animos, Deo ita permittente. Quare poſtquàm aſſerit beneficio prouidentiæ populum tranſiſſe Iordanem. Ea quæ huic

benefi-

beneficio videntur repugnare, ſubiungit. Idque per interrogationem, quæ in ſacris argumentationibus, negationis vim habet. *Quid voluiſti,* inquit, *traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes?* Cùm miraculum illud non fruſtrà ediderìs. Vtra è duabus cauſa fuit? Vt nos ornares an vt perderes? Illud propoſitum tuum fuiſſe affirmo. Hoc minimè conuenit. Traiectio namque illa beneficio magno aſcribenda eſt, non odio. Nam quos poteras in aquis mergere, cùm ſaluos & incolumes traduxeris; eos elegiſſe potiùs ac dilexiſſe probaris.

Peccauit ne Ioſue quod doluerit, derelicta a ſuis regione trans Iordanem.

9. Illa verba: *vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem:* indicant non vlla vulgi importuna efflagitatione ventum eſſe, in terram Chanaan, ſed diuina voluntate: atque adeò ad Deum ſpectare, felicem rebus curſum præſtare, ne doleat populus, quod ſedes, in quibus trans Iordanem ſub Moſe vixerat, reliquerit: Cùm tamen ipſe Ioſue dolere videatur, quod regionem, quæ trans Iordanem eſt, reliquerit, quæri poterit an peccauerit.

10. Peccaſſe, & quidem grauiſſimè, ex eo confirmatur, quod ſimilem querimoniam ediderunt illi, qui damnati ſunt, vt ante ingreſſum terræ promiſſionis morerentur in deſerto, vt patet, Num. 14. *Et murmurati ſunt contra Moſen, & Aaron cuncti filij Iſrael dicentes. Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ut cadamus gladio, & vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nónne melius erat reuerti in Ægyptum? Dixerúntque alter ad alterum, conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum,* &c. Horum pœna, qua mortui ſunt in deſerto, indicat grauitatem culpæ. Quid ergò Ioſue? Primùm dico verba Ioſue molliora eſſe; duntaxat, optabilius eſſe aie, manſiſſe trans Iordanem, ſi ea calamitas populum expectabat. Deindè verba Ioſue dolorem exprimunt, non tamen deſperationem, ſicut verba populi, Num. 14. volentis in Ægyptum reuerti; quod & feciſſet, niſi bella viam impedientia formidaſſet. Atqui Ioſue non cogitat de reuerſione, aut in Ægyptum, aut in terram trans Iordanem: imò de diuina miſericordia rectè ſentiens, iacet ante arcam precabundus.

Num. 14.

Grauiſſimè qui murmurauerũt [illegible] dolore [illegible] de Ægypto mortui ſunt in ſolitudine.

Verba Ioſue dolorem exprimunt, non murmurationem aut deſperationem ſicut verba populi olim murmurantis.
Num. 14.

11. Nihilominùs peccaſſe Ioſue opinio eſt aliquorum. Nec mirum eſt, quod vir ſanctus, vt homo peccauerit. Vox enim ſanctorum eſt (inquit Auguſt. 1. in Ioan. 1.) Si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt. Vnde illa 144. millia Apoc. 14. qui virgines permanſerunt, propterea irreprehenſibiles ſunt, quia ſeipſos veraciter reprehenderunt. Et ideò non eſt inuentum in ore eorum mendacium, quia nunquam dixerunt, ſe peccatũ non habere. Peccaſſe ergo Ioſue veniali ſaltèm culpa videtur ſentire Lyranus in ſcholio verbi, *vtinam*, &c. *Hoc*, inquit, *dixit Ioſue ex paſſione doloris, benè male: nec dixiſſet extra paſſionem poſitus, propter quod indulſit ei Dominus*, &c. Conemit Lyrano Abulenſ. quæſt. 70. dicens verbum Ioſue fuit malũ, fuit tamen toleratum: quia ex amaritudine magna cordis dicebat; qui non dixiſſet ſine amaritudine in tranquillitate manens: quia tamen confidens de Dei pietate dicebat, non fuit illi ad malum imputatum, ſicut de Moſe, quando orans pro populo dixit; *aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro in quo me ſcripſiſti*. Illud enim malè dictum erat; quia petebat contra charitatem: tamen quia zelo ſuccenſus & in dolore manens dixit, ad malum imputatum non eſt. Quod autem Ioſue bono animo diceret, patet ex ijs, quæ fecit: quia in hac amaritudine recurrit ad Dominum proſtratus coram arca, ſi tamen non confideret bonitati eius, non oraret ad ipſum. Hæc ille. Sanè verba ex amaritudine, & mœſtitia cordis dicta quandoque tolerantur à Deo; cauendum tamen eſt, ne proferantur. Porrò ſi Ioſue verba ponderentur, ſicut & illa Moſis, quæ citantur ab Abulenſi, nihil vitij continere facilè iudicabit, qui proſpexerit, non proponi ab his viris ſanctiſſimis aliquid, quod rationem mali induat, ſi eorum mens ſpectetur. Nam affectum ſolùm indicant, quem ex humanis rationibus habent, parati tamen corrigere, quicquid Deus corrigendum dixerit; & id facere, quod diuina voluntas faciendum declarauerit. Fidem habebat Ioſue promiſſionibus diuinis de tradenda Iſraelitis terra Chanaan; ſciebat tamen eas promiſſiones, cum ea conditione fieri, ſi populus non peccauerit. Ob idque ſuſpicari cœpit, aliquod latere populo peccatum, idque poſſe vires colligere, ex quibus præter damnum acceptum, alia orirentur. Hac conſuetudine permotus ait, *vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.*

Lyranus putat Ioſue peccaſſe venialiter.

Verba ex [illegible] tolerantur [illegible]

Ioſue excuſatur etiam à veniali.

12. Quid quod veluti populi aduocatus, patronorum more clientis cauſam, & querimoniam ſuam facit? Sic Daniel; ſic tres pueri Hebræi ad impetrandam miſericordiam, ſibi peccata populi & cauſam aſcribebant. Etenim ſancti viri cogitationes ſuas in oratione, vt ſi opus ſit, corrigantur Deo mira ſinceritate aperiunt. Ioſeph. lib. 5. Antiquit. tumultum fuiſſe populi deſperationem accepta hac calamitate narrat; ſic vt moderata videatur Ioſue querela. Videns, inquit, Ioſue exercitum ita perculſum, & ex omnibus iam rebus peſſima deſperatione deiectum audacter acceſſit ad Deum, & ait. Non noſtra petulantia venimus, vt hanc terram armis ſubijceremus, ſed Moſe famulo tuo ad hoc nos adhortante proceſſimus dum multis ſignis, poſſeſſionem huius terræ præbiturum te nobis eſſe promiſeris, & exercitum armis hoſtiũ facere meliorem; Quæ ſunt hæc, quæ nobis repente venerunt? Nunc autem præter ſpem decepti videmur; & tanquam non firma ſint tua promiſſa, quæ Moſes prædixit, affligimur, & deterior nunc de futuris metus, nos deſperabiles habet, primo experimento talia ſuſtinentes. Sed tu Domine quoniam tibi virtus eſt, malis his adhibere medicinam, & præſenti noſtræ triſtitiæ præbere victoriam, etiam de futura deſperatione, tuo fauore nos libera, &c.

Ioſue, Daniel, & tres pueri ad impetrandam miſericordiam, [illegible]

Ioſephus.

13. Nemo igitur miretur, quod in dolore aliquid audiamus, quod extra illum non audiretur. Solent huiuſmodi vota cauſæ & conditiones in dolentium lamentis, & mœſtorum querimonijs audiri. Sic Moſes viſa afflictione, quæ poſt ſuam primam legationem populo superuenerat, conuerſus ad Dominum, à quo miſſus fuerat, ait Exod. 5. *Domine cur afflixiſti populum iſtum? quare miſiſti me? Ex eo enim, quo ingreſſus ſum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo afflixit populum tuum, & non liberaſti eos*, &c. Sic ergo Ioſue hoc loco. Si calamitas hæc nos, in hac manebat regione, vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem. Quod traiecerimus, tui fuit conſilij, & beneficij: ad gloriam tuam promoueri, quod cœ-

Condonandum eſt aliquid, ſi ea quæ dolentes loquuntur.

Exod. 5.

ptum eſt, & confidimus & poſtulamus.

Ab oppidanis Haj victus, ignominioſum ſuit Iſraeli.

14. *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem.*] Indignum eſſe cenſet, vt populus qui Iſraelis nomen habet terga verterit inimicis. Primò, quia licèt pauci deſiderati ſint in bello, & pauci in fugam coniecti, tamen ſi audiretur per vrbes Chananæorum terga vertiſſe Iſraelem ab oppidanis Haj, negligerent deinceps eorum exercitus, & aggredi non dubitarent, quos parui facerent.

Iacob Iſraelis nomen ſortitus, inuictus fuit.

Deindè quia dedecoroſum videtur Iſraelem terga vertiſſe cuicunque homini, vel populo. Nam, qui ex Dei decreto appellatus fuerat Iſraël, neque fratri, neque ſocero, neque Deo ipſi ſecum luctanti, vel Angelo terga vertit. Quomodo populus, qui ab illo nomen & ſanguinem accepit, turpi fuga ſaluti conſuluiſſe dicendus eſt? Gentes, ad quas huius plagæ nuntius peruenerit, inane dicent, & vanum eſſe Iſraelis nomen. Angit animum Ioſue hæc cogitatio. Videt in paucis victis, agi totius Iſraelis famam, & cauſam. Didicit experientia, non pro numero militum conſtare Iſraeli victoriam, ſed ex fauore, & patrocinio præſentis Dei. Vnde Ionathas ad armigerum ſuum, hac doctrina imbutus ait. *Veni tranſeamus ad ſtationem incircunciſorum horum, ſi fortè faciat pro nobis Dominus: quia non eſt difficile ſaluare Deo, vel in multitudine, vel in paucis*, & Iudas, 1. Mach. cap. 3. *Facilè eſt concludi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis vel in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus eſt victoria belli; Sed de cœlo fortitudo eſt.* Cùm ergo bellum Hebræorum, non eſſet illorum viribus gerendum, ſed Dei virtute; perindè fuit tria millia Iſraelitarum terga vertiſſe, ac ſi totus Iſraël terga verteret, & in hoſtium poteſtatem deueniret.

Timor infamiæ animos ſolicitat.

Victoria Iſraeli conſtabant ex diuina ope.

1. Mach. 3.

Fama ſemper aliquid affingit falſi.

15. *Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ; & circundabunt nos.*] Fama, quæ ſemper ſolet veris falſi aliquid affingere; nuntiabit hoſtibus noſtris; à paucis Haj ciuibus, exercitum noſtrum cæſum, fugatumque eſſe. Atque hoc audito tantùm, neque diligentius examinata re, intelligent nos tuo iam eſſe præſidio deſtitutos. Quare antequàm à te iterum in ſolitum recipiamur patrocinium, illi pariter conglobati, nos circundabunt, & nomen noſtrum delebunt de terra; nec Iſraël, quem tu elegeras in populum peculiarem, ampliùs cum dignitate nominabitur.

Argumentum ab honeſto.

Fama nominis Dei Iſraeli.

16. *Et quid facies magno nomini tuo?*] Ab honeſtate ducit argumentum. Quamuis, inquit, nos deleri parùm ſit; magni pendenda tamen eſt, fama nominis tui magni, quæ ex huiuſmodi calamitate nobis illata, multum læditur. An non ſub vmbra nominis tui venimus, vt terram hanc obtineremus? Quis ignorat, Iſraelitas ad hanc rem fuiſſe electos, vt verum Dei numen & cultum, nomenque Auguſtiſſimum edocti cognoſcerent, & tenerent? Hi vocati ſunt, vt legitimo ritu diuina præcepta obſeruarent; Atque vt Arcanum illud futuri Meſſiæ Dei conſilium ſibi communicatum, ad poſteros tranſmitterent. Vnde Moſes Deut. 4. *Scitis, quod docuerim vos præcepta, atque iuſtitias, ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis in terra, quam poſſeſſuri eſtis, & obſeruabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant. En populus ſapiens, & intelligens, gens magna; nec eſt alia natio, tam grandis,*

Deut. 4.

A *quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris*, &c. Sanè Dei nomen auditum, in cognitionem myſterij ſalutis humanæ per Chriſtum reparandæ, nos adducit. Quod nomen, vt ampliſſimè ſanctificetur communibus votis optandum & poſcendum Chriſtus docuit, Quare cùm in huius nominis honore, celebratione, & ſanctificatione, magna humani generis ſita ſit vtilitas, & Dei magna gloria emineat: optimo iure ſolicitus eſt Ioſue, atque hanc rem præcipuè ſibi curæ eſſe ſignificat, ne nominis illius gloria apud exteras nationes, quæ eximia ſemper fuit, obſcuretur. Dicerent enim
B Ægyptij, & Chananæi, quod Deo obiecit Moſes, Exod. 32. & Num. 14. non potuiſſe eum tradere Iſraelitis terram, quam promiſerat patribus eorum; ac proptereà deueniſſe populum falſa ſpe illectum in manus gentium.

Exod. 32. Num. 14.

17. Eſt autem hic orandi modus, quem Ioſue à Moſe didicit ad flectendum numen valdè efficax. Quamuis enim Deus non mutet ſententiam ſuam, nec cùm aliquid definierit, ſuaſionibus permoueatur, vt patet ex verbis Samuelis, 1. Reg. 15. Vult tamen vt aliqua, nonniſi precibus, impetrentur. Illæ autem efficaciores ſunt, quibus precantes ad diuinum honorem orationem colC limamus: ſimùlque in confirmationem aliquid adducimus, quo nos tueri cauſam ipſius Dei demonſtramus. Atque huc ſpectabat Moſis oratio cùm inſtanter Deum orabat, Num. 14. Huc etiam pertinet; quod Ioſue ait, *& quid facies nomini tuo magno.*

Quamuis Deus non mutet ſententiam ſuam, vt aliqua nonniſi precibus impetrentur. 1. Reg. 15.

Num. 14.

18. *Dixitque Dominus ad Ioſue. Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſraël, & præuaricatus eſt pactum meum.* Rectè cantatum eſt à vate Regio. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, vt ſaluos faciat eos.* En Dominus ad preces Ioſue aurem accommodans; habiD tum corporis, & ſitum miſerabilem, quo vir ſanctus ad terram ſe abiecerat oraturus; ſurgere eum iubet. Perſeuerauerat vſque ad veſperam humi iacens, & ieiunus; donec ad mentionem ſui nominis, in quo Chriſti myſteria, totiúſque humanæ ſalutis occultantur accurrens, deprecationem gratam ſibi fuiſſe, indicauit. Illud, *Cur iaces*, &c. hanc exhibet ſententiam, Surge; non patiar te diutius ita iacere. Fuit autem diuinum hoc oraculum; ſiue reſponſum planè ſalutare. Namque Iſraelis, languenti corpori, ſalutarem ſeſe medicum exhibuit Deus, morbíque initijs & grauitate indicatis, quonam modo, mediciE nam applicare oporteret, edocuit. En fructus orationis? Sonant diuina reſponſa; quibus ſi aurem damus, quid gerendum ſit, probè diſcimus. Vnde Pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius.*

Fletum Dei precibus & ... ibi ...

Pſalm 84.

19. Summa diuini reſponſi eſt. *Peccauit Iſrael.* Quo docemur; nullam publicè inferri populis cladem, quæ non iuſto Dei iudicio obueniat. Allata fuit plaga Iſraeli, inquit, Deus, ob graue peccatum, & ſanctitudinis, obſeruantiæque pactum, ipſi à me commendatum præuaricatus eſt. Conſtitutum námque fuerat, fœdere inter nos firmato, vt ille, & ſuam, & meam coleret ſanctitatem; hoc ille ſe ſeruaturum receperat. Nam Exod. 24. *Omnia, inquit, verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.* Nunc autem cùm ego mihi conſecrarim

Nulla inferri populis cladem ... iudicio ...

Exod. 24.

hunc locum, & omnia, quæ in eo eſſent; pactum meum, furto contaminauit. Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè exprimitur peculiaris pacti violatio, ne dum generalis: Quod eò fit, vt grauius & turpius videatur ſacrilegium.

20. *Tuleruntq; de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.* Quibuſdam quaſi gradibus Deus ad peccati cognitionem Ioſue perducit. Et primùm quidem in genere, *Peccauit*, inquit, *Iſrael.* Deinde ſubiicit, quod ſpecialius eſt, *Præuaricati ſunt pactum meum, quod præcepi eis.* Præceperat namque vt Hiericho integra Deo dicaretur. Tertiò addit, tulerunt de anathemate ſiue de bonis Deo ſacratis, vt appareat ſacrilegiũ. Quartò, circunſtantiam occulti ſceleris apponit, dicens: *furati ſunt.* Quintò, flagitio flagitium accumulat, dum ait: *& mentiti ſunt.* Significans hoc verbo Achan mentitum fuiſſe, cùm interrogaretur, ſciretne, an aliquid de anathemate fuerit ablatum, ſe innocentem eſſe, ſicut & reliquos. Demum reuelat Deus locum occulti furti dicens, & abſconderunt inter vaſa ſua. Solus autem Achã abſconderat, quæ abſtulit inter vaſa ſua, hoc eſt inter inſtrumenta familiæ ſuæ, in medio ſcilicet tabernaculi ſui, vt infrà exprimitur.

Sex circunſtantiæ peccati Achan.

21. *Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eóſque fugiet; quia pollutus eſt anathemate.*] Victum iri ab hoſtibus Iſraelem Dominus denuntiat propter ſacrilegium, quo polluitur. Id autem duplex eſt. Vnum, quod cremata non ſint, quæ erant cremanda. Alterum, quod raptum ſit ab Achan in ſuos vſus; quod erat in theſauris Domini reponendum. Additque: *Non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* Non ſignificat Deus his verbis, ſe eam gratiam ſubducturum, qua priuatè vnumquemque ex illo populo fouebat, vt Ioſue, & Phinices ſacerdotẽ & alios; ſed illam duntaxat toti Iſraeli communiter promiſſam protectionem; ideóque ait: *Non ero vobiſcum.* Tamen non ita negat, ſe futurum cum illis, vt quamuis iratus, miſericordiæ locum non relinquat: tantùm expiationem ſceleris neceſſariam eſſe ait, ad reconciliationem, & gratiam reparandam.

Subtractio diuini auxilij quatenus negetur.

22. *Surge, ſanctifica populum, & dic eis,* &c.] Indicato Iſraelis morbo, & medicinam Deus adhiberi ſuadet, & maturari: ſanctificare autem populum; idem eſt, quod conuocare, & ab omni alio opere ſemotum, ad ea quæ præcipientur præſtanda, publicè conuenire: ita tamen, vt nullus neque ſeruus neque mulier, neque infans, neque hoſpes miſceatur, ſed ij tantùm aggregentur, qui vniuerſalis conſilij nomine, & numero cenſeri poſſunt, ac debent.

Sanctificare populum eſt conuocare.

23. *Sanctificamini in craſtinum. Hæc enim dicit Dominus Deus.*] Habes hîc (vt Arias Montanus annotauit) vniuerſalis concilij à Deo indicti exemplum. Eſt autem conciliorum cogendorum lex & conſuetudo à Deo inſtituta antiquiſſima apud fideles, Ea verò idcircò inducta eſt, vt publicis cauſis, in commune conſuleretur. Porrò conciliorum forma duplex erat. Plena altera, in quam omnis Iſraeliticus populus conueniebat. Altera non plena, in quam tribuum capita, & familiarum proceres, ſummo ſacerdote præeunte, cõuocabantur. Intererant etiam prophetæ, ſi quos in Republica eſſe contingeret. Differt autem in craſtinum ſanctificationem Deus: tum quia intempeſtiua præſentis diei hora erat, ſub ipſum noctis crepuſculum: tum quia die inſequente albente cælo poterant in ordinem redigi familiæ, & ſortes commodè, non ſolum tributim, ſed etiam viritim extrahi; nemine ſe ab oculis, ne deprehenderetur, ſubducente. Denique opportunitas rei gerendæ diem poſtulabat, non noctem, quæ feris ad quærendas ſibi prædas conceditur: Pſal. 103. *Ortus eſt ſol, & congregabantur, & in cubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Sed quid eſt: *Sanctificamini in craſtinum?* Eſtote ſub craſtina aurora in vno loco congregati; vt appareat criminis occulti reus: vel, vt inquit Abulenſ. qu. 21. affectu deuotionis animos præparate, vt eras poſſitis Domini ſententiam audire. Accipitur namque in hoc capite ſanctificatio, pro præparatione: quæ aliquando in eo erat, vt veſtes ablucrentur, & ab vſu coniugij abſtineretur: Quod accidit in promulgatione legis. Sic enim iuſſu Dei, Moſes populum alloquitur. *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris:* paulò antè veſtium lotio fuerat indicta. Fiebat interdum ſanctificatio ſiue præparatio per ieiunium; quale impia Iezabel indixit toti vrbi ante condemnationem Naboth Ieſraelitæ, vt ſpecie religionis, ſuam occultaret iniquitatem, quaſi à Deo ſententia lata eſſet, 3. Reg. 21. Aliquando per orationem vt cum Act. 1. miſſæ ſunt ſortes ſuper Matthiam, & Barſabam. Hîc non exprimitur, qua ſanctificatione, ſiue præparatione, vſi fuerint Iſraelitæ, ſolum indicitur totius populi conuentus. Quare conſuetæ præparationes videntur intelligendæ, ſi non omnes, ſaltem potiores ad diuinum numen placandum.

Montanus.

Exemplum vniuerſalis concilij à Deo indicti.

Duplex conciliorum forma.

Pſalm. 103.

Abulenſis.

Sanctificatio eſt præparatio ad rem ſanctam, quæ fit aliquando per ieiunium.

3 Reg. 21. Act. 1.

24. *Anathema eſt in medio tui Iſrael.*] Congregato populo hæc nuntianda Dei nomine iubentur, anathemate contaminatum eſſe Iſraelem: ac proinde victum iri ab hoſtibus, donec morte hominis anathemate polluti, eluatur tanti flagitij macula.

25. *Accedetiſq; manè ſinguli per tribus veſtras,* &c.] Erant Hebræis quatuor vexilla, quorum ſingula, ternas recipiebant tribus; in qualibet tribu familiæ, quoque diſtinguebantur, & in familiis domus. Iubentur ergo ordine quodam diſponi, ne ſubterfugij locus relinquatur, ſortes etiam mittendæ dicũtur, quibus indicabitur criminis reus. Id quo pacto factum ſit, infrà explicabitur.

Verſ. 6.] Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, vſque ad veſperam.

Quid apud ſacros, & prophanos ſcriptores veſtium dilaceratio ſignificet?

ANNOTATIO I.

1. EX furto clam patrato, ingens omnium Iſraelitarum animos inuaſit metus, Deo id permittente; ne quis, vel occulto, alterius flagitio, conniueret, vt enim Homerus ait, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα: id eſt, *Deus habet vindicẽ oculum. Qui ſurripuerat* (inquit Theodor. q. 9. ſuper Ioſue) *putabat perinde latere Deum, ac homines. Voluit igitur Deus, & hunc reprehendere, & alijs inijcere metum, vt*

Homerus.

Theodor. Habet Deus iuſtum oculum.

qui Amorrhæorum regnum non obſcuratores contriuerant tranſgreſſores, alio qui inſtigandi ſupplicij ſunt futuri participes. Hæc Theodor. Conſtringit Deus hominum conſcientias, ne audaces fiant ad peccandum. En metus eos etiam inuadit, qui non peccarunt. Ioſue, qui longè aberat à crimine crimen tamen ſuſpicatus quod in cauſa fuerit metus populo, ob aduerſum Martem incuſſi mœſtitiæ ſigna edit. Vnde Chryſ. hom. 1. in verba Iſaiæ, *vidi Dominum*, huius capitis texens hiſtoriam: *Videns* inquit, *Ioſue fugam ſibi non poſſe, diſcidit veſtimenta ſua et proſtrauit in terram, et lugubrius lamentatus eſt quæ narrat diuina ſcriptura.* Hæc ille.

Affligitur Ioſue ſeorſum habere populo peccatum.

Dilacerabant veſtes Hebræi audita blaſphemia, aut re ſua funeſta.

2. Quamuis autem apud Hebræos, dilacerandi veſtes duplex cauſa aſſignari ſoleat, nempe alicuius rei aduerſæ repentinus nuntius, vel audita blaſphemia, plures tamen aſſignari poſſunt quarum potiores in Ioſue, & ſeniores, qui illum imitati ſunt manifeſtè conueniunt. Nos eas quæ occurrerint breui complectemur. B

3. Prima eſt, vehemens doloris ſenſus, ſignificatur námque veſtium dilaceratione, cor dolore abrumpi. Hoc habitu principes in funeribus amicorum dolorem declarabant, 3. Reg. 1. *Apprehendens Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omnéſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt, vſque ad veſperam ſuper Saul*, &c. & cap. 3. *Scindite*, (inquit Dauid;) *veſtimenta, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner* &c. Præiuit exemplo Iacob, etiam ante legem, poſteros ſuos; dicitur námque Gen. 37. *Iacob ſciſſis veſtibus, indutus eſt cilicio lugens filium ſuum multo tempore.* Quid Iob? Auditis bonorum ſuorum detrimentis, & ſubitam omnium filiorum mortem. *Scidit*, inquit, *veſtimenta ſua*: credibile etiam eſt lugubrem ſaccum induiſſe, & puluere caput conſperſiſſe. Id enim cap. 16. idem ſignificat dicens: *ſaccum conſui ſuper cutem meam, operui cinere carnem meam, &c.* Eum morem apud politiores gentes extitiſſe, indicat poëta: C

2. Reg. 1.

2. Reg. 3.

Gen. 37.

Iob. cap. 1.

Virg. Æn. 12.

— *It ſciſſa veſte Latinus*
Coniugis attonitus fatis, vrbiſq́; ruina:
Canitiem immundo perfuſam puluere turpans. D

Mos dilacerandi veſtes apud gentes
Herod.

Herodotus lib. 6. Lacedæmoniorum hanc fuiſſe in luctu ceremoniam teſtatur. Eadem in vſu fuit Romanis, vt ſcribit Dionyſ. Halicar. lib. 7. agens de Marci Coriolani condemnatione, & Græcis, vt authos eſt Lucianus in Dialogo de luctu. Hùc alludit Iuuenalis, dicens:

Dion. Hal.

Lucianus.
Iuuenalis.

Vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſáque Polyxena palla.

4. Secunda, vetus funerum ritus à cadaueribus terræ mandandis. Si enim pretioſa veſte contectum cadauer erat, veſtis conſcindebatur, ne ſi integra eſſet, occaſionem auaritiæ præberet, ipſum exhumandi. Quò reſpexit D. Chryſoſt. homil. ſuper orationem Annæ matris Samuelis ad finem, vbi de diuitum agit exequiis. *Cum defuncto*, inquit, *multam inculcaueris veſtem pretioſam, & auratam, nihil aliud niſi mœrorem auxiſti, & accuſationem attuleris, & aduerſus defunctam omnium ora reſeraueris, & accenderis acriorem auaritiæ accuſationem; ſingulis lacerantibus, & ſuffocantibus defunctam, ac maledicentibus, quod neque mortuus circa pecunias inſaniâ diſſolutus, nec hoc tantum eſt graue, verùm & quod furum oculos aperis*, &c. Sic apud poëtam, Amata Latini Regis vxor: E

Secunda cauſa dilacerandi veſtes.

Chryſoſt.

Purpureos moritura manu diſcindit amictus.

Æn. 12.

5. Tertia ſignificatio, qua viri fortes, & ſtrenui, nihil integrum relinqui, inſidiatoribus vitæ ſuæ, A
conſcendere volunt. Sic Iob, dæmonum inſidiis ſtipatus veſtes ſcindit, ne quid integrum, ad eorum manus perueniat. Miles generoſus pallium non facilè dimittit niſi mille laceratum, atque perfoſſum ictibus. Nihil de te habeat dæmon, non veſtem, non oculum, non manum, non rem aliquã, quæ illi vſui eſſe poſſit. Senec. Epiſt. 14. ad Lucil. *Nihil habeamus* inquit, (de mundi diſputans contemptu) *quod cum magno emolumento inſidiatoris eripi poſſit; quàm minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum, nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt*. &c. Quid Ioſue? ſciſſione veſtium, contemptum oſtendit rerum omnium, qua à victore inimico deſiderari poterant; ſe vel nudum ſatis eſſe oſtendit, ſi Dominus iubeat ad ſcrutandas hoſtium copias.

Iob dæmonum inſidiis ſtipatus veſtes ſcindit, ſi quid inter eo dæmon ſpoliet.

Seneca.

6. Quarta eſt animi inuicta fortitudo; Hæc ad ſcindendas veſtes eum impellit, qui non timet hoſtem, neque mortem; dummodo Deum ſibi videat fauentem. Origenes, & Nilus Abbas ſingularem & inuictum luctatorem agere Iobum exiſtimant ſciſſis veſtibus; idem dicerent de Ioſue, ſi hunc locum tractarent. Origenes ſcribit Syris olim eum morem fuiſſe, vt cum manus, cum hoſte conſerendæ erant, veſtes conſcinderẽt; iiſque abiectis nudo pectore in hoſtes inuolarent. Sunt & gentes barbaræ, quæ ſuccinctæ breuioribus tunicis, nudis hoſtem humeris & pectore excipiant. *Omnis*, (inquit Apoſtolus) *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Quid hoc eſt? Nonniſi nudos in ſtadium lex certaminis deducit (inquit Nilus) Hæc nuditas accommodata eſt certamini, quod contra malignos ſpiritus ſumimus. Vnde Greg. hom. 32. in Matth. *Si veſtitus*, inquit, *quiſquam cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur. Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, veſtimenta abijciat, ne ſuccumbat*, &c. Adam in ſtatu innocentiæ cum hoſte conflicturus, nudus erat. Ioſephus, relicto pallio victoriam de voluptate reportauit. Hinc B. Nilus enarrans illud Prouerb. 27. *Tolle veſtimentum eius, qui ſpopondit pro extraneo* &c. ait præcipi ab authore prouerbiorum, certaminis magiſtro, vt eius veſtimenta detrahat, qui luctaturus cum hoſte in arenam deſcendit. Conſcindit ergo veſtes Ioſue, & negligit coram Deo, vt diuinæ virtutis oleo perunctus, nudus cum nudo animæ aduerſario, hoc eſt, cum peccato depugnet primùm: deinde cum Chananæis hoſtibus, quos diuino fretus auxilio, vel nudus non formidabit.

Animi inuicta fortitudo ad conſcindendas veſtes luctatorem compellit.
Orig. et Nilus Abb.

1. Cor. 9.

Nudos certandos lex antiqua ſtatuit.

Gregorius.

B. Nilus.

7. Non igitur magni faciendæ ſunt res humanæ veſtibus ſignificatæ, illi qui in Deo ſpem collocauit: ſcindat veſtem; nudus ad luctam prodeat; leges diuini magiſtri obſeruet: Non reſiſtat vulneri, quando id pati magiſter iubet, quicquid boni eſt in pectore reconditum habeat. Audi magiſtrum certaminis Matth. 6. *Dico vobis, non reſiſtere malo* (hoc eſt, iuxta Chryſoſt. diabolo in impijs operanti) *Sed ſi quis te percuſſerit, in dexteram maxillam præbe illi & alteram: & ei qui vult tunicam tuam tollere præbe ei & pallium* Hunc locum, vtiliter expendit Auguſt. Epiſt. 5. ad Marcellinum, vbi per dexteram maxillam, quæ ſecurior eſt quod non reſpondeat dexteræ percutientis, ſed ſiniſtræ; intelligit bona animi, per ſiniſtram maxillam, & pallium bona corporis. Vult ergò, vt cum aduerſarius eripere bona animi nititur, terrena omnia tanquam ſiniſtram maxillam ferienti obijciamus. Quæ cum ille abſtulerit, nihil,

Matth. 6.

Auguſtinus.

Ioſue cor habuit dextrum tamen.

quod

quod bonum ſit, amiſiſſe te puta. Hac imbutus doctrina Paulus, cùm vincula audit, Act. 21. *Non ſolùm, inquit, alligari, ſed & mori paratus ſum.* & 1. Cor. 6. *Delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini,* &c. Idem Auguſt. de ſerm. Domini; ait, ea, quæ à ſanctis in nouo teſtamento facta ſunt continere explicationem præceptorum. Vt cum legimus in Euangelio quid facere debeas alapa percuſſus. Nam ipſe Dominus, cuius exemplo viuimus, cum alapa percuſſus eſſet, non ait, ecce alteram maxillam: Sed ait. *Si malè dixi exprobra de malo, ſi autem bene, cur me cædis?* Vbi oſtendit, illam præparationem alterius maxillæ, in corde faciendam. Paratus enim fuit Dominus, non ſolùm in alteram maxillam cædi pro ſalute omnium, ſed in toto corpore crucifigi. Hæc ille.

8. Duæ tamen ſunt præcipuæ cauſæ cur hîc Ioſue veſtem ſciderit. Vna eſt, vt eo habitu, qui pœnitentes decet, ſe coram irato numine deprimeret, & ad orandum præpararet; quod indicant illa verba; *Ioſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini.* &c. Altera, timor quidam, quo perculſus nuntio rei in bello malè geſtæ verebatur ne de Deo vulgus blaſphemo ore malè loqueretur. Iam ſuprà annotauimus morem fuiſſe Iudæorum, in triſtibus atque aduerſis, veſtes lacerare, vt Num. 14. fecit idem Ioſue & Caleb, & ſummus ſacerdos, Matth. 26. & Paulus & Barnabas, Act. 14. Hùnc tamen dolorem non externum eſſe penitus volebat Deus, vt Iudæi ferè illo vtebantur veſtium laceratione; Sed magis internum, vt ipſe ait Ioelis 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum.* Ac ſi dicat, à cordium ſciſſione incipite; Non mihi grata eſt ſola veſtium dilaceratio. Scindere autem corda eſt vehementer dolere de peccatis, eaque foras pellere fletu & confeſſione. Pro quo Chaldæus dixit. *Et auferte impietatem cordis veſtri.* Gloſſ. Inter. *Aperite corda veſtra per confeſſionem fidei,* &c. Vel per confeſſionem etiam peccatorum, qualis tunc exigebatur. Et nunc multò magis poſt inſtitutionem ſacramenti pœnitentiæ. D. Hieronym. hac vtitur paraphraſi. *Ideircò ego præcipio vobis, vt nequaquam ſcindatis veſtimenta, ſed corda, quæ plena ſunt peccatis; quæ inſtar vtrium niſi ſciſſa fuerint, ſponte rumpentur.*

Num. 14.
Matt. 26.
Act. 14.
Ioel. 2. Deo magis cordis, quam veſtium dilaceratione, cum peccatum eſt.
Chaldæus.
Gloſſ. Inter.
Hieronym.

9. Ioſue ergò accepta clade, ſciſſa veſte, ſpontaneam pœnitentiam agens, ſubiectum ſe & humilem Deo flagellanti exhibet. Solemne námque eſt veris ſanctis, vt immiſſis à Deo calamitatibus, cùm illas placere Deo exiſtimant, ipſi ſe ampliùs macerent & fatigent. Quod in malis ſuis fecit Dauid. Pſalm. 34. *Cùm mihi,* inquit, *moleſti eſſent induebar cilicio.* Ac ſi dicat, non contentus hoſtium moleſtijs, ipſe cilicio ad carnem applicito, mihi hoſtis eram. *Humiliabam in ieiunio animam meam,* hoc eſt, mihi cibum ſubtrahebam, *& oratio mea in ſinu meo conuertetur,* cùm illi probra & maledicta in me iactarent, ego illis, quod humano ſenſui difficile eſt, bene precabar. *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam,* cùm mihi infeſti exiſterent. Ego mihi vim afferebam, vt omni via illis, quaſi fratribus placere poſſem, & prodeſſe. *Quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.* Lugubrem veſtem ſumebam, vt ex eo habitu intelligerent, me quem ſublatum è medio optabant meum funus proſequi. Hoc ille ſe-

Pſalm. 34.
... ſeipſum ... & alijs ... ſibi aſſi... vt placeant.

cit. 2. Reg. 15. cùm fugiens Abſalonem reliquit munitiſſimam vrbem, in qua ſe defendere poſſet, vt obſeruauit Abulenſ. & non equo, non calcaribus vſus, ſed calceis etiam, qui leuare poſſent difficilem cliuoſi trametis aſcenſum, detractis, in locum deſertum feſtinabat lugens & triſtis. Scandens, inquit, & flens, & nudis pedibus incedens, & aperto capite aſcendebat plorans, &c. Mortem illi optabat Abſalon; ille, ac ſi cadauer eſſet, ſe ipſum humiliat, & plangit; ſic Iob poſt multa quæ pertulerat damna, cap. 16. ſic ait: *conſcidit me vulnere ſuper vulnus.* Deinde ſubiungit ſponte à ſe ſuſceptas pœnas ſaccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam, &c. Et accepta vulnera non oleo leniuit, ſed quaſi aceto & ſale, ſeroſo ſacco perfricuit.

2. Reg. 15.
Dauid habitu deiecto & ſe macerans incedit fugiens Abſalonem.
Iob. 16.

10. Quid ſi Ioſue & ſeniores veſtem ſciderunt, vt primo quaſi verbere admoniti declararent, proijcere ſe veſtem, quo ſe nudos flagellanti numini præberent? Hoc aliquando præſtitit Dauid. Ait enim Pſalm. 37. *Quoniam ego in flagella paratus ſum,* nempe futura, *& dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Hoc eſt, licèt quem dolorem iam nunc perfero ab hoſtibus, te annuente, mihi ante oculos obuerſatur. Non ſic impij non ſic, quin ea ſunt cæcitate, vt Deo ſupplicium comminanti, non ieiunijs & gemitibus occurrere ſoleant, vt placari valeat; ſed varijs potiùs voluptatum generibus, quò vehementius ſæuiat. Iſaiæ 22. *Vocabit Dominus in die illa ad fletum, & ad planctum & ad caluitium, & ad cingulum ſacci & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum* &c. Senſus enim eſt, captiuitate iam præſente, & obſeſſa ciuitate Hieruſalem, Dominus non planè oblitus veſtri mittet Hieremiam, qui excitabit vos ad pœnitentiam. Sed illius vocibus haud obedient principes, & vulgus hominum, imò epulis, & conciliationibus indulgebunt, & dicent: *comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* O miram inſaniam. Hæc verba, nónne paganiſmum continent, quaſi non crediderint ij, quibus Hieremias erat fletum & pœnitentiam prædicaturus futuram reſurrectionem, ſed animam ſimul cum corpore interituram, quod Epicurus docuit. Vnde illud Senecæ Tragic. Act. 2. Troadis.

Pſalm. 37. Iuſti ſe parant ad perferendas pœnas à numine illatas oſtendunt.
Iſai. 22.
Explicatur locus Iſaiæ.
Senec. Trag.

Poſt mortem nihil eſt, ipſáque mors nihil
Spem ponant auidi ſolliciti metum.
Quæris quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent
Tempus nos auidum deuorat & Chaos.

11. Alijs videtur eſſe ſermo deſperationis; ac ſi dicerent Hieroſolymitani ciues. Quorſum agimus excubias; nihil nobis proderunt, cras enim omnes moriemur hoſtium gladio iugulati. Vtamur ergo præſenti voluptate, dum licet, epuliſque & ludo recreemur. Atque hoc modo interpretatur Iſaiam D. Hieronym. Vnde ait; abuſum fuiſſe hoc teſtimonio, D. Paulum, 1. Cor. 15. hoc modo ſcribentem ſi mortui non reſurgunt, comedamus & bibamus; cras enim moriemur. Illud ex Iſaia colligimus contra noſtri temporis hæreticos, pœnitentiam complecti, ſaccum, fletum, gemitum, & id genus alia, vt ſciſſionem veſtium, & pulueris conſperſionem: quibus rebus vſus eſt Ioſue, poſt acceptam cladem, & Iob audita bonorum, amiſſione, & filiorum morte.

Deſperatio ciuium Hieroſolymitanorum.
Hieronym. 1. Cor. 15.
Pœnitentia ſacco, fletu, & cineribus inducatur.

12. Altera cauſa, quæ ad veſtium dilacerationem Ioſue permouit, fuit timor, ne tam victi Iſraelitæ, quàm victores Chananæi erumperent

Sciſsio veſtis ob timorē blaſphemiæ.
4. Reg. 19. Iſai. 37. Hierem. 36.

in diuini nominis blaſphemiam. Hic enim geſtus intimi doloris ſignificatio Hebræis erat. Sic fecit Ezech. 4. Reg. 19. & Iſai. 37. audiens blaſphemias Rabſacis & Hieremiæ, cap. 36. cum ſacrum volumen de vaſtatione Hieruſalem a Hieremia Dei iuſſu conſcriptum, imperio ſacrilegi Regis conſciſſum atque combuſtum eſt, ingenti vertitur crimini omnibus, qui nullum doloris ſenſum indicarunt, tam inſigni ſacrilegio patrato. *Non timuerunt*, inquit, *neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex, & omnes ſerui eius, qui audierunt omnes ſermones iſtos*, &c. Debuit & Herodes Rex argentea coruſcans veſte, cùm vidit à populo diuinos ſibi honores deferri diſciſſa veſte, quæ populo erroris occaſionem præbuit dolorem teſtari, & gloriam Deo tribuere. Id quia non fecit diris preſſus cruciatibus interijt. Quid Paulus & Barnabas? ij Act. 14. videntes à Iouis ſacerdote, ſacrificia ſibi præparari, *conſciſſis tunicis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes. Viri quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus.* Sanè Beatus Iob ſuggerenti ſibi diabolo in miſerijs, quibus conflictabatur, verba blaſphemiæ, tantùm abeſt, vt aures dederit, vt primæ blaſphemię ſuggeſtioni reſponderit, veſtium dilaceratione. Ioſue verò cogitans poſſe lædi diuinum numen blaſphemia aliqua, antè veſtes lacerat, quàm blaſphemiam audiat. Adeò id malum deteſtabatur.

Act. 12. & 13.
Iob. 1.

Verſ. 6.] Miſerúntque puluerem ſuper capita ſua.

Quorſum ſpectarit olim iactatio pulueris & de more radendi caput, & barbam.

ANNOTATIO II.

1. CVM Ioſue, ſeniores Iſraël, non ſolùm lacerarunt præ dolore veſtes, ſed etiam puluerem ſuper caput iactarunt. *Ioſue*, inquit, *ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, vſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſraël, miſerúntque puluerem ſuper capita ſua*, &c. Hæc omnia ad doloris & luctus habitum pertinent, vt patet Iobi, cap. 2. cuius amici, conſpectu miſeriæ, ſimilibus ſignis triſtitiam ſignificarunt. *Cúmque eleuaſſent* (inquit ſacra hiſtoria) *procul oculos ſuos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, ſciſsiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus: Et nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem eſſe vehementem*, &c. Polych. ita legit: *Cúmque in cœlum ſuſpexiſſent Deum exorantes, quaſi dixerunt: propitius eſto Domine, & ne talibus nos malis implices*, &c. Videntes autem grauiter plagis exaratum viri corpus agnoſcere eum vix potuerunt. Lues námque (vt Olympiodorus ſcribit) antiqua corporis lineamenta obliterauerat; idcircò puluerem cum lacrymis ad cœlum iactarunt; vt eo cadente, caput deturparetur; ſimúlque ſignificaretur cœlo irato omnia turbari.

Iob. 2.
Pulueris inſperſio, ſignum eſt triſtitiæ.
Polych.
Cœlo irato omnia turbantur.

2. Quod additur. *Et ſederunt cum eo in terra 7. diebus*, &c. non ad quietem pertinet, vt Eugubinus putat, dicens habitaſſe amicos cum Iobo ſeptem dies; quia, ſcilicet, ſedere idem interdum eſt, quod habitare. Quid ergo? ad luctum refertur. Sedere quippe, in cinere, puluere, & terra, lugentis eſt & afflicti: ſic 2. Eſdræ 1. *Sedi & fleui, & luxi.* Et Thren. cap. 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas*, &c. & Pſalm. *Illic ſedimus & fleuimus*. Commoratio autem 7. dierum iuxta Origenem ita inſtituta fuit, vt Iobus in aduentu amicorum ex ſterquilinio in ſuam ciuitatem, & domum redierit, quò illos digno hoſpitio exciperet: vbi diuina eos virtute confortante ſine cibo, aut potu, ſeptem integros dies tranſegerint. Quod ſi ita eſt, abundè hebdomadario ieiunio, triſtitiam indicarunt. Cùm tamen, vt Olympiodorus annotauit ſacra ſcriptura à ſermone familiari recedere non ſoleat; puto eos quotidie ſeptem illis diebus ad amicum veniſſe, & cum illo ad multam vſque noctem ſediſſe, nullum ad illum interim, ſermonem dirigentes. An cum Iacob, Gen. 31. dixit: *Die noctúque æſtu vrebar & gelu: fugiebatque ſomnus ab oculis meis*; ſignificat, nunquam toto illo tempore, domum ſe ſubijſſe, aut ſomnum cepiſſe? Cantapetrenſis lib. 6. Hippoly. credit poni ſeptenarium, vt plerunque fit, pro numero indefinito. Mihi tamen præfixè accipiendus videtur ſeptenarius. Erat enim hic dierum numerus, lugentibus ad mœrorem funeris præſcriptus, vt indicat Eccl. 21. niſi ſolennior luctus, plures exigeret dies. Taciturnitas etiam dolorem & mœrorem declarabat. Fortè de alijs rebus ſermo erat, inter illos; de calamitate tamen amici nec verbum. *Et nemo*, inquit, *loquebatur ei verbum.* Chryſoſt. *Animus ſemel mœrore affectus nihil poteſt commode audire.* Et D. Thom. ſup. cap. Iobi citatum. *Silentium*, ait, *conueniens eſſe ægritudinis initio, cùm miſeris in primis delectabile ſit ſumere actuale experimentum, de vera amicitia, per certa & vera ſigna, nullis etiam verbis adhibitis.* Hoc fortaſſe conſolandi modo vſus eſt Angelus, qui Chriſtum Dominum orantem confortabat. Non enim videtur vſus verbis vllis; ſed quadam præſentia ſociali (vt Salmeroni noſtro probabile videtur tom. 10. tract. 14.) & conſideratione rationum, quibus Chriſti anima cruciabatur. Crediderim ad præſtandam ſocialem præſentiam, quam Chriſtus in diſcipulis requiſiuit dum Petro & cæteris, vt vigilarent & orarent ſuaſit; Angelum deſcendiſſe: atque adeò; eo genua flectente, genu flexiſſe; eo proſtrato humi, ſe ad terram proſtrauiſſe. Eſt enim ſocietas, magnum mœroris alleuamentum; quamuis, qui adſunt taceant. Imò amici Iob diebus 7. tacentes, plus ei attulerunt alleuamenti, quam poſteà attulerint longo verborum ambitu, loquentes. Hinc illa querimonia de Petro, Matt. 26. *Sic? non potuiſti vna hora vigilare mecum.*

Eugubinus
2. Eſdræ 1.
Thren. 1.
Origen.
Hebdomadario ieiunio amici Iob triſtitiam indicarunt. Olympio.
Gen. 31.
Cantap.
Septem dies luctus aſſignat.
Eccl. 21.
Chryſoſt.
D. Thom.
Mœrentibus præſentia ... conſolatio ...
Angelum ... Chriſtum in ... conſolatum.
Matth. 26.

3. Quod ad morem attinet radendi caput, & barbam is varius fuit. & non ad vnius tantum rei ſignificationem inductus. Primò certum eſt, vt dilacerationem veſtium, ita tonſionem capitis ad lugendi conſuetudinem, & cæremoniam pertinuiſſe, vt Iob 1. *Et tonſo capite corruens in terram adorauit.* Et quidem antiqui, apud quos crines, & barba prolixa ornamento erat, fortunæ, & ſtatus commutationem, capitis, & barbæ tonſione ſignificabant. Vnde luctus ſigna ſunt caluitium & abraſio, 1. Eſdræ 9. Iſai. 15. & 22. Hierem. 7. & 16. Ezech. 24. Mich. 1. Sanè Hierem. 7. dicitur: *Tonde capillum tuum, & proijce, & ſume in directum planctum*, &c. Quibus verbis ſignificatur,

Tonſio ad luctum ſpectat.
Iob 1.
Caluitium & barba raſa.
1. Eſdr. 9. Iſai. 15. & 22. Hierem. 7. & 16. Ezech. 24. Mich. 1. Hierem. 7.

atur. ita proiiciendos eſſe Iudæos à facie Domini, hoc eſt, à terra ſancta, vbi templum erat, & ab illius gratia, quemadmodum attonſi capilli ventis ludibrio futuri proiiciuntur, vel certè id facere præcipitur, quòd mos eſſet lugentium capillos tondere, Paraph. Chald. *Euelle capillos, propter principes tuos, qui captiui ducentur.* Pro particula, *ſume in directum planctum.* Sept. *ſume in labijs planctum.* Chaldaicè, *Tolle propter duces lamentationem.* In Hebræo, *Tolle ſuper loca edita lamentum:* ac ſi dicat: Conſcende loca edita, & illic lamentare, vt planctus tuus procul exaudiri poſſit.

Paraph. Chal.

4. Secundò, tonſio barbæ, & crinium, captiuitatis, contumeliæ, & opprobrij aliquando ſignû fuit, vt 2. Reg. 10. 2. Eſdræ 13. 1. Paralip. 19. Deut. 32. Ezech. 29. *Nabuchodonoſor ſeruire fecit ſeruitute magna. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus.* Hinc Philoſophus 1. Rhet. comam libertatis argumentum eſſe aſſeruit. Vnde ignominiæ olim apud Ethnicos erat capitis & tonſio, & caluitium. Et Lycurgus Spartanos milites promiſſo capillo, & comatos eſſe voluit, licèt more Laconico barbam ad cutem raſitarêt. Quod Mauris, & Britannis in more fuit, vt cincinnis ornati eſſent rutilis comis, & tam compoſito capillo, vt in inceſſu, vix ſe contingi paterentur, omni corporis parte abraſa præter caput, & labrum. Lycij comam tanti fecerunt, vt ne crines tonderent æra pœnæ nomine Mauſolo Regi Cariæ pendere non dubitarent. Hæc ferè Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 5. cap. 18. Strabo lib. 3. ſcribit noſtros Luſitanos, qui olim in montibus horridam, & incultam vitam, humi ferarum ritu ſtrati degebant, longas vt fœminæ, inferiùs, diffundere comas ſolitos. Idem & Gallis Comatis, quibus plurimus capillus erat, vſui fuit. Inde capillum pectunt potiùs, quàm tondent, barba ſemper intonſa, vt auctor eſt Quintus Curtius lib. 8. quin etiam addit Regem ipſum in pectendo, ornandóque capillo reſponſa legationibus, & iura popularibus reddere ſolitum. Solin. cap. 65. Indorum mores ſcribens, ait, Indis omnibus promiſſa cæſaries non ſine fuco cærulei aut crocei coloris. De Germanis ita Iuuenal. ſatyra 13.

Tonſio barbæ aliquando captiuitatis, & opprobrij ſignû fuit. 1. Reg. 10. 2. Eſdræ 13. 1. Paralip. 19. Deut. 32. Ezech. 29. 1. Rhetoricor. Ariſtoteles. Spartani milites comati erant. Alexander ab Alexandro. Strabo. Luſitani antiquitùs corpus promiſſo capillo tegebant. Q. Curtius. Solinus. Iuuenal.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina? flauam
Cæſariem? & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura eſt omnibus vna.

Argiui cùm anteà criniti eſſent, victi à Lacedemoniis, amiſſis Tyriis, deplorandæ calamitatis cauſa, capillos totonderunt vouentes ſe non reſumpturos, niſi Tyrias recepiſſent. Ita Herodotus lib. 1. E diuerſo Lacones tunc victores ſanxere, ne quis comam tonderet, abrogato more iſto ipſis ſolenni. Sybari verò à Crotoniatis directa, vniuerſi Mileſij capita deraſerunt, & ingentem luctum ediderunt, vt auctor eſt Alexander loco indicato.

Argiui bello victi capillos tonderunt. Herodotus. Alexan. ab Al.

5. In ſacra verò hiſtoria, comæ, & barbæ prolixitas plerumq; triſtitiæ indicium eſt, vt 2. Reg. 19. Cùm Miſiboſeth in occurſum Regis Dauid deſcendit, illotis pedibus, & intonſa barba, veſtéſque ſuas lacerans. Ioſeph etiam in ergaſtulo intonſus iacuit; vnde Gen. 41. dicitur. *Eductum de carcere totonderunt, ac veſte mutata obtulerunt ei,* &c. Ad dignitatem videtur ſpectare illud Baruch 6. *Sedent habentes capita, & barbam raſam,* &c. Et apud Romanos prolixa erat reorum barba, vt indicat Martialis lib. 2. Imperatorum verò vſque ad Neronem barba raſa fuit, vt lib. 3. cap. 4.

2. Reg. 19. Barbæ & comæ prolixitas ... luctûs indicium. Gen. 41. Baruch 6. Epigram. 2. ... ad Neronem barba raſa.

A ſcribit Aulus Gellius. Deus verò ſuis ſacerdotibus, vt à profanis ſecernerentur præcipit Leuit. 19. ne barbam radant. *Non attondebitis,* inquit, *caput in rotundum, nec barbam radetis.* Huc ſpectaſſe Nazaræorum lex videtur, Num. 6. de coma nutrienda. De qua re latè Mendoça quæſt. 5. de Nazaræorum capite non tondendo.

Gellius. L. ult. 19. Num 6. Mendoça.

6. Tertiò, ad militarem habitum ſpectat, capitis, & barbæ abraſio, cum etiam ad quædã ſacrificia. Ambroſius quidem l. 6. Hexam. ait comam eſſe terribilem in bellatoribus; cæterum barbam raſi..., indicat hominem ad bellum promptum. Radunt namque milites capillos, ne vllas hoſtibus anſas præbeant, quibus capiantur. B Vnde (vt in Theſeo ſcribit Plutarch.) ob eam cauſam ſuis Alexander ducibus imperauit, vt barbas raderet. Et quidem ſanctus Iob, cum hoſte diabolo depugnaturus, non ſolùm abiicit veſtimenta, ne teneri poſſit, quod noſter etiam fecit Ioſue, ad omne certamen paratus; ſed etiam capillos tondet, vt expeditior reddatur ad pugnam.

D. Ambroſ. Abraſio barbæ & capitis ad militiã idonea. Plutarchus. Milites ſuis Alexander barbam radere coëgit.

7. Porrò ſacrificari ſolitos fuiſſe capillos, præterquàm quod ex Num. 6. perſpicuum eſt, vt notat Theodoretus quæſt. 28. Eugubinus, & Caietanus. Idem ex profanis ſcriptoribus conſtat. Vide Suetonium in Nerone cap. 12. & Beroaldum ibidem. C Iam qui ex maris procella incolumes euaſiſſent, barbam ferè ſacrificabant numini tutelari. Iobum totondiſſe caput, vel ea ob cauſam puto, vt hac cæremonia Deo ſe totum deuoueret, veluti agnum in ſacrificio. Quod refert Homerus Iliad. 3. feciſſe Agamemnonem in pecudum ſacrificio.

Sacrificari ſolebant capilli. Num 6. Theodoretus. Eugubinus. Caiet. Suetonius. Beroaldus. Homerus.

Hic rex Atrides, cultrum, quem fortè ferebat
Mauortis gladij vaginæ in parte repoſitum
Eximit, & medius villos de fronte reuellit
Ambarum pecudum.

In Græco eſt, capillos è capitibus agnorum diſſecuit. Sanè deluſa erroribus Antiquitas, eos, qui proximi morti eſſent, tonderi à Proſerpina D commenta eſt, & ijs quaſi primitiis Orco initiari iuxta illud Lyrici.

Miſta ſenum, ac iuuenum denſantur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

8. Hac cæremonia tondendi capitis, non eſt vſus Ioſue, nec cæteri ſeniores; ſatis enim eſſe putarunt, ſi ſciſſa veſte, & puluere conſperſo capite, ad terram abiecti, numen adorarent. Nec enim damnum acceptum tam graue exiſtimabatur, vt manus in capillos iniiciendæ viderentur.

Verſ. 7.] Et dixit Ioſue, Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere E populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi?

Quo geſtu corporis, ſe comparauerint olim Patres & viri ſancti ad orandum? Quid Ioſue?

ANNOTATIO III.

1. De hac re latè egimus ſuper cap. 2. epiſtolæ 1. ad Timoth. hic tamen pauca complectar. Et quidem quo habitu corporis Ioſue 1. Timoth. 2.

orauerit

orauerit, illa verba docent: *Pronus cecidit in terram coram arca Domini.* Cadere námque in terram, eſt Deum cum profunda humilitatis ſignificatione adorare. Sic Iob cap. 1. corruens in terram adorauit, & Magi Matth. 2. *procidentes adorauerunt eum*, id eſt, IESVM. Non tamen vnus ſemper viguit orandi modus, ſiue adorandi habitus. Interdum namque ſtantes adorabant Deum, vt aduertit Auguſtinus lib. 2. ad Simpl. quæſt. 4. & videtur indicari Iſajæ 49. *Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt Dominum.*

Cadere in terram coram Deo, eſt humilitatis ſignum. Iob 1. Matth. 2. *Veteres aliquando ſtantes adorabant Deũ.* Auguſtinus. Iſai. 49.

Interdum ſedentes, iuxta illud 2. Reg. 7. *Ingreſſus eſt Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit, Quis ego ſum Domine Deus*, &c. Approbaſſe Numam Pompilium hunc orandi modum ad conſeruandam animi quietem, refert Plutarchus in illius vita.

2. Reg. 7. *Sedendo Dauid adorauit.* Plutarchus.

2. Inter omnes tamen geſtus, procidere in genua, vel ad terram ſe abiicere, accommodatiſſimus modus eſt, ad declarandam intimè hærentem animo humilitatem; qua quis nihil in ſe agnoſcit firmum aut ſtabile; Deo verò cuius maieſtatem admiratur omnia ſubmittit. Vnde vel mortuis tribuit hunc modum adorationis Regius vates, Pſal. 21. dicens: *In conſpectu eius*, inquit, *cadent omnes, qui deſcendunt in terram.* Videntur quippe mortui, cùm eorum cadauera ſepulchris inferuntur, in terram cadere, Deum vitæ, & mortis Dominum adoraturi, qui eos poteſt ſuſcitare. Hos námque videtur Apoſtolus infernorum vocabulo ſignificare, dum ait, Deum filio ſuo homini facto dediſſe *nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Hoc eſt, eorum, qui in tumulis reſurrectionem præſtolantur. Hoc genere adorationis vſus eſt Abraham, Gen. 18. *Adorauit Abraham pronus in terram.* & Gen. 37. manipuli adorantes dicuntur, hoc eſt incuruati, & iacentes humi coram manipulo Ioſeph: & hoc loco cùm audis Ioſue pronum in terram cecidiſſe, geſtum adorantis agnoſce.

Procidere in genua geſtus eſt animi ſe humiliantis. Pſal. 21. Philip. 2. Gen. 18. Gen. 37.

3. Profectò, cùm verbum, שחה. *Sachah*, propriè ſit *incuruare*, aut *humiliare ſe.* Rectè philoſophatur, qui incuruatione, aut genu flexione, aut inclinatione capitis, adorationem fieri aſſerit. Imò *adorandi* verbum pro ſola *genu flexione*, aut *incuruatione externa corporis* interdum accipitur, vt 4. Reg. 5. vbi Naaman Syrus poſtulat, ne ſibi culpæ imputetur corporis, aut genu flexio in fano Remnon, eo tantùm fine, vt Rex incuruatus in genua idoneè valeat, humero illius inniti; quod intrinſecè mali nihil habebat. Vera igitur adoratio, vt Damaſcenus ait orat. 3. de imagin. cap. 5. Eſt animi cedentis, id eſt ſubmiſſi, & humilis ſignificatio. At quomodo cedit animus? ſi cadente & corruente corpore, potentiam diuinam, cui ſe ſubmittit, veneratur.

Adoratio genu flexione fit, &c. 4. Reg. 5. Damaſcenus. *Adoratio quid ſit?*

4. Hîc ego inter duo extrema Ioſue video conſtitutum, videlicet: inter indolẽtiam illam Stoicorum, ſeu potiùs ſtupiditatem; & inter mollitudinem, & immoderatum verberum diuinorum ſenſum. Nam ſtans coram Arca Domini, & ſcindens veſtimenta, & puluerem ſpargens, indicat ſe flagella ſenſiſſe: cadens verò in terram, & Deum adorans videtur de diuina prouidentia & bonitate bene ſperare. Sic patres illi antiqui, quamuis in rebus aduerſis ſigna doloris intimi ediderint, ne ſtupidi viderentur, quemadmodum olim M. Horatius Puluillus, de quo Liuius Dec. 1. lib. 2. ſcribit, audita filij morte, cùm templi vacaret dedicationi, modum præſcripſiſſe, quo funus efferretur, nec dolorem ſignificaſſe. Nec Iobi in morte filiorum perferenda, non ſine indicio doloris admirabilis fuit conſtantia; Iacobi patriarchæ mirus fuit luctus nuntiata morte filij, Gen. 37. qui tamen nec ſacerdos, nec primogenitus erat. *Sciſſis*, inquit, *veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Congregatis autem omnibus liberis eius, vt lenirent dolorem, patris noluit conſolationem accipere, ſed ait: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, &c. Mauult mori, quàm viuere, Ioſeph mortuo; vtitúrque verbis, vt notat Auguſtinus in quæſt. ſuper Gen. animi perturbati; & grauiter dolentis. Tranſegit autem in lacrymis tres & viginti annos, qui à decimo ſexto Ioſephi anno vſque ad quadrageſimum interfluxerunt; ſemper tamen de Deo cum dignitate locutus eſt, ſemper ſpem in Deo fixam retinuit. Sic Dauid Abſalonem, qui iniurius illi fuerat, mortuum luxit, 2. Reg. 29. nec antè luctum cohibuit, quàm à Ioab propoſita, ſi perſiſteret, populi defectione, deterritus eſt, Ammonémque nefarij ſtupri reum fleuit, & quidem ei affectu; vt luctum eo ſcriptura, 2. Reg. 13. viro indignum attribuat. *Luxit*, inquit, *Dauid filium ſuum multis diebus.* In Hebræo namque, luxit, verbum eſt fœminini generis, quaſi dicas, luxit fœmina. Humanos experti ſunt affectus hi patres; Dei tamen ſemper cultores fuerunt, nihil contra Deum, vt homunciones quidam ſolent, temerè dictitantes. Gemere licet & plangere in rebus aduerſis, quale eſt vinci ab hoſtibus, aut filiis chariſſimis orbari; at præ dolore, blaſphemo ore aliquid iactare, haud licet; imò nec tantillum à pietatis, aut officij præſcripto recedere. Id docent nos vaccæ, quæ vitulis earum domi remanentibus, arcam Dei trahebant, 1. Reg. 6. *Itinere vno gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, &c. Idem exemplo ſuo nos docent ſancti viri, quorum mira fuit in omni fortuna moderatio; quam vel ipſo corporis geſtu indicabant. Etſi namque proni interdum iacerent in terra, cùm nuntius alicuiuscladis aduenerat, mẽs tamen erecta erat. Vnde Ioſue qui pronus in terram corruerat, ea ſubmiſſione adorantis, & orantis formam exhibet. *Heu*, inquit, *Domine Deus, quid voluiſti?* &c. Illud aduerte ex hiſtoria ſcholaſtica lib. de Ioſue cap. 5. quod Dionyſio Carthuſiano non diſplicet, non ſolùm ſciſſa veſte, & capite conſperſo puluere Ioſue, ſed etiam ipſum, & ſeniores ſaccis indutos humili geſtu, Deum oraſſe. *Nec dubium*, inquit Dionyſius, *quin & reliquus populus, imò & mulieres quoque & paruuli ac puellæ ætatis adultæ Dominum feruidè inuocabant*, &c. Humili geſtu, & habitu exemplo Ioſue omnes Iſraelitæ ſine diſcrimine ſexus, aut ætatis ad preces profuſi ſunt. Quid non impetraret tanta demiſſio ducis; & tanta omnium ordinũ in eadem vota conſenſio?

Stoicorum indolentia, non eſt laudanda. Liuius. *Animum dolore mortis filij non turbatum.* Gen. 37. *Tres & viginti annos luxit Iacob Ioſeph quem putabat mortuum.* 2. Reg. 19. 2. Reg. 13. 1. Reg. 6. *Non ſolùm Ioſue ſciſſis veſtibus & puluere conſperſus oravit, ſed etiam ſeniores ſaccis induti.*

Verſ. 7.] Et dixit Ioſue: Heu Domine Deus, &c. Vtinam vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanẽ,
8. &c. Audient Chananæi, &c. &
9. delebunt nos. Quid facies magno nomini tuo?

Explicatur oratio, qua Ioſue pronus in terram cadens, Deum alloquutus eſt.

ANNOTATIO IIII.

Significationes particula, heu.

1. IN ſuaſorio dicendi genere verſatur hæc oratio. Nititur namque Ioſue Deum ad miſericordiam inflectere, gemitu, querela, & duplicis incommodi, quod timeri poteſt commemoratione. Primò gemitum edit ab imo pectore dicens: *Heu Domine Deus.* Interiectio, *heu*, quamuis aliquando exprobrantis ſit, dolentis eſt hoc loco Græcè, ὤμοι, ſicut apud Plaut. *Heu mihi, neque, quem fleam.* Item; *Heu miſero mihi! ſi ille abieris, mea omnes dicant eſſe ignauia.* Pro eodem etiam dicimus, *Eheu.* Huiuſmodi vocibus, quæ ſigna ſunt doloris, & cum gemitu proferuntur, exprimimus peracerbum doloris ſenſum: qualis fuit ille, quo Deus ad pietatem commotus filios Iſrael ab Ægypto educere decreuit, vt ſignificatur Exod. 2. *Poſt multum verò temporis mortuus eſt Rex Ægypti, & ingemiſcentes filij Iſrael propter opera, vociferati ſunt: aſcenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorum, & recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham,* &c. Gemitus innocentum, & eorum qui iniuria laceſſiti ſunt audiri à Deo teſtatur Iob. cap. 24. *De ciuitatibus*, inquit, *fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit, & Deus multum abire non patitur,* &c. Eò, inquit, peruenit tyrannorum & diuitum quorundam iniuſtitia, vt non ſolùm impij in ſecretis actibus fuerint, ſed etiam in publicis. Multos enim in medijs vrbibus perculſos & oppreſſos fecerunt gemere, & de iniuria illata conqueri. Sept. intelligunt ſignificari eiectionem à domo, & à ciuitate: ijdem animas vulneratorum clamare compulſas, pueros interpretantur: parentum mortem, & orbitatem ſuam lugentes: ſic enim legunt. *Anima paruulorum in gemitu valdè fuit.* Philippus ita exponit: *vulnerati non ſolùm intelligendi ſunt, quorum corpora telis transfodiuntur; verùm etiam illi, quorum anima hoſtium timore nimio velut gladio feriuntur.* Hæc ille. Poſcunt gemitus, imò & ſanguis eorú, qui iniuſtè læduntur, accelerationem diuinæ vindictæ, quaſi tardo inceſſu gradientis. Audit hos gemitus auris zeli, cap. 1. vt & pauperibus operá afferat, & oppreſſoribus vltionem. Addit Iob. *Et Deus inultum abire non patitur:* Hebraicè legitur; *Deus non ponit inſulſum*, vt ſenſus ſit: Deum nihil relinquere in mundo: ſine ſalè iuſtitiæ, & vltionis, quamuis ſupplicium condignum in extremú interdum reſeruet iudicium.

Cicero in Milone.

In Merc. Plaut.

Exod. 2.

Gemitus innocentum à Deo auditur.

Iob. 24.

70. Interpr.

Philippus.

Poſcit ſanguis innocentum à Deo vindictã.

Cap. 1.

2. Plutarch. diſſerens de ſera numinis vindicta, ipſam ſceleris conſcientiam pœnam eſſe deputat. Vt primum, inquit, quis improbè egit, iam obſtrictus pœnæ tenetur, & ſuauitate flagitij, veluti eſca illico deuorata, conſcientiam intus vrgentem, plectentémque habet. Hoc qui neget, perinde eſt ac ſi piſcem, qui hamum vorauit, negemus captum, antequam à coquis aſſatum, aut in fruſta conciſum videamus. Sic, qui hac vita captiuus detinetur, tanquam in carcere vnde migrare, aut effugere non poſſit, fune ſuper capite pendente, &c. Huc pertinet illud Pſal. 31. *In camo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te,* &c. Itaque frenati reatu culpæ ſunt, qui peccarunt, fune tandem ſuſpendendi, niſi reſipiſcant. Refert Plutarch. in Cleomene apud Ægyptios, eos de quibus erat ſupplicium ſumendum, funem ad collum innexum ore frenato, ante geſtare conſueuiſſe, quàm pœnas luerent. Idem obſeruatum à Medis, & Perſis tradit Herodotus lib. 3. Ad hanc conſuetudinem reſpexit Chryſoſt. hom. 4. ſuper illud Iſaiæ 6. *Vidi Dominum: Iam* inquit, *damnati, poſtea vero [illegible] cæperunt adducunt funem ore geſtantes.* Ah miſeri, qui ſcelere admiſſo pendentem ſupra caput funem, quia alligatio differtur, non ſentiunt. Ægyptij Reges eos, qui interficiendi cauſà in carcere tenebantur, pridie quàm interficerentur cœna & munuſculis ex Regis aula miſſis recreabant, vt Plutarch. ſcribit. Quid ſunt illecebræ veſtræ, ô diuites, quid voluptates, niſi munus quidam, quibus vos diuina iuſtitia donat antequam moriamini? Cernite ea, quæ in vita habetis ornamenta ex lucro illicito, & pauperum rapina faſces eſſe, quibus eſtis comburendi. *Solue*, inquit Iſa. 58. *Faſciculos deprimentes:* quibus ſcilicet ipſi oppreſſores tanquam lignorum faſciculo accenſo comburẽdi ſunt, in anathema ſiue ſacrificium diuinæ iuſtitiæ ingemit ſub hoc faſciculo Dauid, Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Auguſt. legit. ſicut faſces grauatæ ſunt, &c. Ex peccatis namque omnibus, atque rapinis non faſciculus, ſed faſcis conficitur ingens, qui damnationis materiam præbeat.

Plutarchus.

Ipſa ſceleris conſcientia pœna eſt.

Pſalm. 31.

Plutarchus.

Supplicio afficiendi, ore frenato funem geſtabant. Herodotus.

Chryſoſt. Plutarchus.

Ægyptij Reges [illegible] ad mortem [illegible].

Iſai. 58.

Pſalm. 37.

Auguſt.

3. Proſternat ergo ſe coram Deo, exẽplo Ioſue, non ſolùm, qui ſupplicium videt illatum, ſed etiá qui timet ne ob ſcelus aliquod ipſi ignotum graue ſibi & alijs à numine irato, damnum accedat. Neſciebat Ioſue, quid ſceleris patratum eſſet; interim verebatur, ne fortè ipſe in aliquam incurrerit Dei offenſionem: Sic Regius vates, Pſalm. 118. *Aufer*, inquit, *à me opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum.* Qua verba enarrans Ambroſ. *non obſcurè*, inquit, *[illegible], ſed explanauit Apoſtolus quod hic videbatur obſcurum, vbi ait: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Sciebat enim ſe eſſe hominem, & ſibi cauebat, vt poterat, ne poſt ſuſceptam baptiſmi gratiam peccaret: ideòque delicti conſcius ſibi non erat: ſed quia homo erat peccatorem ſe fatebatur, ſciens virum eſſe IESVM lumen verum, qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus in ore eius dolus, neque ſolum iuſtificari, qui alienus eſſet à lapſu. Similiter ergo propheta, volebat auferri opprobrium, quod ſuſpicatus eſt; vel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licet abolitum, ſuſpectus tamen erat ne fortè adhuc maneret eius opprobrium, & ideò Deum precatur, vt illud auferat, qui ſolus nouit, quod neſcire poteſt etiam ipſe, qui fecit,* &c. Aggrediatur ergo ad diuinas preces noſter Ioſue, & ante omnia ingemat, ſeque ipſum affligens, quod dubitet an aliquid in animo habeat, quod diuinis oculis diſplicuerit, clamet, *Heu Domine Deus*, paratum ſe ad luendum ſupplicium oſtendat, ne pœna ſæuior opprimat Iſraelitas. Nam clades accepta, veluti inchoatio fuit futuræ pœnæ, niſi culpa ſceleris authore oppreſſo, obliteraretur.

Pſalm. 118.

Ambroſius.

Cor. 4.

1. Petr. 2.

4. Secundò, gemitum conſequitur querela, in qua nullam, vel venialem culpam ineſſe ille perſpiciet, qui non verba ipſa, vt Lyranus & Abulenſis, huius opinionis authores, ſed pectus, vnde verba promuntur conſiderauerit. Ita enim vir ſanctus Deum alloquitur, vt populi potiùs querelam, quàm ſuam explicet, dum ait: *Heu Domine Deus! quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perde-*

Lyranum Abulenſ.

Verba Ioſue nihil continent vitij, ſi mentem conſideres.

reris-

Fas eſt diſplicere peccatum & id quod pecandi præbuit occaſionem.

reſ: vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem. &c. Mauult ſine peccato manſiſſe trans Iordanem, quam cum peccato, quod occaſionem dederit merendi diuinam vltionem tranſiſſe. An diſplicet Deo dolor, qui in peccatum commiſſum ita inuchitur, vt id infectum optet? certè Iobo ſine peccato licuit dicere: *Pereat dies, in qua natus ſum.* Culpam quippe primigeniam conſiderauit. Et Ionas cogitans ignominiam, quæ ſibi poterat impingi, quod Niniue poſt prædicationem, non ſit ſubuerſa, vt ipſe prædixerat, Deo ad clementiam per pœnitentiam inclinato cap. 4. vbi ſic ſcribitur; *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, & orauit ad Dominum, & dixit. Obſecro Domine nunquid non hoc eſt verbum meum cum adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem Tharſis. Scio enim quia tu Deus clemens, & miſericors es,* &c. Pro, *iratus eſt.* Sept. verterunt, καὶ συνεχύθη, id eſt, *& confuſus eſt*: timuit enim ſe mendacem prophetam habendum eſſe. Hebraicè tamen eſt חרה, quæ vox, *iram* ſonat. Pro, *obſecro*, Hebraice eſt, אנה: quam vocem Hierony. interiectionem eſſe interpretatur deprecantis, quæ exprimat blandientis affectum. Addit. *Quia igitur oratio eius dum ſe dicit iuſtè fugere voluiſſe, quodammodo iniuſtitiæ arguit Dominum, querelas ſuas obſecrationis exordio temperat.* Hæc ille. Commendant viri ſancti huiuſmodi querelis Dei miſericordiam interdum, interdum iuſtitiam, de quibus virtutibus laudari vult ab hominibus. Miſericordiam commendat Ionas dicens; *Numquid non hoc eſt verbum meum.* &c. ac ſi dicat; Num feſellit me mea coniectura? Tu cùm ego in Iudæa eſſem, iubebas me. Niniuitis interitum prænuntiare: Ego recuſabam: præ diuinans te precibus, & pœnitentia flexum iri, ne id faceres, cur me prophetare vis, quod non facies? Iuſtitiam verò Ioſue, qui ſuſpicatus peccatum aliquod cauſam eſſe damni accepti; dolens poſt tranſitum fluuij patratam eſſe culpam diuinæ vindictæ prouocatricem; ait: *vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem.*

Ionæ 4. — B

Hieronym.

Ion. 4. — C

Querela Ionæ ad miſericordiã & iuſtitiam; Ioſue vero ad iuſtitiam.

5. Huiuſmodi querelas, anxios ſæpe dolor comitatur, & optatio mortis; vnde Ionas. *Et nunc Domine, tolle quaſo animam meam à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Et Elias 3. Reg. 19. preſſus ærumnis, ait: *Sufficit mihi Domine, tolle animã meam neque enim melior ſum, quam patres mei.* & Tob. cap. 3. *Et nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. Expedit enim mihi magis mori, quàm viuere.* Excuſat quidem Ionam à peccato Theophy. *Forſan*, inquit, *cuipiam puſillanimis propheta videri queat, qui Deo ſua iudicia non permittat. Neque hoc fortè imitandum foret. Homo enim erat, idq́; veteris teſtamenti; vbi & qui perfecti videbantur, imperfecti erant. Attamen non ſic fortaſſis puſillanimus eſt, vt animum deſpondeat: Non enim hoc pro ſua gloria, ſed pro gloria Dei facit, ſiquidem illius gratia, & donum prophetiæ eſt quæ intercidente, Deus Iſrael, à gentibus vituperaretur.* Hieronymus etiam prophetam excuſat. *Non*, inquit, *contriſtatur (vt quidam putant) quod gentium multitudo ſaluetur: ſed quod pereat Iſrael,* &c. Theodoretus ait, Ionam vita defungi maluiſſe, quàm cum ignominia viuere, verebatur námque, ne pſeudoprophetæ notã ſubiret. Quare vt ego puto, non dolebat de Niniuitarum ſalute, quaſi eos extinctos vellet, ſed de ſua ignominia, quàm tamen poſtponere debuiſſet tot milliũ ſoſpitati. Et quidẽ ſi in optatione mortis culpa non eſt, vt neque in optatione Eliæ, aut Tobiæ

Optatio mortis. Ion 4. — D

3. Reg. 19.

Tob 3.

Theophyl.

Ionas apud Deũ querela à peccato excuſatur. — E

Hieronym

Theodoret.

In Ionæ verbis quid culpæ notari poſſit.

A — forſan hoc tamen aliquid culpæ ineſt.

6. Ioſue poſtea non agit hic de honore ſuo, aut ignominia: ſed de diuini nominis gloria, quam imminui timet clade accepta: videtur mihi eo animo loqui, quo Regius vates, Pſalm. 130. Humilitatem & modeſtiam Deo oſtentans ait; *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Hoc eſt, vt interpretatur Genebr. Si non demiſſe ſenſi, ſicut infantulus, qui vix dum à mammis depulſus, in gremio matris eſt, ſed elato fui animo, vere mihi elationis mercedem Deus rependat. Chryſoſt. *Me Deus puniat, niſi humiliter & demiſſè de me ſenſerim, tanquam nuper ablactatus; ſiue à lacte ſubmotus puer, omnia à matre ſua expectans, quod ex ſe, nihil poſſit.* Hæc ille. De Iſraele ſibi commiſſo ſolicitus eſt Ioſue, ne de diuina ſpe deſperet: ac propterea illius proponit querelas, vt Deus fauorem rebus afferat afflictis, & ſperet Iſrael in Domino, Dionyſ. Carthuſ. enarrans hæc verba: *Vtinam vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem*, ſic ſcribit: *Quidam dicunt, quod Ioſue culpabiliter dixit hoc ex paſſione triſtitiæ; ſed, vt arbitror, melius dici poteſt, quod protulit verba illa, non optando abſolute ſed cum implicita conditione, videlicet, niſi ipſe Deus miſericorditer ſubuenirer,* &c.

Pſalm. 130.

Genebr.

Chryſoſt.

Sancti dicũt ſemper non pro honore Dei.

Dionyſ. Carth.

7. Tertio, ex duplici incommodo, quod timeri poterat poſt acceptam cladem, illud primo loco proponit: *Audient Chananæi* inquit, *& omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra.* Memor Ioſue promiſſionum, quibus Moſes quaſi lactauerat populum, quem eduxerat ab Ægypto contra exploratorum terræ promiſſæ victa, timet, ne offenſus Deus permittat barbarorum manum valido exercitu in Iſraelitas inſurgere, & victores euadere. Quod & in Moſis, & in gentis Hebreæ redundabit ignominiam. Precatur ergo tacitè Ioſue vt belli aleam, in damnum Chananæorum & gentium barbararum, populo ſuo propitius conuertat. Dauid Pſalm. 82. hoſtibus Iſraelis exitium non tacitè, ſed nominatim precatur dicens: *Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus, quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput.* Hoc eſt; cum nullus ſit tui ſimilis, ne tace, neve quieſce. Rabbini, quamuis in Hebræo eſt, *Deus non ſim lo tibi*; malunt hic ſignificari ſilentium, vt propheta ter idem dicat, ad vehementiam. Ne ſilentium ſit tibi, ne tace, nève quieſce; inierunt inimici tui conſilium tumultuantes, & frementes contra nos. *Aduerſus ſanctos tuos.* Hebr. *Abſconditos tuos*, id eſt, quos tu ab hoſtibus protegis, ne illis ſint direptioni. Chald. in neutro intellexit, ſic legens. *Conſultarunt aduerſus abſcondita in theſauris tuis.* &c. vt res ſanctas, vaſa ſacra, non profana, neque vulgi manibus expoſita intelligantur.

Pſalm. 82.

Sancti dicuntur ab eo protecti à Deo.

Chald.

8. Quanta in Iſraelitas ita debacchatæ ſint barbaræ nationes, declarat ille verſiculus, *Dixerunt, venite & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra.* Vbi aduertit Genebr. Mameſim impiorum, deperdenda Eccleſia, ita, vt ne nomen ſuperſit, ſicut olim Chananæi delere Hebræos conati ſunt. Quod ſequitur vim impiam oſtendit: *Quoniam cogitauerunt vnanimiter, ſimul aduerſum te; teſtamentum diſpoſuerunt, tabernacula Idumæorum, & Iſmaelitæ. Moab & Agareni* &c. Teſtamentum diſpoſuerunt, id eſt, fœdus inierunt, aduerſum te, & tui nominis cultores. Hoc teſtamentum, inquit Geneb. videtur eſſe Alcoranus, quomodo lex Dei & Euangelium piorum ſunt teſtamenta. Ego quem-

Genebrard. Mameſi.

Pſal. 82.

Diſpoſuerunt ſcilicet fœdus.

Alcoranus eſt teſtamentum diſpoſitum ab impiis ſicut hereſiarcharum libri.

quemcumque tractatum ſiue Lutheri, ſiue Caluini ſit, ſiue cuiuſcunque hereſiarchæ, reſtamentum hic appellati puto, non ſolùm Alcoranum.

9. Audi imprecationem. *Fac illis ſicut Madian, & Siſara, ſicut Iabin in torrente Ciſſon. Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ.* Hoc eſt, dele eos vſque ad extinctionem ſicut Madianitas, & eorum principes. Gedeone pro populo Dei pugnáte, Iud. 6. & 7. & ſicut Siſaram ducem exercitus Iabin Chananæorum Regis, Debora, & Barac principatum obtinentibus, Iudic 4. & 5. Eſt autem Endor locus tribus Manaſſe, Iudic. 17. 1. Reg. 28. prope Ciſſon fluuium, in quo Siſara & Iabin, qui per 20. annos populum Domini vexerat; occiſi, & victi ſunt, Iud. 4. & 5. Sic, vt fœmina Siſaram clauo in caput infixo, occiderit. Eſt autem, (vt bene annotauit Genebr.) Hyſteron, Proteron: vltio námque Madianitarum, hac poſterior fuit annis quadraginta. Illud: *facti ſunt vt ſtercus*; idem eſt, atque manſerunt inſepulti, & quia nemo ſuperſtes fuit, qui illos tumularet, putrefacti Chald. *Facti ſunt, vt ſtercus conculcatum in terra.*

Iudic. 6. & 7.

Iudith 4. & 5.

Genebrar.

10. Quatuor deinde enumerat Madianitarum principes, quos verſu 9. præcedenti comprehenderat, dicens: *Fac illis ſicut Madian.* Hos cum innumerabili exercitu, maximis præliis confecit Gedeon, Iud. 7. & 8. *Oreb, & Zeeb* principum capita, ab Ephramitis præciſa, ad Gedeonem trans Iordanem ſunt delata, Iud. 7. *Zebee, & Salmana*, ab ipſomet capti, trucidatique ſunt. Similem optat exitum omnibus principibus, qui dixerunt: *Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Addit quatuor ſimilitudines, quibus pœnæ impiis debitæ repræſentantur, idque cum quadam imprecatione. *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciém venti: ſicut ignis, qui comburit ſyluam: & ſicut flamma comburens montes. Ita perſequeris illos in tempeſtate tua*, &c. Pro, *rota*, Græcè eſt, τρόχον. Perturba eos in modum rotæ, ne pedibus conſiſtant. *Galgal* ſignificat quidquid rotundum eſt, & volubile: vnde ſenſus eſſe poteſt, volue illos in modum trochi, qui à pueris torquetur, & ſcuticatur. Quod verò Græci τρόχον, Hebræi *Galgal* Latini *turbinē* vocant: de quo illud.

Pſal. 82.

Iudic. 7. & 8.

Galgal ſignificat rotam, vel turbinem.

Propertius.

Sic feror, vt per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

Chald. *Pone eos ſicut rotam, quæ voluitur. & mouetur, nec conſiſtit in decliui.* R. Kimhi pro, *ſicut ſtipulam*, &c. transfert, *Pone eos ſicut glumam, quæ per aerem vento rapiatur.* Turbina eos. Ignis autem quando à vento flabellatur, magno impetu, & ardore abſumit, quam corripit ſyluam, præſertim ſi vehemens eſt, *furiiſq; immiſſis Vulcanus habenis.* Comburuntur aliqui montes flamma & viſceribus terræ ſulphureis, ita erumpente vt nemo poſſit incendium extinguere, aut prope accedere, vt olim Ætna, Veſuuius, Pyrenæi.

11. Ad hunc, inquit, modum perdes eos, *In ira tua*, id eſt. in turbine tuo. Nam *Supha*, turbo eſt, repétina ſcilicet tempeſtas, & ſpiritus auræ procelloſæ. Perſequeris eos tempeſtate veluti immiſſa, vt conſiſtere vſpiam non valeant. Quia verò Deus in pœnis non interitum quærit, ſed reſipiſcentiam, niſi quando impij ſunt inſanabiles, ſubiungit: *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.* Similes imprecationes ſubintelligendæ ſunt in verbis Ioſue, dum Chananæorum, & habitatorum terræ promiſſæ, qui Iſraeli exitium moliuntur, mentionem facit. Profectò, quos ait velle de terra nomen Iſraelis dele-

Pſal. 82.

A re; eos deſiderat ſibi numine propitio extremo mulctari exitio. Alterum incommodum ad imminutionem gloriæ diuini nominis pertinet; de quo peculiariter & ſeorſim, vt eruditionem aliquam veneremur, agendum eſt.

Verſ. 9.] Et quid facies magno nomini tuo, &c.

Quanti fiat à viris ſanctis diuini nominis gloria? & quodnam potiſſimum ſit nomen Dei magnum?

B

ANNOTATIO V.

1. CONFERT Ioſue hoc loco futurum euentum ex fama acceptæ plagæ, cum opinione quam rumor ſparſerat, poſt tranſitum Iordanis de potentia, qua Deus, vel ſolo nomine populum ſuum protegebat. *Quid facies*, inquit, *magno nomini tuo?* Ac ſi apertius dixiſſet, Quamuis nos deleri ab hoſtibus, parum ſit, varij quippe ſunt euentus bellorum. & incerti exitus, quando humanis ducimur conſiliis, non eſt tamen paruipendenda fama nominis tui magni, quæ ex huiuſmodi clade multùm lædetur. An ignotum eſt
C Chananæis, nos ſub vmbra nominis tui ad poſſidendum hanc regionem ex Ægypto, per tot rerum diſcrimina, demigraſſe? Quomodo propriam famam defendes, qua iam vndique omnipotens, & Deus Deorum es, reputatus, niſi nos in promiſſa patribus ſceptra & triumphos reponas? Deiectio noſtra, in tui nominis, & gloriæ ignominiam redundabit. Dicent aduerſarij, eorum Deos contra te præualuiſſe. *Et quid facies magno nomini tuo?* Hoc Phinices cum Ioſue, hoc Eleazarum, hoc ſeniores, hoc fœminas virtute præcellentes, quæ præter Rahab in illo exercitu erant, identidémque repetiſſe credibile eſt.

Deus vel ſola nominis ſui fama populum protexit.

2. En quanti faciunt viri ſancti diuini nominis
D amplitudinem? dolent acerbè illius famam, vel tantillum, apud barbaras gentes lædi. Quod accidit, cum iuſti ab impijs diuexantur. Idcirco regius Vates imprecatur pſalmo indicato, hoſtibus Iſraelitarum ignominiam; Sic enim fiet, vt nomen Dei quærant, agnoſcant, & admirentur. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* & infrà. *Et cognoſcant, quia nomen tibi Dominus: tu ſolus altiſſimus in omni terra.* In Heb. ponitur nomen tetragrammaton, quod transferri ſolet (vt annotauit Genebrardus) Dominus & interdū Deus, & cùm cætera ferè appellatiua ſint, hoc Dei propriū exiſtimabatur. Cæterùm iſtiuſmodi ſancta ſollicitudo vindicandi nomen Dei
E à gentium iniuriis, tam frequenter in ſacra hiſtoria attribuitur patribus, vt opus non ſit exempli vti ſola nobis cordi eſſe debet eorum imitatio.

Dolent ſancti vel tantillum minui diuini nominis famā.

Genebrard.

Nomen Dei tetragrammaton.

3. Hebraicè nomen tetragrammaton eſt, יהוה. Eius mira eſt vis & notatio. In templo ſolùm poterat pronuntiari, idque duntaxat expiationis die, & in ſolennibus benedictionibus, quarum formula, Num. 6. præſcribitur, vt Genebrardus tradit ad finem comm. in Pſal. 82. Alioqui religionis, & venerationis cauſa erat ineffabile, nec fas erat cuipiam in communibus negotiis, aut

Num. 6.
Nomen Dei tetragrammaton in templo ſolū pronuntiari & in ſolennibus benedictionibus, mos fuit.
Genebrard.

exquiſito conditi artificio præbentur: cæterùm cum diſcedunt, licèt canponi, beneficia præſtiterint, acerbe ſollicitantur, vt vel obolum perſoluant; nulla illorum relicta memoria. Quid ſi princeps aut Rex caſu aliquo hoſpes fuit? Nomen illius in tabella ſcribitur; die, quo tranſiji notato. Quid ſunt Pyramides? quid Coloſſi? Quid Mauſolæa? Hoſpites, ô Reges? vnius diei in mundo fuiſtis cum applauſu excepti; ſupereſt poſt hunc diem hoſpitij, in tabella cauponis, veſtri memoria impreſſa, tanquam recordatio hoſpitis vnius diei. Et eſt, qui in bonis huius vitæ fiduciam collocet? Putauerunt exploratores Haj exiguam Hebræorum manum ſufficere, ad ciuitatulam illam delendam. Sed decepti ſunt, conſilijs ſuis exitum belli mentientes. Didicerunt námque ſtatim, accepto infortunio, quicquid ab hominibus, Deo aduerſante, agitur, aut non propitio, ſucceſſu carere. Meritò addit ſpiritus
Sap. 5. ſanctus. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum; Et cogitatio illorum, apud altiſſimum; ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpei, de manu Domini, quoniam dextera ſua teget eos,* &c.

LIBRI IOSVE

CAPITIS SEPTIMI
SECTIO II.

Verſ. 6.] Ioſue verò ſcidit, veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, vſque ad veſperam tam ipſe, quàm omnes ſenes Iſraël: miſerúntque puluerem ſuper capita ſua, & dixit Io-
7. ſue. Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? vtinam, vt cœpimus man-
8. ſiſſemus trans Iordanem. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga ver-
9. tentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabunt nos atque delebunt nomen noſtrum de terra: quid facies ma-
10. gno nomini tuo? Dixítque Dominus ad Ioſue; ſurge, cur iaces
11. pronus in terra? Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum tulerúntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiri, & ab-
12. ſconderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eóſque fugiet: quia pollutus eſt anathemate, non ero vltrà vobiſcum, donec cõteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt, ſurge, ſanctifica populum, & dic eis: ſanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael:
13. Anathema in medio tui eſt Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc
14. contaminatus eſt ſcelere. Accedetíſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quamcunque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, cognatio per do-
15. mos, domúſque per vicos. Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere*, &c. Ah, Ah Domine Deus, vt quid tranſire feciſti populum hunc Iordanem, &c. Pro, *ſurge, cur iaces pronus*, &c. Surge, vt quid tu cadis in faciem tuam? Peccauit Iſrael, & tranſgreſſi ſunt pactum meum, & tulerunt de anathemate, & etiam furati ſunt, & etiam mentiti ſunt, & etiam poſuerunt inter vaſa ſua, &c. Pro, *Et quamcunque tribum ſors inuenerit*, &c. Et erit tribus, quam ceperit Dominus, accedet per familias, & familia, quam ceperit Dominus, accedet per domos: & domus quam comprehenderit Dominus, accedet per viros, &c.

Aliter. Pro, *Et quamcunque tribum ſors inuenerit*, &c. Quam deprehenderit Dominus accedet ſecundum familias ſuas, & familia quam deprehenderit Dominus, accedet ſecundùm domos, &

domus quam, deprehēderit Dominus accedet viritim,&c. Vatablus in ſcholio ita habet. Tribus, quæ deprehendetur indicante Domino, accepiſſe de anathemate, hoc eſt, ſuper quam ſors temperata à Domino ceciderit.

Sept. Interp. In ſua tranſlatione apertè exprimunt ſortes, per quas tribus, familiæ,domus,&viri, inter quos reus erat, agnoſcebatur, non aliud fuiſſe, quàm ſignum aliquod à Deo immiſſum, quo viſo, omnes intelligebant vbi eſſet anathema. Sic enim habet corū verſio, καὶ συναχθήσεσθε πάντες τὸ πρωῒ κατὰ φυλὰς ὑμῶν. καὶ ἔσται ἡ φυλὴ, ἣν ἂν δείξῃ κύριος, καὶ προσάξετε κατὰ δήμους. καὶ δῆμον ὃν ἂν δείξῃ κύριος προσάξετε κατὰ οἶκον. &c. *Id eſt*, Et congregabimini omnes manè per tribus veſtras, & erit tribus,quam demonſtrauerit Dominus, & adducetis per populos, & populum, quem oſtenderit Dominus, adducetis per domum, &c.

Explicatur contextus.

1. IOSVE *verò ſcidit veſtimenta ſua.*] Ex publicæ calamitatis ſenſu,vel ex manifeſta numinis offenſione, morem fuiſſe olim ſcindendi veſtes, compertum eſt. Sic Ioſue audito rei aduerſæ nuntio; viſaq; populi conſternatione veſtem ſcidit, vt eo ſigno declararet intimum animi ſenſum. Dolorem etiam ſignificauit Moſes,tabulis quas Deus fecerat, & conſcripſerat, confractis. Dauid veſtibus ſæpe ſciſſis ſæpe lugubri habitu deformatus mœrorem declarauit. Quid Ezechiam & alios optimos principes commemorem? Nuntius ille,qui mortem Saulis,&Ionathæ narrauit veſte conciſſa, & cinere aſperſo capite apparuit, 2. Regum capite primo. In ſignum magnæ triſtitiæ, ac ſi Chriſtus blaſphemaſſet, ſacerdos magnus ſcidit veſtimenta ſua,Matth. 26. Apud Ethnicos etiam ſcriptores ſigna publicæ triſtitiæ extant, Æneid. 1. Virg.

Scißa veſtis indicium magnæ triſtitiæ, & doloris. — *2. Reg 1.* — *Matt. 26.* — *Virg.*

Intereà ad templum non æquæ Palladis ibant.
Crinibus Iliades paſſis, peplúmque ferebant.

Donatus.

Vbi Donatus,peplum Mineruæ conſecratum eſſe ait. Erat id genus longæ veſtis, & tenuiſſimæ. Sanè eorum doctrina reiicienda eſt, qui principes aſſerunt in publicis calamitatibus, immoto oris & corporis habitu, vt ſuæ conſulant auctoritati, permanſuros. Quæ enim auctoritas eſt, nullum in duris Reipublicæ temporibus humanitatis ſenſum oſtendere.

Peplum genus veſtis longæ.

——— *Molliſſima corda*
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit, hæc noſtri pars optima ſenſus.

Iuuen. Satyr. 15.

2. *Et pronus cecidit in terram coram arca Domini.*] Proterui hominis eſt, & parum religioſi, in turbatis Rerump. temporibus iram diuinam non agnoſcere, & ſibi atque populo metuere; Exemplóque ſuo ad pietatem, ſi princeps eſt, tum populum impellere,tum magiſtratus in idem ſtudiū concitare. Quid Ioſue? percepto, ex nuntio, ſuorum damno; conuocatis ſenatoribus & inito conſilio, decreuit ante omnia ſacroſanctum locum petere; ibidémque coram arca, quæ Dei ſolium repræſentabat veſtibus laceratis, & capitibus lugentium ritu puluere inſperſis humi procumbere & tandiu ieiunio & orationi vacare donec veniæ ac miſericordiæ Dei lux aliquā affulgeret. Declaratur ſumma numinis reuerentia, dum dicitur: pronus cecidit in terram, coram arca Domini. Erant in arca tabulæ legis & gloria Domini inter Cherubinorum alas oſtendebatur, idcirco coram arca non genu flexione, ſed totius corporis proſtratione reuerentiam oraturus princeps, cum ſenatoribus quàm poteſt maximam exhibet. Quid nos facere oportet coram pixide, quæ ſacram continet Euchariſtiam?

Ioſue in publica calamitate precatur exemplo. — *Reuerentia coram pixide, in qua ſacra eſt Euchariſtia quanta.*

3. *Vſque ad veſperam.*] Hoc eſt, Perdurauit proſtratio, & oratio coram arca fœderis, à tempore auditæ calamitatis quod matutinum fuit, id eſt, ante meridianum, vſque ad veſperam. Expectabāt enim omnes diuini oraculi reſponſum. Nec antè illis facultas ſurgendi data eſt, quàm Ioſue orans à Deo didicit tempus eſſe ſurgendi, & reum anathematis inquirendi. Hinc diſce delectari Deum lacrymis,& precibus noſtris. Nam beneficia,quæ liberaliter præſtare poteſt,& vult, interdum tandiu differt, donec intelligatur illum diſpoſuiſſe, vt nonniſi ſanctorum precibus, vel noſtris, quamuis indignis obtineantur, vt ait D. Greg. lib. 1. dialog.

Proſtratio Ioſue coram arca donec agnouit voluntatem Dei. — *Quædam Deus ſtatuit non concedere niſi precantibus.* — *Greg PP. Abulenſis.*

Abulenſis quæſt. 15. enarrans hunc locum hanc doctrinam confirmat ex Hebræorum, in oratione & ieiunio,perſeuerātia,ſic enim ſcribit: *Toto hoc die non comederūt*,inquit,*nec biberunt iacentes proni ad magnum cordis amaritudinem declarandam, & vt Deus miſereretur eorum. Sic enim in ſignum triſtitiæ magnæ pro morte Saulis,& Ionathæ, atque Iſraelis, Dauid planxit & ieiunauit vſque ad veſperam cum viris ſuis. Apprehendens*, inquit, *Dauid veſtimenta ſua ſcidit: omníſque viri qui erant cum eo, & fleuerunt, & planxerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam.* Hæc ille.

Ieiunium & oratio vſque ad veſperam producta. — *2. Reg. cap. 1.*

4. *Tam ipſe, quàm omnes ſenes Iſrael.*] Senes dicuntur hoc loco magiſtratus, & conſiliarij. Hi námque ferè ſenes eſſe ſolent, vnde, vt ille ait.

Magiſtratus ferè ſenes olim erant.

A ſenibus nomen mite Senatus habet.

Procumbente igitur in terram Ioſue, & caput puluere inſpergente. Ipſi quoque capite puluere fœdato in terram precabundi, & flentes procubuerunt. Quod factum, non ſolum ad pietatem ſpectauit, ſed ad honorarium etiam ſui principis comitatum. An principe ad terram ſe religioſè abijciente, ſtare debent magiſtratus?

5. *Miſerúntque puluerem ſuper capita ſua.*] Pulueris ſuper caput inſperſione; animi ſumma triſtitia, quam debilitatio, & infractio conſequitur, ſignificari ſolet etenim, qui hoc agunt, acciſas eſſe ſuas res dolent, in modum pulueris, iuxta illud Pſal. 17. *Et comminuam eos velut puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.* Signi-

Pulueris inſperſio. — *Pſ. 17.*

ficatur prætereà magna humiliatio, qua quis ſeipſo puluere depreſſiorem conſiderat.

6. Duo hîc ſciſcitari lector poteſt. Primum eſt. quomodo Deus ſtare promiſſis dicendus ſit, quæ fecit cap. 1. Ioſue dicens: *Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ, ſicut fui cum Moſe, ita ero tecum non dimittã, nec derelinquá te.* En poſt hoc oraculum. videmus acceptam cladem. Alterum, quomodo dicatur Ioſue cecidiſſe in terram coram arca; cùm intra ſancta ſanctorum, vbi arca erat, non introierit.

Abulenſis.

Promiſit Deus neminem Iſraeli obſiſtere poſſe, intellecta conditione, ſi non peccaret.

Vtrique interrogationi ſatisfacit Abulenſis hîc quæſt. 14. & 15. Primæ quidem, quia, vt ſæpe annotauimus promiſſiones Dei, quibus felicitatem pollicetur, aut malum aliquod minatur ferè conditionales ſunt: atq; dum Deus promiſit, neminem fore qui reſiſteret Hebræis viuente Ioſue; voluit intelligi conditionem hanc nimirum ſi populus non peccaſſet. Nunc autem populus præuaricatus eſt pactum Domini ſubripiens aliquid de anathemate: ac propterea conuertit Deus Amorrhæorum manus contra peccantes, donec crimen pœna auctoris ſui expiaretur. Conſueuit námque Deus in ſceleribus, quæ ſupplicio corrigi poterant, ſupplicio irrogato, miſericordiam & benignitatem declarare. Audi Pſal. 88. vbi agitur de promiſſione facta Dauid: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: ſi ceremonias meas profanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint, viſitabo in virga peccata eorum, & in plagis iniquitates eorum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo*, &c. Leuit. quoque cap. 26. idem oſtenditur, cùm poſt illatas peccatis pœnas ſubiungitur: *Attamen cùm eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos; nec diſperſi vt conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis*, &c. Hic modus ſeruabatur in punitionibus Hebræi populi quandiu ſanari potuit eorum plaga; Poſtquàm verò medicinam cœpit reſpuere dimiſit eos Deus. Vnde Abulenſis. *Cùm autem*, inquit, *facta eſt plaga deſperata, Deus dimiſit eos totaliter in perditionem, ſicut patet vſque hodie.* Hæc ille. Quod autem in promiſſione facta Ioſue intelligatur conditio, patet ex verbis in eodem cap. 1. infrà poſitis ad commendationem legis. *Non declines*, inquit, *ab ea ad dexteram neque ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta, quæ agis. Non recedat volumen legis huius de ore tuo*, &c. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam: quaſi dicat, ſine hoc non poteris dirigere viam tuam, & proſperè in ea verſari.

Expiat Deus ſupplicio irrogato peccatum Iſraelitarum.

Pſal. 88.

Abulenſis. Poſtquam Hebræi reſpuere cœperant medicinam, dimiſit eos Deus.

Solus Moſes, & ſummus ſacerdos ingredi ſanctuarium poterant.

Alteri interrogationi ſatisfacies, ſi dicas tempore belli arcam ſuis tectam velis ſeruari ſolitam, non intra ſancta ſanctorum, quò poſt Moſen introire ſoli ſummo ſacerdoti, idque ſemel in anno, fas erat, ſed extrà ad opportunitatem expeditionum. Quare non ſolùm Ioſue, ſed ſeniores, & populus poterant coram arca eſſe. quin ingrederentur ſanctuarium, ſoli Moſi licitum fuit quandocumque vellet ingredi in ſancta ſanctorum ad conſulendum Dominum, vt patet Num. 7.

Moſes in ſancta ſanctorum quoties libebat ingrediebatur.

7. *Heu Domine Deus quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium.*] Doloris ſignificationem. ſimúlque diuinæ iræ deprecationem continet, hæc Ioſue oratio, pro *heu*, quæ latinè eſt interiectio, in Hebræo legitur, אהה. *Aha.* pro *Domine Deus*, אדני יהוה. *Adonai Iehu.* Modus alloquendi Deum in plurali, *Adonai*, id eſt, *Domini mei*, reuerentiam numinis præfert. Interiectio

Interiectio Aha apud Hebræos

אהה. *aha*, quam Latinus interpres in *heu* vertit, repentinum gemitum. eundémque peracerbum refert vſurpatúrque frequenter in luctu, cogitata priùs & æſtimata rei, quæ dolorem attulerit grauitate. In lugubri quidem negotio, inſtar concluſionis eſt, vt apud Hierem. 4. *Heu, heu, heu Domine decepiſti populum iſtum, & Hieruſalem dicens, Pax erit vobis. & ecce peruenit gladius vſque ad animam*; Et apud externos ſcriptores.

Hierem. 4.

Horat. 2. Car. Od. 4.

Eheu fugaces, Poſthume Poſthume
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæq́; morti.

Abulenſis.

Aduerte tamen ex Abulen. q. 15. interiectionem *Aha*, quæ hîc ponitur ad expreſſionem doloris, poni apud Hierem. cap. 1. ſine ea expreſſione. Ait enim Propheta, iuxta noſtram verſionem *A. A, A, Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Videns quippe D. Hieronym. diuerſos affectus ſignificari hîc & apud Hieremiam, hîc vtitur interiectione dolentis, ibi aliter affecti. Quod accurati interpretis laus eſt ſumma.

Hierem. 1.

Hieronymus.

Expende etiam, dum obſecrans Ioſue ait, *Domine Deus*. Hebraicè duo nomina adhiberi. *Adonai* nimirum, quod dominationem poteſtatem, iúſque dominij continet, & ad ſeruum refertur: & tetragrammaton illud myſteriis plenum, quod ad miſericordiam referri ſolet. Vtrumque hoc loco ſæpiſſime à Ioſue vſurpatur. Primò quidem vtitur, vt Deus Iſraelitarum condonet culpam memor eos eſſe ſeruos, & poſſeſſionem, quam ipſe ſibi aſcripſerit & Adonai nomine aſſumpto, ſuam fecerit. Quare ad eligentis gloriam ſpectat parcere electis. Dignitatem hanc diuini nominis reſpicit Propheta, Pſal. 115. dicens: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, hoc eſt, non propter illa miracula quæ in noſtri gratiam, cùm de Ægypto exiuimus, patrata ſunt, laudemur: ſed tu, ô Domine! in quo ineſt miſericordia, & promiſſorum fides. Eandem hîc conſiderat Ioſue orans Deum vt dominum ſuum, & auctoritatem tueatur, populúmque illum, familiam ſuam eſſe meminerit, eamq; conſeruare ſibi velit. Recordatus eſt Ioſue promiſſionis patribus factæ quæ ſub nomine Adonai, Exod. 7. intelligitur. Ego, inquit Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non indicaui eis, pepigíque fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, &c. Altero verò nomine miſericordiam efflagitat. Quaſi dicat, Hoc tantùm te oro, vt vtrumque nomen quo te inuoco tibi aſſeras. Plus namque apud nos valet tui nominis, & exiſtimationis conſeruatio, & amplitudo. quàm vlla priuata vtilitas.

Adonai, & Iehoua cur à Ioſue vſurpentur.

8. *Vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderet. Vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.*] Queritur apud Deum de rerum euentu, quo poſt miraculum tranſiti Iordanis, & euerſionem Hiericho, in ſumma erant Iſraelitæ trepidatione. Ex vno námque infortunio futuros ſucceſſus côiectantes timebant, ne propter aliquod peccatum traderentur Chananæis, & Amorrhæis. Erant autem Amorrhæi Reges, partim trans Iordanem: & hi quidem debellati fuerant viuente Moſe: partim citra Iordanem: de his modò ſermo eſt, Dolet quippe horum viribus infringi Hebræorum animos, Deo ita permittente. Quare poſtquàm aſſeruit beneficio prouidentiæ populum tranſiſſe Iordanem. Ea quæ huic

beneficio videntur repugnare, ſubiungit. Idque per interrogationem, quæ in ſacris argumentationibus, negationis vim habet. *Quid voluiſti*, inquit, *traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes?* Cùm miraculum illud non fruſtrà edideris. Vtra è duabus cauſa fuit? Vt nos ornares an vt perderes? Illud propoſitum tuum fuiſſe affirmo. Hoc minimè conuenit. Traiectio namque illa beneficio magno aſcribenda eſt, non odio. Nam quos poteras in aquis mergere, cùm ſaluos & incolumes traduxeris; eos elegiſſe potiùs ac dilexiſſe probaris.

Peccauerit ne Ioſue quod dereliсta ſua regione ante Iordanem.

9. Illa verba: *vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem*: indicant non vlla vulgi importuna efflagitatione ventum eſſe, in terram Chanaan, ſed diuina voluntate: atque adeò ad Deum ſpectare, felicem rebus curſum præſtare, ne doleat populus, quod ſedes, in quibus trans Iordanem ſub Moſe vixerat, reliquerit: Cùm tamen ipſe Ioſue dolere videatur, quod regionem, quæ trans Iordanem eſt, reliquerit, quæri poterit an peccauerit.

10. Peccaſſe, & quidem grauiſſimè, ex eo confirmatur, quod ſimilem querimoniam ediderunt illi, qui damnati ſunt, vt ante ingreſſum terræ promiſſionis morerentur in deſerto, vt patet, Num. 14. *Et murmurati ſunt contra Moſen, & Aaron cuncti filij Iſrael dicentes. Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nónne melius erat reuerti in Ægyptum? Dixerúntque alter ad alterum, conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum*, &c. Horum pœna, qua mortui ſunt in deſerto, indicat grauitatem culpæ. Quid ergò Ioſue? Primùm dico verba Ioſue molliora eſſe; duntaxat, optabilius eſſe ait, manſiſſe trans Iordanem, ſi ea calamitas populum expectabat. Deindè verba Ioſue dolorem exprimunt, non tamen deſperationem, ſicut verba populi, Num. 14. volentis in Ægyptum reuerti; quod & feciſſet, niſi bella viam impedientia formidaſſet. Atqui Ioſue non cogitat de reuerſione, aut in Ægyptum, aut in terram trans Iordanem: imò de diuina miſericordia rectè ſentiens, iacet ante arcam precabundus.

Num. 14.

Iſraelitæ, qui murmurauerūt dicentes dolere ſe quod exierint de Ægypto mortui ſunt in ſolitudine.

Verba Ioſue dolorem exprimūt, non murmurationem aut deſperationem ſicut verba populi olim murmurantis.
Num. 14.

Lyranus putat Ioſue peccaſſe venialiter.

11. Nihilominùs peccaſſe Ioſue opinio eſt aliquorum. Nec mirum eſt, quod vir ſanctus, vt homo peccauerit. Vox enim ſanctorum eſt (inquit Auguſt. 1. in Ioan. 1.) Si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt. Vnde illa 144. millia Apoc. 14. qui virgines permanſerūt, propterea irreprehenſibiles ſunt, quia ſeipſos veraciter reprehenderunt. Et ideò non eſt inuentum in ore eorum mendacium, quia nunquam dixerunt, ſe peccatū non habere. Peccaſſe ergo Ioſue veniali ſaltèm culpa videtur ſentire Lyranus in ſcholio verbi, *vtinam*, &c. *Hoc*, inquit, *dixit Ioſue ex paſſione doloris, licèt malè: nec dixiſſet extra paſſionem poſitus, propter quod indulſit ei Dominus*, &c. Concinit Lyrano Abulenſ. quæſt. 70. dicens verbum Ioſue fuit malū, fuit tamen toleratum: quia ex amaritudine magna cordis dicebat; qui non dixiſſet ſine amaritudine in tranquillitate manens: quia tamen confidens de Dei pietate dicebat, non fuit illi ad malum imputatum, ſicut de Moſe, quando orans pro populo dixit; *aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro, in quo me ſcripſiſti*. Illud enim malè dictum erat; quia petebat contra charitatem: tamen quia zelo ſuccenſus & in dolore manens dixit, ad malum imputatum non eſt. Quod autem Ioſue bono animo diceret, patet ex ijs, quæ fecit: quia in hac amaritudine recurrit ad Dominum proſtratus coram arca, ſi tamen non confideret bonitati eius, non oraret ad ipſum. Hæc ille. Sanè verba ex amaritudine, & mœſtitia cordis dicta quandoque tolerantur à Deo; cauendum tamen eſt, ne proferantur. Porrò ſi Ioſue verba ponderentur, ſicut & illa Moſis, quæ citantur ab Abulenſi, nihil vitij continere facilè iudicabit, qui perſpexerit, non proponi ab his viris ſanctiſſimis aliquid, quod rationem mali induat, ſi eorum mens ſpectetur. Nam affectum ſolùm indicant, quem ex humanis rationibus habent, parati tamen corrigere, quicquid Deus corrigendum duxerit; & id facere, quod diuina voluntas faciendum declarauerit. Fidem habebat Ioſue promiſſionibus diuinis de tradenda Iſraelitis terra Chanaan; ſciebat tamen eas promiſſiones, cum ea conditione fieri, ſi populus non peccauerit. Ob idque ſuſpicari cœpit, aliquod hærere populo peccatum, idque poſſe vires colligere, ex quibus præter damnum acceptum, alia oriventur. Hac conſuetudine permotus ait, *vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.*

Verba ex animi mœrore prolata dolorem indicant, non peccatum.

Ioſue excuſatur etiam a veniali.

12. Quid quod veluti populi aduocatus, patronorum more clientis cauſam, & querimoniam ſuam facit? Sic Daniel; ſic tres pueri Hebræi ad impetrandam miſericordiam, ſibi peccata populi & cauſam aſcribebant. Etenim ſancti viri cogitationes ſuas in oratione, vt ſi opus ſit, corrigantur Deo mira ſinceritate aperiunt. Ioſeph. lib. 5. Antiquit. ſummam fuiſſe populi deſperationem accepta hac calamitate narrat; ſic vt moderata videatur Ioſue querela. Videns, inquit, Ioſue exercitum ita perculſum, & ex omnibus iam rebus peſſima deſperatione deiectum audacter acceſſit ad Deum, & ait. Non noſtra petulantia venimus, vt hanc terram armis ſubijceremus, ſed Moſe famulo tuo ad hoc nos adhortante proceſſimus dum multis ſignis, poſſeſſionem huius terræ præbiturum te nobis eſſe promiſeris, & exercitum armis hoſtiū facere meliorem; Quæ ſunt hæc, quæ nobis repente venerunt? Nunc autem præter ſpem decepti videmur; Et tanquam non firma ſint tua promiſſa, quæ Moſes prædixit, afficimur, & deterior nunc de futuris metus, nos deſperabiles habet, primo experimento talia ſuſtinentes. Sed tu Domine quoniam tibi virtus eſt, malis his adhibere medicinam, & præſenti noſtræ triſtitiæ præbere victoriam, etiam de futura deſperatione, tuo fauore nos libera, &c.

Ioſue, Daniel, & tres pueri ad impetrandam miſericordiam, aliena peccata ſua faciunt.

Ioſephus.

13. Nemo igitur miretur, quod in dolore aliquid audiamus, quod extra illum non audiretur. Solent huiuſmodi vota cauſæ & conditiones in dolentium lamentis, & mœſtorum querimonijs audiri. Sic Moſes viſa afflictione, quæ poſt ſuam primam legationem populo ſuperuenerat, conuerſus ad Dominum, à quo miſſus fuerat, ait Exod. 5. *Domine cur afflixiſti populum iſtum? quare miſiſti me? Ex eo enim, quo ingreſſus ſum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo afflixit populum tuum, & non liberaſti eos*, &c. Sic ergo Ioſue hoc loco. Si calamitas hæc nos, in hac manebat regione, vtinam, vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem. Quod traiecerimus, tui fuit conſilij, & beneficij: ad gloriam tuam promoueri, quod cœ-

Condonandum eſt aliquid, eis quæ dolentes loquuntur.

Exod. 5.

ptum eſt, & confidimus & poſtulamus.

Ab oppidanis Haj terga vertentium fuit Iſraëlis.

14. *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraëlem hoſtibus ſuis terga vertentem.*] Indignum eſſe cenſet, vt populus qui Iſraëlis nomen habet terga verteret inimicis. Primò, quia licèt pauci deſiderati ſint in bello, & pauci in fugam coniecti, tamen ſi audiretur per vrbes Chananæorum terga vertiſſe Iſraëlem ab oppidanis Haj, negligerent deinceps eorum exercitus, & aggredi non dubitarent, quos parui facerent.

Iacob Iſraëlis nomen fortitus, invictum fuit.

Deindè quia dedecoroſum videtur Iſraëlem terga vertiſſe cuicunque homini, vel populo. Nam, qui ex Dei decreto appellatus fuerat Iſraël, neque fratri, neque ſocero, neque Deo ipſi ſecum luctanti, vel Angelo terga vertit. Quomodo populus, qui ab illo nomen & ſanguinem accepit, turpi fuga ſaluti conſuluiſſe dicendus eſt? Gentes, ad quas huius plagæ nuntius peruenerit, inane dicent, & vanum eſſe Iſraëlis nomen. Angit animum Ioſue hæc cogitatio. Videt in paucis victis, agi totius Iſraëlis famam, & cauſam. Didicit experientia, non pro numero militum conſtare Iſraëlis victoriam, ſed ex fauore, & patrocinio præſentis Dei. Vnde Ionathas ad armigerum ſuum, hac doctrina imbutus ait. *Veni tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi fortè faciat pro nobis Dominus: quia non eſt difficile ſaluare Deo, vel in multitudine, vel in paucis*, & Iudas, 1. Mach. cap. 3. *Facilè eſt concludi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis vel in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus eſt victoria belli; ſed de cælo fortitudo eſt.* Cùm ergo bellum Hebræorum, non eſſet illorum viribus gerendum, ſed Dei virtute; perindè fuit tria millia Iſraëlitarum terga vertiſſe, ac ſi totus Iſraël terga verteret, & in hoſtium poteſtatem deueniret.

Timor infamiæ animus ſolicitat.

Victoria Iſraëli conſtabant ex diuina ope.

1. Mach. 3.

Fama ſemper aliquid affingit falſi.

15. *Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ; & circumdabunt nos.*] Fama, quæ ſemper ſolet veris falſi aliquid affingere; nuntiabit hoſtibus noſtris; à paucis Haj ciuibus, exercitum noſtrum cæſum, fugatúmque eſſe. Atque hoc audito tantum, neque diligentius examinata re, intelligent nos tuo iam eſſe præſidio deſtitutos. Quare antequàm a te iterum in ſolitum recipiamur patrocinium, illi pariter conglobati, nos circumdabunt, & nomen noſtrum delebunt de terra; nec Iſraël, quem tu elegeras in populum peculiarem, amplius cum dignitate nominabitur.

Argumentum ab honeſto.

16. *Et quid facies magno nomini tuo?*] Ab honeſtate ducit argumentum. Quamuis, inquit, nos deleri paruum ſit; magni pendenda tamen eſt, fama nominis tui magni, quæ ex huiuſmodi calamitate nobis illata, multum lædetur. An non ſub vmbra nominis tui venimus, vt terram hanc obtineremus? Quis ignorat, Iſraëlitas ad hanc rem fuiſſe electos, vt verum Dei numen & cultum, noménque Auguſtiſſimum edocti cognoſcerent, & tenerent? Hi vocati ſunt, vt legitimo ritu diuina præcepta obſeruarent; Atque vt Arcanum illud futuri Meſſiæ Dei conſilium ſibi communicatum; ad poſteros tranſmitterent. Vnde Moſes Deut. 4. *ſcitis, quod docuerim vos præcepta, atque iuſtitias, ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis in terra, quam poſſeſſuri eſtis, & obſeruabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant: En populus ſapiens, & intelligens gens magna, nec eſt alia natio, tam grandis,*

Fama nominis Dei Iſraël.

Deut. 4.

quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut Deus noſter adeſt, cunctis obſecrationibus noſtris, &c. Sanè Dei nomen auditum, in cognitionem myſterij ſalutis humanæ per Chriſtum reparandæ, nos adducit. Quod nomen, vt ampliſſimè ſanctificetur communibus votis optandum & poſcendum Chriſtus docuit. Quare cùm in huius nominis honore, celebratione, & ſanctificatione, magna humani generis ſita ſit vtilitas, & Dei magna gloria emineat; optimo iure ſolicitus eſt Ioſue, atque hanc rem præcipuè ſibi curæ eſſe ſignificat, ne nominis illius gloria apud exteras nationes, quæ eximia ſemper fuit, obſcuretur. Dicerent enim

B Ægyptij, & Chananæi, quod Deo obiecit Moſes, Exod. 32. & Num. 14. non potuiſſe eum tradere Iſraëlitis terram, quam promiſerat patribus eorum; ac propterea deuenisse populum falſa ſpe allectum in manus gentium. Exod. 32. Num. 14.

17. Eſt autem hic orandi modus, quem Ioſue à Moſe didicit ad flectendum numen valdè efficax. Quamuis enim Deus non mutet ſententiam ſuam, nec cùm aliquid definierit, ſuaſionibus permoueatur, vt patet ex verbis Samuelis, 1. Reg. 15. Vult tamen vt aliqua, nonniſi precibus, impetrentur. Illæ autem efficaciores ſunt, quibus precantes ad diuinum honorem orationem collimamus: ſimulque in confirmationem aliquid

Quamuis Deus non mutet decretum ratione, vt aliqua non niſi precibus impetrentur. 1. Reg. 15.

C adducimus, quo nos tueri cauſam ipſius Dei demonſtramus. Atque huc ſpectabat Moſis oratio cùm inſtanter Deum orabat, Num. 14. Huc etiam pertinet; quod Ioſue ait, *& quid facies nomini tuo magno.* Num. 14.

18. *Dixítque Dominus ad Ioſue. Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſraël, & præuaricatus eſt pactum meum.* Rectè cantatum eſt à vate Regio. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, vt ſaluos faciat eos.* En Dominus ad preces Ioſue aurem accommodans, habi-

D tum corporis, & ſitum miſerabilem, quo vir ſanctus ad terram ſe abiecerat oraturus; ſurgere eum iubet. Perſeuerauerat vſque ad veſperam humi iacens, & ieiunus; donec ad mentionem ſui nominis, in quo Chriſti myſteria, totiuſque humanæ ſalutis occultantur accurrens, deprecationem gratam ſibi fuiſſe, indicauit. Illud, *Cur iaces*, &c. hanc exhibet ſententiam, Surge, non patiar te diutius ita iacere. Fuit autem diuinum hoc oraculum; ſiue reſponſum planè ſalutare. Namque Iſraëlis languenti corpori, ſalutarem ſeſe medicum exhibuit Deus, morbíque initijs & grauitate indicatis, quonam modo, medici-

Victitas Deus precibus & ieiunio flexus.

E nam applicare oporteret, edocuit. En fructus orationis? Sonant diuina reſponſa; quibus ſi aurem damus, quid gerendum ſit, prodè diſcimus. Vnde Pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius.* Pſalm. 84.

19. Summa diuini reſponſi eſt. *Peccauit Iſraël.* Quo docemur; nullam publicè inferri populis cladem, quæ non iuſto Dei iudicio obueniat. Allata ſuit plaga Iſraëli, inquit, Deus, ob graue peccatum, & ſanctitudinis, obſeruantiæque pactum, ipſi a me commendatum præuaricatus eſt. Conſtitutum namque fuerat, fœdere inter nos firmato, vt ille, & ſuam, & meam colere ſanctitatem; hoc ille ſe ſeruaturum receperat. Nam Exod. 24. *Omnia*, inquit, *verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.* Nunc autem cùm ego mihi conſecratum

Nulla inferatur populis clades pœna, niſi iuſto Dei iudicio.

Exod. 24.

hunc

hunc locum, & omnia, quæ in eo eſſent; pactum meum, furto contaminauit. Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè exprimitur peculiaris pacti violatio, ne dum generalis: Quod eò fit, vt grauius & turpius videatur ſacrilegium.

20. *Tuleruntq; de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.* Quibuſdam quaſi gradibus Deus ad peccati cognitionem Ioſue perducit. Et primum quidem in genere, *Peccauit*, inquit, *Iſrael*. Deinde ſubiicit, quod ſpecialius eſt, *Præuaricati ſunt pactum meum, quod præcepi eis.* Præceperat namque vt Hiericho integra Deo dicaretur. Tertiò addit, tulerunt de anathemate ſiue de bonis Deo ſacratis, vt appareat ſacrilegiū. Quartò, circunſtantiam occulti ſceleris apponit, dicens: *furati ſunt.* Quintò, flagitio flagitium accumulat, dum ait: *& mentiti ſunt.* Significans hoc verbo Achan mentitum fuiſſe, cùm interrogaretur, ſciretne, an aliquid de anathemate fuerit ablatum, ſe innocentem eſſe, ſicut & reliquos. Demum reuelat Deus locum occulti furti dicens, & abſconderunt inter vaſa ſua. Solus autem Achā abſconderat, quæ abſtulit inter vaſa ſua, hoc eſt inter inſtrumenta familiæ ſuæ, in medio ſcilicet tabernaculi ſui, vt infrà exprimitur.

Sex circunſtantiæ peccati Achan.

21. *Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eóſque fugiet; quia pollutus eſt anathemate.*] Victum iri ab hoſtibus Iſraelem Dominus denuntiat propter ſacrilegium, quo polluitur. Id autem duplex eſt. Vnum, quod cremata non ſint, quæ erant cremanda. Alterum, quod raptum ſit ab Achan in ſuos vſus; quod erat in theſauris Domini reponendum. Additque: *Non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* Non ſignificat Deus his verbis, ſe eam gratiam ſubducturum, qua priuatè vnumquemque ex illo populo fouebat, vt Ioſue, & Phinices ſacerdotē & alios; ſed illam duntaxat toti Iſraeli communiter promiſſam protectionem; ideòque ait: *Non ero vobiſcum.* Tamen non ita negat, ſe futurum cum illis, vt quamuis iratus, miſericordiæ locum non relinquat: tantùm expiationem ſceleris neceſſariam eſſe ait, ad reconciliationem, & gratiam reparandam.

Subtractio diuini auxilij quantum nocuerit.

22. *Surge, ſanctifica populum, & dic eis, &c.*] Indicato Iſraelis morbo, & medicinam Deus adhiberi ſuadet, & maturari: ſanctificare autem populum; idem eſt, quod conuocare, & ab omni alio opere ſemotum, ad ea quæ præcipientur præſtanda, publicè conuenire: ita tamen, vt nullus neque ſeruus neque mulier, neque infans, neque hoſpes miſceatur, ſed ij tantùm aggregentur, qui vniuerſalis conſilij nomine, & numero cenſeri poſſunt, ac debent.

Sanctificare populum eſt conuocare.

23. *Sanctificamini in craſtinum. Hæc enim dicit Dominus Deus.*] Habes hîc (vt Arias Montanus annotauit) vniuerſalis concilij à Deo indicti exemplum. Eſt autem conciliorum cogendorum lex & conſuetudo à Deo inſtituta antiquiſſima apud fideles. Ea verò idcircò inducta eſt, vt publicis cauſis, in commune conſuleretur. Porrò conciliorum forma duplex erat. Plena altera, in quam omnis Iſraeliticus populus conueniebat. Altera non plena, in quam tribuum capita, & familiarum proceres, ſummo ſacerdote præeunte, cōnuocabantur. Intererant etiam prophetæ, ſi quos in Republica eſſe contingeret. Differt autem in craſtinum ſanctificationem Deus: tum quia intempeſtiua præſentis diei hora erat, ſub ipſum noctis crepuſculum: tum quia die ſequente albente cælo poterant in ordinem redigi familiæ, & ſortes commodè, non ſolum tributim, ſed etiam viritim extrahi; nemine ſe ab oculis, ne deprehenderetur, ſubducente. Denique opportunitas rei gerendæ diem poſtulabāt, non noctem, quæ feris ad quærendas ſibi prædas conceditur: Pſal. 103. *Ortus eſt ſol, & congregabuntur, & in cubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Sed quid eſt: *Sanctificamini in craſtinum?* Eſtote ſub craſtina aurora in vno loco congregati; vt appareat criminis occulti reus: vel, vt inquit Abulenſ. qu. 21. affectu deuotionis animos præparare, vt cras poſſitis Domini ſententiam audire. Accipitur namque in hoc capite ſanctificatio, pro præparatione: quæ aliquando in eo erat, vt veſtes abluerentur, & ab vſu coniugij abſtineretur: Quod accidit in promulgatione legis. Sic enim iuſſu Dei, Moſes populum alloquitur. *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris:* paulò antè veſtium lotio fuerat indicta. Fiebat interdum ſanctificatio ſiue præparatio per ieiunium; quale, impia Iezabel indixit toti vrbi ante condemnationem Naboth Ieſraelitæ, vt ſpecie religionis, ſuam occultaret iniquitatem, quaſi à Deo ſententia lata eſſet, 3. Reg. 21. Aliquando per orationem vt cum Act. 1. miſſæ ſunt ſortes ſuper Matthiam, & Barſabam. Hîc non exprimitur, qua ſanctificatione, ſiue præparatione, vſi fuerint Iſraelitæ, ſolum indicitur totius populi conuentus. Quare conſuetæ præparationes videntur intelligendæ, ſi non omnes, ſaltem potiores ad diuinum numen placandum.

Montanus.

Exemplum vniuerſalis concilij à Deo indicti.

Duplex conciliorum forma.

Pſalm. 103.

Abulenſis.

Sanctificatio eſt præparatio ad rem ſanctam, quæ fit aliquādo per ieiunium.

3 Reg. 21. Act. 1.

24. *Anathema eſt in medio tui Iſrael.*] Congregato populo hæc nuntianda Dei nomine iubentur, anathemate contaminatum eſſe Iſraelem: ac proinde victum iri ab hoſtibus, donec morte hominis anathemate polluti, eluatur tanti flagitij macula.

25. *Accedetiſq; manè ſinguli per tribus veſtras, &c.*] Erant Hebræis quatuor vexilla, quorum ſingula, ternas recipiebant tribus; in qualibet tribu familiæ, quoque diſtinguebantur, & in familiis domus. Iubentur ergo ordine quodam diſponi, ne ſubterfugij locus relinquatur, ſortes etiam mittendæ dicūtur, quibus indicabitur criminis reus. Id quo pacto factum ſit, infrà explicabitur.

Verſ. 6.] Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, vſque ad veſperam.

Quid apud ſacros, & prophanos ſcriptores veſtium dilaceratio ſignificet?

ANNOTATIO I.

1. EX furto clam patrato, ingens omnium Iſraelitarum animos inuaſit metus, Deo id permittente; ne quis, vel occulto, alterius flagitio, conniueret, vt enim Homerus ait, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα: id eſt, *Deus habet vindicē oculum. Qui ſurripuerat* (inquit Theodor. q. 9. ſuper Ioſue) *putabat perinde latere Deum, ac homines. Voluit igitur Deus, & hunc reprehendere, & alijs iniicere metum, vt*

Homerus.

Theodor. Habet Deus iuſtum oculum.

qui lectitarunt loquentium obſcuratores, coarguuntur tranſgreſſores, alio pro intelligendis ſuppliciis parti ſuorum participes. Hæc Theodor. Conſtringit Deus hominum conſcientias, ne audaces fiant ad peccandum. En metus eos etiam inuadit, qui non peccarunt. Ioſue, qui longè aberat à crimine crimen tamen ſuſpicatus quod in cauſa fuerit metus populi, ob aduerſum Martem inculſi mœſtitiæ ſigna edit. Vnde Chryſ. hom. 1. in verba Iſaiæ, *vidi Dominum*, huius capitis texens hiſtoriam: *Videns* inquit, *Ioſue fugam ſibi non poſſe, diſcidit veſtimenta ſua et proſtrauit in terram, et lugubri lamento profert quæ narrat diuina ſcriptura.* Hæc ille.

Affligitur Ioſue ſcium habere populi peccatum.

Dilacerabant veſtes Hebræi audita blaſphemia, vel infauſto nuntio.

2. Quamuis autem apud Hebræos, dilacerandi veſtes duplex cauſa aſſignari ſoleat, nempe alicuius rei aduerſæ repentinus nuntius, vel audita blaſphemia, plures tamen aſſignari poſſunt quarum potiores in Ioſue, & ſeniores, qui illum imitati ſunt manifeſtè conueniunt. Nos eas quæ occurrerint breui complectemur.

3. Prima eſt, vehemens doloris ſenſus, ſignificatur námque veſtium dilaceratione, cor dolore abrumpi. Hoc habitu principes in funeribus amicorum dolorem declarabant, 2. Reg. 1. *Apprehendens Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omnéſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt, vſque ad veſperam ſuper Saul.* &c. & cap. 3. *Scindite*, (inquit Dauid;) *veſtimenta, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner* &c. Præiuit exemplo Iacob, etiam ante legem, poſteros ſuos; dicitur námque Gen. 37. *Iacob ſciſſis veſtibus, indutus eſt cilicio lugens filium ſuum multo tempore.* Quid Iob? Auditis bonorum ſuorum detrimentis, & ſubitam omnium filiorum mortem. *Scidit*, inquit, *veſtimenta ſua*: credibile etiam eſt lugubrem ſaccum induiſſe, & puluere caput conſperſiſſe. Id enim cap. 16. idem ſignificat dicens: *ſaccum conſui ſuper cutem meam, operui cinere carnem meam.* &c. Eum morem apud politiores gentes extitiſſe, indicat poëta:

2. Reg. 1.
2. Reg. 3.
Gen. 37.
Iob. cap. 1.
Virg. Aen. 12.

—— It ſciſſa veſte Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbiſq; ruina:
Canitiem immundo perfuſam puluere turpans.

Mos dilacerandi veſtes apud gentes.

Herod.

Dion. Hal.

Lucianus.
Iuuenalis.

Herodotus lib. 6. Lacedæmoniorum hanc fuiſſe in luctu ceremoniam teſtatur. Eadem in vſu fuit Romanis, vt ſcribit Dionyſ. Halicar. lib. 7. agens de Marci Coriolani condemnatione, & Græcis, vt author eſt Lucianus in Dialogo de luctu. Huc alludit Iuuenalis, dicens:

Vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſáque Polyxena palla.

Secunda cauſa dilacerandi veſtes.

Chryſoſt.

4. Secunda, vetus funerum ritus à cadaueribus terræ mandandis. Si enim pretioſa veſte contectum cadauer erat. veſtis conſcindebatur, ne ſi integra eſſet, occaſionem auaritiæ præberet, ipſum exhumandi. Quò reſpexit D. Chryſoſt. homil. ſuper oratione Annæ matris Samuelis ad finem, vbi de diuitum agit exequiis. *Cum defunctio*, inquit, *multam iniicis auream veſtem pretioſam, & auratam, nihil aliud niſi maiorem inuidiam, & accuſationem attuleris. & aduerſus defunctum omnium ora reſeraueris, & accenderis acriorem auaritiæ accuſationem; ſingulis lacerantibus, & ſuffocantibus defunctum, ac maledicentibus, quod neque mortuus circa pecunias inſaniā diſſoluit, nec hoc tantùm eſt graue, verùm & quod furum oculos aperis*, &c. Sic apud poëtam, Amata Latini Regis vxor:

Aen. 12.

Purpureos moritura manu diſcindit amictus.

5. Tertia ſignificatio, qua viri fortes, & ſtrenui, nihil integrum relinqui, inſidiatoribus vitæ ſuæ, eſſodere volunt. Sic Iob, dæmonum inſidiis ſtipatus veſtes ſcindit, ne quid integrum, ad eorum manus perueniat. Miles generoſus pallium non facilè dimittit niſi mille laceratum, atque perfoſſum ictibus. Nihil de te habeat dæmon, non veſtem, non oculum, non manum, non rem aliquā, quæ illi vſui eſſe poſſit. Senec. Epiſt. 14. ad Lucil. *Nihil habeamus* inquit, (de mundi diſputans contemptu) *quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poſſit; quàm minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum, nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt.* &c. Quid Ioſue? ſciſſione veſtium. contemptum oſtendit rerum omnium, quæ à victore inimico deſiderari poterant; ſe vel nudum ſatis eſſe oſtendit, ſi Dominus iubeat ad refutandas hoſtium copias.

Iob dæmonum inſidiis ſtipatus veſtes ſcindit, ne quid integrum dæmon poſſideat.

Seneca.

6. Quarta eſt animi inuicta fortitudo; Hæc ad ſcindendas veſtes eum impellit, qui non timet hoſtem, neque mortem; dummodo Deum ſibi videat fauentem. Origenes, & Nilus Abbas ſingularem & inuictum luctatorem agere Iobum exiſtimant ſciſſis veſtibus; idem dicerent de Ioſue, ſi hunc locum tractarent. Origenes ſcribit Syris olim eum morem fuiſſe, vt cum manus, cum hoſte conſerendæ erant, veſtes conſcinderét, iiſque abiectis nudo pectore in hoſtes inuolarent. Sunt & gentes barbaræ, quæ ſuccinctæ breuioribus tunicis, nudis hoſtem humeris & pectore excipiant. *Omnis*, (inquit Apoſtolus) *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Quid hoc eſt? Nonniſi nudos in ſtadium lex certaminis deducit (inquit Nilus) Hæc nuditas accommodata eſt certamini, quod contra malignos ſpiritus ſumimus. Vnde Greg. hom. 32. in Matth. *Si veſtitus*, inquit, *quiſquam cum nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, veſtimenta abiiciat, ne ſuccumbat*, &c. Adam in ſtatu innocentiæ cum hoſte conflicturus, nudus erat. Ioſephus, relicto pallio victoriam de voluptate reportauit. Hinc B. Nilus enarrans illud Prouerb. 27. *Tolle veſtimentum eius, qui ſpopondit pro extraneo* &c. ait præcipi ab authore prouerbiorum, certaminis magiſtro, vt eius veſtimenta detrahat, qui luctaturus cum hoſte in arenam deſcendit. Conſcindit ergo veſtes Ioſue, & negligit curam Dei, vt diuinæ virtutis oleo perunctus, nudus cum nudo animæ aduerſario, hoc eſt, cum peccato depugnet primùm: deinde cum Chananæis hoſtibus, quos diuino fretus auxilio, vel nudus non formidabit.

Animi inuicta fortitudo ad ſcindendas veſtes interdum impellit.
Orig. &
Nilus Abb.

1. Cor. 9.

Nudus cum nudo luctatur ſpiritus.

Gregorius.

B. Nilus

7. Non igitur magni facendæ ſunt res humanæ veſtibus ſignificatæ, illi qui in Deo ſpem collocauit: ſcindat veſtem; nudus ad luctam prodeat; leges diuini magiſtri obſeruet: Non reſiſtat vulneri, quando id pati magiſter iubet, quicquid boni eſt in pectore reconditum habeat. Audi magiſtrum certaminis Matth. 6. *Ego vobis, non reſiſtere malo* (hoc eſt, iuxta Chryſoſt. diabolo in impiis operanti) *Sed ſi quis te percuſſerit, in dexteram maxillam præbe illi & alteram: & ei qui vult tunicam tuam tollere præbe ei & pallium.* Hunc locum, vtiliter expendit Auguſt. Epiſt. 5. ad Marcellinum, vbi per dexteram maxillam. quæ ſecutor eſt quod non reſpondeat dexteræ percutientis, ſed ſiniſtræ; intelligit bona animi. per ſiniſtram maxillam, & pallium, bona corporis. Vult ergò, vt cum aduerſarius eripere bona animi nititur, terrena omnia tanquam ſiniſtram maxillam ferienti obiiciamus. Quæ cum ille abſtulerit, nihil, quod

Matth. 6.

Auguſtinus.

Iactura rerum mundi ad magna ſolida.

quod bonum ſit, amiſiſſe te puta. Hac imbutus doctrina Paulus, cùm vincula audit, Act. 21. *Non ſolùm*, inquit, *alligari, ſed & mori paratus ſum*, & 1. Cor. 6. *Delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini*, &c. Idem Auguſt. de ſerm. Domini; ait, ea, quæ à ſanctis in nouo teſtamento facta ſunt continere explicationem præceptorum. Vt cum legimus in Euangelio quid facere debeas alapa percuſſus. Nam ipſe Dominus, cuius exemplo viuimus, cum alapa percuſſus eſſet, non ait, ecce alteram maxillam: Sed ait. *Si male dixi exprobra de malo, ſi autem bene, cur me cædis?* Vbi oſtendit, illam præparationem alterius maxillæ, in corde faciendam. Paratus enim fuit Dominus, non ſolùm in alteram maxillam cædi

B pro ſalute omnium, ſed in toto corpore crucifigi. Hæc ille.

8. Duæ tamen ſunt præcipuæ cauſæ cur hîc Ioſue veſtem ſciderit. Vna eſt, vt eo habitu, qui pœnitentes decet, ſe coram irato numine deprimeret, & ad orandum præpararet; quod indicant illa verba; *Ioſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini*, &c. Altera, timor quidam, quo perculſus nuntio rei in bello malè geſtæ verebatur ne de Deo vulgus blaſphemo ore malè loqueretur. Iam ſuprà annotauimus morem fuiſſe Iudæorum, in triſtibus atque aduerſis, veſtes lacerare, vt Num. 14. fecit idem

Num. 14.

C Ioſue & Caleb, & ſummus ſacerdos, Matth. 26. & Paulus & Barnabas, Act. 14. Hùnc tamen dolorem non externum eſſe penitus volebat Deus, vt Iudæi ferè illo vtebantur veſtium laceratione; Sed magis internum, vt ipſe ait Ioelis 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum.* Ac ſi dicat, à cordium ſciſſione incipite; Non mihi grata eſt ſola veſtium dilaceratio. Scindere autem corda eſt vehementer dolere de peccatis, eáque foras pellere fletu & confeſſione. Pro quo Chaldæus dixit. *Et auferte impietatem cordis veſtri.* Gloſſ. Inter. *Aperite corda veſtra per confeſſionem fidei*, &c. Vel per con-

Matt. 16.
Act. 14.

Ioel. 2.
Deus mauult cordis, quam veſtium dilacerationem, cum peccatum eſt.

Chaldæus.

Gloſſ. Inter.

D feſſionem etiam peccatorum, qualis tunc exigebatur. Et nunc multò magis poſt inſtitutionem ſacramenti pœnitentiæ. D. Hieronym. hac vtitur paraphraſi. *Idcircò ego præcipio vobis, vt nequaquam ſcindatis veſtimenta, ſed corda, quæ plena ſunt peccatis; quæ inſtar vtrium niſi ſciſſa fuerint, ſponte rumpentur.*

Hieronym.

9. Ioſue ergò accepta clade, ſciſſa veſte, ſpontaneam pœnitentiam agens, ſubiectum ſe & humilem Deo flagellanti exhibet. Solemne námque eſt viris ſanctis, vt immiſſis à Deo calamitatibus, cùm illas placere Deo exiſtimant, ipſi ſe ampliùs macerent & fatigent. Quod in malis

Signa pœnitentiæ.

E ſuis fecit Dauid. Pſalm. 34. *Cùm mihi*, inquit, *moleſti eſſent induebar cilicio.* Ac ſi dicat, non contentus hoſtium moleſtijs, ipſe cilicio ad carnem applicito, mihi hoſtis eram. *Humiliabam in ieiunio animam meam*, hoc eſt, mihi cibum ſubtrahebam, *& oratio mea in ſinu meo conuertetur*, cum illi probra & maledicta in me iactarent, ego illis, quod humano ſenſui difficile eſt, bene precabar. *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam*, cùm mihi infeſti exiſterent. Ego mihi vim afferebam, vt omni viâ illis, quaſi fratribus placere poſſem, & prodeſſe. *Quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.* Lugubrem veſtem ſumebam, vt ex eo habitu intelligerent, me quem ſublatum è medio optabant meum funus proſequi. Hoc ille fe-

Pſalm. 34.

David ſeipſum cilicio, & alijs ... cruciabat, cùm affligebatur, vt Deum placaret.

A cit. 2. Reg. 15. cùm fugiens Abſalonem reliquit munitiſſimam vrbem, in qua ſe defendere poſſet, vt obſeruauit Abulenſ. & non equo, non calcaribus vſus, ſed calceis etiam, qui leuare poſſent difficilem cliuoſi trametis aſcenſum, detractis, in locum deſertum feſtinabat lugens & triſtis. Scandens, inquit, & flens, & nudis pedibus incedens, & aperto capite aſcendebat plorans, &c. Mortem illi optabat Abſalon; ille, ac ſi cadauer eſſet, ſe ipſum humiliat, & plangit; ſic Iob poſt multa quæ pertulerat damna, cap. 16. ſic ait: *conſcidit me vulnere ſuper vulnus.* Deinde ſubiungit ſponte à ſe ſuſceptas pœnas ſaccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam, &c. Et accepta vulnera non oleo leniuit, ſed quaſi aceto & ſale, ſetoſo ſacco perfricuit.

2. Reg. 15.

David habitu dolentis & pœnitentis incedit fugiens Abſalonem.
Iob 16.

B 10. Quid ſi Ioſue & ſeniores veſtem ſciderunt, vt primo quaſi verbere admoniti declarent, proijcere ſe veſtem, quo ſe nudos flagellanti numini præberent? Hoc aliquando præſtitit Dauid. Ait enim Pſalm. 37. *Quoniam ego in flagella paratus ſum*, nempe futura, *& dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Hoc eſt, licèt quem dolorem iam nunc perfero ab hoſtibus, te annuente, mihi ante oculos obuerſatur. Non ſic impij non ſic, quin ea ſunt cæcitate, vt Deo ſupplicium comminanti, non ieiunijs & gemitibus occurrere ſoleant, vt placari valeat; ſed varijs potiùs voluptatum generibus, quò vehementius ſæuiat. Iſaiæ 22. *Vo-*

Pſalm. 37.
Iuſti, ſe paratos ad perferendas pœnas a numine illatas oſtendunt.

C *cabit Dominus in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum* &c. Senſus eius eſt, captiuitate iam præſente, & obſeſſa ciuitate Hieruſalem, Dominus non planè oblitus veſtri mittet Hieremiam, qui excitabit vos ad pœnitentiam Sed illius vocibus haud obedient principes, & vulgus hominum, imò epulis, & comeſſationibus indulgebunt, & dicent: *comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* O miram inſaniam. Hæc verba, nónne paganiſmum continent, quaſi non crediderint ij, quibus Hieremias erat fletum &

Iſai 22.

Explicatur locus Iſaiæ.

D pœnitentiam prædicaturus, futuram reſurrectionem, ſed animam ſimul cum corpore interituram, quod Epicurus docuit. Vnde illud Senecæ Tragic. Act. 2. Troadis.

Seneca Trag.

Poſt mortem nihil eſt, ipſáque mors nihil
Spem ponant auidi ſolliciti metum.
Quæris quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent
Tempus nos auidum deuorat & Chaos.

11. Alijs videtur eſſe ſermo deſperationis; ac ſi dicerent Hieroſolymitani ciues. Quorſum agimus excubias; nihil nobis proderunt, cras enim omnes moriemur hoſtium gladio iugulati. Vta-

Deſperatio ciuium Hieroſolymitanorum.

E mur ergo præſenti voluptate, dum licet, epuliſque & ludo recreemur. Atque hoc modo interpretatur Iſaiam D. Hieronym. Vnde ait; abuſum fuiſſe hoc teſtimonio, D. Paulum, 1. Cor. 15. hoc modo ſcribentem ſi mortui non reſurgunt, comedamus & bibamus; cras enim moriemur. Illud ex Iſaia colligimus contra noſtri temporis hæreticos, pœnitentiam complecti, ſaccum, fletum, gemitum, & id genus alia, vt ſciſſionem veſtium, & pulueris conſperſionem: quibus rebus vſus eſt Ioſue, poſt acceptam cladem, & Iob audita bonorum, amiſſione, & filiorum morte.

Hieronym.
1. Cor. 15.

Pœnitentia ſacco, fletu, & ieiunio indicatur.

12. Altera cauſa, quæ ad veſtium dilacerationem Ioſue permouit, fuit timor, ne tam victi Iſraelitæ, quàm victores Chananæi erumperent

Sciſſio veſtis ob nomen blaſphemiæ.
4. Reg. 19.
Iſai. 37.
Hierem. 36.

in diuini nominis blaſphemiam. Hic enim geſtus intimi doloris ſignificatio Hebræis erat. Sic fecit Ezech. 4. Reg. 19. & Iſai. 37. audiens blaſphemias Rabſacis & Hieremiæ, cap. 36. cum ſacrum volumen de vaſtatione Hieruſalem a Hieremia Dei iuſſu conſcriptum, imperio ſacrilegi Regis conſciſſum atque combuſtum eſt, ingenti vertitur crimini omnibus, qui nullum doloris ſenſum indicarunt, tam inſigni ſacrilegio patrato. *Non timuerunt*, inquit, *neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex, & omnes ſerui eius, qui audierunt omnes ſermones iſtos*, &c. Debuit & Herodes Rex argentea coruſcans veſte, cùm vidit à populo diuinos ſibi honores deferri diſciſſa veſte, quæ populo erroris occaſionem præbuit dolorem teſtari, & gloriam Deo tribuere. Id quia non fecit diris preſſus cruciatibus interijt. Quid Paulus & Barnabas? ij Act. 14.

Act. 12. & 13.

videntes à Iouis ſacerdote, ſacrificia ſibi præparari, *conſciſſis tunicis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes. Viri quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus.* Sanè Beatus Iob ſuggerenti ſibi diabolo in miſerijs, quibus conflictabatur, verba blaſphemiæ, tantùm abeſt, vt aures dederit, vt primæ blaſphemię ſuggeſtioni reſponderit, veſtium dilaceratione. Ioſue verò cogitans poſſe lædi diuinum numen blaſphemia aliqua, antè veſtes lacerat, quàm blaſphemiam audiat. Adeò id malum deteſtabatur.

Iob. 1.

Verſ. 6.] Miſeruntque puluerem ſuper capita ſua.

Quorſum ſpectarit olim iactatio pulueris & de more radendi caput, & barbam.

ANNOTATIO II.

1. CVM Ioſue, ſeniores Iſraël, non ſolùm lacerarunt præ dolore veſtes, ſed etiam puluerem ſuper caput iactarunt. *Ioſue*, inquit, *ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, vſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſraël, miſeruntque puluerem ſuper capita ſua*, &c. Hæc omnia ad doloris & luctus habitum pertinent, vt patet Iobi, cap. 2. cuius amici, conſpectu miſeriæ, ſimilibus ſignis triſtitiam ſignificarunt. *Cùmque eleuaſſent* (inquit ſacra hiſtoria) *procul oculos ſuos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus: Et nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem eſſe vehementem*, &c. Polych. ita legit: *Cùmque in cœlum ſuſpexiſſent Deum exorantes, quaſi dixerunt: propitius eſto Domine, & ne talibus nos malis implices*, &c. Videntes autem grauiter plagis exaratum viri corpus agnoſcere eum vix potuerunt. Lues námque (vt Olympiodorus ſcribit) antiqua corporis lineamenta obliterauerat; idcircò puluerem cum lacrymis ad cœlum iactarunt; vt eo cadente, caput deturparetur; ſimúlque ſignificaretur cœlo irato omnia turbari.

Iob. 2.
Pulueris inſperſio, ſignum eſt triſtitiæ.
Polych.
Cœlo irato omnia turbantur.

2. Quod additur. *Et ſederunt cum eo in terra 7. diebus*, &c. non ad quietem pertinet, vt Eugubinus putat, dicens habitaſſe amicos cum Iobo ſeptem dies; quia ſcilicet, ſedere idem interdum eſt, quod habitare. Quid ergo? ad luctum refertur. Sedere quippe, in cinere, puluere, & terra, lugentis eſt & afflicti: ſic 2. Eſdræ 1. *ſedi & fleui, & luxi.* Et Thren. cap. 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas*, &c. & Pſalm. *Illic ſedimus & fleuimus*. Commoratio autem 7. dierum iuxta Origenem ita inſtituta fuit, vt Iobus in aduentu amicorum ex ſterquilinio in ſuam ciuitatem, & domum redierit, quò illos digno hoſpitio exciperet: vbi diuina eos virtute confortante ſine cibo, aut potu, ſeptem integros dies tranſegerint. Quod ſi ita eſt, abunde hebdomadario ieiunio, triſtitiam iudicarunt.

Eugubinus.
A
2. Eſdræ 1.
Thren. 1.
Origen.
Hebdomadario ieiunio amici Iob triſtitiam indicarunt.
Olympiodor.

B Cùm tamen, vt Olympiodorus annotauit ſacra ſcriptura à ſermone familiari recedere non ſoleat; puto eos quotidie ſeptem illis diebus ad amicum veniſſe, & cum illo ad multam vſque noctem ſediſſe, nullum ad illum interim, ſermonem dirigentes. An cum Iacob, Gen. 31. dixit: *Die noctúque æſtu vrebar & gelu: fugiebatque ſomnus ab oculis meis*; ſignificat, nunquam toto illo tempore, domum ſe ſubijſſe, aut ſomnum cepiſſe? Cantapetrenſis lib. 6. Hippoly. credit poni ſeptenarium, vt plerunque fit, pro numero indefinito. Mihi tamen præfixè accipiendus videtur ſeptenarius. Erat enim hic dictum numerus, lugentibus ad mœrorem funeris præſcriptus, vt indicat Eccl. 21. niſi ſolennior luctus, plures exigeret dies. Taciturnitas etiam dolorem & mœrorem declarabat. Fortè de alijs rebus ſermo erat, inter illos; de calamitate tamen amici nec verbum. *Et nemo*, inquit, *loquebatur ei verbum.* Chryſoſt. *Animus ſemel mœrore affectus nihil poteſt commode audire.* Et D. Thom. ſup. cap. Iobi citatum. *Silentium*, ait, *conueniens eſſe ægritudinis initio, cùm miſeris in primis delectabile ſit ſumere actuale experimentum, de vera amicitia, per certa & vera ſigna, nullis etiam verbis adhibitis.* Hoc fortaſſe conſolandi modo vſus eſt Angelus, qui Chriſtum Dominum orantem confortabat. Non enim videtur vſus verbis vllis; ſed quadam præſentia ſociali (vt Salmeroni noſtro probabile videtur tom. 10. tract. 14.) & conſideratione rationum, quibus Chriſti anima cruciabatur. Crediderim ad præſtandam ſocialem præſentiam, quam Chriſtus in diſcipulis requiſiuit dum Petro & cæteris, vt vigilarent & orarent ſuaſit; Angelum deſcendiſſe: atque adeò; eo genua flectente, genu flexiſſe; eo proſtrato humi, ſe ad terram proſtrauiſſe. Eſt enim ſocietas, magnum mœroris alleuamentum; quamuis, qui adſunt taceant. Imò amici Iob diebus 7. tacentes, plus ei attulerunt alleuamenti, quàm poſteà attulerint longo verborum ambitu, loquentes. Hinc illa querimonia de Petro, Matt. 26. *Sic? non potuiſti vna hora* E *vigilare mecum.*

Gen. 31.
Cantap.
Septem dierum luctus deſtinati.
C
Eccl. 21.
Chryſoſt.
D. Thom.
Mœrentes ſola præſentia, etſi non loquamur, conſolari ſolemus.
D
Angelus præſentia ſola, Chriſtum in horto conſolatus.
Matth. 26.

3. Quod ad morem attinet radendi caput, & barbam is varius fuit, & non ad vnius tantum rei ſignificationem inductus. Primò certum eſt, vt dilacerationem veſtium, ita tonſionem capitis ad lugendi conſuetudinem, & cæremoniam pertinuiſſe, vt Iob 1. *Et tonſo capite corruens in terram adorauit.* Et quidem antiqui, apud quos crines, & barba prolixa ornamento erat, fortunæ, & ſtatus commutationem, capitis, & barbæ tonſione ſignificabant. Vnde luctus ſigna ſunt caluitium & abraſio, 1. Eſdræ 9. Iſai. 15. & 22. Hierem. 7. & 16. Ezech. 24. Mich. 1. Sanè Hierem. 7. dicitur: *Tonde capillum tuum, & proijce, & ſume in directum planctum*, &c. Quibus verbis ſignificatur,

Tonſio capitis ad luctum pertinet.
Iob 1.
Caluitium etiã & barbæ abraſio.
1. Eſdr. 9.
Iſai. 15. & 22.
Hierem. 7. & 16.
Ezech. 24.
Mich. 1.
Hierem. 7.

catur. ita proiiciendos eſſe Iudæos à facie Domini, hoc eſt, à terra ſancta, vbi templum erat, & ab illius gratia, quemadmodum attonſi capilli ventis ludibrio futuri proiiciuntur, vel certè id facere præcipitur, quòd mos eſſet lugentium capillos tondere, Paraph. Chald. *Euelle capillos, propter principes tuos, qui captiui ducentur.* Pro particula, *ſume in directum planctum.* Sept. *ſume in labijs planctum.* Chaldaicè, *Tolle propter duces lamentationem.* In Hebræo, *Tolle ſuper loca edita lamentum:* ac ſi dicat: Conſcende loca edita, & illic lamentare, vt planctus tuus procul exaudiri poſſit.

Paraph. Chal.

4. Secundò, tonſio barbæ, & crinium, captiuitatis, contumeliæ, & opprobrij aliquando ſignũ fuit, vt 2. Reg. 10. 2. Eſdræ 13. 1. Paralip. 19. Deut. 32. Ezech. 29. *Nabuchodonoſor ſeruire fecit ſeruitute magna. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus.* Hinc Philoſophus 1. Rhet. comam libertatis argumentum eſſe aſſeruit. Vnde ignominiæ olim apud Ethnicos erat capitis & tonſio, & caluitium. Et Lycurgus Spartanos milites promiſſo capillo, & comatos eſſe voluit, licèt more Laconico barbam ad cutem raſitarét. Quod Mauris, & Britannis in more fuit, vt cincinnis ornati eſſent rutilis comis, & tam compoſito capillo, vt in inceſſu, vix ſe contingi paterentur, omni corporis parte abraſa præter caput, & labrum. Lycij comam tanti fecerunt, vt ne crines tonderent æra pœnæ nomine Mauſolo Regi Cariæ pendere non dubitarent. Hæc ferè Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 5. cap. 18. Strabo lib. 3. ſcribit noſtros Luſitanos, qui olim in montibus horridam, & incultam vitam, humi ferarum ritu ſtrati degebant, longas vt fœminæ, inferiùs, diffundere comas ſolitos. Idem & Gallis Comatis, quibus plurimus capillus erat, vſui fuit. Inde capillum pectunt potiùs, quàm tondent, barba ſemper intonſa, vt auctor eſt Quintus Curtius lib. 8. quin etiam addit Regem ipſum in pectendo, ornandóque capillo reſponſa legationibus, & iura popularibus reddere ſolitum. Solin. cap. 65. Indorum mores ſcribens, ait, Indis omnibus promiſſa cæſaries non ſine fuco cærulæi aut crocei coloris. De Germanis ita Iuuenal. ſatyra 13.

Tonſio barbæ aliquando captiuitatis, & opprobrij ſignũ fuit.
2. Reg. 10.
2. Eſdræ 13.
1. Paralip. 19.
Deut. 32.
Ezech. 19.
1. Rhetoricor.
Ariſtoteles.
Spartani milites comati erant.
Alexander ab Alexandro.
Strabo.
Luſitani antiquiſſimi corpus promiſſo capillo tegebant.
Q. Curtius.
Solinus.
Iuuenal.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina? flauam
Cæſariem? & madido torquentem cornua cirro?
Nempe, quod hæc illis natura eſt omnibus vna.

Argiui cùm anteà criniti eſſent, victi à Lacedemonijs, amiſſis Tyriis, deplorandæ calamitatis cauſa, capillos totonderunt vouentes ſe non reſumpturos, niſi Tyrias recepiſſent. Ita Herodotus lib. 1. E diuerſo Lacones tunc victores ſanxere, ne quis comam tonderet, abrogato more iſto ipſis ſolenni. Sybari verò à Crotoniatis direpta, vniuerſi Mileſij capita deraſerunt, & ingentem luctum ediderunt, vt auctor eſt Alexander loco indicato.

Argiui bello victi capillos totonderunt.
Herodotus.
Alexan. ab Al.

5. In ſacra verò hiſtoria, comæ, & barbæ prolixitas plerumq; triſtitiæ indicium eſt, vt 2. Reg. 19. Cùm Miſiboſeth in occurſum Regis Dauid deſcendit, illotis pedibus, & intonſa barba, veſtéſque ſuas lacerans. Ioſeph etiam in ergaſtulo intonſus iacuit; vnde Gen. 41. dicitur. *Eductum de carcere totonderunt, ac veſte mutata obtulerunt ei,* &c. Ad dignitatem videtur ſpectare illud Baruch 6. *Sedent habentes capita, & barbam raſam,* &c. Et apud Romanos prolixa erat reorum barba, vt indicat Martialis lib. 2. Imperatorum verò vſque ad Neronem barba raſa fuit, vt lib. 3. cap. 4. ſcribit Aulus Gellius. Deus verò ſuis ſacerdotibus, vt à profanis ſecernerentur præcipit Leuit. 19. ne barbam radant. *Non attondebitis,* inquit, *caput in rotundum, nec barbam radetis.* Huç ſpectaſſe Nazaræorum lex videtur, Num. 6. de coma nutrienda. De qua re latè Mendoça quæſt. 5. de Nazaræorum capite non tondendo.

2. Reg. 19.
Barbæ & comæ prolixitas abſcondi vſtam dabat.
Gen. 41.
Baruch 6.
Epigram. 2.
Imperatores vſque ad Neronem barbam gerunt.
Gellius.
Leuit. 19.
Num. 6.
Mendoca.

6. Tertiò, ad militarem habitum ſpectat, capitis, & barbæ abraſio, tum etiam ad quædã ſacrificia. Ambroſius quidem l. 6. Hexam. ait comam eſſe terribilem in bellatoribus; cęterum barbam raſiſſe, indicat hominem ad bellum promptum; Radunt namque milites capillos, ne vllas hoſtibus anſas præbeant, quibus capiantur. Vide (vt in Theſeo ſcribit Plutarch.) ob eam cauſam ſuis Alexander ducibus imperauit, vt barbas raderét. Et quidem ſanctus Iob, cum hoſte diabolo depugnaturus, non ſolùm abiicit veſtimenta, ne teneri poſſit, quod noſter etiam fecit Ioſue, ad omne certamen paratus; ſed etiam capillos tondet vt expeditior reddatur ad pugnam.

D. Ambroſ.
Abraſio barbæ & capitis ad militiam aduenit.
Plutarchus.
Milites ſuos Alexãder barbam radere cogebat.

7. Porrò ſacrificari ſolitos fuiſſe capillos, præterquàm quod ex Num. 6. perſpicuum eſt, vt notat Theodoretus quæſt. 28. Eugubinus, & Caietanus. Idem ex profanis ſcriptoribus conſtat. Vide Suetonium in Nerone cap. 12. & Beroaldum ibidem. Iam qui ex maris procella incolumes euaſiſſent, barbam ferè ſacrificabant numini tutelari. Iobum totondiſſe caput, vel ea, ob cauſam puto, vt hac cæremonia Deo ſe totum deuoueret, veluti agnum in ſacrificio. Quod refert Homerus Iliad. 3. feciſſe Agamemnonem in pecudum ſacrificio.

Sacrificari ſolebant capilli.
Num 6.
Theodoretus.
Eugubinus.
Caiet.
Suetonius.
Beroaldus.
Homerus.

Hic rex Atrides, cultrum, quem fortè ferebat
Maioris gladij vagina in parte repoſitum
Eximit, & medios villos de fronte reuellit
Ambarum pecudum.

In Græco eſt, capillos è capitibus agnorum diſſecuit. Sanè deluſa erroribus Antiquitas, eos, qui proximi morti eſſent, tonderi à Proſerpina commenta eſt, & ijs quaſi primitiis Orco initiari iuxta illud Lyrici.

Mixta ſenum, ac iuuenum denſantur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

8. Hac cæremonia tondendi capitis, non eſt vſus Ioſue, nec cæteri ſeniores: ſatis enim eſſe putarunt, ſi ſciſſa veſte, & puluere conſperſo capite, ad terram abiecti, numen adorarent. Nec enim damnum acceptum tam graue exiſtimabatur, vt manus in capillos iniiciendæ viderentur.

Verſ. 7.] Et dixit Ioſue, Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi?

Quo geſtu corporis, ſe comparauerint olim Patres & viri ſancti ad orandum? Quid Ioſue?

ANNOTATIO III.

1. DE hac re latè egimus ſuper cap. 2. epiſtolæ 1. ad Timoth. hîc tamen pauca complectar. Et quidem quo habitu corporis Ioſue

1. Timoth. 2.

Cadere in terram coram Deo, eſt humilitatis ſignum.
Iob 1.
Matth. 2.

orauerit, illa verba docent: *Pronus cecidit in terram coram arca Domini.* Cadere námque in terram, eſt Deum cum profunda humilitatis ſignificatione adorare. Sic Iob cap. 1. corruens in terram adorauit, & Magi Matth. 2. *procidentes adorauerunt eum*, id eſt, IESVM. Non tamen vnus ſemper viguit orandi modus, ſiue adorandi habitus. Interdum namque ſtantes adorabant Deum. vt aduertit Auguſtinus lib. 2. ad Simpl. quæſt. 4. & videtur indicari Iſaiæ 49. *Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt Dominum.*

Veteres aliquando ſtantes adorabant Deũ. Auguſtinus. Iſai. 49.

2. Reg. 7.
Sedendo Dauid adorauit.

Interdum ſedentes, iuxta illud 2 Reg. 7. *Ingreſſus eſt Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit, Quis ego ſum Domine Deus*, &c. Approbaſſe Numam Pompilium hunc orandi modum ad conſeruandam animi quietem, refert Plutarchus in illius vita.

Plutarchus.

Procidere in genua geſtus eſt animi ſe humiliantis.

2. Inter omnes tamen geſtus, procidere in genua, vel ad terram ſe abiicere, accommodatiſſimus modus eſt, ad declarandam intimè hærentem animo humilitatem; qua quis nihil in ſe agnoſcit firmum aut ſtabile; Deo verò cuius maieſtatem admiratur omnia ſubmittit. Vnde vel mortuis tribuit hunc modum adorationis Regius vates, Pſal. 21. dicens: *In conſpectu eius*, inquit, *cadent omnes, qui deſcendunt in terram.* Videntur quippe mortui, cùm eorum cadauera ſepulchris inferuntur, in terram cadere, Deum vitæ, & mortis Dominum adoraturi, qui eos poteſt ſuſcitare. Hos námque videtur Apoſtolus infernorum vocabulo ſignificare, dum ait, Deum filio ſuo homini facto dediſſe *nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Hoc eſt, eorum, qui in tumulis reſurrectionem præſtolantur. Hoc genere adorationis vſus eſt Abraham, Gen. 18. *Adorauit Abraham pronus in terram.* & Gen. 37. manipuli adorantes dicuntur, hoc eſt incuruati, & iacentes humi coram manipulo Ioſeph: & hoc loco cùm audis Ioſue pronum in terram cecidiſſe, geſtum adorantis agnoſce.

Pſal. 21.
Philip. 2.
Gen. 18.
Gen. 37.

Adoratio genu flexione fit, &c.

3. Profectò, cùm verbum, שחה *Sachah*, propriè ſit *incuruare*, aut *humiliare ſe.* Rectè philoſophatur, qui incuruatione, aut genu flexione, aut inclinatione capitis, adorationem fieri aſſerit. Imò *adorandi* verbum pro ſola *genu flexione*, aut *incuruatione externa corporis* interdum accipitur, vt 4. Reg. 5. vbi Naaman Syrus poſtulat, ne ſibi culpæ imputetur corporis, aut genu flexio in fano Remnon, eo tantùm fine, vt Rex incuruatus in genua idoneè valeat, humero illius inniti; quod intrinſecè mali nihil habebat. Vera igitur adoratio, vt Damaſcenus ait orat. 3. de imagin. cap. 5. Eſt animi cedentis, id eſt ſubmiſſi, & humilis ſignificatio. At quomodo cedit animus? ſi cadente & corruente corpore, potentiam diuinam, cui ſe ſubmittit, veneratur.

4. Reg. 5.
Damaſcenus. Adoratio quid ſit?

Stoicorum indolentia, non eſt audenda.

4. Hîc ego inter duo extrema Ioſue video conſtitutum, videlicet: inter indolétiam illam Stoicorum, ſeu potiùs ſtupiditatem; & inter mollitudinem, & immoderatum verberum diuinorum ſenſum. Nam ſtans coram Arca Domini, & ſcindens veſtimenta, & puluerem ſpargens, indicat ſe flagella ſenſiſſe: cadens verò in terram, & Deum adorans videtur de diuina prouidentia & bonitate bene ſperare. Sic patres illi antiqui, quamuis in rebus aduerſis ſigna doloris animi ediderint, ne ſtupidi viderentur, quemadmodum olim M. Horatius Puluillus, de quo Liuius Dec.

Liuius.

1. lib. 2. ſcribit, audita filij morte, cùm templi vacaret dedicationi, modum præſcripſiſſe, quo funus efferretur, nec dolorem ſignificaſſe. Nec Iobi in morte filiorum perferenda, non ſine indicio doloris admirabilis fuit conſtantia; Iacobi patriarchæ mirus fuit luctus nuntiata morte filij, Gen. 37. qui tamen nec ſacerdos, nec primogenitus erat. *Sciſſis*, inquit, *veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Congregatis autem omnibus liberis eius, vt lenirent dolorem, patris noluit conſolationem accipere, ſed ait: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, &c. Mauult mori, quàm viuere, Ioſeph mortuo; vtitúrque verbis, vt notat Auguſtinus in quæſt. ſuper Gen. animi perturbati; & grauiter dolentis. Tranſegit autem in lacrymis tres & viginti annos, qui à decimo ſexto Ioſephi anno vſque ad quadrageſimum interfluxerunt; ſemper tamen de Deo cum dignitate locutus eſt, ſemper ſpem in Deo fixam retinuit. Sic Dauid Abſalonem, qui iniurius illi fuerat, mortuum luxit, 2. Reg. 19. nec antè luctum cohibuit, quàm à Ioab propoſita, ſi perſiſteret, populi defectione, deterritus eſt, Ammonémque nefarij ſtupri reum fleuit, & quidem ei affectu; vt luctum eo ſcriptura, 2. Reg. 13. viro indignum attribuat. *Luxit*, inquit, *Dauid filium ſuum multis diebus*, In Hebræo namque, luxit, verbum eſt fœminini generis, quaſi dicas, luxit fœmina. Humanos experti ſunt affectus hi patres; Dei tamen ſemper cultores fuerunt, nihil contra Deum, vt homunciones quidam ſolent, temerè dictitantes. Gemere licet & plangere in rebus aduerſis, quale eſt vinci ab hoſtibus, aut filiis chariſſimis orbari; at præ dolore, blaſphemo ore aliquid iactare, haud licet; imò nec tantillum à pietatis, aut officij præſcripto recedere. Id docent nos vaccæ, quæ vitulis earum domi remanentibus, arcam Dei trahebant, 1. Reg. 6. *Itinere vno gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, &c. Idem exemplo ſuo nos docent ſancti viri, quorum mira fuit in omni fortuna moderatio; quam vel ipſo corporis geſtu indicabant. Etſi namque proni interdum iacerent in terra, cùm nuntius alicuius cladis aduenerat, més tamen erecta erat. Vnde Ioſue qui pronus in terram corruerat, ea ſubmiſſione adorantis, & orantis formam exhibet. *Heu*, inquit, *Domine Deus, quid voluiſti* &c. Illud aduerte ex hiſtoria ſcholaſtica lib. de Ioſue cap. 5. quod Dionyſio Carthuſiano non diſplicet, non ſolùm ſciſſa veſte, & capite conſperſo puluere Ioſue, ſed etiam ipſum, & ſeniores ſaccis indutos humili geſtu, Deum oraſſe. *Nec dubium*, inquit Dionyſius, *quin & reliquus populus, imò & mulieres quoque & paruuli ac puellæ ætatis adultæ Dominum feruidè inuocabant*, &c. Humili geſtu, & habitu exemplo Ioſue omnes Iſraelitæ ſine diſcrimine ſexus, aut ætatis ad preces profuſi ſunt. Quid non impetraret tanta demiſſio ducis; & tanta omnium ordinũ in eadem vota conſenſio?

Animus in dolore mortis pœna turbatus.
Gen. 37.
Tres & viginti annos lacrymas fudit Ioſeph quem putabat mortuum.
2. Reg. 19.
2. Reg. 13.
1. Reg. 6.
Non ſolùm Ioſue ſaccis induta & puluere conſperſus orauit, ſed etiam ſeniores maiores, & infantes.

Verſ. 7.] Et dixit Ioſue: Heu Domi-
8. ne Deus, &c Vtinam vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordané,
9. &c. Audient Chananæi, &c. & delebunt nos. Quid facies magno nomini tuo?

Explicatur oratio, qua Ioſue pronus in terram cadens, Deum alloquutus eſt.

ANNOTATIO IIII.

Significationes particulæ heu

1. IN ſuaſorio dicendi genere verſatur hæc oratio. Nititur namque Ioſue Deum ad miſericordiam inflectere; gemitu, querela, & duplicis incommodi, quod timeri poteſt commemoratione. Primò gemitum edit ab imo pectore dicens: *Heu Domine Deus.* Interiectio, *heu*, quamuis aliquando exprobrantis ſit, dolentis eſt hoc loco Græcè, ὤμοι, ſicut apud Plaut. *Heu mihi, nequeo, quin fleam.* Item; *Heu miſero mihi! ſi ille abierit, meæ omnes dicant eſſe ignauiæ.* Pro eodem etiam dicimus, *Eheu.* Huiuſmodi vocibus, quæ ſigna ſunt doloris, & cum gemitu proferuntur, exprimimus peracerbum doloris ſenſum: qualis fuit ille, quo Deus ad pietatem commotus filios Iſrael ab Ægypto educere decreuit, vt ſignificatur Exod. 2. *Poſt multum verò temporis mortuus eſt Rex Ægypti, & ingemiſcentes filij Iſrael propter opera, vociferati ſunt: aſcenditq́; clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorum, & recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham,* &c. Gemitus innocentum, & eorum qui iniuria laceſſiti ſunt audiri à Deo teſtatur Iob. cap. 24. *De ciuitatibus,* inquit, *fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit, & Deus inultum abire non patitur,* &c. Eò, inquit, peruenit tyrannorum & diuitum quorundam iniuſtitia, vt non ſolùm impij in ſecretis actibus fuerint, ſed etiam in publicis. Multos enim in mediis vrbibus perculſos & oppreſſos fecerunt gemere, & de iniuria illata conqueri. Sept. intelligunt ſignificari eiectionem à domo, & à ciuitate: ijdem animas vulneratorum clamare compulſas, pueros interpretantur: parentum mortem, & orbitatem ſuam lugentes: ſic enim legunt. *Anima paruulorum in gemitu valdè fuit.* Philippus ita exponit: *vulnerati non ſolùm intelligendi ſunt, quorum corpora telis transfodiuntur; verùm etiam illi, quorum animæ hoſtium timore nimio velut gladio feriuntur.* Hæc ille. Poſcunt gemitus, imò & ſanguis eorũ, qui iniuſtè læduntur, accelerationem diuinę vindictæ, quaſi tardo inceſſu gradientis. Audit hos gemitus auris zeli, cap. 1. vt & pauperibus operã afferat, & oppreſſoribus vltionem. Addit Iob. *Et Deus inultum abire non patitur:* Hebraicè legitur; *Deus non ponit inſulſum*, vt ſenſus ſit: Deum nihil relinquere in mundo: ſine ſalè iuſtitiæ, & vltionis, quamuis ſupplicium condignum in extremũ interdum reſeruet iudicium.

Cicero in Milone.

In Merc. Plaut.

Exod. 2.

Gemitus innocentum à Deo auditur.

Iob. 24.

70. Interpr.

Philippus.

[Po]ſcit ſanguis [in]noſcentum [à De]o vindictã.

2. Plutarch. differens de ſera numinis vindicta, ipſam ſceleris conſcientiam pœnam eſſe deputat. Vt primum, inquit, quis improbè egit, iam obſtrictus pœnæ tenetur, & ſuauitate flagitij, veluti eſca illico deuorata, conſcientiam intus vrgentem, plectentémque habet. Hoc qui neget, perinde eſt ac ſi piſcem, qui hamum vorauit, negemus captum, antequam à coquis aſſatum, aut in fruſta conciſum videamus. Sic, qui hac vita captiuus detineatur, tanquam in carcere vnde migrare, aut effugere non poſſit, fune ſuper capite pendente, &c. Huc pertinet illud Pſal. 31. *In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te,* &c. Itaque frenati reatu culpæ ſunt, qui peccarunt, fune tandem ſuſpendendi, niſi reſipiſcant. Refert Plutarch. in Cleomene apud Ægyptios, eos de quibus erat ſupplicium ſumendum, funem ad collum innexum ore frenato, ante geſtare conſueuiſſe, quam pœnas luerent. Idem obſeruatum a Medis, & Perſis tradit Herodotus lib. 3. Ad hanc conſuetudinem reſpexit Chryſoſt. hom. 4. ſuper illud Iſaiæ 6. *Vidi Dominum: Iure,* inquit, *damnatos poſteaquam ſ[...] ac ceperunt adductum funem ore geſtamus.* Ah miſeri, qui ſcelere admiſſo pendentem ſupra caput funem, quia alligatio differtur, non ſentiunt: Ægyptij Reges eos, qui interficiendi cauſâ in carcere tenebantur, pridie quàm interficerentur cœna & munuſculis ex Regis aula miſſis recreabant, vt Plutarch. ſcribit. Quid ſunt illecebræ veſtræ, ô diuites, quid voluptates, niſi miſſus quidam, quibus vos diuina iuſtitia donat antequam moriamini? Cernite ea, quæ in vita habetis ornamenta ex lucro illicito, & pauperum rapina faſces eſſe, quibus eſtis comburendi. *Solue,* inquit Iſai. 58. *faſciculos deprimentes:* quibus ſcilicet ipſi oppreſſores tanquam lignorum faſciculo accenſo comburẽdi ſunt, in anathema ſiue ſacrificium diuinæ iuſtitiæ ingemit ſub hoc faſciculo Dauid, Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Auguſt. legit. ſicut faſces grauatæ ſunt, &c. Ex peccatis namque omnibus, atque rapinis non faſciculus, ſed faſcis conficitur ingens, qui damnationis materiam præbeat.

[Pſa]lm. 31.

Plutarchus.

Supplicio ſumendi funem ſecum ore geſtabant.

Hebraice Herodotus.

Chryſoſt. Plautus.

Ægypti Reges [...]

Iſai. 58.

Pſalm. 37.

Auguſt.

3. Proſternat ergo ſe coram Deo, exẽplo Ioſue, non ſolùm, qui ſupplicium videt illatum, ſed etiã qui timet ne ob ſcelus aliquod ipſi ignotum graue ſibi & aliis à numine irato, damnum accedat. Neſciebat Ioſue, quid ſceleris patratum eſſet; interim verebatur, ne fortè ipſe in aliquam incurrerit Dei offenſionem: Sic Regius vates, Pſalm. 118. *Aufer,* inquit, *à me opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum.* Quæ verba enarrans Ambroſ. *non obſcurè,* inquit, *dictum; ſed explanauit Apoſtolus quod hic videbatur obſcurum, vbi ait: Nihil quidem mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Sciebat enim ſe eſſe hominem, & ſibi cauebat, vt poterat, ne poſt ſuſceptam baptiſmi gratiam peccaret: ideòque delicti conſcius ſibi non erat: ſed quia homo erat peccatorem ſe ſuſpicabatur, ſciens vnum eſſe* IESVM *hominem verum, qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus in ore eius dolus, ipſum ſolum iuſtificari, qui alienus eſſet à lapſu. Similiter ergo propheta, volebat auferri opprobrium, quod ſuſpicatus eſt; vel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licet abolitum, ſuſpectus tamen erat ne fortè adhuc maneret eius opprobrium, & ideò Deum precatur, vt illud auferat, qui ſolus nouit, quod neſcire poteſt etiam ipſe, qui fecit,* &c. Aggrediatur ergo ad diuinas preces noſter Ioſue, & ante omnia ingemat, ſeque ipſum affligans, quod dubitet an aliquid in animo habeat, quod diuinis oculis diſplicuerit, clamet, *Heu Domine Deus*, paratum ſe ad luendum ſupplicium oſtendat, ne pœna ſæuior opprimat Iſraelitas. Nam clades accepta, veluti inchoatio fuit futuræ pœnæ, niſi culpa ſceleris authore oppreſſo, obliteraretur.

Pſalm. 118.

Ambroſius.

1. Cor. 4.

1. Petr. 2.

4. Secundò, gemitum conſequitur querela, in qua nullam, vel venialem culpam ineſſe ille perſpiciet, qui non verba ipſa, vt Lyranus & Abulenſis, huius opinionis authores, ſed pectus, vnde verba promuntur conſiderauerit. Ita enim vir ſanctus Deum alloquitur, vt populi potiùs querelam, quàm ſuam explicet, dum ait: *Heu Domine Deus! quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhei, & perde-*

Lyranum Abulenſ.

Verba Ioſue nihil continet vitij, ſi mentem conſideres.

reſvm-

reſ? vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem. &c. Mauult ſine peccato manſiſſe trans Iordanem, quam cum peccato, quod occaſionem dederit metendi diuinam vltionem tranſiſſe. An diſplicet Deo dolor, qui in peccatum commiſſum ita inuehitur, vt id infectum optet? certè Iobo ſine peccato licuit dicere: *Pereat dies, in qua natus ſum.* Culpam quippe primigeniam conſiderauit. Et Ionas cogitabat ignominiam, quæ ſibi poterat impingi, quod Niniue poſt prædicationem, non ſit ſubuerſa, vt ipſe prædixerat, Deo ad clementiam per pœnitentiam inclinato cap. 4. vbi ſic ſcribitur; *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, & orauit ad Dominum, & dixit. Obſecro Domine nunquid non hoc eſt verbum meum cum adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem Tharſis. Scio enim quia tu Deus clemens, & miſericors es.* &c. Pro, *iratus eſt.* Sept. verterunt, *καὶ συνεχύθη*, id eſt, *& confuſus eſt*: timuit enim ſe mendacem prophetam habendum eſſe. Hebraicè tamen eſt חרה, quæ vox, *iram* ſonat. Pro, *obſecro*, Hebraice eſt, אנה: quam vocem Hierony. interiectionem eſſe interpretatur deprecantis, quæ exprimat blandientis affectum. Addit. *Quia igitur oratio eius dum ſe dicit iuſtè fugere voluiſſe, quodammodo iniuſtitiæ arguit Dominum, querelas ſuas obſecrationis exordio temperat.* Hæc ille. Commendant viri ſancti huiuſmodi querelis Dei miſericordiam interdum, interdum iuſtitiam, de quibus virtutibus laudari vult ab hominibus. Miſericordiam commendat Ionas dicens; *Numquid non hoc eſt verbum meum.* &c. ac ſi dicat; Num feſellit me mea coniectura? Tu cùm ego in Iudæa eſſem, iubebas me. Niniuitis interitum prænuntiare: Ego recuſabam: præ diuinans te precibus, & pœnitentia flexum iri, ne id faceres, cur me prophetare vis, quod non facies? Iuſtitiam verò Ioſue; qui ſuſpicatus peccatum aliquod cauſam eſſe damni accepti; dolens poſt tranſitum fluuij patratam eſſe culpam diuinæ vindictæ prouocatricem; ait: *vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem.*

5. Huiuſmodi querelas, anxius ſæpe dolor comitatur, & optatio mortis; vnde Ionas. *Et nunc Domine, tolle quæſo animam meam à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Et Elias 3. Reg. 19. preſſus ærumnis, ait: *Sufficit mihi Domine, tolle animã meam neque enim melior ſum, quam patres mei.* & Tob. cap. 3. *Et nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. Expedit enim mihi magis mori, quàm viuere.* Excuſat quidem Ionam à peccato Theophy. *Forſan, inquit, cupiam puſillanimis propheta videri queat, qui Deo ſua iudicia non permittat. Neque hoc fortè imitandum foret. Homo enim erat, idq; veteris teſtamenti, vbi & qui perfecti videbantur, imperfecti erant. Attamen non ſic fortaſſis puſillanimis eſt, vt animum deſpondeat: Non enim hoc pro ſua gloria, ſed pro gloria Dei facit, ſiqui dem illius gratia, & donum propheta eſt quæ intercidente, Deus Iſrael, à gentibus vituperaretur.* Hieronymus etiam prophetam excuſat. *Non, inquit, contriſtatur (vt quidam putant) quod gentium multitudo ſaluetur: ſed quod pereat Iſrael,* &c. Theodoretus ait, Ionam vita defungi maluiſſe quàm cum ignominia viuere, verebatur námque, ne pſeudoprophetæ notã ſubiret. Quare vt egò puto, non dolebat de Niniuitarum ſalute, quaſi eos extinctos vellet, ſed de ſua ignominia, quàm tamen poſtponere debuiſſet tot millium ſoſpitati. Et quidẽ ſi in optatione mortis culpa non eſt, vt neque in optatione Eliæ, aut Tobiæ fuit, in hoc tamen aliquid culpæ ineſt.

6. Ioſue noſter non agit hic de honore ſuo, aut ignominia: ſed de diuini nominis gloria, quam imminui timet clade accepta; videtur mihi eo animo loqui, quo Regius vates, Pſalm. 130. Humilitatem & modeſtiam Deo oſtentans ait: *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Hoc eſt, vt interpretatur Genebr. Si non demiſſe ſenſi, ſicut infantulus, qui vix dum a mammis depulſus, in gremio matris eſt, ſed elato fui animo, vere mihi elationis mercedem Deus rependat. Chryſoſt. *Me Deus puniat, niſi humiliter & demiſſè de me ſenſerim, tanquam nuper ablactatus: ſiue à lacte ſubmotus puer, omnia à matre ſua expectans, quod ex ſe, nihil poſſit.* Hæc ille. De Iſraele ſibi commiſſo ſolicitus eſt Ioſue, ne de diuina ſpe deſperet: ac propterea illius proponit querelas, vt Deus fauorem rebus afferat afflictis, & ſperet Iſrael in Domino, Dionyſ. Carthuſ. enarrans hæc verba: *Vtinam vt cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem,* ſic ſcribit: *Quidam dicunt, quod Ioſue culpabiliter dixit hoc ex paſſione triſtitiæ; ſed, vt arbitror, melius dici poteſt, quod protulit verba illa, non optando abſolutè. ſed cum implicita conditione, videlicet, niſi ipſe Deus miſericorditer ſubueniret,* &c.

7. Tertio, ex duplici incommodo, quod timeri poterat poſt acceptam cladem, illud primo loco proponit: *Audient Chananæi inquit, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra.* Memor Ioſue promiſſionum, quibus Moſes quaſi lactauerat populum, quem eduxerat ab Ægypto contra exploratorum terræ promiſſæ dicta, timet, ne offenſus Deus permittat barbarorum manum valido exercitu in Iſraelitas inſurgere, & victores euadere. Quod & in Moſis, & in gentis Hebrææ redundabit ignominiam. Precatur ergo tacitè Ioſue vt belli aleam, in damnum Chananæorum & gentium barbararum, populo ſuo propitius conuertat. Dauid Pſalm. 82. hoſtibus Iſraelis exitium non tacitè, ſed nominatim precatur dicens: *Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus, quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput.* Hoc eſt; cum nullus ſit tui ſimilis, ne tace, néve quieſce. Rabbini, quamuis in Hebræo eſt, *Deus non ſimilis tibi*, malunt hic ſignificari ſilentium, vt propheta ter idem dicat, ad vehementiam. Ne ſilentium ſit tibi, ne tace. néve quieſce; inierunt inimici tui conſilium tumultuantes, & frementes contra nos. *Aduerſus ſanctos tuos.* Hebr. *Abſconditos tuos*, id eſt, quos tu ab hoſtibus protegis, ne illis ſint direptioni, Chald. in neutro intellexit, ſic legens. *Conſultarunt aduerſus abſcondita in theſauris tuis.* &c. vt res ſanctas, vaſa ſacra, non profana, neque vulgi manibus expoſita intelligantur.

8. Quanta in Iſraelitas ira debacchatæ ſint barbaræ nationes, declarat ille verſiculus. *Dixerunt, venite & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra.* Vbi aduertit Genebr. Mameſim impiorum, deperdendæ Eccleſiæ, ita, vt ne nomen ſuperſit, ſicut olim Chananæi delere Hebræos conati ſunt. Quod ſequitur vim impiam oſtendit, *Quoniam cogitauerunt vnanimiter. ſimul aduerſum te, teſtamentum diſpoſuerunt, tabernacula Idumæorum. & Iſmaelita. Moab & Agareni* &c. Teſtamentum diſpoſuerunt, id eſt, fœdus inierunt, aduerſum te, & tui nominis cultores. Hoc teſtamentum, inquit Geneb. videtur eſſe Alcoranus, quomodo lex Dei & Euangelium piorum ſunt teſtamenta. Ego quem-

Eſt diſplicentia peccatum & id quod peccandi præbuit occaſionem.

Iona 4.

Hieronym.

Ion. 4.

Querela Ionæ ad miſericordiã Dei refertur; Ioſue vero ad iuſtitiam.

Optatio mortis. Ion. 4.

3. Reg. 19.

Tob 3.

Theophyl.

Ionæ apud Deũ querela à peccato excuſatur.

Hieronym.

Theodoret.

In Ionæ verbis quid culpæ notari poſſit.

Pſalm. 130.

Genebrar.

Chryſoſt.

Sancti debent ſe tanquam ablactatos ſemper humiles præbere Deo.

Diony. Carth.

Pſalm. 82.

Sancti Dei ... Chald.

Genebrard. ...

Pſal. 82.

Diſpoſuerunt teſtamentum ...

Alcoranus eſt teſtamentum diſpoſitum ab impiis ſicut hereſiarcharum libri.

quemcumque tractatum ſiue Lutheri, ſiue Caluini ſit, ſiue cuiuſcunque hereſiarchæ, teſtamentum hic appellari puto, non ſolùm Alcoranum.

9. Audi imprecationem. *Fac illis ſicut Madian, & Siſaræ, ſicut Iabin in torrente Ciſſon. Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ.* Hoc eſt, dele eos vſque ad extinctionem ſicut Madianitas, & eorum principes. Gedeone pro populo Dei pugnáte, Iud. 6. & 7. & ſicut Siſaram ducem exercitus Iabin Chananæorum Regis, Debora, & Barac principatum obtinentibus, Iudic 4. & 5. Eſt autem Endor locus tribus Manaſſe, Iudic. 17. 1. Reg. 28. prope Ciſſon fluuium, in quo Siſara & Iabin, qui per 20. annos populum Domini vexerat; occiſi, & victi ſunt, Iud. 4. & 5. Sic, vt fœmina Siſaram clauo in caput infixo, occiderit. Eſt autem, (vt bene annotauit Genebr.) Hyſteron, Proteron: vltio námque Madianitarum, hac poſterior fuit annis quadraginta. Illud: *facti ſunt vt ſtercus*; idem eſt, atque manſerunt inſepulti, & quia nemo ſuperſtes fuit, qui illos tumularet, putrefacti Chald. *Facti ſunt, vt ſtercus conculcatum in terra.*

Iudic. 6. & 7.
Iudith 4. & 5.
Genebrar.

10. Quatuor deinde enumerat Madianitarum principes, quos verſu 9. præcedenti comprehenderat, dicens: *Fac illis ſicut Madian.* Hos cum innumerabili exercitu, maximis præliis confecit Gedeon, Iud. 7. & 8. *Oreb, & Zeeb* principum capita, ab Ephramitis præciſa, ad Gedeonem trans Iordanem ſunt delata, Iud. 7. *Zebee, & Salmana*, ab ipſomet capti, trucidatique ſunt. Similem optat exitum omnibus principibus, qui dixerunt: *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Addit quatuor ſimilitudines, quibus pœnæ impiis debitæ repræſentantur, idque cum quadam imprecatione. *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti: ſicut ignis, qui comburit ſyluam: & ſicut flamma comburens montes. Ita perſequeris illos in tempeſtate tua*, &c. Pro, *rota*, Græcè eſt, τρόχον. Perturba eos in modum rotæ, ne pedibus conſiſtant. *Galgal* ſignificat quidquid rotundum eſt, & volubile: vnde ſenſus eſſe poteſt, volue illos in modum trochi, qui à pueris torquetur, & ſcuticatur. Quod verò Græci τρόχον, Hebræi *Galgal* Latini *turbinē* vocant: de quo illud.

Pſal. 82.
Iudic. 7. & 8.
Galgal ſignificat rotam, vel turbinem.
Propertius.

Sic feror, vt per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

Chald. *Pone eos ſicut rotam, quæ voluitur, & mouetur, nec conſiſtit in decliui.* R. Kimhi pro, *ſicut ſtipulam*, &c. transfert, *Pone eos ſicut glumam, quæ per aerem vento rapiatur.* Turbina eos. Ignis autem quando à vento flabellatur, magno impetu, & ardore abſumit, quam corripit ſyluam, præſertim ſi vehemens eſt, *furitq; immiſſis Vulcanus habenis.* Comburuntur aliqui montes flamma & viſceribus terræ ſulphureis, ita erumpente vt nemo poſſit incendium extinguere, aut prope accedere, vt olim Ætna, Veſuuius, Pyrenæi.

11. Ad hunc, inquit, modum perdes eos, *In ira tua*, id eſt, in turbine tuo. Nam *Supha*, turbo eſt, repétina ſcilicet tempeſtas, & ſpiritus auræ procelloſæ. Perſequeris eos tempeſtate veluti immiſſa, vt conſiſtere vſpiam non valeant. Quia verò Deus in pœnis non interitum quærit, ſed reſipiſcentiam, niſi quando impij ſunt inſanabiles, ſubiungit: *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.* Similes imprecationes ſubintelligendæ ſunt in verbis Ioſue, dum Chananæorum, & habitatorum terræ promiſſæ, qui Iſraeli exitium moliuntur, mentionem facit. Profectò, quos ait velle de terra nomen Iſraelis dele-

Pſal. 82.

A re; eos deſiderat ſibi numine propitio extremo mulctari exitio. Alterum incommodum ad imminutionem gloriæ diuini nominis pertinet; de quo peculiariter & ſeorſim, vt eruditionem aliquam veneremur, agendum eſt.

Verſ. 9.] Et quid facies magno nomini tuo, &c.

Quanti fiat à viris ſanctis diuini nominis gloria? & quodnam potiſſimum ſit nomen Dei magnum?

B

ANNOTATIO V.

1. CONFERT Ioſue hoc loco futurum euentum ex fama acceptæ plagæ, cum opinione quam rumor ſparſerat, poſt tranſitum Iordanis de potentia, qua Deus, vel ſolo nomine populum ſuum protegebat. *Quid facies*, inquit, *magno nomini tuo?* Ac ſi apertius dixiſſet, Quamuis nos deleri ab hoſtibus, parum ſit, varij quippe ſunt euentus bellorum, & incerti exitus, quando humanis ducimur conſiliis, non eſt tamen paruipendenda fama nominis tui magni, quæ ex huiuſmodi clade multùm lædetur. An ignotum eſt

Deus vel ſola nominis ſui fama populum protexit.

C Chananæis, nos ſub vmbra nominis tui ad poſſidendum hanc regionem ex Ægypto, per tot rerum diſcrimina, demigraſſe? Quomodo propriam famam defendes, qua iam vndique omnipotens, & Deus Deorum es, reputatus, niſi nos in promiſſa patribus ſceptra & triumphos reponas? Deiectio noſtra, in tui nominis, & gloriæ ignominiam redundabit. Dicent aduerſarij, eorum Deos contra te præualuiſſe. *Et quid facies magno nomini tuo?* Hoc Phinices cum Ioſue, hoc Eleazarum, hoc ſeniores, hoc fœminas virtute præcellentes, quæ præter Rahab in illo exercitu erant, identidémque repetiſſe credibile eſt.

D 2. En quanti faciunt viri ſancti diuini nominis amplitudinem? dolent acerbè illius famam, vel tantillum, apud barbaras gentes lædi. Quod accidit, cum iuſti ab impijs diuexantur. Idcirco regius Vates imprecatur pſalmo indicato, hoſtibus Iſraelitarum ignominiam; Sic enim fiet, vt nomen Dei quærant, agnoſcant, & admirentur. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* & infrà. *Et cognoſcant, quia nomen tibi Dominus: tu ſolus altiſſimus in omni terra.* In Heb. ponitur nomen tetragrammaton, quod transferri ſolet (vt annotauit Genebrardus) Dominus & interdū Deus, & cùm cætera ferè appellatiua ſint, hoc Dei propriū exiſtimabatur. Cæterùm iſtiuſmodi ſancta ſollicitudo vindicandi nomen Dei

Dolent ſancti vel tantillum minui diuini nominis famā.

Genebrard.

E à gentium iniuriis, tam frequenter in ſacra hiſtoria attribuitur patribus, vt opus non ſit exempli vti ſola nobis cordi eſſe debet eorum imitatio.

Nomen Dei tetragrammaton.

3. Hebraicè nomen tetragrammaton eſt, יהוה. Eius mira eſt vis & notatio. In templo ſolùm poterat pronuntiari, idque duntaxat expiationis die, & in ſolennibus benedictionibus, quarum formula, Num. 6. præſcribitur, vt Genebrardus tradit ad finem comm. in Pſal. 82. Alioqui religionis, & venerationis cauſa erat ineffabile, nec fas erat cuipiam in communibus negotiis, aut

Num. 6.
Nomen Dei tetragrammaton in templo ſolū pronunciari & in ſolennioribus benedictionibus, mos fuit.
Genebrard.

profanis colloquiis illud efferre, vel etiam ſcribere. Quod etiam nunc hodie Iudæi conſtanter obſeruant, loco eius legentes modò Elohim, modò Adonai, pro diuerſitate punctorum. Atque, vt omnis remoueatur ſuperſtitionis ſuſpicio, certum eſt, ſanctiſſimos quoſque viros, id ſemper obſeruaſſe. Nam D. Hieronymus Hebraicè ſatis ſciens, & Sept. Interpretes, cæterique ferè magni nominis expoſitores, Exod. 6. pro, יהוה. legunt Adonai. *Nomen meum Adonai non manifeſtaui eis.* Quis ergo non exſibilet quoſdam hæreticorum fæce madentes, qui nominis Dei maieſtatem hodie profanare audent; & pro ineffabili nomine Ioua, vel Iehoua reponunt; vocabulum nempe nouum, fictitium à religioſis auribus abhorrens; & quod Iouem redoleat Gentilium.

Elohim. Adonai.

Exod. 6.

4. Ioſue ergo præ reuerentia nomen Dei magnum, & ineffabile non nominat; gloriam tamen illius ſibi animo, & oculis obſeruari teſtatur. Quod autem hoc nomen intelligat, inſinuat ſcriptura in verbis ſequentibus: *Dixitq́; Dominus ad Ioſue*: Nam loco Domini in Heb. eſt *Iehouah*. Ac ſi dicat ſacer hiſtoricus: Deus reſpondit Ioſue, præferens nomen tetragrammaton, quo declaratur potentia diuina, qua omnia gubernat, & ſuos à periculis liberat.

5. Porrò decem enumerat D. Hieronymus Dei nomina in ſcripturis paſſim vſurpata, in epiſtola 136. ad Marcellam, *Primum*, inquit, *nomen Dei eſt* אל. El, *quod Sept. θεὸν, id eſt, Deum. Aquila, ἐτυμολογίαν eius exprimens ἰσχυρὸν. id eſt, fortem interpretatur. Deinde Eloim & Eloe, quod & ipſum, Deus dicitur. Quartum Sabaoth. quod Septuaginta, virtutum, Aquila exercituum tranſtulerunt. Quintum Elion, quod nos excelſum dicimus. Sextum Eſer Eheie, quod in Exodo legitur. Qui eſt, miſit me. Septimū Adonai, quē nos Dominū generaliter appellamus. Octauum,* יה. *Ia, quod in Deo tantùm ponitur, & in Alleluia. Extrema quoque ſyllaba ſonat. Nonum tetragrammaton, quod ἀνεκφώνητον, id eſt, ineffabile putauerunt. quod his literis ſcribitur* י. *iod,* ה. *he,* ו. *vau,* ה. *he Decimum quod ſuperiùs dictum eſt,* שדי. *Saddai, & in Ezechiel interpretatum ponitur. Scire autem debemus, quod Eloim communis numeri ſit, quod & vnus Deus ſic vocetur, & plures; ad quam ſimilitudinem cœlum quoque appellatur & cœli, id eſt,* שמים *Samaim vt & ſæpe interpretes variant; cuius rei exemplum nos in lingua noſtra habere poſſumus, Athenas, Thebas, Salonas.* Hæc ille.

Hieronym.

Decem Dei nomina in ſcripturis paſſim vſurpata.

6. Non poſſum mihi temperare, quin hoc loco eorum inſaniam, vel potiùs hæreticam phreneſim euulgem, qui dicunt Canticum Canticorum non eſſe librum ſacrum, ſed profanum, quia in eo nuſquam aliquod prædictorum nominum; quæ paſſim in aliis libris inueniuntur, reperiamus. Philoſophantur namque Salomonem, eo id feciſſe conſilio, quia noluerit in carmine amatorio ſanctiſſimum Dei nomen immiſcere, ne legem violaret, quæ in vanis ſermonibus, aſſumere Dei nomen vetaret. Ah miſeri! præ cæcitate, diuini Solis, lucem non vident. Accommodat ſe Deus, & maieſtatem ſuam quodammodo attemperat in Epithalamio, quo myſticam ſponſam, tandiu oſcula ſponſi diuini expectantem alloquitur. Terrebat olim antiquam ſponſam, hoc eſt, Iſraeliticam Eccleſiam nominibus maieſtatis; Idcirco Eccleſiam nouam, dilectam ſibi ſponſam aliter affatur. Pro omnipotente pacificum, & paſtorem ſe vocat. pro Domino, fratrem amicum, dilectum, ſponſum; Pro robuſto, ac forti, vulneratum; Pro Deo, ſabaoth, hinnulum ceruorum. omnium pulcherrimum totum deſiderabilem, & amabilem; Pro ineffabili, vnguentū effuſum, faſciculum myrrhæ. botrum Cyprium. At ſponſam, non vt olim ſynagogam increpat, quod ad idola abierit. *Pater tuus*, inquit, *Amorrhæus, mater tua Cethæa, non eſt præciſus vmbilicus tuus*, &c. Non filiam Sion, non ancillam, non ſeruam vocat; ſed ſororem, amicam, columbam, dilectam vnicam, mulierum pulcherrimam. Quis ergo niſi inſaniat non videt, cur in Cantico Canticorum abſtinuerit Spiritus ſanctus à nominibus diuinis?

Cur in Cantico Canticorum Dei nomen non apponatur.

Deus in Cantico Canticorum maieſtate depoſita ad ſponſæ captum ſe accommodat.

Ezech. 16.

Verſ. 9.] Et quid facies magno nomini tuo?

Quid ſentiant Hebræi de nomine Dei magno tetragrammaton?

ANNOTATIO VI.

1. NOMEN Dei tetragrammaton, quod per excellentiam ſanctiſſimus Ioſue magnum vocat, multa cōtinet, quæ à Rabbinis doctioribus traduntur; & à noſtris nō parui fiunt. Quadripartita ergo eſt ratio nominum, quæ Deo conueniunt. Quædam, vt eſſe Patrem. vel genitorem, & filium, vel genitum, & verbum; aut procedentem ex patre, & filio, de Deo dicuntur, propter diuinas operationes ad intra. Alia Deo tribuuntur, propter quandam illius ad creaturas relationem. ſecundùm aliquod cauſalitatis genus, quo creaturis communicatur; vt eſſe creatorem, gubernatorem, dominum, & conſeruatorem. Tertiò dicuntur quædam de Deo, per remotionem imperfectionum, quæ ſunt in creaturis, vt eſſe immenſum, immutabilem, infinitum, incorporeum. Quartò, nonnulla vocabula denotant in Deo certam aliquam perfectionem, vt eſſe potentem, iuſtum, ſapientem.

Quadripartita nominum Dei diuiſio.

2. Ex his omnibus, nomen tetragrammaton, vt Hebræi docent, præſtantiſſimum eſt; imò fundamentum cæterorum nominum. Significat nāque ipſum eſſe. prout in ſeipſo eſt per ſe ſubſiſtens, independens, infinitum. & cum ipſa Dei eſſentia idem: ac propterea nulli rei alij communicabile eſt. Quare ſicut eſſentia Dei eſt incomprehenſibilis homini, ita vocabulum hoc eam ſignificans, ineffabile eſt, & ſecundùm vim, & notionem ſuam minimè comprehendi valet; vt meritò de illo intelligi ſoleat; Illud Prouerb. 30. *Quod eſt nomen eius, & quod nomen filij eius. ſi noſti?* Vnde, ſicut in hac vita, nomen hoc propter inſitam maieſtatem reticeri debet: ita poſt mortem, in cœlis, hoc præcipuè vocabulum beatis in ore erit, eóque nominabitur, laudabitur, & celebrabitur Deus; iuxta illud Zachariæ vlt. *In die illa erit Dominus Rex ſuper omnem terram, & erit Dominus vnus, & nomen eius vnum.*

Nomen Dei tetragrammaton, omnium eſt præſtantiſſimum.

Prou. 30.

Zachar. vltim.

3. Docent præterea Hebræi, huius vocabuli compoſitionem conſtare litteris flatus, & quietis. Ea propter eo indicari verum Deum, qui ſolus ſuppeditat flatum. & omnia viuificantem ſpiritum, vt à Daniele cap. 5. dictum eſt Regi Balthaſari; *Deum qui habet flatum tuum in manu ſua, non glorificaſti.* Et alibi dicitur tribuere ſpiritum

Compoſitio nominis Dei ex litteris flatus, & quietis.

Dan. 5

tum omni carni. Habet etiam hæc vox literas vt vocant quietis; quo ſignificatur in ſolo Deo veram quietem, & perfectam ſitam eſſe, hoc eſt, æternam felicitatem; Neque animum hominis poſſe in vllare, præter Deum, quietem habere, Pſalm. 114. *conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

Pſal. 114.

4. Tertiò, in ipſo nomine tetragrammato, myſterium Trinitatis implicite contineri, ex Rabbinorum aſſertionibus tradit Galat. lib. 2. cap. 10. 11. &c. Nam quidam Doctor Hebræus prodidit, id nomen ſicut ab Hebræis ſcribitur, ſignificare Deum generantem: Et quia Deus generans eſſe non poteſt ſine genito Deo; ex eo concluditur patris & filij conſubſtantialis diuinitas. Ex generante autem Deo, & genito Deo, procedit mutuus, conſubſtantialis & coæternus amor, vt compertum eſt. Atque adeò tota Trinitas myſticè in nomine Dei tetragrammato in uoluitur.

In tetragrammato continetur myſterium Trinitatis. Galatin.

5. Quartò, nomen tetragrammaton, appellant Hebræi. *Sem-hamephoras*, id eſt, nomen expoſitum abſolutè. Cùm enim nomen hoc vt reuera eſt, enuntiare in vulgus, religioni verterent, per alia, id nomen exponebant; quorum vnum appellabatur nomen duodecim literarum: alterum quadraginta duarum. Non quod vocabulum aliquod ſimplex tot literis coagmentari poſſit; ſed quia complexio multorum nominum, ex huiuſmodi literarum numero conflata, rectè exponere videretur illius ſacri nominis ſignificatum; Quoties ego Rabbini populum docere volebant, nominis, quod proferre nefas erat, occultam vim & notionem; nomine duodecim literarum ita exprimebant, vt Latinè fit, quod hæc vocabula reddunt. Pater, Filius, Spiritus ſanctitatis. Nomine verò 42. literarum. Pater Deus, Filius Deus, ſpiritus ſanctus Deus; verum non tres Dij, ſed vnus Deus.

Nomen Iehoua cur dicatur nominibus duodecim. Et 42. literarum exponi?

6. Quintò, Rab. Moſes, quem citat Galat. loco indicato, ita de hoc nomine loquitur. *Nullum eſt apud nos nomen, quod non ſit deriuatum, præter tetragrammaton, ſiue nomen expoſitum. Neque aliud eſſe credas, quàm iſtud. Neque pertranſeant cor tuum ſcribentium breuia, & ea, quæ fortè ab eis audiſti; vel in eorum libris vaniſſimis inueniſti, delirantium nomina quædam, ab eis compoſita, & nihil penitus ſignificantia. Quæ diuina nomina vocant; dicúntque quod magna ſanctitas, atque munditia ſit, ad effectum conſequendum neceſſaria, & quod poſſibile ſit homini cum huiuſmodi nominibus miracula facere. Non enim decet prudentem hominem has vanitates atque inſanias audire, ne dum credere. Nec eſt aliud aliquod nomen, quod hammephoras, id eſt, expoſitum vocetur, niſi hoc glorioſum quatuor literarum nomen, quod cum literis ſuis minimè legitur. Dicebatur autem in ſanctuario, ſicut ſcriptum eſt. In ciuitate verò ſecundum, quod pronuntiatur, hoc eſt pro eo dicebatur, Adonaj. Dictum quoque eſt in Talmud ſuper illud*, Num. 6. *Sic benedicetis filijs Iſrael; ſic id eſt, cum eius pronuntiatione. Docet autem quid ſit dicendum, quod ait. Et ponite, vel nominate nomen meum vnicum, ſcilicet mihi. Ecce expoſitum eſt ibi; quod Sem-hemmephoras ſit nomen quatuor literarū. Et quod ipſum ſolum creatoris ſubſtantiam abſque miſtura, & ſignificatione alia ſignificet atque oſtendat.* Hæc Rab. Moſes ben Maionon.

R. Moſes.

Iudæorum blaſpema amulira.

Nomen expoſitum quale?

Num. 6.

7. Sextò, docent Hebræi vltimum ſacerdotum, qui in templo pronuntiauit nomen Dei magnum, fuiſſe iuſtum Simeonem, qui (vt dicitur Luc. 2.) accepit in vlnas ſuas puerum IESVM a virgine oblatum. Poſt illud verò tempus, nunquam fuiſſe aiunt nomen tetragrammaton pronuntiatum: nec reſcire Iudæos propriam & legitimam illius pronuntiationem: ideoque eorum inanes eſſe precationes, nec à Deo exaudiri. Sperant tamen fore vt Meſſias, quem cæci venturum credunt, populum ſuum nomen illud doceat, ſicut vaticinatus eſt, Iſaias 22. *Sciet populus meus nomen meum.* Tunc verò ſublimandum ſperant populum Iudaicum iuxta illud. *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Non deſunt inter Chriſtianos ſcriptores, qui putent hoc eſſe nomen, de quo Dominus dixit ad Deum patrem ſuum, Ioan. 17. proximè antè mortem. *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Atque hanc manifeſtationem fuiſſe factam cum ſacræ Trinitatis myſterium eo nomine implicitè contentum aperte & expoſite declaratum fuit Matt. vltimo cum diſcipulis dixit. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

S. Simeon vltimus, fuit ſacerdos, qui in templo nomen Dei magnum pronuntiauit. Luc. 2.

Iſai. 22. Nominis Iehoua Iudæi ſperant rectam pronuntiationem ſe audituros tempore Meſſiæ.

Ioan. 17.

Matt. vlt. Manifeſtaſſe Chriſtum ſignificationem nominis Iehoua, aliqui putant.

Cur pro magno nomine ſiue tetragrammaton, ponatur Exod. 6. Adonai, cùm dicitur: Et nomen meum Adonai non indicaui eis.

ANNOTATIO VII.

1. QVÆRI ſolet, qui cauſæ ſit, cur Latinus interpres, Exod. 6. cùm pro Adonai. Hebraicè ſit nomen tetragrammaton; hoc omiſſo; illud repoſuerit, quod diuerſum eſſe paulò antè annotauimus, Duæ aſſignari poſſunt cauſæ. Vna eſt, Latinum interpretem ſecutum in ea re 70. qui pretermiſſo nomine quatuor literarum; loco eius verterunt Græce, ΚΥΡΙΟΣ, hoc eſt, *Dominus*. Idem autem ſignificat Hebraicum vocabulum *Adonai*. Altera eſt, voluiſſe eum retinere communem Hebræorum morem ab antiquis ductum temporibus, non audientium nomen tetragrammaton ob ſumam illius reuerentiam, aut pronuntiare, aut ſcribere; ſed loco illius adhibentium, *Adonai*, vel *Elohim*. Vnde, Galat. lib. 2. cap. 9. Ex Thalmudiſtis, & Cabaliſtis refert hæc verba: *Dixit Abba Saul. Qui pronuntiat ipſum nomen quatuor literarum, vt ſcilicet literæ eius ſonant, non habebit partem in ſeculo venturo. Ea propter vbicunque nomen illud reperiebant, ipſum minime proferre audebant, ſed loco eius Adonai pronuntiabant. Sacerdotes tamen illud, vt ſcriptum eſt, proferebant, dum populo in ſanctuario benedicebant. Non enim extrà ſanctuarium ineffabile, affari licebat.* Hæc ille. Vocat nomen ineffabile quod propterea Græcè iuxta Hieronymum ἀνεκφώνητον, dicitur; ſecundùm Theodoretum ἄφραστον, ſecundùm Damaſcenum ἄρρητον. Eſt ergo, vt verbum verbo reddam ineffabille, indicibile, & eloquio inexplicabile. Quod accidere poteſt, vel quia literæ ex quibus componitur nullam exprimunt articulatam vocem, vel quia ſignificat diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt; quo pacto, nec verbis explicari; nec mente comprehendi valet. Aut denique, quia voluit Deus, ea reuerentia maieſtatem ſuam in hoc nomine celebrari, & coli. Vnde ex Rab. Moſe refert, Galat. lib. 2. cap. 9. hæc verba. Mandatum eſt nobis, Num. 6. cap. à ſacerdotibus benedici, & ibi

Exod. 6.

Ob reuerentiam nominis Iehoua loco illius reponunt interpretes Adonai vel Dominum.

Galatin.

Abba Saul.

Iehoua Sacerdotes in Sanctuario proferebant dum benedicebant populo.

Theodoret. Damaſcen.

R. Moſes. Galatin.

Num. 6.

& ibi eſt nomen Domini ſecundùm eius propriam ſcripturam,& ipſum eſt nomen Dei expoſitum, &c. Hæc autem benedictio cum nomine Dei quatuor literarum, quæ cum tribus digitis ambarum palmarum erectis,& duobus depreſſis fiebat ad deſignandam diuinarum perſonarum Trinitatem per ipſum nomen ſignificatam in Simeone iuſto penitus defecit,vt idem Rab.Moſes teſtatur, 61. cap. lib. More. *Ex quo*, inquit, *mortuus fuit Simeon iuſtus, ceſſauerunt fratres eius ſacerdotes, ſcilicet cum nomine Dei quatuor literarum populo benedicere. Erant autem poſt ipſum cum nomine duodecim literarum benedicentes*, &c. De prolatione huius vocis ſic idem ſcribit.*Cùm hoc nomen in ſanctuario, & populi benedictione proferretur, non erat omni homini notum, quonam pacto pronuntiaretur,aut cum qua vocali, vnaquaque eius litera ſonum redderet, &. vtrum oporteret aliquas earum duplicari, an ſimpliciter ſiue leniter proferri. Erant autem viri ſapientes ſignificationem ipſius nominis, modúmque prolationis ab inuicem recipientes. Quæ neminem docebant, niſi diſcipulum ipſis dignum, & ſemel dumtaxat in hebdomada.* Hæc ille.

Solemnitas benedictionis ſacerdotalis.

Hebræi non omnes rectè pronunciationem ſcibant ſed ij tantum qui didicerant.

2. Atque hæc eſt potiſſima cauſa, cur magnum Dei nomen à Latino interprete prætermiſſum ſit, & per, Adonai,reditum Exod. 6. cum dicitur. *Ego Deus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis*, &c. Deus quippe, qui trinus, & vnus eſt, & omnino ineffabilis atque incomprehenſibilis, per nomen tetragrammaton, cap. 6. Exod. in fonte poſitum ſignificatur. Nomen verò, quia Deus ineffabilis eſt, ineffabile cenſetur. Idcircò antiquiores Rabbini à Moſe edocti ad deſignandam diuinæ Trinitatis, & vnitatis ineffabilitatem, ſtatuerunt hoc nomen minime proferri,ſed vbicunque inueniretur loco eius nomen hoc אדני, *Adonai*,quod Dominum ſignificat pronuntiari debere. Quamobrem, vbicunque hoc nomen occurrit Deum aut Dominum interpretamur. Ob hanc etiam Dei ineffabilitatem dixit Rabbenus Haccados ſanctiſſimus, inter Hebræorum doctores habitus, Deum ipſum non habere nomen, cuius nos cognitionem habere poſſimus.Quod Mercurius quoque Trimegiſtus affirmat his verbis, ὃς ὁ ὢν ἀνώνυμ☉, id eſt, *eſt enim, qui eſt abſque nomine*: Et rurſus de huius nominis ineffabilitate οὗ τ. ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ ςόματι λαληθῆναι, hoc eſt, *cuius nomen non poteſt humano ore effari*; Et dæmon ipſe in Appolline Delphico, cuidam, quid Deus eſſet quærenti, ait. οὗ τὸ ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον: id eſt, *cuius nomen, nec verbo capiendum*, Hinc Ananus Iudæorum Pontifex, vt refert Ioſephus de bello Iudaico lib. 4. in concione, quàm habuit ad populum gloriabundus dixit, ſe veſtimentum pontificale; Et omnium venerabilium Dei nominum ſanctiſſimum, & venerabiliſſimum, hoc nomen ineffabile geſtaſſe. Nec Iudæis ſolùm,ſed etiam ethnicis, venerationi fuit. Enim verò Alexander magnus poſt inſignes victorias,humi ad pedes Iaddi Pontificis procubuit (vt narrat idem Ioſephus, lib. vltimo Antiquit.)ſacroſanctum Dei nomen, quod in fronte Pontifex gerebat adoraturus. *Alexander*, inquit, *vt vidit à longinquo candidatum populum, & ſacerdotes ante agmen in amictu byſſino, Pontificémque in ſtola hyacinthina auro diſtincta, tiarámque in capite geſtantem,cum præfixa aurea lamina, cui erat inſculptum ſacrum Dei nomen ſolus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & ſalutauit Pontifi-*

Cur Exodi 6. pro Iehoua poſitum ſit Adonai.
Exod. 6.

Iehoua nomen Dei eſt ineffabile.

Rabbenus Haccados.

Mercurius Trimeg.

Ioſephus.

Nomē Dei quadriliterum venerationi fuit etiam gentibus. Ad pedes Iaddi Pontificis procubuit Alexander Dei nomen veneratus.

A *cem. Syriæ Reges, qui comitabantur Regem Alexandrum obſtupuerunt, vix eum credentes mentis compotem. Solus Parmenio propiùs accedens rogauit familiariter; Quid ita, cùm ipſe adoraretur ab omnibus,nunc adoraret Iudæorum Pontificem? At ille non hunc ſe adorare reſpondit, ſed Deo cuius Pontifex eſſet, honorem illum habuiſſe.* Hæc ille.

3. Quomodò autem pronuntiandum ſit nomen tetragrammaton variant ſcriptores.Irenæus appellare videtur, *Iaoth*,Iſidorus: *Iodiod*. Diodorus ſiculus, lib. 2. cap. 5. *Iao. Apud Iudæos*, inquit, *Moſes ab Iao, quem Deum, Iudæi inuocant acceptas leges dare præ ſe ferebat ſiue putans rem mirandam, ac diuinam maximéque mortalibus vtilem leges eſſe; ſiue vt Dei timore populi citiùs obtemperarent legibus*. Hæc ille. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 18. ΙΑΩΣ vocat. Conſultus enim Apollo, quis Deorum habendus ſit, qui vocatur, *Iao*, reſpondit.

Variè autem pronuntiant Dei nomen.
Irenæus.
Iſidorus.
B Diodorus.

Macrobius.

φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω, id eſt,
Summum cunctorum Diuum in dicito Iao.

Clemens quoque Alexandr. lib. 5. ſtrom. nomen tetragrammaton vocat, *Iao*. Siue Græcè Ἰαοὺ, vel fortè, Ἰαω. *Quin etiam*, inquit, *myſticum illud nomen tetragrammaton, quod his ſolis imponebatur, qui poterant ingredi aditum, dicitur, Iao, quod exponitur, qui eſt, & qui futurus eſt*, &c. Cæterùm Clementis interpres Gentianus, pro, *Iao*, vertit *Iehouah*. Autor quoque comment. in Pſalmum qui putatur D. Hieronym. exponens illud Pſal. 8. *Domine Deus noſter. Prius*, inquit, *nomen Domini apud Hebræos, 4. literarum eſt, Iod, He, vau He, quod propriè Dei vocabulum ſonat, & legi poteſt, Iaho, & Hebræi vocant ineffabile*. Poſterius autem nomen Domini eſt Hebraicè Adonai omnium commune, & quod ſæpe in hominibus ponitur; Vide etiam Theodor. quæſt. 15. in Exod. vbi ſcribit nomen tetragrammaton vocari à Samaritanis, *Iaue*; ab Hebræis autem, *Ia*.

Clem. Alex.

C

Gentianus.

D. Hierony. Pſ. 8.

D Theodor.

4. Quæret tandem aliquis, an nomen tetragrammaton ſit Iehouah. Fateor hoc tempore communem eſſe Hebræorum,& Hebraizantium opinionem, quam permulti etiam alij tuentur non aliter ſonare, neque aliter pronuntiari debere, quàm hac voce Iehoua, vel per contractionem, Ioua, pronuntiatur. Quo fit, vt plerique exiſtiment,hinc deriuatum eſſe nomē Iouis, pro ſummo Deo à gentilibus habiti. Vnde Aug. lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 22. *Varro*, inquit, *quo doctiorem apud ſe neminem inueniunt Romam, Deum Iudæorum Iouem putant: nihil intereſſe cenſens, quo nomine nuncupetur,dum eadem res intelligitur, credo illius ſummitate deterritus. Nam quia nihil ſuperius ſolent colere Romani,quàm Iouem eúmque Regem omnium Deorum arbitrantur; cùm aduerteret Iudæos ſummum Deum colere, nihil aliud potuit ſuſpicari, quàm Iouem*, &c. Ex quibus infertur,non idcircò Deum Iudæorum putari Iouem à Varrone, quod audiſſet, aut legiſſet ab ipſis appellari Iehouah, vel Iouem; ſed quia reſciuiſſet nomine Iouis intelligi à Romanis ſummum Deum,quem audiebat coli à Iudæis, nullo vocabulo ſibi cognito ſignificatum. Tantùm abeſt, vt paronomaſiam Iehouah,& Iouis comminiſceretur.Sunt qui putent ante centum aut paulo plures annos, in auditum fuiſſe nomen Iehouah; atque adeò vt nouitium, & vt minime reſpondens nomini tetragrammato reijciunt. Inter quos Cardinalis Bellarm. in exercitatione grāmatica ſuper Pſal. 33. explicans illa verba, *Benedicam Dominum in omni tempore*. Vbi pro vocabulo, *Dominum*,in

Quidam putarunt Iouem eſſe quem Hebræi Iehoua appellant
E Auguſt.
Varro.

Aliqui putant nomen Iehoua eſſe nouitiū, nec reſpōdere tetragrammato.

Bellarmin. Pſ. 33.

fonte

fonte eſt nomen Tetragrammaton, ſcribit, veram eius nominis pronunciationé eſſo omnino ignotam. Et idcircò eos, qui primi puncta vocalia reperetunt, cum eius vocis ſonum proprium neſcirent puncta ei aliena, id eſt nominis *Adonai* ſubieciſſe, eo nimirum conſilio, vt vbicunque legeretur nomen Tetragrammaton, per aliud nomen Dei ſonum illius redderemus. Quod autem puncta nominis quadriliteri, ſint ipſamet puncta nominis Adonai; & quod cum occorrerit nomen quadriliterum, legendum ſit Adonai, non autem Iehouah probat, quia ante Rabbinos punctorum inuentores Hebræi id faciebant. Et D. Hierony. ipſis antiquior, Exod. 6. pro nomine Tetragrammato, poſuit Adonai, vt diximus. Et Origenes in Tetraplis, atque ſexaplis ſuis in ea columna, in qua græcis literis Hebraicas voces ſcripſit, vbique pro nomine tetragrammato ſcripſiſſe fertur Adonai, & Sept. ΚΥΡΙΟΣ, quod eſt *Adonai*, pro tetragrammato vſurpant. Quid, quod nec Chriſtus, nec Apoſtoli recitantes ex veteri teſtamento loca, in quibus nomen tetragrammaton eſt, nunquam *Iehouah*, ſed *Dominum* pronuntiarunt. Licèt autem aliqui per *Iaho*, *Iaue*, vel *Iah*, exprimi poſſe crediderint: plures tamen ineffabile, & quod pronuntiari nequeat, *ἄῤῥητον* dixerunt.

Quando occurrit nomen quadriliterum, legendum eſt Adonai, cuius puncta, illi ſunt affixa.

Hieronymus. Exod. 6.

70. Interp.

5. Porrò contra eos, qui Ioua, & Iehoua, quæ vocabula Ioui ethnicorum affinia ſunt, vſurpare ſolent, inuehitur grauiter Genebrard. in epiſtola quàm præfixit editioni vltimæ in Pſalmos. *Nos*, inquit, *Chriſtiani à nullis Apoſtolis, & patribus didicimus, Deum vnquam ſic fuiſſe appellatum, etiam ſi olim Dionyſius, Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Maurus, Ioachimus, Abbas, noſtra memoria Reuchlinus, & infiniti alij integros libros de Dei nominibus Latinè, Græcèque ſcripſerint, atque Hebraicas voces ſuis formis expreſſerint.* Hæc ille, carpitque potiſſimum Theodorum Bezam, quod nomen Tetragrammaton in Iehouam transformet, & interdum in Iouam neſcio quem Deum, neque Iudæis neque Chriſtianis cognitum, vnáque literula à Ioue diſcrepantem, ſanè Auguſt. deplorat eorum errorem, qui cum Varrone credunt Deum Iudæorum, Iouem eſſe, & Genebrardus loco indicato Caluiniſticum dogma, ſeu potiùs venenum, latere in vſurpatione hac arbitratur. Ex dictis perſpicitur, cur Exod. 6. dictum ſit; *Nomen meum Adonai non indicaui eis.* Auguſtinus Eugubinus in ſcholio 2. ſuper cap. citato, pro, *nomen meum Adonai*, legit: *nomen meum tetragrammaton*, &c. excuſat tamen Hieronym. qui Hebræorum morem ſecutus eſt; Hi enim nomen illud diuinum, non ſua voce pronuntiant (vt ſæpius diximus) ſed aliena, ſcilicet Adonai. Dicunt enim id vel non poſſe, vel non conuenire proferri, ideóque etiam Sept. per aliud nomen ipſum expoſuerunt, ſcilicet [illegible], cum neque hoc etiam quadret. Hæc de magno nomine ſemel dixerim, ne cum occurrerit deinceps (occurret autem ſæpius) immorari cogamur.

Genebrard.

Deus nunquam Iouis nomine à Sanctis vocatur.
Dionyſius.
Hieronym.
Theod.
Rabanus.
Maurus.
Ioachimus.
Reuclinus.
Beza carpitur.

Lib. 7. de Ciuit. cap. 5.

Genebrard.

Eugubinus.

Hieronymus.

70. Interp.

Verſ. 10. 11.] Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.

Peccatum cauſam fuiſſe cladis Iſraeli illatæ, diuino oraculo agnoſcit Ioſue, & quàm deteſtandum ſit, & fugiendum omne peccatum.

ANNOTATIO VIII.

1. ADIECIT Deus oculos, & aures miſericordiæ ad humiliationem, & preces Ioſue: ac propterea quaſi illius mœrorem, nimiámque triſtitiam mitigare volens, ait, ſurge, cur iaces pronus in terra? Non propter te euenit hæc calamitas: non tibi ſuccenſeo; ſurge; non eſt cur, vel horam vnam ampliùs in luctu tranſigas. Cauſa illati damni peccatum eſt, cuius labes, ne contagione ſerpat, remedio efficaci quamprimũ obliteranda eſt. Summa rei eſt. *Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate*, &c. Oſtendit oraculum, nihil poſſe latere diuinos oculos, en occultiſſimum peccatum, ipſis manifeſtum erat. Vnde Oſeæ 5. ſe cognitorem eſſe affirmat, non ſolùm rerum, ſed etiam cogitationem. *Ego*, inquit, *ſcio Ephraim & Iſrael non eſt abſconditus à me: quia nunc fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſrael. Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum; quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt*, &c. Senſus eſt: ſcio, quæ opera faciant, occultari non poſſunt. Eo autem alludit, quod cum primum Ephraim idola colere cœpit, ſtatim reliquæ tribus impietatis eius fuerunt imitatrices. Fuit enim Hieroboam Ephramita, qui vitulos aureos propoſuit adorandos: ſic autem principes Ephraim corrupti erant, vt nouerit Deus, eorum animum obfirmatam eſſe in illa idololatria, & ab illa tribu in totum Iſrael deriuari eam contaminationem. Queritur autem Deus potiſſimùm de principibus, qui ſceleri velificabantur. *Vobis*, inquit, *iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor*, &c. Pro, *ſpeculationi*, in Hebr. לְמִצְפָּה, Hebraizantes certant, *Miſpha*, nomen eſſe montis, quemadmodũ, & *Thabor* & Rabbinos ſicuti aiunt, Hieroboam Regem Iſrael, turres in his duobus montibus ædificaſſe, & milites in eis collocaſſe qui populum impedirẽt, ne legitimis feſtiuitatum diebus Hieroſolymam peteret, eúntéſque trucidarent. D. Hieronym. tamen, populum ipſum, quem principes ſpeculabantur, & cuius curam gerebant, ſpeculationem vocari putat apud Mich. 7. ſuper illud, *Dies ſpeculationis tuæ* & Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 26. enarrans hunc Oſeæ locum: *Speculationem*, inquit, *appellat, ſubditam multitudinem, cuius curam principes habere debent; ſpeculatores enim, apud ſacras literas, ideò præſidentes populis dicuntur.* Hæc Cyrill. 2. Quicquid tamen ſit, Deus condemnat principes Ephraim, quod inſidientur, populo, & ſcelerum retibus multos implicent. Quare ſciat hominum genus, quicquid fit etiam occultiſſimè, imò ipſas mentis noſtræ cogitationes, non effugere diuinos oculos. Latere tua ſcelera homines poſſunt, Dei iudicis tui oculos non poſſunt. De quo Iſai. 29. *Væ, qui profundi eſtis corde, vt à Domino*

Oſeæ 5.

Principum malo exemplo corruptus eſt Iſrael

Miſpha nomen montis apud Oſeam 5.

Hieronym.
Populus, ſpeculatio cur dicatur?
Mich. 7.
Cyrillus.

Nihil latere poteſt Dei oculos.

abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio &c. Videre autem ſe occultiſſimas cogitationes, ex earũ ſupplicio docet, cùm ait: Et reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius, &c. Theod. quæ. 9. in Ioſue, ait propterea ſeuerè punitum fuiſſe à Deo Achan, quia putabat perindè latere Deum, quæ ſurripuerat, atque homines. Addit voluiſſe quoq; Deum omnibus huius hominis ſupplicio incutere formidinem. Vt qui diuinarum legum ſunt cuſtodes coarguant, tranſgreſſores: alioqui infligendæ pœnæ erunt participes. Parum abfuit Achan, iuxta interpretationẽ Theodoreti ab ſtultitia eorum, qui dicunt *in corde ſuo non eſt Deus.* Deum, omnia videntem, qui non ſentit cum peccat, illius haud dubiè ferietur fulmine. Hoc ipſum Prouerb. 15. docemur. *Infernus,* inquit, *& perditio coram Domino, quantò magis corda filiorum hominum.* Vocat autem infernũ & perditionem præparatas peccantibus pœnas; quaſi ita à maiori ad minùs argumentetur Salomon. Cùm occultiſſimè peccas, adeò Deum non lates, vt ſimul ipſe pœnas videat, quas tibi pro ſcelere illo præparauit. Tu illecebra peccati adductus peccas, interea tibi infernus & perditio æterna parantur. Atque eo magis timendum eſt iis, qui columnæ videntur eſſe in Eccleſia. Nam & ipſi peccant, & aliis offenſioni ſunt. *Fornicatus eſt enim Ephraim, & continuò contaminatus eſt Iſrael,* inquit Deus per Oſeam loco citato. Vide diuinorum oculorum aciem omnia introſpicientem. Vnus peccauerat Achan, furtum quo ſe polluerat, occultum erat, & tamen vltio diuina ſæuit in Iſrael. Quidni? *Peccauit Iſrael, tulerunt de anathemate.*

Prouerb. 15.

Cur Deus peccatum occultũ inultum abire non ſinat.

D.Thom.

2. At, cur Deus ita deteſtatur, & punit peccatum, vt vel occultiſſimè patratum inultum abire non ſinat? Reſpondet D. Thom. 12. quæ. 71. art. 6. & qu. 76. art. 2. id ex maxima iniuria prouenire, quæ Deo fit per peccatum. Eſt enim (vt ille ait) auerſio à creatore & conuerſio ad creaturam. Quo quid cogitari poteſt iniurioſius? Expendunt ſacri interpretes, Hierem. 2. hanc iniuriã in ipſius Dei iuſtiſſima querela, his verbis expreſſa. *Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt ſe à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt?* &c. A Deo ita recedunt homines, ac ſi res eſſet odio digna, & cuius vicinia moleſta & acerba foret. Subdit Deus expoſtulans cum populo ſuo à ſe recedente. *Proptereà adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo.* Hieronym. Ne videatur percutere per potentiam, quaſi cum paribus ratione contendit iuxta illud; *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Theodor. Perſeuerat in modeſtia: non ait iudicabo, ſed iudicium inibo, & conuincam tranſgreſſores. Quod dixit, *adhuc,* ſæpe ſe feciſſe inſinuat, & adhuc benigne ad pœnitentiam expectare, & pœnam retardare, ſi fortè rationibus conuicti reſipiſcant. Quod autem ait: *cum filiis veſtris:* oſtendit, non meliores futuros filios, vel, vt hinc intelligant filij veſtri, iuſtè vos punitos. Occultè autem inſinuat, antiquam eorum negationem, etiam in aduentu Chriſti à filiis imitandam. Vnde Chriſtus Matth. 23. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Sept. *Cum filiis filiorum veſtrorum diſceptabo.* Chald. *Proptereà ego ſumam vindictam de vobis, & de filiis filiorum veſtrorum.* Noſter interpres, *cum filiis veſtris.* Omnes poſteros intelligit. Præſertim verò excandeſcit Deus (ſi ita loqui liceat) zelo, quod videat eos, qui ſacra doctrina inſtituti ſunt, alio abiiſſe, idcirco ſubiicit. *Tranſite ad inſulas Cethim & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi ſi mutauit gens Deos ſuos, & certe ipſi non ſunt Dij; Populus vero meus, mutauit gloriam ſuam in idolum,* &c. Argumentatio eſt, Gentes Deos ſuos, qui tamen falſi ſunt, non deſerunt Deos ſuos; vos autem me Deum verum deſeritis. Per inſulas Cethim, inſulas intelligit Maris mediterranei. Cyprum intelligit D. Hieronym. Theodor. Cyprum & adiacentes inſulas. Cedar regio eſt Arabiæ, ſic dicta à Cedar filio Iſmaelis. Ah miſeri Iudæi! Mutauerunt, inquit, gloriam ſuam, id eſt me, à quo gloriam & ſplendorem habent, de quo Pſal. 105. *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum,* &c. Vos autem ô Iudæi gloriam meam non imminuiſtis, ſed veſtram ipſorum in idolum, Hebr. in id, quod non prodeſt.

Hierem. 2.

Hieronym. Deus non vult videri punire per potentiam.

Theodor. Deus iuſtificat iudicium ſuum.

Matth. 23.

70. Interp.

Chal. Paraph.

Inſulæ Cethim ſunt inſulæ maris mediterranei.

Hieron. Theodor. Cedar regio Arabiæ.

Pſalm. 105.

3. Totam hanc ſententiam expreſſit Chald. Paraphr. hoc modo: *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte. Ad prouincias Arabum mittite, & contemplamini diligenter, & videte populos, qui migrauerunt de arce in arcem, & de prouincia in prouincias portantes idola ſua, & ducentes ea, & in loco, in quo ſubſiſtunt extendunt tabernacula ſua, & ſtatuunt idola ſua, & adorant ea. Quæ eſt enim gens & lingua, quæ fecerit ſicut vos,* &c. Ecce populi nõ reliquerunt cultũ idolorum, in quo inanitas eſt. Iſrael autem Deum verum à quo gloriam habet relinquit. Conſtantiores fuerunt gentes in malo, quàm Iudæi in bono. Olim illi ad idola prompti, legem violabant: hodie cum legis obſeruatio nihil illis proſit, legis ſunt tenaciſſimi. Eorum ingenium, D. Stephanus Act. 7. expreſſit dicens: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis:* hoc eſt, in eo ſemper hæſiſtis, vt Deo contraria faciatis. Adeò autem indigna res eſt mutaſſe Iſraelem gloriam ſuam in idolum, vt ea res cœlos poſſit in ſtuporem adducere, quo portæ eius deſolentur, & concidant. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ cœli deſolamini vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt,* &c. Loquitur de cœlo, veluti de palatio, quod tremore foribus conuulſis labefactatur & concutitur: vbi per portas cœli, ſolem, lunam, & ſtellas, quòd per illas cœlum ad nos lumen tranſmittat, intelligant aliqui. Obſtupuit cœlum, authore naturæ in cruce pendente, & portæ cœli deſolatæ ſunt, quando moriente Domino tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Vel per cœlum aërem intelligere poſſumus, tonitruis, & fulguribus per nubium fiſſuras tanquam per portas, emicantem, & horrẽdum in modum circumſonantem, ſic Gen. 7. *Cataractæ cœli apertæ ſunt,* id eſt feneſtræ, vel portæ: quaſi diluuium aquarum poſcat Deus, ſimile Noeticæ inundationi ad eluendum peccatum. Poſſumus, & Angelos cœli incolas, vocabulo cœli intelligere. Tanta enim eſt peccati atrocitas, vt vel Angelos valeat commouere, & quaſi portas in cœlo aperire, quibus diſtrictis armati gladiis cæleſtes emicent ciues in peccatorum perniciem.

Iudæi olim ad idola proni, ad legem obſeruandam difficiles: nunc, cum lex illis eſt inutilis, eam ſeruare videntur.

Act. 7.

Hierem. 2.

Capella Valentiana ſuper Hierem.

Gen. 7.

4. Potiſſimum peccatum, quod Deus olim in Iſraele deteſtatus eſt, fuit Idololatria, vt credibile ſit Achan præter auaritiam, & inobedientiam, quam ſuo facto inuoluit, regulam auream, ſiue lingulam ſubripuiſſe, vel quod idolum erat Chananæorum; vel, quod ex ea, ſimulachrum effingere moliretur, in ſuo Lalario reponendum; cum

Lingula aurea forte idolũ fuit.

cæteris pallij coccinei, & argentei inſtrumenti, quod fabricari inſtituerat, ornamentis. Ab vna autem familia, facilè ad alias idololatria permanaret, ſicut poſteà accidit tempore Gedeonis. Vt enim ſcribitur Iudic. 8. ex auro prædæ Madianitarum, quos deuicerat, veſte purpurea, & in auribus ſimulachrum ſculptile fecit ſiue idolum. De quo ſacra ſcriptura. *Fecit*, inquit, *ex eo ſcilicet auro, Gedeon, Ephod, & poſuit illud in ciuitate ſua Ephra. Fornicatúſque eſt omnis Iſrael in eo, & factum eſt Gedeoni & omni domui eius in ruinam.* Hæc ibi. An ſimile quid in caſtris Ioſue timeri poterat? certè ſupplicium, quod Deus irrogari iubet ſacrilegium, & quandam à verò Deo ſeparationem indicat. Ait enim infrà. *Anathema in medio tui eſt Iſrael*, id eſt, ſeparatio & ſeiunctio, quæ tanto ſupplicio digna non cenſetur, niſi cùm idololatriam conſequitur, aut apoſtaſiam. Erat prætereà Iſraelitis tanta ad idola propenſio, vt occaſione, vel per vnum data, cenſeatur totus Iſraël peccaſſe. Vnde non ait Deus, peccauit vnus homo, *ſed peccauit Iſrael.* Quod futurum erat, factum reputans.

Ex idololatria vnius familiæ, facilè ad alias deriuabatur idē peccatum. Iudic. 8.

Vno peccante cenſetur totus Iſrael peccaſſe occaſione data.

Hoc genus peccati magnis cladibus Deus in Iſraël vltus eſt, conuocans ſæpe Chaldæos, & alias gentes nominis Hebræi inimicas; vt recedentem à ſe populum per idololatriam, digno mulctarent ſupplicio. Aliter enim in idololatriæ contaminatione perpetuò inſordeſcebant. De Chaldæis Hieroſolymam totámque Iudæam vaſtaturis, Deo, per illos, peccata puniente, ita Ioel cap. 2. *Vrbem ingredientur, in muro current: domos conſcendent, per feneſtras intrabunt quaſi fur, &c.* Eóque miſeriarum deuenturos Iudæos, ait, vt turbari, ſolem & lunam, mundúmque totum ipſis videatur ſub aduentum exercitus Chaldæorum. *A facie* (inquit) *eius contremuit terra, moti ſunt cæli: Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Hieronymus hyperbolicè hic dici putat, quod locuſtarum agminibus, quibus paulò antè cóparauerat Deus agmina Chaldæorum, per aerem volantibus, videbitur Iudæis præ formidine, & cœlum ruere & terra fluctuare, & Sol, & Luna obſcurari. Exercitui magno præclarè hæc conueniunt. Illo quippe terra tremere dicitur, 1. Mach. 9. *Et clamabant tubis. Exclamauerunt autem & ij, qui erant ex parte Iuda, etiam ipſi, & commota eſt terra à voce exercituum* &c. Sic poëtæ, terram pulſu pedum tremere dicunt.

Propter idololatriam crebrò Deus Hebræos puniuit.

Ioel 2.

Hieronym. Hyperbolica omnia.

1. Mach. 9.

——Tum cæco puluere campus
Miſcetur, pulsúque pedum tremit excita tellus.

Virg. Aen. 4.

Et cœlum moueri aiunt, cum tonat, 4. Æneid. *Et tonitru cælum omne ciebo.* Et obſcurari puluere, cum inceſſu militari graditur exercitus.

Hic ſubitam nigro, glomerari puluere nubem,
Proſpiciunt Teucri, ac tenebras conſurgere campis.

Æneid. 9.

5. Quid quod Deus, more ducis, qui milites ſuos exhortatur ad pugnam, Chaldæos tonitru incitabit contra perfidos Iudæos; *Et Dominus*, inquit, *dedit vocem ſuam, ante faciem exercitus ſui*, &c. Vox Domini, tonitru eſt, Pſalm. 17. *& intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis*, & 1. Reg. 12. *Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces.* Itaque Dominus, vt terreſaciat Iudæos, aduenientibus Chaldæis, tonabit. Suum vocat exercitum; quia ab ipſo Deo adducebantur, vt de Iudæis ſumerent vindictam. Ita Iſai. 13. ſanctificatos ſuos vocat Medos, & Perſas, dum eos concitaturum ſe aduerſus Chaldæos comminatur. *Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea exultantes in gloria mea*, &c. Et Romanorum copias, vocat exercitum ſuum contra Hieruſalem Chriſti interfectricem miſſum. Hoc illud eſt. Matt. 22. & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitates eorum ſuccendit.

Tonitru in ſcripturis dicitur vox Domini.

Pſalm. 17.

1. Reg 12.

Iſai. 13.

Sanctificatos ſuos vocat Deus Chaldæos, qui Iudæis ſunt puniturí.

6. Denique in perdendis idololatris, perinde interdum ſe gerit Deus atque princeps aliquis, qui vtitur vno ſeruo, cui ſupplicium in præſens differt, ad alterius, à quo plus offenditur, punitionem. Sic Ægyptios, per Regem Babylonis afflixit. Vnde Ezech. 30. *Hæc dicit Dominus Deus, & ceſſare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis, ipſe & populus eius cum eo fortiſſimi gentium adducentur ad diſperdendam terram, & euaginabunt gladios ſuos ſuper Ægyptum, & implebunt terram interfectis, & faciam alueos fluminum aridos, & tradam terram in manus peſſimorum*, &c. Vbi Thodoret. Omnibus, inquit, gentibus crudelioribus Babylonijs Ægyptum tradam, vt omnis eorum terra cædibus compleatur, & flumina ab incolis deſerantur. Illud autem, & tradam terram in manibus impiorum conuenit ijs etiam, quæ ante dicta ſunt; mercedem ſe daturum dixit Nabuchodonuſor Ægypti ſeruitutem, pro exhauſtis ab ipſo laboribus in oppugnatione Tyri. Deinde prædicit abominationes ipſorum, id eſt, ſimulachra abominationis plena, ab hoſtibus euerſum iri. Hæc Theodor. Vbi expende tribui à Deo præmium Nabuchodonoſori, quod diuinæ obſecutus ſit voluntati in expugnatione Tyri: quod exprimitur ad finem capitis præcedentis; Sic enim loquitur Deus: *Merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam.* Deinde addit. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & capiet multitudinem eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitus illius, & operi, pro quo ſeruiuit aduerſus eam, & dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laborauerint mihi*, &c. Vide commentarios Theodoreti eo loco. Quid ergo mirum, ſi peccatum Iſraelis, Deus puniat, per Chananæos? *Peccauit*, inquit, *Iſrael, & huiuſmodi erat peccatum, quod niſi morte authoris ſui, citò elueretur, contagione poterat in alios ſerpere.* Aduerſatur profectò Deus peccatum. Vnde Origen. ſuper Exod. *Peccatori*, inquit, *hoſtis eſt omnis creatura. Nam contra Pharaonem cælum tenebris, flumina ſanguine terra denique varijs prodigijs, Domino Moſem dirigente pugnauit. Ægyptios Dei populum perſequentes, mare hauſit.* Dicitur enim, Exod. 15. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis; ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Denique quantoperè Deus peccatũ deteſtetur, mox Achan ſupplicium indicabit: Ait enim Deus ad Ioſue. Non ero vltrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.

Ezech. 30.

Theodoretus.

Deus imperium Ægypti dedit Nabuchodonoſori pro labore in oppugnatione in qua diuinæ obſecutus eſt voluntati.

Origen. *Peccatori hoſtis eſt omnis creatura.*

Exod. 15.

Verſ. 14.] Accedetíſque manè ſinguli per tribus veſtras, & quamcunque tribum ſors inuenerit accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos; domúſque per viros, & quicunque, &c.

Quiſnam modus fuerit obſeruatus in applicandis ad Dominum tribubus, & familijs per ſortes, vt deprehenderetur reus?

ANNOTATIO IX.

1. ANTEQVAM explicem modum, quo tribuis, & familiæ Deo applicatæ fuerint, ſuppono, nullam tribum, aut familiam excipi ab oraculo. Quare etiam tribus Leuitica, de qua dubium eſſe poterat, applicata fuit; quod ex ipſo ſacro contextu colligitur. Non enim dicitur; Accedant manè omnes tribus Iſraël, quæ videlicet duodecim ſunt, & in quibuſdam rebus, Leuitica cum cæteris non numeratur: ſed, Accedens manè ſinguli per tribus veſtras. Quibus verbis vides, ne virum quidem vnum excipi, nedum tribum: imò vt notat Abulenſ. quæſt. 24. cùm id, de quo agebatur, ad rem ſacri cultus pertineret, cui addicti erant Leuitæ, nullo modo excipiendi erant. Quærebatur enim quis peccaſſet contra Deum. In rationali, cùm ſcripta audis nomina duodecim tribuum, & in 12. lapidibus in Iordane, & Galgalis erectis, Leuiticam computari tribum non eſt dubium. In rebus verò profanis, qualis fuit diuiſio agrorum facta per Ioſue; & enumeratio bellatorum, de qua Num. 1. non cenſentur Leuitæ, vt relinquantur liberi ad miniſterium ſanctuarij. Sed quid dicendum eſt de tribu Ephraim, & Manaſſe? Reſpondeo, potuiſſe applicari per vnam ſortem, & ſub vna ſorte; ita ſcilicet vt applicaretur tribus Ioſeph, tacitis Ephraim, & Manaſſe nominibus; ſicut factum eſt, cum electi ſunt ex duodecim tribubus, duodecim viri, ad excitandos lapides in Iordane & in Galgalis. Quid ſi ſuis nominibus applicatæ ſunt? nihil inde abſurdi inferes; An non poteſt Leuitica tribus, ſi id fiat, ſuum locum, qui tertius decimus eſt, retinere.

Abulenſ.

Leuitæ numerabantur cum duodecim tribubus in rationali & in omnibus monumentis; non vero in rebus profanis, vt in diuiſione agrorum.

2. Deindè certum eſſe ſtatuo, nec fœminas, nec pueros infantes applicitos fuiſſe. Soli namque viri qui pugnare poterant, & in vrbem poſt murorum complanationem, ingredi, in ſuſpicionem furti perpetrati, venire potuerunt. Quare hi ſoli per tribus atque domos applicati ſunt primùm, vt deinceps expeditior eſſet applicatio, ſic 1. Reg. 14. cùm Saul conſulens Dominum, reſponſum non accepit, vt reſciret, cuius id peccato eueniſſet; non ſtatim ad ſingulos ſors delata eſt, id enim mora tempus extraheret. Sed ſeparatus eſt ipſe, & Ionathas in partem vnam, & totus populus in alteram; cecidit autem ſors ſuper Ionatham haud magno temporis impendio.

1. Reg. 14.

3. Itaque in vnaquaque tribu, erant multæ familiæ, præter tribum Dan, quæ aliquando vnam tantùm habuit ex vnico filio ipſius Dan, poſt patrem ſuperſtitem, vt patet Gen. 46. Nunc verò in ſingulis tribubus, multæ erant familiæ & domus; atque in qualibet domo, plures viri. Oportuit ergo, vt deprehenſa per ſortem tribu Iuda; familiæ eiuſdem tribus, domus & viri ordine quodam, donec ſors reum indicaret, applicarentur; quod & factum eſt. Pœna autem rei, indicatur illis verbis Oraculi. *Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael.* &c.

Gen. 46.

4. Sed cur Achan non fugit è caſtris ſciens hanc ſibi pœnam die ſequenti infligendam? At Abulenſ. quæſt. 42. id proptereà facere non potuiſſe, quia non patebat ſuffugij locus, omnia quoquouerſum obtinentibus Chananæis. Deindè quia Hebræi exercitus cuſtodes vias omnes, ne quis de caſtris effugeret obſederant. Tertiò, quia fortè non credidit deſignandum ſe ſorte coram Domino; nihil enim huiuſmodi acciderat. Comminationem, qua reus terreretur, tantùm cogitauit. Quartò, quia Deo permittente ignauo obtorpuit metu, ne pedem loco mouere poſſet, quo in eo numinis offenſi oſtenderetur gloria, quemadmodum de Pharaone eſt ſcriptum, cui Deus vitam largitus eſt, vt in illius ſupplicio diuina declararetur potentia, & iuſtitia; quod ſignificatur, Exod. 9. & ad Rom. 9. & in cantico Moſis precatio illa peccatores hærere loco indicat. *Fiant immobiles quaſi lapis.* Quod etiam Regius vates ſignificauit dicens, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Hæſit ergo Achan ſceleris conſcientia, veluti compedibus implicitus, donec illum ſors diuina, reum eſſe, coram omnibus declarauit.

Exod. 9.
Rom. 9.
Exod. 15.

Verſ. 14.] Quamcunque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, &c.

Quem modum inierit Ioſue in ſortibus ad manifeſtationem rei, publicè educendis?

ANNOTATIO X.

5. IN veteri teſtamento frequens fuit ſortium vſus, cúmque hoc loco à Ioſue Dei iuſſu inductum videmus; ne quis dubitet, peccaueritne Ioſue in hoc ſortium vſu? Approbatas namque, in ſacris literis eas cernimus, quando Deus volebat hominibus ſignificare ſuam prouidentiam, & perfectam rerum occultarum notitiam. Modus tamen has ſortes educendi, non ita facilè cognoſci poteſt.

Rab. Salomon, quem citat Lyranus, affirmat, tribum Iudæ eo deprehenſam fuiſſe criminis ream, quod Ioſue diuinum ſecutus oraculum, tribus omnes, antè rationale iudicij, in quo erant duodecim lapides precioſi, nominibus duodecim tribuum inſcripti, conuocauerit ſciens. Dei præmonitione, fulgorem lapilli tribus, quæ peccauerat obfuſcatum iri: quo pacto deprehenſa eſt tribus Iudæ. Familiam verò, domum, & virum, ſorte deinceps deprehenſum putat. Primùm Lyranus fictitium eſſe credit, cùm in contextu ſint hæc verba, *& quamcunque tribum ſors inuenerit.* Excuſat tamen Abulenſ. quæſt. 29. Rab. Salom. quod in Hebræo nulla ſortis fiat mentio; dicitur enim, *quamcunque tribum Deus ceperit; accedet per cognationes*, &c. Præterea, quia rationale, quod erat in pectore ſacerdotis habens lapides duodecim appellatur rationale iudicij, vt patet Exod. 28. Ergo aliquid per illud inquirebatur, quod ad verum ſpectaret iudicium, in cauſis filiorum Iſraël, quorum tribus cælatæ in gemmis erant,

Rab. Salom. Lyranus.

Exod. 28.

vt pro-

vt propterea eodem capite dictum videatur. *Portabit ſemper Aaron coram Domino iudicium filiorum Iſraël in pectore,&c.*

6. Litera tamen noſtra ad mentem ſacri ſcriptoris aptior eſt,ſortis vocabulo vtens: quia quãquam de tribubus fingi poſſet, quod per fulgorem, vel obſcurationem lapidum in rationali cognoſceretur,quæ tribus peccaſſet,non tamen ſine longiſſima mora, id cognoſci poterat in familiis domibus & viris ſigillatim.Quare,vt vel ipſi Hebræi confitentur, de his, ſortibus neceſſatio cognoſcendum erat:quod ſi verum eſt, vt eſt, idem modus,& in tribubus,& in familiis,diſcernendis obſeruatus fuit cùm in Hebræo dicatur, tribus quam Deus ceperit, familia, quam Deus ceperit & domus. Quarè ſi ſortes conceduntur in familiis domibus, & viris, non debent negati tribubus; quod probe à Latino interprete perſpectum eſt.

Abulenſ.

7. Quomodo autem huiuſmodi ſortes ducerentur, explicat Abulenſ. quæſt. 30. His verbis. *In quo dicendum eſt,modum fuiſſe hunc. Accipiebantur chartulæ duodecim,æquales,& eiuſdem figuræ ſcilicet quadratæ,vel rotundæ,& in qualibet earum ſcribebatur nomen vnius tribus, & illæ ponebantur in aliquo inuolucro,vel in ſinu & iuxta illud Prou.16.Sortes in ſinum mittuntur,ſed à Domino tẽperantur:tunc conuolutis eis applicabãtur duodecim tribus corã Domino,ſcilicet coram arca, vt Deus in cuius ſpeciali præſentia erant redderet teſtimoniũ veritati,faciens exire ſortem tribus illius,quæ criminis rea erat,& tunc Ioſue, vel Eleazarus ſacerdos magnus vel aliquis alius, quem eligiſſent inuocato nomine Domini ad reddendum teſtimonium veritati mittebat manum in inuolucrum, vt educeret inde ſortem vnam: Et cuius ſors exiret, erat criminis rea. Tunc autem Deus temperabat ſortes, ita vt manus miſſa non apprehenderet aliam ſortem, niſi illam, quam habebat tribus rea criminis iuxta illud Prouerb. 16. Sortes in ſinum mittuntur,ſcilicet in quoddam inuolucrum, ſed à Domino temperantur, id eſt ipſe taliter temperat eas, euolui facit, vt illa eueniat, quam ipſe vult euenire?* Hæc ille.

Modus ſortes conijciẽdi in inuolucrum, &c.

Prouerb. 16.

Sors ideſta reũ indicabat.

8 In eductione harum ſortium credibile eſt adhiberi ſolitam aliquam precationem, qualem adhibuit Saul, cùm educendæ eſſent ſortes inter ipſum Ionatham, ac totum populum. *Domine Deus* (inquit) *da indicium quid eſt, quod non reſponderis ſeruo tuo hodie, ſi in me, aut in Ionatha filio meo, hæc iniquitas eſt, da oſtentionem: aut ſi eſt in populo tuo hæc iniquitas, da ſanctitatem.* Opus fuit huiuſmodi orationem adhiberi, ne fortunæ negotium viderentur, ſed Dei iudicium. Applicatio etiam tribuum, & familiarum coram Domino, huc ſpectabat. Poſtquam enim tribus Iudæ rea fuit deprehenſa;Educta eſt alia ſors de inuolucro & inuenta eſt rea ſola familia Zaraitarum: quæ manens coram Domino diuiſa eſt per domos factis, vt ante ſchedulis;& cùm educeretur ſors, inuenta eſt domus Zabdi: Deinde illa per capita virorum diuiſa, quibus ſuæ reſpondebant ſchedulæ, Exiit ſors Acham. Quare tanquam diuino iudicio condemnatus, lapidibus obrutus eſt. Hunc modum inquirendi peccatum. Deus præſcripſit, qui ſciebat vnam tribum duntaxat ream eſſe; imò vnum tantùm hominem vnius tribus: quod ex eo patet quia ait. *Non poterit ſtare Iſraël coram hoſtibus ſuis; eoſque fugiet, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* Aliter temperandæ erant ſortes ſi plures tribus aut viri eſſent rei.

Reg. 14.

Sors educta reus eſt deteſtus.

A

Vtrum vſus ſortium licitus ſit?

ANNOTATIO. XI.

D. Thom.

1. D. Thom. 22. quæſt. 95. art. 8. triplex diſtinguit ſortium genus. Eſt enim ſors quædam diuiſoria, qualis eſt illa, Ioan. 19. *Mittentes ſortem ſuper eis,quis quid tolleret.* Altera conſultoria, cùm quæritur quid ſit agendum. Tertia diuinatoria, cùm quæritur quid futurum ſit, aut quis fuerit occulti criminis patrator. Duo priora ſortium genera non eſſe vniuerſa improbanda, cenſet D. Thom.ſi cum debitis fiant circunſtantiis vrgente neceſſitate: vt cùm humanum conſilium non ſuppetit; aut Deus animis fidelium inſpirat,illis eſſe vtendum.Exemplo vtitur D.Aug. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 28. *Sicut* (inquit) *ſi tibi abundaret aliquid quod dari oporteret ei, qui non haberet,nec duobus dari poſſit, ſi tibi occurrerent duo,quorum neuter alium,vel indigentia,vel erga te aliqua neceſſitate ſuperaret, nihil iuſtius faceres, quàm vt ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poteſt.* Idem ſentit Epiſt. 180. ad Honoratum. Enumerat tamen D. Thom. loco cit. quatuor euentus, in quibus vti ſortibus, etiam diuiſoriis; aut conſultoriis peccatum eſt.

Ioan 19.
Triplex ſ. genus diuiſ. conſultoria, diuinatoria.

B

Auguſt.

2. Diuinatoria ſors, ſuperſtitione plena eſt, & ab Ethnicis vſu recepta. vt Ezech. 21. *Stetit enim Rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiſcens ſagittas. Interrogauit Idola, exta conſuluit. Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Hieruſalem.* Vbi Hieronymi. *Memor* (inquit) *ſcilicet Rex Babylonis, internecionis, quæ accidit Aſſyrio, quando centũ octoginta quinque millia vna nocte ſunt cæſa: formidabit ad partem dexteram declinare,& ire contra munitiſſimã Hieruſalem, ſed ſtabit in ipſo compito,& ritu gentis ſuæ oraculũ conſulet, vt mittat ſagittas ſuas in pharetram, & commiſceat eas inſcriptas ſiue ſignatas nominibus ſingulorũ, vt videat cuius ſagitta exeat, & quam priùs ciuitatẽ debeat oppugnare. Hãc autem græci βελομαντίαν ſiue ῥαβδομαντίαν nominant. Interrógauit igitur Idola, exta conſuluit. Ad dexteram facta eſt diuinatio eius, vt pergeret contra Hieruſalem, & oppugnaret eam.* Hæc Hierony. colligens Deum illas ſortes ita attemperaſſe, vt exirent ſecundum votum Regis, qui non in ſua, inquit, fortitudine, ſed in iniquitate populi confiſurus erat. Quare licet ſuperſtitio plerúnque damnari ſoleat in ſortibus diuinatoriis, non eſt tamen negãdum eas ſæpe iubente aut permittente Deo, piè & ſanctè, vt de illius conſtaret voluntate miſſas fuiſſe, vt Num. 17. cùm poſita eſt in tabernaculo virga Aaron cum virgis reliquorum, & 1. Reg. 10. cùm Saul ſorte Rex declaratus eſt, & Act. 1. *cùm cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt vndecim Apoſtolis.* Cæterùm Theologi ſortes, quæ iubente Deo, aut inſpirante educuntur conſultorias malunt, quàm diuinatorias appellare.

C

Sors diuinatoria plena ſuperſtitionis.
Ezech. 21.

Hieronymus Iſai. 27.

Mos inducendi ſortes per ſagittas inter Aſſyrios.

ῥαβδομαντία.

D

Sortes diuinatoriæ aliquando licitæ fuerunt Deo eas temperante.

Num. 17.

1. Reg. 10.

Act. 1.

E

3. Nonnunquam per huiuſmodi ſortes, veritas manifeſtatur abſcondita, non ſortium vi, ſed (vt author eſt Hierony.) voluntate Dei, qui certus futuri & præteriti, ſortes regit incertas & confirmari poteſt ex cap. 16. Prouerb. Id autem fit cùm Deus voluntatem ſuam notam fieri hominibus, qui magnam ſortibus fidem adhibent, rectum eſſe cenſet. An non licet propter bonum finem alterius vti malitia? vt 1. Reg. 6. *Facite plauſtrum nouum, &c. Et aſpicietis, & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe*

Sorte diuinatoria aliquando Deus veritatem abſconditã manifeſtauit nõ ia men ſortium vi.

1 Reg 6.

fecit

fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, minimè, &c. Sed caſu accidit, &c. Quid factum putas? Dei voluntate vaccæ venerunt contra Bethſames, vt oſtẽderetur, numine diuino, eueniſſe cladem illam. Quod docet Chryſoſt. Hom. 3. in Epiſt. ad Titum. Idem cernitur 1. Reg. 28. quando Samuel ſuſcitatus eſt à Pythoniſſa, non magicæ incantationis vi, quæ nihil poteſtatis habuit in animam Sancti Prophetæ, ſed, vt Rex ſceleratiſſimus imminémque ſibi exitium certo cognoſceret authore. Hoc etiam modo cecidit ſors ſuper Ionam cap. 1. Nam rectores nauigij, in quo ille fugiens à facie Domini, erat, cum ſcirent, vt ait Hieronym. naturam maris, & tempeſtatum ventorúmque rationes; videntes ſubitam procellam, & ſine cauſa exortam, propterea more gentilium exquirere per ſortes tentant, quis ſit tantæ tempeſtatis cauſa. *Venite* (inquiunt) *& mittamus ſortes.* Hebræi doctores, quibus aſſentitur Theodoretus, dicunt cæteras naues pacato mari tranquilliſſime curſum ſuum tenuiſſe, cùm hæc in nauem Ionæ atrox, & fœda ſæuiret procella; Idque prodigium in cauſa fuiſſe, vt ſortes mitterentur, quas Deus ita attemperauit, vt Ionas cuius ſcelere offenſus erat, indicaretur, & corde compunctus diceret. *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis. Scio enim ego, quod propter me tempeſtas hæc grandis venerit ſuper vos, &c.*

Chryſoſt.

1. Reg. 28.

Samuel ſuſcitatus eſt non vi magiæ, ſed Dei voluntate.

Ionæ 1.

Theodor.

Nauigante Iona turbatur mare, eo eiecto tranquillatur.

Sola Ionæ nauis agitabatur procella.

4. Hinc colligitur, vſum ſortium illicitum eſſe, & improbandum ſiue illæ diuiſoriæ, ſiue conſulatoriæ, aut diuinatoriæ ſint, cùm quis actus humanos exiſtimat ſortiri effectum ſuum, ſecundum ſtellarum diſpoſitionem, aut dæmonum ingeſtionem, aut ſecundum alium modum decretis Eccleſiæ contrarium. Cùm in huiuſmodi facto ſuperſtitio inſit. Redditur tamen hic vſus licitus eſſe niſi quando Deus, modum præſcribit, ad inquirendam per ſortes aliquam veritatem in quo euentu, non diuinatoriæ ſortes, quamuis tales videantur, ſed conſultoriæ dicendæ ſunt: vt accidit, cùm miſſa eſt ſors, vt deprehenderetur, qui tulerat aliquid de anathemate Hierico. Non tamẽ licet (vt annotauit Abulẽ. quæſt. 36.) Exemplo Ioſue, inquirere per ſortes, quis in iudicio condemnari debeat: aut occultum delictum quis patrauerit. Sunt enim hæ ſortes, valde incertæ, & periculoſæ: fiet enim interdum, vt damnetur innocens & honores nocenti deferantur. Idem cõſultorias ſortes, meritò ſublatas fuiſſe cenſet in prælatorum electionibus, vt antiqui moris fuit. Nam ſi Reges hanc electionem habeant, à Deo non à ſortibus gubernari debent: Cæteri verò ſi multi ſunt. precibus cõmendare electionem debent, & Deo ſperare, vt corda omnium excitet, ad id ſuffragium ferendum, quod diuinæ voluntati conſentaneum eſt. Quod enim dictum eſt, Prouerb. 21. *Cor regis in manu Domini*, etiam ſuo modo pertinet, ad corda hominum, qui regimen aliquod obtinent.

Non licet per ſortes exquirere, quis in iudicio dãnari debeat, aut quis occultum ſcelus commiſit.

Conſultoriæ ſortes in prælatis eligendis meritò olim ſublatæ fuerunt.

Prou. 21.

5. Quod autem Abulenſ. quæſt. 39. tradit, eget examine. Ait enim, fieri non poſſe, vt ſi ſortes ſumantur per aliquos ad inquirendum peccatum, & exeat ſors illius, qui plane coram Domino, & hominibus innocens eſt fieri, inquam, non poſſe, vt hic per ſortem indicatus morti adiudicetur relicto nocente ſuperſtite. Probat hanc aſſertionem: *Quia* (inquit) *ſi aliquis fuerit ſimpliciter Innocens, non mouebit Deus ſortem eius, nec occidi faciet: & quod amplius eſt, dato, quod aliqui conarentur per fraudem opprimere eum, datis ſortibus, vt exiret ſors illius facto dolo, non exiret, quia Deus non permitteret. Deus enim cum ei placet facit nos contrarium agere eius, quod volumus, & loqui contrarium eius, quod optamus, ſicut patet in Balaam propheta, qui venerat ad maledicendum Iudæis, vt patet* Num. 22. & 24. *ipſe námque faſſus eſt Balach Regi, qui conduxerat eum ad maledicendum ſe impediri, &c.* Hæc doctrina vt proponitur, falſa eſt. Neque enim Deus vnquam promiſit ſe has ſortes ita attemperaturum, vt ſemper ſtét pro innocente. Nec quod de Balaam adducitur, quicquam concludit: cùm in eo facto ſit miraculum, quo ſe Deus vſurum in ſortibus nunquam eſt pollicitus. Imò iuſto Dei iudicio videmus inſontes, cum impiis paſſim cruciari. Hinc Iob. 17. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Dictum quoque celebratur Magiſtri Sent. 14. diſtin. 15. affirmantis Deum affligere aliquem interdũ ſine peccato. Rurſumq; Chriſtum, Abraham, multo martyres, & alios viros ſanctitate excellentes, calamitates, & damna pertuliſſe cum innocentes eſſent. Sæuit enim pœnarũ acerbitas, Deo ita diſponente, ob varios fines in viros virtutis cultores. Cernitur interdũ cum admiratione ſupplicij atrocitas: ſed ſemper cũ diuinæ iuſtitiæ commendatione; Et quidem in quibuſdam, vt alia occulta nobis luant peccata, quæ ipſe qui patitur nouit. In Chriſto quia ad patiendum venerat. (*Nam, oblatus eſt, quia ipſe voluit.*) In Beata Virgine, vt meritum illi eſſet cumulatius, in aliis ſanctis viris, aut fœminis partim, vt maiorem promereantur gratiam, partim, vt ne in peccata prolabantur. Vnde Boet. de Conſolat. lib. 4. proſ. 6. ſi quoſdam remordet, ne longa felicitate luxurient: alios duris agitari ſinit, vt virtutes animi, patientiæ vſu atq; exercitatione confirment, &c. Quare licet Deus moueret manum, ad educendam ſortem, cùm inquiritur author peccati occulti, qua condemnandus eſt innocens: nihil mali ageret: In eductione enim ſortis, qua damnatur innocens, Deus regens ſortes, iniuſtus reputandus non eſt, cum omnia ſciat. Et quod optimum eſt faciat: nobis id peccatum eſſet, cùm diuina lege, interdictum ſit quicquam fortunæ cõmittere, Imò Ioſue adeò fuit prudens, vt non ſtatim, cognito per ſortem, diuino iuſſu eductam, Achã res ſacrilegij permiſerit populo ſupplicium, ſed audita ex ore peccantis publica confeſſione, ſic enim res geſta in maiorem Dei gloriam ceſſit, & religioſi metus incrementum.

Quomodo intelligatur Abulenſis aſſerens non poſſe fieri, vt ſors illius exeat, qui coram

Deo & hominibus innocens eſt.

Num 22. 24

Greg. Papa.

Boetius.

Diuina lege interdictum eſt, quicquam fortunæ committere.

6. Hinc perſpicitur, quid lateat vitij in doctrina Abulenſis ſi tota quæſtio. 39. & 40. legatur. Quod autem, ad damnãdum vſum ſortium, quas conſultorias vocat quæſt. 40. ait, Apoſtolos in electione D. Matthiæ quia imperfecti adhuc erant, & aliquid retinebant ex veteri teſtamento, vſos fuiſſe ſortibus conſultoriis, non approbo. Id namque licet imperfecti adhuc eſſent, non ſine impulſu diuino à principe Apoſtolorum inſtitutum eſt, non vt deinceps per ſortem eligerentur Eccleſiarum prælati; ſed, vt in electionibus ſumma adhiberetur diligentia in quærendo viro, muneri ſiue præfecturæ idoneo: idque ieiuniis & precibus loco ſortium. Sic enim Deus electoribus, quod optimum eſt ſuggeret. Quod in electione 7. diaconorum poſt aduentum Spiritus ſancti præſtitum eſt abſque ſortibus, vt patet Act. 6. Iam enim reliquerant affectum ad Iudaiſmum, quem etiam poſt reſurrectionem non penitus exuerant, & quam præfert illa interrogatio, Act. 1. *Igitur, qui conuenerant, interrogabant eum dicentes:*

Sortes, quibus Matthias electus eſt, quales fuerint.

Electiones diaconorum factæ ab Apoſt. cum ieiuniis, & precibus.

Act. 6.

Act. 1.

Domi-

Domine, ſi in tempore hoc, &c. Vides eos ſolicitos de regno Iſraël? Auertit eorum cogitationem à Iudaiſmo Dominus, dicens: *Non eſt veſtrum noſſe tẽpora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis Spiritum ſanctum ſuperuenientem in vobis, & eritis mihi teſtes*, &c. Erat & quidam modus conſulendi Deum apud Hebræos celeberrimus, poſt legem Moſi datam, per applicationẽ Ephod. Erat autem Ephod veſtis pontificia, quam Latinè dixeris ſuper humerale habens lapides pretioſos, qua parte humeros regebat; & in pectore rationále iudicij; pannum ſcilicet duplicatum vnius palmi quadratum cui inſerti erant 12. lapides inſcripti nominibus 12. Patriarcharum, trino diſpoſiti ordine, vt ſcribitur Exod. 28. Applicare autem Ephod dicebatur ſacerdos, cùm ipſe ea ſe veſte induebat vt dignus eſſet diuinis oraculis recipiendis, & reddendis: Exempla habes 1. Reg. cap. 23. & 30.

Modus conſulendi Deum per Ephod.

Quid ſit Ephod.

Exod. 28.

1. Reg. 23. 30.

7. At quomodo Deus dabat per iſtum modum reſponſa? Hebræi dicunt quæſtionem de qua conſulebatur Deus ſcriptam inſeri conſueuiſſe plicaturis rationalis, atque Ephod; poſteà verò educi cum reſponſo diuino ibi ſcripto. Probabilius eſt conſueuiſſe dari huiuſmodi reſponſa ipſi ſacerdoti, diuino prophetiæ afflato ſpiritu, vt ab eo cõſulentes diſcerent, quid eſſet futurum. Aliquando etiam ſignificabat Deus euentum rei, de qua interrogabatur, ſplendore nouo, atque inſolito, ex lapidibus pretioſis, qui partim in humeris, partim in rationali erant, emicante. Quod licet in ſcriptura non narretur, traditur tamen à Ioſepho lib. 3. Antiquit. *Ex lapillis*, inquit, *quos Pontifex in humeris geſtabat (erant autem Sardoniches) micabat alter, quoties litatum eſſet, is qui dextrum humerum occupabat, tantúmque fulgorem emittebat, vt procul etiam intuentibus conſpiceretur; idq́; præter naturam ſuam, & conſuetudinem.* Deinde addit.

Hebræorum opinio de eductione ſortiũ quando Deus interrogabatur per Ephod.

Probabilior ſententia.

Deus euentum rei ſignificabat ſplendore gemmarum quæ in humeris & rationali erant. Ioſephus.

8. *Sed mirabilius eſt, quod nunc dicturus ſum. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex inſutas Eſſeni, (id eſt rationali) geſtans, in bello victoriam prænuntiare Deus ſolebat. Nam priùs quàm exercitus ſe moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innoteſceret, adeſſe Deum, opemq́; & auxilium ſuum inuocantibus eſſe laturum. Quapropter Græci, quotquot à noſtra religione non abhorrent, cùm hoc miraculum pro compertiſſimo habeant, Eſſena vocant λόγιον, hoc eſt oraculum. Deſiit tam Eſſen, quàm ſardonyx fulgorem emittere, annis ducentis antequàm hæc commentaremur, irato Deo, propter legum ſuarum præuaricationem.* Hæc ille. Arias Montanus hoc modo ductam hic ſortem arbitratur; *Sors*, inquit, *ducenda erat, ſacerdote ſummo præſente, atque illud ſacrum geſtamen inſpiciente, quod Vrim & Thummim dicitur*, &c. Ego indutum ſummum ſacerdotem puto, ſacro geſtamine, ſed ſortes non in fulgore lapidũ conſtitiſſe ſolùm, ſed etiam, imò multò magis in eductione chartularum ſicut ex Abulenſi notauimus. Hæc autem eductio, non fortúnæ temeritati, ſed Dei, ſortes attemperantis voluntati, & prouidentiæ, eſt adſcribenda.

Deſiit fulgor apparere in rationali ducentis annis ante Ioſephi ætatem.

Montanus.

Sacerdote ſummo ſacrum geſtamen inſpiciente, & chartulas educente, ſortes corã Ioſue ſunt eductæ.

LIBRI IOSVE

CAPITIS SEPTIMI SECTIO TERTIA.

Verſ. 16.] Surgens itaque Ioſue manè, applicuit Iſrael per tribus ſuas, & inuenta eſt tribus Iuda, &c. In-
17. uenit Achan filium Charmi, &c.
& ait Ioſue ad Achan, Fili mi da
gloriam Domino Deo Iſrael, &
confitere, atque indica mihi quid
18. feceris, ne abſcondas. Reſpondítque Achan Ioſue. Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael: & ſic, &
19. ſic feci. Vidi enim inter ſpolia
pallium coccineum valde bonũ,
& ducentos ſiclos argenti, regulámque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli,
& abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei argentúm-
20. que foſſa humo operui. Miſit ergo Ioſue miniſtros, qui currentes
ad tabernaculum illius repererũt
21. cuncta abſcondita, &c. Tulerúntque ea ad Ioſue, & ad omnes filios Iſrael, proiecerúntque ante
22. Dominum. Tollens itaque Ioſue
Achan filium Zare, argentúmq́;
& pallium, & auream regulam: filios quoque & filias eius, boues &
23. aſinos, & oues, ipſúmque tabernaculum, & cunctam ſuppellectilem (& omnis Iſrael cum eo)
duxerunt eos ad vallem Achor:
24. vbi dixit Ioſue. Quia turbaſti nos
exturbet te Dominus Deus in die
hac, lapidauitq́; eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant,
25. igne conſumpta ſunt. Congregauerúntque ſuper eum aceruum
magnum lapidum, qui permanet
26. vſque in præſentem diem. Et auerſus eſt furor Domini ab eis:
vocatúmque nomen loci illius
vallis Achor vſque hodie.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Vidi inter ſpolia, pallium coccineum*, &c. Vidi inter ſpolia pallium Babylonicum vnum bonum, & ducentos ſiclos argenteos, & virgam ſiue linguam auream vnam quinquaginta ſiclorum pondus eius, & concupiui, & tuli ea: & ecce abſcondita ſunt in terra, in medio tabernaculi mei,

& ar-

& argentum ſub eo. Pro, *quia turbaſti nos*, &c. Cur turbaſti nos? Turbet te Dominus in die hac. Pro, lapidauit eum omnis Iſrael. Et lapidauerunt eum omnis Iſrael lapidibus, & combuſſerunt eos igni, & obruerunt eos lapidibus.

Aliter. Pro, *Vidi enim inter ſpolia pallium*, &c. Vidi inter ſpolia chlamydem Babylonicã vnam eámque pretioſam, ducentos ſiclos argenti; linguam auream vnam, &c. Ecce abſcondita ſunt in terra in medio tentorij mei, & pecunia eſt ſub illis. Pro, *lapidauit eum*, &c. Lapidibuſq; eos obruentes combuſſerunt eos igni, &c. Erexerunt ſuper eos aceruum lapidum magnum, &c. In ſcholio Vatablus, regulam auream vocat lingulam, vel laminam. Addit, quibuſdam placere lapides ab vniuerſo Iſrael coniectos fuiſſe, dum duceretur ad ſupplicium vallis Achor, id eſt turbationis.

Sept. Interp. Pro pallium coccin. &c. ψιλὴν ποικίλην μίαν καλήν. Pallium varium vnum. Pro, lingulam auream vnam, γλῶσσαν χρυσῆν μίαν. linguam auream vnam.

Explicatur contextus.

SUrgens itaque Ioſue manè: applicuit Iſrael per tribus ſuas, & inuenta eſt tribus Iuda, &c.*] Sedulam ſacer hiſtoricus operam poſuiſſe Ioſue oſtendit in executione diuini mandati. Surgens námque manè mox applicuit Iſrael per tribus. Quo pacto facta ſit hæc applicatio & ſortium eductio paulo antè explicauimus. Solum expendo vnius hominis vitium non potuiſſe occultari, & impune euadere. Profectò ſtultitiæ arguendos eſſe hoc exemplo admonemur qui ſua vitia impunita fore putant, quod ab hominibus non videantur. An Deum vltorem effugere ſcelus poteſt? Virtutem ita cole vt ne minis quidem propoſitis, ab ea deflectas; Idque in omnibus partibus officij tui. Meritò Iuuen. Saty. 8. ad conſtantiam in rectè factis nos hortatur, ne in ſcelus prolapſi, pœnam ſcelere dignam experiamur.

Stulti ſunt, qui ſua vitia impunita fore putāt.

Iuuenalis. Saty. 8.

Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæq; rei: Phalaris licèt imperet, vt ſis
Falſus, & admoto dictet periuria tauro.

A Et infrà,

Oſſa vides Regum vacuis exhauſta medullis.
Reſpice, quid moneant leges, quid curia mandet
Præmia quanta bonos maneant: quàm fulmine iuſto
Et capito, & tutor ruerint damnante Senatu.

En per familiam nobiliſſimam Zaræ ad Achan vſque deuentum eſt, qui licèt ea primaria, & celeberrima tribu propugnatus eſſet, tamen facinus in familiæ opprobrium, & populi totius perniciem ſuſcipere non eſt veritus. Ex quo liquidò cōſtat, virtutis & nobilitatis veræ rationem, non generis, & naturæ bonis; ſed ſtudioſis actionibus fulciri. Hinc Greg. Naz. in Orat. contra nobilem

Virtus, & nobilitas quid ſit, actionibus fulciri debent.

Greg. Naz.

B malè moratum, laudat quendam nouum hominem, qui viro flagitioſo, maiores ſuos inſolentius proferenti, reſpondit; Mihi probro genus meum eſt: tu autem generi tuo, &c. Huius dicti vim eò ſpectare ait Naz. vt nihil vnquam virtuti anteponamus. Etenim ſiquis tibi oris deformitatem, aut odoris fœditatem per contumeliam obiiceret, nihilne aliud reſponderes, quam quod pater tuus formæ pulchritudine excelluiſſet, aut ſuauiſſimè olere ſolitus eſſet? Age verò ſiquis te, vt timidum & ignauum cauillis inceſſeret, nihilne aliud dicturus eſſes, quam quod maiores tui ſæpè numero in Africa viciſſent? Proindè, inquit D. Greg. Siquis te improbitatis, & amentiæ conuincat, ne

C mihi parentes tuos, ne cadauera proferas. Accidit enim haud rarò vt quis pulcherrimam, auróque vndique tectam citharam habens, peſſime fides pulſet. Alius contrà, à vili, ac vulgari egregios fundat modulos. Vtrum horum meliorem citharœdum eſſe cenſes? nónne eum, qui eruditis pulſibus concentum ſeruat? Ergò aureis, vt dici ſolet, parentibus, tu natus ſis: ſi tamen ipſe improbus es, quid nobilitatis titulo gloriaris? Hæc ille vbi gloriari de mortuis proauis inſtar eſſe putat, ac ſi quis de animalibus figmentis loquatur. Nos enim, iuſtúſne ſis quærimus, annon iuſtus. Nam quod ad generis noſtri originem attinet, lutum idem omnes ſumus, iiſdem omnes pellibus con-

Qui improbus eſt fruſtra gloriatur auorum parentum ſtemmate.

D tecti. Puluis vnus omnes ſumus. In duas partes, inquit, non natura, ſed tyrannis homines ſecuit: ac diſtinxit. Mihi ſeruus eſt quiſquis turpiter, ac flagitioſè viuit: mihi liber eſt, quiſquis virtute, vitæq; integritate præſtat. Quod ſi tu faſtu laboras, quid hoc ad genus. Præſtat in obſcuritate generis virtute, quàm in maiorum claritate, vitiis cumulari. Nam & roſa, licet ex aſpera planta naſcatur, fragrantiſſimum tamen odorem efflat. Tu contra, ſi è molli terra, nihil aliud, quam ſpina exiſtas, ignem vtique prometeris. Hæc ferè ex Naz.

Puluis idem omnes ſumus idem lutum.

2. *Et ait Ioſue ad Achan fili Mi da gloriam Domino Deo Iſrael.*] Multis de cauſis extorquetur

E confeſſio ab Achan reo ſortibus declarato. Prima eſt, vt prouidentia, & iuſtiſſimum Dei iudicium à præſentibus & futuris hominibus cū laude approbetur. Secunda, ne huius viri cuius vita damnata erat animus per impœnitentiam, æternis deſtinaretur ſupplicijs. Idcircò blandis eū loquens compellat verbis, *Fili mi*, &c. Tertia, ne relinqueretur locus exceptioni, ſiquis diceret, ſortium non eſſe adeò certum iudicium, ſiquidem diſpoſitio diuina non omnibus nota eſſet. Obloquendi ergo anſam præcidit prudens Imperator confeſſione rei audita. Duo autem poſtulat, alterum vt pietatem ea parte, quæ Deum reſpicit inſtauret, dicens, *Da gloriam Deo Iſrael* alterum, vt Iſraelitarum ſatisfaciat turbationi. Vocabulum autem

Cur ab Achan ſortibus declarato reo, extorquetur adhuc confeſſio.

Blandè agendū eſt cum damnatis, ne deſperent.

Hebraicum, *Zabed*, quod Latinus interpres *gloriam* reddit, non ſolum eſt verbis colere & venerari, ſed rebus etiam & factis. Quare non ſolum vult, vt verbis teſtetur quid furatus ſit, ſed etiam, vt Deo cui erant ſacrata omnia ſpolia, rem ablatam reſtituat. Id enim ſignificat: *da gloriam Deo*, ſecundum energiam Hebraici vocabuli. Illud. *Confitere*, vt Hebr. Græca & Chaldaica lectio indicat refertur ad ea omnia, quæ præceſſerunt, nempe ad manifeſtationem proprij delicti, commendationem diuinæ virtutis & ſapientiæ, & propriæ culpæ agnitionem.

Da gloriã Deo idem eſt Vic. atque confiteri & reſtituere.

3. *Confitere, atque indica mihi quid feceris.*] Poſtulat ſibi tantùm ſeorſim indicari crimen, vt minori pudore affectus Achan quàm ſi publicè proderet, rem omnem apertiùs, & ſimpliciùs declaret. Deinde, quòd exiſtimet; eiuſmodi reorum confeſſiones, non eſſe publicè extorquendas; quæ ſi vulgo audiantur ſermonem plerúmque dant populo pro ſingulorum erga reum, vel erga principem affectu. Vnde plerumque rei ſimplicitas, & veritas turbatur. Sic Pilatus Ioan. 18. Chriſtum Dominum interrogaturus induxit in prætorium, locum ſcilicet à turba, & Iudæis accuſatoribus ſemotum: & poſtquam eum interrogauit, & ad interrogationes reſpondentem, andiuit, inquit Euangeliſta. *Iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis ego non inuenio in eo cauſam, &c.*

Rei, vt confiteantur crimen, deducendi ſunt in locum in quo pauci ſint auditores. Ioan. 18.

4. *Ne abſcondas.*] Aperiri omnia vult, non verbis ſolum, ſed etiam factis, ne anathema tectum, aut aliquid illius relinquatur. Patris affectum oſtendit, & ſeduli magiſtratus. Conſulit namque animæ rei, quem filium vocauit, & officio ſuo, cuius partes ſunt & Deum placare, & offenſionem publicam ſupplicio auertere.

5. *Reſpondit q́ue Achan: verè ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic, & ſic feci.*] Duplicis ſe criminis in vno facto reum confitetur, dicens, *& ſic, & ſic feci*. Peccauerat namque contra Deum, ad quod peccatũ, refertur primum, *ſic*, & contra publicam Iſraelis item, ad quam offenſionem refertur ſecundum, *ſic*. Significat præterea iiſdem verbis ſe omnibus à Deo indicatis criminibus aſtrictum teneri: fuerant autem crimina indicata, *Peccauit, præuaricatus eſt pactum, Tulerunt de anathemate & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa.* R. Salomon interpretatur illud, *ſic & ſic feci*. Quaſi dicat Achan. Non feci ego nouiter peccatum in anathemate. Nam iam antè quater furatus ſum in aliis bellis, de anathemate. Quam expoſitionem diſcutit Abulenſ. quæſt. 49. Hinc diſce ſcelera minora, viam aperire ad maiora, ſicut Iudas antequam Chriſtum Dominum venderet; fur erat, & latro. Gutta, quæ in nauim exiguo foramine ingreditur ſi non impeditur: infuſo paulò poſt mari; nauem demergit, ſicut enim, vt Hieronym. ait, nemo repente fit ſummus, ita nemo repente euadit peſſimus. Neglecta ſcintilla totam incendit domum.

Humilis & vera Achan per minutas cõfeſſio.

R. Salomon.

Abulenſis.

Achan quater in aliis bellis furatus fuerat aliquid.

6. *Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum, &c. ducentos ſiclos argenti, regulámque auream.*] Amplius etiam quàm poſtulauerat Ioſue, ſuaui illa, & clementi interrogatione, & exhoratione obtinuit; nempe non ſoli Deo, quod ille petierat, confeſſionem reddit Achan, ſed ipſi Ioſue, & populo. Pallium coccineum, quod Hebraicè dicitur, *Addereth*, notum fuit Iſraelitis, veſtimenti genus, quo viri primarij vtebantur. Chaldæus vertit pallium Babylonicum, & Hebræa idem ſonant. Caietanus; ait hoc veſtimenti genus, quod etiam Arias Montanus tradit, genus eſſe veſtimenti pretioſi, tunc noti, nunc autem ignoti Abulenſ. quæſt. 49. *Non erat, inquit, pallium iſtud veſtimentum, ſiue Chlamys, quia non potuiſſet occultare Achan exiens de vrbe Hierichuntina, & reuertens in caſtra, ſed erat aliquid paruum ſicut ſudarium quod facilè abſcondi potuiſſet.* Hæc ille. Sed coniecturam ſuam non ſatis confirmat. Nec Rab. Salomon argumento aliquo comprobat verum eſſe quod ait, nempe omnes Reges terræ in vrbe Hierico habuiſſe palatia. Atque idcircò ex palatio Regis Sennaar ſiue Babylonis, in quo plurimæ erant veſtes pretioſæ rapuiſſe Achan palliũ Babylonicum ſiue de Sennaar. Rectius dixiſſet vocàri veſtem Babylonicam eam, quam Græci vocant, Ποικίλην, id eſt variam, ſiue vario colore intextam. Hinc Babylonicæ veſtes, & Babylonica ſtragula dicta ſunt, quæ diuerſos colores habebant intextos, quod genus Babylone maximè celebratum fuit teſte Plin. lib. 8. cap. 48. Sic Tyrias, Tarentinas, & Britannicas lanas laudamus, quia in his regionibus vel conficiuntur, vel inficiuntur. D. Hieronym. pallium de Sennaar, interpretatur pallium coccineum, quia putauit Sennaar à, *Seni*, deriuari, quæ vox *bis tinctum* ſignificat, atque adeò *coccineum*, Theodor. quæſt. 9. in Ioſue, quod 70. ψιλὴν Aquila inquit στολὴν, hoc eſt *togam* interpretatus eſt. Ioſephus autem χλαμύδα, id eſt *balteum*. regulã verò, *maſſam auream, &c.* Quod ſequitur, id eſt, *Regulam auream*, interpretatur Abulenſ. virgam de auro factam in modum regulæ. Iuxta Hebr. legendum eſt, *& linguam auri vnam ponderis quinquaginta ſiclorum.* Arias Montanus exponit, laminam auream, id eſt aurum in linguæ formam, vel fuſum, vel extenſum, vt regulæ nonnullæ ſunt, acutiore extremo ponderis aureorum noſtratum ducentorum. Siquidem ſinguli aurei ſicli quaternos ducatos, ſiue ſcutatos aureos ponderant. Vnde rectè infert. Idem Arias, totam ſacrilegij materiam, vix quadringentorũ aureorum exceſſiſſe pretium, vt magis miteris tantam, id facinus rebus publicis attuliſſe calamitatem. Cæterum non leue putandum eſt, quicquid Deum offendit. Erat autem ſiclus moneta valdè vſitata inter Iudæos, figura & pondere ſatis inter illos nota. Per quam fiebant omnes æſtimationes in lege, Vnde Leuit. 27. *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij ponderabitur, &c.* In redemptione primogenitorum, quæ erat lex perpetua, præcipiebantur, offerri Deo quinque ſicli vt patet Num. 3. & 13. De ſiclo Hebræorum, quod illi שקל הקדש id eſt *ſiclum ſanctuarij* vocant lege Georgium Agricolam de externis ponderibus lib. 2. & Bud. in lib. de Aſſe.

Montanus Abulenſis.

Veſtimentũ genus quod furatus eſt Achan, ignotũ Iudæis fuiſſe putat Abulenſis.

R. Salomon ait omnes Reges terræ habuiſſe palatia in Hierico.

Babylonica ſtromata

Plinius.

Hieronym.

Theodor. 70. interp. Aquila Ioſephus.

Regula aurea, ſiue lingula aut lamina rapta fuit ab Achan.

Montanus.

Tota ſacrilegij Achan materia vix 400. aureos exceſſit.

Leuit. 27.

Siclus moneta Iudæis ſatis nota, qua fiebant omnes æſtimationes in lege.

Num. 3 & 13.

Siclus Sanctuarij. Georg. Agric. Budæus.

7. *Argentum foſſa humo operui.*] Ingenium indicatur hominis auari, qui in occultandis, veſtimentis, & præſertim pecuniis ſolicitus eſt vixque ſibi ipſi fidem habet: talpas timet, & lumbricos, ne numum fortè tangant in terra defoſſum. Quod in Euclione præclarè expreſſit Plautus. Hæc conſiderans Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus lib. 3. ad Eccleſiam Carbol. tom. 3. Bibliot. Patr. *Aut iudicium*, inquit, *aut reſurrectionem non credit auarus.* Agens enim cum auaro ſic ait. *Quid cauſa eſt, quod hæc non agis? Quid cauſa eſt, vt bona æterna non emas? Quid cauſa eſt, vt mala æterna non timeas? Aut iudicandum a Deo te eſſe non putas, aut reſurrecturum omnino eſſe non credis. Si enim crederes, quomodo non futuri iudicij, inæſtimabile malum fugeres, & immortalia ſuppliciorum tormenta vitares? Sermo & profeſſio tua recitant fidem, ſed vita, atque obitus publicant infi-*

Ingenium auari numus defoſſus. Plautus. Saluianus. Bib. Patr.

delitatem. Hæc ille: Sanè vix adduci poſſum, vt credam integram illi fidem ineſſe, qui furatur rapit, vt diuitias humo tegit, lucémque auro, quod vtile aliis eſſe poterat, per improbitatem adimit. Ignem profectò, ſicut Achan experietur, qui huiuſmodi eſt ſi Achan lapides cogitaret, aut flammas furti vindices, illiſque crederet ſe puniendum, num de anathemate aliquid caperet? Nunquid argentum humo operiret? Rectè à Iuuenal. Saty. 14. dictum eſt.

Iuuenalis.

Miſera eſt magni cuſtodia cenſus.

Auferentéſque de tentorio tulerunt ante Dominum.] Miſit Ioſue miniſtros ſtatim ad Achan tentoriũ: ne propinqui dedecore fortè tacti præcurrentes ſpolia auferrent, aut aliquid agerent ne illud exẽplum in publicum ederetur. Itaque ſumma cum celeritate iuſſa exequentes ſpolia, quæ ab Achan fuerant indicata, eodem, quo ille dixerat loco repererunt. Vidit ea populus antè tabernaculum fœderis, iubente Ioſue proiecta.

Furta Achan in lucem prodeunt.

8. *Tollens itaque Ioſue Achan filium Zare argentum, & pallium, & auream regulam, filios quoque.*] Hactenus crimen, cõfeſſio, & comprobatio, ſententia etiam à Deo pronunciata: iam verò deinceps, pœnæ deſcribuntur, Achan ad criminis expiationem applicitæ, idque Deo iudice, Ioſue interprete diuini iudicij, populo omni miniſtro. Communis autem omnium deteſtatio, & expiationis procuratio ſignificatur illis verbis; *& omnis Iſrael cum eo.* Rectè autem colligunt Abulenſ. & Arias Montanus cùm rei huius monumentum ad poſteritatis exemplum pertinuerit, propterea hominis nomen, familiam & tribum diſtinctè cõmemorari, ne cõfunderetur memoria eiuſdem æquiuocatione nominis, quod aliis viris imponi potuit. Sic quãuis multi Iudæ ſunt appellati, tamen vt proditor indicaretur, cùm de illo incidit mentio ab Euangeliſtis additur cognomen Iſcariotes, à patria Iſcara, vt quidam volunt, & vt alij potiùs à tribu Iſachar contractum.

Abulenſis. Montanus.

Iudas proditor ab Iſcharia oppido.

9. *Filios quoque, & filias eius boues* &c.] Opinio eſt quorundam Hebræorum filios & filias Achã ductas fuiſſe, non vt cum ipſo lapidarentur, & comburerẽtur (vt Patres fere cenſent) ſed vt adeſſent, ſupplicio patris eoque ſpectaculo à ſimilium ſcelerũ patratione deterrerẽtur. Vide Abulenſ. ad finem quæſt. 52. & quæſt. 68. Caiet. quidem Rabbinorum dictum non omnino improbat. Ait enim non ſolùm Achan, & res eius, ſed etiam eius filios & filias ductas fuiſſe, vel ad ſupplicium, vel ad videndũ ſupplicium patris. Quomodo autem filij innocentes puniri ſint iuſto Dei iudicio, diſputat idem doctor quæſt. 53. Colligit Arias Montanus ex hoc loco, non fuiſſe vxorem illo tempore Achan, ſed tantùm filios & filias. Hos autem vt ſacrilegij conſcios productos eſſe. Abulenſ. ſupponit illi vxorem adhuc fuiſſe, quæ tamen propterea lapidata non fuerit, quod non erat aliquid ipſius Achan, niſi eo modo, quo Achan erat aliquid ipſius vxoris: quia vir & vxor (inquit quæſt. 54.) ad paria iudicantur. Vnde ſicut peccante ſola Achan vxore, non occideretur à Deo Achan: ita Achan peccante perire non debuit vxor eius.

Filij & filiæ Achan adducti ſunt ad ſpectandum patris ſui lapidationem, vt a ſimili culpa deterrerentur.

Abulenſis. Caietanus.

Vxor Achan nõ fuit ad ſupplicium adducta ſicut filij.

10. *Quia turbaſti nos exturbet te Deus in die hac.*] Turbandi verbum aptè explicat Reipub. Hebrææ periculum, & tumultum, & quicquid damni, vel contigerat iam; vel adhuc timebatur. Hoc verbo vſus eſt princeps poetarum, ad ſignificandam turbationem, qua ſummis ima fiunt paria.

—vndique totis

Vſque adeo turbatur agris.

Hebraicè eſt verbum *Ghachar*, quod in ſacris literis vſurpatur in exemplis quæ ad rationum, rerúmque permixtionem & ruinam referuntur, Ioſue igitur iuſtiſſimum eſſe cenſet turbari eum diuino præiudicio, qui omnem Iſraelem ſuo ſcelere contaminatum turbarit, atque in exitij adduxerit diſcrimen. Cõgruit autem imprecatio cum nomine Achan, quod vltima litera mutata in R, vt ſonet Achor. (quæ vox valli impoſita ita fuit ex euentu) turbationem ſignificat. Atque vt ſemel dicam, quod aduertunt Abulenſ. Caietan. & Arias Montanus, dum audis, *duxerunt eos ad vallem Achor*, intellige vallem conturbationis. Achor ſiquidem non eſt proprium, ſed appellatiuũ ſignificans turbationem: atque inditum illi valli occaſione imprecationis Ioſue. *Quia*, inquit, *turbaſti nos*, &c.

Eglog. 1. Ghachar.

Achor turbationem ſignificat. vnde vallis Achor.

11. *Lapidauitque eum omnis populus: & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.*] Sceleris deteſtationem iactatio lapidum Hebræis ſignificabat. Aderant huic miniſterio qui ſceleris teſtes fuerant, vt dum lapides iacerent eadem actione profiterentur ſe illo crimine immunes eſſe, & perpetuo velle fore. Ad quem morem alluſit Chriſtus apud Ioannem carpens eos, qui adulteram fœminam accuſabãt: dicens. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Atque ſupplicium Achan hoc ordine videtur inſtitutum, nimirum vt ſolus author ſceleris ſaxis in deteſtationem fuerit à populo petitus. Deinde filij & filiæ cum omni alia familiari re igne fuerint ſimul incenſa, ex anathematis lege. Tandémque illorum cineribus lapidum ingens aceruus in pœnæ monumentum ſempiternum fuit cumulatus. Sunt qui filios & filias etiam lapidibus ante mortem oppreſſos fuiſſe velint, id tamen incertum eſt. Certum verò congregatum fuiſſe cumulum ſaxorum, qui permanſerit, vſque ad tempus, quo hæc hiſtoria ſcripta eſt.

Iactatio lapidum, eiusdem teſtationem ſignificabat ſicut que lapidates indicabat ab huiuſmodi ſcelere immunes eſſe. Ioan. 8.

Ordo ſupplicii Achan & rerum illius.

Cumulus ſaxorum iuxta cineres Achan.

12. *Et auerſus eſt furor Domini ab eis vocatúmque eſt nomen loci illius vallis Achor, vſque hodie.*] Ad diuinæ clementiæ commẽdationem pertinet, quod interfecto ſceleris authore, ſe diuinum numen placatum populo oſtenderit. Propterea credo, quia iniecta eſt religio Iſraelitis, qua tali ſpectaculo admoniti, nihil contra obedientiam diuinis mandatis, debitam facere, deinceps vel remotis arbitris, deſtinauerant. Opus autem fuit in illius Reipub. initiis ſeuera contra legis tranſgreſſores edere exempla, quamuis eos ſceleris pœniteret, ne multi quod ferè accidit, impunitate, audaciores redderentur ad peccandum. Denique pœnæ vim auget, nomen loco factum, cuius apud Iſaiam & Oſeam mentio eſt.

Occiſo ſceleris authore Deus placatur.

Vallis Achor apud Iſaiam & Oſeam.

Verſ. 19.] Et ait Ioſue ad Achan, Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris ne abſcondas.

Prudentia Ioſue in permouendo Achan ad confeſſionem criminis, ne præ contumacia, cum corpore, animi iacturam faceret.

ANNO-

ANNOTATIO I.

1. IVdicis, & imperatoris prudentiſſimi vices egregiè geſſit Ioſue in patrati criminis confeſſione à reo extorquenda, Filium namq; vocat, vt amorem oſtendat, quo illum etiam poſt crimē admiſſum complectitur. In quo Deum ipſum, cui ſeruiebat, imitatur; qui non homines, ſed vitia deteſtatur, vt D. Hieronym. ait. Et Bernard. de Conſid. ad Eugenium. *Paſcendos*, inquit, *accepiſti greges, non premendos*. Dux autem ſiue princeps alicuius exercitus paſtor ab Homero vocari ſolet, quippe qui ad paſcua oues deducit, & ſi quam viderit aberrantem, baculo ferit, aut in viam reducit. Sanctus ergò Ioſue, mira prudentia, & manſuetudine ſorte deprehenſum reum alloquitur, ne increpatione, qua dignus videbatur, perterritus, animum contra pietatem obſfirmaret, & negatione criminis turbaret effuſam ad ſpectaculum multitudinem. Videtur illam imbibiſſe doctrinam, quam multò poſt (vt Prou. 31. dicitur) prudens mater tradidit Lamueli ſuo. *Date*, inquit, *ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo. Bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*. In Hebræo eſt. *Date ſiceram pereunti*: Hoc eſt damnato ad mortem, vt quidam intelligunt, vnde ſitienti Domino in cruce datum eſt acetum, quod paratum erat ad morientium alleuamentum quod indicant illa verba Matth. 27. *Vas ergò poſitum erat aceto plenum*: Theophyl. ideò crucifixis, aut cruci affigendis acetum dari putat, vt citius morerentur, & à cruciatibus liberarentur. Crediderim potius dari ſolitum, vt recrearetur ſi quis metu mortis antequam in crucem ſublatus eſſet, deficeret animo. Ad hunc enim vſum, quibus ſecta vena trahitur ſanguis, & capite plectendis, etiam noſtra ætate dari ſolet. Quia autem Chriſtus in cruce iam pendebat, nec acetum in ipſo vaſe bibendum dari poterat, in ſpongia imbibito humore tumefacta, & arundini impoſita oblatum eſt. Pro arundine Ioannes hyſſopum dixit, fortè quia ſpongia calamo alligari hyſſopo conſueuit. Galenus enim ſcribit hyſſopum aceto myxtum exanimatis animum reparare. Fortè oblatus eſt Chriſto hyſſopi ſuccus vna cum hyſſopo exugendus. Nam quod Euthym. cap. 19. Ioannis ait, calamum ex hyſſopo fuiſſe, vix fidem facere poteſt, cùm hyſſopus humilis ſit, vel in Iudæa verba, imò minima iuxta illud Reg. 3. cap. 33. vbi dicitur, Salomonem de omnibus plantis diſputaſſe, *à cedro, quæ eſt in libano vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete*.

2. Ad mortem ergo deſtinatis, ſicera, vinum, vel acetum dabatur ne exanimati, vſque ad horam ſupplicij inferendi, durare non poſſent. Ianſennius ſuper locum prouerbiorum citatum per mœrentes, ſiue pereuntes, intelligit omnes, qui affliguntur, quocunque infortunio: quibus ſapiens mulier ſic vult dari vinum, quomodo Regibus dari noluit, nempe in ea largitate, vt afflictionis ſuæ tantiſper, dum hauriunt obliuiſcantur. Beda interpretatur mœrentibus, ſiue ob exilium huius vitæ, ſiue ob præteritæ vitæ maculas, dandum eſſe vinum, *quod verè lætificat cor hominis*, & obliuiſci facit, non Dei iudicia; ſed huius vitæ mala. Hoc ergo vinum porrigit, qui afflictum hominem, conſcientia peccati ſtimulatum, blandis & ſuauibus verbis in confeſſionem criminis ad ſalutem animæ neceſſariam ſapienter pertrahit: ne cogitatione pœnæ, quam meretur in Barathrum cadat deſperationis. Curandum eſt, vt cor hominis conturbati, & afflicti non ad duritiam, ſed ad pietatem molliatur. Quod B. Iob ſibi accidiſſe, in beneficiis numerat à Deo acceptis cap. 23. *Deus* (inquit) *molliuit cor meum*: Sed quænam eſt hæc cordis mollitudo? Auguſt. *Molliuit* (inquit) *varijs afflictionibus*; Durū vocamus, quod reſiſtit contactui. Molleſcit autem, dum tunditur aut contrectatur. Vbi 70. legunt Pſalm. 68. *Improperium expectauit cor meum*. Hebraizantes vertunt: *Improperium fregit aut contriuit cor meum*. Indicatur eadem cordis mollitudo, quam efficit laboris & doloris flamma. Hieremiæ 48. *Erit cor fortium Moab in die illa, ſicut cor mulieris parturientis*. Nicetas, *Molliuit*, inquit, *pro eo quod eſt animi neruos ac vires eliſit*.

3. Hanc mollitudinem cordis nititur Ioſue verbis quàm aptiſſimis afferre Achan. Hæc quippe pertinet ad timorem vehementem, quo quis animo, & corde diuinæ cedit maieſtati: de qua Habacuc 3. *Aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi*, id eſt, vel ſola præſentia ſua liquefacit, & molleſcere facit duriſſimas rupes, & ſaxea barbari populi pectora. Greg. Magn. loco citato apud Iob. *Molle* (inquit) *eſt, quod penetrari poteſt*. Philoſophi definiunt id eſſe, quod cedit comprimenti. Ac proinde, quod externam facile recipit figuram ac proinde cor molle, dum minas audit, & Deum timet, ad diuinam facilè conformatur figuram. Hæc corda promiſſa ſunt iis, qui in lege gratiæ victuri erant, Hierem. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum & in corde eorum ſcribam eam*.

4. Væ illis, qui obſtinatam mentem, & induratum imitantur Pharaonis cor? Hi enim timoris expertem gerunt mentem, & barbara quadam inhumanitate, ſtupidi, neque minis, neque blanditiis emolliri cor ſinunt. *Poſuit* (inquit Zach. 7.) *cor ſuum vt adamantem, ne audiret legem, & verba quæ miſit Deus exercituum in ſpiritu ſuo per manum prophetarum priorum*, &c. Adamantinum cor non eſſe aptum recipere externam diuinæ vitæ imaginem manifeſtum eſt. Vnde Chal. *cor ſuum poſuerunt durum, ſicut adamantem, ne ſuſciperent legem*, &c. Cúmque ferrum, & ſaxa igne molleſcant, adamas ne incaleſcit quidem, Hierem. 5. *Indurauerunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reuerti*. Id quod Plin. lib. 37. c. 4. de adamāte ſcribit, mirè quadrat in peccatores, qui voluptatibus liqueſcunt, cùm ad recipienda diuina præcepta duriſſimi ſint & lapideſcant. Quippe *durita* (inquit Plin.) *inenarrabilis & ſimul ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens*. Deinde addit, *illa inuicta vis duarum violentiſſimarum naturæ rerum contemptrix hircino rumpitur ſanguine fœdiſſimo animalium*, &c. Hircinus ſanguis emolliens adamantem, quid eſt niſi voluptas ſenſuum, aut alicuius lucri per petulcum & fœdum animal ſignificata.

5. Vincet ſeueritas diuini iudicij hanc obſtinationem, & duritiem, ſi in vita, doctrina, & exēplis Sanctorum non emolleſcit. Audi quid oſtēſum ſit Amos Prophetę ca. 7. *Quid tu vides Amos? Trullam cœmentarij, Et dixit Dominus, Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſrael, non adijciam vltrà ſuper inducere eum, & demolientur excelſa Idoli*, &c. Significat Deus nolle ſe ampliùs populi ſui ruinas reparare ſicut ruinoſi parietes inſtaurantur à cœmentariis. 70. ita vertunt. *Ecce ſtabat ſuper murū adamantinum, & in manu eius adamas, & dixit Dominus ad me. Ecce ego pono adamantem in medio populi mei*, &c. Erat videlicet cor populi velut

Hieronym. Bernardus. *Vitia non homines odit Deus.* — *Prudentia Ioſue in exigenda confeſſione.* — Prou. 31. — *Damnatis ad mortem vinum porrigitur: apud Iudæos etiam acetum.* — Matth. 27. Theophyl. *Acetum dari damnatis putat Theophy. vt citius moriantur. Sed non rectè.* — *Acetum Chriſto ſitienti oblato.* — Galenus. — *Hyſſopum aceto miſtum exanimatos, animum reparat.* — Euthym. — *Hyſſopus humilis herba.* — Reg. 31. — *Ad mortem deſtinatis ſicera, vel vinum, aut acetum dabatur.* — Ianſennius. — Beda. — Eccli. 40. — *Durum cor molliri verbis trahi debet in confeſſionem peccati.*

Iob 23. — *Deus cor molle reddit.* — 70. Interpr. Pſ. 68. — Hierem. 48. Nycetas. — *Mollitudo, qua quis timet Deū, eique cedit manifeſtati ab ipſo Deo eſt.* — Greg. PR. — Hierem. 31. — *Cor durum non recipit Deum.* Zach. 7. — *Plin. de adamante lib. 37. c. 4.* — *Hircinus ſanguis molit adamantem.* — *Seueritas diuini iudicij contra durum cordis.* — Amos 7.

adamas; vult ergo Deus adamantem durum; & forte alio duriori, & validiori terebrare, & conterere. Sane Plin. ait. Tradit adamantem ſideritem ictibus frangi, & alio perforari poſſe adamante, vt merito Theodor. per adamantem lucculentam interpretatus ſit & admodum duram plagam cum adamans duriſſimus ſit, & indomitæ naturæ. Intelligens ergo Iob, quantum noceat cordis durita, quæ in afflictione periculoſior eſt; gaudet, quod Deus ſua potentia, cor illi præparauerit, molle & capax diuini conſilij. Rurſus cõſolatur ſe ipſum quod afflictionem, quam patitur à Deo, ſi non ad corporis, ſaltem ad animi ſalutem immiſſa ſit. *Et omnipotens* (inquit) *conturbauit me.* Hoc eſt, Deus, qui fons eſt bonorum omnium, id eſt enim *Saddai*, terrorem hũc, quem patior in me iniecit. Conturbandi verbum præter alia ad formidinem quandam ſubitam, & nimiam pertinet. Sicut dictum eſt, 1. Reg. 28. de Saul. *Extimuerat, robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa*, &c. Hæc explicantur ſequenti ſententia. *Conturbatus enim erat valdè*, &c. 70. apud Iobum, pro, *Omnipotens conturbauit me.* Legunt, ſollicitauit me. Nicetas exponit, perterrefecit?

Plinius.

Theodoretus. *Adamas ſiderites perforatur adamante alio.*

1. Reg. 28.

70. Interp. Nicetas.

6. Quæ cùm ita ſint, non debent viri prudentes cum afflictis verbis vti, quibus attonitos eorum oculos, turbatam faciem & geſtus qui ab animo turbato malorum cogitatione proficiſcuntur obiicere, ſicut Iobo faciebant amici. Sed iis, quibus dolere ſe profiteantur de eorum iniqua ſorte, ſimúlque æternam illis ſalutem optare, quod aſſequentur, ſi non eruperint in blaſphemias; Sed ſuum crimen confitentes, vt expietur, Deum laudauerint miſericordiæ & iuſtitiæ lancibus, omnia librantem. Conſolatio namque (vt D. Ambroſ. affirmat in Pſal. 37. ſuper illud.) *Amici mei & proximi mei*, &c. Mitis eſſe debet, quæ magis dolorem leniat, quàm commotionem excitat. Fouentur primo vulnera poſt ſecantur. Cauendum eſt, ne cum venerimus ad conſolandum, perſunctorie loquamur. Septem diebus tacuit Iob: tacuerunt amici, nec locuti eſſent, niſi Iob dolore prorupiſſet in vocem. Interdum ipſa taciturnitas medicina eſt, non velox ſermo. Quid miraris ſi alterum vulneret, cum frequenter ipſe, qui multum loquitur, ſe vulneret, quia ex multiloquio peccatum non effugit. Medicus, medendi tempus expectat, &c. Idem Ambr. paulò ſuprà enarrans prædicta Prophetę verba: *Dedeplorat* (inquit) *ſe & ab amicis & à proximis impugnatũ: à quibus vtique iuuari debuerit. Quod vtique cum Sancto Iob querimonia concurrit. Quia & ipſe arguebat tres illos reges conſolatores malorum qui maiora ei inferebant certamina, cum ad conſolandum veniſſent. Quod vtique cauendum eſt nobis.* Hæc D. Ambroſ. Ex cuius doctrina, quam magis ſecutus ſum, quam ſtylum, intelliges modum, quo vti oporteat, ſi aliquando opus fuerit, afflictum quempiam conſolari. Ioſue turbatum infelici ſorte Achan alloquitur, non tam, vt iudex ſeuerus, quàm vt pater benignus, nec tam increpans facinus, quàm ſanum porrigens conſilium. *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael.* Hoc eſt (vt Lyranus exponit) per confeſſionem tuam appareat, Deum verum dixiſſe de peccato anathematis, & per conſequens iuſtè puniuiſſe populum. *Confitere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Sunt qui quoties cum peccante agendum ſit toties lapides, cruces, ferrum, ignem ſue ſtatim proponendum cenſeant. Atque ac tutum

A cum imperio dicendum. *I, lictor, colliga manus, ora ſeca, infelici reſte ſuſpendito.* Non ita Ioſue. *Fili mi*, &c. Supplicij acerbitatem, in tempus differt, quo ſaluti animæ nocere nequeat. Ad confeſſionem duntaxat, qua Deus laudetur & ipſe expietur, delicti reum permouet, ne miſero, quando vita mortalis intercidenda eſt, in bonis animæ detrimentum aliquod contingat.

B

Verſ. 20.] Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic, & ſic fecit.

Quam vtilis fuerit Achan peccati confeßio?

ANNOTATIO II.

1. QVANVIS variè loquantur doctores de Achan, propenſior tamen ſum, vt putent illum ſalutem æternam, ob veram & ſynceram confeſſionem à Deo impetraſſe, cùm dixit. *Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic, & ſic, feci.* Quid enim Dauid poſt homicidium, & adulterum diuinæ miſericordię indulgentiam & peccati remiſſionem impetrauit? Audi Chryſ. tom. 5. hom. 5. de pœnitentia. *Similiter*, inquit, *Dauid per Nathan correpto dicenti, peccaui Domino: verbum vnum, vno in momento prolatum, verè, puréq́; emiſſum contulit pœnitenti ſalutem*, &c. Cum ergò Deus ad primum pœnitentiæ gemitum accurrere ſoleat miſericors, ſanè pœnitenti Achan indulſiſſe peccatum credibile eſt. At tempus breue fuit inquies? Fateor: ſed pœnitentiæ modus requiritur non tempus. Vnde Chryſ. *Non tempus*, inquit, *æſtimatur ſed pœnitentis modus peccatum extinguit. Pœnituiſti, miſericordiam es conſecutus*, &c. Dices Achan non ſponte ſua, ſed vi ſortis crimen detegentis, impulſum fuiſſe ad confeſſionem: quod ſignificauit Ioſephus lib. 5. Antiq. dicens. *Ille vero cum non potuiſſet negare Deo, cum omnia conſtrinxiſſe probabatur, furtum confeſſus eſt?* &c. Ita eſt; ſed dic quæſo te, non potuit motus ille animi, qui peccatori incidit, ad deteſtationem peccati, initium eſſe ſalutaris pœnitentiæ?

D. Chryſoſt. *Vnum verbum Dauidi pœnitenti contulit ſalutem.* [illegible]

Ioſephus.

2. August. quidem quæſt. 9. in Ioſue dubitat an Achan verè, & ſyncero affectu pœnituerit. Verba Auguſtini ſunt. *Duæ mihi cauſæ occurrunt, propter quarum alteram Ioſue non combuſſit hunc Achan. Aut enim verè pœnituit, & ita dignus non erat igne gehennæ, ideircò nec igne voluit eum Ieſus comburere: Aut non pœnituit verè, & ita fuit æterno igne torquendus. Ideo illam pœnam ignis reſeruauit Ioſue Domino, & ipſe alteram pœnam ſcilicet lapidationem inferret*, &c. Lyranus rem non definit, tantùm duplex in facto Achan agnoſcit peccatum, cui duplex pœna reſpondeat. Peccauit enim ille ſacrilegè vſurpando rem Domino conſecratam, & violando Sabbathum, quod inciderat in diem depredationis, & euerſionis Hiericho (vt ipſe putat. Idcirco inquit, punitus eſt duplici pœna. ſcilicet, lapidationis pro violatione Sabbathi, quia hęc eſt pœna debita ſecundum determinationem Domini, vt habetur Num. 15. de colligente ligna in Sabbatho. Secundò pœna combuſtionis cum pertinentibus ad ipſum, ſecundum quod Dominus præceperat in hoc capitulo. Hæc Lyranus, qui ante hæc verba Achan laudauerat, quod veritatem ſit confeſſus.

Auguſt. dubitat an Achan verè pœnituerit. [illegible]

Lyranus [illegible] *Achan lapidatum* [illegible]

Num. 15.

Dionyſius

Carthuſ.

Dionyſius Carthuſ. Non ſolùm Achan ſalutem animæ impetraſſe humili culpæ confeſſione putat; ſed ex ea nos erudit. *Oportet*, inquit art. 13. *in ſacramentali confeſſione agnoſcere culpam, in exteriori quoque foro, ſi ratio exigit, fateri eandem, quando videlicet publica eſt, aut publice punienda*, &c. Ex eadem confeſſione docemur propriæ culpæ confeſſionem, Dei gloriam eſſe. Qui enim ſe peccaſſe fatetur Deum eſſe iuſtum & ſanctum contra cuius mandatum quid egit, aut omiſit, fatetur. Rurſus ſicut Achan ſuum facinus iuridicè interrogatus aperuit, ſic quilibet reus iuſſus præſertim & admonitus facere debet, cum valdè periculoſum ſit propriam culpam negare, ſi iudex ſemiplenā obijcit probationem. Cùm ergo videamus in Achā confeſſionem criminis, & dolorem, quo torquetur ob præteritam culpam; qui ſignificatur in verbo, *Peccaui*, & in Dei laudem totus, vt ab eo petierat Ioſue, effuſus ſit; num dubitare de remiſſione culpæ poſſumus?

Cùm obijcitur ei ſemiplena probatio, oportet confiteri delictum.

Achan pœnitens deſunctus.

Caietan.

3. Caiet. reportaſſe lucrum ex confeſſione Achan affirmat non ſolùm ſpirituale, ſed etiam temporale. *Duplici*, inquit, *pœnæ ratio, non rigor iuſtitiæ, ſed clementia potius videtur. Præceperat ſiquidem Deus inuentum in hoc crimine comburi, nec fas erat diuinam ſententiam præterire: quia tamen Achan confeſſus eſt, dando Deo gloriam, peccatum ſuum, temperauit Ioſue incendium lapidatione, vt confeſſus, qui abſolui non poterat minùs ſentiret tormentum incendij lapidatione, & citiùs in igne moriens.* Hæc ille.

Ioſue mitigauit pœnam Achan, quia confeſſum eſt crimen.

Abulenſ. hic, q. 55. ſex rationibus probat, non eo conſilio Ioſue lapidaſſe Achan, quem Deus comburendum prædixerat, quod intellexerit oraculum deſtinaſſe illi ignem æternum poſt hāc vitam; lapidationémque interim vocari ignem, ſicut & quælibet pœna alia vt quidam Hebræi volunt; quos non improbat Auguſt. Omiſſis autem cæteris rationibus, quæ ad noſtrum ſcopum facit, hæc eſt. *Non videtur*, inquit, *quod iſte fuerit æternaliter damnatus, quia pro peccato ſuo condignam pœnam hic tulit, non ergo videbatur, quod poſt mortem puniendus foret, potiſſimè quia videtur de peccato ſuo doluiſſe Achan. & illud confeſſus eſt humiliter dicens: Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael.* Hæc ille.

Quidam Hebræi lapidationem interpretantur vocari ignem, quo Deus prædixerat Achan puniendū.
Auguſt.
Abulenſ.

4. Salrem qui Nabuchodonoſor Regem Babylonis pœnitentia peccata ſua redemiſſe affirmant, quod Dan. 4. legant hæc verba. *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico Regem cæli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia: & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare*, &c. Haud ſcio, quomodo negare poſſint Achan confeſſioni, veræ pœnitentiæ laudem. Quin illud: *Peccaui Domino Deo Iſrael*: plus aliquid videtur continere, quàm quod de Nabuchodonoſor narratur. Iam peccata Nabuchodonoſor multò grauiora fuerunt. Etenim præterquam quòd Dei populum acerbè vexauerit; pueros innocentes in fornacem coniecit, nec viſo miraculo, quo è fornace liberati ſunt, omnino reſipuit, imò poſt confutatam ſuperbiam, qua ſe in ſtatua aurea adorari fecerat à quo ſcelere Hebræi pueri abſtinuerant; ſuperbia intumuit qua ſibi, Dei oblitus, omnia attribuit. Nam cap. 4. cita. *Poſt finem*, inquit Daniel, *menſium duodecim in aula Babylonis deambulans Nabuchodonoſor dixit: Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei*, &c. Vbi Hieronym. *Fecit quidem Nabuchodonoſor iuxta Danielis conſilium miſericordias in pauperes, & idcirco vſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia; ſed quia poſtea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit: Nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui, bonum miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ. Ideo igitur differtur ſententia, vt videatur miſericordia in pauperes minimè profuiſſe, ſed ſtatim, vt loquutus eſt per ſuperbiam perdidit regnum, quod per eleemoſynas conſeruatum fuerat.* Hæc ille. Theodoretus illam dilationem ſupplicij refert ad benignitatem Dei concedentis locum pœnitentiæ, quo ille ad ſuperbiā abuſus eſt.

Dan. 4.

Nabuchodonoſoris pœnitentia ex confeſſione colligitur; ſic & Achan.

Grauiora fuerūt peccata Nabuchodonoſoris, quam Achan.

Hieron.

Nabuchodonoſoris ſupplicium dilatum a Deo eſt ob eleemoſynas vſq. ad 12. menſes. Sed bonam miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ.
Theodor.
Nabuchodonoſor dilatione pœnæ abuſus eſt ad ſuperbiā.

5. Infinitum eſſet ſcelera Regis huius enumerare, & tamen miſericordiam a Deo conſecutus dicitur, ob prædictam confeſſionem. Ita ſenſit Ioſephus lib. 10. Antiq. qui hunc Regem aſſerit, poſt ſupplicium, per totam vitam agnouiſſe, & laudaſſe Dei virtutem. Dorotheus in ſynopſi. Epiphanius in vita Danielis, ait propterea Nabuchodonoſor, tam durè caſtigatum eſſe à Deo, quia Deus ipſum perire noluit. Eum prætereà addunt adhæſiſſe deinceps ſemper Danieli. Diui Hierom. epiſt. 7. ad Lætam. de inſt. filiæ, ait: de nullius ſalute eſſe deſperandum exemplo latronis, qui in cruce conuerſus, eo ipſo die meruit cum Chriſto eſſe in paradiſo; & regis Nabuchodonoſor, qui in extremo recipit ſalutem. D. Auguſt. epiſt. ad Victorianum, quæ eſt 122. Idcircò ait liberaſſe Deum tres pueros coram Nabuchodonoſor de fornace ignis, & alia eo præſente miracula patraſſe, vt illius cognitione veri Dei, conſuleret ſaluti. In occiſione autem 7. puerorum Machabæorum nullum, coram Antiocho edidiſſe miraculum, quia duritiam cordis eius punire decreuerat. Simile quid expendit in lib. de prædeſtinatione & gratiæ cap. 15. in eodem Nabuchodonoſore, & Pharaone. Nempe, quod Regi Nabuchodonoſor flagellatio profuerit ad pœnitentiam fructuoſam; Pharaoni autē ad maiorem cordis indurationem. Ac proinde idem medicamentum eiuſdem manu medici confectū, vni profuerit ad ſalutem; alteri ceſſerit ad exitiū iuxta illud 2. Cor. 2. *Chriſtus alijs eſt odor vitæ, ad vitam; alijs eſt odor mortis ad mortem.* Idem ſentit Theodor. Ioannes Arboreus lib. 12. Theoſophiæ. Lyran. in Iſai. cap. 4. & Dan. 4. & Carthuſianus ibidem, vt nemini liceat dubitare, eos eandem ſalutem Achan concedere, ſi res ad calculos reducatur.

Ioſephus.

Dorotheus.
Epiphanius.

Durè Deus Nabuchodonoſorem puniuit quia illum perire noluit.
Hieronym.

De nullius ſalute deſperandum.
Auguſt.

Cur Deus miracula fecit coram Nabuchodonoſore, & non coram Antiocho?

Flagellatio Dei profuit Nabuch. ad ſalutem, non Pharaoni.

2. Cor. 2.

Theodor.
Arboreus.
Lyranus.
Iſai. 4.
Dan. 4.
Carthuſ.

Plerique putant illos ſalutem æternam obtinuiſſe, de quibus ſcriptura ita loquitur, vt poſt opus aliquod laudabile, nihil de eis ampliùs commemoret, quod peccato affine ſit. Et quidem mihi propterea. Nabuchodonoſor videtur ſalutem impetraſſe; quia Daniel omnem huius Regis hiſtoriam terminat commemoratione plenæ, & perfectæ pœnitentiæ, mitæque ad Deum conuerſionis, nec de lapſu amplius in peccatum in tota ſcriptura mentio fit. Idem inuenies in Achan. Num poſtquam dixit: *Peccaui Domino Deo Iſrael*: peccatum aliud commiſit? Pœnas quidem dedit; nec interim indignationis, aut deſperationis, vocem aliquam indicem emiſit. An pœnas dediſſe, & patienter tuliſſe, ſceleris confeſſione præmiſſa, peccatum eſt? Quod autem Iſaiæ 14. dicitur: *infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Dixiſti, aſcendam ſuper altitudinem nubium ſimilis ero altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci, &c.* Dico, non ad Nabuchodonoſor, vt doctiſſimus Rib. alios ſecutus, putauit enarrans cap. 1.

Quos ſcriptura ſemel laudat, niſi de eis amplius mentionē faciat, illi credantur ſalui.

Iſaiæ 14.

Ribera ſuper Abacuc.

Abacuc, ſed ad filium eius Balthaſarem pertinere; qui à Dario Medo, & Cyro, victus & occiſus, ſuperbiæ ſuæ pœnas, hic, & in æternis cruciatibus dedit: vt quod aliqui Nabuchodonoſori, qui ab Iſaia non nominatur, eo capite aſcribunt, iure tribuendum ſit Balthaſari, qui figura fuit ſuperbiæ, & ruinæ Luciferi, cuius lapſum in eo capite patres ferè intelligunt.

Balthazar figura fuit ruinæ Luciferi, de eo videtur loqui. Iſai.14.

6. Sed, cur Deus (vt id quoque dicamus) tam ſubitò & atroci ſupplicio Balthaſarem peremit, æternìſque addixit flammis: cum tamen patrem illius dilatione multi temporis ad pœnitentiam; nunc miraculis ante oculos propoſitis; nunc ſuppliciis, patienter prouocauerit? Theod. eam cauſam eſſe putat, quia Nabuchodonoſor non fuerat in alio Rege anteceſſore ſuo, Dei manum expertus. At Balthaſar præuidit in patre diuinæ bonitatis, & ſeueritatis exempla quibus admonitus debuit Deum agnoſcere mundi Dominum eſſe, nec ſe inſolenter efferre; & multo minùs in contumeliam veri Dei, vaſa templo Hieroſolymitano conſecrata in profanos vſus conuertere. Pereat ergo morte ſubita, & æterna; qui reſipiſcere à vitiis nunquam voluit. Quod Achan? Nunquid ſimile ſupplicium vidit inferri ob occultum furtum in caſtris Iſrael detectũ? minimè. Propterea vna pœna; non duplici puniendus fuit. Augetur námque pœna iis, qui exemplis conſpectis vitam non corrigunt. Vnde Nicetas ſuper orationem in ſanctam Pentecoſtem à Greg. Naz. ſcriptam ex D. Chryſ. adducit illa verba, Gen. 4. *Dixitq́; Lamech, vxoribus ſuis Ada, & Sella, &c. Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Quem locum ſic explicat. *Septies animaduertetur in Cain, hoc eſt ſeptuplo cruciabitur, pro eo quod fraternæ cædis crimine ſeipſum conſtrinxit. Scelus autem Lamech ſeptuagies ſepties vindicabitur, hoc eſt multipliciter. Quoniam Lamech virum, & iuuenem interemit, idq́; poſt legem, id eſt poſt ſententiam à Deo aduerſus Cain pronuntiatam. Nam lex ſcripta nondum data erat. Septem autem peccatis Caini ſeptem reſpondent ſupplicia. Primò peccauit, quia inuidia affectus eſt. Secundò, quia dolum ſtruxit. Tertiò, ſedẽ admiſit. Quartò, quia fratrem obtruncauit. Quintò, quia primus cædem patrauit. Sextò, quia parentibus luctus cauſam attulit. Septimo, quia Deo mentitus eſt. Sequitur iam, vt pœnarũ numerum ſubducamus. Maledicta terra à te, prima hæc pœna eſt. Operaberis terram, & agriculturæ laboribus vexaueris, ſecunda. Et non addet virtutem tuam dare tibi, hæc tertia pœna eſt, nempe laborum ſterilitas. Gemens & tremens eris ſuper terram: tribus pœnis duas adiecit gemitum perpetuum, & corporis tremorem, ita vt ipſe moueretur & concuteretur, ac ne panem quidem, & potum facilè ori admouere poſſet. Sequitur aliud ſupplicium, quod Cain ipſe patefecit, ſic loquens: Ecce eijcis me hodie à facie tua. Sanè atrox ſupplicium eſt ſeparatio à Deo. Et poſuit Deus ſignum ſuper eum; Septima hæc pœna eſt; nimirum ne pœnam quidem ipſam obſcuram eſſe, verum perſpicuo ſigno, velut præconis voce omnibus declarari hunc illum eſſe, nefarij facinoris architectum: grauiſſima eſt hæc infamia.* Deinde ſubiungitur.

Balthazar ſeuerè punitur non dilato ſupplicio, quia vidit, quæ Deus coram patre ſuo patrauit, nec vitam correxit. Theodoretus.

Dan. 5.

Vide Pereriũ in Dan. lib. 5.

Augetur pœna iis qui exemplis conſpectis vitã non corrigunt. Nicetas. Chryſoſt. Gen. 4.

Septem peccatis Caini ſeptem reſpondent ſupplicia.

7. *At Lamech poſt condemnationem Caini duplici cæde conſtrictus meritò dicit; ſi de Cain ſepties vindicatum eſt, de me Lamech ſeptuageſies ſepties vindicabitur: hoc eſt, ſi iuſta aduerſus Cain Dei ſententia extitit, vt ſeptem ſuppliciis afficeretur; ipſe quidem dignus ſum, qui trecentis nonaginta pœnis excrucier. Quoniã ille quemadmodum ab alio, quid, quámque graue crimen eſſet, cædem committere, minimè didicerat; ſic nec homicidam vllum viderat meritas pœnas exoluentem. Ego autem gementem ac trementem cernens, atq́; diuina magnitudinem ob oculos habens; huiuſmodi exemplo, nec melior factus, nec à facinore deterritus ſum. Proinde iure optimo multò maiora mihi tormenta inferentur.* Hæc Nicetas. Eandem Greg. Naz. loco citato reddit cauſam maioris ſupplicij Lamech inflicti. *Facinus*, inquit, *Cain ſepties vindicatur, hoc eſt fraternæ cædis pœna ab eo repetuntur: ſcelus autem Lamech ſeptuageſies ſepties: nempe quia lege iam & condemnatione promulgata, cædem perpetrauit.* Hæc ille. Quid ſi Cain confeſſus crimen veniam poſtulaſſet? Sanè ſi non corporis pœnam, tamen animi mortem euaſiſſet. Tanta eſt diuina benignitas erga eos, quos peccati verè pœnitet. Vnde de Achan licet lapides & ignis, quibus dignus eſt in corpore patiatur; animæ tamen ſalutem culpæ pœnitentes conſequitur. Sic latro confeſſus in cruce peccata ſua, paradiſum meruit: *Et nos quidem*, inquit, *iuſtè, digna factis recipimus: hic autem nihil mali geſſit: Memento mei Domine in regno tuo.* Vnde Aug. ſer. 130. ſer. 6. in paraſceue. *Non eſt auſus ante dicere, Memento mei Deus, quàm per confeſſionem iniquitatis præteritæ, ſarcinam peccatorum deponeret. Vides quanta res ſit confeſſio. Confeſſus eſt & paradiſum aperuit.* Hæc Auguſt.

Explicatur Lamech dicens, de Lamech autem ſeptuagies ſepties.

Nicetas. Greg. Naz.

Atrociter puniuntur qui nõ reſipiſcunt conſpectu pœnarũ, quæ delictis inferuntur.

Luc. 23.

Tom. 10. Auguſt. *Latro poſt confeſſionem auſus eſt dicere,* Memento mei, &c.

8. D. Chryſ. Idem ferè teſtatur tom. 3. hom. de latrone, quæ incipit, lectio Euangelij, &c. *Qui, ſcilicet latro*, inquit, *cum in pœnis eſſet, pro ſuis facinoribus affixus, non ſui curam habebat, ſed Domino propria peccata pandebat: dicente ſcriptura. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Fœdauerant illum propria facinora, ſed confeſſio ei paradiſum patefecit:* & paulò inferiùs. *Niſi confeſſione peccati ſarcinam dimiſiſſet, indulgentiam non meruiſſet. Denique audire meruit: hodie mecum eris in paradiſo; ecce quantùm præſtitit confeſſio, vt ſine dilatione introduci latro mereretur in paradiſum.* Hæc Chryſoſt.

D. Chryſ.

Pſal. 95.

Verſ. 21.] Vidi enim inter ſpolia, pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti; regulámque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei; argentumq́; foſſa humo operui.

Quàm deteſtanda ſit auaritiæ labes, quæ Achan ad ſacrilegam impulit rapinam?

ANNOTATIO III.

1. SYncera vtitur Achan admiſſi criminis confeſſione; omnes aperit circunſtantias; in quibus aperiendis haud obſcurè ſignificat diteſcendi cupiditatem, quod ab Apoſtolo dictum eſt, radicem eſſe omnium malorum. Auaro námque, ſatis eſt vidiſſe pecuniam, vel aliam rem vſui humano vtilem, vt eam ardenter concupiſcat. Vidit Achan; concupiuit, rapuit; ſciebat res quas concupiſcebat, Deo ſacratas eſſe, nec ſibi licere eas in proprium vſum transferre: nec tamen à furto obſtinuit. Quod rapuit, ne aliquis ſimilis

Auaritia inſidiatrix eſt, & fons malorum.

Philo. Stephanus.

ſui, occaſionem haberet, id furto abripiendi, abſcondit, & humo texit. Pœnam duntaxat ſceleri inferendam ſi innoteſceret, non cogitabat: nec naturam auaritiæ ſciebat inſidiatricem eſſe (vt eam Philo Iud. in lib. de Charitate definit) fontémque malorum omnium. Stephanus, quem refert author allegoriarum moralium, occaſione Achan abſcondentis regulam auream, ita philoſophatur. Abſcondit Achan auream regulam in terram contrà medium tabernaculi. Aurea regula eſt ſapientia, quæ vitam noſtram quaſi regula, lineam dirigit in rectum. Hanc furatur, qui ſapientiam retorquet ad aliud, quàm ſibi à Domino datur; ad multiplicanda ſcilicet temporalia. Quia autem hæc regula quinquaginta ſiclorum fuiſſe dicitur, qui numerus eſt remiſſionis, hoc deſignat, quia ad hoc data eſt homini, vnde remiſſionem acquirat. Hanc regulam abſcondit in terra, qui terrenis inhiat, qui terrena cogitat & ſectatur. Idem recitans illa verba. *Contra med. tabernaculi. Vita*, inquit, *hominis eſt ſicut nauis, quæ extrema habet anguſta, & in medio eſt lata. Sic & principium & finis hominis in anguſtia eſt. Siquid eſt tibi latitudinis: in medio eſt.* Item, *quia bene vult regere nauim, in puppi ſedet. Sic qui bene vult regere vitam ſuam, reſpiciat principium, & finem ſuum, & non medium. ſcilicet iuuentutem, & ideò de iſto eleganter dictum eſt: contra medium tabernac. quia omnia referebat ad iuuentutem ſuam.*

Author allegoriarum moralium.

Regula aurea ſignificat ſapientiam, quæ non eſt abſcondenda in terra.

Rupertus. *Achan figura eorum qui relligionem inſtituerunt religioſam profeſſi, & poſtea diuitijs inhiant.*

Rupertus capit. 21. in Ioſue, Achan figuram fuiſſe ait eorum, qui à nobis exierunt, & de anathemate Hiericho, id eſt, mundi prædam tulerunt, & mentientes inter vaſa ſua repoſuerunt. *Dum enim*, inquit, *ſub ſpecie pietatis pulchri incedentes atque religioſi, auaritiæ ſtudent, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, & cuncta multa ſpiritualis faciunt venalia, quid aliud, quàm anathema furantur, & mentiuntur, & abſcondunt inter vaſa ſua, imò inter conſcientias ſuas. Hanc malitiæ radicem, & huius fellis amaritudinem, primùm in Simone Mago, per os Beati Petri Apoſtoli, vniuerſa Chriſti Eccleſia terribiliter anathematizat, & hæreticam eſſe hydram indicat.* Hæc ille. Non potuit Iſrael hoſtes vincere, donec pollutum Achan anathemate, ſupplicio mulctauit. Nec in Eccleſia præclara opera fient, quamdiu auaritia in ea locum habuerit. Vnde apud Matth. 21. dicitur quia cum Dominus noſter facto de funibus flagello vendentes & ementes de templo eieciſſet, tunc demum acceſſerunt cæci & claudi ad eum in templo & curauit eos. *Nam prius*, (Inquit Ruper.) *cæcos & claudos curauit, quàm illos latrocinantes de ſpelunca eiecit: quod videlicet non vitia curari, nec virtutes poſſunt illuſtrari, niſi prius Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipſi Sacerdotes cum illo Deo ſuo de templo Dei fuerint eiecti, &c.* Adeò verò Rupertus hanc labem deteſtatur, vt putet eam effeciſſe vt ſerò Achan doleret de peccato, ac proinde veniam non impetraſſe, neque à Deo neque ab hominibus. *Quamuis*, inquit, *dixerit ego peccaui, non tamen vllam mereri veniam debuit, quia videlicet cōfeſſio nimium tarda fuit, antè enim turbatus eſt Iſrael, quàm ille reatum agnoſceret, & antè ſors veridica, Deo authore prodidit perſonam, quàm ipſe culpam.* Hæc Rupert. Nos tamē veroſimilius putamus Achan quamuis ſerò (id enim auaritiæ aſcribendum eſt) tamen veram pœnitentiam habuiſſe, qua animæ ſalutem reparauit. Deus enim non tempus, ſed modum pœnitentiæ exigit, vt Chryſoſt. ait. Vide præcedentem annotationem.

Act. 8.

Matth. 21.

Non prius Dominus cæcos, & claudos curauit, quam de templo vendentes eiecit.

Rupertus putat Achan non meruiſſe veniam, quia illius confeſſio tarda fuit.

Chryſoſt.

2. Expende tamen in ipſa confeſſione, quam

A ſolicita ſit, & perſpicax auaritia, in conquirendis alienis bonis. Placuit Achan pallium pulchrum, ſicut Euæ olim pomum vetitum, actutum illud abſtulit. Numos argēteos inuenit; ſuos fecit. Regulam ſiue linguam auream reperit; ne à quopiā raperetur, præripuit. Profectò auaritia in vncino mihi repræſentari videtur, quem vidit Amos cap. 8. Quid tu (inquit, Deus) vides Amos? *Et dixi vncinum pomorum, &c.* Eſt autem vncinus, baculus oblongus, incurua cuſpide, ad ramos arborū attrahendos, & colligēda poma præpilatus; Cum ergo auaritia multum in eo capite octauo reprehendatur, rectè Rupertus de auaritia philoſophatur vncini, quo poma attrahuntur, allegorica

Auaritia in vncino, quem vidit Amos. 8 figuratur.

Rupertus.

B expoſitione vtēs. Vnica profectò eſt auaritiæ manus, neque vnquam niſi ad accipiendum, extenditur. Porrò homines aliquid habentes veluti rami ſunt, poma candida, ſiue rubicunda, viſúque pulchra, & ad veſcendum delectabilia gerentes. Talibus auaritia callidè inſidiatur, cuiuslibet artis vncinum innectens, crebróque conuoluens ſilenter, dum timet audiri, vt & damnum fiat pomo detracto, & tamen poſſeſſor non percipiat, donec iam ſaturato fure damnum ſuum tarde reperiens gemat, &c. Aptè auaritiæ dolus vncino, & bona temporalia pomis aſſimilantur. Addit Rupertus, vt prępendas bona omnia temporalia, quæ ſibi vncinus auaritiæ ſitientur attrahit rectè

Vnica eſt auaritiæ manus, quæ non niſi ad accipiendum extenditur.

C ob vtilitatem nomine pomorum denotari: ſciendum eſt, quia primus homo cupiditatis crimen per quod periit, non per aurum, neque per argentum, ſed per exiguum pomum admiſit, &c. Dum ergo addit Amos. Venit finis ſuper populum meū Iſrael ſignificat propter auaritiam & rapinas diuitum, populos & vrbes aliquando excindi.

Propter auaritiam vrbes aliquando corruunt

3. Artes auaritiæ, & trahendas veluti vncino alienas diuitias ita explicat Deus per Amos cap. citato. *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos, terræ, dicentes. Quando tranſibit menſis, & vendabimus merces, & Sabbathum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, & poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, &*

Artes auaritiæ ad rapiendas opes alienas.

D *quiſquilias frumenti vendamus, &c.* Hieronym. Exponit maiorem faciamus in vendendis mercibus menſuram, & maiora pondera in accipiendis. Pro menſura Hebr. eſt אפה pro quo 70. *menſuram* poſuerunt. Eſt autem *apha* ſiue *aphi* menſura aridorum, quæ eſt decima pars cori, ſicut bathus eſt liquidorum, quæ decima eſt etiam cori pars. Corus autem triginta modios habet. Vnde non bene Pagninus & Vatab. modium pro apha poſuerunt. Apud Amos hoc loco generale eſt nomen menſuræ. Siclus nomen eſt & ponderis & monetæ, hic magis eſt ponderis. Vides ſolicitudinem auarorum, in minuendis menſuris, & pon-

Hieronym.

Apha ſiue aphi eſt decima pars Cori.

Corus triginta modios habet.

Pagn. Vatab.

Siclus nomen eſt ponderis, & monetæ

Bib. Patr. tom. 7.

E deribus, atque adeò in ſtatera doloſa, contra iuſtitiæ leges inducenda.

Iam Iudæ proditoris in augendis numis cupiditas, quo non proceſſit? eam eleganter deteſtatus eſt Gaudentius Epiſcopus Brixianus tract. 13. de promiſſione paracliti. *Auari fraudatoris* (inquit) *affectum, crimen videlicet proprium, ſub ſpecie religionis, dum tegere conatur, expreſſit. Irreligioſus planè atque importunus, quia quod ad honorem Chriſti factum fuerat, non modo ſuperfluum computauit, verum etiam reprehendit. Auarus quoque quoniam non ſatiabatur ſtipendia pauperum quotidie ſubtrahendo: ſed & ſepulturæ Chriſti pretium in propria ardebat lucra conuertere. Quare hoc vnguentum*, inquit, *non eſt venum-*

Iudas proditor, quæ furatus eſt cũ vita amiſit.

datum denarijs trecentis,& datum eſt pauperibus, conuertit autem non in momentanea ſua cupiditatis lucra, ſed in detrimenta perpetua. Siquidem non multo poſt vniuerſa,quæ impius fur collegerat, ex fraudibus perpetratis, vel quæ ſacrilegus Chriſti traditor, pro mercede iniquitatis acceperat, cum vita pariter amiſit. Nam prædictorum facinorum conſcientia ſtrangulatus, mortem debitam, laqueo ſibimet initus præparato, confeſtim rapiendus ad inferni ſupplicia. Hæc Gaudentius.

Hyppolitus Martyr. Bibl tom. 7.

Inter alia damna, quæ mundus patietur cum ad finem ætas illius extrema deueniet, auarorum crudelem habendi ſitim enumerat Hyppolitus Martyr in Orat. de coöſum. mundi. *Paſtores*, inquit, *fient quaſi lupi, Monachi expetent, quæ ſunt mundi: diuites animum expertem miſericordia induent, pauperi non ſuccurrent principes, potentes miſerationes abijcient. Iudices iuſtum auferent ex iuſto, muneribúſq; excæcati iniuſtitiam probabunt.* Hæc ille.

Plin.

4. Significatur hæc ſitis in animalculo, cui cibi exitus non eſt; de quo Plin. lib. 11. cap. 34. *In fixo*, inquit, *ſemper in ſanguine capite viuens, atque ita intumeſcens, vnum animalium, cui cibo non ſit exitus*, &c.

Auarus ſimilis animalculo quod ſanguine viuit ſine exitu, donec rumpatur. Hirundines ſitiunt ſanguinẽ.

Nam capite auarus, & corde diuitiarum quæ ſanguis ſunt pauperum, copia coöfixus, ita illas reſcindit vt exitum nõ habeant, donec ipſe ſuis bonis intumeſcens rumpatur, & pereat. Æquè mira eſt hirundinum generi (vt author eſt idem Plin.) in paluſtri aqua, ſanguinis ſitis. Quo docemur auarum non eſſe bonis, quæ ſua ſunt, & iam poſſidet contentum, ſed ſanguini etiam inſidiari?

Iob. 20.

5. Hanc immitem, & inſidiatricem naturam abominatus eſt Sophar. Iobi. cap. 20. *Confringens*, inquit, *nudauit pauperem, domum rapuit, & non ædificauit eam.* Id eſt violenter deprædatus eſt auarus domum alienam, quam ipſe non ædificauit. Et enim, qui ædificant vbi auari ſunt, non ſibi, ſed auaris, & raptoribus ædificant. Deinde addit Sophar. *Non eſt ſatiatus venter eius & cùm habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit.* Vnde Greg. lib. 15. Mor. cap. 12.

Gregorius.

Auaritia, inquit, *deſideratis rebus non extinguitur, ſed augetur: nam more ignis cum ligna, quæ conſumat acceperit, accreſcit: & vnde videtur ad momentum flamma compriмi, inde paulo poſt cernitur dilatari*, &c. Laborant morbo, qui huiuſmodi ſunt, intercute. Voces audiunt intra ſe moleſtiſſimas filiarum ſanguiſugæ, dicentium ſemper, affer, affer; vel propriè ex Hebræo, da, da, aut trade, trade, vbi Beda ſanguiſugam diabolum eſſe interpretatur humani ſanguinis ſitientem: illius verò duas filias eſſe auaritiam, & libidinem, quæ ſemper aliquid expetant.

Beda.

Quia verò ingens eſt cruciatus impij, quem inſatiabilis cupiditas vexat dum captare fugientia bona non poteſt, inquit Sophar, *Et cùm habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit*, 70. in deſiderio ſuo non euadet, aut non liberabitur; id eſt nunquam liber euadet à deſiderio, ſiue laqueo, vt illius verbo vtar, concupiſcibilium.

Auarus micas panis ſibi appoſiti colligit. Caiet.

6. Subiungitur, *Non remanſit de cibo eius & propterea nihil remanebit de bonis eius*, &c. Caiet. hæc verba refert ad parſimoniam auari, quæ tanta eſt, vt de cibo ſibi tenuiter appoſito, nec micas quidem aliis relinquat. Hinc Philippus rectè colligit impij diuitis inhumanitatem, qui de abundantia menſæ ſuæ nulli peregrino, vel hoſpiti refectionem præbuerit. Solùm micæ de menſa diuitis, Luc. 16. cadebant, nec illas, quiſpiam mendico Lazaro dabat. Quare de cibo Epulonis nec mica quidem remanebat pauperi, aut hoſpiti. Hac mẽte præditus erat Nabal. 1. Reg. 25. qui de cibo ſuo nihil largiri voluit Dauid petenti. *Tollam*, inquit, *panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris quos neſcio vnde ſint?* Obſeruat Theodor. q. 57. Dauidem inſtar mendici, panem petiiſſe, & aquam. Significans namq; egeſtatem rerum neceſſariarum, *Inueniant*, inquit, *pueri tui gratiam in oculis tuis; da quod inueneris manus tua.* Quid differunt hæc verba à verbis quibus vtuntur mendici? Sed vir ferus non modò non dedit, ſed etiam irriſit. Hæc ferè Theod.

Luc. 16.

1. Reg. 25.

1. Reg. q. 57. Theodoretus.

Nabal auarus doluit eleemoſynam datã Dauidi petẽti, &c.

7. Adeò ſordidus homo erat hic Nabal, & ad diteſcẽdum affectus, vt cùm poſtea Abigail ignoranti narraret, quæ munera Dauid irato detulerit, *Emortuum fuerit cor eius extrinſecus, & factus fuerit quaſi lapis* (inquit ſacer hiſtoricus) cauſam quæris? Auarus erat, conceſſam eleemoſynam doluit, & miſſum fuiſſe munus, quo res domeſtica; minueretur, ſtupens obriguit. Non ſinit Deus huiuſmodi homines abſque ſupplicio vitam finire. De auaro Sophar, loco citato: *Pluat*, inquit, *ſuper illum bellum ſuum*, Pagninus, faciat pluere ægritudines malas ſuper eum. Quas enim vertigines quas podagras, quas lippitudines diuites non experiuntur? Idem bellandi. Et comedendi verbum eſt apud Hebræos, vt intelligamus in ipſo cibo, bellum excitari contra auaros, quo cruciantur. Quamuis bellum intelligere poſſimus, quo Deus impugnat auaros, conuocans militiam ſuam, nempe turbatum cœlum nubes terrificas, & imbres. Deo námque militat æther.

Pagninus.

Imprecatio contra auarum.

Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Vnde eleganti trãſlatione dictum eſt, pluere bellum, ſic enim ſtillare dicitur Deus ſuper Hieruſalem, aut ſuper aliquem, cùm ſupplicium infert, quaſi tunc cum illo depugnet. 2. Par. 12. *Non ſtillabit furor meus ſuper Hieruſalem.* Et Mich. 2. *Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem, & erit ſuper quem ſtillatur populus iſte.* Iam pluuiæ, & belli rationem in peccatores immiſſi explicuit Dauid, Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur*, &c. Pluet autem Deus ſuper auaros laqueos more Nomadum de quibus Herod. lib. 7. *Viuentes*, inquit, *rectè è loris conſerta, in prælium eunt. Eſt autem prælium eorum virorum huiuſmodi, vbi cum hoſte congreſſuri ſunt, iniciunt eos in ſummum laqueos habentes quo laqueo cùm, aut equum, aut hominem adeptus eſt, eum ad ſe trahunt, ita illi illaqueati conficiuntur*, &c. An non vides Deum laqueos ſupplicij ex alto quodammodo inieciſſe in Ananiam & Saphiram, quibus implicit, ſubitò mortui ſunt. In Iudam, qui laqueo ſuſpenſus crepuit medius? In Iezi, qui lepram ſibi & poſteris noxam contraxit? Num poterit, ſe auarus & furax Achan è laqueo ſortis, qua deprehenſus eſt ſacrilegij reus, expedire? Pluent mox ſuper illum lapides, & igni admoto cum diuitiis ſuis comburetur. I, nunc & ſectare auaritiam & deſideria inutilia, quæ vt Apoſtolus ait. 1. Tim. 6. mergunt hominem in interitum, & perditionem.

2. Paralip. 12.

Mich. 2.

Pſal. 10.

Herodotus.

Iniicit laqueos in auaros, qui capiuntur. Vt Iudas.

1. Tim 6.

Verſ. 25.] Duxerunt eos ad vallem Achor vbi dixit Ioſue. Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac, lapidauítque eum omnis Iſrael, & cuncta, quæ illius erant igne conſumpta ſunt.

Quomodo iuſte ducti ſint ad ſupplicium innocentes filij & filiæ Achan, vna cum patre peccati reo?

ANNOTATIO IIII.

1. AVdita confeſſione Achan, qua veritatem compunctus animo aperuit, & gloriam Deo Iſrael dedit. *Tollens*, inquit Sacer hiſtoricus. *Ioſue Achan filium Zare, argentúmque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias eius, boues & aſinos, & oues ipſúmque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem, (& omnis Iſrael cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor: vbi dixit Ioſue, &c.* Multiplex ex his verbis quæſtio oritur, ſed illa inprimis. Cur filij innocentes, cum patre nocente pœna plectantur? Id in humano iudicio non licere, quando de pœna mortis agitur, omnes conſentiunt; Quomodo autem id à Deo iuſtè fiat, quæſtio eſt D. Auguſt. quæſt. 8. & 9. in Ioſue, tom. 4. hanc proponit & diſſoluit difficultatem, in hunc modum. Quæri ſolet quomodo iuſte pro alterius peccatis, in aliis vindicetur, maximè quia in lege Dominus dixit nec patres pro filiorum, nec filios pro parentum peccatis eſſe puniendos? Primùm ſoluit difficultatem; dicens aliud iudicantibus hominibus eſſe præceptum, quos cum multa lateant, oportet ne quenquam pro altero puniant. Dei autem iudicia alia eſſe, quippe qui alto & inuiſibili conſilio ſuo nouit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam ſalubrémque terrorem Secundò ſtatuit, pœnis, quæ poſt mortem irrogantur, alium pro alio damnari non poſſe: ſed in his tãtum rebus irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiam ſi non eo modo finirentur. Quare 36. viri qui in oppugnatione ciuitatis Hai ceciderunt; nec filij Achan, detrimentum aliquod in bonis ſpiritualibus paſſi ſunt; ſed in corpore tantùm tandem morituro. Ioſue quidem, ſi Achan reus ab aliquo deprehenſus in ſuum tribunal adduceretur, haudquaquam, vel pro illo, vel cum illo quenquam alium, qui ſocietate facti eius minimè teneretur, puniret, cum humano iudici id lege ſit interdictum. Tertiò aduertit, lõgè, ſecretiori iuſtitia à Deo res humanas iudicari quippe qui potens ſit etiam poſt mortem, quod homo non poteſt liberare, vel perdere. Vnde fit, vt afflictiones hominum, ſiue mortes viſibiles, quoniam his, quibus ingeruntur & prodeſſe, & obeſſe poſſunt; eas Dominus, qui occulta nouit pro ſua prouidentia iuſtè quibuſdam diſpenſat, & iam cum aliorum peccata in aliis videtur vlciſci. Pœnas verò inuiſibiles, quæ nonniſi nocent, & prodeſſe non poſſunt; nulli Deus pro alienis peccatis infert. Quartò definit, non eſſe credibile filios Achan, qui pro peccato patris, à quo innocentes erant mortui ſunt, etiam poſt mortem ſupplicio æterno cruciari. Mors quippe (inquit) iſta quæ omnes manet, quanquam de primo peccato veniat, tamen quia nati ſumus, vt neceſſariò moriendum ſit, accelerata quibuſdam eſt vtilis. Vnde legitur, de quodam, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Quo ergò iudicio, Dei, vel miſericordia fuerit irrogata, ſiue filiis eius, ſiue illis 36. viris cùm omnes ab eius peccato alieni fuerint, latet apud eum, apud quem non eſt iniquitas, &c. Eã in promptu vtilitas eſt, quod ad conſpectum huius pœnæ, horror iniectus eſt populo ne authorem ſceleris imitari cuperet, quem videbant pro peccato ſuo ſecum cõſumptis ſuis poſteris emori. Hanc D. Auguſt. doctrinam recipiunt Lyranus, Dionyſ. Carthuſi. citans D. Thom. & alios ſcholaſticos doctores, Arias Montanus, Abulenſ. hic quæſt. 27. vbi ſex modos colligit ex Auguſtino, quibus Deus iuſtè punire ſoleat vnũ pro peccato alterius.

Quando de pœna mortis agitur, non licet filios innocentes cum patre nocente plectere, in iudicio humano.

Auguſtinus.

Morte æterna nemo punitur pro peccato alterius.

... fuit accelerata quibuſdam vtilis.

... confuſione ... voluerit, filij Achan ... mulctati ... cum non ... Deum ...

Auguſtinus. Lyranus. Dionyſ. D. Thomas. Montanus. Abulenſis.

2. Idem quæſt. 29. Rectè explicat, quomodo intelligitur Deus punire peccata patrum in filios. Primùm quia quicumque filius punitur, peccatum habet, pro quo iuſte puniatur, aut originale tantùm, ſi paruulus eſt, aut actuale ſi adultus, aut ſaltem debitor eſt pœnæ culpæ originalis, 3. Reg. 8. *Nemo eſt, qui non peccet.* Deus autem puniens filios, tum illorum peccata ſupplicio plectit; quia apud Deum nemo innocens eſt, Exod. 34. tum patres cruciat conſpectu pœnarum filiorum, quos valde diligunt. Sic etiam aliquo modo puniri dicuntur peccata Dominorum in ſubditis, qui licèt non tam arctè, ac filij, ſunt tamen aliquid Dominorum, à quibus ſaltem, vt rẽ poſſeſſam, & vtilem diliguntur. Exemplum eſt in Hebræis occiſis ab Angelo peſte ob peccatum, quod Rex Dauid admiſit numerando populum, 2. Reg. 24 & 1. Paralip. 21. Erant autem, inquit, Abulenſ. quæſt. 30. duo peccata, quæ occiſione tot millium hominum vindicabantur a Deo: vnum, numerationis iuſſu Regis factæ. Alterum populi legem non obſeruantis, huius tamen pœna differri poterat, ſed, vt Regis ſcelus puniretur, Deus tempus vindictæ anteuertit.

Filius qui punitur peccatum habet aut actuale, aut orig. præter pœnam patris. 3. Reg. 8.

Exod. 34.

2. Reg. 24. 1. Paralip. 21.

3. Quod autem ait idem Abulenſ. quæſt. 31. nunquam puniri filios pro patribus, niſi viuentibus patribus, nec ſeruos pro Dominis vera doctrina videtur. Illius verba ſunt. *Solùm*, inquit, *puniuntur peccata patrum in filios, eis viuentibus, poſt mortem autem patrum, quicquid accidat filijs, tam non eſt pro peccatis patrum ſed pro ſuis, quia pater non poſſet puniri in filiis poſt mortem cùm pœnam illorũ non agnoſcat, cùm neſciat an nobiles, an ignobiles ſint, vt dicitur* Iob. 14. *de mortuo, ſiue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget.* Obicies Exod. 34. ſcriptum eſſe, puniri peccata patrum in filios vſque in tertiam, & quartam generationem. Sic eſt, ſed placet Abulen. explicatio, nempe ſenſum non eſſe: Peccata patrum ſemper in filiis puniri vſque ad tertiam & quartam progeniem, quia, inquit ſæpiſſimè patres peccant, & non puniuntur peccata eorum in filiis, vtpote quia boni ſunt, & a prauitate paterna alieni. Senſus ergò eſt, quod quando Deus voluerit punire peccata patrum in filios, ad plus puniet vſque ad quartam generationem, & non extendit pœnam ad alias generationes, & tamen hoc non fit niſi quia, vt dictum eſt, tanto tempore ſolent homines viuere, vt videant tertiam & quartam generationem, & non amplius, ideo quandiu viuunt, poſſunt in aliqua harum generatione puniri, ſi autem moriatur pater quamuis ob multa peccata puniri poſſet, non punietur in filiis, ſed ipſe pœnas, quas meruit in ſe ipſo patietur. Hæc ille. Qui rectè addit, ſi filij, & nepotes Sancti ſint; pronepotes autem peccatores, punietur peccatum patris in pronepotibus, & non in filiis; ideóque dictum eſſe putat in 3. & 4. generationem. Interdum tamen Deus, in filiis peccatum parentum vlciſcitur, ſine vlla temporis prorogatione. Sic ob peccatũm adulterij & homicidij Dauid, mortuus eſt filiolus nuper natus, 2. Reg. 12 *Verumtamen*, inquit, *quia blaſphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc: filius*,

Abulenſis. *Peccata patrum in filios puniuntur viuentibus patribus nõ poſt mortem.*

Iob. 14.

Exod. 34. *Peccata patrum in filios quomodo puniantur vſque ad quartam generationem.*

Peccatum patrum non in filiis, ſi ſancti viuant, ſed in nepotibus, ſi mali ſunt punitur.

2. Reg. 12.

qui

qui natus eſt tibi morietur. Dominus etiam peccantibus videmus pœnam ſtatim illatam populo. Enumerato námque à Dauide populo 70. hominum millia peſte conſumpta ſunt, 2. Reg. 24. vt qui gloriabatur populi ſibi ſubditi multitudine: imminutione puniretur, quamuis qui ita puniebantur etiàm ob peccata propria digni erant ſupplicio. Peculiaris tamen caſus eſt, in punitione Saulis, occidentis Gabaonitas; poſt cuius mortem occiſi ſunt, vt Gabaonitarum iniuria ſarciretur, duo filij, & quinque nepotes illius, 2. Reg. 21. Id Deo annuente factum eſt, qui adeò eam vindictam inferri poſteritati Saulis curauit, vt tribus annis fame Iſraelitas afflixerit, donec 7. illi viri veluti victimæ occiſi ſunt. Licèt enim pro patre filij interfici ab homine iudice nequeant iuxta præceptum, Deu. 24. Deus tamen aliter diſponere pro ſua ſapientia de rebus humanis poteſt, cùm Dominus ſit vitæ & mortis, vide Abulenſ. q. 75.

2. Reg. 24.

Propter peccatũ Saul duo filij eius, & 5. nepotes occiſi ſunt. 2. Reg. 21.

4. Illud tandem annotandum eſt, opinionem quorundam fuiſſe (vt refert Abulen. q. 53.) à Deo non occidi pro patribus omnes filios, ſed ſolùm filios paruulos; non autem emancipatos, qui extra domum ſunt & poteſtatem paternam. Itaque iuxta hanc ſententiam, quæ abſurda non eſt, emancipatos filios nec iubet Deus occidi pro parentum ſcelere, nec ipſe eos punit vltimo ſupplicio. Iuxta illud Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij.* Filij autem paruuli cùm aliquid ſint patris, magis quàm emancipati, nec habeant quamdiu ſub illius ſunt poteſtate, in quo mereri aut demereri poſſint, idcirco puniuntur, vt res ad patrem pertinentes. Nec verò cum illis, ſi cum patre Dei iuſſu occidantur, iniquè agitur. His námque mors quæcumque euenerit, nocere non poterit. Quin potiùs (inquit Abul.) innocentibus, mortis atrocitas ad coronam eſt: patribus autem eorum mors pœna eſt, cùm eos ferè affectu nimio, vt ſeipſos diligant. Iuxta hanc opinionem credibile eſt ſolos filios paruulos Achan & filias morti fuiſſe deſtinatas: non verò alios ſi forte eos habuit extra paternam iuriſdictionem poſitos. Cum tamen hic vnius tantùm tabernaculi Achã concremati mentio fiat, ſolos paruulos illum habuiſſe filios, probabile eſt. Porrò quando paruuli puniuntur pro peccato patris, punitio redundat, in cumulatiorem gloriæ coronam. De filiis autem & filiabus Achan (inquit Abulenſ.) dicendum eſt, quod iſta mors fuerit ad maiorem coronam, nihil enim mali prometuerãt. Nunc autem Deus percuſſerat eos atroci morte propter patrẽ. Debebat ergo hoc eis recompenſare in maioritate gloriæ in vita æterna. &c. Hæc ille. Aduerte tamen à cæteris doctoribus, & patribus cum de punitione agitur, à numine propter peccata parentum in filios illata, nullam fieri paruulorũ, aut emancipatorum mentionem, nedum diſtinctionem. Hanc tamen ſententiam huc attexui: quia ſi non valde firmo, aliquo nihilominùs nititur fundamento. Videtur enim rationi conſonum, vt in paruulis potiùs filiis puniatur ſceleratus pater, quàm in adultis. Fermè enim paruulorum conſpectu magis delectatur.

Abulenſ.

Sunt, qui dicant occidi a Deo filios paruulos pro peccato patrum, non verò emancipatos.

Ezech. 18.

Innocentibus, mortis atrocitas ad coronam eſt.

Achan filios paruulos fuiſſe credibile eſt.

* *
*

Verſ. 25.] Lapidauit eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt.

Cur cùm Deus præceperit deprehenſum in ſacrilegio igne cremari, Achan lapidum iactibus interfici, viſus ſit?

ANNOTATIO V.

5. ALTERA quæſtio eſt, ex verbis ſuprà propoſitis orta, cur Ioſue lapidari a populo fecerit Achan, cùm Deus igni, anathematis reum adiudicauerit, D. Auguſt. loco cit. q. 9. ita reſpondet. *An ita eum mori oportuit quemadmodum* IESVS, *qui propiùs Dominum ſequebatur. Verba iubentis intelligere potuit? ſic enim alius quiſquam, non facile potuit. Vnde magis quærendum eſt cur lapidationem ignẽ appellauerit Dominus*, & infrà. *Proinde ignis nomine pœnam potuiſſe ſignificari ſcriptura, teſtis eſt in Deuteronom. cap. 4. vbi dicitur ad filios Iſrael: Et eduxi vos de fornacè ferrea ex Ægypto; vbi vtiq; duram tribulationem intelligi voluit.* Hæc ille. Deinde duas cauſas aſſignat cur ita factum ſit, non tamen vt ambæ ſint, ſed vt altera ex eis. Vna cauſa eſt, quia fortè Deus voluit, vt peccatum Achan expiaretur, non euidenti igne, ſed perpeſſione lapidationis, quæ ignis etiam appellatur, ſicut & quæuis grauis pœna. Verba Auguſtini ſunt. *Cum propter Dei verba, & factum* IESV, *à quo præuaricatori illa verba non poſſent, rectiſſimè dicitur etiam lapidationem ignem fuiſſe eleganter agnoſcitur illa pœna, hominem, ne in poſterum peccato illo interiret, fuiſſe purgatum. Quod ſignificant etiam vaſa in Leuitico, quæ iubentur igne purgari*, &c.

Auguſtinus. Quid cauſa fit cur Deus Achan lapidandum, ignis eſſe comburendum et Dei decreto.

Deut. 4.

Quæuis grauis tribulatio, aut pœna, ignis vocatur.

6. Alia cauſa eſt, quia fortè peccatum huiuſmodi fuit, vt mereretur etiam poſt hanc vitam, æternis addici cruciatibus. Quarè voluit Ioſue reum lapidari, vt quod à Domino dictum eſt. *Igni cremabitur.* illud admoneat intelligi, quod Dominus faceret, non quod ab ipſis eſſet faciendum. Vnde lapidibus potiùs, quam flammis interfici curauit, ne in illis ignibus, verba Domini viderentur impleta, quæ ob aliud dicta volebat intelligi. Dum autem Deus præcipit eum cremari, & omnia quæ ſunt eius. *Opera eius* (inquit Auguſt.) *Poſſunt intelligi, quæ cum illo dicit concremanda. Non ſicut de quibuſdam operibus igne conſumptis, ipſe autem ſaluus erit. Si huius peccatum ita intelligatur, vt etiam æterno igne puniatur.* Hæc Auguſt. Cæterum, quòd non debeamus intelligere Achan mulctandum igne inferni, nec Deum id præcipiſſe, aut Ioſue id intellexiſſe ſex argumentis confirmat Abulen. q. 55. Quarè ſimpliciter intelligi debet contextus, prout à nobis ſuprà explicatus eſt; nimirum Achã lapidatum prius fuiſſe, quia vt ait Lyranus Sabbatho furtum fecit, & in ſuum tabernaculum exportauit: poſteà cum filiis (ſiue illi quoque prius fuerint lapidati ſiue non) & cũ pecoribus domeſticáque ſupellectili combuſtũ. Nec opus eſt ad metaphoricos ſenſus, vbi narratio ipſa rẽ indicat, conſurgere; Tulit patienter Achan mortem temporariam, quam Deus illi præſcripſit inferendam; meruitq; æternos euadere cruciatus, vt diximus.

Fortè Deus igne cremandum Achan demandauit non igne huius vitæ, ſed æterno.

1. Cor. 3.

Sex argumentis concluditur non intelligi à Ioſue ignem æternum. Abulenſis.

Lyranus.

Dixit enim: *Verè ego peccaui Domino Deo Iſraël.* A
Imò vt aduertit Abulenſ. licet Achan cremandus
eſſet igni æterno, non denuntiaret id Deus Ioſuę.
Cruciatus namque & pœnas poſt hanc vitam;
numquam Deus iudici alicui denuntiat cùm ſint
extra forum humani iudicij. Huc poteſt trahi il-
lud Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel mo-
menta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Quid quod
Achan iubetur à Deo igne comburi cum omni
ſubſtantia ſua? Num ſubſtantia æterno igni ad-
iudicatur? Gloſſ. ord. omnia, quæ ſunt Achan
igne comburenda eſſe ait, quia opera illius æter-
nis damnanda ſunt ſuppliciis. Hic tamen ſenſus
myſticus eſt, & ex Auguſtino ſumptus: qui affir-
mat per ignem purgatorium cremari opera no-
ſtra, quæ vocantur, lignum, fenum, & ſtipula. 1. B
Cor. 3. & quibus igne conſumptis homo ſaluus
erit. Addit gloſſ. recitata Pauli autoritate: *Huius,*
ſcilicet, *Achan peccatum intelligendum eſt, ita, vt etiã
æterno igne puniatur,* &c. Sed iam ſuprà ſtatuimus,
quid in hac materia ſentiendum ſit. Verùm quod
omnia, quæ pertinebant ad Achan igne cremari
iuſſa ſunt; Cauſa vna eſt, quia voluit Deus ea ſen-
tentia magnitudinem ſceleris declarare. Altera,
quia ea pœna auget horrorẽ criminis; ſicut cùm
Deus, Deut. 21. iuſſit filium contumacem coram
omnibus occidi, ne quis deinceps in ſimile flagi-
tium prolaberetur. *Lapidibus,* inquit, *obruet popu-
lus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio* C
veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimiſcat, ſic A-
poſt. 1. Tim. 4. *Peccantes,* inquit, *coram omnibus, ar-
gue; vt ceteri timorem habeant.* Tertia, quia ob atro-
citatem ſceleris omnia, quæ ad Achan pertine-
bant reputabantur immunda, veſtes, domus, pe-
cora filij, &c. Et quia infidelitas ſummum credi-
tur peccatum, & maximè abominandum, reputa-
bat Deus omnia polluta, quæ gentilis continge-
bat: Vnde Leu. 22. *De manu alienigenæ non offeretis
panes Domino Deo veſtro; & quicquid aliud dare vo-
lueritis; quia corrupta & maculata ſunt omnia, non acci-
pietis ea.* Vide quid Deus præcipiat faciendum,
Deut. 13. ſi in aliqua ciuitate Iſraelitarum idolo-
latria inueniretur. D

7. Tertia, quia Deus conſueuit primum tranſ-
greſſorem alicuius legis ad exemplum poſterita-
tis ſeuerè admodùm punire. Inductam in homi-
num genus abſque vllo religionis metu libidinẽ;
diluuio homines iumenta, & terram ipſam o-
bruente, expiauit, Gen. 8. & 9. *Omnis quippe caro
corruperat viam ſuam.* Abuſum maſculorum in
Sodomitis, Gen. 19. igne extinxit. Primam quoq;
ſimoniæ labem in lepra Giezi, quæ ad poſteros
peruaſit. 4. Reg. 5. damnauit. Sic quoque D. Pe-
trus, iubente Domino, mori fecit Ananiam, &
Saphiram; quia vt patet Act. 5. occultantes par-
tem pretij agri, mẽtiti ſunt. Hodie multi fœda li-
bidine corrupti ſunt; multi abutũtur ſexu. Com- E
plures Simonia & mendaciis implicantur, nec
tamen à Deo tam atrociter puniuntur: Cauſam
requiris? eam eſſe, quam diximus, quis dubitat?
Quare meritò Abulenſ. q. 59. ait, tam durè à Deo
puniri Achan pro ſcelere præuaricationis ana-
thematis; quia hoc erat primum anathema indi-
ctum à Deo ac propterea primus tranſgreſſor a-
cerbè debuit puniri. Habes cauſã, cur cùm Deus
præceperit cremari reum criminis in Hiericho
patrati, Ioſue prius illum lapidibus obrui iuſſe-
rit; ſimúlque cuſtam ſeuerè in id peccatum ſit a-
nimaduerſum. Addo nihil omnino immutatum
fuiſſe, de iis, quæ à Deo præſcripta ſunt. *Igne,* in-
quit Deus, *comburatur, cum omni ſubſtantia ſua;* ita
factum eſt, crematus namque eſt, cum omnibus,
quæ ad illum pertinebat; prius tamen lapidatus
fuit ob violationem legis Sabbathi, cuius Deus
non meminit, quia iam lata fuerat, & Iudæis co-
gnita: In quo miſericordiæ ratio habita videtur:
fortè ob confeſſionem à reo factam ad gloriam
Dei Iſrael. Nam mitius redditur ſupplicium, cum
ille, qui comburendus eſt, prius occiditur.

8. Sed dices; videri Ioſue præceptum Dei non
ſeruaſſe. Quando enim Deus iubet aliquem cõ-
buri, non intelligimus mortuo applicandum eſſe
ignem; ſed viuenti adhuc & ſpiranti; vt patet
Leu. 20. de illo, qui accepit matrem & filiam in
vxores. Scriptum eſt enim: *viuus ardebit cum eis,*
& cap. 21. de filia ſacerdotis apprehenſa in ſtu-
pro, idem ſignificatur. Reſpondendum eſt locis
indicatis manifeſtè ſignificari quid Deus velit:
Cæterùm Ioſue non fuiſſe dictum, vt reus ana-
thematis viuus combureretur; Vnde mitior pars
in materia pœnali eligenda fuit. Fortè quod A-
bulenſ. q. 66. ſuſpicatur, verum eſt, nempe & la-
pidationis, & combuſtionis pœnam à Deo im-
poſitam fuiſſe, licèt ſcriptura, vnius tantùm com-
buſtionis meminerit. Nec enim omnia, quæ Deus
Ioſue expreſſit facienda, ſcribi oportuit.

Iudicibus Deus nõ reuelat, quid in alia vita ſit futurum de reo. Act. 1.

Gloſſ. Ord.

1. Cor. 3.

Gloſſa interpretatur Achan fuiſſe reum æternæ pœnæ, quod negamus.

Deut. 21.

Filiꝰ contumax iubetur lapidari.

1. Tim. 4.

Ob atrocitatem ſceleris omnia, quæ ad Achan pertinebant, reputabantur immunda.

Leuit. 22.

Deut. 13.

Primi alicuius legis trãſgreſſores grauius puniuntur.

Gen. 8. & 9.

Gen. 19.

4. Reg. 5.

Act. 5.

Abulenſ.

Primus tranſgreſſor indicti anathematis fuit Achan: ideo ſeuerè punitur.

Leuit. 20. infrà c. 21.

Verſ. 26.] Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.

An æquior ſit opinio, quæ Achan ſalutem æternam conſecutum fuiſſe ait, illa, quæ contrarium aſſerit?

ANNOTATIO VI.

1. PROPTER verba, quibus Ioſue allocutus
eſt Achan, antequàm lapidari cœpiſſet,
perſuaderi aliquibus videtur ea ſententia, quæ
aſſerit eum, & temporali & æterna pœna fuiſſe
mulctatum. Ait quippe; *quia turbaſti nos, exturbet
te Deus in die hac.* Cæterùm hæc verba, non ad
ſupplicium alterius vitæ, in qua iuriſdictionem
nullam habet humanus iudex, ſed ad pœnam cri-
mini patrato in præſentia irrogandam, ſpectant:
conſentaneum enim erat, vt è cœtu hominum
exturbaretur, qui eidem cœtui turbationi cauſa
fuit. Sic Act. 5. Ananias, & Saphira, quod pretium
agri à ſe venditi occultauerint, eáque ratione fe-
licem paupertatis Apoſtolicæ ſtatũ turbauerint;
è cœtu fidelium à Diuo Petro eiecti ſunt, & vita
priuati. Ne tamen quis exiſtimaret eos in ſpiri-
tualibus bonis detrimentum accepiſſe ab Eccle-
ſiaſtica ſepultura expulſi nõ ſunt. Audi Petri ſen-
tentiam. *Quid vtique conuenit vobis tentare ſpiritum
Domini? ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum tuum
ad oſtium, & efferent te.*

2. Scio D. Baſilium in procœmio libri Ethico-
rum, de iudicio Dei, tom. 2. hos coniuges cum
temporaria, æterna quoque fuiſſe morte damna-
tos. *Pretium ſuum,* inquit, *vendiderat Ananias pre-
tium attulerat idq; ante pedes Apoſtolorum ſtatuerat:
attamen quod partem de eo clam malitioſe compilaſſet;
propterea eodem ipſo tempore, vnà cum vxore morte af
ficitur; non dignus habitus, qui de agenda ob admiſſum
peccatum pœnitentia quicquam audiret: non qui ſpatij*

Ioſue non imprecatus eſt pœnam æternam Achan.

Act. 5.

D. Petrus, Ananiam & Saphiram non priuauit bonis ſpiritalibus, nec ſepultura. Act. 5.

Baſil. damnat Ananiam & Saphiram.

ſibi

ſeruicem tantum nanciſceretur, per quod, vel leniter animo indoleret, & compungeretur; non qui moram deniq; ad ſeipſum redeundi vitam inueniret, &c. Eandem ſententiam inſinuat Ierm. 1. de inſtitutionibus Monach. Beda in Acta Apoſt. & D. Aug. lib. 1. de mirab. ſacr. ſcript. cap. vltim. tom. 3. (ſi tamen ille liber Auguſtini eſt.)

Beda. Auguſt.

Probabilior ſententia.

3. Probabilior tamen eſt oppoſita ſententia, libertati arbitrij humani, & Dei miſericordiæ magis conſentanea. Licèt enim prædicti coniuges peccauerint, potuerunt, detecta per Petrum Apoſtolum fraude, de peccato dolere, quod probabile eſt eos cum fideles eſſent, feciſſe, & à Deo gratia præuenti, vt pœnitentiam haberent, cui pœna mortis multum conferre potuit, vt ſalutaris eſſet. Ad hanc ſententiam accedere videtur D. Hieron. in epiſtola ad Paulinum, dum ait hos præſentem meruiſſe ſententiam, non crudelitate vindictæ, ſed correptionis exemplo. Idem ſentit Dionyſ. Carthuſ. & Petrus Damianus in lib. de contemptu ſeculi, cap. 3. *Ananias*, inquit, *& Saphira, qui a rudes, & denuò ad fidem venientes, & in ipſo fidei tirocinio quodammodo ſimpliciter peccauerũt, diſtricto quidem, ſed pio iudicio ſola; vt credimus ſunt corporis morte mulctati, &c.*

Hieronymus tom. 1. ſub initium.

Diony. Carth. Petr. Dam.

4. Fauet & huic opinioni generalis modus ſuppliciorum, quę à Deo infliguntur. *Solet námque homines Satanæ dare in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Propterea dum iudicamur, ſiue affligimur à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Non enim punit Deus bis in idipſum.* Quid, ſi plerique ex iis, qui diluuij aquis perierunt, pœnitentię dolore compuncti, corporea morte tantùm, non verò ſpirituali ſunt puniti? Id videtur ſentire Hieron. tom. 6. in cap. 1. Nahum. & in trad. Heb. in Gen. Rupert. quoque: *Credendum eſt*, inquit, *aliquos diluuio periiſſe, quorum eodem periculo mortis peccatum deletum ſit.* Idem confirmat Lyran. ex 1. Pet. 3. iis, qui in carcere erant ſpiritibus prædicauit, &c. Ait enim Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, & profuiſſe præcipue illis, qui diluuio ſubmerſi fuerant. Idem aſſeuerat Caietanus explicans verba D. Petri citata. Vide Pererium tom. 2. in Gen. An difficile fuit in momento ad pœnitentiam compungi? neſcit tarda molimina ſpiritus ſancti gratia. Huic quoque opinioni præter alios aſtipulatur ſapientiſſimus Salmeron. tract. 21. in Acta. Mihi placet in re dubia ille Canon. traditus ab Abul. hic. q. 64. quo definit grauius & periculoſius eſſe, ſi quis decernat aliquem condemnari, quam, ſi definiat eum ſaluari. Hoc enim magis repugnat (inquit) libertati arbitrij, & Dei bonitati. Nam quantumcunque ſit aliquis aggrauatus magnis peccatis, & non det operam, vt reſurgat: tantæ ſunt diuinæ bonitatis Dei vocantis hominem ad pœnitentiam, Rom. 2. quòd excitabitur, & trahetur, vt velit bonum, & ſic ſaluabitur: & ſic adiuuatur in hoc liberum arbitrium, & magnificatur bonitas Dei. Cùm autem prænuntiatur de aliquo certiſſimè, quòd damnabitur; minuitur valde libertas arbitrij: quia innuitur, non poſſe de peccato reſurgere, & bonitati Dei videtur præiudicari; quia ſignificitur à Deo non motum iri efficaciter illum, qui eſt in peccato, vt reſurgat. Nunquam ergò Deus de aliquo manifeſtè prænuntiat, quòd condemnabitur, &c. Hinc colligit Abulenſ. Achan ſalutem æternam per pœnitentiam obtinuiſſe: quod ſimiliter diceret de Anania & Saphira, & de aliis fidelibus, quos temporariâ mulctauit pœna.

1. Cor. 5. infra 11.

Hieronym. Nahum 1.

Non omnes qui perierunt in diluuio, damnati ſunt.

Salmeron tract. 21. in Acta. Abulenſ.

Periculoſius eſt definire aliquẽ condemnari, quam ſi dicas ſaluari.

Rom. 2.

Abulenſis ait Achan non condemnatum ſuiſſe pœna æterna.

5. Certè D. Paulus Diuis adnumerat in epiſt. ad Hebr. Gedeonem, quem ſcimus erexiſſe ſimulacrum contra Dei præceptum, & ad idololatriã pertraxiſſe populum, nullo poſt id facinus edito pœnitentiæ ſigno. Quare credibile eſt, imò certum, illum ante mortem peccatorum pœnituiſſe, ſicut & Iephthe, quem idem Apoſtolus cum ſanctis computat. Vide Aug. in quæſt. ſuper lib. Iudicum. q. 49.

Gedeon inter ſanctos numeratur.

Auguſt.

6. His argumentis viri aliquot pij permoti Salomonem etiam ſaluum faciunt, Deo illi locum pœnitentiæ ante mortem indulgente. Huius ſententiæ author, eſt Hieronym. in lib. Eccleſiaſtæ cap. 1. & in Ezech. cap. 43. vbi loquens per comparationem de templo à Salomone ædificato, & de illo alio ab Ezechiele viſo, ait. *Domus illa, quæ à Salomone conſtructa narratur in Regum, & Paralipomenon libris, alterius ordinis atque menſuræ eſt, tantóque inferior templo: quod oſtenditur Ezechieli, vt non ſolum cultores eius, ſed & ipſe fabricator Salomon peccauerit, & offenderit Deum, licèt poſtea egerit pœnitentiam ſcribens prouerbia, in quibus ait. Nouiſſime ego egi pœnitentiam, & reſpexi, vt eligerem diſciplinam, &c.* Locus tamen Prou. cap. 24. aliter ſonat in noſtra vulgata editione, imò & in Hebræo fonte: ſed Hieronymus maluit vti tranſlatione 70. interpretum, quia illius fauebat inſtituto. Hieronymum ſequitur Geneb. lib. 1. ſuæ Chronographiæ. Auguſtinus tamen lib. 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 88. & in Pſal. 126. ait: Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus eſt à Deo, & vſq; adeò laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam idolis ſacrificare cogeretur; ſicut de illo ſcriptura teſtis eſt. Vide eundem lib. 17. cap. 20. de ciu. vbi ſic ait: *Salomon, patre viuente, cœpit regnare. Hic bonos initius, malos exitus habuit, &c.* Solùm aduerto, non eſſe intelligendum Auguſtinum, dum reprobatum aſſerit Salomonem, de æterna reprobatione, ſed tantùm de permiſſione, qua meruit reprobari ſecundùm præſentem iniuſtitiam, & impietatem. Hæc tamen Auguſtini, vel definitio, vel dubitatio prudentes admonet, ne illaqueari ſe illecebris vitæ ſinant neglecta, aut dilata pœnitentia. Præclarè námque à Lactãtio in lib. de ira Dei cap. 18. & 19. & lib. 6. diu. inſtit. Admonetur quiſque vt reſipiſcat, ſi ad iniuſtitiam delapſus eſt. Poteſt enim (inquit) reduci, ac liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora conuerſus ſatis Deo faciat, &c. Tertull. in lib. de pœnitentia. *Quiſque*, inquit, *erubeſcit primum confiteri dum magis præſentia cogitat, quàm futura. Præponderant enim futuris præſentia, ſeris iucunda, & læta triſtibus, & properata tardioribus. Velox enim iniquitas, quæ ad nocendum occaſionem ſuggerit: lenta virtus, & cunctatrix ante iudicat, qui sit incipit, quid decorum, quid honeſtum. Iniquitas verò omnia præcipitat: pigra & verecunda eſt pœnitentia, quæ præſentium pudore premitur. Solis enim intendit futuris, conſiderãs, quod eorum ſpes ſera, & tardus fructus. Interim præcurrit impudentia, & ſpe præſentium pœnitẽtia excinditur*, &c. Idem ferè ſentit Orig. citatus à Gloſſa ſuper cap. 10. Leuitici. Quamuis ergo in re dubia ſequamur benigniorem ſententiam circa ſalutem Achan, non tamen laudamus ſeram illius & tardam pœnitentiam. Nec putamus commitandos qui ad finem vitæ pœnitentiam reſeruarunt. Infelix enim cenſeri debet quicunque.

Salomonem pœnituiſſe creditur.

Hieronym. Eccl. 1. Ezech. 43.

Prou. 24.

70. Interpr. tranſlatio ſauet pœnitentiæ Salomonis.

Genebr.

Auguſt. damnat Salomonem.

Lactantius.

Dubitatio de ſalute Salomonis admonet ne de pœnitentia ſit differenda.

Tertull.

Iniquitas omnia præcipitat: pigra & verecunda eſt pœnitentia.

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Ad pœnitentiæ ſtatim aras confugiat, qui ſe reũ alicuius criminis coram Deo agnoſcit, nec de

ſua ſalute dubitandi locum poſteritati relinquat. Sinat ſe exturbari potius à vitæ præſentis voluptatum, & diuitiarũ illecebris, quam ab ſpe gaudia ſempiterna potiundi.

Verſ. 26.] Congregauerúntque ſuper eum aceruum magnum, qui permanet vſque in præſentem diem. Et auerſus eſt furor Domini ab eis. Vocatúmque eſt nomen loci illius vallis Achor vſque hodie.

Cur olim extructi fuerint aceruì in monumentum pœnarum, quæ aliquibus irrogata ſunt flagitiis? & de placato numine morte Achan.

ANNOTATIO VII.

Aceruì lapidũ produnt alicuius rei memoriam.

Gen. 31.

1. IN ſacris literis (vt interim profanos taceam ſcriptores) aceruì lapidum excitati inueniũtur, ad prodendam alicuius rei memoriam. Et verò Gen. cap. 31. erectus eſt titulus, & aceruus lapidum ad prodendam poſteritati amicitiã mutuam, iuxta leges ibi explicatas, inter, Laban & Iacob. *Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum. dixitque fratribus ſuis afferte lapides: qui congregantes fecerunt tumulum, comederúntque ſuper eum: quem vocauit Laban tumulum teſtis, & Iacob aceruũ teſtimonij, &c.* Ad memoriam verò ſceleris alicuius Dei, vel hominum iuſſu graui pœna mulctati. Plura ſunt exempla. Primùm hic ſtruitur immenſæ altitudinis aceruus, quippe qui à tot hominum millibus cumulum accepit vt teſtificetur; lapidũ, & ignis ſupplicium eos manere, qui Dei mandata, vel in occulto cordis habitaculo negligunt puto, in lapide aliquo quod etiam Montanus reputat probabile hoc, aut huic ſimile ſcriptum fuiſſe eloquium.

QVIA TVRBASTI NOS ACHAN, EXTVRBAVIT TE DOMINVS.

Rex Hai depoſitus de cruce tumulatur ſub aceruo lapidum.

2. Capite ſequenti ad memoriam iniuriæ, quam rex Hai intulerat Iſraeli, concitans oppidanos ſuos ad bellum, erectus eſt lapidum cumulus ſupra illius cadauer. *Præcepitque Ioſue, & depoſuerũt cadauer eius de cruce: proiecerúntque in ipſo introitu ciuitatis, congeſtóque ſuper eam magno aceruo lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem, &c.*

2. Reg. 18.

3. Secundo lib. Reg. cap. 18. narratur Abſalon, quia ab obedientia patris ſui, populo ad ſeditionem concitato receſſerat pœnas luiſſe cogitati parricidij: atque vt poſteri admonerentur; *Tulerunt*, inquit Sacer hiſtoricus, *Abſalon, & proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis, &c.* Ille viuus adhuc titulum ſibi erexerat honorificum qui appellatur manus Abſalon; ſed parricidio eam gloriam polluens aceruo lapidum, improbitatem ſuam, mortuus prodit. *Qualis fuerit titulus Abſalon*, inquit Caietanus, *ſcriptura non tradit, ſtatuam aiunt fuiſſe, non tamen ſtatuam repræſentantem hominem, ſed manum. Et propterea ſubiungitur, quod appellatur manus Abſalon.* Hæc ille. Non

Titulus, qui dicitur 2. Reg. 18 Manus Abſalon.

Caietan.

Statua repræſentabat manum Abſalonis.

patitur Deus, vt gloriam habeat apud poſteros; manus Abſalon: non patitur inquam Deus, vt gloriam habeat, manus filij contra patrem pugnantis; fœdetur. ſi erecta eſt in titulũm cadaueris lapidibus obruti ignominia.

Ad memoriam peccati Achab. 70 filiorum eſſe ſunt capita, Iehu in aceruum coniecit.

4 Reg. 10.

4. Ad punitionis memoriam peccati Achab; qui 70. filios moriens reliquerat in Samaria, iuſſit Iehu filios, poſt patris cædem interfici. Cumque illi nuntiatum eſſet, allata eſſe in cophinis ad Iezabel vbi erat puerorum capita: *Ponite*, inquit ea, 4. Reg. 10. *ad duos aceruos, iuxta introitum portæ vſque manè, &c.* Indicare voluit iuxta prophetiam Eliæ, filios etiam Achab, aceruo lapidum obruendos, in deteſtationem paternæ noxæ.

Aceruus lapidum eſt ignominiæ nota. Prouerb. 25.

5. Eſſe monumentum, quod aceruo lapidum fit, ignominiæ notam, Prouerb. 25. ſignificari videtur cùm dicitur. *Sicut, qui lapidem mittit in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti honorem.* Senſus enim eſt. Sicut qui proiicit, gemma ſiue lapillum magni pretij in *margema*, vt Hebræa habet ſiue aceruum lapidum vt noſtra verſio habet; ita facit, qui tribuit inſipienti honorem. Vt enim Ianſen. cui non diſplicet hoc interpretamentum, ait, ſicut in aceruo lapidum communium perit pretium & bonitas lapidis pretioſi; ita perit inter vitia attributus honor. Alij dictionem Hebræam arbitrantur ſignificare fundam iuxta Chald. Paraph. & 70. Ac ſi dictum ſit, ſicut qui lapidem in funda ligat, vt proiiciatur inutiliter, ita qui promouet ad honorem ſtultum. Sunt inter Hebræos qui dictionem *margema*, purpuram ſignificare putent, vt ſit ſenſus, non minùs errare, qui lapidem communem purpuræ alligat, quàm qui honorem tribuit inepto. Lyranus per aceruum Mercurij numos proiectiles, quibus in computanda pecunia vtimur, intelligit; ſed ea acceptio ridicula cẽſetur à Ianſenio; Aceruos namq; Mercurij aptè intelligi credit, lapidum communium aceruos, qui poni ſolent ad viarum diſcrimen, ij námque Mercurij propterea dicebantur, quod dux ille viæ, & Deus mercaturæ haberetur. Beda; interpretatur eum, qui ſtulto confert honorem, ſimiliter peccare, atque is peccat, qui ethnicorum idolis, quale eſt Mercurij ſimulachrum honorem defert. Vterque enim honorificat eum, cui honor minimè debetur. Quare quocunque modo interpreteris verba Salomonis, rem viliſſimam eſſe perſpicies, aceruum lapidum: præſertim, tamen id elucet in primo interpretamento.

Partis inter vitia alicui tributus honor, ſicut gemma coniecta in aceruum communium lapidum.

Ianſen.

Cald. Para. 70 Interp. Sicut, qui inutiliter proijcit lapidem in funda, ita qui promouet ſtultum.

Lyranus.

Ianſenius.

Mercurius dux viarum olim, & præſes mercaturæ fuit.

Beda.

Aceruum lapidũ res viliſſima apud Salomonẽ.

6. Præter aceruos lapidum, quibus ad poſterorum terrorem aliqui poſt mortem obruti ſunt, ſicut Achan cum filiis, alia etiam extant monimenta vindictæ à Deo peccatis irrogata, quæ nos admonent, non eſſe Dei leges negligendas. Sic arca Noëtica requieſcens ſuper montes Armeniæ, (vt Hieronymus ait de locis Hebraicis.) Huc locum ad quem ſcilicet egreſſus eſt Noë cum filiis cultores illarum regionum exitum vel egreſſum vocant. Arcam ibi primùm ſediſſe teſtantur, & lignorum quædam ſupereſſe munimenta. Vide Ioſephum lib. 1. Antiq. Beroſum quoque & Nicolaum Damaſcenũ quos citat. Quid Pentapolis eſt hodie, niſi æternum punitæ libidinis monumentum? Paulus Oroſius refert multo tempore, poſt demerſos ob duritiam cordis, & miſerias populo Dei illatas. Ægyptios, apparuiſſe in vado maris rubri, orbitas rotarum, & ſecta fluminibus plauſtra, vt qui viderent hæc veſtigia ſupplicij, numen Dei iratum formidarent. Quid ruinæ templi, & vrbis Hieroſolymitanæ procla-

Monumenta, quibus monemur non eſſe negligendas Dei leges.

Hieronymus.

Arca Noë.

Ioſephus. Nicolaus Damaſcen.

Pentapolis monumentum punitæ libidinis.

Paulus Oroſius.

Ruina Hieroſolym.

mant? facta eſt quaſi vidua Domina gentium. Verum in his, non opus eſt immorari. Cætera perſequor.

7. Ponderanda ſunt illa verba, *Et auerſus eſt furor Domini ab eis.* Poſt ſumptam, de ſacrilego homine vindictam, Deus, qui iratus erat, fauens ſuo populo, & propitius eſt redditus. Videtur Deus poſt ſcelerum punitionem recordari miſericordiæ, qua nobis beneficia indulget. Sic Geneſ. 8. non ante recordatus dicitur Noë, quàm periſſent peccatores diluuio. Poſt cataclyſmum namque, omniúmque hominum, præter octo animas, demerſionem, & interitum dictum eſt, *recordatus autem Deus Noë cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ, &c.* Cùm vetus Adam diluuio contritionis, & pœnitentiæ, cum vitiis ſuis, in nobis interitum patitur; tunc diuinus nobis adeſt Spiritus, & facies animæ noſtræ, ad vitam gratiæ renouatur. Reconciliationis, poſt irrogatum ſupplicium indicio ſunt illa verba. Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis: vbi Chryſoſt. *Vide, inquit, quomodo animus offerentiſſimum, & nidorem multa fragrantia impleuit.* Iuxta Hebr. legitur odorem quietis, ad excludendum (inquit Caiet.) faſtidium odoris perſeuerantis. Quia nunquam faſtidit Deus deuotionem offerentium. Rupertus. *In hoſtiis, inquit, Deus intuetur, cor offerentis, & ſi pium eſt, contritione delectatur pluſquam homo corporali quantumuis ſuaui odore, &c.* Vides poſt factam inundatione, peccatorum punitionem, acceptari à Deo, reconciliationis ſacrificium?

Deus poſt punita ſcelera, exhibet miſericordiam.
Gen. 8.

Poſt interitum peccati in anima, adeſt nobis benignitas Dei.

8. Dicitur autem Deus recordari, benefaciendo poſt punitionem impiorum, non ſolùm hominibus piis, ſed etiam eorum rebus, imò & pecoribus, quia ſolus videt nemini poſſe iam impios obeſſe prauitate ſua, adeóq; fauet bonis, vt etiam iumentorum, quia ad eos pertinent recordetur. Quid mirum? amat nos amat & noſtra. Laudatur iuſtus Prouerb. 12. quod non ſolùm miſericors ſit erga homines, ſed etiam erga animalia. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas viſcera autem impiorum crudelia.* Hebraicè, *Rechamin*, id eſt, miſerationes. Viſcera quæ Hebraicè miſerationes, ſignificant crudelia ſunt in impiis, cùm iuxta ſignificationem vocis Hebrææ, promptiſſima eſſe deberent ad miſerandum. Ælianus lib. 13. de varia Hiſtoria: Xenocratem laudat, quod paſſer, quem accipiter inſectabatur in ſuum ſinum ſe recipientem, tantiſper retinuerit, dum is, qui inſectabatur, abeſſet. Vbi verò ipſum timore liberaſſet ſtatim aperto ſinu dimiſerit, dicens, ſe ſupplicem non prodidiſſe.

Prou. 12.

Amat Deus nos & noſtra Rechamim, id eſt, miſerationes

Aelianus.
Xenocrates paſſerculum fouit in ſinu ad ſe confugientem.

9. Eſt illuſtris locus in Apocal. cap. 12. Ex quo apparet, quantum vtilitatis, & lætitiæ bonis afferat, improborum punitio, & à cœtu piorum exturbatio. Nam poſtquàm proiectus eſt Draco, qui cæleſtes choros bello turbauit, & in inferorum ſedes cum ſuæ factionis acclamatoribus exturbatus, incredibilis oborta eſt angelis lætitia, & Deo ipſi ſcelerum vltori, hymnus iucundiſſimè decantatus. *Et audiui*, inquit Ioannes, *vocem magnam in cœlo dicentem. Nunc facta eſt ſalus, & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos in conſpectu Dei noſtri die ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni, &c.* Vides cœlum exhilarari depulſione, & exilio impiæ multitudinis? illud, *nunc*, emphaſin habet. Quaſi dicant Angeli beati, ante hac, obſtrepebant nobis Luciferi ſatellites, dum diuinis præconiis diſtinebamur. Nunc nemine obſtrepente, Deo gloriam & laudem canimus; eóq; magis, quòd merito ſanguinis Chriſti victus eſt Draco. Poteris verba hæc referre etiam ad Eccleſiam militantem, in qua illi ipſi, qui agente Diabolo, in peccata prolapſi fuerant, tandem merito Chriſti diabolum vicerunt. Eam victoriam celebrant Angeli. Accuſator autẽ Diabolus eſt hominum qui ſaluandi ſunt, non ſolùm cùm ad ſcelera eos impellit, ſed etiam omni tempore, vt æternis torqueantur ſuppliciis.

Apoc. 12.
Bonis affert lætitiam, impiorũ punitio.

Apoc. 12.

Cœlum, proiectis Angelis Apoſtatis exhilaratum eſt.

10. Zach. 2. notanda ſunt illa verba: *Et leuaui oculos meos, & ecce vir: & in manu eius funiculus menſorum, &c.* Enimuerò poſtquàm propheta vaticinatus fuit futuram quatuor regnorum quinto Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum euerſionem: Hieruſalem deinde & Eccleſiam ædificandam vaticinatur, vt intelligamus interitu impiorum ad felicitatem bonorum viam muniri. Nec poſſe impio ſuperſtite, bonos pace frui. Audi Pſalm. 36. *Expecta Dominum & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: cùm perierint peccatores videbis.* Ac ſi dicat: tenebras oculis tuis offundit impius? Ne cadas animo, cùm perierit, videbis &c. certè Dauid, regno ſibi promiſſo potitus non eſt, niſi mortuo hoſte illius Saule. Nec Chriſtus & virgo Mater ex Ægypto in patriam ſuam redierunt, Matth. 2. quouſque Herodes vita defunctus eſt. Nec ſancti è cineribus corpora ſua excitabunt, quouſque funditus impij è mundo tollantur. Porrò funiculo menſorum, qui vſus eſt in manu Angeli, ſignificatur vrbs ædificanda, de qua Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo, &c.* Solent namque artifices antequam ædificent areæ ſpatia dimetiri. Similis viſio eſt Ezech. 40. *Et ecce vir, cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu eius & calamus menſuræ, &c.* Per allegoriam Hieruſalem Eccleſiam intelligit à Chriſto ædificandam, poſt Tyrannorum, & impiorum cędem; quæ poſſit recipere omnes mundi homines ad ſe confluentes.

Zachar. 2.

Superſtite peccatore, pax non eſt.

Pſal. 36.

Mortuo Saule regnat Dauid.

Matth. 2.

Matth. 16.
Mortuo Archelao venit IESVS in patriã ſuam.

Ezech. 40.

11. Simile eſt, quod refert D. Ioannes cap. 13. poſtquàm enim Iudas proditor exiit à cęna ſumpta ſacrilegè Euchariſtia, vt Dionyſ. lib. de cæleſt. Hierarch. & cæteri ferè patres; Chriſtus Dominus veluti reſpirans ait: *Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.* Videbatur pręſentia ſacrilegi proditoris, claritatem, filij Dei inter cæteros diſcipulos, ſua perfidia obſcurare; nec ille præſente Dominus voluit myſteria Trinitatis, & alia Eccleſiæ neceſſaria aperire. Illo exeunte, dixit IESVS; *nunc clarificatus eſt, &c.* Profectò his verbis, *cùm ergo exiſſet*, indicat Euangeliſta, Iudæ diſceſſum occaſionem præbuiſſe Domino, ſermonem, quoad illam vſque horam nitebatur proditorem à concepto ſcelere reuocare, commutandi, & de glorificatione ſua agendi. At cur mortem ſuam glorificationem vocat, quæ ignominiæ affinior fuit, vt Auguſt. ait? D. Chryſoſt. *Volebat, inquit, inſtante morte diſcipulos conſolari, confirmaréque, ne ignominia paſſionis eius deterrerentur, & in fide vacillarent. Ideò, quam illi abiectionem iudicaſſent ſi priùs moniti non fuiſſent, eam ipſe ſplendido nomine & honorifico, clarificationem vocat. Eam doctrinam ſceleratus Iudas percipere haud poſſet: fortè ſi eam audiret, cætum turbaret Apoſtolicum. Ideireo eo exeunte, libera voce ait Dominus. Nunc clarificatus eſt filius hominis, &c.* Confert Deus beneficia nobis cum diſcedunt

Ioan. 13.

Dionyſ.
Exeunte Iuda è cœna, Nunc ait Chriſtus clarificatus eſt filius hominis.

Cur mortem ſuã Chriſtus glorificationem vocat?
Chryſoſt.

Iudas, ſi audiſſet à Chriſto vocari mortẽ, glorificationem fortè turbaret alios

ſcedunt à noſtra ſocietate improbi, & gloriam videtur cumulatiorem, obtinere. Vt nemini dubium eſſe iam poſſit, cur dictum ſit: *Et auerſus eſt furor Domini ab Iſrael.* Senſus enim eſt, curſum beneficiorum, quibus Dominus populum ſuum nobilitauerat tantiſper intermiſſum: morte præuaricatoris & ſacrilegi Achan, qui Iſraelem turbauerat, reſtitutum fuiſſe.

12. Aduerte tandem, non ſolùm erectum fuiſſe monumentum, hoc eſt aceruum lapidum ſuprà cineres Achan, vt eo poſteri admonerentur pœnæ illi ob ſacrilegium illatæ: Verùm etiam ipſi valli vocem inditam eſſe turbationis Iſraelis ob vnius culpam obortæ, ſignificatricem, *Vocatumque eſt*, inquit, *nomen loci illius, vallis Achor.* Nec tamen vt bene aduertit Abul. ad finem, q. 77. Vocata eſt vallis hoc nomine, quaſi vir ibi occiſus, vocaretur Achor, ſed occaſione verborum Ioſue. *Quia turbaſti nos, exturbet te Deus.* In Hebræo namque Achor turbatio eſt, à quo nomen valli acceſſit, dicta námque eſt vallis turbationis. Itaque Achor non eſt nomen viri à Ioſue damnati, vt Theophyl. Theod. Gloſſa, & Paulus Burg. Addit. prima ſuper caput 2. Oſeæ putauerunt, ille enim Achan dictus eſt. In Hebræo eſt. עמק עכור, id eſt *Vallis perturbationis.*

Vallis Achor non ab Achan nomen accepit, ſed a turbatione.

Theophyl. Theod. Paulus Burg.

13. Meminit Deus huius vallis apud Oſean loco citato, vt ſignificaret poſt turbationem, & ſupplicia per Chaldæos illata Hebræis fœlicitatem concedendam. *Et dabo*, inquit, *vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem.* Sicut enim perturbatio Iſraelitarum ob peccatum Achan tempore Ioſue in gaudium, verſa eſt parta victoria de vrbe Hai, ita poſt tribulationes à Deo immiſſas, ſi in iis pietatem colimus, aperitur ſpes obtinendi Dei propitiationem & beneficia. Symmachus legit, εἰς θύραν ἐλπίδος. *In oſtium ſpei.* Quod expoſuit Apoſtolus Rom. 5. *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio autem ſpem*, &c. Sequitur Paulum Hierony. *Quod idcirco*, inquit, *tormenta & ſupplicia perpeſſa ſit, vt per hæc ad proſpera perueniret.*

Oſeæ. 2.

Poſt tribulationes tribuit Deus gaudium, & victoriam.

Symmachus.

Rom. 5.

Hieronym.

14. Huc pertinet locus Iſaiæ cap. 65. *Et erunt campeſtria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requiſierunt me*, &c. Oues in populo Dei ſunt minores & imperfectiores, qui in campeſtribus habitant, & pace creſcunt. At armenta ſunt viri perfecti, & laboribus ferendis idonei. Hi vt boues fortes, & bene valentes quieſcent in valle Achor, id eſt perſecutionibus, & laboribus pro Chriſto toleratis hilares erunt, & gaudio perfundentur. Vides promitti à Deo afflictiones populo ad ſe conuerſo, vt quoddam donum cæleſte, idque vt magis mirêre, inter promiſſiones conſolationis, & gaudij? certè pignus ſunt, ſi boni æſtimatores ſumus futuræ fœlicitatis. Ipſe Achan ex valle Achor, id eſt, turbationis in ſinum Abrahę receptus creditur. Quid nobis Chriſtianis accidet?

Iſaiæ. 65.

Perfecti viri optant labores pro Chriſto pati.

* * *

IN CAPVT OCTAVVM IOSVE.

PERIOCHA.

EXPIATO morte Achan ſcelere, propter quod Deus offenſus Iſraelitis vinci eos, & in fugam compelli paſſus eſt; oſtenditur in hoc capite placati numinis benignitas, ſecundarum rerum fecili exordio. Expugnatur námque Hai; & occiſis eadem die duodecim hominum millibus Regéque ipſo capto, & in crucem ſuſpenſo; gloria & fama nobilis reportatur victoria. Ciuitas verò ipſa ſuccenſa à Ioſue in tumulum redacta eſt ſempiternum. Deberi Deo hoc beneficium teſtantur illa verba, quibus Ioſue in ipſo conflictu, de cœlo admonitus eſt. Leua (*inquit Deus*) clypeum, qui in manu tua eſt contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam. *Hæc in prima parte capitis. In ſecunda Ioſue conſtruit altare Domino in monte Hebal ex lapidibus impolitis, & ſuper eo Holocauſtum offert, inſcripto Deuteronomio legis Moſaicæ, ſiue (vt Vatab. in ſcholio interpretatur) decalogum, qui eſt in Deuteronomio. Tandem benedicit populo. Excipit benedictionem lectio omnium, quæ ſcripta erant in legis volumine. Arca humeris ſacerdotum impoſita inter montem Hebal, & montem Garizim, media eſt, aſtante hinc inde vulgi bipartita multitudine.*

Vatabl.

CAPITIS OCTAVI SECTIO PRIMA.

A

Verſ. 1.] Dixit autem Dominus ad
Ioſue: ne timeas, neque formides,
2. tolle tecum omnem multitudi-
nem pugnatorum, & conſurgens,
3. aſcende in oppidum Hai. Ecce
tradidi in manu tua Regem eius,
4. & populum vrbemq́; , & terram:
faciesque vrbi Hai, & Regi eius,
5. ſicut feciſti Hierico, & Regi il-
lius prædam verò, & omnia ani-
6. mantia diripietis vobis. Pone inſi-
7. dias vrbi poſt eam, &c. Dixit Do-
minus ad Ioſue: leua clypeum,
8. qui in manu tua eſt, contra vr-
bem Hai: quoniam tibi tradam
9. eam. Cúmque eleuaſſet clypeum
ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ
latebant, ſurrexerunt confeſtim;
10. & pergentes in ciuitatem, cepe-
11. runt, & ſuccenderunt eam. Viri
autem ciuitatis, qui perſequeban-
tur Ioſue videntes fumum, &c.
12. Cùm ergò ex vtraque parte ad-
13. uerſarij cederentur, ita, vt nullus
14. de tanta multitudine ſaluaretur:
15. Regem quoque Hai apprehen-
16. derunt viuentem, & obtulerunt
17. Ioſue &c. Ioſue verò non contra-
18. xit manum, quam in ſublime per-
19. rexerat tenens clypeum, donec
20. interficerētur omnes habitatores
21. Hai, &c. Iumenta autem & præ-
22. dam ciuitatis, diuiſerunt ſibi filij
23. Iſrael, &c. Regem quoque eius
24. ſuſpendit in patibulo vſque ad
25. veſperam, & ſolis occaſum. Præ-
26. cepítque Ioſue, & depoſuerunt
27. cadauer eius de cruce, proiecerūt-
28. que in ipſo introitu ciuitatis, cō
29. geſto ſuper eum magno aceruo
lapidum, &c.

B

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Leua clypeum, qui in manu tua eſt:* Extende haſtam, quę eſt in manu tua contra Hai, &c. Extendítque Ioſue haſtam. Pro, *Ioſue verò non contraxit manum ſuam tenens lanceam*, &c. Et Ioſue non reduxit manum ſuam, quam extenderat cum lancea. Pro, *In ligno vſque ad veſperam, & ſolis occaſum. Præcepitq́*, &c. In ligno vſque ad

C

tempus veſpertinum. Et cum occubuiſſet ſol præcepit Ioſue, &c. *Vatablus*, pro, *clypeo*, vertit telum, in eiſdem locis in quibus Pagninus, lanceam ponit. In diſpunctione, Pagnino adhæret. Id tamen parùm refert, cùm idem ſenſus retineatur. In ſcholio interpretatur particulam, *in ligno*, cruci affixit.

70. *Inter.* Pro, *Leua clypeum*, &c. ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου τῷ γαισῷ τῷ ἐν τῇ χειρί σου ἐπὶ τὴν πόλιν. Hoc eſt, ad verbum. Extende manum tuam clypeo, qui eſt in manu tua contra vrbem. Pro, *Suſpendit in patibulo*, &c. Legunt, ἐκρέμασεν ἐπὶ ξίλου διδύμου. Id eſt, ſuſpendit in ligno gemino.

Explicatur contextus.

In explicatione contextus cùm facilis ſit, non immorabor. Id ſolùm illuſtrabo, quod luce aliqua indigere videbitur.

1. NE timeas neque formides, &c. Ecce tradidi in manu tua, Regem eius, & populum vrbémque & terram.* Expugnationis ſeriem, & modum vnà cum auxilio promiſſo prædicit oraculum.

Rex Hai vir fuit fortis, & ſtrenuus.

Neque enim, vt Hiericho miraculo, ſed inſidiis, & bello vindicanda erat Hai. Significatur autem regis eximia fortitudo, quem primum omnium expugnari expediat, quò facilius clientes aliâs feroces bellóque valdè exerciti, expugnentur. Dum verò Deus inſidias approbat, nos id docet, quod Prouerb. 10. ſcriptum eſt. *Gubernaculis tractanda ſunt bella.* Hic autem licitæ erant inſidiæ contra iniuſtos poſſeſſores: erant & vtiles expugnatoribus, vt minori cum detrimento vrbem caperent. Theod. quærit q. 10. Cur præcepit Deus Hebræis, inſidiari vrbi Hai? Reſpondet, doceri fideles vti commentis, & induſtria humana, cui Deus auxilio eſt? Cum enim tubarum ſono primam vrbem cepiſſent, meritò iam hoc exemplo diſcunt certare, labori incumbere, & diuinas expectare ſuppetias confeſtim ergo dimicãtibus illis ſuccurrit Deus, & fugientes hoſtes fulminibus & grandine conſumpſit. Hæc ferè Theodoretus. Cùm verò iuſſerit Regi, & oppidanis, idem quod Hiericho, & regi illius fieri; anathemate quidem voluit; ſed non tam acerbo damnari vrbem: ciuium diuitias & vrbis prædas militibus nunc concedit, omniáque pecora. Hebr. *Behemah*, quæ vox ea tantùm ſonat, quæ in hominum vſus præcipuè aluntur, vt armenta, greges, camelos, aſinos, non autem feras animantes, & indomitas.

Prou. 10.

Inſidiæ mandantur fieri cõtra iniuſtos poſſeſſores.

2. *Surrexitq́, Ioſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, &c.*] Omnes præſto eſſe iuſſit Ioſue, vt aſcenderent in Hai: cum iis tamen ſecretò egit, quibus inſidiandi munus mandatum fuit: & verò

[inſ]idiarum cõ[...]um.

A triginta hominum millibus præcepit, vt poſt ciuitatem inſidias ponerent, parati, oblata opportunitate, ad pugnandum. Hebraicè ſic verbum ex verbo ſonat, *Videte vos inſidiantes vrbi, à poſt vrbem.* Regio illis conſtituta eſt, in qua inſidiæ ſtruerentur; peculiaris tamen in ea regione locus, eorum prudentiæ committitur eligendus.

3. *Ego autem & reliqua multitudo quæ mecum eſt accedemus ex aduerſo, &c.*] Aperit conſilium ſuum triginta virorũ millibus, quos ad parandas inſidias mittebat. Conſilium autem eſt, vt dum Hai ciues fugientes cum Ioſue Hebræos perſequuntur; ipſi ex inſidiis emergentes, inuolent in deſtitutam habitatoribus vrbem, eamque incendant.

B 4. *Ioſue autem nocte illa in medio manſit populi.*] Delictos viros ad inſidias conſediſſe inter Bethel, & Hai, ad occidentalem plagam conſtat. Interim Ioſue non priuatè illa nocte in ſuo tentorio decubuit, ſed in mediis caſtris verſatus eſt; & de ineunda poſtridie expugnatione egit: Idque notum fuit Iſraelitis. Exemplum militibus præbuit vigilantiæ & ſedulitatis; quæ eo progreſſa eſt, vt manè conſurgens, licet peruigilio eſſet fatigatus, ſocios tamen recenſuerit: quin etiam copias omnes obſeruans, & inſtruens; armaque atque animos addens, ita præiuit ſubſequentem exercitum, vt primus omnium adire periculum, intrepidus cõſpiceretur. Similes boni ducis partes C admiratur Silius Italicus in Annibale.

Ioſue pernoctãs in medio agmine, boni ducis partes implet.

Silius.

Naturæ, noctémque vigil ducebat in armis, &c.
Fœmineum putat inuenta iacuiſſe ſub vmbra,
Exercétque ſitim, & ſpectato fonte recedit, &c.
Idem expugnati primus ſtetit aggere muri, &c.

5. *Abijt ergò Ioſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio.*] Non pugnant hæc verba cum illis ſupra poſitis. Ioſue autem nocte illa in medio manſit populi; ſiquidem nox vigiliis quaſi partibus ducitur. Ioſue verò prima noctis vigilia eos, quos in inſidiis collocari deſtinauit, elegit, & dimiſit. Eadem etiam vigilia, ſumma cum diligentia, in eandem vallem perrexit ire; locúmque ipſum inſidiis aD ptum explorauit. Deinde pernox ipſe, antequam ſomnum populus reuerſus caperet, ſtetit in medio militum, qui remanſerant, eóſque, quid poſtridie gerẽdum eſſet edocuit: nimirum, vt quinque millia, hoſtem adeuntes laceſſerent, & ad pugnam prouocarent. Cæteri ſuum locum tenerent; quò à ſigno à ſe dato ſcirent, in oppidanos eſſe irruendum.

Ioſue noctem ducit inſomnẽ, curis futuræ pugnæ intentus.

6. *Quod cum vidiſſet Rex Hai feſtinauit manè, &c.*] Non videtur Rex Hai negligens, ſed ſtrenuus fuiſſe in cogendis copiis, quas potuit manè producere contra Iſraelitas, expectata hora, quæ ſibi auſpicatiſſima videbatur. Direxit autem aciem contra deſertum: quippe, vt ex Hebræis vocibus E *Lemoghed*, & *baghrabah:* elicitur, eandem horam Haitæ obſeruarunt, qua primos antea Iſraelitas vicerant, & regionem etiam, quam illi fugientes tenuerunt, nempe deſertum; cuius vocabulum *Gharaba mixtionem & confuſionem*; ſimúlque *dulcedinem* ſignificans, ſibi felicitatem, Hebræis turbationem protendere auguriorum vanitate ducti, fortè crediderunt. Quod dicitur ignoraſſe regem poſt tergum latere inſidias, eò pertinet, vt intelligamus tacitè & prudenter illa triginta hominum millia ſe occultaſſe, ne vel voce proderentur.

Haitæ ſequuntur horam, in qua illis bene ſucceſſerat.

7. *Ioſue verò, & omnis Iſrael ceſſerunt loco, ſimulantes metum, & fugerunt, &c.*] Artis fuit & bellicæ

Artis bellicæ fuit, fugam ſimulare.

prudentiæ fugam ſimulare, ad oppidanos, qui intra vrbem erant foras eliciendos. Addita eſt metus quoque ſimulatio. Hebraicum verbum verti poteſt, *percuſſi ſunt*, hoc eſt, ſua ſponte fracti fugatique, qua ſi hoſtem formidarent. Oppidanis igitur exire incipientibus, Hebræi tam ij, qui cum Ioſue erant, quàm quinque illa millia, quæ diximus, fugam ſimulant per viam ſolitudinis. Ecce tibi de Hai, & Bethel repente prodeunt, nec cuſtode quidem vno relicto, omnes ciues, ſicut eruperant, aperta oppida relinquentes.

8. *Dixit Dominus ad Ioſue. Leua clypeum, qui in manu tua eſt contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.*] Diuino monitus oraculo Ioſue, ſignum extulit iis, qui in inſidiis erant collocati, quo intelligerent oblatam occaſionem vrbem capiendi, & incendendi, quàm opportuniſſimam. Clypeum autem leuare iubetur Ioſue, vt noſtra, Græcáque lectio habet. Fuit autem clypeus in haſta ipſa ducis ſublatus, ſicut Hebraica & Chaldaica verba indicant, vt procul obſeruantibus aſpiceretur. In Hebræo eſt, *extende, inchidon, quod in manu tua.* Eſt autem, *inchidon*, telum miſſile, quod à ducibus geſtabatur, qualis fuiſſe videtur haſta, quam Romani ſuo attribuunt Romulo, qui proptereà Quirinus vocatus eſt, quòd haſta, quæ Sabinorum lingua, *Quiris*, alias *curis*, dicitur, vteretur. Vnde Ouid. in Faſtis.

Ouidius.

Siue quod haſta quiris priſcis eſt dicta ſabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.

Gæſum, i. telū. Theodo q. 10.

In verſione 70. emendata à Sixto V. legimus. *Extende manum tuam in Gæſo, quod in manu tua contra ciuitatem.* Gæſum etiam legit Theodor. q. 10. *Gæſum*, inquit, *quo latentes in inſidiis excitabat Ieſus.* ἀσπίδα, *ſcutum* interpretatus eſt, Ioſephus & Symmac. Euſeb. Emiſſ. *baſtile*, inquit, *ipſum dicit, in quo Regem Hai ſuſpendit ſuper lignum geminum.* Diogenianus autem Lexigraphus ait eſſe ἰμβόλιον, iaculum totum ferreum. Alij autem κόντιον, id eſt, *contum.* Eadem ferè notatur à Procopio Gazæo. Vide etiam Auguſtinum in locutionibus ſcripturæ. Iubetur ergò Ioſue ſiue haſtam, ſiue clypeum, ſiue quod magis placet, ſcutum ſuper haſtile leuare, in ſignum certæ & indubitatæ victoriæ. Porrò inſidiæ, quæ latebant, ſigno ex aduerſa ciuitatis parte conſpecto, ſurrexerunt confeſtim, & pergentes in ciuitatem ſuccenderunt eã. Oppidani autem, qui perſequebantur Ioſue, videntes incenſæ vrbis fumum, in veſtigio attoniti reſtitere, nec elabendi copiam habentes, è ſolitudine incurſantibus, in eos iis, qui fugam ſimulauerant; è ciuitate verò, qui eam incenderãt, veluti inertia pecora, ita ex vtraque parte cæſi ſunt, vt nullus de tanta multitudine euaſerit incolumis.

Ioſephus. Symmachus. ἀσπίδα. Euſeb. Emiſſ. ἰμβόλιον. Diogenianus Lexigraphus. Procopius. Auguſt.

Ioſue clypeum haſtile leuat.

Haitæ ad vnũ omnes ceſi ſunt.

9. *Regem quoque Hai apprehenderunt viuentem, &c.*] Rarò in conflictu capiuntur Reges ſani & incolumes. Habent námque ſuum Satellitium, quo pugnante effugiendi illis datur ferè opportunitas: ſi autem intercipiuntur, vulnere aliquo repugnantes deformati ſolent. Hic Rex quo felicitas victorum illuſtrior eſſet, cognoſci & notari ab Iſraelitis potuit; & qui aliàs fortis & ſtrenuus fuerat, nullo accepto puluere, intercipi. Verbum *Hai* Hebraicum, viuentem & beneualentem ſignificat. Erant qui eodem die cum Rege conciderant à viro vſque ad mulierem duodecim millia hominum. Ex hac ſumma perſpicitur plures vrbem illã habuiſſe propugnatores, quàm ab exploratoribus fuerat exiſtimatum. Oportet

Hai Hebraicè ſignificat bene valentem.

námque ex duodecim millibus hominum, ſi non dimidiam partem, ſaltem tertiam, viros fuiſſe pugnandi peritos. Qui Regem prehenderunt, cùm nemini parcerent, eum tamen, vt inſigniori ſupplicio viuus mulctaretur, ad Ioſue adducunt. Ex vrbe Bethel quamuis acies in pugnam prodierint, nemo narratur interfectus. Non enim vidẽtur copias ſuas, cum Haitis permiſcuiſſe; ſed eo loco conſtitiſſe, vnde facilè illis fuit, vicinorum clade conſpecta, in ſuam recipi ciuitatem.

Rex Hai viuus capitur, vt a Ioſue ſupplicio mulctetur.

10. *Ioſue verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.*] Conſtat ex hoc loco, neminem in hoc bello occiſum fuiſſe à Ioſue. Extendit námque manum leuato haſtili, cui, vt interpretatur Abul. q. 15. & nos annotauimus appenſus erat clypeus, nec eam contraxit à principio vſque ad exitum pugnæ. Eleuatio autem clypei ſignum fuit inchoandi certaminis, à quo ne deſiſterent Hebræi, opus fuit manum non contrahere. Contractio námque ſignum illis fuit ceſſandi à pugna, hoſtibus ad internecionem occiſis, ita vt ne vnus remaneret. Sæpe námque vt Liuius ait, lib. 21. contemptus hoſtis cruentum certamẽ edidit, & inclyti populi, Regéſque perleui momento victi ſunt. Et Curt. lib. 6. Nihil tuto in hoſte deſpicitur; quem ſpreueris, valentiorem negligentia facies.

Conſtans virtus Ioſue in non contrahenda manu vſque ad finem pugnæ.

Liuius lib. 21.

Curtius lib. 6.

11. *Qui ſuccendit vrbem, & fecit eam tumulum ſempiternum.*] Voluit Deus vrbem Hai incenſam & perpetua damnatam ruina exemplum & munimentum cæteris vrbibus eſſe vltionis, ob triginta ſex virorum occiſionem illatæ. Redactam verò eſſe ciuitatem in tumulum ſempiternum putat Abulenſ. q. 13. propterea dici, vt ſignificaretur eam ſepulchrum ruina ſua fieri, ſuiipſius, & monimentum acceptæ calamitatis. Sunt in vrbibus pyramides, fornices, ſtatuæ, & alia antiquæ gloriç monumenta, Romæ teſtaceus quidem mons eſt, quem Arias Montanus à ſe viſum prodit anno Iubilæi CIↃ IↃ LXXV. Suſpicantúrque ab illis antiquis Romanis prudenter fuiſſe congeſtum, in monimentum magnitudinis, & amplitudinis ſuæ vrbis ſempiternum. Conſtat quippe omnis illa moles exiguis hydriarum, & vrceorum fictilium fragmentis, nulla alia materia, licèt variis in locis ſcalpas; & ſcrobes facias apparente. Ex officina figulina, vaſorum coctilium illuc tantùm allata fragmenta res ipſa indicat. Ea verò comminuta, publico, vt videtur edicto, in illum locũ comportabãtur vt tantę magnitudinis mons tandem extaret, qui quanta Roma fuerit, vtpote cuius reiectorum vaſorum cruſtæ ad tantam excreuerit molem, æterno proderet monumento. Huiuſmodi námq; fragmenta nec incendio corrumpi, nec temporis diuturnitate ſolent. Colũnæ erectæ & pyramides ab infeſto hoſte ſubrui poſſunt, & in fruſta comminui; fragmentis teſtaceis vis afferri nequit. Ioſue cineres atque carbones, qui vel ſub terra latentes, integri ſemper manent, ex omni incenſa vrbis Hai materia in cumulum congeſſit: vt illa moles viſentibus prædicaret, Dei aduerſus impios ſeueritatem. Atq; hæc de tumulo ſempiterno, quem Hebræi vocant, *Thal gholam*: Luſitanè, *Montanno, que ſempre ha de durar.*

Abulenſ.

Ciuitas Hai facta eſt ſepulchrum ſuiipſius.

Montanus.

Annus iubilæi CIↃ IↃ LXXV

Mons teſtaceus Romæ, prodit magnitudinem antiquæ vrbis.

Columnæ, & Pyramides vrbium ab hoſte ſubrui poſſunt, non ita fragmenta teſtacei.

Thal-gholam

12. *Regem eius ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam, & ſolis occaſum.*] Perpetui excidij vrbis exẽplum, iudicium etiam conſecutum eſt, in Regem ipſum exercitum, perindè atque fuerat diuinitus

decre-

decretum. Quo Reges pœna illius admoniti, ab iniuria Iſraelitis inferenda abſtinerent. Veſperi autem de cruce depoſitum eſt ſuſpenſi Regis cadauer, vt lex ſeruaretur, quæ ſcripta eſt Deuter. 21. *Quando peccauerit homo, quod morte plectandum eſt, & adiudicatus morti, appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus dederit tibi in poſſeſſionē. &c.* Ad hanc expiandi terrā rationē pertinet illud Ezech. 39. *Et vocabitur vallis multitudinis Gog, & ſepeliēt eos domus Iſrael, vt mundent terram ſeptèm menſibus. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit nominatus dies in quo glorificatus ſum, &c.* Rurſus; *Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum ſepulchrum in Iſrael, vallem viatorum ad orientem maris.* Theodor. Addit hunc commentarium. *Vbi ſepelierunt eos (nempe Iudæi) qui ab orientis partibus in ipſos inuaſere, illic etiam, hunc ſepelient. Et per hoc in mentem eis reuocat cædem Aſſyriorum, quæ regnante Sennacherib facta eſt, quia vt priùs opem ſenſere, ita deinceps, eiuſdem prouidentiam conſequentur.* Hæc Theod. Subiungit Deus id, quod pertinet ad expiationem longo tempore duraturam. *Et circuibunt peragrantes terram; eúmque viderint hominis ſtatuent iuxta illud titulum, donec ſepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog, &c. Multo*, inquit, *tempore circuibunt inſepultos ſepulturæ mandantes, & ſicubi viatores aliquod os inuenerint, lapidibus apud illud congeſtis, indicabunt ijs, quibus ſepeliendi munus commiſſum fuerit, vt etiam illa eogant, eíſque iuſta faciant.* Ita explicat Theod. qui putat hanc prophetiam fuiſſe adimpletam in promiſſa terra, poſt reditum populi è captiuitate Babylonica; quo tempore gentes innumeræ, quæ Gog & Magog nomine intelliguntur Iudæos variè oppugnarunt; & aliquoties victæ inſigni detrimento fuerunt Deo ſuis fauente. Inſuper ad Iudaicas fabulas attendere eos ait, qui inuaſionē Gog, & Magog nondum factum aſſerunt, ſed futuram expectant. Quos intellexiſſe oportuit Ezechielis prophetiam de Gog & Magog, cùm reuocatione è Babylone coniunctam eſſe. Atque adeò inuaſionem prædictam, conculcationem hoſtium, & terræ expiationem.

Cur veſperi de Cruce ſublatum ſit cadauer Regis Hai. Deut. 21.

Expiatur terra ſepultis cadaueribus. Ezech. 39.

Theodoret.

Ezech. 39.

Cura ſepeliendi oſſa de mortuorū quibuſcunque inuenta.

[Inu]aſio in Iu[dæo]s Gog & [Ma]gog iam im[plet]a eſt.

13. Sepulchrum Regis Hai magnis lapidibus in aceruum cōieſtis iuxta ciuitatis portas ita conſtituitur, vt indicet, Regium eſſe monumentum ad illius magis ignominiam, quàm ad gloriam prodendam extructum.

Verſ. 1.] Conſurgens aſcende in oppidum Hai. Ecce tradidi in manu tua Regem eius, & populum, vrbémque, & terram faciéſque vrbi Hai, & Regi eius, ſicut feciſti Hierico, & Regi illius.

Quæ ciuitas fuerit Hai, de cuius oppugnatione agitur? & quàm timenda ſit ſententia ob ſcelera in populum aliquem pronuntiata?

ANNOTATIO I.

A 1. Poſt Hierichuntinæ vrbis incendium, verſa ſunt Hebræorum arma contra vrbis Hai oppidanos, inauſpicato quidem principio, ſed felici exitu. Fuit autem Hai vrbs olim non tam ciuium numero, quàm ſitu & munitione loci inſignis iuxta Bethauen ad Orientalem plagam Bethel, vt ex hoc cap. manifeſtum eſt hæc ciuitas in monte poſita, eo interuallo à Bethel diſtat, vt Abrahamo interiacens ſpatium, habitationem præbuerit cùm ex Chaldæa in Chanaam veniſſet, magnis pecuariis & diuitiis aliis locuples, vt traditur Gen. 10. Eadem ciuitas, authore Adrichomio numero 74. qui Ioſephum & alios citat, Chai Ada, vel, Aina appellatur. D. Hieronym. in locis
B Hebr. eam vocat Agai, & Ai. Iſaias cap. 10. Aioth; *In ea*, inquit, Hieronym. *habitauit quondam Amorrhæus citra Iordanem.* Fit eiuſdem mentio Hierem. 49. 1. Eſdr. 2. & 2. Eſdr. 7. Abeſt à Galgalis ad aquilonem 12. mil. paſſ. totidémque à fonte Eliſæi ſcaturiente à latere ſeptentrionali montis quarentenæ; à Bethel quatuor ferè milliaria. Adrichomius non diſcrepat ab hac ſententia dum ait numero 42. Bethel vrbem eſſe in alto monte ſitam, quæ prius Luza vocata fuit, diſtátque ab Hai vna leuca contra Aquilonem.

Hai ciuitas parua, ſed loci ſitu munita.

Hai iuxta Bethauen ad Orientalem plagam Bethel. Ioſephus. Gen. 10. Adrichomius *Varia nomina Hai* Hieronymus. Iſai. 10 Hierem 49. 1. Eſdr. 2. 2. Eſdr. 7 Fons Eliſæi. *Mons Quarentenæ.* Adrichomius

2. Hai ergo in ſcelerum pœnam, quorum fœditatem diuina vltio dilata diu ſuſtinuit, ſecunda poſt ingreſſum Iſraelitarum in terram promiſ-
C ſionis duce Ioſue, inſidiis capta eſt à Iudæis, Regéque in crucem acto, & duodecim millibus interfectis, incendio vaſtata; in illam extremi excidij lata eſt à Deo ſententia. *Facies*, inquit, *vrbi Hai & Regi eius, ſicut feciſti Hiericho & Regi illius.* Quibus verbis flammas ferrum & extinctionem gentis, & loci intelligimus. Potuerunt Haitæ conſpecta vicinorum clade reſpicere, pœnitentiam agere, & veniam à Deo, & Ioſue impetrare: verùm inueterata longo tempore peccandi licentia, vt cor durum emolliretur, non eſt paſſa. De iis dici poteſt illud Greg. lib. 9. Mor. cap. 33. *Quibuſdam Deus per mala præſentia, irrogare iam incipit tormenta ſequentia: ſolos quippe pœna, à ſupplicio
D liberat, quos immutat, &c.* Credibile eſt antequàm Deus in Chananæorum gētem damnationis proferret ſententiam, pœnis eam admonuiſſe nunc ſterilitatis, nunc amiſſionis liberorum, modo cometis, iam peſtilentiâ, & aliis modis, vt impetum qua vitio ſuo ad extremam perniciem properabant honeſtis actionibus coercerent: ſed noluerunt miſeri, flagella Dei in medicinam conuertere, vt probi ſolent. Vnde Orig. ſuper illud Exodi. *Reddens peccata patrum in filios, &c.* ſic ſcribit. *Ego opto, vt dum hoc in ſeculo ſum, viſitet Dominus peccata mea, ne in altero audire merear*, Luc. 16. *fili recordare, quia recipiſti bona in vita tua, &c.* propterea cum corripimur à Domino, eſſe non debemus ingrati. *Ideò enim corripimur, vt non cum hoc mundo damne-
E mur, &c.* Falluntur pleríque dilatione ſupplicij. Ignari nempe gladium, qui in altum ſuſtollitur, grauiori ictu ferire ſolitum. *Lento gradu*, inquit Valer. Max. *ad vindictam ſui diuina procedit ira, & tarditatem ſupplicij grauitate penſat.*

Hai ſecūda poſt impreſſum Iſraelitarum capta eſt.

Potuerūt Haitæ conſpectu Hiericuntis veram cladis reſipiſcere ſed noluerunt.

Greg. Papa.

Solos pœna, à ſupplicio liberat, quos immutat.

Noluerūt Haitæ flagella Dei, in medicinam conuertere.

Luc. 16.

3. Illud certum eſt, nunquam à Deo immitti ſupplicium quin eo diuina iuſtitia veluti è tribunali pronuntiata ſententia ſcelera puniat. Accidit interdum multos puniri, qui non peccarunt; eam tamen punitionem cum innocentibus in bonis animæ nihil mali afferat, peccatoribus cruciatum augere contendimus, atque in ſcelerum vindictam ſiue nocentes, ſiue innocentes plectantur

Pœna immiſſa Dei iuſtitiæ ſūt indices.

A promanare. Porò puniri prouinciam aliquam, aut ciuitatem fame, bello, peſtilentia, aut alia calamitate, nuſquam legimus, quin flagitia aliqua inſigniter atrocia præceſſerint. Atque vt ex ſcripturis ſacra exempla ſuppetant. Primùm, quis neſcit famem illam, quæ, Dauide imperante, tribus annis Iſraelem afflixit immiſſam à Deo fuiſſe, propter Saulis immanitatem, qua Gabaonitas, ſpecie zeli pro Iſraelitis ſuſcepti, oppreſſit?

Quando aliqua prouincia, peſte, fame, aut alia calamitate vrgetur, ſcelera præceſſiſſe credendum eſt.

Fames ob peccata.

4. Secūdò, Hier. 14. prędicitur ſiccitas futura in Iudæa; quæ ob peccata tanta eſſet, vt videretur terra omnino vaſtari. Orat Propheta petens miſericordiam à Domino; Præcipit ei Deus, ne pro populo oret; & cap. ſequenti, nullis orationibus placandum eſſe Deum ait, quod Iudæorum ani- B mi omnino eſſent à pœnitentia alieni. Audi Prophetam. *Et dixit, Dominus ad me. Si ſteterint Moſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eiice illum à facie mea, & egrediantur. Quod ſi dixerint ad te. Quò egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus, qui ad mortem, ad mortem; & qui ad famem ad famem, & qui ad captiuitatem ad captiuitatē. Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus, gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & beſtias terræ ad deuorandum, & diſſipandum, & dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ,* &c. Tam graue erat populi peccatum, vt orantem C pro illo Hieremiam, non audiuerit Deus. Vnde Theodor. hunc commentarium ſubiicit illis verbis. *Si ſteterint Moſes, & Samuel,* &c. *Ne putes*, inquit, *quod per tui contemptum ſupplicationem non ſuſceperim, quia neque illorum acquieſcerem ſupplicationibus, qui tanta ediderunt miracula.* Meminit autem Moſis & Samuelis, quod & ſanctiſſimi fuerint, & iræ Dei reſtiterint ſuis orationibus pro populo orando. Vide Exod. 32. & 1. Reg. 7. Multum apud Deum valuiſſe Moſis & Samuelis orationes, ait D. Greg. lib. 9. Mor. cap. 9. & hom. 27. in Euang. Idque ob eximiam charitatem, qua etiam pro ini- D micis orauerunt. Vnus, à populo lapidibus impetitur, & pro lapidatoribus precatur: alter ex principatu eiicitur. & ait, *Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vob.* Pro, *ſi ſteterint coram me*; in Hebr. eſt, *Ad faciem meas orationem.* Quod Chald. ita explicat, *Si ſteterint ad deprecandum in conſpectu meo.*

Hierem. 14.

Sterilitas ob peccata.

Hierem. 15.

Quatuor genera ſuppliciorū, quibus populi peccata a Deo puniuntur.

Theodor.

Hierem. 15. Orantes ſanctos cur Deus aliquando dicatur non audire? Moſis, & Samuel reſtiterū iræ Dei precibus ſuis.

Exod. 32. 1 Reg 7. Greg PP.

Oratio Moſis & Samuelis propter charitatem, multum valuit. orarūt enim etiā pro inimicis.

5. Quas pœnas putas iuditio diuino pronunciari contra Hieroſolymitanos ſuperſtitione, & innumeris aliis peccatis implicitos? Profectò illa multarum inſtar eſt, quæ ſignificatur hiſce verbis. *Eiice illos à facie mea, & egrediantur.* Chald. *Muto eos de terra maieſtatis meæ, vt tranſmigrent.* Nouerit qui peccat, ſe ſicut Cain, à facie Domini eiiciendum. Pſ. 6. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Eiectum à Deo quis recipiet?

Pœna grauis īcurſa Hieroſolymitanos Deum offendentes.

Eiici a Deo grauis pœna eſt.

Pſalm. 6.

6. Mox ſubiiciuntur quatuor pœnarum varietates illis verbis, *Qui ad mortem ad mortem,* &c. E Hoc eſt, qui deſtinati ſunt vt peſte pereant (id enim ſignificatur per mortē; cum hic à gladio diſtinguatur,) *peſte peribunt*, gladio alij. alij fame, alij captiuitate, prout cuique à Deo fuerit ſupplicium decretum mulctabuntur. Inſtrumenta autem pœnarum quatuor proponit; eadem videlicet, quæ numerantur Ezech. ca. 14. Verbum Heb. פקד, *Packad*, non ſolùm *viſitare*, ſed etiam *præficere*, ſignificat. Vnde Pagn. vertit. *Præficiam.* 70. *vindicabo*; Pro *gladio*. Paraph. Chald. habet, *occiſores gladio*. Alij, *viros gladij, ſiue accinctos gladio*. Pro, *Et diſſipandum.* 70. vertunt, *In cibum, & corruptionem.* Pro, *Dabo eos in feruorem* Chald. vertit, *in commotionem.*

Quatuor pœnæ, nempe peſtis, fames, gladius, captiuitas.

Quatuor pœnarū inſtrumenta.

Ezech. 14.

Pagninus. 70. Interpr.

A Vox Hebræa, *Zauahah*, deducitur a verbo, *Zuch*, quod commouere contremiſcere, & concuti ſignificat. Sunt qui dicant ſignificari hac voce eam commotionem, qua quis incertis ſedibus vagatur, territa conſcientia, vt Cain.

7. Tertiò, Leuit. 26. Quas Deus minus peccatis nō intentat? *viſitabo vos*, inquit, *velociter egeſtate, & ardore, qui conficiet oculos veſtros, & conſumat animas veſtras.* Et paulò infrà. *Et qui de vobis remāſerint, dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hoſtium*; & Deut. 28. *percutiet te Dominus amentia, ac cæcitate, ac furore mentis*, &c. Apud Hierem. cap. 15. expreſſit Deus cauſam cur grauiſſimis pœnis afflicturus erat populum; eamque eſſe dicit, quòd popu- B lus imitatus ſit impietatem Manaſſæ, de quo 4. Reg. 21. Quamuis enim Manaſſes poſt captiuitatem, & pœnitentiam redierit in Hieruſalem, & regno, quaſi iure poſtliminis ſit potitus, tamen commemorat peccatum eius Deus, quod clientes peruicaciter ſunt imitati. Vt videas, quàm graue ſcelus ſit, autorem eſſe publicæ prauitatis; aut corruptelæ. *Dabo*, inquit, *eos in feruorem*, vel (vt 70. legunt in commotionem.) *Vniuerſis regnis terræ, propter Manaſſem filium Ezechiæ Regis Iuda, ſuper omnibus, quæ fecit in Hieruſalem*, &c. In populus principis ſui flagitia imitatus, pœnas luit.

Leuit. 16. Pœna peccatis à Deo propoſita in Leuitico.

Deut. 28.

Hierem. 15.

4. Reg. 21.

Populus Manaſſæ principis peccatum imitatus pœnas luit.

C 8. Quartò, enumerat Dominus Oſeæ 4. Maledictū, mendacium, homicidium, furtum, adulteriū; additque: *ſanguis ſanguinem tetigit*; hoc eſt, iuxta, 70. Sanguinem ſanguini miſcuerunt, vt videlicet augerent peccata peccatis. Sed cur ſanguis pro quouis accipitur peccato: An quia vſus ſanguinis Hebræis erat deteſtabilis? ſanè Act. 15. vt poſſent Gentiles, in ſocietate Iudæorum, qui conuerſi erant ad fidem, nouam legem obſeruare iubentur à ſuffocato abſtinere, & à ſanguine. Quæ pœna? *Propter hoc*, inquit, *lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cœli,* &c. *Lugebit terra.* &c. Hoc eſt, ſterilis erit, & ho- D ſtibus omnia vaſtantibus ſuo ſpoliabitur decore. Sicut enim ridere dicitur terra, & læta eſſe, cùm vberes profert fructus ſic eadem lugere dicitur cum ſterilis eſt, & infœcunda. *Infirmabitur omnis, qui eſt in ea*, id eſt, peribit deficiet ſimul cum beſtiis terræ, &c.

Oſeæ. 4.

Vſus ſanguinis Hebræis erat deteſtabilis.

Act. 15.

9. Quintò, Amos. 4. Diuitibus, qui pauperes opprimebant, & calumniis iuſtitiam turbabant, has pœnas Deus interminatur. *Ecce dies*, inquit, *venient ſuper vos, & leuabūt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus.* Aquila vertit, *In lebetibus piſciculorum.* Id eſt, quos piſcatores in littore ad ignem ſeruant plenos feruenti aqua, vt piſces coquantur. D. Hierony. quos vaccas pingues vocauerat Amos, eorum carnes dicit in contis & hoſtis eſſe portandas. Et ſicut lebis ferventiſſimus minutos inuoluit piſces; ita diuites, qui ob ſuperbiam vac- E cæ pingues ſunt, captiuitatis miſeriis, abſque vllo ordine opprimentur ab Aſſyriis, qui victoria elati, haſtis capita, & partes carnium veſtrarum, præfigent ſicut de Rutulis dicitur.

Amos 4.

Supplicium a Deo immiſſum in pauperum oppreſſores et diuites affliget, ut piſciculos continet lebes.

Virgilius Aen. 9.

—— *In haſtis*
Præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur,
Euryali & niſi, &c.

Quod autem ſequitur; *Et reliquias veſtras in olis feruentibus*: tormenti genus indicatur ab omni humanitate valdè abhorrens, quo carnes humanæ in ollam feruentem coniiciuntur. Chald. vertit, *Et filias veſtras in ſcapha piſcatorum.* Cæterùm cùm nullum ſit mare inter Hebræos, & Aſſyrios, vix locum habet, hæc verſio, ſicut nec illa: *Filij veſtri*

Chald Paraph. Inter Hebræos & Aſſyrios non interiacet mare.

& filiæ

& filiæ conucientur in naues Aſſyriorum; cùm Samaria cui Propheta has pœnas prædicit procul ſit à mari.

Ioſephus.

10. Sextò, Senſit Ioſephus fide dignus rerum Iudaicarum hiſtoricus lib. 7. de bello Iud. c. 18. & apertuis lib. 6. cap. 16. ſupplicium, excidij Hieroſolymitani, Iudæis, ſub Tito principe illatum, ſententiam præceſſiſſe à numine irato in ſacrilegia, quæ id temporis in vrbe patrabuntur pronunciatam. *Non equidem*, inquit, *recuſabo dicere, quod dolor iubet, puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmina, ac Sodomæ incendia paſſuram: multò enim magis impiam progeniem tulit, quàm quæ illa pertulerat. Denique cùm eorum pertinacia deſperata totus populus interiit*. &c. Potiſſimum tamen ſacrilegium, cuius non meminit Ioſephus, fuit Chriſti Domini occiſio. Propter hoc vnum clades illa mundo ſtupenda, populo Hebræo illata eſt. Hanc eſſe cauſam agnoſcent Iudæi in iudicij magni die, dicente Domino Zach. 12. *Et aſpicient in me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quaſi ſuper vnigenitum.* Quæ verba interpretantur Euſeb. lib. 8. de demonſtratione Euangelica 4. & Cyrillus, & alij de tempore excidij Hieruſalem; quod tamen pleriſque eò diſplicet, quod Iudæi, nullum id temporis ediderint ſignum doloris recordatione mortis Chriſti, à ſe crucifixi. Vnde Auguſt. 10. de ciuit. cap. 30. & lib. 1. de Trin. cap. 13. Theodor. Rupertus, Lyranus, & in Ioannem Theophy. D. Thom. Euthym. & alij ad diem Iudicij, quo Chriſtus in nube coruſcanti, & maieſtate, ſe oculis obiicier, ſenſum referunt. Plangent enim tunc Iudæi, quod fuerint rebelles lumini, & Saluatorem ſuum occiderint. Experientur quippe ſe ob hoc ſacrilegium ignibus damnari ſempiternis. Ideo 70. ab ſpiritu ſancto afflati verterunt. *Et plangent ſuper ſe planctum.* Non alios, ſed ſe ipſos lugebunt. Et Matt. 24. *Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ*, &c. Ha miſeri Iudæi! quæ vos, malum, tranſuerſos agit peruicacia? poteſtis hodie quæ Dei eſt dementia culpam veſtrorum progenitorum ad vos deriuatam fletu redimere; cur quæſo vos, in eum diem pœnitentiam differtis? qui in veſtram perniciem vindices euomet flammas; & ante conſpectum Domini, quem impiè crucifixiſtis, fruſtra plangentes hiatu terræ deuorabit?

Hieruſalem ſi Romani non venirent ob Chriſti mortem & alia ſcelera, erat à numine vaſtāda.

Zach. 12.

Euſebius. Cyrillus.

Auguſt. Theodor. Rupertus. Lyranus. Theophyl. D. Thom. Euthym.

Plangent Iudæi in iuditio quod fuerint rebelles Chriſto.

Matth. 24.

Apoſtrophe ad Iudæos.

11. Septimò, Diuinæ prouidentiæ mos eſt, ſceleribus occaſione aliqua pœnas irrogare. *Quid tu vides Hieremia? ut Deus. Virgam vigilantem ego video.* In virga quidem ſeueritas diſciplinæ: in vigilia verò prouidentia Dei ſcelera omnia vindicantis agnoſcitur. *Non dormit neque dormitat, qui cuſtodit Iſrael.* Omnibus impie agentibus imminet virga diuini iudicij. Hinc variæ mundo accedunt fames, peſtes, bella, Amos 3. *Non eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Permiſit violationem iuramenti; quod Sedechias Rex præſtiterat Chaldæis, vt hac occaſione, eum & clientes, ob idololatriæ peccatum exilio, & variis incommodis plecteret. Siuit falſos Prophetas mentiri, vt his inductus Achab Rex Iſrael in prælium ire pergeret contra Ramoth Galaad, vt ibidem debitas perfidiæ pœnas morte daret. Erat Hieruſalem vaſtanda ob incolarum flagitia exigentibus peccatis innumeris diuinam vltionem; omnia ab ea remouit ſalutis præſidia: nempe *Validum & fortem, & virum bellatorem, & principem ſuper quin-*

Hier. cap. 1. In virga ſeueritas, in vigilia Dei prouidentia ſignificatur per ... puniens.

Amos. 3.

Sedechias, periurium punitur.

Achab idololatra occiditur.

A *quaginta* &c. Varias temporum calamitates naturalibus cauſis Philoſophi, hiſtoriographi hominum moribus, Mathematici aſtris tribuere ſolent. At Theologi omnium rerum euenta iuſſioni aut permiſſioni diuinæ rectius aſcribunt. Nónne cùm nominis ſui gloriam Ægyptiorum ſuppliciis declarare vellet, (*conuertiſſe eorum cor dicitur, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius*? permiſit Ægyptios ſcelere in populum ſuum debaccari, vt perfidorum pœna potentiæ ac iuſtitiæ ſuæ conſpicuam redderet magnitudinem.

Omnes calamitates quibus premimur à Deo immittuntur.

Pſ. 104.

12. Hæc & innumera alia ſacræ ſcripturæ lo-
B ca, apertè indicant quam timenda ſit pœna à Deo in populum aliquem ob flagitia immiſſa. Propter vnius Achan ſacrilegium Iſraelitarum exercitus, quibus adiudicata erat diuino promiſſo, Chananæorum terra, in fugam verſi ſunt, interceptúſque eſt curſus rerum proſper. Inquit enim Deus ad Ioſue, de clade ſuorum ſolicito. *Anathema in medio tui eſt Iſraël: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere*, &c. Quid nobis accidet, cum tam impune graſſari videamus peccandi licentiam? Meritò Hieronym. in Nepotiani Epitaphio ait. *Noſtris peccatis, barbari fortes ſunt. Noſtris vitijs Romanus ſuperatur exercitus. Infelices nos, qui tantùm diſplicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, illius in nos ira deſæuiat. Ezechias agit pœnitentiam & 185000. vna no-*
C *cte ab vno Angelo deleta ſunt. Ioſaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudante ſuperabat. Moſes contra Amalech. non gladio, ſed oratione pugnauit. Non intelligimus Prophetarum voces fugient mille vno perſequente, nec amputamus cauſas morbi; vt morbus pariter auferatur*, &c. Vtilitas ex pœnis Dei decreto ſceleribus illatis illa nobis accedet, ſi iis admoniti reſipuerimus, eiſque ad ſcelerum expiationem vſi fuerimus. Greg. Mor. lib. 18. cap. 11. *Flagellum tunc diluit culpam, cùm mutat vitam. Omnis ergo Domini percuſſio, aut purgatio vitæ præſentis eſt, aut initium pœnæ ſequentis*, &c. Niniuitæ timore ex imminenti Dei vindicta concepto. pœnitentiam egerunt. Eſt hic timor ſalutaris. Nam qui ex ſui ipſius amore proficiſcitur ſine emendatione vitæ,
D non perinde ſalutem parit. De hoc Pſal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuerebantur*, &c. Quibus verbis deſcribitur ficta improborum pœnitentia, ad quam illi non iniuria, quam Deo faciunt, mouentur; ſed pœnæ, quam patiuntur formidine; qua aut ſublata, aut dilata mox in priſtina ſcelera relabūtur. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens*: (inquit Regius Vates, Pſ. 9.) qui videlicet miſericordiam exercens non agnoſcebatur. Potuerunt Chananæi præſertimque Hierichuntini, & ciues Hai, ex tranſitu Iordanis, & ex fauore de cœlo Iſraelitis, vt fama conſtans apud eos ferebat, in ſolitudine præſtito, verùm Deum agnoſcere, & confiteri quemadmodum Rahab.
E An ex alio erat luto nobiliori? ſed, in pœnam idololatriæ, aliorumque ſcelerum id permittente numine, in obſtinata peccandi conſuetudine perſiſtentes, & ſibi præfidentes extremum experti ſunt ſupplicium.

*

Ioſ. 7.

Hieronymus. *Noſtris peccatis barbari fortes ſunt.*

Ezechias, Ioſaphat, & Moſes oratione vincūt.

Greg. Papa. *Flagellum tunc diluit culpam, cùm mutat vitam.*

Timor pœnæ aliquādo vtilis.

Pſalm. 77.

Pſalm. 9.

Verſ. 4.] Surrexítque Ioſue, &c. Et electa triginta millia virorum fortium miſit nocte, præcepítque eis dicens, ponite inſidias poſt ciuitatem nec longius recedatis, &c.

An licitum ſit in bellis vti inſidijs?

ANNOTATIO II.

Ioſephus.

1. IOſephum lib. 5. Antiq. hanc capitis octaui narrationem attexens ſuæ hiſtoriæ ſic ait. IESVS autem purgatum exercitum deduxit ad Ain vrbem, & nocte circa ciuitatem inſidiis conſtitutis, diluculo cum hoſtibus eſt congreſſus. Deinde fœlicem inſidiarum exitum perſequitur. Licuiſſe Ioſue huiuſmodi vti inſidiis, nemo dubitare poteſt cùm à Deo fuerint imperatæ, & Ioſue vt Auguſtinus ait quæſt. 10. in Ioſue, non tam ducem egerit in expugnatione Hai, quàm diuinæ iuſſionis miniſtrum. Nec verò dubitare ſtratagematum & inſidiarum vſum in vniuerſum licitum eſſe quiſquam poteſt, niſi, qui de belli iuſtitia anceps eſt. In Auguſt. loco citato. *Quod Deus*, inquit, *iubet loquens ad* IESVM, *vt conſtituat ſibi introrſus inſidias, id eſt, inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtibus: Hinc admonemur, non iniuſtè fieri ab iis, qui iuſtum bellum gerunt, vt nihil homo iuſtus præcipuè cogitare debeat, in his rebus, niſi, vt iuſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. Non enim omnibus fas eſt. Cùm autem iuſtum bellum ſuſceperit, vtrum aperta pugna, vtrum inſidiis vincat nihil ad iuſtitiam intereſt.* Hæc ille.

Auguſtinus. Ioſue in expugnatione Hai egit miniſtrum diuinæ iuſſionis.

Auguſtinus.

Qui iuſtè pugnat poteſt inſidijs vti.

2. Quæret aliquis, quænam iuſta bella dici debeant, vt vel illorum definitione cõſtet, quinam ſtratagematum, & inſidiarum vſus licitus ſit? Audi Auguſt. *Iuſta*, inquit, *bella definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens, ciuitas, quæ bello petenda eſt, aut vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factũ eſt; aut reddere quod per iniurias ablatum eſt. Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione iuſtum eſt, quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & nouit quid cuique fieri debeat: in quo bello, ductor exercitus, vel ipſe populus, non ipſe tam author belli, quàm miniſter iudicandus eſt. &c.* Abulenſ. hîc quæſt. 6. Auguſt. doctrinam ſequitur docétque nefas eſſe hoſtibus verba dare, aut fidem pacto obligatam infringere: occultare tamen belli conſilia fas eſſe, quod inſidiis fit; nec in huiuſmodi occultatione fraudem inueniri, quia. *Fraus*, inquit, *non ſolam dicit aliquid occultè contra alterum agere, ſed occultè & iniuſtè agere.* In bello verò iniuſto & inſidiæ & quidquid agitur fraudi affine eſt.

Quænam ſint iuſta bella?

Abulenſ. Auguſt.

Nefas eſt hoſtibus verba dare, aut fidem infringere. Fas eſt conſilia occultare.

3. Ordo autem inſidiarum, prudenter à Ioſue, cui nota erat belli iuſtitia, præſcriptus eſt. Vt enim (inquit Veget. lib. 3. cap. 17.) ad victoriam plurimum confert, vt lectiſſimos de peditibus, vel equitibus habeat dux poſt aciem in ſubſidiis præparatos. Imò vt Thucid. lib. 5. docet. quaſi in inſidijs. nam, qui ſuperueniunt, terribiliores ſunt hoſtijs qui in manibus ſunt, & pugnant. Cauſa, quia inopinata maximè mouent, & vt Veget. ait, lib. 3. cap. 26. ſubita conterrent hoſtes, vſitata viloſcunt.

Vegetius.

Thucid. lib. 5.

Vegetius: Subita terrent hoſtes, vſitata vileſcunt.

Stratagema quid ſit?

4. Stratagemata vocari à Græcis puto flexuoſa, & occulta belli conſilia, quia aut manant excogitantúrque à duce; vel quia optimo duce ſunt valde digna. Sunt tamen, qui ea damnent; pro quibus ſtare Euripides videtur in Rheſo.

Euripides.

Οὐδεὶς ἀνὴς εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρα κτεῖναι τὸν ἐχθρόν.

Vix nemo mentis altæ clanculum velit occidere hoſtẽ.

Achæos laudat Polyb. lib. 13. quod in tantùm abhorrerent à machinationibus illis, & ſtruendis dolis, vt nec hoſtes ſuos vellent per fraudem vincere. Cauſam idem ſubijcit; *cenſentes*, inquit, *neq; ſplendidam, neque firmam vllam victoriam, niſi quis* palam, & ex condicto depugnãs, animos quoque deieciſſet aduerſariorum. His aſtipulari videtur Claud. in 6. conſ. Honorij.

Polybius.

Achæi turpe putarunt hoſtem dolo vincere.

Claudianus.

— Nulla eſt victoria maior
Quam quæ confeſſos, animo quoque ſubiugat hoſtes.

Illa eſt laudanda victoria, quæ victũ animos ſubiugat.

Et quidem, qui dolo ſuccubuerunt, non virtute, ſed arte ducis victos ſe rati, facilè iterum inſurgunt. Vnde Florus lib. 17. *Tam vir ſanctius & ſapiens, veram ſciat eſſe victoriam, quæ ſalua fide, & integra dignitate parabitur.*

Florus lib 17.

5. Hæc ſunt, quæ ab iis dicuntur; quorum tamen mens haud errat. Solum culpãdi ſunt, quod inſidiarum, & ſtratagematis nomen, cum fraude & dolo miſcent; Imò & doli vocabulum in bonam partem, cùm bellum iuſtum eſt, interpretari oportet. Perdere hoſtem, cui fas eſt, cur erit inſidiari nefas?

Dolus, an virtus quis in hoſte requirat?

Nónne venator & feras quaſdam, & vi & manu interficit? Quoſdam dum occultus ſubſiſtit, nonne laqueis & retibus captat? eum quis reprehendit? Certè Thucid. lib. 5. huiuſmodi artificia cõmendat. *Illa*, inquit, *belli furta pulcherrimam tandem habẽt, per quæ hoſtes maximè decipiuntur, & amici plurimùm iuuantur.* Quin & Polyb. Achæorum admirator, lib. 9. ad nos haud obſcurè tranſit. *Facinorum*, inquit, *militarium, ea ſunt minoris laudis, ac momenti, quæ propalam, & per vim patrantur, hic, quæ ex occaſione & per dolum.* Et Plutar. in Marcello. *Spartæ, è ducibus*, inquit, *qui ſe abdicant, ille, qui rem dolo, aut ſuaſione confecit, bouem immolat: qui prælio gallum, &c.*

Inſidiæ ab illo intẽtari poſſunt, qui iuſtè belligerari poteſt. Virgil.

Thucidides.

Polybius.

Plutarchus.

Efficere bellum arte laudabile.

6. Vides magni fieri victoriam partam conſilio, eámque glorioſiorem eſſe illa, quæ aperto Marte obuenit? Nec Euripides de hoſte publico aut prœliis loquitur, ſed de priuatis inimicitiis, in quibus meritò, non vult locum huic fraudi. Veteres Romani (vt author eſt) Vlpianus lib. 1. de dolo, Quendam bonum dolum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant: maximè ſi aduerſus hoſtem, latronémue, quis machinaretur. Imò D. Chryſoſt. lib. 1. de Sacerdotio, non ſolùm in bonam partem doli vocabulum, ſed etiam fraudis cùm de bello, & aliis vitæ humanæ artificiis agitur, interpretandum eſſe cenſet. *Tam lucroſa*, inquit, *támque fructuoſa eſſe ſolet opportuna, ac recto iudicio facta fraus, vt permulti etiam pœnas ſæpenumero luerint eo ipſo quod rem fraude nõ egiſſent. Ac ſi exquirere velimus, quinam copiarum imperatores iam inde ab orbe condito claruere: illorum trophæa bona ex parte comperiemus, impoſturæ ac fraudis facinora fuiſſe, eoſdem fatemur, maiore quidem laude dignos, quàm qui aperto Marte victoriam de hoſtibus reportant. Hi enim magno cum ſumptu tum pecuniarum, tum corporum, ſic bella conficiunt, vt ab ipſa etiam victoria, nihil illis amplius accedat, &c.* Idem confirmat, ex filia Saul, quæ Dauid maritum, vt dicitur 1. Reg. 19. commento quodam vilis ſtramineæ imaginis à morte iniuſtè à Patre inferenda

Euripides.

Vlpianus. Dolus in bonam partem accipitur aliquando.

D. Chryſoſt. Bene interpretatur doli vocabulum

Fraus ſuo tempore & ſine virtutis damno aliquando fit.

Michol Dauid à morte artificio liberauit. 1 Reg. 19.

1. Reg. 20

ferenda liberauit. Eundem eripuit Ionathas (vt ſcribitur 20. cap.) ſagittarum artificio vſus, à certiſſimo interitu. Laudat & cuiuſdam medici induſtriam, qui ægrotum pænè deploratum dolo vſus reſtituit ſanitati. Imò Paulum ait multas hominum myriadas ad ſe traxiſſe huiuſmodi conſilij vſu. Nam ille qui Galatis, ſcilicet, comminatus eſt fore, vt Chriſtus, circuncisos nihil adiuuet, Timotheum tamen circuncidit, Act. 16. ob eandem cauſam, legi, quæ poſt fidem Deo datam, exitioſa eſt, ſe ſubmittebat. Deinde addit. Fraudis quidem magna vis, modò ne fraudulento ea animo fiat: quam ipſam tum ne fraudem quidem nominandam putauerim: verum œconomiam quandam potiùs ac ſapientiam artémque, qua poſſis è mediis deſperatatum rerum anguſtiis emendatis animi vitus euadere, &c. Neceſſariam eſſe hanc doctrinam contendit Chryſ. ne Phinees, qui vna plaga corpora duo ſuſtulit. Num. 25. homicidij damnemus: Neque Eliam, qui 4. Reg. 1. centum milites vnà cum ducibus ſuis interfecit; & 3. Reg. 18. Multitudine prophetarum Baal iugulata ſanguinis torrenté fecit excurrere. Quis enim huius rei ignarus, vel ipſum Abraham parricidij non audeat accerſere? Gen. 12. Item & illius tum nepotem tum abnepotem doli ac maleficij reos agere; ſic enim ille, Gen. 27. primogenitorum ius ſibi vſurpauit: hic autem Exod. 12. Ægyptiorum opes in Iſraelitarum caſtra tranſtulit: ſed non eſt ita. Non enim ſolùm eos, quos modo nominaui culpa liberamus; ſed etiam eoſdem vel hoc nomine admiramur.

Num. 25. — 4. Reg. 1. — 3. Reg. 18. — Gen. 12. — Gen. 27. — Exod. 12. — Auguſtinus.

7. Concinit cum Chryſoſtomo Auguſtin. in Gloſſa ſuper Ioſue citata, ſic enim ait: *cum iuſtum bellum ſuſcipitur, vt apertè pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad iuſtitiam interest.* &c. Quod ſi obiicias contra præceptum naturæ eſſe, quod quis alteri faciat, quod ſibi fieri nolit: atqui neminem velle poni ſibi inſidias: ergò qui eas tendit contra ius naturæ facit. Reſpondit Abulenſ. q. 6. ſenſum illius præcepti, non eſſe ad omnia extendendum. Ego namque à nemine vellem accuſari, vel corrigi; & tamen iuſtè alium accuſo. Item honorari ab aliis deſidero, & muneribus affici; nec tamen teneor quemlibet honorare, & obſequium deferre. Senſus igitur eſt (inquit Abulenſ.) quæcunque volumus nobis fieri rationabiliter, eadem debemus facere aliis, & quæcunque iuſtè nolumus nobis fieri; tenemur non facere aliis. Non eſt autem rationi cõſentaneum, vt quis putet iuſtum eſſe ne ab hoſte ſibi tendantur inſidiæ, à quo iure belli occidi poſſit; celebre eſt illud Plutarchi. *Fœderatum iniuſtè fallere, impium: at hoſtes non ſolùm iuſtum, ſed etiam ſuaue & fructuoſum eſt.* Et Homerus Odyſſ. 10. ad huiuſmodi inſidias iuſtè pugnantes hortatur.

Abulenſis. — Plutarc. — Homer. Odyſſ. 10.

Conſice ſine dolo, ſiue ſtricto comminus enſe.

Nam & Xenoph. in Hyppar. Οὕτως γὰρ οὐδὲν κερδαλεώτερον ἐν πολέμῳ ἀπάτης. Reipſa enim nihil vtilius in bello dolis.

8. Quamois ergo inſidiæ ſi in iuſto bello adhibeantur non ſolùm licitæ vt probatum eſt, ſed etiam vtiles ſint, & laudabiles: non eſt tamen laudandus, qui fidem, vel teſtibus pacto obligatam fallit. Vnde D. Ambr. lib. 1. off. cap. 29. tom. 4. iuſtitiam & fidem hoſtibus etiam exhibeodum ita docet, vt ſi conſtituens ſit cum hoſte aut locus, aut dies prælio, aduerſus iuſtitiam putetur, aut loco peruenire aut tempore. Intereſt enim vtrũ aliqua pugna aliquis aut conflictu graui capiatur,

Ambroſ.

aut ſuperiore gratia, vel aliquo euentu. Siquidem vehementioribus hoſtibus & infidis, & his, qui amplius læſerint vehementior refertur vltio: vt Madianitis, qui per mulieres ſuas, plerôſque peccare ſolent, Num. 31. ex plebe Iudæorum: vnde & Dei in populum patrum iracundia effuſa eſt, & ideò factum eſt, vt nullum Moſes victor ſupereſſe fateretur. Gabaonitas autem qui fraude magis, quàm bello tentauerant, plebem patrum non expugnaret IESVS, ſed conditionis impoſitæ afficeret iniuria. Syros vero Eliſæus, quos obſides in ciuitatem induxerat momentaria cæcitate percuſſos, 4. Reg. 6. Cùm quò ingrederentur, videre non poſſent, volenti Regi Iſrael percutere, non acquieſceret dicens: *Non percuties, quos non captiuaſti in lancea, & in gladio: pone eis panem & aquam, vt manducent & bibant, & remittantur & eant ad Dominum ſuum.* vt humanitate prouocati gratiam repræſentarent. Denique poſtea in terram Iſrael venire piratæ Syriæ deſtiterunt. Hæc Ambr. vbi notat, gratiam prophetam iis detuliſſe, qui ad eum compeodium facto agmine venerant. Concluditq; in bello fidem & iuſtitiam ſeruari oportere, nec vllum eſſe decorum poſſe ſi violetur fides.

Num. 31. — Ioſue 9. 10. — 4 Reg 6.

9. Quare inſidiæ parari nec poſſunt nec debent, niſi quando ſeruatis pactis, & fide, fas eſt cum hoſte confligere. Quærit hic Aug. occaſione verborum, quibus Ioſue inſtruxit milites ſuos, ad fallendos fuga ſimulata hoſtes, vtrum omnis voluntas fallendi pro mendacio deputanda ſit? Itémque vtrum iuſtum eſſe poſſit mendacium, quo ille fallitur, qui dignus eſt falli? vide eundem Auguſt. late de hac re diſputantem, tom. 4. in libris duobus de mendacio, & contra mendacium ad Conſentium, & quæ anootauimus ſuprà cap. 2.

Auguſtinus.

Verſ. 19.] Cúmque eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim: & pergentes in ciuitatem, ceperunt, & ſuccenderunt eam.

Eleuatione clypei, quo ſuos erexit ad pugnam, figura fuit Ioſue Chriſti Domini, clypeo nos diuinitatis ſuæ protegentis, & ad victoriam hortantis.

ANNOTATIO III.

1. Diſpoſitis ex diuino præſcripto inſidiis; miſſiſque ex 30. bellatorum millibus; quinque millibus, qui egredientibus ad pugnam oppidanis ciuitatem præſidio deſtitutam ingredientes ſtatim incenderent, & 25. millibus. qui à tergo premerent, deluſos ſimulata fuga: Re tota ex animi ſententia proueniente, Ioſue dixit Deus. *Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam,* &c. Ita intelligenda eſt ſeries contextus huius capitis, vt bene aduertit Abulenſ. quæſt. 8. & 9. Vocabulum autem Hebræum, quod hic ponitur ad ſignifican-

Abulenſ.

dum

uum id ſignum quod Ioſue erexit, ad commonefaciendos Hebræos, qui erant in inſidiarum loco, licet à quibuſdam exponatur lancea, aut vexillum; rectè à noſtro interprete Clypeus vocatur, vt ſuprà diximus. Extulit ergo in haſta clypeum Ioſue, vt vel ab iis, qui procul erant, conſpiceretur, & intelligerent omnes è cœlo ſibi immiſſam defenſionem clypeo ſignificatam. Eo ſigno vnicuique bonus imperator dictitare videbatur illud Pſalm. 90. Ne timeas ô miles hoſtium incurſiones magno animo præliare. *Scuto circundabit te veritas eius; non timebis à timore nocturno, &c.* *Soher*, clypeum rotundum ſiue *parma* ſignificat. Senſus ergò eſt, ſcutum ſiue clypeus, fidelitas diuini promiſſi tibi erit, atque ex omni parte communiet. Non eſt quod ſtratagema hoſtium vel inſidias formides. Eripiet te Dominus, *à timore nocturno*, id eſt, à terriculis nocturnis: *à ſagitta volante in die*, à ſubitis & inopinatis malis. *A negotio perambulante in tenebris*, id eſt, peſte, vel re occultè infeſtante; *ab incurſu:* Thalmudicij, & Chal. putant eſſe dæmonium ſæuiſſimum, quod vel in meridie graſſari audeat. *Dæmonio meridiano*, in meridie deuaſtante & graſſante. Docet verſiculus hic, quicquid contingere poſſit mali, ſiue per noctem, ſiue per diem, ſiue ex inſidiis, ſiue apertè, minime nociturum. Nam duo enumerat nocturna pericula, totidem diurna. Vnde Chald. *Non timebis à timore Dæmonum, qui ambulant in nocte; à ſagitta Angeli mortis, quam emittit interdiu, à morte in tenebris ambulante, à turba Dæmonum in meridie graſſantium. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis:* non ſolùm omni ex parte tutus eris, ſed etiam plurimos occides, tam ad ſiniſtram, quàm ad dexteram. Tibi autem de tanto numero, ne vnus quidem appropinquabit. Totus ferè hic Pſalmus ei poteſt decantari, cui ſimus præſens eſſe diuini numinis præſidium. Hoc enim inſtar eſt clypei, ad quem vel Angeli accurrunt, vt fidentem in diuina protectione, vbique cuſtodiant. Experti ſunt (vt alios omittam) huius clypei munimen Loth, Dauid, Samſon, Daniel, D. Petrus. Ait ergo Deus Ioſue. Leua clypeum, qui in manu tua eſt, vt eo proſpecto, me protectorem agnoſcant ſui exercitus Iſraelitæ, & hoſtium ſuorum expugnatorem.

Clypeo ſuo Ioſue cœleſtē protectionem ſuis ſignificabat. — *Pſal. 90.* — *Soherà, id eſt, parma.* — *Clypeus Ioſue ſignificat Chriſti protectionē, nos contra dæmones defendētem.* — Thald. Chald. — Chald. Parap. — *Diuini clypei munimen, multi experti ſunt.*

2. Sic verò Ioſue, hoc eſt Chriſto, qui verus eſt Ioſue, Pater Æternus præcepit, vt quamuis formam ſerui induerit, & ſemetipſum exinaniuerit, interdum tamen diuinitatis clypeum quo & ſe ipſum, & humanum genus protegere poterat, & à periculis liberare, non ſolùm miraculis aliis oſtenderet in tota vita, ſed etiam manifeſtis indiciis in paſſione. Quod obſeruauit Athanaſius in Euangelium de paſſione, & cruce Domini, cuius hæc ſunt verba, Cùm eum de innocentia ita excuſet Pilatus, quod aliud in mentem venire poteſt, niſi illum ipſum, qui ſibi iudicio ſubiectus ſtabat, Deum eſſe? qui interim dum à Pilato iudicabatur, eius vxori oracula edebat, quò ſimul Pilatus ex ſilentio eius fortitudinem ſtuperet, & ex oraculis cognoſceret. eum, in quem ſententiam daret, non hominem, ſed Deum eſſe. Timuit igitur iudex reum ſuum, & magis quàm ipſe reus videbatur condemnari, metúmque in ſe hominis condemnati ſenſit, atque ipſemet ſuam in Chriſtum, quaſi in ſe latam ſententiam cohorruit. Atque ideò etiam ſuas manus lauit, dicens: *Innocens ſum ego à ſanguine huius.* Etſi poſteà Iudæorum gratiæ impar, concenſum accommodauerit, eorum calumniis, vt etiam illum crucifigendum traderet, &c. Hoc clypeo Dominus diuinitatis ſuæ oſtenſo, nos ad pugnandum contra Diaboli inſidias hortatur, mortémque ipſam contemnendam. Primò, quia, vt ait idem Athan: mortem non exhorruit, ſed potius ſe aduerſus mortem ablatis veſtibus expediuit, & perſecutus eſt fugientem colubrum. Non enim ita ſe habuit Dominus, vt moriturus, ſed vt is, qui mortem ad occidendum perſequeretur, &c. Deinde, quia eo genere veſtimenti, iiſque inſignibus ad mortem proceſſit, quò oſtenderet victoriam de morte nō temerè, ſed pro noſtra ſalute partam eſſe. Geſtabat in coccinea chlamyde ſpeciem ſanguinis, ſpinas in corona, & chirographum in calamo, quo inſtrumento olim nos diabolus æri ſuo, rationibuſque inſcriptos habebat; vt vnà cum morte, omnia iſta ſimul demoliretur, & rerum naturam ab iſtis malis purificaret. Sanguine ſuo, ſanguinem peccatorum emundaturus erat, ſpinis ſuis, conuerſurus maledictionem pronuntiatam contra terram in benedictionem, tandémq; calamo obliteraturus chirographum, quod erat contra nos. Arundinem accepit à Diabolo porrectam ignaro, quòd contra ſeipſum gladium acuerit. Dicitur enim arundo ſerpentibus lethalis eſſe. Quod diabolo exitiale erat accepit, vt ſuis propriiſque rebus debilitatiore reddito, iis, quæ Chriſti erant, homines ferociores redderentur. Tale quid Dauid in Goliath deſignauit, qui ſumpto aduerſarij gladio, eo ipſo illius caput præcidit.

Chriſtus clypeū diuinitatis oſtendit præſertim in paſſione. — Athanaſius. — *Pilatus potuit agnoſcere ex Chriſti ſilentio, & miraculis, ipſum Deū eſſe.* — *Pilatus iudex reum ſuum timuit.* — Luc. 22. — *Calumniis Iudæorum conceſſit Pilatus. ... mors ... contemnenda.* — *Chriſtus contra mortem ablatis veſtibus ſe expediuit, eāmque perſecutus eſt.* — *Chriſtus geſtabat in chlamyde ſpeciem ſanguinis, ſpinas in corona, et chirographum in calamo, vt omnia iſta cum morte demoliretur.* — *Arundo ſerpentibus lethalis eſt.* — *Chriſtus diaboli armis, ipſum vicit.*

3. Tertiò, quia veſtem incōſutilem, quæ ipſum indiuiſibile eſſe patris verbum ſignificabat, & hominem factum corpus accepiſſe non ex diuiſione, vt alij, qui naſcuntur ex viro & muliere, ſed ex ſola duntaxat virgine Spiritu ſancto plena; non paſſus eſt ſcindi. Vnde carnifices cætera diuiſerunt veſtimenta in quatuor partes, vt ſignificaretur quadripartito orbi inſeruire quicquid Chriſti eſt. Hanc tunicam ſolam ſcindere non potuerunt, metu eius ſigni, quod per eam denotabatur: neque tamen hoc illorum, ſed ſuſpenſi ſaluatoris opus erat. Vt ea manente, maneret & Iudæorum probrum, quod non multò poſt accidit nimirum, cùm velo ſciſſo, tunica Chriſti, ne à carnificibus quidem diuiſa eſt, ſed integra manſit. Manet enim ſemper Euangelium integrum, cùm vmbra diuidantur. Hæc Athan.

Cur Chriſtus non eſt paſſus ſcindi veſtem inconſutilem. — *Diuiſio veſtis Chriſti in quatuor partes.* — *Diuiditur velum templi, hoc eſt lex; non autem tunica inconſutilis, id eſt, Euangelium.*

4. Quartò, quia cùm penderet in cruce, & aërem purgauit manuum expanſione, & terram redemit ſanguine, & lateris ſui cruore abluit. Quid igitur ſupererat, quod ita patiendo ageret contra inimicum, cùm ille, & è cœlo iam delapſus eſſet, & à terra ſummotus, & ex aëre depulſus, quod cùm magnifica de ſe iactaſſet, nihil omniū efficeret? Vndequaque igitur victus, ſtatuebat apud ſe ſaltem infernum defendere. Veritus igitur, ne illuc quoque penetraret, & omnes ſibi hactenus ſubiectos in libertatem vindicaret, omnes in auxilium acceſſebat, Iudæos prouocans rurſus, vt in Dominum conuitia iactarent. Igitur ſubſannabant Dominum dicentes, Ioan. 19. *Si filius Dei es deſcende de cruce:* ſed ſeruator noſter non fugiendo mortem, ſed expectando, conculcandóque innoteſcere voluit, quod ipſe eſſet filius Dei, & ipſa vita.

Diabolus inſtigat Iudæos, vt in Chriſtum conuitia iactarent. — Ioan 19. — *Chriſtus non fugiendo mortem, ſed expectando ſe Deum eſſe probauit.*

5. Quintò, quia ſimul vt ille moriebatur, rerum natura ſuo ſole deſtituta fuit, velumque templi ſciſſum eſt, terra quaſſata, petræ diſruptæ, milites

cum

cum ianitoribus inferni metu exhorruerunt: ex quibus videre erat, cum nō hominem, ſed Deum reuera in corpore humano eſſe, quemadmodum ſpectatores dicebant. *Verè hic eſt filius Dei. Nam & multa monumenta aperta ſunt, & eorum mortui reſurrexerunt.* Hæc & alia multa inuenies apud Athanaſium, quæ in altum ad protectionem noſtram ſublatum fuiſſe indicant, diuinitatis clypeum. Eo enim malitia diaboli victa fuit, victa quoq; mors eſt, vt merito dictum ſit, Pſ. 2. *qui habitant in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Ludibrio habetur diabolus pugna illa cōtra Chriſtum aliter cadente, quàm ſpetabat. Inſtar fuit miſeri animaleculi veſpæ inuadentis petram nec ſuo adortu quicquam lædentis cùm potius aculeum ſuum elidat. Ita quoque diabolus fruſtratus eſt confligens, cum vita, hoc eſt cum Chriſto. Non enim eam morte ſuperare potuit, ſed potius aculeum ſuum amiſit, vt quos antea terrebat ille ſtimulus, nunc ab illis conuitio inceſſatur, cùm dicitur. 1. Cor. 15. *Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus,* Apocal. 7. *Abſtulit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &c.* Magna vis profectò eſt clypei à noſtro Ioſue in cruce erecti. Nam & hoſtibus terrorem incutit, & iis, qui Chriſtum amāt fortitudinem auget & lætitiam. Expreſſit Athanaſius eleganter hos effectus in deſcenſu Chriſti ad inferos, dum ait, Diabolum ſediſſe ad inferni limina, ægréque tuliſſe omnes ſuos vinctos, virtute Chriſti educi, & mortuos reuiuiſcere, & captiuos dimitti, audiuit victus hoſtis illas exprobrationes Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer, &c.* Nec miſer videns captam Babylonem, & infernum, diuite ſpoliatum præda, hiſcere audet. Pſal. 26. *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. Dominus autem irridebit eum.* Qui olim medios inter Cherubinos, omni lapide pretioſo fulgens verſabatur, nunc in papyro, & arundine, & ruderibus dormit, vt de eo dicitur Iob. 8. Aſpexerunt hunc clypeum Chriſti ſalutarem idololatræ, & qui hominem tantùm conſiderabant, latentem ignouerunt diuinitatem. Iudæi ciues Hai imitati ſunt, qui Dei ſcuto protegi iuſtos neſciētes, in ſua cæcitate mortui ſunt. Nos veros imitemur Iſraelitas, & ad clypeum diuinitatis Chriſti accurrentes, *non timebimus à timore nocturno, nec à ſagitta volante in die.* Enimuerò, *qui habitat in adiutorio altiſſimi in protectione Dei cæli commorabitur.* Clypeus eſt diuina protectio, qua quis ſe tāquam ſcuto à telis, & ictibus inimici protegit: huius typus eſt clypeus, quem leuauit Ioſue. Oportet tamen quia & diabolus ſcutum habet, & ſagittas, ne quis errore oculorum fallatur & ad diabolum accurrat, illiúſque armis vtatur. Vnde Orig. diuerſam eſſe militis Dei, & Diaboli protectionem annotauit Hom. 2. in Pſal. 36. ſuper illud. *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, ſtationes,* inquit, *duos milites armatos, vnum militem Dei, alterum militem diaboli. Miles Dei habet loricam iuſtitiæ, Miles diaboli iniuſtitiæ. Miles Dei in galea ſalutis coruſcat. Miles diaboli galea perditionis indutus eſt. Parati ſunt pedes militis Chriſti ad Euangelij curſum, miles diaboli ad effundendum ſanguinem. Habet miles Dei ſcutum fidei, habet & miles diaboli in fidelitatis ſcutū. Eſt gladius quidē Spiritus ſancti in his, qui militant Deo. Et eſt gladius maligni in his, qui militant peccato. Quem gladium euaginare nunc dicuntur peccatores. Cùm iam impudenter & abſque vllo verecundiæ velamento iniquitates ſuas perpetrant, nec erubeſcunt, neque tanquam in vaginam nequitiam ſuam*

In altum ſublatus eſt à Chriſto diuinitatis clypeus.

Pſal. 2.

Diabolus contra Chriſtum inſtar fuit veſpæ allidentis ad petrā aculeum ſuum.

1. Cor. 15.

Apoc. 7.

Clypeus noſtri Ioſue in cruce erectus terrorem attulit diabolo & morti, nobis victoriam.

Iſai. 14.

Pſal. 26.

Diabolus in deſcenſu Chriſti ad inferos hiſcere non eſt auſus.

Iob. 8.

Gentiles diuinitatem Chriſti agnouerunt, non Iudæi, niſi pauci.

Pſ. 90.

Habet diabolus clypeum, & ſagittas, quibus fallit.

Origenes.

Diuerſa militis Dei, & diaboli protectio.

Pſal. 36.

Diuerſa arma, & ſtudia militis Dei, & diaboli.

Impudentia peccatorum in vitiis manifeſtandis.

A *recondunt. Sed ſuperbo ſpiritu denudant. Intendunt & arcum ſuum: ſed & iuſti arcum habent, & ſagittas. Denique & vna ſagitta ipſorum eſt Dominus* IESVS. *Ipſe enim ait. Et poſuit me ſicut ſagittam electam, &c.* Multus eſt Origen. in oſtendenda protectione, quam iuſti habent à Deo cœleſtibus inſtructi armis, & quam habent ad perdendum à diabolo impij homines. *Habent,* inquit, *ſagittas iuſti; habent & peccatores. Sermo ſagitta eſt, & iuſti quidem ſermo cum arguit, & corrigit peccatorem, velut ſagitta compungit, & transforat cor eius, vt conuertatur ad pœnitentiam & ſaluetur. Sermo autem peccatoris habet venenum ac ſagittat, & vulnerat eum, qui non eſt armis Dei munitus, &c.*

Chriſtus eſt vna electa ſagitta iuſtus

Origenes.

Sermo ſagitta eſt ſi iuſti compungit, ſi peccatoris vulnerat.

B 6. Clypeus autem ſupernè latior, infernè anguſtior, à Deo nos protegi deſignat copioſiori auxilio & pleniori in bonis ſpiritualibus, quàm in temporalibus. Hinc D. Hieronym. Enarrans cap. 21. Iſaiæ illa verba; *Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes, & bibentes, ſurgite principes, arripite clypeum, &c.* Nos hortatur, vt clypeum diuinum brachio inſeramus ad ſpem beneficia diuina impetrandi & diabolum vincendi: præcipitur (inquit) Prophetæ, vt veſcens in menſa Domini, & illius ſaturatus cibo, diligentius contempletur, quæ ventura ſunt mundo. Dicitur per eum ad omnes credentes, vt comedentes, & bibentes corpus & ſanguinem Domini, vertantur in prin-C cipes Eccleſiæ, & cum Apoſtolis audiant: ſurgite, arripiántque clypeum fidei de armatura Apoſtoli Pauli, in quo poſſint ignita Diaboli iacula extinguere &c.

Figura clypei à Deo nos protegi deſignat.

Hieronymus.

Iſai 21.

7. Virtutem diuini clypei nos proſequentis, & ad pugnandum contra nequitiam nos adhortantis, agnouit Regius vates, Pſal. 34. poſtquàm enim dixit: *Expugna impugnantes me,* ſubdit: *Apprehende arma, & ſcutum & exurge in adiutorium mihi.* Vbi Aug. *Magnum,* inquit, *ſpectaculum eſt videre Deum armatum pro te. Et quod eius ſcutum? quæ arma? Domine (inquit alio loco homo iſte, qui & hic loquitur) vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos, &c.* Sub protectione clypei diuini anima noſtra gladius eſt, D quo Deus ipſe vtitur contra inimicos noſtros. Vnde illud Pſal. 16. *Erue ab impiis Deus animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Interpretatur Auguſt. Frameam tuam, id eſt gladium tuum. Ergo frameam (inquit) Dei dixit animam ſuam. Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos. Quid eſt anima noſtra, aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat, & pugnet de illa? *Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui me perſequuntur?* Qui ſunt qui te perſequuntur? fortè vicinus tuus, aut ille quem læſiſti, aut cui feciſti iniuriam, aut qui vult auferre res tuas, aut contra quem prædicas veritatem, aut cuius peccatum obiurgas, aut quem male viuētem, bene viuendo lædis. Sed & alios, docemur inimi-E cos noſſe contra quos inuiſibiliter dimicamus, de quibus nos admonet Apoſtolus ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio, &c.* Paulo infrà. *Abundent iuſti, & effunditur framea, & concluditur aduerſus inimicos. Nam de ipſa effuſione frameæ monens Apoſtolus, vt iuſtè viuamus, in ſequenti ait, vt aduerſarius reuereatur nihil habens de nobis dicere prauum. Concluſum eſt aduerſus eum, quia quid loquatur aduerſus ſanctos non poteſt inuenire.* Hæc ille.

Virtus diuini clypei nos tegentis.

Pſal 34.

Auguſtinus.

Pſal. 34.

Sub protectione diuina, anima noſtra gladius eſt contra inimicos noſtros.

Pſal. 16.

Anima noſtra ſine Deo, nihil poteſt.

Pſal. 16.

Inimici, qui nos impugnant ſunt homines mali, & diabolus.

Epheſ. 6.

8. In eodem Pſal. conſiderans propheta, quicquid animos noſtros & oculos ad ſe rapere poteſt, in ſolius diuini clypei protectione, & admiratione commorari vult. Hinc illæ voces. *Omnia*

In ſolius diuini clypei protectione commorandum eſt.

oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? Audi commentarium Auguſtini ſuper hæc verba. *Quis digné de his verbis aliquid dicat? Ego puto pronuntianda tantùm eſſe non exponenda. Quid quæris illud, aut illud? Quid ſimile Domino Deo? ipſum habes ante te. Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi? Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſiue delectationes, ſed non vt lex tua.* Pſal. 118. *Fuerunt perſecutores, qui dicebant, adora Saturnum, adora Mercurium. Non colo (inquit) idola: Domine quis ſimilis tibi? illi oculos habent, & non vident, aures habēt, & non audiunt. Domine quis ſimilis tibi, qui feciſti oculos ad videndum, aures ad audiendum? ſed non colo (inquit) idola, quia faber fecit: cole arborem & montem. Et hoc nunquid faber fecit? Et hic Domine quis ſimilis tibi? terrena mihi oſtenduntur, tu terra creator es. Et hinc fortè aduerterunt ad ſuperiorem creaturam, & dicunt mihi, cole lunam, cole iſtum ſolem, quia luce ſua tanquam lucerna magna efficit diem. Et planè dico: Domine, quis ſimilis tibi? lunam, & ſtellas tu feciſti, ſolem dies tu accendiſti, cœlum tu compoſuiſti. Sunt multa inuiſibilia meliora. Sed fortè & hic dicitur mihi. Angelos cole, adora Angelos. Et hic dicam, Domine, quis ſimilis tibi? & ipſos Angelos tu creaſti. Nihil ſunt angeli, niſi videndo te. Melius eſt cum ipſis poſſidere te, quàm ipſos adorando cadere à te. Omnia mea oſſa dicent, Domine, quis ſimilis tibi? O corpus Chriſti, Sancta Eccleſia, omnia oſſa tua dicant, Domine quis ſimilis tibi? Et ſi carnes mea perſecutiones ceſſerunt: Omnia oſſa mea dicant: Domine, &c. De iuſtis enim dictum eſt,* Pſal. 33. *Diligit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex illis non confringetur, &c.* infrà. *Oſſa dicuntur in corpore Domini omnes iuſti, firmi corde fortes, nullis perſecutionibus cedentes ad conſentiendum malo, &c.* Vtinam omnibus hominibus nota eſſet Chriſti Domini, qui verus eſt Ioſue benignitas, qua clypeum ſuæ potentiæ erigens, & in ſublime attollens fiduciam in nobis excitat contra aduerſa omnia pugnandi, & victoriam adipiſcendi, longè glorioſiorem ea, quàm Iſraelitæ ad clypeum Ioſue eleuatum aſpicientes, de hoſtibus ſuis adepti ſunt.

> Auguſtinus.
> Pſal. 34.
> Pſal. 118.
> Nihil eſt in creaturis ſimile protectioni diuinæ.
> Sancta Eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum.
> Pſal. 33.
> Omnes iuſti in corpore Domini dicuntur oſſa.

Verſ. 26.] Ioſue verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.

De myſtica clypei ſignificatione, & de conſtantia Dei in præſtanda iuſtis cœleſti ope.

ANNOTATIO IIII.

1. OCcaſionem nobis præbet clypeus Ioſue, qui diuinam ſignificat protectionem, & erga iuſtos in omnem Dei prouidentiam, quæ indicari videtur, dum dicitur, *Ioſue verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens, clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai, &c.* Occaſionem inquam, præbet alios eiuſdem vocis allegoricos ſignificatus inquirendi.

2. Primùm igitur aduerto, idem eſſe multis in locis ſacræ ſcripturæ ſcutum fidei, & ſcutum veritatis, vt patet Deut. 33. 2. Reg. 22. 3. Reg. 10. 1. Paralip. 5. & 2. Paralip. 9. Iob. 39. Pſal. 5. & 90. Cant. 4. Sap. 5. Iſaiæ 21. Hierem. 46. Nahum. 2. 1. Machab. 15. Epheſ. 6. Quare idem eſt protegi aliquem ſcuto fidei, atque ſcuto veritatis. Hoc clypeo protecti ſancti viri, nec minis, nec inſidiis, neque aduerſariorum diſputationibus à ſanæ doctrinæ ſenſu, aut virtutis præſcripto deterreri poſſunt. Quod expendit Diuus Gregor. lib. 31. Moral. cap. 16. in illa verba Iob. cap. 39. *Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus, &c.* Comparauerat Iob myſticè viros Apoſtolicos equo intrepido, & freno ſolùm diuinæ legis obſequenti, quique nullum perſtrepentium tubarum aut gladiorum horreat incurſum. Deinde addit *ſuper ipſum, &c.* Contra prædicatorem Dei poſt pharetræ ſonitum haſta vibratur, quando poſt terrores exhibitos à vicino iam feriens aperta pœna producitur. Prædicatores autem ſancti, cùm pro defenſione fidei ſupplicia ſubeunt ad eandem fidem, quos valent rapere, inter verbera non deſiſtunt. Quia igitur eum feriendo non ſuperant, ne fortaſſe, & alij, qui illum audiunt, ſe derelinquant, mox contra loquentis verba ſcutum reſponſionis parant. Vnde cùm diceret: *vibrabit haſta.* Rectè ſubiungit: *Et clypeus.* & infrà. *Sed equus Dei & pharetras ſagittas deſpicit, quia malitia conſilia contemnit. Vibratam haſtam ſuperat; quia contra aperta perſecutionis vulnera pectus firmat. Oppoſitum clypeum rumpit, quia diſputationem reſiſtentium ratiocinando ſubigit, &c.*

> Scutum fidei & veritatis idem interdum eſt.
> Deuter. 33.
> 2. Reg. 22.
> 3. Reg. 10.
> 1. Paralip. 5.
> 2. Paralip. 9.
> Iob. 39.
> Pſal. 5. & 9.
> Cant. 4.
> Sap. 5.
> Iſai. 21.
> Hierem. 46.
> Nahum. 2.
> 1. Mach. 15.
> Epheſ. 6.
> Greg. Papa.
> Iob 39.
> Scuto fidei & veritatis, iuſti viri ſancti nullis minis terrentur.
> Sancti protegūt fidem coram tyrannis, ac non Chriſtianis diſputantibus.

3. Idem lib. Mor. 33. cap. 24. ſuper illud Iob. cap. 41. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, &c.* Notat in vtramque partem accipi ſcuti nomen in ſacra ſcriptura. *Pro diuina*, inquit, *protectione ponitur.* Pſal. 5. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Scuto nos Dominus coronare perhibetur, quia, quos protegens adiuuat, remunerans coronat.* Rurſum, *pro humana repugnatione ſcutum ponitur.* Pſalm. 75. *Ibi confregit cornua, arcum, ſcutum gladium & bellum. In cornibus quippe, datio ſuperborum; in arcu, inſidiæ longè ferientium. In ſcuto autem obſtinata duritia defenſionum: in gladio vicina percuſſio: in bello verò, ipſa mentis motio deſignatur.* & infrà. *Corpus Leuiathan iſtius, id eſt omnes iniqui, quia per obſtinationem duri ſunt, ſed per vitam fragiles, ſcutis fuſilibus comparantur. Cùm enim verba prædicationis, audiunt, nulla correptionis iacula ſe penetrare permittunt: quia in omni peccato, quod faciunt, ſcutum ſuperbæ defenſionis opponant. Nulla igitur veritatis ſagitta, penetratur, quia verba ſancta correptionis in ſcuto excipit ſuperbæ defenſionis, &c.*

> Iob. 41.
> Scuti nomen in bonam, & malā partem accipitur
> Pſal. 5.
> Pſal. 75.
> Corpus Leuiathan ſunt omnes iniqui.
> Scuta fuſilia quæ?

4. Tertiò, vtendum eſſe clypeo veritatis contra tentationes aſſerit Bernd. ſerm. 5. ſuper Pſalmum, *Qui habitat*, &c. *Quia*, inquit, *vndique circundatus eſt tentationibus, ſcuto circundabit te veritas eius: vt quemadmodum vndique bella, ita vndique ſint & præſidia. In quo & animo illud manifeſtum eſt, ſpirituale ſcutum eſſe oportere, quod circundare poteſt. Veritas autem circundat, quia verax eſt qui promittit, & ſic exhibet, vt promittit. Fidelis Deus (ait Apoſtolus, 2. Cor. 10.) qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*, &c.

> Bernard.
> Clypeo veritatis vtendū eſt contra tentationes.
> 2. Cor. 10.

5. Quartò, Deus dicitur in ſcriptura clypeus ſalutis, quia nos ſaluos facit, & à malis eruit, 2. Reg. 22. *Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ*, &c. Hic clypeus retundit aduerſariorum ſagittas, eorúmque ſcuta iuſtingit. Quod Deus ſignificauit Iſaiæ. 37. euenturum, ne ſub Ezechia Hieruſalem à Sennacherib occuparetur. *Non occupabit*, inquit, *eam clypeus*; id eſt non capiet eam hoſtis clypeo munitus. Clypeus hominum facilè abiicitur trepidatione &

> Deus dicitur clypeus ſalutis.
> 2. Reg. 22.
> Iſai. 37.

fuga,

2.Reg.1. fuga, 2.Reg. 1. *Vbi abiectus eſt clypeus fortium*; hoc eſt (vt Lyra exponit) Vbi fortes præ metu,etiam clypeos deſeruerunt. Non ſic nos deſerit diuinæ protectionis clypeus.

Clypeus dicitur verbum Dei. Prou. 29. 6. Quintò,dicitur etiam clypeus,verbum Dei, quo protegamur.Vnde prouerbiorum.29. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe*: id eſt protectio eſt,*Hac* (inquit Beda lib.3.capite

Beda. 29.in Prouerb.) *Tota Chriſti Eccleſia nouit. Quia omnis ſermo diuinus corda electorum, & igne charitatis accendit; & ſcientia veritatis illuſtrat, & vitiorum ſordes conſumit, & ab hoſtium inſidijs, cunctiſq; defendit aduerſis*,&c.Rupertus lib.ſecundo, comment. ſuper

Rupertus. Nahum.2. cap.ſecundum Nahum, enarrans illa verba: *Clypeus fortium eius ignitus; viri exercitus eius in coccineis*, &c. Vbi Propheta prædicit apparatum bellicum, quo Nabuchodonoſor erat inuaſurus Niniuem; per fortes; Angelos intelligit, qui mundum impulſuri ſunt ad ruinam, quam Niniuæ excidium

Niniuæ excidiū mundi ruinam repræſentauit. Act.1. repræſentauit. De quorum numero illi duo fuerunt,qui Act. 1. Apoſtolis aſcendente Chriſto dixerunt: *Hic* IESVS,*qui aſſumptus eſt à nobis:ſic veniet quemadmodum*.&c. Et Michael,qui Apoc.12. pu-

Apoc.12. gnaſſe dicitur cum Dracone.Horum (inquit Ru-

Rupertus. Clypeus Verbi Dei,eſt verbum Dei Pſalm.18. pert.)fortium clypeus verbi Dei,verbum Dei eſt, & clypeus vtique ignitus, quia ſcriptum eſt Pſal. 18.*Ignitum eloquium tuum vehementer*. Itèmque ad Salomonem dictum eſt: *Omnis ſermo Dei clypeus ignitus eſt*. Contra quos ignitus eſt talis clypeus, niſi contra Draconem eſt Angelos eius?Intolerabilis eſt illis iſte ignitorum clypeorum ignis.Vn-

Ezech.28. de & exprobratur illi apud Ezechielem 28. Vbi ſub nominibus nouem lapidum,dicitur de illo,& de nouem ordinibus Angelorum: *Et eiecit te de*

Clypeus verbi Dei, ignitus eſt contra diabolū *monte Dei & perdidi te,ô Cherub,protegens de medio lapidum ignitorum*,&c.

7. Porrò clypeus apud Nahum vocatur ignitus,vel quia ſit aureus, vel quia ſcintillas emittat,

Lyranus. Cur igniti dicātur à Babylonijs eū clypei apud Nahum. telorum ictibus pulſatus. Lyranus putat ignitos vocari Babyloniorum clypeos, quod tecti eſſent æreis laminis; quæ ex percuſſione luminis flammas eiaculari viderentur.Fortè rectius dixeris,ita appellari,quod tam fortes eſſent, vt nullis ictibus frangerentur, ſed igneas diſpergerent ſcintillas. Quale myſticè fuit ſcutum, quo Chriſtus vſus,

Chriſtus clypeo ſcripturarū tentationes iſtas refutauit in deſerto. Ephel. 6. tria ſcripturarum teſtimonia, tribus obiecit tentationibus, vt nos doceret clypeo ſacratum literarum tentationum ſagittas refutare, & illud fidei viuæ, de quo Epheſ. 6. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, quod ſcintillas vibrans charitatis, cum tribulationibus tunditur. Hoc vſi ſunt mar-

Clypei Martyrum aurei vocari poſſunt. tyres & omnes,qui fortes in fide extitere.Aureos ſi dixeris eorum clypeos, per me licebit? Aureos,

1.Mach.6. vt 1.Mach.6.dicitur brachijs inſeruerant milites clypeos.*Refulſit ſol in clypeos aureos,& reſplenduerunt montes ab eis*. Quis inficiari audeat geſtaſſe in ſpi-

Marci vltimo. ritu clypeos aureos,de quibus dicitur Marc. vlt. *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient*,&c.Quos hij clypei ſplēdores,quas ſcintillas,in Reges, dynaſtas & ſeculi montes, hoc eſt in magiſtratus emittebant? Sed proh dolor! clypeos, quos Salomon aureos in tēplo poſuerat;abſtulit Rex Ægypti,hoc eſt diabo-

Rex Ægypti abſtulit clypeos templi aureos pro quibus repoſiti ſunt argentei. 2. Paralip. 12. & 3.Reg 14. Matth. 24. lus,pro quibus Roboam æreos repoſuit. Neſcio quomodo factum ſit, vt Chriſti ignita & aurea verba colorem vitio noſtro mutauerint, vt ſcuta, quæ verè aurea ſunt,ærea videantur.Sed cauſam, Matth. 24. Chriſtus ipſe, qui verus eſt Salomon, & templi nouæ legis ædificator,prædixit. *Quoniā ſuper abundauit iniquitas refrigeſſet charitas multorum*.

A & Luc. 18.*Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra*?Sanè loquitur de fide,quæ per charitatem operatur. Luc.18.

8. Sextò,teſtimonia ſacræ ſcripturæ,iuxta gloſſam,clypei ſunt, quibus ad virtutem propugnandam munimur. Ad hunc ſenſum exponit illud Cant.4. *Sicut turris Dauid collum tuum*, &c. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Verba quippe ſcripturæ ſacræ fortes nos reddunt in Chriſto,& clypei ſunt nos protegentes. Clypeus caſtitatis commendatur illis verbis,Matth. 19. *Sunt quidam,qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum*. Manſueti & humiles ſuum habent ſcutum, Matth. 11. *Diſcite à me,quia mitis ſum, & humilis corde*.Patientes iniuriam audiunt, Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. Denique arma & ſcutum ſuppeditat nobis ſacra ſcriptura,1.Timot.5.Id ſignificant illa verba: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum,ad arguendum,ad corripiendum*, &c. *Vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*. Gloſſa: Verba ſcripturæ clypei ſunt,quibus munimur contra vitia. Cant.4. Matt. 19.& 11. Clypeus caſtitatis, & humilitatis. Math.5. Clypeus patientiæ. B

9. Septimò,clypeus in Iſrael, ſignificare poteſt humanam defenſionem,ſic enim canit Debbora. *Noua bella elegit Dominus; & portas hoſtium ipſe ſubuertit:clypeus, & haſta,ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael*,&2.Reg.1. *Montes Helboe,nec ros nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum; quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul,quaſi non eſſet vnctus oleo*, &c. Quoties Iſrael ad humanum auxilium,diuino clypeo relicto confugit,toties victus fuit. Iudic. 4. Clypeus Iſrael, ſignificat humanam defenſionem. 2.Reg. 1. Quoties Iſrael ad humana præſidia cōfugit,toties victus fuit. C

10. Octauò,clypeus Goliath.1.Reg. 17. munitiones diaboli ſignificat ad defendenda peccata comparatas: ad hunc ſenſum interpretatur D. Greg.33.moral.cap.4. illud Iob. cap. 40. de Boemoth. *Protegunt vmbræ,vmbram eius*,vmbras quippe diaboli, reprobos appellari cenſet, qui ſimilibus ſui patrocinia parant, & ſe inuicē defendentes nullum correctioni locum relinquunt, *Scelera*, inquit, *peccantium tantò maiora incrementa percipiunt, quantò per defenſionem potentium diu inulta tolerantur. Vnde bene hic dicitur. Protegunt vmbræ, vmbram eius; dum enim malum, peior vendicat, quaſi vmbra vmbram, ne veritatis lumine irradietur,obſcurat. Huc adducit illud Iſaiæ 34. in quo Dominus ſub Babylonis ſpecie huiuſmodi clypei diaboli incommoda oſtendit. Orientur in domibus eius ſpina, & vrtica, & paliurus in munitionibus eius*.Additque. *Quid námque per vrticas niſi cogitationum prurigines: Quid verò per ſpinas niſi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis & vrticæ, & ſpinæ pullulant: quia in confuſione mentis reproba, & deſideria cogitationum ſurgunt,quæ exaſperant, & operum peccata. Quæ pungunt,ſed hæc agentes habent adhuc nequiores alias defenſores ſuos.Vnde illic aptè protinus ſubdit; & paliurus in munitionibus eius. Paliurus quippe tanta ſpinarum circundatione denſeſcit,vt præ aſperitate tangi vix poſſit. Intus igitur ſpina & vrtica naſcitur, ſed vtrunque hoc exterius per paliurum munitur: quia videlicet minores iniqui mala qualibet faciunt, ſed ea nequiſſimi maiores tuentur*.Hæc Greg.Multùm nocent virtuti huiuſmodi diaboli vmbræ,ſed earum vis contra Dauidem, *Qui habitat in adiutorio altiſſimi, & quem veritatis ſcutum circundat*,Debilis eſt:nec magis hominem protegit, quam olim ſuus clypeus protexit Goliath,de quo dicitur primo Reg.17.& clypeus æreus ſuper humeros eius. 1 Reg 17. Clypeus Goliath ſignificat diaboli munitiones. Iob.40 D. Greg.P. Vmbra diaboli ſunt reprobi,qui malis præſtant patrocinia. D Iſai.34. Vrticæ ſunt cogitationū prurigines. E 1.Reg.17.

11. Nonò,ſcutulatum indumentum eſt, genus quoddam veſtis,quæ quoſdam orbes præfert, & quaſi ſcutulis diſtinctos circulos, ſimile quid ap-

Scutulatis veſtibus hæreticorum rationes ſignificantur. Ezech. 27. Gloſſ.

paret in veſte indulata, & Damaſcena. Huiuſmodi veſtis genus, ſcutulata vocat Ezech. 27. & fuiſſe ait, in mercatu Regis Tyri, Gloſſ. Interl. deſignari ſcutulatis ait, rationes hæreticorum arte dialectica concinnatas. Hæc de myſtico clypei ſignificatu.

12. Quod autem ad conſtantiam Dei attinet, non retrahentis manum ab auxilio iuſtis præſtando, eam ſignificari clypeo Ioſue, non retrahentis manum quandiu ab Iſraelitis pugnatum eſt, nemo non videt. Chriſti Domini aduentum conſideremus, ab eo potiſſimùm tempore, quo doctrina cœleſti clarus & miraculis coruſcans, crucem ſuam quaſi clypeum extulit prædeſtinatis ad vitam æternam. Nunquid manum, quam porrexerat iis, qui ſalutem amant contraxit; Iudæum & gentilem excipit & protegit. Quod expreſſit Zach. cap. 9. cautam reddens. *Quia*, inquit, *Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael:* Hoc eſt, quia Domino debentur oculi hominis, id eſt omnium hominum, etſi nō ſint ex tribubus Iſrael, iuxta Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo gentes hæreditatem tibi*, &c. Ac ſi dicat Zacharias, omnium hominum oculi in Deum aſpicere debent adorantes, & ab eo ſalutem expectantes, quippe qui omnium ſaluti conſulat ſicut dicitur Rom. 3. *An Iudæorum Deus tantum? Nónne & gentium? imò & gentium.* Vnde 70. vertunt. *Quia Dominus reſpicit homines, & tribus Iſrael.* Quia & Iſai. cap. 5. Vaticinatur in fauorem gentium eleuandum ſignum, ad quod occurrent ſumma cum celeritate gentes. *Et eleuabit ſignum*, inquit, *in nationibus, procul & ſibilabit ad eū de finibus terræ, & ecce feſtinus velociter veniet*, &c. Sibilare hoc loco, vox eſt prouocantis ad bellum, ſenſus eſt Dominus faciet erigi ſignum militare, in nationibus procul, euocabitque Romanum exercitum contra Iudæos, qui velox erit & expeditus. D. Baſil. Crucis Chriſti ſignum intelligit in comment. Iſaiæ. Cuius hæc ſunt verba. Porrò quidem τὸ σύσσημον ſignum inquam, illud ex compoſito in commune depromptum eleuatum eſt in nationibus, hoc eſt ſignum crucis eius, qui per eam declaratus eſt, & deſignatus. Et quidem gentes, ad fidem accitæ ſunt: Hieruſalem verò ſubuerſione eſt adæquata ſolo, &c. Alacritas gentium ad Chriſtum venientium indicatur, in feſtinatione quæ tanta fuit, vt obliuiſcerentur parandi commeatus, nec operirentur & rogationem authoramenti, ſeu teſſaram militarem, non item laxamentum illum deſiderabant.

Chriſtus extulit crucem in auxilium prædeſtinatis, quam nūdum retraxit.
Zach. 9.
Pſal. 2.
Oculi omnium hominum ſalutem à Deo ſperare debent.
Rom. 3.
Iſai. 5.
Signum eleuat Chriſtus ad omnes gentes, id eſt crucem.
Baſil.
Feſtinatio gentium ad Chriſtum poſt eleuatum ſignū ſalutis.

13. Quod ſi Iudæi ad Chriſtum venire voluerint, illius abſque dubio protegentur clypeo, Zach. 9. *Et erit*, inquit, *quaſi dux in Iuda, & Accaron quaſi Iebuſæus.* Hoc eſt Palæſtinus, qui ſemper fuit Hebræis inuiſus, non tractabitur à Deo quaſi externus, ſed perinde accipietur, ac ſi vnus eſſet de principibus, & ducibus populi Dei ſimile eſt illud. Æneid. 1.

Tros Tyriuſq; mihi nullo diſcrimine agetur.

Et Haccaron (quod intellige etiam de cæteris Palæſtinorum vrbibus) *Erit ſicut Iebuſæus*, id eſt ſicut veteres habitatores Hieruſalem olim dictæ Iebus, qui non ſunt deleti à filiis Iſrael, ſed cum illis manſerunt in vrbe omnium maxima. Vnde Ioſue 15. *Iebuſæum autem habitatorem Hieruſalem non potuerunt filij Iſrael delere, habitauitq; Iebuſæus cū filijs Iuda vſque in præſentem diem*, &c. Haccaron igitur, id eſt Haccaronitæ manebunt in Eccleſia,

Zach. 9.
Protegit clypeo Chriſti etiā Iudæos ſi ad ſe cōfugiant.
Virgil.
Ioſue 15.
In Eccleſiam recipientur omnes gentes.

& creſcent cum iis, qui vocati ſunt ex Iudaiſmo. Ita Hieron. Chald. Cyrillus.

Hierony. Cyrill. Chald.

14. Atque, vt magis perſpicias perſeuerantem noſtri diuini Ioſue mille clypeorum, quibus ſuos protegit armaturam; ait in eodem capite. *Et circundabo domum meam, ex iis, qui militant mihi.* Domum meam, id eſt, Eccleſiam circundabo militibus meis, vt eam ab hoſtium liberent incurſibus. Eligam ex iis qui veniūt ad Eccleſiam doctores, qui ſimplicium fidem, diaboli machinamenta diſſoluentes tueantur. Poſſumus & Angelos cum D. Hier. intelligere, qui nos cuſtodiūt, quaſi dicat, Deus circūdabo domum meam, id eſt Eccleſiam Angelis, qui veluti expediti milites euntes & reuertentes conuerſas ad me gentes defendāt iuxta illud Pſ. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Hebr. ita habet, *caſtra ponam domui meæ à militia ſiue exercitu tranſeunte & reuertente.* R. Dauid alium ſenſum agnouit, qui etiā noſtro inſeruit inſtituto. Circūdabo domū meam propter exercitum aduerſariorum tranſeuntium, & reuertentiū ne ei noceāt. Patrocinium ſuum pollicitur inſuper Deus dicens; *Et non tranſibit ſuper eos vltra exactor.* Exactoris nomine Chal. Tyrannum intelligit, qui ſcilicet acerbo dominatu, & exactione tributorum, ſubditos premit. Exactorem vocat Propheta Diabolum. Quemadmodùm & Iſaias cap. 9. *Iugum*, inquit, *oneris eius & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. Sicut in die Madian.* Vt enim expoſuit Hieronymus diabolus peccata exigit, quaſi tributum ab iis, quibus dominatur. Hoc ergò ait Dei filius. Non dominabitur Eccleſiæ meæ diabolus, neque exiget à ſeruis meis tributa, quod in iuſtis viris (Nam peccatores in Eccleſia ſunt pendentes diabolo, ſcelerum vectigalia) impletur.

Zach 9.
Habet Eccleſia protectionē doctorum, Angelorum, &c.
Hieronymus
Pſal. 33.
R. Dauid.
Chaldæus. *Exactores tributorum ab Eccleſia remouendi.*
Iſai. 9.
Hieronym. *Diabolus peccata exigit ab iis, quibus dominatur, quaſi tributum.*

15. Quæ cùm ita ſint (inquit Zachar.) *Exulta ſatis filia Sion. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator*, &c. Iuſtus vt te iuſtificet, & à peccatis omnibus liberet, quemadmodum dicitur Rom. 1. *Vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti.* Saluator autem, vt à diaboli dominatu & peccatorum nexu abſolutum, in æternæ ſalutis gaudiis conſtituat. *Et loquetur pacem cum gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare* Non Iudæos ſolùm, ſed etiam gentes per Euangelium pacis, ad reconciliationem cum Deo hortabitur.

Zach. 9.
Roma.

16. Subiungit Zach. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos. De lacu, in quo non erat aqua.* Quoniam verò lacus interdum habet aquā & palus dicitur ſiue ſtagnum, interdum ea caret, & carcer eſt; addidit. *In quo non erat aqua*; vt intelligamus Chriſti in ſeruandis iuſtis curam, ſiquidem è carcere profundo, & ſubterraneo à quo exire non poterant animæ ibi incluſæ, illius benignitate eductę ſunt. De limbo patrum qui quaſi vincti & captiui erant expectantes redemptorem. Ita exponunt hunc locum Hieronym. Cyril. D. Thom. 3. p. quæſt. 52. art. 1. Poſtquàm ergò Propheta clementiam, qua Chriſtus eos, qui in ſe crediderant, & captiui tot annos erant è carcere illo ſubterraneo eripuit; ſignificauit: quid poſt aſcenſionem facturus eſſet per Apoſtolos in conuerſione gentium docet Iudæos alloquens, qui Chriſtum venturum ſperabant: Eoſque ſpe futurorum bonorum conſolatur. *Conuertimini*, inquit, *ad munitionem vincti ſpei.* Hoc eſt vos Iudæi, qui Chriſtum ſpectatis, & captiui à diabolo tenemini, conuertimini, ſi ſapitis, ad munitionem, id eſt ad Eccleſiam, quæ eſt locus munitus, vt exponit

De carcere, in quo non erat aqua, id eſt de Limbo eductos Chriſtus inſt.
Hieronym. Cyrill. D. Thom.
Iudæi, qui adhuc captiui Chriſtum ſpectant ... vincti ſpei.

Cyrill.

Cyrillus. Pſal. 30. Prou. 18.

Cyril, vel ad Chriſtum ipſum, qui arx eſt munitiſſima, Pſal. 30. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias*, & Prou. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini*, &c. Poterant hæc verba cõuerti ad eoſdem iuſtos, qui erant in limbo; ſed in Iudæos quadrant ob ſequentem ſententiam: *Hodie quoque annuncians, duplicia reddam tibi*. Senſus enim eſt: ſi fortè vita ô Iudæe, ad quã te Chriſtus vocat expers voluptatis, & laborioſa tibi videbitur ob perſecutiones, quibus expoſita eſt, reddam tibi pro iſtis laboribus duplicia, hoc eſt longè maiora gaudia, & præmia, quam fuerunt labores, etenim, quę Latini Decumana, Hebræi duplicia vocant, vt Iſai. 40. *Suſcepimus de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*.

Vocat Chriſtus Iudæos ad Eccleſiam.

Quæ Latini Decumana Hebræi duplicia vocant.

Iſai. 40.

Hilarius. Pſal. 68.

17. Hinc Hilar. in Pſalm. 68, enarrans illud: *Quærite Deum, & viuet anima veſtra. Quoniã exaudiuit pauperem Dominus & vinctos ſuos non deſpexit*, Exemplo Chriſti, nos hortatur ad labores perferendos, propoſita inſigni illorum vtilitate. *Quærendi*, inquit, *Dei ad viuam animæ, ea cauſa eſt, quia exaudiuit Deus pauperem, eum, ſcilicet, qui ſe pauperauit, vt nos diteſceremus, quem in ſalutem vultus ſui ſuſcepit, in quo nobis peccata donauit, non ſpernens vinctos ſuos, ſiue qui vincti ſunt Chriſti; vt Paulus in vinculis gloriatur: ſiue quos Satanas peccatis vinctos, vt armatus, & præpotens obtinebat ſecundùm illud. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiã laudis. Lætentur ergo in iis, quæ vident pauperes, quia ſcriptum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Et quia iis, qui pauperes in regno cœlorum conſtituitis, creatura omnis congemiſcens & dolens, in gloria filiorum Dei liberanda eſt, vanitati non ſua ſponte ſubiecta. Nunc quoque ob lætantes, pauperes vitámque quærentes, exauditúmque pauperem, vinctóſque non ſpretos, ipſa illa ad laudem Dei expectans reuelationem gloriæ, pauperum creatura aduocatur, &c.* Vides quàm conſtans ſit Dei voluntas, in præſtanda iuſtis cœleſti ope; iiſque maximè qui pauperes ſunt, & humano præſidio deſtituti? Emphaſim habent illa verba Hilarij. Ipſa illa ad laudem Dei ſpectans reuelationem gloriæ, pauperum creatura aduocatur. Intueamur ergò erectum crucis clypeum, quem noſter IESVS erexit, extenſas videbimus eius manus; atque ita in ſublime porrectas, vt contrahi nequeant. Si tibi ſanguine opus ſit, è manibus, è capite, è latere ſanguinem largietur: illo maculam peccati & chirographum damnationis, quod contra nos eſt, delebis. Illo tinctus hoſtibus Tartareis eris formidabilis. Illo inſignitus Angelis, qui te cuſtodiunt gratus eris. Inſtar boni regis eſt noſter diuinus Ioſue, qui temporariam nobis & æternam applicat ſalutem. Rex Benopotapæ, duo (vt Indicarum rerum & Africæ ſcriptores tradunt) gerit inſignia. Vnum eſt paruus ligocum eburneo manubrio. Alterum duæ ſagittæ. Ligone, ſubditos ad terræ culturam adhortatur, ne fame coacti latrocinentur. Vno vero ex iaculis, ſe ſcelerum futurum vindicem ſignificat. Altero, vim externam ab hoſtibus illatam virtute & armis propulſaturum. Simile quid habet diuina protectio. Vt enim in pace viuamus, quæ ligone ſignificatur, præſto nobis eſt. Et ne pacis occaſione ad ignauiam diffluamus; ſagitta vna imminet in pœnam eorum, quos ignauia ad ſcelus impellit. Altera hoſtilem audaciam, ne in nos ſæuiat, compeſcit. Ad hæc auxilia præſtanda, diui Ioſue, id eſt Chriſti, manus clypeum oſtentans, & nos vorans, in ſublime extenditur. Tu ergo, qui militiæ diuini Ioſue nomen dediſti, vocantem ad ſtudioſas actiones ligone ſignificatas; & ad hoſtes animæ tuę ſagittis feriendos; ne refugias. Clypeum habes, quo in pugna protegaris. Non contrahet diuinus Ioſue manum quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec confundantur omnes, qui te perſequuntur.

Exemplo Chriſti labores ſunt tolerandi, quibus præmia promittuntur.

Chriſtus in cruce, totus in ſalutem noſtram exhibet ſe totũ.

Verſ. 29.] Regem quoque eius ſuſpẽdit in patibulo vſque ad veſperã, & ſolis occaſum. Præcepítque Ioſue & depoſuerunt cadauer eius de cruce.

Quod genus tormenti, & quam multiplex fuerit Crux, vt intelligatur qualis ea extiterit in quam Ioſue egit Regem Hai.

ANNOTATIO V.

1. PRO, patibulo. 70. vertunt, geminum lignum, vt ſignum ſit non aliud fuiſſe genus tormenti, quod Rex Hai expertus eſt, quàm crucis; præterquàm quod id ipſum infrà exprimatur; cum dicitur, & depoſuerunt cadauer eius de cruce. Idcircò de cruce, quam Domini noſtri IESV Chriſti ſanguis, ex mortis inſtrumento, in ſalutis ſignum tranſtulit, pauca dicam, quæ & eruditionem contineant, & aditum aperiant ad ſacram, profanámque hiſtoriam intelligendam: tuam tamen, ô Chriſte! priùs opem auxiliúmque inuocans, qui in fame lignum conſecraſti, & publicæ feciſti ſalutis inſtrumentum.

Patibulum Regis Hai, crux fuit.

2. Primùm, Crux, laxa ſignificatione accipitur pro omni angore & tormento: quo pacto iubemus, cui malum imprecamur. Abire in malam crucem.

Primum, Crux ſignificat omnẽ angorem.

Adſtricta & propria eſt, qua interitum notamus in ligno ab aliquo toleratum. Huiuſmodi lignum, infelicem arborem vocat. Liu. lib. 1. *Caput*, inquit, *obnubito, arbori infelici ſuſpendito*.

Significat 2 interitum in ligno toleratum. Liuius.

A cruce cruciarius dictus eſt is, qui in cruce vel cruce dignus; vnde Petronius: *Cruciarij vnius parentes, vt viderunt noctu laxatam cuſtodiam detraxere pendentem.*

Petronius.

3. Secundò, Crucium duplex eſt genus; ſimplex, cùm in vno ſimplici ligno fit affixio, vel infixio. Quod genus crucis, primùm arbitror inuentum, idque duplex: alterum ad affixionem, alterum ad infixionem? Affixionem Auſonius eleganter deſcripſit in cupidine crucifixo.

Crucium duplex genus. Simplex eſt affixio, vel infixio.

Auſonius.

Eligitur mœſto myrtus notiſſima luco
Inuidioſa Deum pœnis. Cruciauerat illic
Spreta olim, memorem Veneris Proſerpina Adonim.
Huius in excelſo ſuſpenſum ſtipite amorem
Deuinctum poſt terga manus, ſubſtrictáque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt, &c.

Cupido affixus ligno.

4. Aſpicis in arboris ſtipite appenſum, nec expanſis, ſed à tergo deuinctis manibus, nec clauis, ſed funibus adſtrictum? ſimile eſt, quod ſcribit Tertullian. in Apolog. cap. 8. de Tiberio: *Qui Saturni ſacerdotes*, inquit, *in eiſdem arboribus templi ſui obumbratricibus ſcelerum, votiuis crucibus expoſuit.*

Tertull.

Martyrologium Rom.

In martyrologio 23. Septemb. de Paphnutio, ipſe A palmæ arbori affigitur, cæteri autem ferro necantur, &c. Certum eſt arbores, ſiue reciſas leuiter, & ad crucem aptatas, ſiue etiam comantes, plerumque huic rei inſeruiſſe in grandi, præſertim cruciandorum numero. Sed & in ſtipite ſimplici idem fuit. Vide Tertul. Apolog. 16.

Affixio ſimplex graue tormentum. Seneca.

5. Altera ſimplicis crucis ſpecies, infixio eſt, qua nudum hominem erecto, acutóque ſtipiti infigebant. Senec. de conſol. ad Mart. cap. 20. *Video iſtic cruces, nec vnius generis, ſed aliter ab alijs fabricatas. Alij capite conuerſo in terram ſuſpendêre; alij per obſcæna ſtipitem egerunt.* Idem Epiſtola 14. *Cogita hoc loco carcerem & cruces, & ad actum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem.* Heſychius rem ipſam ſic expreſſit; *Sudifixionem dixeris, quaſi aſſationem.* Nam antiquitus maleficos, ſudi infigebant B acuto, penetrantes ſpinam & dorſum, ſicuti alios in verubus piſces.

Crux è duplici ligno compacta, qualis?

ξύλον δίδυμον.

6. Tertiò, Nobis de cruce compacta, hoc eſt, è duplici ligno fabricata nobis ſermo eſt. Ita quippe, vbi in hoc capite eſt lignum, & Chaldæus Paraphr. crucem poſuit 70. (vt ſuprà annotauimus, verterunt ξύλον δίδυμον, hoc eſt, *lignum geminum*. Hæc eſt vera crucis effigies, in qua brachia etiam explicantur, atque ideò patibulum non ſemel dicta.

Crucis è gemino ligno facta triplex forma.

7. Huius triplex eſt forma, Decuſſata, commiſſa, & Immiſſa; Decuſſata dicitur, in qua duo di- C tecta inter ſe obliquantur iuxta Hierony. in Hierem. cap. 31. vnde decuſſare eſt per medium ſecare, veluti ſi duæ regulæ concurrant ad figuram literæ X, reddendam. Damaſc. lib. 4. de orth. cap. 12. *Iacob*, inquit, *adorans extremum virgæ, alternantibus manibus, liberos Ioſeph benedicens etiam ſignum hoc crucis deſcribit manifeſtiſſimo.* &c. Idem ait Tertull. de baptiſ. cap. 8. Hæc illa crux eſt, inquam D. Andreas actus dicitur valida, & ſatis veteri fama. Quam veram eſſe dubitat Iuſtus Lipſius lib. 1. de cruce, cap. 7. duplici argumento: Primum, quia Martyrologium Romanum, tantùm ait in cruce ſuſpenſum. Deinde, quia Hyppolitus in Abdiam lib. 3. ſcribit crucifixum Patris in Achaia ad ar- D borem oliuæ rectuiri. Non debuit tamen ambigere Lipſius decuſſatà fuiſſe D. Andreæ, crucem, vt fert fama. Nam quod in Martyrologio commemoratur, nihil contra famam. Quod verò Hyppolitus ait, crucifixum rectum; multò minûs. Ille quippe rectus in decuſſata cruce pependit.

Figura decuſſata X. Damaſcen. Iacob decuſſatis manibus benedixit filiis Ioſeph.

Martyrol. Rom. Hyppolitus Martyr.

Non debuit Lipſius ambigere D. Andreæ crucem fuiſſe decuſſatam.

Commiſſa crux, quid ſit.

8. Commiſſam crucem vocamus, cùm ligno erecto breuius alterum supernè, & in ipſo capite, ſic vt nihil extet, committitur. Ea forma perfectè cernitur in litera T, quam omnes cum cruce componunt. Tertull. lib. 3. aduerſ. Marc. *Ipſa*, inquit, *litera græcorum Tau, noſtra autem T, ſpecies crucis* D. Hieronym. in cap. 9. Ezech. Antiquis E Hebræorum literis quibus vſque hodie Samaritæ vtuntur, extrema Tau, crucis habet ſimilitudinē. Videas hodie D. Antonij Ægyptij penulæ, & manui aſſui, aut imponi hanc crucem. Fortè quia Ægyptijs iam olim notum, & inter ſacra habitum fuit hoc ſignum; certè in obeliſcis, qui inde Romam exportati, ſculptum hoc ſignum eſt  quid ille anulus, aut anſula supernè poſita ſignificet, nec qui viderunt ſciunt. Vide Ruffinū lib. 11. cap. 29. hiſtor. Eccleſ. Sozom. lib. 7. cap. 15. Suidam, qui inuentas eſſe prodidit, Theodoſio regnante, in ſerapidis templo, cum fana gentilium diruerentur, hieroglyphicas literas haben-

Tertull. Hieronym. Ezech. 9.

D. Antonio Ægyptio aſſuitur T.

In Obeliſcis Romam ab Ægypto exportatis, eſt figura Tau. Ruffinus. Sozomenus. Suidas.

A tes crucis formam. Quas videntes ij gentilium, qui Chriſto iam addicti erant, aiebant ſignificare crucem, apud peritos hieroglyphicarum notarum, vitam futuram, &c. Ego ſuſpicor T, quod D. Antonio Ægyptio appingitur, ſignificare bacillos in hanc formam factos, quos claudorum, & debilium brachiis ſubſtētaculum ſubijcimus: ij enim ſalute recuperata. D. Antonio in memoriam beneficij illius precibus, impetrati bacillos ſuos offerebant; ſicut modo ſimilia fulcra plerique offerunt D. Mauro; nos, *muletas*, vocamus. Aquilonales, *crucas*.

Cur D. Antonio Ægyptio aſſignatur litera Tau?

Immiſſa ſiue affirmata crux.

9. Immiſſam verò ſiue affirmatam crucem appello, cùm ligno erecto, tranſuerſum alterum, ſic immittitur, vt vnum alterum ſecet. Ingerunt hāc B oculis, picturæ, & patrum ſcripta, Hieronym. in Marc. cap. 11. *Ipſa ſpecies crucis, quid eſt niſi forma quadrata mundi? Aues quando volant ad æthera, formam crucis aſſumunt. Homo natans per aquas, vel orans, forma crucis viſitur*, &c. Tertull. Apolog. cap. 16. *Victorias adoratis cum in tropheis cruces inteſtina ſint tropheorum. Omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignis, monilia crucium ſunt. Sipara illa vexillorum, & cantabrorum ſtola crucium ſunt. Laudo diligentiam, noluiſtis incultas cruces conſecrare.* Minutius Felix Dialogo 8. *Signa ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum quid aliud, quàm inaurata cruces ſunt, & ornata. Trophæa veſtra victricia, non tantùm ſimplicis crucis* C *faciem, verùm & affixi hominis, imitantur. Signum ſane crucis naturaliter viſitur in naui cum velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis labitur, & cum erigitur in iugum, crucis ſignum eſt*, &c. Vide Maximum Taurinenſem, Rom. 11. de cruce Domini, & Iuſtinum Apolog. 11.

Hieron. Crucis figuram referunt multa. Tertull. Minutius Felix. Maximus Taurinenſis. Iuſtinus.

10. Quartò, in hac poſtrema crucium forma humanæ ſalutis dux Chriſtus mortem tulit, in hac inquam, quæ quatuor finibus vniuerſum cōplexa eſt orbem, non ſine myſterio, quod toti orbi mortuus Saluator noſter pependit; quod inſinuauit, Epheſ. 3. Apoſtolus, *vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundum*: Hæc verba Auguſt. in D Pſal. 13. ad crucem refert. *Erat latitudo, in qua porrectæ ſunt manus: longitudo à terra ſurgens, in qua erat corpus infixū: altitudo ab illo innexo ligno ſurſum, quod eminet profundum vbi fixa erat crux, & ibi omnis ſpes vita noſtra.* Et Damaſc. lib. 4. Ortho. cap. 12. *Sicut quatuor extrema crucis per medium centrum vinciuntur, & iunguntur: ſic per diuinam potentiam ſublimitas & profunditas longitudo & latitudo, ſiue omnis conſpicua, & inconſpicua creatura continetur*, &c. Conſtantinus Imperator in labaro ſuo, crucem quadratam expreſſit, quàm Deus ipſe in aëre ei deformarat. In columna eiuſdem principis, quæ nunc in cognomine vrbe inſculpta cernitur, crux eiuſ-



modi vtrinque ab altaris ſuffulcitur Genijs.

Epheſ. 3. Auguſt. Damaſce. Conſtantinus in labaro ſuo crucem geſtabat.

Cruces in vſu apud omnes ferè gentes

11. Quintò, vſitatas fuiſſe cruces apud omnes E ferè gentes notius eſt, quàm vt probari debeat. Apud Syros, & Iudæos in vſu fuiſſe ſacræ docent literæ. Num. 25. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* & Eſther 7. & 8. *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo*, &c. Apud Ægyptios, Perſas, Afros. Græcos, & Romanos hiſtoriæ produnt. Romanis ſeruorum ferè hoc ſupplicium aut Plebeiorum. De ſeruis, mulier apud Iuuen. Sat. 6.

Num. 25. Eſther. 7 & 8. Iuuenal.

Pone crucem ſeruo.

Seruile igitur hoc ſupplicium, ſed non ob leuem, aut quotidianam noxam.

Seneca.

De Plebeis & maleficis Seneca Epiſt. 17. *Latrocinium fecit aliquis. Quid ergo meruit? vt ſuſpendatur.* Calliſtratus iuris Conſ. lib. 37. de pœnis *Famoſos,inquit, latrones, in his locis,vbi graſſati ſunt, furcis figendos compluribus placuit.*

Callistratus.

Vilis Crux ex ligno obuio. Lipſius ex quercu putat fuiſſe Christi crucem.

12. Sextò,quod ad materiam attinet crucis: puto ex prompto & obuio ligno fieri ſolitam. Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 13. cenſet ſeruatoris noſtri crucem,è quercu fabricatam,tum quia fide digni aſſerunt fruſtra ſacratiſſimi huius ligni ſpeciem hanc proferre. Tum quia ea arbor frequens ſit in Iudæa. Tertio,quia id lignum firmũ eſt, & fixioni exportationique aptum.

Crux Domini ex quatuor lignis,cedro, palma,&c. Bern. Locus crucis publicus ferè. Quintilianus.

13. Pleríque quatuor genera ligni in cruce Domini agnoſcunt: Cedrum, palmam, cupreſſum, Oliuam. Ita Bern. & alij. Locus crucis incertus, & pro arbitrio, plerúmque tamen publicus, & iuxta vias. Quint. decl. 275. *Quoties noxios crucifigimus,celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi intueri, plurimi cõmoueri hoc metu poſſint,&c.* Hac de cauſa,poni ſolita eſt in monte nõ rarò, vt ſaluatoris noſtri in Caluariæ. Quod Lactãtius in cruce Dominica ad myſterium refert lib. 4. cap. 26. Nam quoniam is, qui patibulo ſuſpenditur,& cõſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior: crux potiùs electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum támque ſublimem futurum, vt ad eum cognoſcendum pariter & colendum cunctæ nationes, ex omni orbe concurrerent. Hæc ille inopinata, ſed vera dictione prolocutus eſt, cui fidem facit noſtro æuo veniens India & nouus orbis in Chriſtianas leges.

Lactantius.

Christi crux in alto poſita non ſine myſterio.

14. Septimò, Ignominiam crucis, ſumma conſecuta eſt gloria. Cauſa & origo à victoria Conſtantini contra tyrannum. Nam cùm Maxentium aggreſſurus eſſet, ambigenti, & animo anxio ob illa (vt author eſt Zonaras) figura ei crucis media die, ſtellis efficta apparuit in cœlo, & ſcriptura circa eam Romanis literis. *In hoc vince.* Igitur ex auro ſtatim ſubitario efformans crucem, iuxta ſpeciem, quæ apparuiſſet, & hanc iubens prægredi exercitum, cum Maxentianis prælium commiſit, & ſuperauit. Hæc ille. Statim victrix illud ſignum, militaribus inſeruit vexillis, & maximè labaro. Prudentius contra Symmach. Romam affatur.

Zonar. in Constantino.

Constantinus ſigno crucis præeunte vincit tyrannum.

Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.

15. Notat Poëta crucem ſemel in vexillorum purpura gemmis intextam, iterum in haſtarum vertice ſuperſtantem. In labaro tamen erat magis conſpicua, vt idem ait.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro ſignabat labarum.

Crux in labaro magis conſpicua.

Vide Euſeb. lib. 1. de vita Conſtantini cap. 25. & lib. 4. cap. 21. Lipſ. lib. 3. de Cruce cap. 7.

Eusebius. Lipsius.

Furca ſuccesſit cruci abolitæ a Conſtantino.

16. Octauò, ſublata à Cõſtantino pœnali cruce, inducta eſt furca. Ea eſt inſtrumentũ è ligno triplici, cui appenſi homines laqueo ſtrangulantur. Frequẽs in Hiſpania hoc ſupplicij genus. In libris legum, quas Trebonianus, & qui eum iuuêre collegerunt, ſatis frequẽs hoc nomen, fortè ſignificatione nouitia, & pro cruce ſubſtituta, ex quo Conſtantinus lege lata crucem ſuſtulit. Habes quod genus tormenti fuerit crux, & quàm multiplex. Vnde non eſt obſcurum agnoſcere, quonam ſupplicio Rex Hai fuerit à Ioſue mulctatus.

Trebonius.

Verſ. 29.] Vſque ad veſperam & ſolis occaſum præcepítque Ioſue, & depoſuerunt cadauer eius de Cruce.

Poſt fixionem, quomodo Rex Hai, & alij damnati mortui in cruce fuerint, & ex ea depoſiti?

ANNOTATIO VI.

1. DE fixione, titulo, morte, & depoſitione de Cruce, pauca dicam. Credibile namque eſt ritum ſolennem in fixione Regis Hai ſeruatum eſſe, quem ſacræ literæ ad veſperam vſque pepẽdiſſe produnt, & poſt ſolis occaſum de cruce depoſitum. Primus figendi modus is fuit, vt manus primum figerent, inde pedes: apud Lucianum in Dialogo vbi Prometheus figitur. Erant manus interdum totius corporis ferendæ moli, neruoſæ illæ partes ſunt, & lentæ frangi. Nec in media ſemper manus vola claui fixi, ſed circa carpum, id eſt paulò ſuperiùs, qua cum brachio cõuenit, ſi corpus grauius, adminiculo erant funes illud humeris, & pectore medio ad crucem adſtringentes.

Ritus crucifigendi.

Lucianus.

Manus interdũ aſſixæ ferebãt etiam corporis molem.

2. Quidam pedibus fulcimentum ſuppedaneũ apponi ſolitum commemorant, in quo innixi & fixi ſimul pedes. Eiuſmodi tabellam in Chriſti cruce Greg. Turonenſis agnoſcit in lib. de glor. Mart. cap. 6. & Irenæus lib. 11. cap. 42. *Ipſe,* inquit, *habitus crucis fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudinem, & duos in latitudinem, & vnum in medio, vbi requieſcit, qui clauis configitur, &c.* Medius ille finis tabella videtur in qua corpus requieſcit.

Greg. Turonenſis appoſitum ait Chriſti pedibus fulcimentum. Irenæus.

3. Deinde poſt aſtrictionem, inſcriptio, id eſt cauſa ſupplicij apponitur, Latini titulum vocant, qualem Chriſti cruci, Ioan. 19. iuſſu Pilati, milites addiderunt. Præferri hic titulus aut apponi ſolet damnatis. Præferri conſtat ex cap. 28. Suetonij in Caligula. *Præcedente,* inquit, *titulo, qui cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur?* Appendi verò & apponi etiam ſolet. Idem in Domitiano cap. 10. *Patrem familias detractum e ſpectaculo in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo, impiè locutus Parmularius, &c.* Sæpe etiam neglecto titulo, præconis præeunte voce, crimen populi enuntiabatur. Quinam modus ſeruatus ſit in Regis Hai crucifixione, ſcriptura non expreſſit.

Titulus crucis ſiue inſcriptio.

Ioan. 19.

Circumductio rei præcedente titulo.

4. Tertiò poſt fixionem, mors ſequitur, corruptio, cuſtodia, Mors lenta, vel ab ſtillante paulatim ſanguine, vel à fame, vel à ferarum auiumque laniatu. Vide Euſeb. lib. 8. cap. 8. vbi martyres narrat crucifixos in Ægypto: *Seruati,* inquit, *ſunt viui, donec in ipſis patibulis fame morerentur.* Beatus Andreas in cruce ſuſpenſus biduo ſuperuixit. Victorinus ſub Nerua, iuſſus ſuſpendi capite deorſum, ita per triduum vixit, vt refert Mart. 5. Septembr. Quid quod Timotheus, & Maura in cruce nouem diebus viui pendentes, ac ſe ipſos in fide corroborantes, martyrium conſumpſerũt? Martyr. 3. Martij. Ioſephus in vita ſua ſcribit, impetraſſe ſe à Tito, vt tres Iudæos ex multis qui crucifixi fuerant, iuberet de patibulo depoſi: quorum duo inter ipſam curam obierint; tertius

Euſebius.

B. Andreas biduo viuit in cruce. Victorinus. Timotheus & Maura nouem diebus viui in cruce perſtiterunt. Ioſephus.

ſuperuixerit. Ac ne longum faciam, conſtat à volucribus, aut feris, etiam quoſdã adhuc viuos laceratos. Legimus etiam Martij 18. Iunij, Lanceis acceleratã fuiſſe mortem, in Marco, & Marcellino, quibus ad ſtipitem alligatis & pedibus eorum clauis infixis præcepit iudex Fabianus latera lanceis verberari. Iudæis mos fuit, crurifragio fatum crucifixis accelerare. Vnde Lactan. lib. 4. cap. 26. *Suffixus itaque Chriſtus, cum ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putauerunt oſſa eius ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat, &c.*

Lanceatis aliquãdo mors fuit.

Iudæi crurifragio fatum accelerabant. Lactantius.

5. Quartò, deponi de cruce niſi mortui non debebant. Apud Iudæos quidem in ipſa crucifixionis die, quod in Rege Hai obſeruauit Ioſue. Lex Moſaica ita habet, Deuter. 21. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, &c.* Aliæ gentes corrumpi in cruce maleficos paſſæ ſunt, & nefas putabant eos ſepelire.

Deut. 21.

6. Quintò, Cuſtodia ad crucem olim aſſidebat, ne quis detraheret damnatos. Vnde Petronius in Satyr. *Miles cruces aſſeruabat, ne quis corpora ad ſepulturam detraheret.* Quod etiam ſignificat Plutar. in Cleomene, vbi exprimit, & cuſtodiri ſolitos mortuos, & aues faciem in primis inuolaſſe. Huc pertinet illud Matth. 27. ἔχετε κουστωδίαν ὑπάγετε. Ad verbum reddes, ſi dixeris. *Habetis cuſtodiam abite.* Noſter interpres ita vertit: *Habetis cuſtodiam, ite cuſtodite, ſicut ſcitis*: quæ tranſlatio in idem recidit. Nomine *cuſtodiæ*, quidam milites intelligunt, qui templum cuſtodiebant. Eiuſmodi autem milites fuiſſe, qui armati templum, ne qua vis inferretur, cuſtodirent. Lucas cap. 22. inſinuat dum ab eo inter alios templi miniſtros, ϛρατηγὸς, id eſt dux etiam connumeratur. Hæc tamen ſententia firma non eſt. Quid enim opus erat, vt ſacerdotes à præſide milites peterent ad cuſtodiam, cùm ipſi haberent. Quarè aut milites huiuſmodi non habebant, aut ſi habebant, ita templi cuſtodiæ erant addicti, vt alium in vſum adhiberi non poſſent. Quod ſi tunc contra morem quis dicat, fuiſſe poſtulatos, & adhibitos Pilati iuſſu, ipſos templi cuſtodes, facilè confutabitur. Quid enim neceſſe fuit vt poſt reſurrectionem principes ſacerdotum, militibus, qui ſacerdotes erant copioſam pecuniam, vt Matt. cap. 28. ait, promitterent, vt mentirentur, Chriſti diſcipulos ſe dormientibus, cadauer de ſepulchro abſtuliſſe? Num illecebra, aut pecunia opus erat, vt inducerentur ad mendacium?

Cuſtodia olim ad crucẽ adhibita, ne quis detraherent maleficos. Petronius. Plutarc.

Matth. 27.

Luc. 22.

Quare petiuerint Iudæi cuſtodiã à Pilato & qualem.

Matth. 28.

7. Alij verbum, ἔχετε, ita exponunt, vt ſit modus imperandi. *Habete cuſtodiam*; quaſi ab imperante, & indignanter dante. Vox græca ad vtrumuis valet. Cæterùm præſentis temporis indicatiui modi verbum eſt, quo Pilatus non imperat, nec dicit eos cuſtodiam habere, ſed concedit, vt habeant, ac ſi dicat: En milites mei, illis vobis vti per me licet. Ite cuſtodite, ſicut ſcitis.

Pilatus proprios milites ſuos dat in cuſtodiam.

Iudæos adhibentes cuſtodiam, & ſignantes ſepulchrum ſua aſtutia fefellit, ſiquidẽ nihil clauſum nihil obſignatum Deo eſt. Iob. 5. *Comprehendam, inquit, ſapientes in aſtutia eorum.* Rectè Hilarius ſtultitiæ Iudæos arguit. Metus deinde furandi corporis, & ſepulchri cuſtodia atque obſignatio, ſtultitiæ atque infidelitatis teſtimonium eſt, quod ſignare ſepulchrum eius voluerint cuius præcepto conſpexiſſent mortuum de ſepulchro ſuſcitatum. Hæc Hilar. Hactenus de fixione Regis Hai, deque ritu apponendi titulum cruciarijs, eorumque depoſitione.

Iob. 5. *Hilarius arguit Iudæos ſtultitiæ.*

De communicatione ignominiæ crucis in gloriam; & de crucifixione iuſtorum cum Chriſto.

ANNOTATIO VII.

8. NON poſſum mihi temperare quin de crucis permutatione ex ignominia in ſalutis inſtrumentum, vt ad illius laudes afficiamur, aliquid, quòd eruditis & piis viris placeat, proponam. Primum, crucem ſaluto illo carmine Sibyllæ, quod refert Sozomen. lib. 11. cap. 1.

O lignum felix in quo Deus ipſe pependit.

Sozomenus. Carmẽ Sibyllæ.

Deindè, illam Damaſcenus multis decorat nominibus lib. 4. de Orig. Fid. *Clypeus & armatura.* (inquit) *Et tropheum contra Diabolum: ſignaculum, ne tangat nos euerſor: iacentium erectio, ſtantium fulcrum, infirmorum ſcipio, paſtorum virga, reuertentium manu ductio, proficientium perfectio, animæ conſeruatio, & corporis omnium malorum euerſio, omnium bonorum conciliatio, peccati pernicies, ſtirps reſurrectionis, lignum vitæ æternæ.*

Damaſcen.

Crux paſtorum virga.

9. Tertiò, vocatur ſignum Dei viui, quia in Ægyptiorum hieroglyphicis, æternitatem, intra circulum, qui ducta linea per ſummos digitos & pedes expanſi hominis fit, ſignificat. Vnde Apoc. 7. *Vidi Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, id eſt æterni.*

Crux ſignum Dei viui in circulo connotat.

Apoc. 7.

10. Quartò, venerabilis eſt toto terrarum orbe: cum aliis de cauſis, tum illa etiam quia habet terra hoc ſignum in quatuor plagis effictum: Oriente & Occidente, Septentrione & Meridie: à quibus in tranſuerſum, ſi lineas ducas, crucem effinxeris, ſignificatur, terram tunc felicem fore, quando crucis ſignum ſuſcipiet adorandum, audita Apoſtolorum prædicatione; de quã Matth. vltimo. Aues in eo pulchræ videntur, quod volantes crucem reddant efformatam. Ideò Angelus Apoc. 19. ſtans in ſole; *Clamauit*, inquit, *ad aues quæ volabant per medium cœli; vt venirent ad cœnam magnam, id eſt ad eos, qui obediunt Chriſto dicenti* Mat. 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam*, &c. Clem. Alex. lib. 2. Strom. crucem vt moderatricem, voluptatum, quæ nos in vitia impellunt nobis commendat. *Eos, inquit, qui magni animi & excelſi exiſtimantur, voluptas facit cereos ex ſententia Platonis, quoniam vnaquaque voluptas & vnuſquiſque dolor corporis affigit animam eius; qui non ſe ſeparat ab animi perturbationibus, eáſque crucis affigit. Qui perdiderit animam ſuam (inquit Dominus) ſeruabit ipſam, aut eam tradens libenter adeundo pro Domino pericula, aut eam perdens ex ea quia eſt ei, cum hac vita conſuetudine, ſi enim ſoluere abducere, & ſegregare. Id enim crux ſignificat, animam volueris ab ea, quæ eſt in hac vita voluptate, & delectatione, habebis eam in ea, quæ expectatur ſpe inuentam, & conquieſcentem*, &c. De crucis effigie, quæ in nauis malo & antemna apparet Ambroſ. ſerm. 55. Quomodo autem honori cœperit haberi, agit Auguſt. ſerm. 18. de verbis Domini Chryſoſt homil. 7. ad Philip. & Diuus Thomas ſuper illud, *Mortem autem crucis.*

Terræ plagæ reddant crucis figuram.

Matth. vlt.

Apoc. 19.

Matth. 16.

Clem. Alex.

Crux moderatrix voluptat.

Ambroſ. *Crucis honor.* Auguſtinus. Chryſo. D. Thom.

11. Quintò, Crucis exportatio, quæ ignominioſa olim fuit, nunc gloriæ nobis eſt; poſtquam

Chriſtus

Ex portati crucis nunc eſt glorioſa.
Ioan. 19.
Iſaiæ. 9.

Chriſtus Dominus corpore flagellis exhauſto, humeros illi ſuppoſuit, Ioan. 19. *Baiulans ſibi crucem*, Exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus: quod factum eſt, vt impleretur vaticinium, Iſaiæ 9. *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Quod de crucis humeris Chriſti impoſitæ myſterio interpretatur, Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 4. D. Hieronym. ſuper iiſdem verbis Iſaiæ, Iuſtinus Martyr. 2. Apologetico, Tertull. lib. 3. aduerſus Marcionem num. 12. cuius verba ſubiiciam, quia veterem, & probatum Pſalmi lectionem. *Dominus regnauit à ligno* (ſimul in crucis commendationem interpretatur. *Age*, inquit, *ſi legiſti penes David Dominus regnauit à ligno, expecto quid intelligas, niſi forte lignarium aliquem Regem ſignificari Iudæorum, & non Chriſtum, qui exinde à paſſione ligni ſuperata morte regnauit. Etſi enim mors ab Adam regnauit vſque ad Chriſtum; cur Chriſtus non regnaſſe dicatur à ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis excluſit? Proinde etiam Iſaias: Quoniam, inquit, puer natus eſt nobis. Quid noui, ſi non de filio Dei dicit? & datus eſt nobis cuius imperium factum eſt ſuper humerum ipſius. Quis omnino Regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præferi, & non aut capite diadema, aut manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam. Sed ſolus nouus Rex, nouorum æuorum Chriſtus* IESVS *nouæ gloriæ, & poteſtatem, & ſublimitatem ſuam humero extulit, crucem ſcilicet, vt ſecundum ſuperiorem Prophetiam, exinde Dominus regnaret à ligno. Hoc lignum, & Hieremias tibi inſinuat, dicturis prædicans Iudæis. Venite mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque veſtro reuelauit, panem corpus ſuum appellans, vt etiam hinc iam eum intelligas, corporis ſui figuram panis dediſſe, cuius retro corpus in panem Prophetes figurauit, ipſo Domino, hoc ſacramentum poſteà interpretaturo*, &c.

Ambroſ.
Hieronym.
Iuſtinus Martyr.
Tertull.
Pſal. 95.
Quid ſit Dominus regnauit à ligno?
Iſaias.
Hieremias de ligno Crucis.

B

C

Pſal. 21.

12. Idem, vigeſimum primum pſalmum, verſari in crucis gloria decantanda profitetur infra num. 13. *Foderunt*, inquit, *manus meas, & pedes meos; quæ atrocia crucis: & rurſus cum auxilium patris implorat: ſaluum*, inquit, *fac me ex ore Leonis, vtique mortis, & de cornibus vnicornis humilitatem, de apicibus ſcilicet crucis. Quam crucem nec ipſe David paſſus eſt, nec vllus Rex Iudæorum; ne putes alterius alicuius, qui ſolus à populo tam inſigniter crucifixus eſt*, &c.

D

Iſaac figura Chriſti baiulantis crucem.
Rhinoceros vnicornis.
Quid tauri cornua?
Quomodo Chriſtus de cruce ventilabit gentes.
Simeon & Leui ſignificarũt ſcribas & Phariſæos.

E

13. Idem numero præcedenti, Iſaac fuiſſe figuram Chriſti crucem ad ſacrificium ſui ipſius baiulantis affirmauit, ſicut & Ioſeph à fratribus venditus, perſecutionem, quam Iudæi Chriſto attulerunt, ſignificauit. Additque Chriſtum benedici à patre in hæc verba, *Tauri de cor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter ad ſummum vſque terræ:* Non vtique rhinoceros deſtinabatur vnicornis, nec minotaurus bicornis; ſed Chriſtus in illo ſignificabatur taurus ob vtramque diſpoſitionem, aliis ferus, vt Iudex, aliis manſuetus, vt ſaluator, cuius cornua eſſent crucis extrema. Nam & in antemna, quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur: vnicornis autem media ſtipitis palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus, vniuerſas gentes, & nunc ventilat per fidem, & tunc per iudicium ventilabit. Idem erit, & alibi taurus apud eandem ſcripturam. cum Iacob in Simeonem & Leui, id eſt in Scribas, & Phariſæos (ex illis enim deducitur cenſus iſtorum) ſpiritaliter interpretatur. Simeon & Leui perfecerunt iniquitatem, ex ſua hæreſi, qua ſcilicet Chriſtum ſunt perſecuti. *In concilium eorum non veniret anima mea, quia in indignatione ſua interfecerunt homines, id eſt Prophetas, & in concupiſcentia ſua ceciderunt nervos tauro*, id eſt Chriſto; quem poſt necem prophetarum ſuffigendo, neruo vtique eius, clauis deſæuierunt. Hæc ille. Vide Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 28. Leonem Papam ſerm. 8. de paſſione. Chryſ. hom. 88. in Ioan. Euthym. ſuper Ioan. 19. Athan. ſerm. de paſſione. Auguſt. ſerm. 71. de tempore. Theophy. ſuper cap. 23. Lucæ.

A

Cyrill.
Leo PP.
Chryſoſt.
Euthym.
Athanaſ.
Auguſt.
Theophyl.

14. Sed quomodo Iudæi crucifigere auſi ſunt filium Dei? an neſciebant omnia Deo famulari ad gloriam? Reſpondet Apoſtolus. 1. Cor. 2. *Quem ſi cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Id eſt, ſi Iudæi Chriſtum, quem ex parte Meſſiam eſſe cognouerant, dicentes Matth. 21. hic eſt, hæres, Deum eſſe cognouiſſent, minimè crucifixiſſent. Ita Tertull. explicat hunc locum lib. 3. contrà Marcionem, Euthym. Theophy. Hieronym. Gloſſ. D. Thomas. Lyran. Orig. hom. 2. in Cant. Burg. Aug. in quæſt. noui & veteris teſtamenti. Admitti etiam poteſt D. Ambroſij expoſitio, ſi dæmones Chriſtum eſſe Deum cognouiſſent, mortem illi machinati non eſſent; Quam adducit etiam Hieronym. ſuper 10. cap. Dan. Auguſt. qu. 66. noui teſtamenti, Anſel. eodem loco quo Ambroſ. videlicet ſup. 1. Cor. 2. Hinc curioſè Diabolus Matth. 4. quærebat, *Si filius Dei es.*

1. Cor. 2.
Matth. 21.
Tertull.
Euthym.
Theophyl.
Hieronym.
Gloſſ.
D Thom.
Lyran.
Orig.
Burgenſ.
Auguſt.
Ambroſ.
Anſelm.
Matth. 4.

15. Sextò, magna illa eſt crucis gloria, quòd crucis ſanguine pacificauit Chriſtus cœlum & terram, Coloſ. 1. Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra ſunt. Vnde Bernd. ſerm. 22. in Cant. ait Chriſtum præuiſa ab initio mundi morte ſua, meruiſſe Angelis ſanctis, ne laberentur, & ſic pacificaſſe cæleſtia: præterea meruiſſe hominibus iuſtificationem à lapſu ſicque pacificaſſe terrena. Idem tenet Cyrill. lib. 1. ſuper Leuit. dicens, non ſolum pro terreſtribus, ſed etiam pro cœleſtibus, oblatus eſt hoſtia IESVS, &c. Qui contrariam ſequuntur ſententiã, ſcilicet non meruiſſe Chriſtum Angelis perſeuerantiam, neque propter illos in terras veniſſe, vt Auguſt. in lib. de verbis Domini. Leo Papa in ſerm. de Natiuit. D. Thom. multis locis Theod. & Theoph. dicunt pacificaſſe Chriſtum cæleſtia, quia Angelos olim hominibus propter peccatum auerſos, reddidit amicos, & cæleſtis regni conſortes.

Chriſtus meruit Angelis bonis ne laberentur.
Cyrill.
Quomodo dicatur Chriſtus pacificaſſe cæleſtia?
Auguſt.
Leo PP.
D. Thom.
Theodor.
Theophyl.

16. Septimò, crux dicitur thronus filij Dei, vt patres explicant illud Pſalm. 95. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* Vbi Iuſtinus in dialogo aduerſus Tryphonem pag. 83. affirmat ſuo tempore apud 70. legi ſolitum, *Quia Dominus regnauit à ligno.* Quod Rabbini primum, ab Hebræo in odium crucis, deinde à 70. quoque abraſerunt. Sanè Tertull. loco citato ita legit, Ambroſ. ſuper 1. Cor. cap. 15. Auguſtin. in Pſalm. 95. Lactantius, Arnobius, & Caſſiodorus, ita legunt & exponunt.

Crux dicitur thronus filij Dei.
Pſalm 95.
Iuſtinus.
Tertull.
Ambroſ.
Auguſt.
Lactantius.
Arnobius.
Caſſiodorus.

17. Octauò, vocatur crux clauis David, id eſt regni cæleſtis Iſai. 22. *Et dabo clauem domus David ſuper humeros eius.* Vbi Hieronym. *Hoc*, inquit, *eſt in paſſione, iuxta illud alio loco. Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Vnde ab Auguſt. ſerm. 123. appellatur clauis cœli. *Vis*, inquit, *Scire aliud crucis beneficium? paradiſum ante quinque millia annorum clauſum, crux nobis aperuit.* Et Chryſoſt. ſerm. de Lazaro tom. 2. *Crux*, inquit, *Chriſti clauis eſt paradiſi.* Idem dicit Damaſc. lib. 4. de fide cap. 12. Et Ambroſ. ſerm. 55. de cruce.

Crux, clauis David.
Iſai. 22.
Hieronym.
Crux clauis cœli
Chryſoſt.
Damaſcen.
Ambroſ.

18. Duos præter alios, quos operatur Crux Chriſti infidelium animis effectus, non prætermittam. Vnus eſt, quod gloriam Crucis Chriſti

conſide-

Viri iuſti carnẽ ſuam crucifigunt.

conſiderantes viri iuſtitiæ, & probitatis cultores, crucifigere carnem ſuam cum Chriſto ſolẽt: hoc eſt veterem hominem cum actibus ſuis mortificare, vt exponunt crucifixionem ſpiritualem Chryſoſt. Theoph. Theod. Ambroſ. Gloſſ. D. Thom. Lyran. ſuper illud ad Galat. 5. *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*, & ſuper illud Rom. 6. *Vetus homo ſimul crucifixus eſt vt deſtruatur corpus peccati*, id eſt multitudo ſcelerum, & ad Galat. 2. Chriſto confixus ſum cruci. Iam crucifixum eſſe mundum alicui, eſt mundi voluptates, & honores, vt rem emortuam reputari. Paul. Gal. 6. *Abſit mihi gloriari niſi in cruce, &c. Per quem mihi mundus crufixus eſt, & ego mundo*. Id eſt, horrori mihi eſt mundus, ſicut fætens cadauer, & ego illi, vt exponũt Chry. Theophy. Theod. Ambroſ. & alij. Crux autem Chriſti in qua Paulus gloriatur eſt contumelia, & tribulatio, iuxtà illud Rom. 6. *Sed & gloriamur in tribulationibus, &c.* iniurias, & cõtumelias qui aſpernãtur, eos vocat Apoſtolus inimicos crucis Chriſti, ob id credo, quia dictum eſt à Chriſto, Matt. 10. *Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Eſt autem tollere crucẽ, vt exponit Chry. præparare animum ad mortem pro Chriſto, etiã violentam, cum opus fuerit, ſubeundam. Hieronym. verò ſuper illud, Marc. 8. *Qui non accipit crucem ſuam quotidie, & ſequitur me, nõ eſt me dignus, &c.* Exiſtimat crucem portare, eſſe ardorem fidei cõſeruare, quæ per charitatem operatur. De hoc ardore ad Rom. 12. *Spiritu ferventes*. Tertiò exponit Hilarius crucem portare, eſſe crucis imitari patientiam. Quartò, Greg. interpretatur eſſe per abſtinentiam carnem affligere, & per compaſſionem, neceſſitatem proximi quaſi noſtram reputare. Idem ferè ſentit Auguſt. Epiſt. 38. dicens crucem noſtram eſſe mortalitatem carnis noſtræ, quæ nos affligit donec abſorbeatur mors in victoria. Non iubet autem Dominus, vt portemus crucem ſuam, quæ ſola potuit ſatisfacere pro mundi peccatis de rigore iuſtitiæ, vt Theologi loquuntur, & quæ grauiſſima fuit, ſed noſtram, *ſecundum menſuram donationis Chriſti cum patientia, vt cum Chriſto regnemus*, Rom. 8. *ſi tamen compatimur, vt conregnemus*.

Chryſoſt. Theophyl. Theodoretus. Ambroſius. Gloſſ. D. Thom. Lyranus. Rom. 6. Galat. 6. — Chryſoſt. Theophyl. Theodoretus. Ambroſius. Rom. 6. — Matt. 10. *Quid ſit tollere crucem?* Chryſoſt. — Hieronymus. — Marc. 8. — Rom. 12. Hilarius. — Greg. Papæ. — Auguſtinus. — Rom. 8.

Crux in cælo ſplendens conſolabitur iuſtos. Matth. 24.

19. Alter effectus eſt curarum vitæ, & cruciatuum alleuamentũ. Conſolantur crucis Chriſti amatores illa verba, Matt. 24. *Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo, &c.* Hoc namq; ſignũ Crux Chriſti erit, hoc loco aſſerit Orig. & Hierony. *Signum*, inquit, *hîc crucis intelligimus, vt videant iuxtà Zachar. & Ioannem Iudæi, quem confixerunt, aut vexillum victoriæ triumphantis*. Hæc ille. Idem ſentit Anſel. Theophyl. Euthym. Lyran. Gloſſ. Inter. Atque hæc ſententia probabiliſſima eſt, vt vel ignea crux, non lignea, vel radiis ſolis rutilans ſimul cum ipſo Chriſto affulgeat. D. Chryſ. ſuper eadem verba. *Quidam*, inquit, *exiſtimant crucem Chriſti oſtendendam, verius autem eſt ipſum Chriſtum in corpore ſuo habentem teſtimonia paſſionis, id eſt vulnera*. Hæc Chryſoſt. fortè quia putat in die iudicij, cùm igni conſumenda ſint omnia, non eſſe cur lignea crux ſuperſit, cùm ſatis ſit ignea, aut rutilans. D. Thom. & Chriſtum, & crucem exiſtimat in commentariis in Matth. apparituram, & Ephræm. lib. de pœnitentia cap. 4. Anſelm. in Elucidatorio, Hyppolitus in orat. de cõſummat. mundi, Clemens Rom. lib. 7. Conſt. cap. 3. Afferet hoc ſignum in cœlo cum Chriſto rutilans, vt terrorem improbis, ſic conſolationem iuſtis,

Origen Hieronymus. — Anſelmus. Theophyl. Euthym. Lyranus. Gloſſ. — Chryſoſtom. *Signum quod apparebit in die iudicij, Chriſtus eſt.* — D. Thom. — Ephræm Anſelmus. Hyppolitus. Clem Rom.

A qui obedierunt Domino dicenti Matth. 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Hæc de cruce. Fuſius fortè quàm loci explicatio poſtulabat, ſed danda eſt venia affectui. (Matth. 16.)

20. Non putaui tractandam eſſe quæſtiunculam, quæ ſuboriri poterat, præceſſeritne crucem Regis Hai aliqua ignominia, quia credibile eſt, nihil huiuſmodi præceſſiſſe, cùm & ſacræ literæ ſileant, & Regi non congruere, ratio doceat. Solitos ad columnam verberari cruciarios lego, aut ante ipſam deductionem, idq̀ue domi, aut in prætorio, quod in Chriſto ſeruatore factum; aut in ipſa deductione per viam, quod moris fuit magis priſci. De Chriſto ita Prudentius.

Cruciarij ante mortem verberabantur. — Prudentius.

—Atque columna
Annexus, tergum dedit, vt ſeruile flagellis.

Et Hieronym. in Epiſtola ad Euſtoch. agens de Paula percurrente loca ſancta. *Oſtendebatur illi columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus, &c.* Indicat fulciri vſum habuiſſe in ędificio templi. Prudentius Hieronymo accinit.

Hieronymus. — *Columna Chriſti in porticu.*

Perſtat adhuc templumq́, gerit veneranda columna.

Bedæ tamen tempore in cõſpicua, & media templi parte erat, lege Greg. Turonenſem de glor. Mart. cap. 11. vbi huius columnæ, & miraculorum meminit. De crucium deductione agit, quátum ſatis eſt. Lipſius lib. 2. de Cruce cap. 5. Hominibus ſceleratiſſimis hæc flagellatio, & ferè abiectiſſimis mortis proluſio erat. Vnde illud, quod apud Plautum conſeruo ſeruus.

Bedæ tempore Columna Chriſti erat in media templi parte. — Greg. Turon. — Lipſius.

O carnificum cribrum, quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi noſter huc reuenerit ſenex.

Hinc magni fieri iuxta ac colli à nobis debet Chriſti Domini humilitas. Cùm enim Rex eſſet gloriæ, nudari, & flagellari ſe paſſus eſt, antequàm crucem, cui nudus erat tanquam vile mancipium affingendus, humeris ſubueheret. O amor, ô Pietas?

Chriſti humilitas.

CAPITIS OCTAVI ANNOTATIO II.

Verſ. 30.] Tunc ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal: ſicut præceperat Moſes
31. famulus Domini filiis Iſrael; & ſcriptum eſt in volumine legis Moſis: Altare verò de lapidibus impolitis, quos ferrum non teti-
32. git; & obtulit ſuper eo holocauſta, Domino & immolauit paci-
33. ficas victimas. Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moſis, quod ille digeſſerat coram filiis Iſrael. Omnis autem populus, & maiores natu, duceſq; ac iudices ſtabant ex vtraque parte arcæ
34. in conſpectu Sacerdotum, qui

porta-

portabant arcam fœderis Domini, vt aduena, ita & indigena. Media pars eorum iuxta mõtem Garizim, & media iuxta montem Hebal, ſicut præceperat Moſes famulus Domini. Et primùm quidẽ benedixit populo Iſrael. Poſt hæc, legit omnia verba benedi-
25. ctionis, & maledictionis, & cuncta, quæ ſcripta erant in legis volumine. Nihil ex his quæ Moſes iuſſerat, reliquit intactum, ſed vniuerſa replicauit coram omni multitudine Iſrael, mulieribus ac paruulis, & aduenis, quæ inter eos morabantur.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *De lapidibus impolitis, quos ferrum, &c.* Ex lapidibus integris, ſuper quos non fecit eleuare ferrum, &c. Pro, *In conſpectu ſacerdotum, &c.* Corã ſacerdotibus Leuitis Pro, *Poſt hæc, legit omnia verba benedictionis, &c.* Et poſtea legit omnia verba legis: Benedictionẽ, & maledictionem, iuxta omne, quod ſcriptum eſt in libro legis.

Aliter. Pro, *Pacificas victimas, &c.* Hoſtias gratulatorias. Pro, *Deuteronomium legis, &c.* Secundariam legem Moſis. Pro, *In conſpectu ſacerdotum.* Coram ſacerdotibus Leuitici generis. Pro, *Omnia verba benedictionis, & maledictionis, &c.* Benedictiones, & execrationes.

Sept. Interp. Pro, *Pacificas victimas,* vertunt, Sacrificium ſalutare. Pro, *Sicut præceperat Moſes famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Iſrael. Poſt hæc, &c.* Legunt, ſicut præceperat Moſes famulus Domini ad benedicendum populo Iſrael inprimis. Et poſt hæc legit, &c.

Explicatur contextus.

1. TVNC *ædificauit Ioſue altare Domino.*] Hæc in verſione 70. interpretum emendata per Sixtum V. inſeruntur

70. Interp. Sixtus V.

A cap. ſequenti. Nos tamen vulgatam ſequimur editionem, cui concinit contextus verſionis complutenſis per eoſdem 70. diſpoſitus. Nec verò audiendus eſt R. Salomon dicens hîc eſſe mutationem ordinis; quia hæc apocope debuiſſet inſeri in ea parte, qua id narratur, quod ſtatim poſt trãſitum Iordanis contigit, antequàm caſtrametarentur in Galgalis; illi enim repugnat particula, *tunc*, quæ tempus deſignat conſequens Hai euerſionem: Vide quæ annotauimus cap. 4. & Abul. ibid. quæſt. 21. & deinceps.

Verſ Complut.

R. Salomon.

Abulenſ.

2. Ioſue igitur Hiericho deſtructa, & Hai victa; altare Domino erexit; primùm (vt Liranus author eſt) ad reddendum Deo debitas pro victoria gratias: B Deinde vt id exequeretur, quod à Moſe fuerat mandatum, Deut. 27. his verbis. *Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem ſuper montem Garizim, maledictionem ſuper montem Hebal, qui ſunt trans Iordanem, poſt viam quæ vergit ad ſolis occubitum in terra Chananæi, qui habitat in campeſtribus contra Galgalam, quæ eſt iuxta vallem tendentem, & intrantem, &c.*

Lyranus.

Erectio altaris pro gratiis agendis Deo.

Deut. 27.

3. Cauſam huius mandati tradam. Conſueuere ij, qui primi prouinciam aliquam, vel ipſi occuparunt, vel ab aliis occupatam ſibi iure belli vindicarunt; Pyramidibus, templis, triumphali fornice, aut turribus, rei geſtæ memoriam inciſis C literis, vel alio ſigno poſteris prodere. Hoc enim præmium ſibi proponit humana mortalitas. Hãc inſitam animis hominum cupiditatem coercuit Moſes in Hebræis iubens omnium felicium geſtorum gloriam & laudem, Deo tantùm aſcribi. Inquit enim loco citato. *Cùm tranſieris Iordanem in terram, quam Dominus Deus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos, &c.* Ac ſi dicat: ſcio te poſt tranſitum Iordanis lapides more gẽtium erecturum, quibus illi ſolent locorum ſibi arrogare occupationes. Id ego non interdico; volo tamen, vt non tibi laudem, ſed Deo autori attribuas: quod ſubſequens verſus exponit; *vt poſſis,* inquit, *in eis ſcribere omnia verba legis huius* D *Iordane tranſmiſſo.* Quam legem rectè Arias Montanus, non vniuerſum pentateuchum interpretatur. Sed hoc ipſum præceptum, de quo ſermo eſt; quo iubentur lapides quidẽ ſtatuere, ingreſſúmq; in regionem ſcribere, in laudem Dei, beneficij huius authoris. Hæc námque ſententia ſubiungitur: *vt introeas,* inquit, *in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quia verò arcus, pyramides obeliſci, podia, columnæ, & huiuſmodi monumenta à gentibus adhiberi ſolent, ſibi gloriam rerum geſtarum aucupantibus, omne aliud operis genus præter altare, quod nemini niſi ſoli Deo erigi à quoquam poteſt; reiecit Moſes. *Quando ergo tranſieritis Iordanem ædificabitis altare Domino* E *de lapidibus impolitis: & offeres ſuper eo holocauſta, &c.* Verba autem hæc, aut ſimilia magnis characteribus ſecundùm legis præſcriptum; poſt dedicationem illam:

Qui occupant nouas terras erigunt monumenta.

Deut. 27.

In laudem Dei ſunt erigenda monumenta.

Arcus, pyramides.

Domino Deo Iſrael.

In hanc ſententiam inſculpanda erant:

Quia Iordane tranſmiſſo, terram patribus iuramento adiudicatam nobis donauit, altare in monte Hebal, ex Moſis præſcripto rudi lapide poſuimus.

Inſeri ptio altaris.

4. *Sicut præceperat Moſes famulus Domini filiis Iſrael.*] Præcepti Moſaici mentio fit, in quo exprimitur erigendos lapides impolitos, ad extructionem altaris; qui propterea calce liniendi erant, vt aptè, & inſcriptio fieret, & immolatio. Hac

præ-

præcepti mentione, ſimul indicatur, alios fuiſſe hos lapides ab illis, qui eadem die, qua Iordanis eſt traiectus, fuerunt erecti. Nihil enim à Moſe de lapidibus in Iordane, aut in Galgalis erigẽdis, fuit prædictum. A

Cur altare de lapidibus impolitis factum?

5. *Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomiũ legis Moſis.*] Erat altare extructum de lapidibus impolitis. Quod mandauit Moſes, ne Iudæi dolando, & poliendo rudem materiam altaris, inducerentur ad formandas ſtatuas, & figuras rerum quas colerent. Vide quæ notantur ab Abulenſ. ſuper cap. 27. Deuter. & Exod. 20. Pro, *Deuteronomium legis Moſis:* in Hebr. ad verbum habetur; ſecunditatem legis Moſis, quam ſcripſit coram filiis Iſrael, vel, vt Arias Montanus vertit. *Et ſcripſit ibi ſuper lapides duplicationem, ſiue repetitionem legis Moſis, quam ſcripſit ad facies filiorum Iſrael.* Chald. ſic: *& ſcripſit ibi ſuper lapides exemplum, ſiue expoſitionem legis Moſis, quam ſcripſit ante filios Iſrael*; Græcè, idem ferè ſenſus redditur. Quarè omnes hæ lectiones, compendium legis Moſaicæ adſignificant. Continet autem hoc compendium, ſummam eorum, quæ ſcribuntur à quinto Deuteronomij capite, ad medium vſque ſeptimi. Omnia verò ad vnius Dei notitiam, & cultum ſpectant, quæ in ſecundaria legis traditione à Moſe, vt legis doctore inculcata ſunt. B

Abulenſ. Deut. 27. Exod. 20. Montanus. Chald.

An iidem ſint lapides altaris, & Deuteronomij? Abulenſ.

6. Quæres, an iidem lapides ſint, in quibus deſcripſerunt Iſraelitæ Deuteronomium, cum illis ex quibus fabricatum eſt altare? Abul. quæſt. 25. dubius eſt. Nec verò multum intereſt quomodo reſpondeas. Maior dubitatio eſt, an ſolum decem præcepta ſint inſculpta, vel ſolùm maledictiones, & benedictiones, vel totus Deuteronomius; ſed hanc difficultatem infrà euoluemus. C

Ordo Iſraelitarum qui mediã arcam circumſtabant, & benedicebant, &c.

7. *Omnis autem populus, & omnes maiores natu, ducéſque ac Iudices ſtabant ex vtraq; parte.* In terrã promiſſam ingredientes Iſraelitæ quadam ſolemni ceremonia profitẽtur; non aliam legem ſe obſeruaturos, quàm eam, quæ à Deo per Moſem ſibi fuit promulgata. Optántque obſeruatoribus benedictiones; violatoribus verò omnes Diras imprecantur. Igitur Arca Domini inter duos montes conſtituta, humeríſque ſacerdotum impoſita; Iſraelitæ omnes ſuis ordinibus ita conſtiterunt, vt nullus qui illius multitudinis communione contineri vellet, ſiue aduena eſſet, ſiue aſcriptitius ab audienda lege excluderetur. Precantatam igitur per ſacerdotem, aut Leuitam, quos munus hoc ſpectabat, illam ſolemnem benedictionem, quæ habetur Num. 6. *Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te; oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; Conuertat Dominus vultum ſuum à te, & det tibi pacem* Illa deinde ſunt adhibita, quæ ſequuntur. *Poſt hæc legit,* inquit, *omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ fuerãt ſcripta in legis volumine, &c.* Benedicendi quidem, prima actio Leuitarum fuit: Hæc vero Ioſue, qui prophetæ munus authore Deo fuerat ſortitus, & Moſis primi legiſlatoris loco ſucceſſerat. Interpunctio Hebræa, & quæ in 70. interpretum verſione cernitur, hunc ordinem indicat Caietanus, tamẽ aliter ſentit. *Poſt conuentum,* inquit, *populi ſic locati legit (proculdubio Ioſue per Sacerdotes, ſeu Leuitas) omnia verba legis, ſcilicet, benedictionem, & maledictionem.* Illa verba: *Cuncta, quæ ſcripta fuerant in legis volumine.* Hunc habent ſenſum. Legit Ioſue benedictiones, & maledictiones, non priuata interpretatione, vel additione adiuncta, ſed planè omnia recitauit, quæ in libro legis deſcripta erant. D E

Num. 6. *Lectio Deuteronomij coram populo.* *Benedictionem exorſi ſunt Leuitæ.* *Caietanus putat Ioſue legiſſe omnia quæ erãt in libro.* Num. 6.

Qua in re, Moſis, non ſuum eſt ſecutus ductum & præceptum. In Hebræo eſt non fuit verbum ex omnibus, quæ præcepit Moſes, quod non legit Ioſue; nempe vel per ſe, vt Arias Montanus putat, vel per ſacerdotes, vt mauult Caiet. cui aſſentior. Abulenſ. qu. 31. enarrans illa verba, *& primùm quidem benedixit populo Iſrael.* Refutata eorum ſententia, qui dicunt ſignificari his verbis, quod Ioſue primùm fecerit poni benedictiones ſuper totum populum, & poſteà fecit proferri maledictiones, ſic ait; Iſta non fuit aliqua de benedictionibus, quas iuſſit poni Moſes; ſed Ioſue imprecatus fuit aliquam benedictionem ſuper totum Iſrael: vel fecit, quod ſacerdotes eam imprecarentur, & proferretur abſolutè, in quo eſſet propriè benedictio, &c. Talis eſt illa, quam adduximus ex Num. 6. Quæ verò additæ ſunt, & cum conditionibus prolatæ ex Moſe, veluti adiurationes ſunt, & obſecrationes.

Montanus. Caietanus. Abulenſ. *Vel per ſe, vel per ſacerdotes legit librum legis Ioſue.* Num. 6.

8. *Nihil ex his quæ Moſes iuſſerat reliquit intactum, ſed vniuerſa replicauit.*] Diuiſa multitudine, in duas partes, ſenis in vtraque tribubus, cùm locum infimum, hoc eſt, inter duos montes interpoſitam vallem, media teneret arca, quo pacto commodiſſimum, & pulcherrimum theatrum conſtabat; omnem illam lectionem indicari putat. Arias Mont. hoc loco, quæ ab exordio cap. 26. Deuteronomij ducitur vſque ad finem trigeſimi. Alij totum Deuteronomium intelligunt fuiſſe recitatum. Certum eſt iteratam hic fieri legis promulgationem: qua ſignificatur IESV Chriſti gratia mundo communicata, à qua nemo excipitur.

Montanus. *Lectio Deuteronomij ſignificat lectionem euangelij, in quo eſt ſecunda lex.*

Summa igitur eſt. Expugnata vrbe Hai perrexiſſe Iſraelem ad Garizim & Hebal mõtes, vbi ædificato altari lapideo, holocauſta Deo obtulit, atque, vt plures conſentiunt, in quibus eſt Chriſtianus Adricomius, ex Deuteronomio, decalogum lapidibus calce illitis inſcripſit: ac coram arca, & omni populo, mulieribus, & paruulis benedictiones, & maledictiones Moſaicas recitauit.

Adricomius. *Decalogus in calce inſcriptus.*

Verſ.30.] Tunc ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal.

Quiſnam primum altare Domino ædificauerit? & quid Ioſue permouerit ad erectionem altaris?

ANNOTATIO I.

1. PRimus omnium Noe vt conſtat ex 8. cap. lib. Gen. altare Domino erexit ſtatim, vt egreſſus ex arca eſt: memor videlicet, quanto fuerit à Deo beneficio affectus. Voluítque ea ratione grati animi ſignificationem præbere. Qui enim arcam facere iuſſerat (inquit Rupert.) homini, in qua ſaluaretur homo, dignum profectò erat, vt illi altare faceret homo, in quo ſaluator hominis adoraretur ab homine. Verba ſacri cõtextus hæc ſunt: *Ædificauit autem Noe altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, &c.* An verò anteà, alta-

Gen. 8. *Noe primus altare Deo erexit.* Rupertus. Gen. 8.

altarium aliquis vſus fuerit necne, incertum. A
Credibile eſt, id genus diuini cultus, vel ex maiorũ traditione, vel ex tacito Dei inſtinctu, Noë didiciſſe. De materia huius altaris, fueritne extructum ex lapide rudi, aut ex terra nihil comperti habemus. Tantùm ſcio, Exod. 20. pręcipi, ne aliter quàm duobus illis modis altaria fiant. Duæ hæc loco, quæ cogitanti ſe obiiciunt proponendæ, & diſſoluendæ ſunt quæſtiones.

Altaria ex lapide rudi, aut ex terra fieri, poterat vix. Exod. 20.

2. Prima eſt D. Chryſoſt. qui Hom. 27. in Geneſ. diſputat, cur Deus, cùm Spiritus ſit à ſanctis Patriarchis ædificari ſibi altaria, & immolari victimas, paſſus ſit, cùm potiùs ſpiritalibus tantùm hoſtiis videretur adorandus. iuxta illud Pſal. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis.* & Pſal. 40. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*, & Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, &c. Duas eius rei cauſas aſſignat. B
Prima, quo illi patres ſuam erga Deum declararent, vel externo cultu pietatem. Altera ne vulgus fidelium, videns alias gentes, Deos ſuos magnificis oblationibus, venerari, ad idololatriam prolaberetur. Similiter (inquit) Chryſoſt. legem circumciſionis indixiſſe Deum poſteris Abrahæ, non quod circumciſio aliquid proficeret ad ſalutem animæ: nihil enim illa ad iuſtitiam conducebat. Sed in teſtimonium iuſtitiæ Abrahæ, & quo per circumciſionem eius, poſteri à cæteris gentibus ſepararentur. Hæc Chryſ. contra communem Theologorum ſententiam, aſſerentium C
cum Auguſtino circumciſionem ante Chriſti aduentum, valuiſſe ad peccati originalis, in infantibus remiſſionem, in adultis verò etiam actualium accedente requiſita peccatorum diſplicentia: Quod affirmant, præter alios, D. Gregor. 4. Mor. cap. 1. Et Beda ſuper cap. 2. Lucæ, D. Tho. 3. part. quæſt. 70. art. 4. Et ibidem interpretes illius, ſolùm regni cœleſtis ianuam circumciſi intrare poterant. Facit tamen eius opinio ad commendandum externum Dei cultum.

Cur Deus immolari ſibi victimas voluerit. Chryſoſt.

Pſal. 49.

Pſal. 40. Pſal. 50.

Chryſoſt.

Circumciſio valuit ad peccati originalis remiſſionem ex ſententia Auguſtini.

3. Secunda, D. Ambroſ. in lib. de Noë, & arca, quærit aut Noë non iuſſus à Deo, altare ædificauerit, & obtulerit holocauſta? mihi probabile eſt illum à Deo fuiſſe admonitum; Nec enim opus D
eſt, vt omnia in ſacro contextu adhibeantur. Quod ſi nulla admonitione impulſus fuit Noë, locum habet reſponſio D. Ambroſ. *Non debuit*, inquit, *vtique Dominus quaſi auarus mercedem gratiæ poſtulare. Et iuſtus eam intellexit veram gratiarum actionem eſſe, quæ non iuberetur; ſed deferretur. Itaque nec dilationem paſſus eſt. Qui debitum gratiæ, vt à ſe exigatur expectat ingratus eſt.*

Vera gratiarum actio eſt, quæ nõ iubetur ſed defertur.

4. Noë imitati ſunt alij patres, altaria Deo ædificarunt; inter quos numeramus Ioſue, de quo hic dicitur: *Tunc, ædificauit Ioſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal.* Cauſam ſciſcitaris? Lyranus vt diximus, putat in gratiarum actionem pro re bene geſta in expugnatione Hai, ſolebant námque antiqui patres offerre ſacrificia in gratia- E
rum actionem pro ſuſceptis beneficiis, quæ vocant pacifica, de quibus Leuit. 7. vel holocauſta, quale fuit illud Noë Gen. 8. Vnde Gloſſ. ſuper hunc locum. *Ædificauit Ioſue altare Domino.* Oportebat (inquit) eum aliquid Deo dignum tanta victoria offerre. Abulenſ. quæſt. 18. aliam cauſam aſſignat; nempè præceptum legis, Deut. 11. & 27. quo aſtringi ſe vidit Ioſue poſt expugnationem Hai. Cùm in propinquo eſſent montes Hebal & Garizim, in quibus ædificãdum erat altare adhibitis victimis, benedictionibus, & maledictionibus. Quemadmodum factum eſt in monte Sinai,

Lyranus.

Leuit. 9. Gen. 8. Gloſſa.

Abulenſ.

Deut. 11. & 27.

duodecim lapidibus pro numero tribuũ in titulum erectis ad confirmationẽ & memoriam legis ſuſceptæ. Cæterùm licèt negari non debeat hanc fuiſſe potiſſimam cauſam, non rectè Abulenſ. impugnat Gloſſam & Lyranum, quod affirment propoſuiſſe ſibi Ioſue gratiarum actionem. Siquidem, vel ipſum præceptum huc ſpectabat. Nec impugnationes, quibus vtitur, contrarium conuincunt.

Verſ. 31.] Altare verò de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit, & obtulit ſuper eo holocauſta Domino, immolauítque pacificas victimas, &c.

Vnde ſumptum ſit altaris nomen? déque illius vſu. Item quomodo intelligendi ſint aliquod loci ſcripturæ; in quibus agitur de altari?

ANNOTATIO II.

1. VEteres illi homines Ethnica ſuperſtitione imbuti, aras quaſdam erigebant. Diis ſuperis, quas propterea, vocabant altaria. Diis terreſtribus in terræ planicie ſacrificabant: inferis in terræ cauernis. Nomen tamen altaris; quamcunque ſubſtructionem ad ſacrificia comparatam iam ſignificat; Hebræi quod Latini Altare ipſi, מזבח. *Mizbeach*, appellant à radice, *Zabach*, quod eſt *mactare*, nimirum, quia victimæ ibi mactatæ offerebantur. Altare igitur ab altitudine dictum apud Latinos; cauſa religionis ædificari cœpit à veri numinis cultoribus, vt eſſet tanquam menſa fœderis cum Deo initi ad quam tanquam ad epulum ſpiritale inuitabatur, vt de immolatis victimis ſaltem odorem voluntatis noſtræ indicem reciperet. Vnde Gen 8. *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Atque hic eſt primus, & primarius altaris vſus. Quare huc etiam reſpexit Ioſue cùm altare fabricatus eſt de lapide rudi, iuxta legem, & holocauſta obtulit, victimáſque pacificas.

Ethnici ſacrificabant Diis ſuperis in altaris Diis inferis in cauernis.

Altare tanquã menſa fœderis cum Deo initi.

Gen. 8.

Primus vſus altaris, ad victimas.

2. Alter vſus eſt, oblatio piarum precum, quæ ad altare funduntur: ſic Salomon, 2. Paralip. 6. *Stetit*, inquit ſcriptura, *coram altari ex aduerſo omnis multitudinis Iſrael, & extendit manus ſuas, &c.* Ioel. 2. *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes Domini dicentes; parce Domine, parce populo tuo.* Vbi Hieronym. ſic ait: locus aptus pœnitentiæ, & confeſſioni, templum eſt, & altare, &c.

Secundus vſus, ſunt preces. 2. Paral. 6.

Ioel. 2.

Hieronymus.

3. Nunc explicandi ſunt aliquot ſcripturæ loci. Primus occurrit hic ipſe Ioëlis. Difficile namque eſt ſtatuere, quiſnam ſit ille locus inter veſtibulum & altare; & quod altare ſignificetur: quamuis in altaris deſignatione minor ſit dubitatio. Agitur quippe de altari holocauſtorum in quo hoſtiæ mactabantur? Nam altare incenſi erat intra Sancta.

Quiſnam locus ſit apud Ioe. inter veſtibulum & altare. Ioel 2.

4. Grauis diſceptatio eſt inter interpretes, quodnam veſtibulum intelligatur inter quod & altare ploraturi dicũtur Sacerdotes. Id vt conſtet

Quot fuerint atria ſiue implumia in templo.

Quatuor templi atria iuxta quoſdam.

definiendum eſt, quot fuerint atria ſiue impluuia ante templum à Salomone ædificata. Sunt enim, qui quatuor numerent. Primũ, vulgi, quod ingredi poterant gentiles per ſeptẽ gradus ſubeuntes. Secundum, quod appellatur exterius, ſolis patens Iudæis per octo gradus aſcendentibus. Erat autẽ hoc atrium in duo minora quibuſdam diuiſum cancellis, vt fœminæ à viris ſeparatæ orarent. His additur aliud atrium ſuperius, quod quartum nominabant, & interius quod ſolis per ſeptem gradus patebat ſacerdotibus. Hæc autem quatuor atria humilioribus quibuſdam ſeptis diſcludebantur. In interiori ſacerdotum atrio, erat holocauſtorum altare. Conueniunt in hanc diuiſionem Beda cap. 16. de ædificio templi. Caſſiodor. in Pandectis à Beda allegatus, & Abulenſ. quæſt. 21.

Beda. Caſſiodorus. Ribera. 4. Reg. 21.

5. Cæterùm vir doctiſſimus Franciſcus Rib. in lib. de fabrica templi cap. 16. negat hæc quatuor atria fuiſſe in templo Salomonis. Eo argumento permotus, quia 4. Reg. 21. dicitur. *Manaſſes extruxit altaria vniuerſæ militiæ cœli in duobus atrijs templi Domini, &c.* Ergo non erant plura quam duo. Itémque quatuor Ioſephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. latè deſcribit quatuor atria, quæ non in templo Salomonis, ſed in eo, quod ab Herode extructum eſt, viſebantur. Nobis ſatis eſt ſcire id, in quo omnes conſentiunt altare holocauſtorum fuiſſe in interiori Sacerdotum atrio, ex incõputribilibus lignis Sethim ære contectis fabricatum, ſuper quod immolabantur animalia, quæ populus, ab atrio exteriori, quod amplum ſatis erat, & multitudinis capax, vſque ad portam atrij ſacerdotum per gradus aſcendens, in manus ſacerdotum offerebat canticum graduum præcinens.

Salomonis templum ſecundo habebat atria. Herodis templum quatuor.

6. Inter holocauſtorum altare, & templum propriè dictum veſtibulum tectum deſuper erat columnis pulcherrimis innixum, & porticus vocatur, 3. Reg. 6. *Et porticus*, inquit, *erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, &c.* Vocat Ioël hanc porticum, אולם. *holam.* Hieronym. *veſtibulum* vertit, de quo 2. Paralip. 3. *Ipſas quoque columnas poſuit in veſtibulo templi, &c.* Ab hoc veſtibulo porrigebatur templi ædificium, in duas diuiſum partes; eóque artificio in monte Moria poſitum vt per gradus ad illud aſcenderetur, vt diximus. Primum ad atria latiora, quæ erãt ante templum quaſi quædam plateæ magnæ præſertim verſus anteriorem partem, quæ reſpicit Oriẽtem. Deinde ad templum in eminẽtiſſimo loco ſitum; quod diuidebatur velo quodam in duas partes; prior ante velum dicebatur Sancta: poſterior poſt velum, Sancta ſanctorum.

3. Reg. 6. אולם. Hieronymus. 2. Paral. 3.

Locus in quo orabant Sacerdotes.

7. Ergò locus interiacens inter altare holocauſtorum, & porticum templi, ſiue veſtibulum prædictum, ſacratiſſimus erat, vbi ſacerdotes cum lachrymis & gemitibus vocabãt orationi, & oblationibus hoſtiarum. Videri autem poterant à turba, quæ ẽrat pro foribus in exteriori atrio, quod humili interſtitio ab interiori diſiungebatur, in quo erant ſacerdotes. Hinc ſecundò explicari facile poteſt locus Matth. 23. *Vt veniat*, inquit Chriſtus, *ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, &c. Vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare*; id eſt in loco vbi non ſanguinem innoxium fundere, ſed lachrimas pœnitentiæ indices debuiſſetis.

Matth. 23. Ezech. 8.

8. Tertiò intelligitur illud Ezech. 8. *Ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra templum Domini, &c.* An non ſunt huiuſmodi, qui orantes in templo ad iactantiam, ſicut Phariſæus, de quo Luc. 18. *Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri homines, & ſicut etiam hic Publicanus, &c.* Nihil à Deo petunt, quod animæ ſuæ expediat ſaluti? Tales etiam ſunt, qui venditioni & emptioni in ipſo templo dant operam: quales Matth. 21. & Ioan. 2. Dominus de templo repulit. Quartò Hoc altare holocauſtorum, de quo eſt ſermo in felici Reip. ſtatu, canticis & choreis à populo circuitionibus, vt modo fit, in quibuſdam heremitoriis colebatur. Sic intellige illud Pſal. 15. *Lauabo inter innocentes manus meas*, Hebr. *in innocentia, & circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuerſa mirabilia tua, &c.*

Luc. 18. Matth. 21. Ioan. 2. Pſal. 15.

9. Quintò, intelliges illud Matth. 5. *Cum offers munus tuum ante altare, &c. Relinque munus tuum ante altare.* Etenim munera minora inferebantur in Gazophylacia, quæ erant in exteriori atrio, quod populum excipiebat; maiora verò & magnifica, de quibus Chriſtus agit, ab ipſis ſacerdotibus deferebantur ante altare. Quale fuit illud, quod oblatum fuit ab Antiocho, Sedete, qui & Pius, & ſoter dictus eſt. Is enim, vt Genebr. refert lib. 2. Chronolog. anno 3978. obſedit Ioannem Hyrcanum Hieroſolymis. Tempore autem obſidionis, dono miſit in ſacrificium taurum præſtantem cornibus auro ductili obtectis, cinctum bdellio, & omni pretioſorum lapidum genere, purpureo panno, & ornamentis ſumptuoſiſſimis opertum, cùm vaſis aureis & argenteis plenis aromatum. Qua pietate ab Hyrcano, & Iudæis pace agitata obtinuit, quod armis & potentia minimè potuiſſet. Hæc ille. Hæc munera infulati recipiebant ſacerdotes, & Deo offerebant, tanta pietate, vt diuerti ab ea, tempore ſacrificij, piaculum ducerent. Refert Egeſippus lib. 1. Excidij Hieroſolymitani cap. 16. & 17. obſtupuiſſe Pompeium in oppugnatione, qua tentata eſt Hieroſolyma, nunquam remiſſa officia ſacerdotum in medio belli furore: *Tanquam*, inquit, *profunda pax eſſet, nihil deerat ſacrificiorum ſolemnitati; inter bellorum iacula, mortéſque cæſorum fundebantur ſanguis hoſtiarum. Victima altaribus imponebatur, ante aram poſitis feriebantur.* Et paulo infrà. *Sacerdotes tamen vſque ad vltimum in ſuo munere perſeuerabant, hortantes ſe inuicem, ne in poſterioribus ponerent officium religionis, quam ſalutis præſidium: rectè ſecum agi, ſi pietati impenderent, quod deberetur neceſſitati. Præclarum opus muneri commori pio, quod ſi quis periculi metu deſerat, ſacrilegium eſt: ſiquis impleat ſacrificium, & pia victoria. Infulati itaque ſacerdotes, inter ſuas hoſtias immolabantur, & amicti ſacerdotalibus ſtolis inter cadauera cæſorum humi iacebant, &c.*

Matth. 5. Munera minora inferebantur in Gazophylacium. Munera maiora deferebantur ad altare. Antiochus Soter iuſſit offerri taurum, cornibus auro ductilis obtectis. Egeſippus. Sacerdotes tempore belli nõ intermiſerunt officia diuina. Sacerdotum in ſacrificiis pietas & conſtantia. Pium munus ſi quis metu deſerat, ſacrilegium putatur. Infulati Sacerdotes inter hoſtias immolati.

10. Sextò, interpretari poteris locum Pauli ad Heb. 9. in quo agitur de altari ſecundo, quod vocatur incẽſi, vel thymiamatis, quod erat in priori parte templi propriè dicti, quæ dicitur ſancta ante velum, erátque auro contectum, in quod nonniſi ſemel in anno ſanguis à ſummo fundebatur ſacerdote. *In priori*, inquit, *tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem, ſemel in anno, ſolus Pontifex non ſine ſanguine quem offerret pro ſua, & populi ignorantia, &c.* Quæ verba enarrans D. Thom. ait Leuitici 16. præſcribi, vt ſummus Pontifex in die expiationis, quæ fiebat decima die Septembris, offerret pro ſe, & domo ſua vitulum, & hircum pro peccato populi: quibus immolatis accipiebat, de illorum

Hebr. 9. Altare thymiamatis. D. Thom. Sacerdotes in die expiationis pro ſe & pro populo ſacrificabat.

ſan-

ſanguine eam quantitatem, quæ impleret thuribulum, & ſic ornatus intrabat in ſancta ſanctorum. Impleto etiam rhuribulo de prunis altaris holocauſtorum, quod erat in atrio ante fores tabernaculi. Et cum ſanguine expiabat tabernaculum ſpargendo contra velum, & poſt egrediebatur, & cum eodem ſanguine liniebat cornua altaris thymiamatis. Hoc autem ſemel in anno fiebat. De quo ait Apoſtolus, *Semel in anno intrabat ſolus Pontifex*; Nam (vt inquit Gloſſa) ſæpius poterat ſine ſanguine, ſed non cum ſanguine niſi ſemel. Hæc ferè D. Thom. citans Gloſſ. quæ ſecuta eſt Auguſtinum lib. 2. in quæſtionibus ſuper Exodum quæſt. 133. vbi affirmat Pontificem conſueuiſſe quotidie ingredi ſancta ſanctorum, quia quotidie debuit in altari thymiamatis incenſum adolere. Et quod Paulus ait, ſemel in anno, exponit Auguſt. cum ſanguine, ſine ſangnine verò quotidiè. Veriſimilius tamen eſt ſacerdotem ſummum intra velum, quod ſecundam tabernaculi partem à prima diuidebat, ſemel in anno dumtaxat intrare potuiſſe, etiam ad incenſum ſolùm offerendum, & non quotidiè; imò neque bis in anno. Vnde Philo Iud. in lib. de legat. ad Caium. *Si ipſe*, inquit, *Pontifex duobus anni diebus, aut in eadem die bis, ter, aut quater, introiret, capite lueret*, &c. Idem teſtatur D. Chryſoſt. hom. 17. ſuper Epiſt. ad Hebr. cap. 9. & Theodor. ibidem, & Hieronym. ſuper illud Ezech. 16. *Indui te varijs. Pontifex*, inquit, *ſemel in anno, quando pro populo adolebat inſenſum, ingrediens ſancta ſanctorum varijs veſtibus vtebatur.* Vide etiam Ambr. lib. 1. in Luc. de ingreſſu Zachariæ in templum, & Ioſephum lib. 6. de bello Iudaico cap. 6.

[Margin: Hebr. 9. — Poterat ſummus ſacerdos cum ſanguine ſemel tantum ingredi in ſancta ſanctorum, ſine ſanguine ſæpius. — Gloſſ. — Auguſtinus. — Veriſimilis opinio eſt ſemel tantū in anno id licuiſſe. — Philo Iudæus. — Chryſoſt. — Theodoretus. — Hieronymus. Ezech. 16. — Ambroſius. — Ioſephus.]

11. Fundamentum Auguſtini, in eo ſitum eſt, quod exiſtimauit altare rhymiamatis intra velum fuiſſe, id eſt intra ſancta ſanctorum, quod verum non eſt, Exod. namque, 30. dicitur. *Et pones altare contra velum*, Non ait, intra, ſed contra, hoc eſt iuxta, & extra. Quod peritè annotauit Lyranus ibidē: *Auguſtinus, inquit, tenet, quod altare fuerit intra velū, ſed Hieronymus, & omnes doctores Hebræi tenent contrarium.* Quod verò Paulus Hebr. 9. dicit. *Poſt velamen autem, ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum aureum habens thuribulum.* Non fauet Auguſtino, quia thuribulum illud non erat altare aureum thymiamatis, vt ipſe putat, ſed quoddam paruum thuribulum, in quo quando ſemel in anno ingrediebatur Pontifex adolebat incenſum, intra velum cum ſanguine animalium. Addit Apoſtolus eodem cap. 9. *In priori tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes*, &c. Vt intelligamus nullum ſanguineū ſacrificiū conſummari quotidie in priori parte tabernaculi; cùm conſtet aliud fuiſſe altare ſanguinis, vbi offerebantur victimæ, quod æreum erat, & holocauſtorum dicebatur; ſed ſermonem eſſe de ſacrificio incenſi, quod quotidie fiebat in altari thymiamatis, quod Ioſephus loco cit. vocat thuribulum magnum, & nobiſcum extra velum ponit. Vide ſi placet, Tolet. ſuper cap. 13. Ioannis interim non vacat myſterio, quod docuimus, quia dum ſumus in priori parte tabernaculi, thuris ſuffitus facere quotidie debemus, hoc eſt orare illo Chriſti verbo impulſi, Ioan. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.*

[Margin: Altare thymiamatis non erat intra velum. — Exod. 30. — Lyranus. — Hebr. 9. — Ioſephus. — Cardin. Tolet. — Ioan. 16.]

12. Septimò, Planus erit locus Pauli ad Hebr. 13. Si altaris metaphoram noueris. *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Super quem locum Haymo, per altare Eccleſiam intelligit, in qua corpus Do- A mini conſecratur. Lyranus crucem, in qua Dominus eſt oblatus. D. Thom. vtrumque expoſitionem admittit. Quamuis ipſum Chriſtum altare aureum vocari poſſe affirmet, per quem preces noſtras Patri offerimus, de quo Apoc. 8. Theophyl. corpus Chriſti hoc altare interpretatur eſſe, cuius, vt fiant participes, nec pontificibus legalibus permittitur. Idem ſentit Gloſſ. Primum ergo, quod requiritur, vt accedere quis poſſit ad hoc corporis Dominici altare fides eſt; quam nō habent reprobi Iudæi; Nec verò fides, quæcumq; ſatis eſt, ſed illa, quæ (vt inquit, Paulus ad Gala. 5.) per charitatem operatur. Idcirco ait, 1. Cor. 12. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. B

[Margin: Hebr. 13. — Haymo. — Lyranus. — D. Thom. — Apoc. 8 Theophyl. — Gloſſa. — Altare Dominici corporis requirit fidem. — 1. Cor. 12.]

13. Octauò, altaria in malam partem accipi in numero plurali indicat ille locus, Oſeæ 10. vbi dicitur de decem tribubus: *Secundum multitudinē fructus ſui multiplicauit altaria*: hoc eſt, ſecundum terræ fœcunditatem, plura erexit altaria. Idem aduertitur in vocabulo Ara. Oſeas eodem cap. *Lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum.* Et Exo. 34. Aras eorum deſtrues. Ara etiam in ſingulari pro altari idolorum ferè accipitur, vt aduertit Arias Mont. in apparatu biblico. Exemplum eſt 3. Reg. 16. *Poſuit aram in templo Baal.* Semel autem, aut iterum ara accipitur in bonam partem, vt Baruch. 1. *Emite holocauſtomata & thus, & facite manna & offerte pro peccato ad aram Domini.* Sic etiam C altare aliquando, quamuis raró accipitur in ſacra ſcriptura, in numero plurali in bonam partem Pſal. 83. *Etenim paſſer inuenit ſibi domum & turtur nidum*, &c. *Altaria tua Domine virtutum.* Vbi Lyranus. *Si aues locum habent ad quieſcendum in nidis, multò magis anima rationalis beatitudinem habet, vbi quieſcat*, &c. *Habemus altaria quæ ſunt ſanctorum conſortia, & manſiones multas in domo patris*, &c.

[Margin: Altaria in plurali in malam partem ſumuntur. — Oſeæ 10. — Exod 34. — Ara in ſingulari. — Montanus. 3. Reg. 16. — Baruch. 1. — Pſal 83. — Lyranus. — Ioan. 14.]

14. Nonò, intelligitur Zach. 9. dum ait: *Dominus exercituum proteget eos, & deuorabunt, & ſubiiciēt lapidibus fundæ, & bibentes inebri abuntur quaſi vino, & replebuntur, vt phialæ, & quaſi cornua altaris*, &c. D In his quippe verbis facilis explicatio cernitur, ſi meminerimus altaris æris holocauſtorum, cuius cornua ſanguine hoſtiarum primum aſpergebantur. Quamuis autem Hebræi ea referant ad Machabæorum tempora; nos (inquit Hieronym.) referamus cuncta ad intelligentiam Saluatoris, &c. Quare literalis ſenſus ad Euangelij prædicatores ſpectat, quibus Dominus ait, Ioan. 20. *Sicut miſit me pater*, &c. Hi pugnant contra gentium ſimulacra, & ſubiiciant lapidibus fundæ, id eſt teſtimoniis ſcripturæ ſacræ, & bibunt, & inebriantur in conuerſione gentium in Oriente, & nouo orbe, & vt phialæ ſpiritus ſancti feruore implentur, & vt cornu altaris ſanguine rationalium hoſtiarum E quas Chriſto vt in æternum viuant offerunt. Certè non ſolùm Lyranus, ſed & R. Salomon, & alìqui Hebræi pertinere Prophetiam hanc putant ad tempus Meſſiæ.

[Margin: Zach 9. — Hieronymus. — Ioan 20. — Lyranus. R. Salomon.]

15. Decimò, Apoc. 8. agitur de Angelo, qui ſtetit ante altare aureū; vbi alluditur ad altare thymiamatis, quod auro tectum erat, ante velum, & ſancta ſanctorum ſeparabat, ab exteriori parte templi, quæ dicebatur ſancta. *Data ſunt, inquit, illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Sunt qui velint Ioanni oſtenſum fuiſſe in cœlo exemplar, non manu factum, ſed intelligibile illius altari quod erat in templo, vbi Angeli recipiunt & offerunt Deo iuſtorum orationes tan-

[Margin: Apoc. 8.]

Eccleſia cum capite qui eſt Chriſtus dicitur altare aureum. Gloſſ. Hieronymus. Iſai. 6.

quam incenſa multa. Poteſt etiam dici Eccleſia cum capite ſuo, hoc eſt Chriſto altare aureum, vt exponit Beda; vel humanitas Chriſti, vt explicat Gloſſ. ſuper hunc locum, & D. Hieron. ait Iſaiæ 6. Seraphim, qui forcipe tulit prunam de altari, ſignificaſſe meritis Chriſti, qui altare eſt aureum, mundari peccata. Idem ait hoc ipſum eſſe altare, ſub quo vidit Ioannes. *Animas interfectorum propter teſtimonium* Iesv Christi. Apoc. 6. Hæc de nomine & vſu altaris, atque de interpretatione quorundam locorum ſacræ ſcripturæ. (Apoc. 6.)

Ver. 31.] Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moſis, quod ille digeſſerat coram filij Iſrael.

An ſolus decalogus ſcriptus fuerit in lapidibus, de quibus hic agitur?

ANNOTATIO III.

(Lyranus.) 1. Lyranvs & ferè Hebræi ſolum decalogum in lapidibus, de quibus hic agitur ſcriptum fuiſſe putant, ea permoti ratione, quod difficile eſſet præter legem decalogo contentam, aliquid inſuper inſcribere. Alij ſolas maledictiones, & benedictiones, cenſent, quia hæc dicuntur poni in monte Hebal. Ex Iudæis nonnulli, omnia & ſola pręcepta, tam affirmatiua, quam negatiua, quæ in lege proponuntur, ſuntque detractis omnibus hiſtoricis narrationibus, ſexcenta & tredecim. (*Præcepta legis 613. ſunt.*) Forte, quia putant in integro legis libro ſcribendo, moram multorum dierum interponendam, quę in terra hoſtili commorantibus, periculo vicina eſt; Decalogi autem ſcriptionem Deuteronomium legis vocari non poſſe.

(Abulenſis. opinio.) 2. Abulenſ. quæſt. 27. & 28. exiſtimat, non ſolùm fuiſſe ſculpta omnia verba, quæ iuſſa, & interdicta continerent, vt tertiæ ſententiæ aſſerunt authores; ſed totum librum Deuteronomij, & integrum. Idque ſignificari ait illis verbis, *Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moſis, quod ille digeſſerat coram filijs Iſrael*, &c. Præterea, quia hic dicitur. *Poſt hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta quæ ſcripta erant in legis volumine.* Cùm ergò ea, quæ legit, ſcribi iuſſerit, non partem aliquam, ſed totum Deuteronomiũ ſcripſit. Nec verò vltra Deuteronomium præcepta Exodi, aut Leuitici, in lapidibus incidi præcepit. Quorſum enim id faceret? ſolùm volumen Deuteronomij ſcribendum eſſe iuſſerat Moſes, Deut. 27. (Deuter. 27.) Adde ſi decalogus ſolùm, aut præcepta tredecim ſuper ſexcenta, quæ Iudæi collecta in ſuis tabulis, ex libro legis circunferunt, eſſent inſculpenda, non debuiſſe vocari eam operam ſcriptionem Deuteronomij, vt hic vocatur, ſed Epitomen, aut compendium.

(*An totus liber incidi potuerit in lapidibus?*) 3. At quomodo potuit totus liber incidi in lapidibus? Erant illi ingentes, & calce interliti ad reddendam planam ſuperficiem. Iam characteres non vnciales, ſed minuti erant; non ad æternitatẽ inciſi, ſed ad præſentem dumtaxat celebritatem.

4. Adhæret huic opinioni Abulen. ita obſtinate, vt tres præcedentes, falſitatis damnet. Mihi nõ

A diſplicet Lyrani opinio ſi maledictiones & benedictiones ſcriptas ſimul admittat? Has namque vt legit Ioſue. ita ſcripſit. (*Ioſue ſcripſit maledictiones, & benedictiones quas legerat.*) Cætera, quæ in Deuteronomio continentur, cur ad verbum ſcripturus eſſet, non video. Hic ſignificatur iuſſiſſe Moſen, Deut. 27. (Deut. 27.) vt ſtarent ſex tribus ſuper montem Hebal ad benedicendum; & ſex ſuper montem Garizim ad maledicendum. Benedictiones proferre (vt id quoque ſciatur) pertinebat ad ſex tribus, nempe Simeon, Leui, Iſſachar, Ioſeph, quæ bifida eſt, Beniamin. Maledictiones ad reliquas, quibus permiſti erant aliqui aduenæ ad maledicendum, ſi ad Iudaiſmum conuerſi erant, ſicut & ſex tri-

B bubus nominatis, alij permiſti erant ad benedicendum. Quare vt tanta multitudo commoditatem haberet exequendi, quod mandatum fuerat, opus fuit, non in vno, ſed in multis lapidibus benedictiones & maledictiones inſculpi; vt noui fœderis ſanctio ea ratione cum Deo in terra promiſſa, initi, omnibus innoteſceret. Itaque erecto altari ſcripto decalogo, & benedictionibus maledictionibúſque in lapidibus inciſis, ſatis fieri, (*Præcepto Moſis ſatisfactum eſt inſcripto decalogo vna cum bened. & malid.*) præcepto Moſaico cuius hic mentio fit haud quã dubito. Quis enim neſcit per ſynecdochen ex toto partem intelligi? cur nomine Deuteronomij hoc loco ea illius pars, non intelligetur, quæ ſo-

C lùm ſcribenda inſinuatur? ſic ex toto pars intelligitur apud Poëtam dum ait.

Fontemq́ue, ignemq́ue, ferebant.

Nec obſtant extrema verba huius capitis. *Nihil ex his, quæ Moſes iuſſerat, reliquit intactum, ſed vniuerſa replicauit coram omni multitudine Iſrael, mulieribus, ac paruulis*, &c. Solum enim exprimit accuratum Ioſue obedientiam, in exequendis iuſſionibus Moſaicis quæcumque illę demum fuerint. (*Obedientia Ioſue in exequendis mandatis Moſis.*)

Appendix annotationum huius capitis.

(Origenes.) 5. Commonendus mihi videtur ſtudioſus le-

D ctor, ne ſi fortè lectitauerit hom. 8. Origenis, ſuper hoc caput, errorem illius quod fruſtra conatus eſt Iacobus Merlinus, excuſare nitatur, dum aſſerit in allegoria Regis Hai victi & crucifixi, Diabolum victum eſſe & crucifixum, ſed iis tantùm, qui cum Chriſto crucifixi ſunt. Omnibus autem credentibus, & vniuerſis populis crucifigendum in die iudicij. *Iam tunc*, inquit, *vltrà omnino non erit diabolus, quia iam non erit mors.* Deinde addit. *Et incendit*, inquit, Iesvs *Hai. Et effecta eſt vrbs, quæ non habetur in æternum.* Vides, quia hæc, quæ ſequuntur magis ad myſterium, quam ad hiſtoriæ pertinent veritatem? Non enim tam ille

E locus terræ inhabitabilis eſt in æternum, quàm locus dæmonum inhabitabilis erit tunc, cum iã nemo peccabit, neque regnabit in aliquo peccatum. Cùm Diabolus & Angeli eius igni tradentur æterno, Domino noſtro Ieſu Chriſto ſedente Rege, & iudice, & dicente iis, qui priores, & poſteriores vicerunt. *Venite benedicti patris mei*, &c. Aliis autem dicet. *Ite in ignem æternum, quem præparauit Deus Diaboli, & Angelis eius.* Donec omni animæ quibus ipſe nouit remediis conſulat, & omnis Iſrael ſaluus fiat, &c.
Vides, quàm apertè aſſerat omnes homines in fine mundi tandem ſaluandos? lege Sixtum Senenſ. in biblioth.

* * *

IN CAPVT NONVM IOSVE

PERIOCHA.

EXCIDIO duarum ciuitatum, turbati Chananæorum Reges, fœdere inito, decreuerunt, contra Iſraelitas pugnare. Iunctis námque copiis, haud difficile forè ſperabant, aduenas de poſſeſſione patriæ deÿcere; atque, ſi non ad perniciem, ſaltem ad fugam compellere, quos iniuſtum bellum moliri, animum inducebant. Hæc in exordio huius capitis. In reliqua parte agitur de Gabaonitarum, qui non procul aberant ab Hebræorum caſtris, conſilio, quo à Ioſue, cæteriſq; Iſraelitarum principibus, pacis fœdera iuramento firmata impetrarunt. Dolo tamen eorum deprehenſo, publicæ ſeruituti, mancipati ſunt.

LIBRI IOSVE

CAPITIS NONI.

SECTIO PRIMA.

Verſ. 1.] Quibus auditis cuncti Reges trans Iordanem, qui verſabátur in montanis, & campeſtribus, in maritimis, ac littore magni maris: hi quoque qui habitabát iuxta libanum Hethæus, & Amor-
2. rhæus, Chananæus, Pherezæus, & Heuæus, & Iebuſæus congregati ſunt pariter, vt pugnarent contrà Ioſue, & Iſrael vno animo, eadémque ſententia.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Et fuit cùm audiſſent omnes Reges, qui erant trans Iordanem, in monte & planitie, & omni littore maris magni, contra libanum, &c. Hethæus, &c. Congregati ſunt pariter ad pugnam cum Ioſue & Iſrael conſenſu vno.

Eundem ſenſum reddit Vatab. in ſua verſione.

Sept. Interp. Pro, *Conſenſu vno, ſiue eadem ſententia*, vertunt, ἅμα πάντες. Id eſt, *omnes ſimul.*

A

Explicatur contextus.

1. *QVibus auditis, cuncti Reges trans Iordanem qui verſabantur in montanis, &c.* Fama rerum ab aduenis geſtarum commoti Chananæorum Reges, non arte, aut pacto compeſcere belli in ſe inſurgentis impetum, ſed aperto Marte decreuerunt. Atque in communi diſcrimine; magna animorum conſenſione in Iſraelitas iunctis viribus conſpirarūt. Quanquam verò Chananæi omnes tam principes, quàm populi, ingreſſum hoſtilem & populationem timuerant, vt ex verbis Rahab intellexi-mus; nunquam tamen in commune, aut conuenerant aut conſuluerant, exiſtimātes fortaſſe ho-

Ex altari, & monumentis a... Iſraelitis erect... int llexerunt Chananæis ill... velle dominar...

B

ſtes, qualibet regionis parte occupata, contentos fore, vel aliò etiā migraturos, & huiuſmodi multa, quæ homines non adeò preſſi agitare animo domi ſolent. Nunc verò certiores facti; Iſraelitas erectis altaribus & lapidibus aduentus ſui cauſam & leges, quas obſeruaturi in terra occupanda erant, inſcripſiſſe, intellexere planè communem eos aram ſtruxiſſe, vt voto publico obligati, ab incepto ne deſiſterent. Huiuſmodi conſpirationé more gentium fieri ab Hebræis putarūt. Illæ námque aris ædificatis Deorum opem implorabant, hoſtibúſque omnes imprecabantur Diras: ſic Amilcar, vt refert Silius Italicus lib. 1. ad aram domi extructam. Annibalem filium cōpulit, vt bellum contra Romanos dum viue-

Silius Italic...

Bellum iurat...

C

ret, ineundum, iuramento ſtabiliret, vnde illa verba:

Romanos, terra atque vndis, vbi conferet ætas
Ferro, igniq; ſequar, Rhetæaq; fata reuoluam.
Non ſuperi mihi, non Martem cohibentia pacta;
Non celſæ abſtulerint Alpes, Tarpeiaq; ſaxa
Hanc mentem: iuro noſtri per numina Martis, &c.

Igitur tempus exigere Chananæi arbitrantur, vt pertinaci hominum multitudini, & hoſtibus patriæ ſuæ iuratiſſimis, opum atque virium communicatione, quàm ocyſſimè obſiſteretur. Et quanuis aliâs partium ſtudia inter ſe diſſidentes principes ſicuti fuerint, vt paſſim fit, nunc in communem cauſam, magna animorum conſenſione conueniant.

2. Hi

2. *Hi quoque, qui habitant iuxta libanum Hethæus & Amorrhæus, &c.*] Tametſi multi in his gentibus Reges numerentur; non exiſtimes eos à ſe inuicem multùm diſſidere. Erant námque cognationibus, & affinitatibus ferè copulati, vtpote, qui genus ab vno communi parente Cham ducerent, cuius diuiſam hæreditatem tueri, mutuíſque conſeruare auxiliis, oportere, animum inducerent ſuum. Quod verò hîc eorum mentio fit, qui habitant iuxta Libanum. Ideò ſpectat, vt Sidonios intelligamus, qui primi Chami filij fuerunt: & eos, qui habitant in Hemath, & cæteros qui ex Chamo prognati, quos, quia ſecundum libanum habitent, Græci, vt ex verſione 70. cõſtat, *Antilibanenſes*, dicebant.

Sed, qui audierunt hi Reges? ſcriptura non exprimit. Puto, quæ proximè fuerunt narrata, nempe de excidio duarum ciuitatum, & de ara, lapidibus inſcriptis, ſtructa, déque omni illa celebritate indicata.

Regum Chananæorum de expugnandis Iſraelitis conſilia.

3. *Congregati ſunt pariter, vt pugnarent contra Ioſue, & Iſrael vno animo, eademq́; ſententia.*] Coniurationis Regum cauſa & forma explicatur: cauſa fuit bellum, quod parandum erat, vt Ioſue, qui dux Iſraelitarum erat, è medio tolleretur. Hoc enim ſublato, facilè videbantur cætera expedire belli negotia; quoad vſque Iſrael omnis vel funditus periret, vel de regione cederet. Forma verò huius concordiæ fuit, vt ab omnibus ſimul congregatis, eodem tempore bellum iniretur, copiis & opibus communicatis. Hoc indicat vocabulum, *pariter*, ſiue, *Iahhdau*, quod apud Hebræos ſonat, *vnà*. Quod vlterius additur, *vno animo eademq́; ſententia*; non ſolùm conſenſum mutuum ſignificat, ſed etiam decretum apud illos fuiſſe indicat, vt quicquid à quolibet ipſorum peteretur, cæteri omnes præſtarent, atque in eam partem ad pugnandum venirent, quam Iſraelitæ inuaderent. Atque hæc de Regum inter ſe conſenſionis & concordiæ cauſis; déque forma, & conditionibus per nuntios & literas declaratis, breuiter hîc ſunt expoſita.

Verſ. 1.] Quibus auditis cuncti Reges trans Iordanem, qui verſabãtur in montanis, & in campeſtribus in maritimis, ac littore magni maris. Hi quoque qui habitabant iuxta libanum, &c.

Cur in enumeratione populorum, terræ Chanaan, prætermiſſi ſunt Gergeſæi? & de effectu conſilij Regum Chanaan.

ANNOTATIO I.

4. CVm Gergeſæi ad terram promiſſionis, gentémque Chanaan pertineant; quæri poteſt cur ſacer hiſtoricus eos omiſerit, præſertim cum, Geneſ. 15. & Deut. 7. eorum fiat mentio. Aliqui eam putant eſſe cauſam, quod hic populus Iudæis introeuntibus ceſſerit; vel fortè antequam tranſirent Iordanem. Quare illi duntaxat

Gen. 15.
Deut. 7.

A numerantur, contra quos pugnatum eſt, nihil reſtat cauſæ, cur horum debuerit ſacer contextus meminiſſe. Hæc tamen reſponſio vera non eſt, cùm conſtet ex cap. 3. huius hiſtoriæ, etiam contra Gergeſæos pugnandum. *In hoc*, inquit, *ſcietis, quia Dominus Deus veſter, diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, Ethæum, Heuæum, Iebuſæum, Phereſæum, Amorrhæum quoque, & Gergeſæum, &c.* Cauſa ergò cur hic populus prætermittitur hic, & in aliis locis, ea videtur eſſe, quia paruus erat; aut in expreſſione cæterarum gentium intelligebatur. Quid quod Geneſ. 15. numerantur decem gentes habitantes terram promiſſionis Abrahæ tempore: quo loco Græci codices vndecim nominant,

Ioſue 3.

B addentes gentem Heuæorum, quas vulgata editio prætermiſit? probabile profectò eſt, id temporis extitiſſe decem aut vndecim populos, qui poſteà aliis extinctis, aut ad poteſtatem aliorum aggregatis, in pauciores euaſerint. Fere tamen numeratur 7. gentes, vt Deut. 7. Ioſue 3. & Actorum 13. vel ſex, vt Exod. 3. & 33. atque in hoc capite. Nam quod Abulenſ. ait, Gen. 15. recenſeri terras, quas Deus aſſignauit, non ſolùm Iſraelitis, ſed etiam Idumæis, Moabitis, & Ammonitis: alibi verò numerari, ſex aut ſeptem gentes, quarum regiones ſolis Hebræis à Deo ſunt adiudicatæ: mihi probabile non eſt. Primùm, quia apertè Deus, Gen. 15. ſemini Abrahæ promiſit terram

Populi, nunc amittunt, aut extincti erant, aut quia ad alios aggregantur.

Fere in terra Chanaan 7. gentes numerantur
Deut. 7.
Ioſ. 3.
Act. 13.
Exod. 3. & 33.
Abulenſ.

C decem gentium. Deinde, quia non video cur Abulenſ. velit appellatione ſeminis Abrahæ intelligi etiam Ammonitas & Moabitas, qui non ex Abraham, ſed ex Loth genus duxerunt: ac non potius Iſmaelitas, & Madianitas, qui ex Iſmaele, & Madian veris Abrahæ filiis progeniti ſunt? Atqui nuſquam in ſcriptura huiuſmodi gentes ſemen Abrahæ dictæ ſunt, cur ergo illæ?

Iſmaelitæ, & Madianitæ ex Abraham progeniti ſunt.

5. Illud aduerte ex D. Auguſtin. lib. quæſt. in Ioſue. q. 21. duplicem terram diſtinguendam eſſe Hebræis promiſſam. Vnam quam reuerſi ex Ægypto tenuerunt deletis eius habitatoribus, & hanc incolebant ſeptem illæ gentes, vel ſex, quas hoc cap. 9. Ioſue, & 1. item qui Exod. 23. atque a-

Auguſtinus.

D liis in locis commemorat ſcriptura. Altera verò fuit terra, quam Gen. 15. promiſit Deus ſemini Abrahæ: à fluuio videlicet Ægypti, vſque ad Euphratem; & Ioſue cap. 1. dicens: *Omnem locum, quẽ calcauerit pes veſter, vobis tradã ſicut locutus ſum Moſi. A deſerto, & libano vſque ad fluuium magnum Euphratem; omnis terra Hethæorum vſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter, &c.* Hunc terræ longioris tractum nunquam niſi regnantibus Salomone & Dauide Hebræi tenuerunt. Quare decem, aut vndecim gẽtes, quæ Gen. 15. numerantur; hanc terram, quæ longiſſima eſt incoluerunt. Atque adeò diuinum illud promiſſum tempore Dauidis, & Salomonis cœptum eſt

Ioſue 9.
Duplex terra Hebræis promiſſa diſtinguitur
Gen. 15.
Ioſue 1.

E impleri: idémque omnino fuiſſet implendum, niſi Hebræorum improbitas obſtitiſſet. Hæc etiam in cauſa fuit, ne illi, vel Chananitidem quidem vniuerſam obtinere potuerint. Quippe ſupplicio magis quam beneficio digni erant, qui toties à vero Dei cultu & obedientia receſſerint. De Philiſtinis, quomodò numerentur inter populos à filiis Iſrael expugnandos, quamuis non à Chanaã, ſed à Meſraim filio Cham & fratre Chanaã progeniti fuerint, dicendum eſt infrà cap. 13. Interim ſcito eorum vrbes à Chananęis antequam illi per vim dominarentur, fuiſſe inhabitatas.

Promiſſio facta Abrahæ de gentibus decem à poſteris illius poſſidendis Gen. 15 impleta eſt tempore Dauid

Improbitas Hebræorum obſtitit, ne illi aſſequerentur diuina promiſſa.

Philiſtini à Meſraim progeniti ſunt.

6. Altera pars dubitationis quærit quonam pacto congregati fuerint tot Reges, & quem exitũ

Abulenſis.

ſortita ſit eorum congregatio? Abulenſ. quæſt. 3. reſpondet prædictos Reges, non conueniſſe in vnum locum, vt pugnarent contra Ioſue, & Iſraelitas, ſed literis & internuntiis dumtaxat quid agendum eſſet decreuiſſe. Itaque ſubſtiterunt ad modicum tempus, dum Gabaonitæ, pacem ſuæ Reipub. artificioſo commento conciliarunt. Ea námque conciliata, ex Regibus Chanaam quinque, armato milite, vt dicitur cap. ſequenti in Ioſue inuolarunt. Poſt aliquos dies, illis quinque victis cæteri facto agmine, irrito conatu pugnantes, tandem debellati ſunt. Vide cap. 11. vbi omnes terrarum termini nominantur, vnde illi Reges profecti ſunt ad bellum, atque iidem aſſignãtur limites, qui hic deſcribuntur. *Ad Reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis, & in planitie contra meridiem Ceneroth, in campeſtribus quoque, & in regionibus Dor iuxta Mare.*

Reges Chananæorum per literas, & internuntios decreuerunt oppugnare Ioſue.

Quinque Reges contra Gabon pugnantes victi ſunt à Ioſue.

7. Hinc patet diſtuliſſe Deum conſilij à Chananæorum Regibus initi executionem tantiſper, dum Gabaonitarum ciuitates in Hebræorum ditionem venirent; quibus, vt ſeruirent Sanctuario in aquarum comportatione, & in cædẽdis lignis, parcendum erat. Itémq; ne videntes Iſraelitæ initio rerum gerendarum, tot Regum inſeparatas acies, animo caderent. Sic enim dixerat Ioſue cap. 7. *Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, atque pariter conglobati circundabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra.*

8. Opus ergò erat, vt ante illius magni belli tumultum, vires & animos colligerẽt Iudæi. Quod accidit parta de quinque Regibus victoria; quibus Ioſue præcepit calcari ceruices, ne populus deinceps Chananæos formidaret. Adde, diuinitus cecidiſſe è cœlo lapides, quorum ictu plures Chananæi, quàm Iſraelitarum ferro occiſi ſunt. Quid ſolem ſtetiſſe referam? Deum agnouere hoſtes ipſi, Iſraelitarum propugnatorem. Fauore igitur numinis, dilata Regum omnium conſpiratio fuit, vſque dum victoriis, & cæleſtibus prodigiis, animus Hebræis, terror verò Chananæis augeſceret.

Miracula initio patrata vt Iſraelitæ bono eſſent animo.

Verſ. 2.] Congregati ſunt pariter, vt pugnarent contra Ioſue, & Iſrael, vno animo, eadémque ſententia, &c.

De inani coniuratione Iudæorum contra Chriſtum: & impiorum contra Iuſtos, allegorica interpretatio.

ANNOTATIO II.

1. HÆc Regum Chanaam in Ioſue conſpiratio, typus fuit irriti conatus, quo Iudæi, & alij Chriſtiani nominis hoſtes, contra verum Ioſue inſurgentes, nihil non tentarunt, vt illum, omnéſque illius ſectatores perderẽt; doctrinamque ſalutarem, impie confutarent. Rectè proinde Orig. Homil. 9. in Ioſue, hiſtoriam trahit ad allegoriam. *Hiſtoria,* inquit, *rerum geſtarum manifeſta eſt, nec explanatione indiget, quod euidenter expletum eſt. Ex ijs tamen, quæ geſta ſunt viſibilibus, noſtri Domini* IESV *ſaluatoris bella ac triumphos, quos egerit contemplemur: quamuis etiam hæc viſibiliter in ipſo*

Coniuratio Regum contra Ioſue, typus fuit coniurationis Iudæorum contra Chriſtum.

Origenes.

A *videamus expleta. Conuenerunt enim Reges terræ, ſenatus, populúſque, & principes Romani vt expugnarent nomen* IESV, *& Iſrael ſimul. Decreuerunt enim legibus ſuis, vt non ſint Chriſtiani. Omnis ciuitas, omnis ordo Chriſtianorũ nomen impugnat. Sed ſicut tunc omnes illi Reges conuenientes contra* IESVM, *nihil facere potuerunt; ita vel principes, vel poteſtates iſtæ contrariæ, vt non Chriſtianorum genus latiùs ac fuſius propagetur, obtinere non valebunt, ſcriptum námque eſt, quia quanto magis eos humiliabant, tanto magis plures fiebant & inualeſcebant valde. Confidimus autem, quia non ſolùm non nos poterunt obtinere viſibiles inimici, & aduerſarij noſtri, verum etiam velociter* IESV *Domino noſtro vincente conteretur ſatanas ſub pedibus ſeruorum eius.*

Non potuerunt principes Iudæorum, aut gentium Chriſti nomen delere.

B *Illo etenim duce ſemper vincent milites ſui, ita vt nos dicamus ſicut in Eſdra ſcriptum eſt. Quia à te Domine eſt victoria, &c.*

2. Secundò, Gloſſa, per iſtos Reges congregatos principes Iudæorum & gentium, intelligit, qui nomen Chriſti & iuſtorum machinati ſunt. Quod diſertis verbis exprimitur Pſ. 2. vbi Regius vates præcinit, fruſtra homines præſertim Reges & principes ſeſe Chriſti regno opponere, cùm ipſe ſit à Patre vniuerſorum Rex conſtitutus, & cui ab iis, qui ſalui eſſe volũt, parẽdum ſit. Hinc illa vox; *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Admiratur hac interrogatione C ſtultitiam hominum contrà Chriſtum conſpirantium; cùm ipſorum conatus irriti ſint futuri, & inanes. Subdit: *Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius;* hoc eſt concilia coegerunt, & deliberarunt contra Deum & eius filium, hoc eſt Chriſtum verum Meſſiam, quem intelligunt omnes vetuſtiores Rabbini, vt fatetur Rab. Selemo, & ex recentioribus Abben Ezra. Vtitur deinde quadam Anthropopathia, dicens; *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, &c.* Nam hi humani affectus in Deo non ſunt, niſi ſecundùm effectus, & actiones, & humanorum indicant molimin͂um diſſipationem. Hebr. *pro, qui habitat*, eſt, qui ſedet, id eſt, qui præſidet pro tribunali ius tanquam iudex D dicturus.

Gloſſa.

Pſal. 2.

Irriti conatus principum terræ contra Chriſtum.

R. Selemo.
R. Ezra.
Anthropopathia.

3. Tertiò, Lyranus ſuper eundem Pſal. *Aſtiterunt,* inquit, *Reges terræ*, id eſt Herodes, qui vocatur Rex Galilææ, Marci. 6. & Marc. 14. Pontius Pilatus, qui tenebat pro tunc in Iudæa locum imperatoris, vnde & Centurio ſub eo conſtitutus vocatur Regulus. Ioan. 4. & principes ſcilicet Iudæorum, & Sacerdotum, *conuenerunt in vnum*, ad tractandum de morte Chriſti, vt expreſſe dicunt quatuor Euangeliſtæ. *Aduerſus Chriſtum eius*, abſolutè apparet, quod non de Dauid ſit ſermo, ſed de Chriſto in lege & prophetis promiſſo, qui per excellentiam dicitur Chriſtus &c. Subditur, *Tunc* E *loquetur ad eos in ira ſua, &c.* Orig. hæc refert ad obſtinatos in ſua perfidia, quibus diuinæ admonitiones non profuerunt. *Sermone*, inquit, *ſine ſupplicijs reprehenditur, quiſquis ſpem adhuc curationis gerit. Qui verò nihil reprehenſione iuuatur, caſtigatione, quæ fit virgis, ac flagris, opus habet, &c.* Sentit ergò Origenes, Deum, vel ipſos Reges, & populos perſecutores ſuos & iuſtorum ad ſana conſilia vocaſſe ſermone iræ indice; ſed quia reſipiſcere noluerunt; tunc id eſt, cùm Iudex pro tribunali ſedebit, irridebit, & ſubſannabit eos; nec id ſolùm, ſed in furore etiam ſuo conturbabit eos. *Theſſalonicenſibus*, inquit, *Beatus Paulus de Iudæis, qui Dominum crucifixerunt ſcribens ait: Peruenit ſuper illos ira vſque in perpetuum, &c.*

Lyranus.

Marc. 14.

Ioan. 4.

Virga agitur eis, qui ſermone non corriguntur.

Origenes.

1 Theſſ. 2.

4. Quar-

4. Quartò, Debellatam eſſe à Chriſto inanem gentium contra fidem conſpirationem docet eleganter Tertull. in lib. aduerſus Iudæos ex verbis Pſa.44. *Licuit*, inquit, *& Chriſto Dei in Pſalmis ſine bellicis rebus, enſem ſermonis Dei præcingi figurato, cui prædicta tempeſtiuitas congruat, cum gratia labiorum, quem tunc cingebatur ſuper femur apud Dauid, quando venturus in terras ex Dei patris decreto nuntiabatur. Deducit, inquit, te magnitudo dexteræ tuæ, virtus ſcilicet gratiæ ſpiritualis, de qua Chriſti agnitio deducitur. Sagittæ tuæ, inquit, acutæ peruolantia, vbiq; Dei præcepta, minantes traductionem vniuſcuiuſq; cordis, & compungentes, & transfigentes conſcientiam. Námque, populi ſub te cadent, vtique adorantes. Sic bellipotens, & armiger Chriſtus accipiet ſpolia, non ſolius Samariæ verùm & omnium gentium*, &c. Deinde Ioſue qui Iſraelitas introduxit in terram promiſſionis figuram fuiſſe ait Chriſti, qui debellatis Chananæis Regibus, id eſt mundo, diabolo, & carne, nos introducturus erat in terram repromiſſionis melle & lacte manantem, id eſt in vitæ æternæ poſſeſſionem, qua nihil dulcius. Ideò, inquit, is vir, qui in huiuſmodi ſacramenti imagines parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus eſt figura, vt Iesvs nominaretur. Nam, qui ad Moſen loquebatur, ipſe erat Dei filius, qui & ſemper videbatur. Deum enim patrem nemo vidit vnquam, & vixit: & ideò conſtat ipſum Dei filium Moſi eſſe locutum, & dixiſſe ad populum, *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam*, id eſt populi, qui te cuſtodiat in itinere, & introducat in terram, quam præparaui tibi; Paulò infrà, dici Ioſue Angelum, qui gubernaturus ſit populum & ſedes in terra promiſſa aſſignaturus, affirmat. Quare ſicut contra Ioſue, & Iſraelitas omnes Reges Chanaan coniurarunt, irritique fuerunt coniurantium conatus. Ita Regum & principum tam Iudæorum, quàm gentium in Ieſum Chriſtũ & illius Apoſtolos, cæteroſque Apoſtolorum ſucceſſores, facta conſpiratio in nihil receſſiſſe, compertum eſt.

Tertul.

Gentium contra Chriſtum conſpiratio fuit debellata.

Pſal. 44.

Chriſtus quomodo bellipotens & armiger Ioſue nomine & re fuit Chriſti figura.

Qui loquebatur ad Moſen, erat Dei filius.

Dicitur Ioſue Angelus, qui ducturus ſit populum.

5. Quintò, non ſolùm irritos fore impiorum conatus & inanes declarat Dauidicum vaticinium, ſed etiam ſupplicium graue proponit, quo puniendi ſunt, qui contra Chriſtum obſtinato animo vixerint. *Reges eos*, inquit, *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Hebr. *Conteres eos in virga ferrea.* Cui lectioni adſtipulatur. Chald. Para. vt ſit ſenſus, *Aſper eris, & durus aduerſarijs: qui ſi rebellare voluerint, ſceptro tuæ iuſtitiæ inflexibili, ac ſeueritatis, perinde illos conteres, atque ſolet à figulo vas coctum conteri.* Eiuſmodi ferè ſimilitudine vſus eſt Hieremias, qui confracta laguncula coram ſenioribus Dei nomine edixit. *Populum iſtum & vrbem iſtam confringam; ſicut hoc vas confringitur, quod reparari non poteſt. Sic* (inquit Ioannes Baptiſta Folengius ſuper Pſalm. 2. enarrans illa verba Hieremiæ) *Chriſti hoſtes, ſic rebelles fidei; ſic Chriſti oſores ſolent comminui vt in æternum reſtitui nequeant. Nulla enim res ſic à priſtina remota eſt integritate, quàm ſi vas vi confringas vitreum, aut vaſculum aliquod à terra coctum, baculo conteras ferreo. Quod quidem alio Pſalmo vas perditum appellat vates*, &c. Certè nulla ſimilitudine magis exprimi potuit, quàm ſeuero ſupplicio mulctandi ſint, impij, infideles, ambitioſi, & ſuperbi, quàm ea, quæ à vaſe, virga ferrea confracto ſumitur. Quis vnquam vaſculi eiuſmodi minutias vna coire poſſe iterum ſomniabit? Quis in ſuum locum tam protrita reſtituet fragmenta? Quis quæſo illos ad

Puniendi ſunt, qui contra Chriſtum obſtinatè pugnant.

Chald. Parap.

Sceptrum iuſtitiæ inflexibile contra obſtinatos.

Hieremias confregit lagunculam.

Baptiſt. Foleg. Pſal. 2.

Fictile, aut vitreum vas virga ferrea confractum dicitur vas perditum.

A priſtinos honores reponet? ad antiquas ſedes, ad faſtum? ad Tyrannidem? An non Iudæi hæc damna experti ſunt poſtquam contra Chriſtum coniurarunt? Quid poſt hanc vitam? *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad Aquilonem ibi erit.*

Tales Iudæi poſtquã ob mortem Chriſti puniti ſunt.

6. Sextò, bono animo eſſe in conflictu ſpirituali iuſtos, & pietatis cultores iubemus, ſicut enim ſub Ioſue, victores Iſraelitæ, extiterunt quamuis barbaræ, contra eos fremuerint, & tumultuatæ ſæpe ſint gentes: ita illi, ſub Chriſto; coniuratos in animæ perniciem naturæ corruptæ motus & appetitiones facilè debellabunt, & inuiſibilium principum, & poteſtatum ſuaſu, ſcelerum coactos manipulos, excident, & laurea reportata B triumphabunt. Quid militibus Chriſti contingat in hac pugna explicat Clem. Alex. ſtrom. 2. *Simplex*, inquit, *ratio noſtra Philoſophia dicit omnes animi perturbationes & vitia, eſſe impreſſiones mollis, & cedentis animæ, & velutì obſignationes poteſtatum ſpiritualium aduerſus quas nobis eſt colluctatio. Maleficarum enim, vt puto, poteſtatũ eſt opus, proprij habitus aliquid conari, ſigillatim operari, vt nos qui eas abrenũtiauimus, in certamine ſuperent, & ſuos efficiant. Eſt ergò iure conſequens, vt aliqui quidem in lucta proſternantur. Quicunque autem certamen magis athleticè aggrediuntur, omni contentione decertantes, ad coronam vſque perueniunt. Prædictæ autem poteſtates in multo ſudore, & cruore tunc deficiunt, victores admirantes.* Hæc Clem. Alexan. ſiue ergò de hoſtibus viſibili-C bus ſiue de inuiſibilibus, nobis interitum machinantibus, ſermo ſit, ne victores euadant. Ieſum Chriſtum, qui in victore Regum, & Gentium Chananææ terræ, Ioſue ſignificatur, ſequamur. Vt enim lib. 3. Pædagogi cap. 8. ait Clem. citat. Inutilis eſt populus, qui Chriſtum non ſequitur. Quid ſi Chriſtum perſequitur? Meritò D. Ambroſ. exponens Pſal. 35. ita loquentem facit Chriſtum cum Iudæis. *Ego propter vos pauper, ego propter vos dolens, & vos mihi manus intuliſtis dicentes: Tollamus iuſtum, quia inutilis eſt nobis: iniciamus lignum in panem eius*, Sap. 1. *Bene panem dixit pro carne eius. Ille alimentum detulit; iſti pro beneficio retulere ſupplicium. Non mirum ergo ſi eſuriunt, qui ſibi vitæ æternæ alimoniã denegarunt. Neſciebant, quid loquerentur Iudæi, &* D *myſterium loquebantur. Paradiſum nobis crux reddidit Chriſti* Idem in ca. 2. ad Rom. expendens illa verba. *Iudæo primum & Græco ſemper*, inquit, *Paulus anteponit Iudæum prærogatiua patrum, vt aut coronetur primus, aut damnetur. Quia ſicut credens honorificentur propter Abraham: ita diffidens pœnis tractandus eſt; quia donum promiſſum patribus refutauit.* Hæc Ambroſ. nihil profuiſſe docens, inita contra Chriſtum, & illius membra. Iudæorum conſilia. Quid illis acciderit, qui Chriſto, in eius membris iniurij extiterunt, explicat Bozius tom. 2. lib. 23.

Chriſto duce ſi cileſt timbis tot animi motus vincere.

Clem. Alex.

Nos ſub Chriſto pugnantes admirantur dæmones, & cedunt.

Inutilis eſt, qui Chriſtum non ſequitur.

E

LIBRI IOSVE

CAPITIS NONI.
SECTIO II.

Verſ. 3.] At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fece-
4. rat Ioſue, Hierico & Hai: & callide cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos

5. ria, ſaccos veteres, aſinis impo- A
nentes, & vtres vinarios ſciſſos,
6. atque conſutos, calceamentaq́;
per antiqua, quæ ad indicium
7. vetuſtatis pittaciis conſuta erant
induti veteribus veſtimentis: pa-
8. nes quoque, quos portabant, ob
viaticum, duri erant, & in fruſta,
9. comminuti; perrexerúntque ad
Ioſue, qui tunc morabatur in ca-
ſtris Galgale, & dixerunt ei, at- B
10. que ſimul omni Iſraeli. De terra
longinqua venimus, pacem vo-
11. biſcum facere cupientes. Reſpó
derúntque viri Iſrael ad eos atq;
dixerunt. Ne fortè in terra, quæ
nobis ſorte debetur habiteris, &
non poſſimus fœdus inire vobiſ-
12. cum, &c. At illi ad Ioſue de terra
longinqua valde venerunt ſerui
tui in nomine Domini Dei tui. C
13. Audiuimus enim famam poten-
tiæ eius, cuncta quæ fecit in Æ-
14. gypto, &c. Suſceperunt igitur de
cibariis eorum, & os Domini non
15. interrogauerunt. Fecitq́; Ioſue cũ
eis pacem, & inito fœdere polli-
citus eſt, quod non occiderentur:
principes quoque multitudinis
16. iurauerunt eis. Poſt dies autem D
tres initi fœderis, audierunt quod
in vicino habitarent, & inter eos
17. futuri eſſent. Mouerúntque ca-
ſtra filij Iſrael & venerunt in ci-
18. uitates eorum die tertio, &c. Et
non percuſſerunt eos, eo quod
iuraſſent eis principes multitudi-
nis in nomine Domini Dei Iſ-
19. rael. Murmurauit itaque omne
20. vulgus contra principes. Qui re- E
ſponderunt eis: Iurauimus illis in
nomine Domini Dei Iſrael, & id-
circò non poſſumus eos contin-
21. gere. Sed hoc faciemus eis. Reſer-
22. uentur quidem, vt viuant, ne cõ-
tra nos ira Domini concitetur, ſi
23. peierauerimus: Sed ſic, viuant, vt
in vſus vniuerſæ multitudinis li-
gna cædant, aquáſque compor-
24. tent. Quibus hæc loquentibus:
vocauit Gabaonitas Ioſue & di-
25. xit eis. Cur nos decipere fraude
26. voluiſtis, &c. Itaque ſub maledi-
ctione eritis, & non deficiet de
ſtirpe veſtra ligna cædens, aquáſ-
que comportans in domum Dei
27. mei, &c. Decreuitq́; illo die eos
eſſe in miniſterio cuncti populi,
& altaris Domini, cædentes ligna
& aquas comportantes, vſque in
præſens tempus, in loco, quem
Dominus elegiſſet.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Et callide cogitantes*, &c. Et abierunt & oſtenderunt ſe legatos, & tulerunt ſaccos veteres aſinis ſuis, & vtres vni veteres & ſciſſos, & colligatos & Calceamina vetera & reſarcita in pedibus ſuis, & veſtes veteres ſuper ſe. Et omnes panes cibi eorum ſicci erãt & mucidi. Pro, *Fecitq́ Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere*, &c. Et fecit cum eis Ioſue pacem, & percuſſit cum eis fœdus ad viuificandum eos, &. iurauerunt eis principes, congregationis. Pro, *Murmurauit itaque omne vulgus*, &c. Et Murmurauit omnis Synagoga, contra principes, &c.

Aliter: Pro, *Decreuitq́ illo die eos eſſe*, &c. Et conſtituit eos Ioſue eo die, vt eſſent lignatores & aquatores in cœtu, & pro ara Domini in hunc vſque diem in loco, quem elegerit, &c.

In ſcholio Vatab. ſuper illud, *Et callide cogitantes*, Sic ait aſtu & ipſi vſi ſunt, vt & Ioſue fuerat vſus aſtu in expugnatione Hai. In verbis, *Tulerunt ſibi cibaria.* Notat Hebraiſmum: *Oſtendentes ſe legatos eſſe*, id eſt finxerunt ſe eſſe legatos. Hinc illud ſtrauerant aſinos ſuos ſaccis putridis, &c.

Sept. Interp. Pro, *En panes*, &c. Hi ſunt panes: calidos in viaticum acce-

pimus eos in die, qua exiuimus aduenire ad vos: nunc autem exaruerunt, & facti ſunt corroſi, &c.

Explicatur contextus.

1. AT hi, *qui habitabant in Gabaon.*] Reges Chananæorum conſilium eliminandi & perdendi Iudæos, populis minime vocatis, aut rogatis inierunt. Noſtri ſeculi principes, hoc genus, conſilium ſtatus vocant, quod ferè populi approbant. At enim verò. B Vna ex Heuæorum ditione ciuitas Gabaonitarum & priuatum, populíſque incommodiſſimum Regum conſilium improbauit, ſuæque ſaluti conſulendum eſſe putauit. Regibus namque de ſuo dominio, & poſſeſſione conſeruanda ſolicitis, altaris erectio, & lapidum inſcriptio ab Hebræis facta, curam auxit. Gabaonitis verò dumtaxat vicinarum vrbium excidium. Hoc eſt, quod illa verba indicant, *Audientes cuncta, quæ fecerat Ioſue Hiericho, & Hai.* Mouit illos ad petendam pacem, occiſio eorum, qui vel portas Ioſue clauſerant; vel illius copiis reſtiterant. Accedebat fama domus, & familiæ Rahab exceptæ, ereptæ, atque diligenter cōſeruatæ, Ioſue id ſtudioſè curante & imperante, C quod Iſraelitarum exploratores, quos iuramento aſtrinxerat, ne ſibi aut ſuis nocerent, officioſè tractauerit.

Regum conſilium de perdendis Hebræis ſola Gabaonitarum ciuitas improbauit.

2. *Et callide cogitantes.*] Viſum eſt Gabaonitis, exemplo Rahab, ſibi propiciendum quoque eſſe; quàm aſtutiſſimè, antequam mali quod timebant procella ipſorum capitibus incumberet. Pro, *callide cogitantes*, Chadaicè eſt, *& fecerunt etiam illi in ſapientia.* Græcè & fecerunt ipſi, *μετὰ πανουργίας*, id eſt, *cum vafricie.* Hebraicè verò. *Et fecerunt etiam ipſi, Gharmah*, cuius vocis vſus in ſermonibus ijs eſt, qui meditatam ſiue in bonum, ſiue in malum rationem cum vultus, geſtúſque diſſimulatione; imò & cum verborum artificio, ſignificant, quo modo intellige aduerbiū callidè, quo hic vtitur D noſtra verſio, & vocabula, quibus Chaldæus *Para.* & 70. vtuntur. Nam cùm Reges de ſua dignitate propugnāda ſecretò egiſſent: Gabaonitæ quoque de ſua ſalute, & incolumitate diſſimulanter tractarunt. Atque, hoc eſt, quod coniunctio. *At*, exprimit, dum dicitur. *At hi qui habitabant in Gabaon, &c.* Reges (inquit) illud inierant conſilium. *At verò Gabaonitæ callide cogitantes, &c.* Eadem vis ſignificationis eſt in Chaldaica, & Græca tranſlatione. Hebraicè eſt, *& fecerunt etiam ipſi in calliditate, ac diſſimulatione de ſuis rebus decreuerunt; etiam habitatores Gabaon fecere.* Voluerunt itaque à Rege ſuo deficere, quem cum cæteris E contra Iſraelitas, obſtinato animo coniuraſſe nouerant, & ſibi felicem præficere, & victorem ducem Hebræi dicunt, *Bentobel*, Luſitani. *Vyna quem vence.*

Gharmah quid ſit apud Hebr.

Gabaonitæ non ſunt ſecuti Regū conſilium, ſua ipſi ſaluti conſuluerunt.

Bentobel Hebr. quid ſit?

3. *Tulerunt ſibi cibaria.*] 70. ἐπεσιτίσαντο, quod videtur reſpondere vulgatæ, & Chaldæo. *Parauerunt*, ſiue tulerunt cibaria. Nam alij interpretantur dictionem Hebræam, *legatos ſe finxerunt.* In alijs libris, Græcis & complut. eſt, ἐπεσκευάσαντο. *inſtruxerunt ſe.* Pro, *aſinis imponentes*, libri veteres habent, *ſuper humeros, &c.* 70. habent ὤμων, & ita videtur legiſſe D. Chryſoſt. in Pſal. 14. vbi de Gabaonitis hæc ſcribit, ἄρτους σαπρούς τε καὶ παλαιοὺς ἀσκοὺς βαστάζοντες, *baiulantes vt res putridos, & vtres* A *veteres.* Itémque Ioſephus lib. 5. Antiq. Alij codices, ἐπὶ τῶν ὄνων, id eſt, *ſuper aſinos.* Quam lectionem noſtra vulgata editio Sixti V. recepit, & magis probat D. Auguſt. quæſt. 12. licet & alteram agnoſcat.

Chryſoſtom. Pſal. 14.

Ioſephus.

Sixtus V.

Auguſtinus

4. Quid de Commento, quo vſi ſunt Gabaonitæ? audierant Chananæos, in quibus ipſi numerabantur, gladio Hebræorum ſine diſcrimine iugulandos. Idcircò modum excogitarunt, quo ſi ad ſocietatem Reip. Hebrææ, vt ciues admitti nō poſſent, ſaltem de vita paciſcerentur. Fama, rumoribúſque ſparſis, necnon exemplis recentibus didicerant à Iudæis, illud præceptum, ſaltem in ingreſſu terræ promiſſæ fore diligenter obſer- B uandum, Exod. 23. *Tradam in manus veſtras habitatores terræ, & eijciam eos de conſpectu veſtro, non inibis cum eis fœdus, neque cum Dijs eorum, &c.* Nouerant prætereà permitti lege populorum, illis factam deditionem, ſub conditione tamen tributi, & expulſionis vanorum Deorum, qui à gentibus colerentur. De qua re Deut. 20. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem, ſi receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo, ſin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, expugnabis eam. Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij, &c.* Itaque iuxta traditam C Iſraelitis diſciplinam duplex eſt pactionis genus, Vnum, *Berith*, dictum, quod liberum ex æquo eſt vt ſua ſingulis dignitas, immunitaſque conſeruetur l. non dubito ff. de capt. & poſt lim. reuer. Hoc pacti genus, cum aliqua Chananæorum gēte inire, prohibitum omnino erat Iſraelitis. Huc illa lex ſpectat Exod. 23. *Non inibis cum eis fœdus, &c.* Vix enim ſalua religionis puritate id fieri poterit.

Exod. 23.

Deut. 20.

Duplex pactionis genus apud Iſraelitas in expugnandis vrbibus.

l. non dubito ff. de capt.

Exod. 23.

5. Alterum genus, Hebr. *Salem*, & *Salom*, dicitur & bello opponitur. Cùm ij qui bello petuntur, vitæ tantum & defenſionis conditionibus adhibitis; cæteris verò rebus arbitrio victoris exercitus relictis, ſeſe hoſtibus dedunt. Gabaoni- D tæ ergò prioris generis pactionem affectantes, non ex Chananæorū gente ſe eſſe declarant, ſed ex remotiſſimis locis, & Iſraeli ignotis venire ſe fingunt, habitu peregrinorum induti.

Gabaonitarum artificium.

6. *Panes quoque quos portabant ob viaticum duri erant.*] Solers notatur induſtria, præter ſaccos, & vtres antiquos clitellis aſinorum impoſitos, commeatus panis, & vini additus eſt illud ſacer hiſtoricus diligenter indicat, totum à Gabaonitis productum panem aridum, & multis foraminibus pertuſum fuiſſe; adeò vt Chald. Paraph. ſimilem fuiſſe dicat leuibus illis folijs, quæ vulgus, obreas, vocat. Quia verò panis recens, facile qua regione, aut oppido confectus fuerit, Iſraelitis, vel primo E morſu deprehenderetur, erat enim Chananæorum panis, vt prædixerat Moſes, & ipſi experti erant ex medulla tritici; diligenter curarunt, vt nullum panem aut vinum, quod ſpecie aut guſtu à piſſiantibus cognoſci poſſet, ſecum afferrent; ſed vt ille ait.

Chal. Paraph.

Vix fractum ſolide, iam mucida fruſta farina,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum.

Hor. lib. 2. Satyr.

Cognoſcitur námque facilè à peritis edendi, & bibendi, vbi concocti fuerint viatici panes, & vnde vinum allatum, vt Horatius indicabat lib. 1. Satyr. 5.

Manſuri oppido, quod verſu dicere non eſt:
Signis per facile eſt. Venit vilisſima rerum

Horatius

Vinum panis.

Hic aqua, ſed panis longè pulcherrimus, vltro
Callidus, vt ſoleas humeris portare viator,.
Nam Canuſi lapidoſus, &c.

Hæc videtur cauſa cur tam exactè panis à Gabaonitis allati mentio fiat. Hebraicè ad verbum ita habetur, *& omnis panis viatici ſiccus fuit, punctis, ſiue, macula, ſiue foraminis.* Hæc oamque omnia, vt Arias Montanus annotauit, ſignificat vocabulum (Nizudim.) Vt res quidem perlati quoque ſunt, ſed quia vinum citiùs quàm panis conſumitur, nihil vini continebant, tum ne delibatum proderet patriam, tum vt longo itinere exhauſtum crederetur.

7. *De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes.*] Omnem remouent ſuſpicionem Gabaonitæ aduentus ſui ex vicino loco. Continet autem oratio iſta oſtenſionem honeſtatis, atque vtilitatis; cum depulſione incómodi: Quod quis ſuſpicari poſſet. Etenim è remotiſſima prouincia ſe veniſſe teſtantur ad pacem petendam: quod Iſraelitis nondum terram totam obtinentibus, gratum eſſe debuit, vt opitulatores haberent, quos hoſtes auxilio futuros, formidarent. Nec lex paci obſtabat, cum remotis gentibus ineundæ. Summa igitur legationis eſt, pacem vobiſcum facere cupimus: quorum verborum vis ita Hebraicè declaratur, *& nunc ferite nobis fœdus.* Chald. ita vertit, *& nunc pangite nobiſcum fœdus.* Solòm aduerto pacis nomen in noſtra verſione: Fœdus ſignificare, vtpote, ex Hebraico Berith tranſlatum: quod cæteræ verſiones comprobant. Quin & vocabulum pacis, à pactione dictum fœdus deſignat. Vnde Varro. Animaduertendum primùm quibus de cauſis, & quemadmodú conſtituerunt paces: ſecundùm, qua fide, & iuſtitia eas coluerunt, & Horat. 2. lib. epiſtol.

Gabaonitæ ſe veniſſe ex remotiſſima prouincia aſſerunt.

Chald. Para.

Varro.

Horatius.

Hos paces habuere bona, ventiq; ſecundi

8. *Responderuntq; filij Iſrael, &c. Ne fortè in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis.*] Ioſue, & cæteris principibus honeſta viſa petitio, & ad gloriam excipiētium fœderis leges, quàm aptiſſima. Vulgus tamen, qui omnia vtilitate metitur, an expediret paciſci, cogitare cœpit, & quidem rectè. Solet námque euenire, vt gregarius miles ea admoneat, quæ cæteris ingenio, & concilio alias præſtantioribus in mentem non venerant. Hinc in bene conſtituta Rep. cùm magni momenti cauſa incidit, non ſolùm magiſtratus, & optimates, ſed ij etiam in conſilium adhibentur, qui totius populi ſententias aſſequi, & recitare poſſint. Vocantur hi homines, qui tribuum aut opificiorum magiſtri ſunt apud nos, *Miſteres depone*, Quorum audire ſententias ſæpe vtile fuit ciuitatibus. Vt enim Heſiodus ait:

Audiendus eſt interdum Gregarius miles.

Heſiodus.

Quandoque eſt oliter valdè opportuna locutus.

Et Hor. lib. 2. epiſt. 1.

Horatius.

Interdum vulgus rectum videt, eſt vbi peccet;

Huius rei celebre hic habes exemplum. Etenim tacentibus iam & annuentibus principibus; nonnulli ex populo extitere, qui fœdus ineundum eſſe negarent. Quod Hebræa magis exprimunt: *& dixerunt vir Iſrael ad Heuæum; forſan in medio mei tu ſedes: & quomodo feriam tibi fœdus?* verbum, *dixerunt*, præcedente vocabulo, *vir*, in ſingulari; indicat vnum quempiam, primum Gabaonitarum petitioni interceſſiſſe: Cuius exinde ſententiam, cæteri ex populo fuerint ſecuti: ſanè interceſſio hæc prudens fuit, oportebat oámque, non priùs annuere votis, quàm de lóginquitate patriæ certò conſtaret.

9. *At illi ad Ioſue, ſerui, inquiunt tui ſumus.*] Cum Gabaonitæ populi voces timerent, ne paulatim fraudem aperirent; alia ingreſſi ſunt via. Deiecti namque ſpe publicæ amicitiæ & ſocietatis in principis viri tutelam ſeſe recipiunt; cuius virtute, & fide defenſum iri exiſtimant. Ob idque Ioſue ſeorſum conueniunt, ſeque illi totos tradunt, à quo ſperant facilè populi ſtudia compoſitum iri.

10. *Quibus Ioſue ait, qui eſtis vos, aut vnde veniſtis?*] Duo rogat Ioſue admonitus populi dubitatione. Alterum, vnde venerint? vt conſtet, ſintne ex iis, quos lex excipit. Alterum verò, qui populi ſint? vt cognoſcatur eorum genus. Sic in ſolitudine Africæ errantes aduenæ interrogati finguntur à poëta:

Duo ſciſcitatur Ioſue a Gabaonitis, vnde venerint, & qui populi ſint?

Sed vos, qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris?
Quóve tenetis iter?

Virg. Aen. 1.

11. *Responderunt, de terra longinqua valde venerunt ſerui tui.*] Interrogatio locorum & perſonarum ad examen pertinet. Quod perſpicientes Gabaonitæ, vtramque opportuno reſponſo excipiunt, interrogationis partem. Eam tamen in qua plus ineſſe dubitationis intelligunt breuiſſime abſoluunt. Mendacia quippe, quò paucioribus efferuntur verbis, eò minùs anſarum, quibus deprehendantur, exhibent. Solum ſe de terra valde longinqua veniſſe; nomine patriæ, quæ alicui in tam numeroſo exercitu, nota eſſe potuit, prætermiſſo. Vocabulum, BEHHOZAH, *longinquum*, atque ab obuio vſu, & communi remotam, ſignificat. Nihil ergo ſingulare de regione ſua, indicant; ne interrogati, aliquid, quo prodantur, incautè reſpondeant.

12. *Audiuimus famam potentiæ eius.*] Aſtutè cauſas memorant, cur ad pacem poſcendam impulſi ſint. Quarum prima & potiſſima eſt, rumore certo audita virtus, & potentia Dei Iſraelitarú, quo duce maria aperta ſint, & Amorrhæorum duo potentiſſimi Reges debellati. Interim aduerte, quanta calliditate Gabaonitæ, quid dicendum, quidve ſilentio eſſet prætermittendum diſtinxerint. Enimuerò quæ ante quadraginta annos miracula patrata fuerant; aut aliquot ante menſes referunt. Recentiora, quale viſum eſt in tranſitu Iordanis, & duarum ciuitatum excidio prorſus ſilent. Itaque perſuaſum eſſe volunt Iſraelitis, ſibi è patria proficiſcentibus ob longinquitatem, quæ non ita pridem acciderunt ignota eſſe.

Gabaonitæ, vt ſe e longinquo veniſſe probent, recentiora facta, ſilent.

13. *Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt.*] Perorata cauſa à Gabaonitis ſuſceperunt Iſraelitæ, de cibis eorum: non quod annona indigerent, aut eſcis præſertim mucidis, & inſipidis, quales erant panes Gabaonitarum: ſed vt eo pacto, ſe communicare cum ſenioribus, & ciuibus cæteris, qui cibos illos parauerant, declararent. Dixerant enim oratores, conſilio ſeniorum & omnium habitatorum terræ, cibaria allata fuiſſe, ſimúlque ab eiſdem mandatum, vt dicerent: *Serui veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcum. En panes, &c.*

14. Indicant Hebraica, Chald. & Græca, & proximus etiam verſionis noſtræ verſus, à principibus Iſraelitarum ſumptos panes, & auditos legatos; Atque in his omnibus religioſam deſiderari prudentiam, dum ait: *& os Domini non interrogauerunt.* Et verò in omni actione prudenter cauendum eſt, ne dubia pro certis babeamus, & iis, quæ dicuntur, temerè aſſentiamur. Erat in hac deliberatione certi & incerti patens diſcrimen.

Illicitum erat Iſraelitis, cum Chananæis fœdus ferire.

Cer-

A Certum fuerat fœdus cum Chananæorum populis ferire illicitum eſſe: Cum remotiſſimis verò, non illicitum: dummodò nihil contra veram religionem exciperetur. Deinde illud certum; diuini nominis gloriam omni ſtudio curandam; & humanitatis officia iis præſtanda, qui ſe amicos verè exhiberent. Incertum, an qui fœdus ambiebant, ex vicinis & lege exceptis eſſent gentibus: Hoc, de quo fuerat à populo dubitatum, inquiſitione matura indigebat. Oportuit prætereà Deum conſulere, an cum è gentes ex exceptis eſſent, quia obſidionis tempus officiosè præuenerant, eſſent incolumes, hac vel illa conditione adhibita, dimittendæ, aut potiùs cæterarum

B fato inuoluendæ? Huiuſmodi iniectum ſcrupulum conſulto Domino tolli, æquom erat, ſacerdote maximo viuente, & id ex officio procuraturo. Aut ſaltem expreſſæ erant adhibendæ conditiones tuendæ religionis & vani cultus ablegandi; Aut differenda in commodiorem occaſionem deciſio. Quod his exemplis edocta Iſraelitarum poſteritas obſeruauit. 1. Mach. 4. *Et mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum, & cogitauit de altari holocauſti, quod profanatum erat quid de eo faceret. Et incidit illis conſiliū bonum, vt destruerent illud ne fortè illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes, & demoliti ſunt illud; & repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & reſponderet de eis*, &c. Huiuſmodi conſilium bonum in principibus, qui ſtipabant Ioſue deſideratum eſt. Cùm

Debuit Ioſue per ſummum ſacerdotem exquirere ex oraculo decerni ne paciſci cum Gabaonitis.

1. Mach. 4.

C enim os Domini interrogare non liceret ſolum, ſed etiam expediret, placuit illis potius, humanæ prudentiæ rationem aliquam ſequi, & viam inſiſtere, quæ media videbatur: vt neque fœdus ſimpliciter cum Gabaonitis feriretur neque pacis tributaria pactio, ſed alia ratio iniretur, quæ ſequentibus verbis explicatur.

15. *Fecitq́; Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt vt non occiderentur. Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.*] In ſignum communionis & pacis ſumpſerunt Iſraelitæ de alimentis Gabaonitarum: quod non ſine vitio fecerunt. Quod dicis vitium? *Os Domini non interrogauerunt.* Culpa

Excuſari a culpa non poſſunt Ioſue & optimates Hebræorum.

D eſt in omiſſione recurſus ad Deum: vt enim hic aduertit Caiet. Debebant Ioſue & primates conſulere Deum, cum ſuſpicarentur illos legatos veniſſe de regione propinqua. Omiſſam igitur oraculi interrogatione, communicatis collatiſque conſiliis Ioſue & principes pactionem eo inierunt modo, qui neque planè liberum fœdus eſſet, neque ſimplicis etiam pacis legibus definiretur: ſed vtroque nomine appellata, fœderis & pacis rationibus communicaret. Itaque pactionis huius materia pax fuit, hoc eſt vitæ conſeruandæ, & propugnandæ conuentio. Forma verò, ſolemnis fœderis ceremonia, vt meritò dici poſſit, nec fœdus, nec pax, ſed pax quædam fœderata, vel fœdus pacificum, quo cauetur, ne occidantur.

E Hebraicè, *Feritq́; iis fœdus ad viuificandum eos.* Ad cætera verò ipſorum iura, & pacta non obligabatur hoc fœdere Ioſue.

Iurauerunt principes in verba Ioſue populo inſcio, vt ex Hebræo colligit Arias Montanus. Nam populus, ſi coram negotium tranſigeretur, fortè fœdus turbaret ob ſuſpicionem fraudis, legiſque recordationem, Deut. 20. quæ ſancit ex vicinis, hoc eſt Chanaan poſteris bello ſuperatis, nulli neque ſerui, neque ætati parcendum eſſe. Populus namque non ad mentem legiſlatoris, ſed

Fœdus initum cum Gabaonitis inſcio populo.
Arias Mont.

Deut. 20.

A legem ipſam reſpicere ſolet. Itaque Gabaonitæ diſſimulatione procuratam conuentionem iuriſiurandi ſanctitate, & fœderis titulo firmatam, domum retulerunt.

16. *Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent.*] Poſtquàm oratores, re confecta, domum reuerſi ſunt; Iſraelitæ audierunt Gabaonitas in vicino habitare: quod contrarium erat iis, quæ nuntiata fuerant. Accedebat legis Sanctio, quæ vetabat fœdus cum iis feriri, qui poſſent conſuetudinis exemplo corrumpere Iſraelem. Duo igitur magnæ offenſionis interceſſere argumenta. Alterum

B deceptio & fraus: alterum verò legitimæ exceptionis turbatio. Hanc igitur duplicem offenſionem populus Hebræus, grauiter commotus publicè vindicandam duxit. Idcircò additur. *Mouerunt q́; caſtra filij Iſrael & venerunt in ciuitates eorū, quorum hæc vocabula ſunt Gabaon, Caphira, & Beroth, & Cariathiarim*, &c. Vbi vides expreſſiſſimum popularis tumultus exemplum. Populus cenſet, dolo malo initum fœdus reſcindendum eſſe: Ob idque nulla alia adhibita conſultatione caſtra mouet animo perdendi quatuor vrbes Gabaonitarum. Atque, vt obiter intelligas olim nomina vrbibus conſiderata loci & ſitus naturâ imponi conſueuiſſe. Gabaon, Chananæorum linguâ, culmen ſignificat, Caphira, ſiue Hachephirach cum ſingulari nota, leunculam, Beroth, puteos, Caria-

Populi Iſraelitici turbatio contra Gabaonitas deceptores.

C thiarim, vrbs ſaltuum. Huc cùm ventum eſſet, Ioſue & principes paratum populum & pugnandum, deferueſcente iam, ob tridui ſpatium interpoſitum, impetu illo, quo Gabaonitas perdere volebant, prudenter ad ſaniora conſilia traxerunt. Nam triduo ante non ſine periculo id tentaſſent.

17. *Et non percuſſerunt eos, eo quod iuraſſent principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael.*] Reuerentiam habitam Deo, ob iuriſiurandi religionem oſtendunt Hebræi parcētes iis, qui per fraudem iuramentum extorſerunt. Certè cum dolus cauſam dederit pactioni, non aſtringebantur illi initi fœderis tueri conditiones Ioſeph. libr. 5. Antiq. cap. 2. ita hiſtoriam hanc enarrat. *Hæc ita-*

Parcunt Iſraelitæ Gabaonitis ob reuerentiam iuramenti præſtiti.

Ioſephus.

D *que illi dicentes, & indicia itineris oſtendentes rogabat Hebræos ad pacta, amicitiasq́; deſcendere* IESVS *autem dictis eorum credens, quod non eſſent de gente Chananæorum, amicitias fecit cum eis. Et Eleazar pontifex cum ſenioribus præbuit iuſiurandum habituros amicos & ſocios. Nihilque cogitare aduerſus eos iniuſtum, populo ſcilicet in iureiurando vnam conſentiente. Et illi quidem, quæ voluerant callido conſilio promerentes ad ſemetipſos abibant.* IESVS *autem caſtrametatus contra Chananæos in confinio Gabaonitarum, & cognoſcens non procul ab Hieroſolymis Gabaonitas inhabitare, & Chananæorum generis eſſe, euocatos, eorum principes de falſitate culpabat. Illis autem non aliam præter hanc ſalutis occaſionem ſe habuiſſe dicentibus, & propterea ad*

E *hæc ex neceſſitate veniſſe, conuocabat Pontificē Eleazarum & ſeniores, eiſq́; conſentientibus publicos eos famulos, ne iuſiurandum tranſgrederetur, eſſe decretum. Et illi quidem pro calamitate, quæ comprehenderat eos, hanc ſui cautelam, atque cuſtodiam inuenerunt.* Hæc Ioſephus.

18. *Murmurauit itaque omne vulgus contra principes Iſrael.* Principes multitudinis cum Ioſue Gabaonitas etiam poſtquàm fraudem agnouerunt, defendere, ad ſe pertinere exiſtimarunt. Populus tamen, quia ea defenſio in ſuum damnum cedere videbat, (nec enim agros Gabaonitarum, &

Conuertitur populus ad murmurationem contra Ioſue & principes, quia Gabaonitis pepercerunt.

vrbes poſſeſſuri erant) ſi fœdus firmum eſſet, ad murmura cótra eos conuerſus eſt. Nec verò principes ab eorum murmure, & tumultu expedire ſe potuerunt niſi iuſiurandi, quo aſtricti erant, religione propoſita.

19. *Qui reſponderunt eis. Iurauimus eis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere.*] Oſtendunt optimates, ſe non vſque adeò de authoritate ſua laborare, neque diſputare, an ea poſſit ab ipſa Iſraelitarum multitudine congregata, quæ Hebraicè hic dicitur, *Haghedah*, & à noſtro interprete, *omne vulgus*, reſcindi comperta fraude. Duntaxat iuramenti maieſtatem conſiderant, quæ non patitur occidi Gabaonitas. Itaque optimates, qui iurauerunt cenſent ſeruãdum eſſe iuramentum non ob datam fidem, ſed ob reuerentiam diuini nominis. Et meritò, (vt Caietanus hic annotauit) quia quamuis decepti, debebant tamen admittere Gabaonitas, non induratos in cultu idololatriæ, ſed paratos ad cultum ſummi Dei, & timentes iudicia eius. Diuinum enim decretum Exod. 34. & Num. 33. intelligi de obſtinatis, manifeſtatur inferiùs in cap. 11. vbi redditur ratio diſparitatis inter Gabaonitas, & alios populos penes indurationem aliorum, & non indurationem Gabaonitatum. Iuramentum itaque non fuit contra decreta Dei, & propterea ſeruandum erat, quamuis errauerint in modò paciſcendi, *quia os Domini non interrogauerunt*, Hæc Caietanus.

Optimates cenſent ſeruandum iuramentum ob reuerentiam diuini nominis. Caietan.

Exod. 34. Num. 33.

20. *Sed, & hoc faciemus eis, reſeruentur quidem, vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi peierauerimus.*] Iurauerant principes abſtinendum à cæde Gabaonitarum, idcirco id ſeruandum cenſent. Hoc inquiunt, nos authoritate noſtra illis faciemus, quod etiamſi hoſtes declarati fuiſſent, deditionem tamen ante pugnam facientibus, negari non poſſet, iuxta mentem legis. Hebraica lectio ad verbum ita habet. *Hoc faciemus eis & viuificare eos, & non erit ſuper nos ira ob iuramentum, quod iurauimus illis.* Idem totidé fere verbis Græcè legimus, & Caldaicè. Accedit conſeruandam eſſe vitam iis, qui ſponte ſe dedidiſſent etiam non præſtito iuraméto, ſi verum eſt, quod refert Arias Montanus ex Hebræis antiquioribus, qui aiunt, triplex Ioſue mandatum, gentibus illis fuiſſe denuntiatum. Quiſquis migrare optarit, migrato. Quiſquis paciſci voluerit paciſcitor. Quiſquis verò bellum gerere maluerit, bellum expectato. Migraſſe verò dicunt Chananæos ſolùm, atque fertiliſſimam frumenti orbis partem, hoc eſt Africam occupaſſe, relictamque regionem, & cæteras prouincias ab Hebræis captas propter Chananæos, communi vocabulo, terram Chanaam vocari. Nos terram promiſſam, diuina beneficia, & decreta recolentes appellamus.

Montanus.

Optio data Chananæis eundi quo vellent.

Multi ex Chananæis in Africã migrarunt timentes Ioſue.

21. *Sed ſic viuant, vt in vſum vniuerſæ multitudinis ligna cædant, aquáſque comportent.*] Si Gabaonitas, ſola principum poteſtate, populus ſeruatos videret, præter ipſius voluntatem, perpetuam ob latrandi materiam haberet. Quare ad ſedandum tumultum militum, addicti ſunt cuidam publicæ ſeruituti, quæ in populi vtilitatem redundaret. Eſt enim vtilitas populo plauſibilis, & quocumque incumbit, facilè trahit. Hinc illud.

Populo grata res eſt, ſi qui digni morte videbantur, ſerui fiant.

Vendere cum poſſis captiuum, occidere noli,
Seruiet vtiliter, ſine paſcat durus, aréque:
Nauiget, ac medias hyemes mercator in vndas,
Annonæ proſit, porter frumenta penúſque.

Igitur excogitata conditio eſt, quam nec populus piè reſpuere, nec Gabaonitæ honeſtè poſſent recuſare, ſenſus eſt (vt interpteratur Caiet.) Vice vniuerſæ ſynagogæ Iſrael erunt ad incidendum ligna, & ad hauriendum aquam, in vſum (vt inferius exprimitur) domus Dei. In fauorem itaque Iſrael hoc intellige. Tenebatur enim populus Iſrael prouidere de lignis, & aqua domui Dei, & exoneratus eſt, & abſolutus ab hoc debito, per hanc ſeruitutem Gabaonitarum, & propterea in bonum populi ſcribitur hoc pactum, quamuis ſeruitutis vtilitas directè reſpiceret domum Dei, & propterea & domus Dei, & populi mentio in litera ſit. Hæc Caiet. Conſtituti ſunt igitur Gabaonitæ lignatores, & aquatores ad vſum Sanctuarij & multitudinis. Quod miniſterium, qui gerunt, eos Romani *parochos*, Græco vocabulo dixerunt ἀπὸ τοῦ παρέχειν, hoc eſt à *præbendo*. Erant enim *parochi*, qui legatis publicè Romam miſſis cæteriſque alicuius dignitatis hoſpitibus, ſalem & ligna præbebant, vnde Horat. id eſt, ſerm. Satyr. 5. Iter ſuum ab vrbe Roma Brunduſium vſque deſcribens ait:

Gabaonitæ aquatores, & lignatores domus Dei conſtituũtur.

Parochi apud Romanos dicebantur, qui ſalē & ligna legatis præbebant.

Horatius.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit; & parochi quæ debent ligna ſalémque.

22. Cæterùm nomine lignorum & ſalis, qui à Romanis parochi ſiue Xenoparochi vocabantur, omnia hoſpitibus neceſſaria ſuppeditanda eſſe intelligebant. Gabaonitis verò ea tantùm imponebatur obligatio, vt omni tempore, quo Iſraelitæ belli cauſa conuenirent, vel concilia celebrarent, ligna & aquam comportarent. Nec verò operæ, quæ iniungebantur difficiles videri poterant hominibus huiuſmodi exercitio aſſuetis. Oportebat námque Gabaonitas, qui in edito colle habitabant, aquas in ſuum vſum aliunde hauſtas, comportare. Idem opus fuit incolis Beototh, hoc eſt puteorum. Hos autem, qui Cariathiarim incolebant ligna cædendi morem habere, vicinarum ſyluarum indicat opportunitas.

Xenoparochi.

23. *Cur nos decipere fraude voluiſtis, vt diceretis procul valde habitamus à vobis, cùm in medio noſtri ſitis?*] Doli mali etimen Gabaonitis à Ioſue proponitur? Fraudis autem & deceptionis verbis mendacium quoque hic ſignificatur particula, *vt diceretis*, ſi vim Hebraici verbi ſpectes, certã & præmeditatam orationem arguit. Non enim illi temere oblatis vſi ſunt verbis, ſed certis & compoſitis. Illud, *cum in medio noſtri ſitis*, Hebraicè ſonat, *& vos in medio noſtri ſedentes*. Significat autem verbum ſedendi, habitationem, antiquam & quietam.

Opera [illegible] impoſita Gabaonitis pia [illegible], & ipſis vſitata.

24. *Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cadens, aquáſque comportans in domum Dei mei.*] Quod ſine maledictione fuerat iniunctum à proceribus, Ioſue cum maledictione effert. Antiqui námque exempli memor videtur, quo ſingulari aliquo beneficio decorati ſunt, qui ſimplici corde & puro officium aliquod pietatis inſigniter exhibuerunt, vt Abraham, quod Deo crediderit & obedierit. Iacob quòd Iſaac patri gratas pararit epulas, & cum Angelo luctatus victor exiiterit. Contra verò effectum vidit, vt qui pietatem, aut officium violauerint inſigni aliqua pœna mulctati fuerint, vt Canahan, qui ob patris improbitatem illud audiuit, Geneſ. 9. *Maledictus puer Chanaan ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Hoc exemplo fortaſſe admonitus Ioſue Gabaonitarum gentem ex Chanaan genere ortam, ob impetratam fraude pacem, ſacro ſolennique ritu, quadam mulcta in perpetuum damnat, idq;

Qui ſimplici corde Deo ſeruiũt, benedictionem promerentur vt Abraham, qui ficto corde, vt Gabaonitæ.

Gen. 9.

Damnãtur Gabaonitæ [illegible] ſolemni ritu.

Dei authoritate, certis tamen loci, atque temporis delimitionibus ſeruitij ratio, & obligatio in illis verbis, *de ſtirpe veſtra*, includitur, ſtatuit namque Ioſue illis conditionem addicendi aliquos ex ipſis, qui calonum & lixarum operas ſanctuario impendant. Græcè eſt, *& non deſit ex vobis ſeruus, neque lignorum cæſor.* Hebr. & non excidetur ex vobis ſeruus, & cædentes ligna. Chald. *ſeruus, & colligentes ligna.* In ſequentibus verbis reſponſio Gabaonitarum continetur. *Nuntiatum eſt*, inquiunt, *nobis ſeruis tuis, quod promiſiſſet Dominus Deus tuus Moſi ſeruo ſuo, vt traderet vobis omnem terram & diſperderet omnes habitatores eius. Timuimus igitur valde, & prouidimus animabus noſtris, &c.* Hinc quoque intelligitur Gabaonitas timuiſſe Deum Iſrael, nec obſtinato animo ſuis ritibus, vt cæteros Chananæos adhæſiſſe, vt aduertit Caiet. Tantùm apud illos valuit fama rerum à Moſe Deo duce geſtarum. Pro, *nuntiatum eſt*, Hebraicè eſt, *nuntiari nuntiatum eſt*. Græcè ὅτι ἀγγελίᾳ ἀνηγγέλη ἡμῖν. *Quod nuntiatum nuntiatū eſt.* Idem ſonat Chaldaicus interpres. Quibus verbis ſignificatur conſtans fama, cui fides habita ſit.

Chald. Paraph.

25. Audita reſpōſione liberauit Gabaonitas Ioſue à morte, quā illis minabātur Iſraelitæ. Decreuitq; illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, & aquas comportantes vſque ad præſens tempus, in loco, quem Dominus elegiſſet. Hæc ſunt poſtrema verba huius capitis, in quibus contractæ obligationis Gabaonitarum exemplum, certáque formula deſcribitur. Tempus & locus pactionis in particula, *illo die*, intelligitur. Perſonæ verò paciſcentes indicantur appellato nomine Ioſue, qui partes populi, cuius dux erat, agebat, & Gabaonitis, quibus onera imponuntur, tanquam ex altera parte conſtitutis. Genus verò conuentionis huius obligatio eſt, quam complectitur verbum decreuit, ſiue vt Hebræa ſonant, dedit. Dare enim, obligationem, iuriſq; ſignificat traditionem, l. ſi rem dari, de verb. oblig. l. dedit ff. de cond. ob cau. obligationis materiā, miniſterij nomine declaratur. Non ſunt autem prorſus traditi in poteſtatem Hebræorū, ſed in miniſterium cuncti populi, quoties eum conuenire contigerit, & quidem hæc ſeruitutis pars, non perpetua eſt, ſed pro temporum opportunitate explicata. Altera verò perpetua, & aſſidua, quam illa maledictione, ſiue deuotione complexus eſt Ioſue, *& altaris Domini.*

Pacti forma.

l. ſi rem de verborum oblig. l. dedit. ff. de cond.

26. *In loco, quem Deus elegiſſet.*] Locus à Deo electus primum fuit in Galgalis. Deinde in Silo, poſt hæc in Nob. illinc apud Gabaon. Tādem in templo Hieroſolymitano, illis igitur hæc opera erat impendenda, quamdiu Dei domus, vel mobilis quale erat tabernaculum, vel immota, quale fuit templum permanſiſſet. Illa verba. *vſque ad præſentem diem*, ceptam & continuatam vtriuſque ſeruitutis obligationē & poſſeſſionem vſque ad ſua tempora conſtitiſſe ſacer hiſtoricus declarat. Res quidem ita inter duos populos geſta eſt. Felicitati Gabaonitarum cultui veri Dei adſcriptorum inuidiſſe diabolum credibile eſt; non ſolum quod ſe ab idolis auertetint, ſed etiam, quod ſuo exemplo alios populos ad ſui imitationem allicere poſſent. Quare contra Gabaonitas bella mouit, quæ capite ſequenti narrantur.

Diu permanſit apud Gabaonitas obligatio, ſeque comportando, &c.

Verſ. 3] At hi, qui habitabant in Gabaon audientes cuncta, quæ fecerat Ioſue, Hiericho & Hai, & callide cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, &c.

Cur Gabaonitæ fraude, quæ citò aperienda erat, vſi fuerint? & de commentis, & idiomate, & peccato illorum.

ANNOTATIO I.

1. MIRABITVR aliquis, Gabaonitas nō timuiſſe aperiendas eſſe ſuas fraudes, ante paucos dies, vt reuera accidit; datque occaſionem hoſti cum quo paciſcebantur, magis comperto dolo, contra eos excandeſcendi, & quidem ſi humano iudicio res æſtimaretur, quis ita futurum non præuideret? Verum humanæ prudentiæ aliquid, hic cogitandum eſt; Gabaonitæ namique paciſci cum Iſraelitis voluerunt, vt ne perirent cum cæteris Chananæis, quos audiuerant iuſſu Dei interficiendos. Idcircò ſe è remotiſſimis locis veniſſe in primo congreſſu, finxerunt, ne Chananæi, vt erant viderentur. Id antequam ſtruerent arte humana, ad veri numinis fidem ad ipſo Deo, vt docet Auguſt. quæſt. 14. in Ioſue, in illa verba cap. 10. *Noli timere illos, &c.* permoti ſunt. Quod ex eo patet, quia cæteri Chananæi, eadem quæ illi audierant, & tamen ad petendam pacem, non ſunt impulſi. Vnde comparans eos Abulenſ. quæſt. 6. cum cæteris, ſic ſcribit. *Iſti* inquit, *crediderunt, quod Deus Iudæorum, qui hæc promiſerat Moſi, poſſet efficere; ideò timuerunt, & adhuc conati ſunt. Non poſſent tamen ipſi credere, niſi Deus illos moueret ad credendum iuxta illud* Ioan. 5. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit illum. De Gabaonitis ergo, qui crediderunt Deum Iſrael hoc efficere poſſe: dicendum eſt, quod Deus illos traxerit ad credendum: nulli enim de aliis Chananæis hoc credebant.* Hæc Abulenſ.

Abulenſis.

Gabaonitæ impulſi à Deo ſunt ad credendũ.

Ioan. 5.

2. Accedit, Deo permittente, fortè non cogitaſſe Gabaonitas tam citò deprehendendum ſuum artificium, vt enim dicit Ariſt. 1. lib. de bona fortuna; *quod bene fortunati agunt, quadam de quibus reddere rationem neſciunt; ſed dicunt ſe ſimilia pati, quæ à Deo fiunt.* Quare quid futurum erat Gabaonitæ non viderunt, ſed motum bonum voluntatis, ad quem impulſi ſunt à Deo tenuerunt. Quid ſi omnem rei euentum conſiderarunt? timere dumtaxat potuerunt fore vt, quod aliàs, erat futurum, cum cæteris Chananæis occiderentur: certiori tamen coniectura ſperarent, ſi iuramento fœdus quocunque modo firmarent, ob reuerentiam iurati numinis, fore vt ne occiderentur. Quod haud dubiè accidit.

Ariſtoteles.

Gabaonitæ reuerentia diuini nominis freti, vitam ſibi donandam ſperarunt.

3. Commenta verò ad fallendum inſtructa eo ſpectabant, vt longitudinem viæ comprobarent. Nec verò mirandum eſt in rudi illo ſeculo; id factum. Morum, id ætatis, ſimplicitas laudi erat, calliditas probro. Annon rudes Gabaonitæ, ſi ſuis technis ſe eluſuros Iudæos cōfidebant? Nōne

Olim morum ſimplicitas laudi erat.

ne

ne ſimplices Iudæi qui talibus falli potuerunt? Quid? nónne panes è ſuis domibus duros & mucidos ſumere Gabaonitæ poſſent, quorſum calidos ſe dictitant ſumpſiſſe? Nonne in breui itineris ſpatio calceamenta atteruntur? Iam vtres veteres pittaciis conſui quam facile eſt? De ſaccis idem argumentum eſt & de veſtibus. Quomodo ergò longitudo itineris hinc probari potuit? Intra anni ſpatium (inquit) Abulenſ. quæſt. 8. tota habitabilis terra quotidiano itinere perambulari poteſt; ſiue ſecundum longitudinem aliquis, à puncto Orientis verſus occidentem progrediatur, ſiue ſecundum latitudinem ab Auſtro ad Aquilonem: nec intra id ſpatium, veſtes & vtres adeò veteraſcent, ſi noui fuiſſent aſſumpti, vt indigerent ligaturis. Quid quod Ioſue erat in terra Chanaan, quæ eſt in meditullio terræ. Quare ſimplicitati illius ſeculi ſcribendum eſt potuiſſe Iudæos decipi: quamuis nec omnino decepti videntur ſaltem omnes: Nam quidam fraudem ſuſpicati, dixerunt. *Ne fortè in terra, quæ nobis ſorte debetur habuetis; & non poſſimus fœdus inire vobiſcum,* &c.

Abulenſ. *Intra anni ſpatium perambulari poteſt ſecundum longitudinem tota terra habitabilis.*

4 Quæret lector, cur Iſraelitæ, cùm expreſſerunt Gabaonitarum internuntij quatuor vrbes, quæ excipiendæ in fœdere erant. (Conſtat autem expreſſas fuiſſe; quia infra v. 7. propterea illis parcitum eſt, quia in iuramento nominatim fuerunt exceptæ) non intellexerunt illas ad terram Chanaan pertinere? Nónne à Rahab & Hierichuntinis, qui Rahab cognati erant id diſcere facile fuit? Fuit quidem; ſed fortè Deus auertit cor Iudæorum, ne id conſiderarent, nec ad ciuitatum nomina attenderent. Quid ſi Rahab, & illius cognati non adfuerunt legatorum orationi? Credibile hoc eſt. Quomodò enim fraudem gentis ſibi vicinæ, & valdè notæ occultarent? Accedit inquirentibus poſt diſceſſum nuntiorum, Iſraelitis, reſponſum eſſe, non ab aliis puto quam Rahab & illius cognatis, Gabaon & terram Chanaan pertinere.

Rahab & cognati illius, Gabaonitas vicinos eſſe indicarunt Ioſue.

5. De Idiomate quo locuti ſunt oratores agit Abulenſ. quæſt. 12. vbi arbitratur. Chananæorum linguam, cognatam eſſe Ægyptiorum idiomati, quod Hebræis erat familiare. Quod autem lingua eos non prodiderit, idcircò accedit, quia idem Idioma in multis interdum prouinciis intelligi ſolet.

Chananæorum lingua, Aegyptiaca cognata erat.

6. An verò Gabaonitæ peccauerint fallendo Iſraelitas, vt propriam vitam à periculo mortis liberarent. Quodlibetica quæſtio eſſe poteſt: cuius negatiuam partem probabilioré putat Abulenſ. qu. 15. & quidem in eo nullum video peccatum, quod procurauerint liberari à morte. Prima námque & maxima mortalium cura eſt, vitam propriam tueri, ſicut ait Boët. de Conſol. 16. 2. proſ. 4. Quod autem à natura inſitū eſt culpa vacat. Imo non tueri vitam culpa eſt. Generalis námque regula in Theologia traditur ad hunc modum. Quicumque poteſt ſe liberare à morte modo honeſto ſibi poſſibili, nec id facit, peccat mortaliter: dum tamen honeſtiorem non ſpectet finem vt olim martyres. Vnde elicitur lethifero inquinari peccato, qui aut deſperatione, aut ad oſtentandam fortitudinem, morti ſe obiiciunt eum belluis pugnantes, aut ignis ſe immergentes. Dices non ſine peccato deſiderari vitam ab iis, quos Deus morti cum cæteris Chananæis adiudicauerat. Certè. Sed vbi non relinquitur modus conciliandi pacem, & deprecandi à ſe mortem.

Abulenſ.

Peccauerint ne Gabaonitæ vſi falſitate in re ſua?

Boet.

Lethifero peccato inquinantur, qui ad oſtentandam fortitudinē morti ſe obiiciūt pugnantes cum belluis, &c.

A Atqui Gabaonitæ nouerant pactitum fuiſſe Rahab, & illius domui, cùm Hierichuntini Chananæi etiam eſſent. Rurſus quamuis conſtaret Gabaonitis definitam à Deo mortis ſententiam in ſe iam eſſe, non obligabantur velle mori, imò ſtudioſè viuentes poterant contrarium optare & procurare iuxta Theologicam illam regulam. Non tenemur conformari Deo inuolito, ſed in modo volendi, de qua re agimus ſuprà cap. 2. vide Abulenſ. ſuprà idem cap. 38.

Regula Theol.

Non tenemur conformari Deo inuolito, ſed in modo volendi.

7. Quæris, an in modo, quo vitam procurarunt peccatum ſubſit? Abulenſ. negat, cùm in commēto quo vſi ſunt artem magis quàm culpam exhibuerint. Nec verò iniuriam Iudæis inferebant B cùm licitum ſit, etiam fraudibus adhibitis, vitam ab hoſtium gladiis eripere. Annon licebat Chananæis, contra Hebræos pugnare? Quamuis Deus terram Hebræis tradidiſſet, fas erat Chananæis ſuam tueri patriam. At iuſtum eſſet bellum ex vtraque parte? Quid mirum? Nunquid compertum erat Chananæis regionem illam Iſraelitis eſſe à Deo promiſſam: aut ſi compertū erat, tempus adeſſe, quo tradi deberet? Profectò, dum Chananæorum mentes diuinæ voluntatis obtinuit ignoratio fas illis fuit, & ſe ipſos, & patriam, armis protegere. Ignorantia nempe iuris interueniente in alterutra parte, &c. Suum quæque pars ius perſequi bello potuit. Quid ergo pecca- C runt, qui non bello, ſed commento vitam, & res defendunt. Cæterùm, quia mentiti ſunt dicentes ſe eſſe de terra longinqua, & non de terra Chanaan, aliquod peccatum admiſerunt. Sed (vt inquit Abulenſ.) mendacium, quia officioſum erat de minimis peccatis eſt; potiſſimè, quia eſt ad tuitionem vitæ; ideò quaſi nullius culpæ eſt. Hæc Abulenſ. additque hæc verba, quibus hæc quæſtio concluditur. De Gabaonitis ergò dicendum eſt, quod hoc facientes, parum aut nihil peccauerunt: nihil enim peccaſſent, ſi vt liberarentur omnes Iſraelitas occiderent vitæ propriæ conſulentes, &c. Ego ineſſe mendacij peccatum Gabaoni- D tis non dubito; leue tamen, vt fermè doctores annotant. In procuratione verò vitæ conſeruandæ, incitatis ad iurandum Iſraelitarum principibus, nihil vitij animaduerto, ſicut nec in Rahab, cum ad iuſiurandum compulit exploratores: vt ſuæ vitæ, fide hoſtium obligata, conſuleret.

Fas erat Chananæis ſuam tueri patriam.

Verſ. 14.] Suſceperunt ergò de cibis eorum, & os Domini non interrogauerunt. Fecítque Ioſue cum eis pacem, &c.

E *Quid ſit os Domini, interrogare? & cur deceptus ſit Ioſue?*

ANNOTATIO II.

1. ISRAELITÆ in ſignum initi fœderis, eſca Gabaonitarum vſi ſunt. Notat tamen ſacer interpres cauſam deceptionis eam eſſe, quod os Domini non interrogauerunt, an debuiſſent paciſci cum legatis: Conſueuerant namque in difficilioribus negotiis exquirere per ſacerdotem ſummum aut per prophetam oracula, quæ Deus

per Angelum reddebat, qui loquebatur in propitiatorio inter alas duorum Cherubim. Vnde Num. 27. *Pro hoc, ſiquid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulat Dominum.* Moſes etiam in leuioribus cauſis Deum conſulebat, ſi expedire negotium neſciebat. Vt patet de duabus quæſtionibus filiarum Saphaad, ſcilicet, vna ſuper paterna ſucceſſione, de qua Num. 27. & alia ſuper matrimonio contrahendo de qua Num. 36. Annon hæc leuia, ſi comparentur cum fœdere ineundo cum populis Iſraeli incognitis? Peccarunt igitur, quòd Deũ non conſuluerint Iſraelitæ; non tamen grauis fuit culpa. Fortè vt Abulenſ. quæſt. 16. aduertit id ipſum in reſponſis acceptum erant, quod ſine interrogatione & reſponſis egerunt. Decreuerat namque Deus, vt illis populis vita donaretur, qua ſuperſtite ſanctuario in cædendis lignis, & aqua comportanda deſeruirent. Nec opus erat, vt Hebræi patriæ propinquitatem ſtatim ſcirent, ne fortè priuatis commodis ducti fœdera recuſarent.

Num. 7.

Filiæ Saphaad de ſucceſſione egerunt apud Moyſen. Num. 27. Num. 36.

Non conſuluiſſe Deum ſuper negotio Gabaonitarum, non grauis fuit culpa. Abulenſis.

2. Triplex autem modus olim fuit conſulendi Dominum. Vnus quo ſacerdos accedens ad oſtium tabernaculi à Domino inquirebat reſponſum, qui ſe ibi præſentē fore dixerat Exod. 29. Intra ſancta ſanctorum etiam loquebatur Angelus. Verùm non erat ſacerdoti magno fas illuc ingredi, niſi ſemel in anno, videlicet in feſto propitiationis, vt ſuprà annotauimus, vt pat. Leu. 16. & Hebr. 9. Moſi autem ſingulari priuilegio conceſſum fuit, vt quoties liberet, intraret. vt patet Num. 7. & oracula audiret. Tertius modus quotidianus, & familiaris erat; applicatio rationalis & Ephod, in quo ſacerdos conſulens Dominum, vera recipiebat reſponſa. Exemplum habes in Dauid, qui cùm eſſe in Ceila. 1. Reg. 23. iuſſit Abiathar ſacerdoti, vt applicaret Ephod, quo applicato didicit, ſi in Ceila maneret, deuenturum ſe in manus Saul. Huiuſmodi Ephod rationale etiam iudicij vocabatur, quia in eo indicabatur, quod erat occultum. Potuit etiam Ioſue diuinā inquirere voluntatem in preces effuſus, vt fecit quando illi apparuit Angelus in agro Hiericho. Nihil enim diuinæ voluntatis decreta aptius aperit, quam oratio. *Per hanc* (inquit, Auguſt. in tract. de miſericordia tom. 10.) *Qui ſtant, non cadunt: & qui eliſi ſunt, eriguntur. Hæc magna ſeruat, hæc tutatur minima. Per hanc gubernamur in proſperis: per hanc fiduciam gerimus in aduerſis. Hanc quaſi tutiſſimam nauim deſideriorum noſtrorum mercibus oneramus, vt ad omnipotentem Deum perueniat.* Hæc Auguſt. Idem in prologo de doct. Chriſt. aperiri nobis ait oratione vacantibus, ſi non per Angelum, ſaltem per hominem cui Deus adſtat, quod optimum eſt. *Nonne,* inquit, *Deus cum Moyſe loquebatur. Et tamen conſilium adminiſtrandi tam magnum populum à ſocero ſuo, alienigena, ſcilicet homine, & maximè prouidus, & minimè ſuperbus, accepit. Nouerat enim ille vir conſilium non ei, ſed illi qui eſt veritas, eſſe tribuendum* &c. Fortè ſi Ioſue à vulgo conſilium popoſciſſet, quid res haberet, intellexiſſet: nec ortū eſſet murmur vulgi contra principes iuramento, de Gabaonitarum incolumitate aſtrictos; cum Gabaonitæ intra fines adiudicatæ Hæbræis terræ ſua haberent domicilia.

Triplex modus conſulendi Deū.

Exod. 29.

Leuit. 16. Hebr. 9.

Num. 7.

Applicatio Ephod. 1. Reg. 23.

3. Cum ergo Ioſue nullo interrogandi modo ex prædictis vſus ſit, permiſit Deus, vt deciperetur, humanum ſecutus conſilium. Non tamen deceptio huiuſmodi fuit, vt magnopere felicem curſum rerum Iſraeliticarum impediret.

Verſ. 19.] Murmurauit ergo omne vulgus contra principes: qui reſponderunt eis. Iurauimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere, &c.

An iuramentum Gabaonitis præſtitum, obligandi vim habuerit?

ANNOTATIO III.

1. POPVLVS comperta fraude admurmurauit contra principes. Omnis enim fraus licèt graue non afferat detrimentum, odiū parit fraudulento. Cæterum illud quæritur an ſuppoſita fraude, quæ cauſam videtur contractui dediſſe, periuri cenſeri deberent Iſraelitæ ſi Gabaonitas occiderent? Nicolaus de Lyra triplici ratione confirmat, partem affirmantem. Prima eſt, quia Gabaonitæ venerunt ad Ioſue in nomine Domini, volentes eius cultui ſubiici; quare æquum erat, vt à præcepto Domini contra Chananæos ſcripto, eximerentur; ſiquidem obſtinati in malitia non erant, vt cæteri illius terræ habitatores vt ſignificatur infrà cap. 11.

Lyra

Vim obligandi habuiſſe iuramentum Gabaonitis præſtitum, probat triplici ratione.

2. Secundò, quia excepto iuramento præſtito Rahab, quod ſecreto exhibitum fuit, hoc primum interceſſit, inter Iſraelitas, & gentes exteras, in quo ſi violationis aliqua incideret ſuſpicio, malè audiret deinceps Hebræorum religio, & fides. Quare oportuit vt omnino ſeruaretur.

3. Tertia, quia credibile eſt Ioſue inſtinctu diuino motum fuiſſe ad firmandum iuramento fœdus pacis; ſeruitutis conditione appoſita, qua mors naturalis, ad quam damnati erant Gabaonitæ, in ciuilem mutaretur. Quod autem Dominus ſententiam Ioſue approbauerit, conſtat ex 2. Reg. 21. vbi narratur triennium fuiſſe famem à Domino in Iſrael, nec ceſſaſſe, quouſque ad petitionem Gabaonitarum ſeptem viri de ſtirpe Saul ſuſpenſi ſunt in patibulo. Fauet huic ſententiæ D. Auguſt. quæſt. 14. in Ioſue in illa verba cap. 10. *Noli timere illos, in manus tuas tradidi eos. Non conſultus,* inquit, *eſt Dominus, verum eundum ad eos eſſet. Sed vltro ſuis ſubuenire volentibus, futuram victoriam prænuntiauit. Sic ergò poſſet, quamuis non conſultus, de ipſis Gabaonitis admonere, qui eſſent cùm ſe longinquos eſſe mentirentur, niſi ei placuiſſet illa miratio, quæ ſubiectis parcere cogeret. Crediderant enim Deo, quem audierant ſuo populo promiſiſſe, quod illas gentes ſubuerteret, eorumque terram obtineret, & hanc eorū fidem, non eos perdendo remunerauit quodammodo.* Hæc Aug.

Mors naturalis ad quam damnati erant Gabaonitæ mutata eſt in ciuilem.

2. Reg. 21.

Auguſtinus

4. Ad argumenta quæ in contrariam partem occurrunt, nempe de ſententia mortis lata contra Chananæos, de conditione in iuramento fortè adhibita: & de fraude reſpondet Lyranus. Ad primum quidem, iuſſionem Dei de internecione Chananæorum, non includere Gabaonitas, iuxta traditam interpretationem. Ad ſecundum conditionem quam à principio appoſuerant Iſraelitæ, videlicet ne fortè eſſent de terra, quæ eis de-

bebatur: poſteà in iuramento non eſſe adhibitam. Ad tertium, inquit, quod fraus, & dolus propriè ſunt mendacia in verbis, vel factis ordinata ad malum finem. Mendacia autem & fictiones Gabaonitarum, licet eſſent mala de ſe tamen ordinabantur ab eis ad bonum finem, ſcilicet, ad eorum ſalutem ſpiritualem & corporalem.

Verior ſententia contra Lyranũ.

5. Verior ſententia eſt, non obligari Iſraelitas abſtinere à cæde Gabaonitarum ratione præſtiti iuramenti, cùm dolus cauſam dederit contractui. Ita Abulenſ. quæſt. 19. Iſraelitæ námque quanuis non peccauerint iurando, ob ignorationem patriæ, ex qua profecti iſti internuntij fuerant; tamen adſtringi huiuſmodi obligatione iuramenti contra diuinæ legis præſcriptum de interficiendis Chananæis, nequaquam poterant. Agnouerunt autem haud dubiè irritam fuiſſe ſuam iurationem poſtquàm conſtitit Gabaonitas Chananæos eſſe. Num iuramentum, contra diuinam legem ſuſceptum, firmum putabant? Abſit. Quis tam plumbeus eſſet, vt crederet iuramẽtum vinculum eſſe iniquitatis? Licitum ergo fuit ſeruare Gabaonitas, non ob iuramentum, ſed, quod Deus fœdus initum approbauit, ad commendandam gentibus Iudæorum fidem, etiã illo modo datam, præſertimq́; iuriſiurãdi religionem & reuerentiã.

Abulenſ.

Iuramentũ per fraudem extortum non inducit obligationem.

6. Ad primum igitur argumentum Lyrani reſpondetur, veniſſe quidem Gabaonitas in nomine Domini, hoc eſt, motos fama potentiæ Dei Iſrael; non autem vt ſe ſubiicerent Deo Iſrael, & Iudæorum religioni; ſolam vitæ incolumitatem optabant, eâque pacta abierunt. Itaque non amor legis, ſed timor mortis illis viæ dux fuit. Duæ ſequentes rationes ſolùm conueniunt ex bono & æquo debuiſſe id iuramentum obſeruari, ne offenderentur gentes, quæ audirent iuramentum in nomine Domini præſtitum, & non ſeruatum. Vide Abulenſ. loco citato. Nec verò Auguſtinus contrarius eſt huic ſententiæ. Nam quæſt. 13. in Ioſue ita ſcribit. *Mentientibus ergo, quod de terra longinqua veniſſent, iurauerunt eis Iſraelitæ. Poſteà verò quum cognouerunt, ibi eos habitare, vbi omnes, quos inuenerant ſecundum Dei præceptum debellare oportebat; nolebant tamen frangere iurationem, & licet eos mentitos eſſe didiciſſent, parcere maluerunt, iurationis cauſa, cum poſſent vtique dicere, ſe tantùm illis iuraſſe, quos eos eſſe crediderant, id eſt de longinquo venientes. Cùm verò aliud cognouerunt, præceptum circa eos Domini aliud erat implendum, vt ſicuti exteri expugnarentur. Deus autem hoc approbauit, nec parcentibus ſuccenſuit: quanuis eum non interrogaſſent, qui nam illi eſſent. Et ideò eos illi fallere valuiſſent: vnde non importunè vtique credendi ſunt, etſi fallere homines pro ſua ſalute voluerunt; non tamen fallaciter Deum timuiſſe in populo eius: proptereà nec ſuccenſuit Dominus iurantibus, aut parcentibus, vt poſteà Gabaonitas ipſos tanquam populi ſui homines, de domo Saul vindicauerit, &c.*

Gabaonitis non amor legis, ſed timor mortis dux via fuit.

Abulenſ.
Auguſt.

Verſ.22.] Vocauit Gabaonitas Ioſue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluiſtis, vt diceretis. Procul valdè habitamus à vobis, cùm in medio noſtri ſitis?

An fides ſeruanda ſit ijs, qui fraude vtuntur?

ANNOTATIO IIII.

Ambroſius.

1. Regula iuſtitiæ eſt (vt inquit Ambroſ. lib. 3. de officiis cap. 11.) à vero declinare virum non decere bonum, nec damno iniuſto afficere quenquam, nec doli aliquid annectere, fraudiſve componere. Quare laudari Gabaonitæ non debent, quod fraude vſi ſint & mendacio, ſicut nec Ananias, de quo Act. 5. agitur. Is enim quia fraudauit de pretio agri ſui, quem ipſe vendiderat, ſicut reus fraudis interijt. Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc ſine fraude feciſſet. Sed quia fraudem admiſcuit, non liberalitatis gratiam reportauit, ſed fallaciæ pœnam exoluit. Et Dominus in Euangelio, Matth. 8. cum dolo accedentes repudiauit dicens: *Vulpes foueas habent*: quoniam in ſimplicitate cordis, & in innocentia nos iubet viuere. Dauid quoque ait, Pſal. 51. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum*: nequitiæ arguens proditorem; eo quod (vt inquit Ambroſ.) inſtrumentum huiuſmodi, ad hominis adhibetur ornatum & plerumque vlcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat Doech proditoris exemplo, 1. Reg. 22. vt eum, quem celare, & protegere debeat, prodat ad mortem, inſtrumenti iſtius comparatione cenſetur, quod ebriæ mentis & titubantis vitio manus vulnerare conſueuit. Sicut iſte malitiæ ebrius vino, per funeſtæ proditionis indicium Achimelech, ſacerdoti necem detulit, eo quod prophetam hoſpitio ſuſcepiſſet, quem Rex inuidiæ ſuccenſus ſtimulis perſequebatur, &c. Purum igitur ac ſyncerum oportet eſſe affectum, vt vnuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat. Quod ſi quid temere promiſſum eſt, aut iuratum admonet Ambr. cap. 12. tolerabilius eſſe, promiſſum non facere, quàm facere quod turpe ſit. Sæpe plerique conſtringunt ſe ipſos iuriſiurandi ſacramento, & cùm ipſi cognouerint promittendum non fuiſſe, ſacramenti tamen contemplatione faciunt, quod ſpoponderũt, ſicut de Herode ſcribitur, Matth. 14. qui ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſoluit. Turpe, quod regnum pro ſaltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro iuſiurandi religione donatur. Non excuſat idem Ambroſ. à temeritate Iephthe, & meritò cùm ipſum voti pœnituerit ſui. *Dura*, inquit, *promiſſio, acerbior ſolutio, quam neceſſe habuit lugere, etiam ipſe, qui fecit.* Addit. *Non poſſum accuſare virum, qui neceſſe habuit adimplere, quæ vouerat. Sed tamen miſerabilis neceſſitas, quæ ſoluitur parricidio. Melius eſt non vouere, quàm vouere id, quod ſibi, cui promittitur, nolit exolui, &c.* Videtur Iephthe pietatem commendare, non factum. In Ioſue etiam pietas, & religio iurantis laudabilis eſt, aliquid tamen culpæ illi hæſit, quod os Domini non interrogauerit; cuius temeritatis ipſe, & cæteri principes hîc arguuntur.

Laudandi non ſunt Gabaonitæ quod fraude vſi ſint.

Act. 5.

Ananias ob fraudem, morte mulctatus eſt.

Matth. 8.

Pſal. 51.

1. Reg. 22.

Ambroſius.

Matt. 14.

Herodes ſaltatrici, quod turpiter promiſit, crudeliter ſoluit.

Iudic. 11.

Iephthe iurauit temere.

Miſerabilis neceſſitas, quæ ſoluitur parricidio.

Melius eſt non vouere, quam id vouere, quod diſplicet ei, cui votum ſit.

2. Eſt ſanè quod excuſemus à graui culpa Ioſue; quia eorum mores cum quibus agebat, non nouerat. Gabaonitas natura mendaces notat Iſidorus Peluſiota, epiſt. 281. vbi probat proptereà Cappadoces mendaces eſſe, quod cum Cabaonitis genus habeant commune. *Si Philiſtæi*, inquit, *à Cappadocibus genus traxerunt, ab yſq; oriundi ſunt, atque in Philiſtæorum numero Gabaonitæ ſunt. Cappadoces profectò Gabaonitæ ſunt. Cùm igitur eorum improbitatem ac nequitiam literarum ſacrarum monimentis proditam, atque conſignatam habeas? quid Gigantiũ miraris? ſubdola enim atque improba, magna ex parte hæc natio eſt. Pace offenduntur: contentionibus ac diſſi-*

Excuſatur Ioſue à graui culpa, non tamen à tota.

Iſid. Peluſ.

Cappadoces genus, habebant commune cum Gabaonitis.

dus aluur, eundèmque dulcis & amari fontem habet. In congreſſu blandè ac benignè loquitur: in abſentia obtrectat. Fallax eſt impudens, temeraria, meticuloſa, cauillatrix, illiberalis, verſuta, inhumana, ſuperba, ac contumax: in ſecundis amicorum rebus mœſta; in aduerſis læta & inſatiabilis, ſub pietatis larua mulierculas in captiuitatem redigit: atque inſano auri amore Babyloniam ſuperat. Ad mentiendum proeliuis eſt: ad peierandum celer. Ac denique qualem habes improbiſſimum ac prorſus exoſum Gigantum populum, tales omnes cappadoces eſſe exiſtima, ac pro certo habe, &c. Sunt quædam nationes natura mendaces, vt apud Græcos Cappadoces, Cilices, & Cretenſes, quas, qui tractant, niſi id probè reſciuerint, falli paſſim contingit; vnde mirum non eſt deceptos fuiſſe Hebræos ab iis quorum ingenitam vafriciem ignorabant, ſolùm vitio illis vertendum, quod os Domini cùm facilè poſſent, & deberent, non interrogarunt.

Cappadocũ & Gabaonitarum fallax ingeniũ.

Cappadoces ad mentiendum & peierandum faciles.

Quædam nationes natura mendaces.

Auguſt.

3. Clementiam Ioſue laudat Auguſt. quod illis pepercerit, quos etiam poſt iurationem, iure poterat occidere. *Et quoniam* (inquit quæſt. citat.) *iuratio ſic ſeruata eſt, quanuis in hominibus, qui mentiti ſunt, vt ad clementiam ſententia flecteretur, non diſplicuit Deo. Nam ſi è contrario iuraſſent, aliquos ſe interfecturos, quos Gabaonitas in terra promiſſionis eſſe putaſſent, & poſteà didiciſſent eos eſſe ab illa terra extraneos, & de longinquo ad ſe veniſſe, nullo modo arbitrandum eſt quòd eos eſſent debellaturi cauſa iurationis implendæ: Cùm propter ipſam parcendi clementiam ſanctus Dauid etiam poſt verba quibus ſe Nabal interfecturum eſſe iurauerat vtique ſciens, quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere iuramentum: magis Deo placere exiſtimans, ſi quod ira perturbatus ad nocendum iurauerat, non feciſſet quàm ſi perfeciſſet.* Hæc Auguſt.

Laudatur Ioſue quod illis pepercerit, quos etiam poſt iurationem poterat occidere.

1. Reg. 25.

D. Ambroſ.

4. At verò D. Ambroſ. non ſolùm clementiam ſed ſimplicitatem Ioſue, & Hebræorum commẽdat, qui fraudem Gabaonitarum non perſpexerint, & plus adhuc admiratur animi candorem, quo Ioſue cognita fraude pacem, quam dederat reuocandam non cenſuit, quia firmata erat iuramenti religione. *Nedum*, inquit, *alienam perfidiam argueret, ſuam fidem ſolueret. Mulctauit tamen eos, vilioris obſequio miniſterij. Clementior ſententia, ſed diuturnior. Manet enim officiis pœna veteris aſtutiæ, hereditario in hunc diem miniſterio deputata.* Hæc ille. Atque exemplo Ioſue definit perfidis etiam & fraudulentis oportere interdum fidem cuſtodiri: vir enim ſanctiſſimus, non tam quid fraudum artifices mererentur, conſiderauit, quàm quid ratio virtutis poſtularet. Vnde Ambroſ. cap. 10. libri citati. *Adhuc erat ignarus locorum atque incolarum inſcius, non cognouit fraudes eorum, neque Deum interrogauit, ſed citò credidit. Adeò ſancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, qui cæteros de ſuo affectu æſtimant? Et quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quid ſit ignorant. Libenter credunt, quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere, quod nõ ſunt. Hinc Salomon ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocentem eſſe, ignorare, quod noceat: etſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis ſuæ deuotione inclinatus, vt ei ederet teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, confirmauit ſocietatem, &c.* Dominicus de Soto lib. 8. de Iuſt. quæſt. 1. art. 7. nihil illicitum fuiſſe Ioſue, aut iurando, aut iuramentum adimplendo affirmat. *Iureiurando*, inquit, *non peccauit. Nam fuit deceptus credens aliarum fuiſſe remotiſſimarum gentium legatos. Poſt verò quando reſciuit eſſe Gabaonitas, quoniam prohibitio parcendi illis, non erat de iure naturæ intrinſecè mala ſicuti homicidium; ſed de iure poſitiuo, veritus eſt ne ingeniorem Deo irrogaret iniuriam, iuſiurandum, quod per eius nomen bona fide fecerat, violando, quàm priori eius mandato, obſequendo.* Prætereà (vt Ambroſ. de offic. ait) meliori eos morte mulctauit, ſcilicet obſequio miniſterij diuini. Sic enim habet hiſtoria. *Reſeruentur, vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi peierauerimus eis: ſed ſic viuant, vt in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſq; comportent, &c.* In omnibus igitur decora eſt fides, iuſtitia grata, menſura æquitatis iucunda. Is, cuius dolus deprehenditur in contractu, vt Ambroſ. ait, dupli pœnæ obnoxius eſt. Hæc tamen aliquando remittitur, conſideratione boni maioris, aut non tam plenè fraudulentis irrogatur; quin moderatio aliqua cernatur, quod perſpexit Ioſue in pœna adhibita Gabaonitis.

Fraudulentis interdum parcendum.

Ambroſ.

Prou. 14. *Innocens credit omni verbo.*

Sot. l. de Iuſt. qu. 1.

Nihil illicitum fecit Ioſue, aut iurando, aut iuramentum implendo.

Ambroſ.

Verſ. 26.] Fecit ergo Ioſue vt dixerat, & liberauit eos de manu filiorum Iſrael, vt non occiderentur: Decreuitq; in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini cædentes ligna, & aquas comportantes vſque in præſens tempus, &c.

Cautè agendum eſſe cum fallacibus, & quanuis interdum illis parcatur conuincendi tamen ſunt, & aliqua pœna plectendi exemplo Ioſue.

ANNOTATIO V.

1. Cautè agendum eſſe cum vafris & aſtutis hominibus, hortatur D. Bernard. ad Eugenium epiſt. 267. maximè in Eccleſiaſticis cauſis. Enimuerò quidam, vt declinaret ſeueritatem pœnæ, quo à ſuo prælato mulctandus iure fuit, compoſito ad modeſtiam habitu & ore ad curiã feſtinauit, vt quod virtute non poterat ſimulatione obtineret. *Si Sagienſis*, inquit, *hæc vulpecula vobis (ſicut cogitat) illudere poterit ad vineam Domini Sabaoth, quam breui tempore parte non modica demolita eſt, veſtrà authoritate redire, quanta putatis malignitate de cætero ſaeuituram? Heu, quod reliquum eſt deuorauit. Nempe qui venit vulpecula redibit leæna, & in quoſque tam cleri quàm populi, non iam calliditate vtetur, ſed crudelitate.* & infrà. *Non ergo vos moueat hominis facies miſeranda, vt lic habitus vultus ſupplex demiſſa ſupercilia; verborum humilitas, ſed nec ipſæ quidem lacrymulæ; currentes vt aiunt, ad nutum eius, doctæ mentiri. Hæc omnia in facie ſunt, & ſcitis, qui dixerit,* Ioan. 7. *Nolite ſecundum faciem iudicare. In his atque ſimilibus forma pietatis exiſtit, ſed non ſemper, & virtus. Inde eſt quod aliqui etiam à noſtris pro eo ſcripſerunt talibus circumuenti mendaciis, parùm aduertentes: quod à ſapiente dicitur. Eſt, qui ſe humiliat nequiter, &*

Bernard.

Cautè cum aſtutis agendum.

Lacrymæ aſtuti hominis doctæ mentiri.

Ioan. 7.

Eccl. 19.

interiora eius plena ſunt dolo. Vos ergo non attendatis ad verba eius,opera interrogate. Nolo dicere omnia quæ audiui. Nec enim omnibus credendum eſt, ſed nec omnibus decredendum. Vnam pono meam coniecturam. Cur datos ſibi iudices declinauit? ſi perſonas cauſatur non erant ſuſpecti: ſi loci importunitatem; erat hoc in terra ſua,& in cognatione ſua, vbi expenſis paucis, & itinere non longo totum negotium facilè poterat explicari. Restat proinde nihil aliud ſuſpicandum,quàm fugiſſe hominem ſubdolum accuſantium, multitudinem, qui extra patriam eum minimè, præ inopia, ſequi non poterant,&c. Vides quàm ſtudioſè curet Bernard. vt Abbati,quem non nominat,digno pœna, fides non habeatur? optat vt conuincatur aſtutus homo in iudicio, à quo fictis verbis, & commentis euadere nititur; vt hoc genus hominum, quod merentur,ferant ſupplicium.

Aſtuti diſfugiũt torum tribunal, a quibus conuinci poſſunt.

2. Profectò Ioſue, conuictis Gabaonitis de mendacio,quamuis vitam donauerit,infamiæ tamen notam, veluti lata ſententia & adhibita maledictione impreſſit. Quod expendit Origen. hom. 10. ad allegoriam, quod narratur accommodans. *Gabaonitas*, inquit, *iſtos, quorum hiſtoria recitanda eſt arbitror portiunculã quandam eſſe eorum, qui ſaluandi ſunt; ita tamen vt non abſque alicuius notæ inuſtione ſaluentur. Vides námque quomodo ligni cæſores, vel aquæ geſtatores fieri condemnantur,ad obſequium populi,& altaris Dei miniſterium,quoniam quidem cum dolo, & calliditate acceſſerunt ad filios Iſrael, pannis, calceamentiſque veteribus induti,& cibum vetuſti panis ferentes. Iſti ergo veniunt ad IESVM cum omnibus vetuſtatibus ſuis, & orant ab eo hoc tantùm,vt ſaluentur. In quorum figura tale mihi aliquid videtur oſtendi. Sunt quidam in Eccleſia credentes quidem, & habentes fidem in Deum, & acquieſcentes in omnibus diuinis præceptis, quique etiam erga ſeruos Dei religioſi ſunt, & ſeruire eis cupiunt,ſed & ad ornatum Eccleſiæ, vel miniſterium ſatis prompti ſunt, in actibus verò ſuis, & conuerſatione propria obſcœnitatibus & vitijs inuoluti,nec omnino deponentes veterem hominem cum actibus ſuis,ſed inuoluti vetuſtis vitiis, ſicut & iſti pannis, & calceamentis veteribus obtecti præter hoc, quòd in Deum credant,& erga ſeruos Dei, vel Eccleſiæ cultum videntur eſſe deuoti; nihil adhibent emendationis in mores. Iſtis ergo IESVS Dominus noſter,ſalutem quidem concedit,ſed quodammodo,ſalus ipſa eorum, notam non euadit infamiæ,&c.*

Origenes.

Gabaonitæ eorum, qui ſaluãdi ſunt, figura fuerunt.

Qui non emendant ſua vitia, licet grauia peccata fugiant,non carent reprehẽſione & nota.

3. Suadet deinde Origenes, vt potiùs cum Iſraelitis ſaluari velimus, quàm cum Gabaonitis; his enim parcitum eſt,nõ quia iuſti eſsẽt,ſed quia iuſtis ſeruire poſſent. *Vlmus*, inquit, *fructum non affert, portat tamen vitem, quæ fructuoſa eſt. Ex eo tamen quod adminiculo eſt viti,neceſſaria videtur,& vtilis ex hoc ipſo, quod frugiferæ deſeruiat viti. Tale etiam aliquid intellige in Gabaonitis, qui non depoſuerunt quidem veterem hominem cum actibus ſuis; miniſtrant tamen ſanctis & ſeruiunt, & aliquid vtilitatis impendunt,& tali quodam ordine ab IESV ſalutem cum iuramenti,interpoſitione ſuſcipiunt. Ego nolebam Gabaonitarum ordinem conſequi, nec in ligni cæſoribus, nec aquæ geſtatoribus numerari,ſed inter Iſraelitas cuperem hæreditatem terræ promiſſionis accipere.* Hæc ille.

Origenes.

Vlmus vtilis eſt viti ſuſtentandæ, ſic minus perfecti iuuant perfectus.

4. Obſeruandum hoc loco eſt,quod etiam Origen. aduertit, hæreticos, qui vetus teſtamentum non recipiunt, calumniari hanc hiſtoriam, eo quod Ioſue hominibus, qui ad ſe ſupplices venerant, ſalutem concedens notam infamiæ, & iugum ſeruitutis inflixerit. Calumnia tamen hæc, imperitiam hæreticam oſtendit, quæ non ſcrutata eſt Gabaonitarum ad veniam impetrandam ſubreptiones. Ioſue námque ſecundum mẽſuram fidei ipſorum,quod optimum fuit,iudicium pronuntiauit Rahab meretrix, quæ fide integra credidit cum omni domo ſua & exploratores iſraeliticos pleniſſima fide,ſuſcepit,ex integro in conſortium populi,ſuſcepta eſt,& ſcriptum eſt de ea, *quia oppoſita eſt ad filios Iſrael.* Illi verò, qui non tam Iſraeliticæ gentis conſortia dilexerunt,quam ſuæ perditionis metu perterriti, cum calliditate & fraude,acceſſerunt ad IESVM quomodo poterant (inquit Origen.) libertatem vitæ,& regni conſortium dolis ſeruilibus promereri? Audi quid illi dicant: *Audiuimus famam potentiæ eius cuncta,quæ fecit in Ægypto,& de duobus Regibus,&c.* Hæc cum audierint,nihil tamen fide, & admiratione,ad quam fama permoti ſunt,laude dignum fecerunt Iudæorum Deum ſuum vocãtes, vt fecit Rahab. Ideò Ioſue ita ſententiam ſeueritatis,clementia temperauit, vt & ſalutem daret iis, qui aliquid fidei detulerunt, & pœnam imponeret ſeruitutis, quod nihil magnum ex animi affectu egerint,etenim fidem ſine operibus mortuam eſſe,meritò pronuntiauit Apoſtolus.

Calumnia hæreticorum futilis.

Ioſue 2.

Rahab ſuſcepta eſt in ſocietatem Iudæorum nullo immiſſo certe quia vera fidei præbuit in ſocia: Gabaonitæ non item.

5. Cum Origene concinit D. Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum oſtendens gradus quoſdam meritorum in Eccleſia eſſe, quibus reſpondeant ſua prœmia, quæ tamen inferiora ſint Iſraelitarum,hoc eſt perfectorum coronis. *Gabaonitæ*, inquit, *occurrunt filiis Iſrael, & cæſis aliis gentibus in lignarios,& aquarios,reſeruantur. Tantiq; apud Deum meriti ſunt, vt ſtirps Saul ob eorum iniurias ſit deleta. Inter quos eos collocabis? Inter hircos? ſed non ſunt interfecti, & ſententia Domini vindicantur. Inter oues? Sed dicit ſcriptura diuina, quod non ſint eiuſdem meriti, quo Iſraelitæ. Uides ergò, quod ſtent quidem à dextris, ſed multo inferiori gradu, &c.* Nos ad perfectionem cõnitamur in qua eſt quies & ſtabilitas. Eſt enim (vt Ambr. ait lib. 2. de Iacob & vita beata) non turbari metu,ſed quaſi in littore tutiſſimo aduerſus omnes ſecularium procellarum fluctus mentem placidare. Hanc pacem eſſe, quæ exuperat omnem ſenſum Apoſt. Philip. 2. optat, &c. Idem lib. 1. de officiis ad perfectionem pertinere ait, cogitare de terra promiſſionis,quæ ſi prima apud patrem manſio: quæ ſecunda, quæ tertia. Cum perfectis Chriſtianis numerari, optandum eſt in cæleſtibus manſionibus, in quibus pro ratione meritorum quiſque requieſcit. Veluti lignarij & aquarij ſunt in Eccleſia & Gabaonitis ſimiles,qui ſtatum perfectionis non affectant. Habet ſuos virtus gradus non oportet in infimo conſiſtere animo deliberato. *Bonum acquirit gradum* (inquit Ber. in ſerm.) *qui bene miniſtrauerit: Meliorem qui bene vacauerit Deo. Optimum autem qui perfectus eſt in vtroque,&c.* Ad primum ergo gradum anhela ſi non vis cum lignariis, & aquariis computari. Perfectorum,in domo Dei, quæ eſt Eccleſia;non ignauorum,ſequere veſtigia.

Hieronymus.

Cum Iſraelitis cõputari mauult Origenes, quam cum Gabaonitis.

6. Perſtringit Origenes eos, qui in Eccleſia ita viuunt vt numerari velint, non cum Iſraelitis, hoc eſt perfectis Chriſtianis, ſed cum imperfectis,& Gabaonitarum ſimilibus. *Si qui*, inquit, *ſunt in noſtris, quorum fides hoc tantummodo habet, vt ad Eccleſiam veniant, & inclinent caput ſuum, ſacerdotibus officia exhibeant ſeruos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris,vel Eccleſiæ aliquid conferant,non tamen adhibent ſtudium, vt etiam mores ſuos excolant, actus emendent,vitia deponant,caſtitatem colant,iracundiam reprimant,rapacitatem refrenent, ſcurrilitatem, & obtrectationem venena ex ore ſuo non adimant, ſciant ſibi,*

qui tales ſunt, qui emendare ſe nolunt ſed in his vſque ad ſenectutem vltimam perſeuerant partem, ſortém que ab IESV. Domino cum Gabaonitis eſſe tribuendam. ſed deprecamur vos fratres, vt dum poteſtatem adhuc habemus emendandi, demus operam, & feſtinemus abijcientes antiquas ſordes, & pannos veteres vitiorum, ſociari Iſraelitica libertati. Vis autem videre Iſraelitarũ quanta libertas ſit? In lege præcipitur, ne liceat Hebræũ puerum, ſi fortè in ſeruitutem deuenerit, ampliùs quam ſex annis ſeruire, ſeptimo verò anno dimitti eum lex liberum iubet. Tanta apud eos libertatis eſt cura. Etiam ſi Hebræus puer es tu, qui in ſeruitium decidiſti. Puer enim eſt, qui facilitate animi in ſeruitium decidit. Quale ſeruitium ſcriptura dicit. Qui autem peccat ſeruus eſt peccati. In hoc ſeruitium non virilis & perfectus animus decidit, ſed puerilis & facilis. Igitur ſi Hebræus puer es, id eſt baptiſma in Eccleſia conſecutus, & poſt hæc in peccati ſeruitium decidiſti; ſufficiat tibi ſex annis ſeruire, in ſeptimo anno obſerua, ne ſeruias, ſed feſtina ad libertatem tuam. Donec ergò, quæ huius mundi ſunt ſapis, neceſſe eſt te ſeruire peccato. Cùm verò ad ſeptennarium numerum, id eſt ad legis ſcientiam veneris, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam. Ne ſi permanſeris in malis tuis, defixa in aure nota veluti qui commonentis te Dei, & ad libertatem priſtinam reuocantis, verba non audias, eris peccati ſeruus in æternum. Hæc Origenes. Gloſſa ex Auguſtino hic citata, putat ſub maledictione Gabaonitarum intelligi eos, qui à virtutis, quam profeſſi ſunt culmine, ſponte deciderunt, & ad viliſſima mundi officia ſe abiecerunt. Vnde Auguſt. ait. *Sicut non vidi meliores illis qui in monaſterijs profecerunt, ita non vidi deteriores illis qui in monaſterijs defecerunt*, &c. Næ in religionis Apoſtatis, quamuis ſpeciem virtutis videas, aliquid ſemper elucet, quod Gabaonitarum fraudes, & ſaccos veteres repræſentet. In quiboſdam etiam Chriſtianis aliquid perſpicies, quod in externo cultu commendationem habeat, cùm in interno, longè abſint à motum ſynceritate. Vnde Iſid. per Gabaonitas ait ſignificari eos qui credunt, & erga ſeruos Dei deuoti vel Eccleſiæ cultum videntur habere, nihil tamen emendationis, vel deuotionis, vel innouationis habent in moribus: tales tantummodò quoddam ſignum ſalutis intra Eccleſiam temporaliter præferunt: inter ſpirituales autem, id eſt, inter ſanctos Dei, regnum æternum vel libertatem, non conſequuntur. Vide Gloſſam.

7. Quod autem dicitur ſuſcipiſſe Iſraelitas de cibis Gabaonitarum, id factum eſt, vt aduertit Lyra in ſignum confœderationis. Olim námque, qui fœdera inibant, ſolebant poſt leges initæ ſocietatis, ſimul comedere, cuius rei exemplum extat in celebritate fœderis, inter Iacob & Laban contracti, Gen. 31. & in quotidianis ferè maioris momenti pactionibus. Heu quot hodie ſunt nobiſcum fœderati Gabaonitæ qui eundem nobiſcum cæleſtem cibum in Dominica menſa ſumũt? Hi vitam præſentem tueri tantum curant, & veteribus induti prauæ conſuetudinis veſtibus ad iuſtorum cœtum, fide integra, & moribus nunquam aggregantur, ſeruiunt tamen bonis & iuſtis, quatenus omnes reprobi deſeruiunt electis, & eorum cauſam à Deo ſuſtinẽtur: ſicut Gabaonitæ manſerunt cum populo Dei, non vt locum obtinerent, alicuius honoris & dignitatis ſplendore conſpicuum ſicut Rahab, quæ ingens bona opera fidei, ad Iudaicos ritus tranſlata eſt, ſed vt Iſraelitis ad lignationem, & aquationem ſeruirent, vtpote, qui de ſalute animæ minus ſolliciti eſſent, quàm oporteret. Sunt in hoc mundo quidam, vt affirmat Auguſt. ſerm. 78. de tempore, qui prædeſtinatis, vim probitate ſua proſunt, & cœlo dignos efficiunt. *Quomodo*, inquit, *mali ſeruiunt bonis? Quomodo perſecutores martyribus, quomodo lima, vel malleus auro, quomodo mola ſeruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, illa conſumantur: quomodo in fornace aurificis palea ſeruit auro, vbi ſine dubio palea conſumitur aurum probatur*. Hæc Aug. Tolerandi igitur ſunt Gabaonitarum imitatores, qui de vita præſenti tantùm ſoliciti ſunt, cognoſcenda tamen eorum eſt perfidia, & improbitas, ne nobis incautis imponant; & in iis rebus deſtineantur, quæ animum & conditionem ſeruilem indicent. Vt tandem ſi paleæ fuerint ardeant, & ſi aurum illis placeat, in aurum igne probatum transformentur. Non eſt hoc loco prætermittendus Theodor. commentarius. Is enim quæſt. 12. in Ioſue ita ſcribit occaſione ſeruitutis impoſitæ Gabaonitis. *Feſellerant, inquit, tam habitu, quàm verborum mendacio, & cum oporteret conſulere Dominũ Deum, poſteà cum illis inire fœdera, credentes eorum verbis mendacibus perſuaſi ſunt, & fœdera iureiurando firmarunt. Atqui præceperat Deus omnes iſtos interfici. Medius igitur Ioſue relictus inter præceptum diuinum & iusiurandum, declarat, eos miniſtros ſancti ſacrificij. Non quod contumelioſum ſit ſeruire Deo, ſed valdè honorificum. Oportebat autem id, quod prædixerat. Noe finem accipere, inquit, enim Gen. 9. Maledictus puer Chanaan ſeruus erit fratrum ſuorum: quæ Prophetia impleta eſt in Gabaonitis.*

Hæc Theodor.

* * *

Ioan. 8. Curandum eſt vt qui in ſeruitutem peccati venit ſaltem ſeptimo anno libertatem aſſequatur.

Septimus annus libertatis, eſt ſcientia legis, quæ nos admonet, vt fugiamus peccatum.

Origen.
Gloſſ.
Auguſtinus.

Qui deficiunt à religioſo inſtituto ferè ſunt peſſimi.

Apoſtatæ, Gabaonitis fraudulentis ſimiles.

Iſidorus.

Lyranus.

In ſignum mutui fœderis comederunt Iſraelitæ de cibis Gabaonitarum.

Gen. 31.

Improbi prouectibus ſeruiunt.

Gabaonitæ ſeruiſſe qui minus ſolliciti ſunt de ſalute ſua.

Auguſt.

Quomodo improbi ſeruiunt bonis?

Cauendæ fraudes improborum.

Theod.

Honorificum eſt quicumque ad diuinum cultum. Gen. 9.

IN CAPVT DECIMVM IOSVE.

PERIOCHA.

AMICITIAE fœdere cum Gabaonitis percuſſo anno mundi (iuxta Adricomium in theatro terræ Sanctæ) 2493. Vel vt alij ſupputant 2888. Adoniſedech Rex Hieruſalem? Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, & Rex Eglon oppugnant Gabaon, quod iunxiſſet ſe Iſraeli. Gabaonitæ vocant in auxilium Ioſue. Ille in hoſtes irruens multos occidit, omnes in fugam conuertit & perſequitur lapidoſa grandinè cælo in fugientium perniciem decidente: qua multò plures mortui ſunt, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael. Atque vt locus elabendi ab Hebræorum gladiis, hoſtibus in fugam coniectis præcluderetur, & integer victoribus ſuis conſtaret triumphus, precibus Ioſue, Sol & Luna veluti frenato curſu ſteterunt. Idque vnius diei integri ſpatio obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Iſrael. Re bene geſta victor Ioſue, reuerſus de Galgalis, quo ſe cum ſpoliis receperat, in Maceda, armato milite ſtipatus, quinque Reges in ſpelunca ex fuga latitantes, foras educit; ac pedibus conculcatos, ſuſpendio damnat.

Mox expugnat vrbem Maceda, multaſq. alias ciuitates; vniuerſamque terram meredionam Chanaan, vſque Cades-barne, & Gazam occupat, Regibus earum, & habitatoribus interfectis. Tandem cum ſuis ad caſtra redit, quæ erant in Galgalis.

LIBRI IOSVE

CAPITIS DECIMI.

SECTIO PRIMA.

Verſ. 1.] Quæ cùm audiſſet Adoniſedech Rex Hieruſalem, quod ſcilicet cepiſſet Ioſue Hai, & ſubuer-
2. tiſſet eam (ſicut enim fecerat Hiericho, & Regi eius, ſic fecit Hai & Regi illius) & quòd transfugiſſent B
3. Gabaonitæ ad Iſrael, & eſſent fœderati eorum, timuit valde vrbs enim magna erat Gabaon, & vna
4. ciuitatum regalium, & maior oppido Hai, omnéſque bellatores
5. eius fortiſſimi. Miſit ergò Adoniſedech Rex Hieruſalem ad Ohan Regem Hebron, & ad Pharam Regem Ierimoth, ad Iphia quoque Regem Lachis, & ad Dabir C
6. Regem Eglon, dicens: Ad me aſcendite, & ferte præſidium, vt ex-
7. pugnemus Gabaon, quare tranſfugerit ad Ioſue & ad filios Iſrael.
8. Cógregati igitur aſcédunt quinque Reges Amorrhæorum, &c.

A

Simul cum exercitibus ſuis, & Caſtrametati ſunt circa Gabaon,
9. oppugnantes eam. Habitatores autem Gabaon vrbis obſeſſæ, miſerunt ad Ioſue, &c. Aſcendítque Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum, cum eo, viri for-
10. tiſſimi. Dixítque Dominus ad Ioſue, ne timeas eos, in manus enim
11. tuas tradidi illos, &c. Irruit itaque Ioſue ſuper eos repente tota nocte aſcendens de Galgalis: & conturbauit eos Dominus à facie Iſ-
12. rael. Contriuítque plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethoron, & percuſſit vſque Azeca, & Mace-
13. da. Cúmque fugerent filij Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethorón, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, vſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm, quos gladio percuſſerant filij Iſrael.
14. Tunc locutus eſt Ioſue Domino, &c. Sol contra Gabaon ne mo-

ucaris, & Luna cõtra vallem Aialon; ſteterúntque ſol, & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimi-
15. cis ſuis. Nónne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum? ſtetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius Dei. Non fuit anteà, nec poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael. Reuerſúſque eſt Ioſue cum omni Iſrael in caſtra Galgalæ, &c.

Aliæ verſiones.

Hebraicè Pro, *Omnéſque bellatores eius fortiſsimi, &c.* Et omnes viri eius fortes. Pro, *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cœlo.* Dominus proiecit ſuper eos lapides magnos è cœlo. Pro, *Sol contra Gabaon, &c.* Sol in Gabaon expecta, & Luna in valle Aialon, & expectauit Sol, & Luna ſtetit, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Annon eſt ſcriptum in libro Iaſar? & ſtetit ſol in medio cœli, & non feſtinauit occũbere die perfecta. Et non fuit ſicut dies illa ante eam, & poſt eam, vt obediret Dominus voci viri? Dominus enim pugnauit pro Iſrael, &c.

Aliter. Pro, *vrbs enim magna erat Gabaon, &c.* Gabaon vrbs fuit magna, ſicut vna è regalibus vrbibus, maior Hai, & ciues eius omnes viri fortiſſimi? Pro, *Irruítque Ioſue, &c.* venit autem Ioſue ſubitò ad illos. Nam aſcenderat tota nocte ex Galgalis. Pro, *ſol contra Gabaon, &c.* & ait præſentibus Iſraelitis, ſol ſiſte gradum in Gabaon, & Luna in valle Aialon. Conſtitit itaque Sol, & Luna ſtetit donec, &c. Annon hoc ſcriptum eſt in libro iuſti? Conſtitit itaque ſol in medio cœli, nec feſtinauit ad occaſum ferè integro die.

In ſcholio Vatabl. Pro, *Tunc locutus eſt Ioſue ad Dominum,* citat Cald. qui ita vertit. Tunc laudauit Dominum vel gratias egit Domino, ibidem affirmat, illa verba, Sol contra Gabaon, &c. Hunc habere ſenſum. Permitte ô Deus, ne Sol, & Luna deſerãt nos luce ſua, donec deuicerimus hoſtes noſtros. Hoc autem dixit in meridie: Gabaon erat in tribu Dan, Aialon in tribu Beniamin. Sunt qui aduentãte nocte, hoc dictum putent, ſed de hoc infrà.

Sept. Interp. Pro, *& vna ciuitatum regalium,* legunt, ὡσεὶ καὶ μία τῶν μητροπόλεων τῶν βασιλέων, id eſt, *quaſi & vna metrapolitanorum Regum.* Pro, *& Dominus proiecit in eos lapides magnos.* καὶ κύριος ἐπέρριψεν αὐτοῖς λίθους χαλάζης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. id eſt, *& Dominus proiecit in eos lapides grandinis de Cœlo.* Pro, *Sol contra Gabaon ne mouearis.* ὁ ἥλιος κατὰ γαβαὼν στήτω. *Sol contra Gabaon ſtet, &c.*

Pro, *& non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei,* legunt, & non procedebat ad occidentem in finem diei vnius.

Explicatur contextus.

1. *Quæ cùm audiſſet Adoniſedech Rex Hieruſalem, &c.*] Conſpiraſſe Chananæorum Reges, vno animo contra Iſraelitas, ſupra narratum eſt. Nunc oſtenditur huius conſilij & incœpti caput fuiſſe Regem Hieruſalem nomine Adoniſedech, cuius nominis hæc eſt Etymologia, *ſedec, iuſtitiam.* ſignificat cui adiunctum nomen *Adon*, & per compoſitionem *Adoni, iuſtitiæ Dominum* ſignificat. Adde *Melech*, ſiue *Melchi*, *Regem iuſtitiæ* Dominum ſonabit. Hinc magnus ille ſacerdos, *Melchiſedech iuſtitiæ Rex*, vocatur, quippe qui Sacerdos, & Rex fuit. Cognomen autem iuſtitiæ huic vni Regi præter cæteros attributum, indicat ſupremam aliquam poteſtatem in dirimendis Regum Chanaan controuerſiis huic vni datam. Placuiſſe námque videtur omnibus, vt Hieroſolymitanus Rex, ex Iebuſæo tertio Chanaan filiò oriundus, nobiliſſimæ vrbis Dominus, & Sacerdotis, & Sceptri dignitate præcelleret; quò tandem religionis & fori cauſas, quæ alioqui interminatæ eſſent finiret. Vtinam idem nunc eueniret. Profectò, ſi ad ſummum Pontificem, qui & Rex eſt & Sacerdos, quicquid inter Chriſtianos principes controuerſiæ oritur, deferretur, illiúſque obſeruatent Reſpublicæ omnes ſententiam, melius re-

Adoniſedech, id eſt, iuſtitiæ Dominus. Melchiſedech id eſt iuſtitiæ Rex.

Optimè [illegible] Regi [illegible] omnes [illegible] in [illegible] ad ſummum [illegible]

bus

Caietanus. bus communibus, & priuatis conſuleretur. Porrò, vt Caiet. rectè aduertit. Quemadmodum Rex Salem honorabatur titulo Melchiſedec (hoceſt Rex meus iuſtitiæ) ita Rex Hieruſalem, nominabatur Adoniſedec, hoc eſt Dominus meus iuſtitiæ. Hinc coniicimus vrbem Salem eſſe Hieruſalem idem námque Regis titulus, atque vnus hoc innuit. Aliqui libri habent hic Adonibezec, ſed perperam. *Adonibezec*, idem eſt atque, *Dominus meus tonitrui*, vel, *Domini mei tonitruum.* Componitur enim apud Hebr. ex *Adoni*, id eſt, *Dominus meus*, & *Buzac*, id eſt, *tonitruum.* Fortè hoc illi nomen impoſitum fuit, quia ſuperbus erat, & voce tonitrui in morem ſonante, loquebatur. Hunc hodie inter Agricolas habitantes, quidam dynaſtæ, imitantur, rauco ſono, & cum faſtidio loquentes.

Adonibezec, id est Domini mei tonitruum.

2. *Ferit præſidium vt expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſrael.*] Inuitat Rex Hieruſalem ad bellum ſociale quatuor Reges, & primùm quidem Oham Regem Hebron. In Hebron habitabant gigantes, de genere Enach, vt patet Num. 13. & 15. Hic Abraham commoratus eſt in valle, vt patet, Gen. 23. Sarámque vxorem ſuam mortuam luxit in hac vrbe ſepultus eſt Adam, vt dicitur infrà, cap. 14. ceſſitque locus iſte in poſſeſſionem Iudæ, datúſque eſt Sacerdotibus, ad habitandum. Hic etiam tempore Dauid, orationis, & ſacrificiorum locus erat, vt conſtat 2. Reg. 15. ex conuentu Iſrael illic habito, quo tempore Abſalō impetrata à patre facultate, eo oblaturus Deo munera ſeceſſit. Hic Dauid ſeptem annis ſuper Iudam, & Benjamin regnauit antequam triginta tribus annis totum Iſrael ſuæ ſubiiceret ditioni, 3. Reg. 2. Deinde inuitauit & Pharan Regem Ierimoth. Tertiò, Iaphia Regem Lachis. Quartò, Dabir Regem Eglon. Omnes hæ ciuitates in tribu Iudæ ſunt. Reges autem earum, vix vltra nominatam vrbem ſinguli ditionem ſuam proferunt; Reguli magis appellandi quàm Reges. Námque id temporis, qui vnam obtinebat vrbem Rex vocabatur, vt mirum non ſit (quod Abulenſ. hic quæſt. 1. annotauit) in terra promiſſionis qua longiſſime patet, plures, quinquaginta Reges numerari. Annon occidit Ioſue vno die 31. Reges vt infrà videbimus cap. 12. Quid, quod Adonibezec, Iudic. 1. ſub menſa ſua habebat 70. Reges, manuum ác pedum ſummitatibus abſciſſis, qui veſcebantur micis de menſa tyranni cadentibus? ſumma mādati Regis Hieruſalem, Hebraicè ita habet: *Aſcendite ad me, & auxiliamini mihi, & feriemus Gabaon*, ſententiam latam communi Regum Chanaan decreto, quam oporteat ſtatim exercere, indicat verbum, *feriemus.*

Gen. 23.

In Hebron sepultus dicitur Adam.

Ioſ. 14.

2. Reg. 15.

3. Reg. 2.

Qui contra Gabaon pugnarūt, reguli erant magis quam reges.

Abulenſ.

In terra promiſſionis quinquaginta erant reges.

Iudic. 1.

3. *Congregati ſunt, & aſcenderunt quinque Reges Amorrhæorum.*] Quamuis Hieruſalem ad Iebuſæos pertineret; quinque tamen Reges hîc nominári Amorrhæorum dicuntur; vel quòd cæteris Adoniſedech ſingulari dignitate ante ſtaret; vel, quòd minores partes maioris appellatione complecti ſoleat ſacrum eloquium. Vide hac de re Ariam Montanum in ſacro apparatu: vbi notat aliquando, omnes totius regionis habitatores vno nomine Chananæos; aliquando duobus Chananæos, & Phereſæos, nonnunquam pluribus, rarò omnibus ſimul nominibus, hoc eſt duodecim ſignificari. Ego Abulenſ. qu. 3. rectè ſentire puto, qui hos Reges Amorrhæos vocari putat cum quadam extenſione, ſecundùm quam Amorrhæi

Montanus.

Abulenſ.

A ſunt omnes Chananæi, vt Amos 3. *Et ego expuli à facie eorum Amorrhæum, cuius altitudo, vt altitudo cedrorum* & Gen. 48. cum dicitur: *Do tibi partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Qui locus intelligitur de vrbe Sichen, quam conſtat Geneſ. 33. non pertinere ad Amorrhæos, ſed ad Heuæos. Nam Emor princeps Sichen vocatur Heuæus. Fortè nullus Regum, qui hîc nominantur ex ſpeciali Amorrhæorum prouincia erat, ſed omnes ex Iebuſæorum gente, vt ſuſpicatur Abulenſ. qu. 5. Quare ſicut Chananæi interdum peculiares ſunt populi, aliquando collectionem omnium gentium terræ promiſſæ amplectuntur: ita Amorrhæi. Fuit autem Amorrhæus vnus de filiis Chanaan quarto genitus.

Amos 3.

Geneſ. 48.

Geneſ. 33.

Amorrhæus fuit vnus ex filiis Chanaan.

B 4. *Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorum tuorum: aſcende cito, &c.*] Efficaci oratione nituntur Gabaonitæ permouere Ioſue ad auxilium obſeſſæ vrbi, ocyſſimè afferendum. Hebraicè eſt: *Ne remittas manum tuam à ſeruis tuis.* Quibus verbis metaphora ineſt ſumpta ab eo, qui aliquid apprehendit, quod alius illi eripere ſtudet, facilèque de manu oſcitantis detrahit. Fatentur ſe ſeruos Gabaonitæ, qui aliis parere Dominis moleſte ferant, quàm Hebræis. *Aſcende* inquiunt, *ad nos* hoc eſt, vna tibi, ô Ioſue cura ſit ad nos aſcendendi. Etenim vbi aſcenderis, rem à te nobis non oſcitantibus, & otioſis conſpectum iri confidimus. Hunc ſenſum exprimunt Hebræa Chald. & Græca exemplaria.

C

Ex euentu vt ſentitur commouere Gabaonitæ efficaci oratione, implorant auxilium.

5. *Conuenerunt enim aduerſum nos omnes Reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.*] Pro conueniendi verbo, in Hebr. eſt deductum præteritum à *Kabath*, quod *concordiam & bellicam inſtructionem* ſignificat, Rei magnitudinem & præſidij accelerandi neceſſitatem indicat particula illa, *omnes Reges*: Hoſtium enim quorumcunque timendus eſt impetus. Quid Regum? quid omnium? Deſperant Gabaonitæ poſſe ſe Regum, qui montes incolunt aſperos, & ſyluoſos, atque ob eam cauſam robuſtos, niſi adiuuentur ab obſeſſa vrbe propulſare. Huc ſpectat illud: *Qui habitant in montanis*: hoc eſt exercitatiſſimi ſunt hi Reges in
D ſuperanda montium accliuitate, quæ nos protegere videtur, ſiquidem montana incolunt oppida. Veniunt enim ad nos, vt ille ait:

Regum quinque robur.

Ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri, Homolen, Othrymq́; niualem
Linquentes curſu rapido; dat euntibus ingens
Sylua locum: & magno cedunt virgulta fragore.

Aeneid 7.

6. *Dixitq́; Dominus ad Ioſue, ne timeas eos.*] Indicat narratio hæc diuinū reſponſum à Ioſue quæſitum; ex eóque acceptum diuinæ voluntatis eſſe, vt fœderatis cùm Iſraele Gabaonitis, inox auxilium præſtaretur. Ne timeas eos (inquit Deus) licet hoſtes robuſti ſint, & bellica ſcientia inſtru-
E ctiſſimi; macto animo eſto, haud dubiè victor eris, Nullus enim ex eis tibi reſiſtere poterit: Hebraicè: *Non ſtabit vir ex illis in facie tua.* Hoc reſponſo Ioſue intelligit diuina prouidentia factū eſſe, vt illi Reges in vnum locum conuenirent, quò Iſraelitis victoria illuſtrior accederet, & formido hoſtes magis percelleret. Porrò quantum animi ex diuino oraculo fuerit Hebræis additum, indicant illa verba: *Irruitq́; Ioſue ſuper eos repente tota nocte, &c.* Quippe quantum antea ab irato exercitu, & concitato, tribus diebus fuerat viæ factum; nunc vnius noctis, cum præcedentis diei parte, qua iter arripuerunt, ita confectum eſt, vt ſub auroram, nihil tale opinantes Amorrhæos

Celeritas Ioſue in opprimendis quinq; regibus.

ſubi-

ſubitò opprimerent. Aſcribit autem victoriam A Deo ſacra hiſtoria dicens: *& conturbauit eos Dominus à facie Iſrael; contriuitq́; plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethoron, & percuſſit vſque Azeca, & Maceda.*

7. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, &c. Et mortui ſunt plures, &c.*] Magnis nota hæc expeditio, & illuſtribus conſtitit miraculis, quæ diuinam in religionis hoſtibus vlciſcendis, iuſtiſq; protegendis prouidentiam commendant. Quan-

Diuina prouidentia in præſtanda ope Iſraelitis, &c.

uis autem homines parum pij & religioſi, quæ in terris fiunt non ita admirari ſoleant, vt propter aliquem effectum rarò contingentem, Deum illius autorem agnoſcant; tamen cùm in ſublimi fieri aliquid præter naturæ ordinem vident, oon B poſſunt oon horrere, atque ouminis præſtaotiam confiteri, vt colligitur ex illo loco, Exod. 14.

Exod. 14.

Iámque aduenerat vigilia matutina, & reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum; ferebantúrque in profundum; dixerunt ergo Ægyptij fugiamus Iſrael, Dominus enim pugnat pro eis contra nos, &c. Huc etiam ſpectant illa a Regio vate decantata carmina, Pſalm. 28.

Pſal. 28.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini percutientis cedros, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam, Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æ- C ternum, &c. Hoc ductus argumento Lyricus poeta diuinam coactus eſt prouidentiam confiteri.

Horat. carm. lib. 1.

Parcus Deorum cultor & infrequens, &c.
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. Námque dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucrémque currum:
Quo bruta tellus, & vaga flumina
Quo ſtyx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes Atlantæúſque finis
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare, &c. D

8. Tonitruis ergo fulguribus, & grandinis lapidibus, prouidentiam ſuam Deus illo die aſſeruiſſe ſacra docet hiſtoria. Io cœlo namque ſioe in aëre duriſſimæ grandinis, hoc eſt cæleſtium ſaxorum ac miſſilium copia in Amorrhæorum fugientium perniciem emiſſa fuit, tanta magnitudine, vt armatos occiderit milites.

Lapidoſa grando occidit Amorrhæos.

Vatablus in ſcholio, lapides de cœlo miſſos interpretatur, grandinem quæ erat inſtar lapidum.

Vatabl.

Fortè ad hunc locum reſpexit Iſidorus quem citat Curſus Conimbric. tract. 7. in libros Meteor. Ariſt. cap. 6. dum refert cecidiſſe, aliquando grandines, non minores humano capite.

Iſidorus.

Curſ. Conim.

Fit aotem grando, vt docet Ariſt. lib. 1. cap. 12. Meteor. ex pluuia in E aere conglaciata.

Ariſtot.

Generatur námque cùm aqua pluuia, antequam terram pertingat, in gelu cogitur. Quod duobus temporibus accidit, magno æſtu, vel magno frigore. Hic tamen cum miraculo grando facta ſit, non eſt cur magnopere inquiramus, quo anni tempore deciderit.

9. Porrò portentoſa hæc grando toto tempore perdurauit, qoo Amorrhæi à deſcenſu Bethoroo ad Azecha vſque fugientes peruenerunt; neque verò in vllam terræ partem præter eam, qua illi fugerent, incubuit, oeque alios percuſſit. Indicat enim ſcriptura, neminem Iſraelitarum illis oppreſſum fuiſſe, aut tactum lapidibus; neminem

Lapides de cœlo miſſi ſolos Hebræorum hoſtes occidunt.

A etiam ex alia gente: *Dominus*, inquit, *miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo*, hoc eſt, ſuper hoſtes fugientes, non ſuper alium quemquam. Itaque ictus ſaxorum, hoſtiom errores, & fugam ioterciprebant: Particula, *de cœlo*, prouidentiam denotat, qua ab irato Deo illa grando repente in cœlo concreta fuit, & in peccatores immiſſa. Similis locus eſt in Geneſ. *Sulphur & ignem à Domino de cœlo.*

Gen. 19.

10. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitq́; coram eis. Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon.*] Accepit ex oraculo Ioſue traditum iri in manus eius illos quinq; Amorrhæorum Reges. Id firmum fore adeo oon dubitauit, B vt potiùs mutari poſſe naturam crederet, quàm Dei ſeotentiam. Hoc indicat illud: *Tunc in die illa, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael*, id eſt, poſt acceptum diuinum reſponſum turbatos vidit Amorrhæos à facie Iſraelitarum; & grandine de cœlo tactos, atque occiſos: *Locutus eſt Ioſue Domino*, id eſt, laudauit Dominum, vel gratias egit Domino, vt vertit Chald. Paraphr.

Chald. Paraph.

Quæ paraphraſis non diſcrepat à vulgari tranſlatione, ſi intelligas locutionem hic cum Deo, partim eſſe gratiarum actionem pro felici euentu victoriæ prænuntiatæ; partim orationem, qua iuuari poſtulat Solis & lunæ retardatione, donec hoſtes omnino profligeotur. Aduertit hic Caie- C tanus duo: primùm eleuaſſe Ioſoe mentem in Deum, precibus pro integra victoria impetranda, profuſis. Deinde inſpiraſſe illi Deum, vt indiceret Soli & lunæ moram, his verbis iuxta Hebr. *Sol in Gabaon expecta, & Luna in valle Aialon.* Deinde addit. Dicendo, expecta inſinuat, quod occidebat Sol. Niſi enim occaſom ſolis imminentem vidiſſet, non dixiſſet ſoli, expecta.

Caietanus. Orauit Ioſue laudauit Deum cum ſtare ſecit Solem.

Idem affirmat Vatabl. in ſcholio: Hoc, inqoit, dixit adoentante nocte.

Vatabl.

Quod ſi obiicias infra dici: *Stetit itaq; Sol in medio cœli:* reſpondet, nomine medij cœli, noſtrum intelligi hemiſpheriom. Hemiſpherium enim dimidiom cœli ſignificat. Nos infrà quid probabilius ſit explicabimus.

D 11. *Steterúntque Sol & luna donec vlciſceretur gens de inimicis ſuis.*] Hoc fuit maximom miraculorum, quæ vſque ad tempus illud oſtenſum eſt vox, *donec*, non tam ſpatium, & terminum, quàm cauſam ſignificat, vt illud Pſal. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Cauſa, inquit, cur Sol & Luna ſteterint, fuit, *vt vlciſceretur ſe gens de hoſtibus ſuis*: & verò diurna opus erat luce, quoad id conficeretur.

Pſal. 109. Vltio de inimicis Solis ſtatio.

Hæc igitur a planetis fuit ſuppeditata; tanta vis eſt ſupernæ promiſſionis, & efficacitas. Poterat voo momento, interimi hoſtium exercitus, ſicut in Sennacherib, copiis, & Pharaonis equitatu factum eſt; ſed iuxta diuina promiſſa oportebat Hebræos vlciſci de E hoſtibus ſuis; ita vt terror vicinis iniiceretur vltionis huius exemplo.

12. *Nónne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum?*] In Hebræo eſt iuxta librum Iaſar, hoc eſt rectum. Huius miraculi memoriam, non ſolùm hac hiſtoria, ſed aliis etiam literarum monumentis cõſecratum fuiſſe ſpiritus Sanctus docet. Theodor. qu. 13. huic loco eiuſmodi adhibet commentarium.

Theodor.

Volens autor docere nos huius prophetæ virtutem, nempe quod ſolo verbo progreſſum luminarium magnorum cohibuiſſet, donec vicisſet pro dignitate imperij: ſuſpicatus, ne quis verbis non adhiberet fidem, dixit hoc inueniri in antiquo commentario. Quare conſtat ex hoc loco poſterarum quempiã alium librum iam

conſ[...]

conſcripſiſſe, ex alio libro capta occaſione. Hæc ille: addit præfigurari hic prodigioſum facinus ſaluatoris. Sicut enim pugnáte propheta Sol ſterit, ita dum Saluator noſter morte ſua, mortem diſſolueret, Sol meridie continuit radios ſuos, & tenebris repleuit terram.

Qualis fuerit liber Iuſtorum? Sixtus Senenſis.

13. Vides non ſatis declarari à Theodoreto, quiſnam fuerit, aut qualis iuſtorum liber. Sixtus Senenſ. lib. 2. Bibl. Sanctæ, quid ſentiat, ita exponit, *Iuſtorum*, inquit, *liber, quem ſacra littera appellant (ſepher cataſciar) & 70. vbique verterunt βιβλίον τοῦ εὐθοῦς, hoc eſt librum iuſti, magna fuit apud diuinos ſcriptores authoritatis. Ex quo in libro Ioſue producitur teſtimonium de miraculo Solis ſtantis in medio cæli, & lib. Reg. 2. cap. 1. habetur. Præcepit Dauid, vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in lib. iuſtorum. Quidam exiſtimant hunc eſſe librum ſempiternæ prædeſtinationis, in quo ſcripti ſunt omnes iuſti, quos Deus in æterna præſcientia prænouit eſſe ſaluandos, teſtante id,* Pſal. 68. *In quo legitur, Deleantur de libro iuſtorum, & cum iuſtis non ſcribantur.* Hæc ille.

Authoritas libri Iuſtorum.
2. Reg. 1.
Pſal. 68.
Hieronymus.

14. D. Hieronym. in quæſtionibus, ſuper libris Regum tradit hunc eſſe librum Samuelis, id eſt, primum & ſecundum Regum quod in eo ſcribantur geſta iuſtorum, Samuelis videlicet, Dauid, Nathan, Gad, & aliorum iuſtorum. Quidam verò Hebræi, quibus non videtur veriſimile, vt idem liber in teſtimonium propriæ ſententiæ ſe ipſum producat, exiſtimant hunc eſſe duodecim prophetarum librum, quia verba hoc cap. 10. Ioſua citata, ſcripta ſunt in Orat. Abacuch in hunc modum. *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Hæc tamen ſententia apertè falſa eſt, quia duodecim propheram liber ſcriptus ſit poſt tempora Ioſue fere annis mille.

Hebræorum opinio.

Proinde R. Salomon docet hunc eſſe totius legis librum, in quo narrantur facta iuſtorũ, Abraham, Iſaac, Iacob, & Moſis: præſertim verò admonitio illa, Gen. 49. habita ad filios Iſrael, vt ſe in arta bellica, quæ tunc in arcu & ſagitta continebatur, ſe exercerent, memores illius præcepti. *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, &c.* Sunt qui putent hunc eſſe librum Exodi, quia cap. 17. dixerit Deus Moſi, *Scribe hoc in monumentum, & trade auribus Ioſue, quoniam delebo memoriam Amalech de ſub cælo.*

Exod. 17.

Futilis eſt Iudæorum opinio in aſſignandis authoribus librorum ſacrorum.

15. Nihilominùs, quod Theodoretus ſuprà citatus arbitratur, hunc eſſe vetuſtiſſimum commentarium, ex quo hiſtoria libri Ioſue ab incerto authore per compendium collecta fuerit, occaſionem mihi præbet ſuſpicãdi futilem, & commentitiam eſſe veterum Iudæorum ſententiam in aſſignandis ſacrorum librorum authoribus in ſuo Thalmude, verúmque eſſe quod ait Andreas Maſius. Eſdram ſiue ſolùm, ſiue cum æqualibus inſigni pietate, & doctrina viris, cœleſti ſpiritu afflatum, non ſolùm Moſaicos libros, ſed etiam hunc Ioſue, Iudicum, Regum, & alios ſacros libros ex diuerſis annalibus compilaſſe in ſynagoga conſeruatis, in eumque, quem videmus ordinem redigiſſe. Quin ipſum etiam Pentateuchum longo poſt Moſen tempore, verborum & ſententiarum interiectis clauſulis omnino explicatius, redditum eſſe ea coniectura probat, quia Cariatharbe ſæpe illic Hebron euocatur, & tamen hoc illi nomen à Calebi filio nomine Hebron fuiſſe impoſitum multi tradunt. Ad hanc ſententiam accedit D. Hieronym contra Heluidium.

Thalmud.
Maſius.
Eſdras ſacros libros in ordinem redigit.
Pentatheucum concinnauit.

Diaria & annales Eccleſiaſtica olim.

16. Addit Maſius, priſcis temporibus in Eccleſia fuiſſe diaria, & annales, in quibus res geſtæ, vt quæque notatu digna erat, à viris eruditione, & pietate claris ſcribebantur. Cui opinioni ſatis fauent, cùm aliæ, quæ ſæpè laudantur, quamuis interciderint Regum hiſtoriæ, tum liber bellorum Domini, & liber Recti, ſiue iuſtorum, in quo certum eſt Ioſue. Samuelis, & Saulis facta fuiſſe cõſcripta. Quin ipſæ ſacræ literæ huiuſmodi diariorum ſcriptores, Num. 22. 20. *Moſchelim*, appellant, id eſt, *ſcitos, & elegantes ſcriptores*. משל. *Maſchal* enim genus eſt dicendi elegans, & vrbanum. Hi verò prout ad genus aliquod ſtyli propenſiores erant carmine, aut ſoluta oratione res geſtas complectebantur. Itaque ex huiuſmodi commẽtariis ſiue diariis putat ab Eſdra poſt multa ſecula collectam hiſtoriam ſacram fuiſſe. Quis enim, ait, exiſtimet Samuelem cùm Saulis ſe quærentis ipſa verba eſſet recitaturus, ſic præfatum fuiſſe. *Eum, qui hodie propheta dicitur, vocabant olim videntem*, ac non potiùs hæc eſſe verba ſcriptoris res valde à ſuo ſeculo remotas, commemorantis? &c. Igitur liber iuſtorum ſiue rectitudinis, vt eum vocat Chald. Paraph. non eſt liber legis, quæ recta præcipit, vt Paraphraſtes interpretatur, ſed commentarius, qui vſque ad Eſdræ tempora perdurans geſta Ioſue, & aliorum principum, continebat. Vnde Eſdras multa fortaſſe carpſit, quæ hiſtoriæ ſacræ, quam attexuit inſeruirent. Quod ſi quis Eſdram libri Ioſue ſcriptorem nolit admittere Samuelem aut alium prophetam, qui eum ex vetuſto codice compilauerit, admittere debet qui ex commentariis rerum geſtarum relictis à Ioſue multa ſumpſerit. Propterea huiuſmodi ephemerides, Iſidorus Clarius, & alij, ipſum Ioſue huius libri faciunt authorem.

Num. 22. Sciti, & elegantes ſcriptores.

Liber Iuſtorum non eſt liber legis.

17. *Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.*] Arias Montanus carmen hic reperiri ait, aliis numeris ab antecedente, & conſequente oratione contextum: vt, & illos duos verſus apud Moſem, Num. 21. vbi citatur liber bellorum Domini. Verſus illic, ſic habent. *Sicut fecit in mare rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon, ſcopuli torrentium inclinati ſunt, vt quieſcerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum, &c.* Exiſtimat itaque Arias ex alio à ſacris libris, locum hunc teſtimonij cauſa petitum. Multi námque libri quorum in ſacris hiſtoriis mentio fit, tot mutationes perpeſſis Iſraelitis conſeruari nõ potuerunt, niſi quoad eam partem, quám Eſdras in ordinẽ redegit. Cùm verò Sol dicitur in medio cœli ſtetiſſe, vult Caiet. vt noſtrum intelligamus hemiſpherium, medij cœli nomine, ſed, id ne rectè dixerit infra expendendum eſt. Quod autem additur, *& non feſtinauit occumbere*, indicat fuiſſe diem illum artificialem duplum, ſecundum tempus, quo id contigit miraculum. Vnde rectè Caiet. *Æquale*, inquit, *fuit tempus expectationis tempori motus ſolis vnius diei, tunc, tempore procul dubio æſtiuo, aut circa finem veris, quoniam modicum temporis interceſſit à tranſitu Iordanis vſque ad hanc victoriam, &c.*

Montanus.
Num. 21.
Liber bellorum Domini.
Caietanus, cum Sol in medio cœlo ſtetiſſe dicitur, vult vt noſtrum intelligamus hemiſpherium.

18. *Non fuit antea nec poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Iſrael.*] Solem ſtetiſſe interpretatur Varablus in medio cœli, hoc eſt in linea illa ſeptentrionali in medio ſcilicet Orientis, & Occidentis, id eſt in meridie. Quæ opinio à multis probatur, vt nimirum dies ille, qui longiſſimus omnium miraculo fuerit, magnitudinem beneficij, in Iſraelitas collati magis commendet. Docet autem hiſtoria diuini promiſſi efficacitatem, licet omnis curſus rerum

Varablus.
Sol ſtetiſſe in meridie, opinio eſt Vatabli.

mutandus ſit impediri non poſſe. Quippe natura eum, quem tenet curſum, nõ coacta ſed iuſſa perſequitur, & cùm aliter agere iubetur pari facilitate, obſequitur, Pſal. 118. *Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.* Quidam Hebræus, quem refert Vatabl. in ſcholio, ait prædictum fuiſſe hoc miraculum, Exod. 34. vbi ſic legitur. *Faciam mirabilia quædam, quæ creata non ſunt in vniuerſa terra.* Sunt inter Hebræos, quibus videtur fauere Ioſephus qui exiſtimant Solem & Lunam reuera non ſteriſſe, ſed viſos fuiſſe ſteriſſe ob breuitatẽ temporis, quo Iſraelitæ hoſtes ſuos debellarunt. Quod quidem erat negotium multorum dierum. Quaſi dixerit Ioſue Deo: Da Domine, vt in hoc tam breui interuallo vlciſcamur de hoſtibus noſtris, quanto tempore Sol hodie ſtabit ſuper Gabaon, & luna hac nocte ſuper Aialun. Doctiores tamen Hebræi cenſent hoc non debere referri ad breuitatem, ſed reuera Solem conſtitiſſe, iidémque per diem perfectum, diem longiſſimam intelligunt, quãta ſcilicet eſt in ſolſtitio æſtiuali, aut circiter, idque in medio cæli, id eſt in meridie.

Pſal. 118. — Exod. 34. — Ioſephus. Hebræorum opinio eſt referri ſtationem Solis ad breuitatem temporis in quo multa confecta ſunt.

19. *Obediente Domino voci hominis.*] Cùm Ioſue Deum primum orauerit, deinde Solem, & lunam non orauerit, ſed iuſſerit dicens. *Ne mouearis, &c.* Significat hæc locutio imperium huiuſmodi non fuiſſe à Sole aut luna auditum, ſed à Deo, cui omnia obtemperant: quique duo luminaria magna ad preces Ioſue, retinuerit. Ex quo fit merito vanitatis argui eorum ſententiam, qui numen aliquod ſyderibus attribuunt. In Hebræo eſt. *Audiente Iehouah in voce viri, quia Iehouah pugnauit pro Iſrael.* Quæ verba ita explicat Caiet. *Ratio obſequij diuini operis in Sole redditur, quia ſummus Deus erat, tanquam bellator pro Iſrael. Quaſi diceretur par fuit, vt Deus audiret facto vocem Ioſue, qui ipſe erat ille, qui pugnabat in viribus & manibus Iſraelitarum, quia prælium Iſraelitarum erat prælium ipſius Dei.* Hæc ille. Hunc verſum integrum ex Hebræo fonte, cui Chaldaicus, & græcus Codex reſpondent, ſic accipe. *Non fuit ſicut dies ille, ad faciem eius, & poſt eum, vt audiret Dominus in voce viri, quia Dominus bellum ſuſceperat Iſrael, &c.* Quod verò Arias Montanus hoc miraculum in Aprili accidiſſe putat, veriſimile non eſt. Nec enim tot res tam breui tempore, hoc eſt à decima die Martij vſque ad Aprilem, geri cõmmodè potuerunt. Quare ad Iunium referẽda eſt hæc Solis ſtatio vt diximus, explodenda tamen eſt quorundam ſententia, qui quod Peripateticæ diſciplinæ plus æquo ſeſe addixerint, vt miraculum hoc à cœlo ſubmoueant, quaſi in ipſis aſtris non fuerit paratum, anxiè laborant.

Audita preces Ioſue à Deo. — Vana opinio attribuentium [illegible] numen. Caiet. — Deus pugnabat in manibus Iſraelitarum. — Montanus. — Stationem Solis in Aprili accidiſſe, veriſimile non eſt.

Verſ. 1.] Quæ cùm audiſſet Adoniſedec Rex Hieruſalem, quòd ſcilicet cepiſſet Ioſue Hai, & ſubuertiſſet eam, &c. Et quòd transfugiſſent Gabaonitæ, &c.

Celeritate Ioſue defendẽtis Gabaonitas ab exercitu quinque Ammotrhaorũ Regum ſignificari Chriſti in ſuis iuuandis, cum periclitantur, celeſtem aduentum.

ANNOTATIO I.

1. Gabaonitæ videntes quinque Ammorrhæorum Reges contra ſe conſpiraſſe, nequaquam proprijs viribus, copiiſque confidũt: legatos actutum ad Ioſue mittunt auxilia, quibus digni videbantur impetraturos. Nec eos fallit ſpes. Adeſt obſeſſis repente Ioſue cœlóque grandine, & ſtatione Solis ſuccenturiante, fuſis fugatiſque hoſtibus vrbem liberat à periculo. Expendit hic Origen. Hom. 11. in Ioſue, primum id, quod hiſtoria ſacra refert; nimirum inſurrexiſſe in Gabaonitas hoſtes, ſimulatque ad iuſtorum caſtra ſe aſſociarunt. Vnde eam elicit doctrinam, qua monemur animum parare ad perferendas inimicitias, & incurſiones; vbi primùm, peccato renuntiantes, pietatem colere cœtúſque bonorum ſequi incipimus. *Cum anima*, inquit, *humana verbo Dei ſe ſociauerit dubitare non debet ſtatim ſe inimicos habituram & eos, quos habuerat ante amicos in aduerſarios eſſe vertendos: itque non ſolum pati ſe ab hominibus ſteret, verùm etiam de contrarijs virtutibus, & ſpiritalibus nequitijs, id ſibi imminere pro certo ſciat. Et ita fit, vt qui amicitias expetit* IESV, *multorum ſibi ſciat inimicitias eſſe tolerẽdas, &c.* Hoc illud eſt, *omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur.* Itémque illud. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei prepara animam tuam ad tentationem.* Oppugnantur ergò Gabaonitæ propter amicitias IESV, & ligni licet ſint cæſores, & aquæ geſtatores, id eſt, licèt vltimi meriti ſis in Eccleſia, tamen hoc ipſo, quia ad IESVM, pertines, oppugnaberis à quinque Regibus, &c. Adeſt illis IESVS, adſunt & cæteri principes Iſraelitarum. Quid verus IESVS? præſto adeſt his, qui pro nomine illius oppugnantur: nec ſolùm auxilium præſtat in bello, verùm & producit tempus diei & ſpatia lucis proferens, aduentum diſcutit noctis.

Origen. — Parati ſint qui ſe ad bonorũ cætum aſſociant ad perferenda malorũ odium. — Qui ſe ad Ieſũ adiungit malorum ſubitur eſt inimicitias exemplo Gabaonitarum, qui ſe Ioſue aſſociarũt. 2. Timoth. 3. Eccleſ. 2.

2. Secundò, oſtendit quomodo Chriſtus Dominus lucem produxerit & longiorem fecerit diem, ad protegendos ſuos & contrarias virtutes profligandas. Summa eſt. Cùm aduenit Saluator, finis erat iam mundi. Ipſe quippe dicebat. *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum:* Sed retinuit diem conſummationis, & adeſſe prohibuit. Videns namque Pater æternus gentium ſalutem, nonniſi per eum poſſe conſtare, ait ad eum; *Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Donec ergò paterna pollicitatio compleatur, & intreat in Eccleſiam tota gentium plenitudo cum Iſraelitarum reliquiis; dies producitur, differtur occaſus, nec vnquam Sol occumbit, ſed ſemper exoritur, dum credẽtium cordibus, Sol iuſtitiæ lumen infundit veritatis. Cùm verò repleta fuerit menſura credentium, & deterior iam, ac decolor ætas vltimæ generationis aduenerit, cum creſcente iniquitate refrigeſcet charitas multorum, & perpauci manſerint, in quibus fides inueniatur, tunc iam abbrecinabuntur dies. Nouit igitur Dominus & extendere diem cum ſalutis eſt tempus: & breuiare diem, cum tribulationis & perditionis eſt tempus. Nos tamen dum habemus diem, & lucis nobis producitur ſpatium, *Sicut in die honeſtè ambulemus*, & opera lucis operemur.

Chriſtus ad protegendos ſuos, diẽ ſalutis produxit. Matth. 3. — Pſal. 2. — Cùm completa fuerit credentiũ menſura, abbreuiabuntur dies ſalutis a Chriſto allata ſuis. — Rom. 13.

3. Tertiò, interpretatur per quinque Reges à Ioſue debellatos, ſignificari quinque ſenſus. Duplex namque eſſe cenſet Chriſtianorum prælium, Vnum perfectis propoſitum, qualis erat Paulus & Epheſij; de quo, inquit, ipſe Apoſtolus: *Non eſt*

Per quinque reges à Ioſue debellatos intelliguntur quinque ſenſus. Ephe. 6.

nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem. ſed aduerſus principes,&c. Alterum imperfectis & adhuc rudibus, quod aduerſus carnem & ſanguinem geritur. Gabaonitæ imperfectos, & carnales ſignificant. quibus à quinque Regibus indicitur bellum. Quinque autem Reges, quinque ſenſus corporeos indicant, viſum, auditum, guſtum, tactum, & odoratum. Per aliquem enim horum vnumquemque decidere opus eſt in peccatum. Qui quinque ſenſus, quinque illis Regibus comparantur, qui Gabaonitas, id eſt carnales homines expugnant. Quod autem dicuntur in ſpeluncas confugiſſe, poteſt hoc fortaſſe indicari, quia ſpelunca locus eſt in profundum terræ defoſſus, ac proin- B dè ſenſus, cum nihil ad opus Dei contulerint, ſed ad miniſterium corporis omnem vim ſuam applicauerint, in ſpeluncas confugiſſe dicendi ſunt.

Quinque ſenſus cum miniſterio corporali ſeruiãt ad ſpeluncas cũ quinque regibus qui Gabaonitas oppugnabãt, cõfugere dicuntur.

4. Quartò, aduertit hæc ipſa regna, quorum principes vincuntur ab IESV, & ad ſpeluncas compelluntur, poſteà in ſortem veniſſe ſanctorum, & partem Domini appellari; ſicut regnum Hieruſalem vel Lachis vel Chebron. In quo illud indicatur, nempe hos quinque ſenſus cùm per Ieſum fuerint deuicti, ita vt infidelitas ab eis & peccatum detergatur, poſt modum animæ miniſtros fore ad operádam iuſtitiam. Quò fit, vt Hieruſalem, in qua prius Rex nequam regnabat, & peſſimus; poſteà ſedes ſit regni Dauid manu potentis, vel Salomonis pacifici. Aſſident etiam his C ipſis quos diximus corporalibus ſenſibus hominum malignæ virtutes, quæ eos ad malas concupiſcentias, & fœda miniſteria ſolicitent. Quas virtutes cùm fides Chriſti ſuperauerit, & in ligno crucis eius fuerint ſuſpenſæ, regnoque depulſæ, tunc efficitur anima in parte Dei, & templum in ea Domino conſtruetur. Annon hoc ſentiebat Paulus dicens: *Quia eramus & nos aliquando inſenſati, increduli, errantes, ſeruientes, deſiderijs & voluptatibus varijs?* Non eſt aliud hoc quàm Hieruſalem fuiſſe aliquando ſub Adonibeſech, & alias ciuitates ſub aliis tyrannis, ſed interim IESVS interfecit inimicos, non crudelitatem docens, ſicut hæretici putant, ſed futura ſacramenta deſignans de iis, quæ gerebantur. vt cùm interemerit eos D Reges, qui regnum peccati tenent in nobis, poſſimus illud implere, quod adiũxit Apoſtolus; *Sicut exhibuimus membra noſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem,*&c.

Regna quinque regum poſtquam illi victi ſunt, in ſortem veniunt ſanctorum Dauidis, &c.

Tit. 3.

Rom. 6.

5. Sed quid eſt, quod ab hæreticis velut crudele culpatur. Hoc, inquiunt, quod ſcriptum eſt; *Ponite pedes veſtros ſuper collum eorum, & interficite eos,* At hic non crudelitas, ſed humanitas inuenitur. *Vtinam* (inquit Orig.) *tu talis eſſes, qui poneres pedes tuos ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnẽ virtutẽ inimici, & conculcares draconem, & baſiliſcũ, id eſt regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati, vt illis omnibus interemptis, qui in te regnabant opere peccati, ſolus in te regnet* IESVS *Chriſtus,* E &c.

Hæretici arguũt Ioſue crudelitatẽ, quod iuſſerit conculcari 5 Reges.

Eſt in hac conculcatione myſterium.

6. Gloſſa etiam, quinque Amorrhæorum principes, quinque ſenſus interpretatur qui tanquam barbari Reges contra Ioſue rectam rationem depugnant, Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Quinque verò Reges prædicti quatuor rebus fuerunt debellati, nempe gladiis filiorum Iſrael, Lapidibus grandinis, ſtatione Solis, & Lunæ mora. Sic quinque ſenſus diuinis verbis, tanquam gladiis filiorum Iſrael,

Gloſſ.

Galat. 5.

Quatuor rebus vincuntur quinque reges, quæ myſterium continent.

A iugulantur, Epheſ. 6. *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* His gladiis perimi opera carnis ait D. Hieronym. ad Ruſticum Monachum dicens. *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* Per lapides verò grandinis intelliguntur actus pœnitentiæ, ſcilicet, & ieiunia, vigiliæ, cilicium, & quicquid carnis ſenſum domat. Multùm conferunt hi actus ad victoriam. Ideò hic dicitur, & mortui ſunt multo plures lapidibus, &c. Per ſtationem verò Solis intelligitur adiutorium Chriſti, qui eſt Sol iuſtitiæ contra carnis tentationes, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Per aſſiſtentem Lunam præ- B ſidium intelligimus Deiparæ Virginis quæ Cant. 6. *Dicitur terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Illa præſente & fauente multis conceſſum eſt, vt carnis illecebras glorioſè refrenarent, & vincerent. Hæc ferè ex Gloſſ. Iam quanta ſit Chriſti pro ſuis pugnantis cura, non ſolum in Ioſue facto præfiguratum eſt, ſed etiam re ſæpius comprobatum. Id vnũ de multiſq; occurrunt, poteris confirmare exemplum. Quo tempore Luſitani claſſibus Africæ oram luſtrarunt, Congenſis rex nomine Chriſto dato, vna cum multis ſuorum vexillo crucis educto in prælium, è quibuſdam perduellibus mirabilem retulit victoriam. Ioanni huic regi fuit nomen. Eo defuncto, filius Alphonſus natu maior, Chriſtum ſequebatur, à quo minor erat C alienus. Quocirca in certamen, in quo regnum victori præmium eſſet futurum, ventum eſt. Innumeri, minorem natu ſequebantur barbari: pauciſſimi natu maiorem. Vix initum prælium, Chriſti hoſtes, ſubitò fuſi fugatique ſunt. Dux hoſtilis exercitus captus, palam confeſſus eſt, ſe magnam militum copiam in equis inſidentem & crucibus inſignitam, tantáque radiantem luce, vt omnium perſtringeret oculos, conſpexiſſe in prælio: eiuſq; territum conſpectu, cum ſuis fugæ ſe commiſiſſe. Hæc Oſorius Epiſco. in vita Emmanuelis libr. 3. quæ ſatis indicant, mira celeritate, mitti à Chriſto auxilia, cum periclitamur.

Epheſ. 6.

Hieronymus.

Lapides grandinis ſignificant actus pœnitentiæ.

1. Cor. 10.

Cant. 6.

7. Ad hanc pugnam, in qua pro nobis dux adeſt IESVS prouocat D. Hieronym. Heliodorum D epiſt. 1. *Quid facis, inquit, in paterna domo delicate miles? vbi vallum, vbi foſſa? vbi hyems acta ſub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit: ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur. Ecce bis acutus gladius ex Regis ore procedens, obuia quæque metit. Et tu mihi de cubiculo ad aciem, in de vmbra egredieris ad ſolem? Corpus aſſuetum tunicis, loricæ onus non fert. Caput opertum linteo galeam recuſat. Mollem otio manum durus exasperat capulus. Audi edictum Regis tui. Qui non eſt mecum, contra me eſt. Ecce aduerſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donatiuum, quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant,* & infrà. *Veniet, veniet illa dies, qua corruptiuum hoc & mortale incorruptionem induet, & immortalitatem. Tunc beatus ſeruus, quem Dominus inuenerit vigilantem. Tunc* E *ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicaturo Domino, lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient. Potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole ſua Venus. Tunc igneus Iuppiter adducetur, & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis. Ariſtotelis ſua argumenta non proderunt. Tunc tu ruſticanus, & pauper exultabis, & ridebis & dices. Ecce crucifixus meus, ecce Iudex, qui obuolutus pannis in præſepio vagijt. Hic veſtiuit coccino hic ſentibus coronatus. Cerne manus Iudæe, quas fixeras, cerne latus Romane, quod foderas. Videte corpus an idem*

Gloriſum eſt ſub Ieſu pugnare contra quinq. carnis ſenſus.

ſit, quod dicebatis clam nocte ſuſtuliſſe diſcipulos? &c. Totus in eo eſt Hieronym. vt probet glorioſum eſſe homini Chriſtiano, ſub IESV pugnare, quamuis paupertas, inedia, aliæque macerationes, contra quinque carnis humanæ ſenſus ſint ſuſcipiendæ.

8. Experti ſunt viri pietate excellentes, Iuliani Apoſtatæ tempore, quàm præſens ſemper fuerit, diuini Ioſue, hoc eſt, Chriſti quem ſequebantur, in rebus aduerſis, auxilium. Apoſtata námque Imperator, Prætorianum militem Chriſtianum nullum eſſe voluit, ſed nec magiſtratum gerere. Valentinianus valens, & Iouinianus, inſignes duces (vt refert Baronius Anno Chriſti, 362. in Annalibus) ne fidem proderent, baltheo ſe exuerunt; quorum illi duo relegati ſunt; & omnes tres deinde pro fideli confeſſione, diuinitus remunerati, Imperium acceperunt. Nempe adfuit illis diuinus Ioſue, quo duce, nihil formidandum eſt.

Tres duces inſignes quod pro Chriſto balthēū ſub Iuliano reliquerint, imperatores fuerunt.

Verſ. 9.] Irruit itaque Ioſue ſuper eos repente tota nocte aſcendens de Galgalis, & conturbauit eos Dominus à facie Iſrael, contriuítque plaga magna in Gabaon.

Quomodo immiſerit Deus timorem, ſuper quinque Reges Amorrhæorum, pugnantes contra Gabaonitas.

ANNOTATIO II.

1. SVBITVS Ioſue aduentus, & improuiſus caſtra Regum ita turbauit, vt non hominis aduentus eſſe videretur, ſed numinis Gabaonitarum, voto propitij: verba illa *Et conturbauit eos Dominus à facie Iſrael* &c. indicant immiſſam à Deo huiuſmodi formidinem Regum animis, vt neſcirent, quid facto opus eſſet. Hoc fieri à Deo, cum libet, multa docent argumenta. Atque illud imprimis ex indica hiſtoria collectum. Apud Maluchas (quæ Malaca ſoluentibus inſulæ ſunt in occaſum verſus meridiem protenſæ): Aliqui ex indigenis, à Chriſto deſciuerant, & in reliquos Chriſtianos arma ſumpſerant. Luſitani Chriſtianis opem laturi pauciſſimi præ hoſtium multitudine aduenerant. Res mira vbi in conſpectum ſe dedere hoſtes fidei, cõtinuò trepidare, loco haud poſſe cõſiſtere; arma vix manibus tenere; terra tremere: Sol obſcurari: tanta lapidum ignitorum vis è cœlo cadere, vt ædificia, omnia proſternerent, idola comminueret. Arbores conuelli viſæ. Viæ quas vepribus, & ferreis clauis hoſtes noſtris obſtruxerant cinere, & ſaxis, ad hebetandam vim veprium repleri. Lacus prope poſitus ſic intumuit, vt cuncta deiiceret. Domus duntaxat permanſit intacta, quæ iuxta templum erat, quod ·nale fani hoſtes diruerant. Vidiſti formidine à numine immiſſa turbari & vinci perduelles: Audi nunc, quid ſacræ doceant literæ. Primum Prou. cap. 21. habetur. *Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit vertet illud.* Nec verò ſolum Regum cordibus ita dominatur Deus, ſed etiam hominum cæterorum. Vnde in pœnam ſcelerum Leuit. 26. dicitur Iudæis. *Qui remanſerint de vobis dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadent nullo ſequente & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes.*

Adueniente Ioſue turbati ſunt metu quinque Reges.

Prouerb. 21.

Leuit. 26.

2. Secundò, ſicut metum, ita & quemcumque alium affectum, immittit Deus cum vult in pectus humanum, vt diuinæ ſeruiat voluntati. Vnde 4. Reg. 19. Regi Sennacherib ne oppugnaret Hieruſalem. *Ego* (inquit Deus.) *immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram ſuam;* Citans hunc locum Abulenſ. ſuper cap. 10. Ioſue quæſt. 7. ait: *Ille ſpiritus, quem Deus dicebat ſe miſſiſ-rum in Sennacherib, erat aliquod deſiderium, quod cauſaret in corde eius ad reuertendum in terram ſuam, & recedendum de Hieruſalem: ita hic miſit ſpiritum in corda Chananæorum ad conturbandum eos, vt neſcirent ſibi conſulere in hoc caſu.* Hæc ille.

4. Reg. 19.

Abulenſ.

Spiritus immittendus à Deo Sennacherib, fuit deſiderium reuertendi in terram ſuam.

3. Tertiò, ſimilis turbatio immiſſa eſt in Madianitas. Nam Gedeone mox ſuperuenturo parauit Deus victoriam, iniecto ſomnio militibus, in quo ipſi Gedeonem interpretabantur caſtra Madianitica deleturum, & verò apparentibus ſubitò de nocte trecentis viris, cum trecentis buccinis, & amphoris ex quibus emicabant faculæ, ita conterriti ſunt, vt quieſcente Gedeone, quilibet in contubernialem ſuum ferretur, & mutuis ſe gladiorum ictibus perimerent, rem geri aduerſus Gedeonem putantes, lege lib. Iudic. cap. 7.

Parauit Deus victoriam Gedeoni immiſſo ſomnio militibus Madian.

Iudic 7.

4. Quartò, Maioris turbationis exemplum habes, 2. Paralip. cap. 20. Pugnante namque Ioſaphat Rege Iuda contra Moab, Ammon, & incolas montis Seir, aliaſque gentes, quæ in perniciem Iſraelitarum conſpirauerant, Hoſtes, qui erant in inſidiis, vt Hebræos Deo laudes modulatè canentes, quos proximè adeſſe putabant abſque effugiendi ſpe interciperent, emergentes contra ſocios ſuos, qui pugnabant, hoſtes eſſe credentes, tandiu congreſſi ſunt quouſque ne vnus quidem ſuperſtes relinqueretur. Vides hic nihil à Iudæis actum? Procul enim aberant, & vt rei magnitudinem ex comparatione æſtimes: à Gedeone de nocte, & cum ſtratagemate pugnatum eſt. A Ioſaphat verò, & Hebræis, qui illius ſequebantur vexilla, nec gladius diſtrictus eſt. Ipſi ſe hoſtes de die mente turbata peremerunt. In Chananæos Reges non tanta iniecta eſt turbatio, vt ſe mutuis conciderent vulneribus; ſolum in fugam, metu diuinitus in eorum corda ſub aduentum Ioſue immiſſo, compulſi ſunt.

2. Paralip 20.

Gedeon vſus eſt ſtratagemate Ioſaphat autem ſine illo obtinuit victoriam, hoſtibus cruentam.

5. Non prætermittam, quod annotauit Abul. ſuper cap. 7. lib. 4. Regum, qu. 54. nimirum à Deo dupliciter turbari hominem. Vno immutando intellectum, ita vt non cognoſcat, quæ agit. Altero affligendo cum exterius, ita ſcilicet, vbi perinde noceat, ac ſi extra mentem poſitus, inſaniret. Exemplum primi modi habes in Madianitis, qui non pugnante Gedeone præ turbatione, ſeipſos occidebant, vt diximus. Exemplum etiam cernitur in excæcatione Syrorum, qui voluerunt prehendere Elizæum. Quem enim antea nouerant, & præſentem habebant, turbati amentia quæ cognitionem ſimul hoſtium ſuorum, & loci, in quo erant, auferebat, nunc noſſe non poterant. Vide cap. 6. lib. 4. Regum, idem accidit iis, qui pugnarunt contra Ioſaphat, qui in meridie abſentibus Iſraelitis, ſe inuicem tanquam hoſtes obcæcati

Abulenſ.

4 Reg. 7.

Duplex modus, quo Deus immittit turbationem, ...

4. Reg. 6.

mente

mente iugularunt. Secundus modus perſpicitur, 4. Reg. 7. vbi externa afflictione, hoc eſt ſonitu, tanquam hoſtilis exercitus, in fugam compulſi ſunt Syri, qui Samariam obſidebant. Adeóque efficax fuit ille ſtrepitus, vt nihil pretioſum, quod maximè volebant exportari à fugientibus ſineret, cum tamen nemo illos inſequeretur.

4. Reg. 7.

6. Eſt & timor quidam, quo veluti pœna, mox vt quis peccat, alligatur; ſic Adam poſt peccatum, Dei præſentiam formidauit, Gen. 3. Vnde Hilarius ſuper illud Pſal. 52. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt:* hunc adhibet commentarium; *Non eum declinant inutiles fiunt, ſed cùm inutiles cœperint eſſe, declinant. Et virtutem dicti facile eſt ex conſuetudine humanæ demutationis intelligi. Nam cùm ex bonis, mali eſſe cœperimus & ex prudentium familiaritate, & ex publica fama honeſtate per vitia nos, & dedecora ſecreuerimus, effecti per id inutiles, tum omnium probabilium virorum declinamus occurſus, ſe ſtantes deuia, & præſentiam bonorum conſcientiæ noſtræ pudore vitamus. Denique Adam per peccatum inutilis factus, tum Dei declinauit aduentum: viuens autem aliquandiu innocens, & per mandatorum obſeruantiam vtilis, familiarem ſibi occurſum antea Dei, ſimul atque inutilis cœpit eſſe, defugit.* Hæc ille. Profectò illa erubeſcentia & timor, qui peccantes cruciat; turbatio cenſeri poteſt illi ſimilis, quæ quinque Reges, populum Dei oppugnantes, torquet, & in ſpeluncæ latebras infert. Quem enim culpæ admiſſæ non pœnitet? Quem, niſi perfrictæ ſit frontis peccati nō piget? Declinatio ipſa honeſti moris, inturbationem, qua inutiles reddimur, nos præcipitat. Quod diuina prouidentia fieri, vt tādem facti nos pœniteat, certum eſt; Non enim vult vt turbatio hæc in damnationem euadat, quod accidit Amorrhæis, ſed in correctionem.

Eſt timor quidam, quo mox vt quis peccat alligatur.
Gen. 3.
Hilarius.
Pſal. 52.

Adam per peccatum inutilis factus.

Turbatio conſequitur peccatū.

Verſ. 10.] Cúmque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo vſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerunt filij Iſrael?

Quinam lapides magni fuerint, qui è cœlo lapſi, Chananæos occiderunt?

ANNOTATIO III.

1. NEmini in mentem venire poteſt, ſaxa, quæ terræ adhærent in cœlum ab Angelis ſubuecta, impetu quodam iacta fuiſſe in armatos Chananæos. Quid enim opus erat ea ſubuectione: cùm multis aliis modis occidi Iſraelitarum hoſtes Angelorum miniſterio poſſent? Accedit exprimi in ſacro contextu lapides grandinis qui facilè in aeris regione etiam naturaliter ea duritia gigni poſſunt, eáque magnitudine cōdenſari, vt eum quem percuſſerint, occidere valeant. Tradit Matthæus Palmerius Florentinus in ſuo Chronico, imperante Ludouico filio Caroli Magni; ſummóque Pontif. Eugenio ſecundo; anno Domini octingēteſimo vigeſimo quinto, in Gallia miræ magnitudinis cecidiſſe grandinem & pecora multa, atque homines intereniſſe. Concinit huic doctrinæ Abulenſ. hic. qu. 9. Quid dicam de grandine miraculo facta? Num lapides grandinis, qui ætate Moſis Ægyptum diuinitus infeſtarunt, impune ceciderunt? Conſtat Exod. 9. homines & iumenta illorum ictibus interfectos. *Et grando, inquit, & ignis miſta pariter ferebantur? tantaq́, fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti, &c. & percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris ab homine vſque ad iumenta, cunctámque herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit, &c.* In hac plaga quæ ſeptima fuit, tria in Ægyptios ſæuierunt elementa. Aër per tonitrua: Aqua per grandinem: Ignis per fulgura; vt vel inuiti cōpellerentur Ægyptij fateri, peruicaciter ſe repugnare elementorū & mundi omnipotēti Deo, vt enim ſcriptum eſt Sap. 5. *Omnis orbis terrarū pugnabat pro Deo, aduerſus inſenſatos, & omnis creatura armabat ſe aduerſus impios, &c.* Impij, Deos quoſdam cœli præſides, quoſdam aëris, alios terræ conſtituebant. Et quidem Syri dicebant, Deū Iſrael eſſe Deum montiū, & non vallium, 3. Reg. cap. 20. Idcircò Deus per multiplices Ægypti plagas; & hanc Chananæorum, ſe vnicum eſſe oſtendit, & verum rerum omnium Dominum, cui elementa deſeruiant. In eóque diuina virtus eximiè eluxit, quod in terra Geſſen, vbi filij Iſrael erant, grando non cecidit. Nec in deſcenſu Bethoron Hebræus aliquis grandine percuſſus eſt.

Matth. Palm.

Grando tantæ magnitudinis aliquando decidit, vt homines & pecora occideret.
Abulenſ.

Exod. 9.

Plaga grandinis in Ægypto qualis?

3. Reg. 20.

2. Porrò vt miraculum agnoſcas grandine Ægyptiaca patratum, ait Moſes tantæ magnitudinis fuiſſe, quanta ante nunquam apparuit, in vniuerſa terra Ægypti. Vnde Philo Iudæus: *Ægyptus, inquit, hyemem neſcit: circa brumam irroratur, paruis, rariſq́, pluuiis, in locis duntaxat maritimis. Tunc igitur repente aër nouam ſumpſit faciem, &c. Grando enim intermixta ignibus, nec ipſa liqueſcebat nec extinguebat fulmina, ſed vtraque eodem deferebantur impetu. Nec ſolùm inclementia cœli contriſtabat incolas, verùm etiam rei nouitas. Credebant enim nec falsò, ab irato Deo mutari omnia. Tempeſtatibus inſolitis, arbuſta, & ſegetes vaſtantibus, ſimúlque pereuntibus non paucis animalibus, partim frigore aſſumptis, partim eliſis grandine ruente in morem lapidum.* Hæc Philo. Ioſephus lib. 2. Antiquit. affirmat, grandinem nunquam ante hanc 7. plagam viſam in Ægypto fuiſſe. *Cùm Rex inquit, non reſipiſceret, grando nunquam anteà in Ægyptio cœlo viſa, tunc verò maior, quàm apud alios hyberno tempore, aut ſeptentrionali regione, vere iam adulto ſuperne ruens, omnes eorum fructus contriuit, &c.* Vide etiam Plin. lib. 2. cap. 20. vbi cauſam reddit, cur rara decidant fulmina in æſtate & hyeme, frequentia verò in verè & Autumno, maximè in Italia: *Hic enim, inquit, mobilior aër, mitior hyeme, & æſtate nimboſa, ſemper quodammodo vernat, vel autumnat.*

Philo Iud.

Libr. de vita Moſis.

Ioſephus.

Grando in agris Ægyptiis nunquam viſa ante plagam à Deo miſſam.
Plin.

Aer mollis apud Italos ſemper vernat, aut autumnat.

3. Id ipſum, vt noris, in grandine terræ Chanaam, de qua nobis ſermo eſt, certum eſt in regione hac, quæ valde calida eſt, ac proindè rariores habet impreſſiones metheoricas, non potuiſſe naturaliter gigni grandinem tantæ magnitudinis, & denſitatis, vt quos tangeret, ſtatim occideret. Adfuit hic Dei potentia, quæ materiam immiſſo frigore diuinitus denſari fecit, & in magnos lapides cōcreſcere, quibus Angelorum manibus deiectis, multi corruerunt. Vnde in hac perſecutione totus ferè periit quinque Regum exercitus. Nam quidam lapidibus grandinis, alij

In terra Chanaan non poterant ierni lapides grandinis ingentes ſine miraculo.

Angeli deiecerunt lapides grandinis contra Iſraelitarū hoſtes.

Hebræorum ceciderunt gladio. Quid cæteri? vix pauci in præſidia confugere potuerunt. A

Greg. Naz.

4. Greg. Naz. in orat. de plaga grandinis, non ſolùm immiſſam à Deo cenſet grādinem ad ſupplicium Ægyptiorum & Chananæorum, qui obſtinatè diuinæ reſtiterant voluntati, ſed, vel hodie immitti, ad coercendam hominum peccandi licentiam. *Expone, inquit, vnde ſterilitates, & à tantis importata calamitates, & grandines, præſens noſtra plaga, & caſtigatio? vnde aëris corruptiones, & morbi & cæliti immiſſi terrores? Quomodo creatura ad vſum hominum effecta à natura ſua deſciſcat, atque in diuerſum immutetur: vt quibus ornati gratiam Deo habere neglexímus, iiſdem nunc caſtigemur, atque ex iis, quæ patimur, potentiam eam agnoſcamus, quam ex beneficiis in nos collatis, nequaquam agnouimus.* B *Quo item modo alii de manu Domini duplicia peccata donantur, ac per huiuſmodi duplicationem menſura ſcelerum impletur, ſecundùm quam etiam Iſrael emendatur: alii rurſus per ſeptuplum in ſinum redditum peccata exhauriuntur. Quænam præterea ſit illa Amorrhæorum menſura, nondum cumulata, &c. Hæc docet conſcientia, hoc eſt domeſticum & verum tribunal, &c.* Illud Iſai. 40. *Accepit Hieruſalem duplicia peccata*, interpretatur Nicetas duplices pœnas pro peccatis. Menſura verò Amorrhæorum reſpicit locum, Geneſ. 15. vbi Deus cum Abraham colloquens inter cætera ait: *Nondum completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus*, id eſt, vt interpretatur Nicetas: Etſi Amorrhæi impiè & flagitioſè viuunt, tamen eorum ſcelus nondum eo magnitudinis peruenit, vt gentis illius internecione, vindicandum ſit. C A peccatis igitur abſtineamus ocyùs, ne elementa, numine pœnas irrogante, in nos, ſicut in Ægyptios, & Chananæos, ſæuiant. Sunt autem quatuor concretiones aquoſæ humiditatis, quæ eſt in aëre: quarum duæ ſiunt ſuper terram nempe nix, ſi exigua ſit humiditas; grando ſi magna vis ſit humoris: duæ item in terra, nimirum ros ſi minor ſit copia humoris, glacies, ſi maior, ita Nicetas, vide quæ Metheorologici tradunt. Hinc patet vbique Deo arma eſſe, quibus hominum ſcelera vlciſcatur. Reges armamentarium habent in vno loco ad belli opportunitatem. D Deo contra peccatum, armamentarium eſt mundus. Flammas illi vindices ignis ſuppeditat, Aër grandinem & fulmina; Mare fluctuum agitationes ad obruendam malitiam. Terra quid non? & tamen Deum offendere humana audet improbitas. Moueat nos Dei benignitas, qui futuras calamitates antequam eueniant plerunque denuntiat. Vnde Exod. 9. Audita Pharao plaga grandinis fecit confugere ſeruos ſuos atque iumenta in domos, ne perirent. Vbi Theod. num. 21. ponit hanc quæſtionem cur Deus grandinem illaturus ante denuntiauit Ægyptiis, vt pecora domi ſeruarent, & reſpondet. E *Deus cùm ſit humaniſſimus miſericordia, temperat ſupplicia. Aliquos etiam nouerat quoſdam eſſe venia dignos & timentes Deum, &c.*

Plaga grandinis nos interdum percutit propter peccata. — Iſaiæ 40. Hiere 17. Apoc 18. Pſal. 78. Gen 15. — *Conſcientia domeſticum eſt, & verum tribunal.* — Iſai 40. Nicetas. — Gen. 15. — *Quid ſignificet non eſſe completas iniquitates Amorrhæorū.* — *Quatuor concretiones aquoſæ humiditatis.* — Nicetas. — *Deo vbiq. arma ſunt ad puniendum ſcelera.* — *Similitudo.* — *Deo contra peccatum, armamentarium eſt mundus.* — Exod. 9. — Theodoretus. — *Deus miſericordia temperat ſupplicia.*

Verſ. 12. & 13.] Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in cōſpectu filiorum Iſrael, dixitq; coram eis. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, &c.

De admirabili ſtatione Solis ad preces Ioſue.

ANNOTATIO IIII.

1. QVamuis omnia miracula, ſi diuina potentia conſiderentur, paria ſint: ineſt tamen in quibuſdam maior admirabilitas, vel quia rarò admodum facta ſunt; vel, quia in natura præſtantiſſima, & omnibus conſpicua apparent; vel quia circunſtantiæ accedunt, quæ notatu oppidò dignæ ſunt. Quis non videt ab ſtatione Solis precibus Ioſue à Deo impetrata maiorem ex his tribus capitibus, quàm ex aliis miraculis in nobis gigni admirationem? Nos igitur præter ea, quæ in explicatione contextus annotauimus, quæ ſcitu digna videri poſſunt, ad loci cumulatiorem explicationem breui complectemur.

D. Aug. — *Variæ ſententiæ.* — *Prima D. Auguſtini Solem ſtetiſſe in meridie.*

2. Primò, quæri poteſt, quid ſentiant Patres de hoc miraculo? D. Auguſtinus lib. 2. cap. 4. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, exiſtimat Solē in meridie imperio Ioſue conſtitiſſe; cui opinioni fauet illud; *ſtetitq; Sol in medio cæli, &c.* IESVS, inquit, C *filius Nun princeps populi Iſrael Soli in medio diei præcepit, vt ne ſe moueret, & Luna, vbi fuerat ſtaret, donec ſe Dei populus de inimicis vindicaret. Quod & factum eſt. Nam Sol duos dies in vno concluſit, & Luna diei ſpatio non occurrit. In qua re ſciendum, non humani imperii authoritate luminaria requieſcunt, ſed Domini imperantis, vt ſtarent, iuſſis obediunt. Nihil enim propter iubentis hominis verbum, Dei creatura faciunt, ſed quod Dominus ſerui ſui orationi obediens præcepit, hoc faciūt. Sic enim perhibetur, Sol ſtetit contra Gabaon, & Luna ad vallem Aialon, obediente Deo voci hominis. Ex quo intelligitur Deum ſeruorum ſuorum precibus obedire, & ad eorum neceſſitatem creaturas commodè gubernare*, Hæc Auguſt.

2. Dionyſ. — *Omnes orbes cœleſtes cum Sole & Luna ſtetiſſe probabile eſt.*

D 3. Secundò, quid D. Dyoniſ. Areopagitæ viſum fuerit, inquiramus in epiſt. 7. ad Polycarpum Epiſcopum agens de admirabili Dei virtute, per quam cuncta ſubſiſtunt, ſic ſcribit: *Sol & Luna per ſummam vim ſtatu omnino mirabili, vnà cum cœlo, vt eſſent prorſus immobiles ipſius imperio paruerunt atque ad Dei totius menſuram, in eiſdem ſignis omnia conſtiterunt. Erit autem profectò maius aut mirabilius, ſi alia atque etiam præſtantiora, quæ continent ita ſtent, quæ verò continentur, non ſimul alia memorentur.* Hæc ille; referens hoc prodigium ad Dei virtutem. Vbi aduerte iuxta Dionyſium, nullum eſſe incōmodum ſiquis dicat, vel omnes orbes cœleſtes, cum Sole & Luna ſtetiſſe, vel ſolos orbes, ſole inferiores, E quod mirabilius eſt; quamuis meo iudicio, minus probabile ob incommoda, quæ ſequi neceſſe fuit, niſi multiplicatis miraculis impedirentur.

Plures putant Solem ſtetiſſe in meridie. — *Hebræi paulò ante Solis occaſum.*

4. Tertiò, Quæritur, qua hora diei ſteterit Sol, interpretes ferè meridiem deſignant cum Auguſtino, illis verbis perſuaſi; *ſtetit itaq; Sol in medio cæli.* Mihi tamen quorundam Hebræorum probabilior videtur ſententia aſſerentium Ioſue paulò antè occaſum, verba, quibus Sol ſtetit, protuliſſe. Quid enim opus erat in meridie, cum in ſolſtitiali die multùm lucis ſupereſſet, cunctationem ſoli imperari? Prætereà, quis non videt non potuiſſe tot res perfici, quot hic commemorantur

ab

ab aurora, vſque ad meridiem? Venit Ioſue de Galgalis nocturnis itineribus, dedit ſe in conſpectum Regum albente cœlo, eos in fugam compulit, & perſecutus eſt, multi hoſtium grandine, multi gladio ſunt interfecti. Næ Ioſue, cùm videret Solem in occaſum præcipitem, ô Sol (inquit) ne intercipiat occaſus tuus noſtram victoriam, ſta, ſta, ne mouearis. Huic ſententiæ ſubſcribit hic Caiet. & Abulenſ. quæſt. 12. vbi ait non accipi medium cùm dicitur, *Sol ſtetit in medio cœli*, ſecundùm æquidiſtantiam, id eſt, quod Sol eſſet tunc in puncto circuli meridiani, ſed ſecundùm interpoſitionem, quomodo quicquid in cœlo emicat ſupra Horizontem, dici poteſt eſſe in medio cœli, prout medium diſtinguitur contra partes, quæ contingunt horizontem, quæ ſunt extremitates Hemiſpherij. Sic accipitur ſuprà cap. 7. vocabulum, *medij*, *anathema in medio tui Iſrael.* Id eſt, inter vos eſt aliquid raptum de anathemate Hierico, & Iſaiæ 6. *In medio populi labia polluta habentis, ego habito.* Quare dum audis, *ſtetit Sol in medio cœli*, intellige, in parte Hemiſpherij noſtri, quæ eminet inter vtraſque Orientis, & obeuntis Solis extremitates.

Sol præcipitabat in occaſum quando iuſſus eſt ſtare.

Caietanus. Abulenſis.

Suprà cap. 7.

Iſai. 6.

5\. Quartò ſciſcitaris, quem ſenſum efficiant illa verba, *Sol contra Gabaon, &c.* Dico hunc reddi. O Sol, qui ex oppoſito Gabaon præceps tendis in occaſum, ne mouearis, trahe moram, antequam nox perfectæ victoriæ adimat opportunitatem. Expreſſit Eccleſiaſticus cap. 46. imperatam Soli præcipiti retardationem dicens. *Annon in iracundia eius impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo, &c.* Pro, *in iracundia eius*, Græcè legitur, ἐν χειρὶ αὐτοῦ hoc eſt, *in manu eius*, vt ſignificetur imperio Ioſue, quaſi freno manu iniecto, Solem à progreſſu ſuo fuiſſe cohibitum, metaphora ſumpta ab iis, qui freno currentem equum ſiſtunt. Vulgata etiam tranſlatio huic ſenſui quadrat, ſignificat enim hoc factum aſcribendum eſſe zelo, & iræ iuſtæ, qua Ioſue hoſtes Dei, perſequi ad internecionem vſque cupiebat. Quod quia orationibus eſt aſſecutus, ſubiungitur. *Inuocauit altiſſimum, & audiuit eum magnus ac Sanctus Deus.* Vide præfationem huic libro præfixam, ſect. 2.

Explicatio orationis, qua Ioſue Solem eſt allocutus.

Eccleſ. 46.

Prementis quodammodo Solem Ioſue.

6\. Quintò, notanda eſt Hebræi fontis locutio, ſic enim habet, *Sol, tace contra Gabaon*, R. Salomon, Solem putat qualibet hora aliquid modulari in laudem Dei, atque idcirco à Ioſue præcipi, vt ſileat. Videtur hic Rabbinus Platonicorum imbutus dogmate, qui Sirenas quaſdam in orbibus cœleſtibus canentes conſtituunt. Quæ opinio falſa eſt. Nec enim cœli animati ſunt, vt arbitratus eſt commentator lib. 2. de Anima, vt voces reddere poſſint. Nec ita colliduntur, vt inſtar citharæ concentum aliquem reddant. Nec fauet huic errori illud Iob 38. *concentum cœli quis dormire faciet?* Nec illud, *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Concentus enim ille, quem Deus dormire facit, eſt imperata à Deo quies, & ſerenitas, cùm cœlum ruere videtur fragoribus, & pluuiis tonitruiſque elementa turbantur. Itaque ſilentium, quo res omnes poſt aliquam turbationem, volenti Deo obediunt, concentum vocat ſcriptura & harmoniam. Et Symmachus ſic vertit, *Organa cœli, quis ornabit?* Auguſtinus legit, *Organa cœli quis in terra declinauit?* in Hebr. pro *concentu*, eſt, *Nebel*, à radice, *Nabal*, quod eſt, *defluere*, & *marceſcere.* Inde deductum nomen ſignificat defluxum ſeu inundationem, & per Synecdochen vas ligneum aut co-

Quid ſit in Hebræo, Sol, tace, &c.

R. Salomon.

Platonici Sirenas in cœlo conſtituunt.

Cœli non ſunt animati.

Iob. 38.

Auerr. falſa opinio.

Quod vocat Iob concentum cœli.

Symmachus. Auguſtinus.

Nablum quid ſit.

riaceum, quo poteſt aqua defluens excipi. Quia verò in huiſmodi vaſis concauis fieri ſolebant muſica inſtrumenta, inde ſumitur pro inſtrumento muſico nablo, ſcilicet, aut pſalterio. Quia verò huiuſmodi inſtrumenta reddunt concentum & harmoniam, accipitur, *Nabal*, pro *concentu*, & *harmonia.* Hinc variæ lectiones 70 *Quis cœlum in terram inclinauit?* Nicetas. *Vides, vt terram ipſam contingat.* Quaſi dicat ſuprema imis miſcere, diuinæ prorſus ſapientiæ eſt. Regia Bibl. *Defluxum cœlorum.* R. Dauid, *Quis pluuias cœli quieſcere faciet?* Pagn. *Nubes plenas aquis ſcilicet inſtar vtris aut lagena.*

Nicetas.

Bibl. Reg.

R. Dauid. Pagnin.

Iob. 38.

7\. Ille verſiculus. *Cùm me laudarent aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei.* Significat aſtra, ſimul atque condita fuerunt conditoris potentiam prædicaſſe, atque hoc quaſi impoſito penſo in lucem veniſſe, vt illi gratias agerent. In quo hominibus excellunt, quibus in mundo natis, non ſtatim affulget matutinus rationis ſplendor, quo Deum agnoſcant, & laudent. Quo fortè alluſit Auguſtin. confeſſ. lib. 1. cap. 7. dolens humanæ infantiæ miſeriam his verbis. *Væ peccatis hominum. Et homo dicit hæc, & misereris eius, quoniam tu feciſti eum & peccatum non feciſti in eo. Quis mihi commemorat peccata infantia mea? quoniam nemo mundus à peccato coram te, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram, &c.* Refertur igitur laus aſtrorum, & iubilus filiorum Dei ad terræ creationem. *Tunc,* inquit, *Deus cum iaciebam terræ fundamenta, ob tam præclarum opus, me laudabant aſtra matutina, ſitu ipſo & pulchritudine viſenda: ipſiq; Angeli gratulatorias voces cœleſtibus ſphæris adiungebant.* Illud certum eſt, cùm huiuſmodi aſtrorum & rerum inanimatarum laudatio, atque diuinæ virtutis prædicatio, aſtris poſſit, ſicut cæteris rebus tribui, quæ dicuntur Deo benedicere, cùm homines earum aſpectu ad diuinas laudes excitantur: tamen peculiaris conſideratur in cœlo & aſtris exultandi ratio, cùm ipſe cœlorum & aſtrorũ motus exultatio quædam, atque alacritas eſſe videatur: atque adeò harmonia quædam & concentus propter conuenientiam, & proportionem motuum inter ſe inæqualium. Quo fit, vt ex hoc capite dicantur cœli, & aſtra potiùs loqui, & laudare Deum, quàm res aliæ inanimatæ. Accedit alluſionem fieri, vt putat Caiet. ad peruulgatam principum conſuetudinem iacentium primum arcis alicuius fundamentum, cum ingenti lætitia & muſicorum inſtrumentorum harmonia. Annon decuit, vt concentus eſſet harmonicus in laudem conditoris terræ quæ opportunum fundamentum cæteris præſtat elementis, ipſiſque cœlo, quæ ad fœcunditatẽ circumuoluitur? Eleganter Chryſoſt. illa verba, *& iubilarent omnes filij Dei*, ita explicat: Angeli ipſo aſpectu obſtupuerunt, cùm multitudinem, pulchritudinem, diſpoſitionem, vtilitatem, varietatem, ornatum, ſplendorem, cõcentum, cæteráque omnia, quæ, multo illi, quàm nos melius vident, intuerentur. Anaſtaſius Synaita lib. 4. Hexamerõ, credit Angelos Deum quarto die laudaſſe propter creationem aſtrorum, & propter myſterium incarnationis, quod in illis repræſentabatur. Cùm ergo in cœlo, licet voces non ſint, motus perpetui orbes circumferant, in quibus ineſt quædam proportionum ratio, quæ harmoniæ ſimilis eſt, meritò Ioſue eum Solem ſtare iubet, ſilentium imperat, hoc eſt ceſſationem à motu. *Sol*, inquit, *tace contra Gabaon*. hoc eſt, Sol, qui nunc appares è regione Gabaon ne mo-

Aſtra matutina Deum laudarunt ſimulatque cõdita ſunt.

Nati ita omnes homines.

Auguſtinus.

Aſtra dicuntur laudare Deum ob motum.

Caietan.

Chryſoſt. Iob. 38.

Anaſtaſius Synaita.

Angeli quarto die mundi peculiariter Deum laudarunt, ob myſterium incarnationis.

Hieronymus.

ueris,vt rectè vertit D.Hieronym.Idem enim eſt hoc loco, tace, ſiue obmuteſce, & ne moueatis. A

Eccl.46. Quanta fuerit mora Solis ſtantis.

8. Sextò, ſcire volupe eſt quanta fuerit mora Solis à curſu cohibiti? Eccl. 46. ſcriptum eſt. *Et vna dies facta eſt quaſi duo:* Vnde elicitur, duorum dierum mora, Solem tunc hemiſpherio ſupra quod ferebatur affulſiſſe: ſtetiſſe autem, integro, & perfecto die artificiali, qui in Iudæa non eſt, vt aliqui volunt, octodecim horarum in ſolſtitio æſtiuo ſed 14. tantùm. vnde duplus dies ille lucis 28. horis conſtitit. Appellatur autē maximus omnium, qui anteà fuerunt, aut poſteà; non quia dies tempore Ezechiæ productior non fuerit, ſed quia vſque ad ætatem ſcriptoris hiſtoriæ Ioſue, qui fortè fuit Samuel, ex quo Eſdras id, quod præ manibus habemus carpſit, nullus dies maior illuxit mundo. Nam tempore Ezechiæ dies triginta duas complexus eſt horas.

Duplex dies lucis 28 horis conſtitit ad preces Ioſue.

Dies ætate Ezechiæ 32. complexus eſt horas.

B

Verſ. 13.] Steterúntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.

De pulcritudine Solis, & ſignis quibus Deus in hoc aſtro oſtenſis, cum ſecundas res, tum aduerſas ſæpe prænuntiat.

Appendix Annotationis quartæ.

Amb. in hexam.

1. TAM admirabilis eſt, & affectuum humanorum, tam inſignis conciliatrix Solis pulchritudo, vt de procreatione illius actutus D. Ambroſius, timere videatur, ne mortales oculi (quod olim accidit) niſi à ratione regantur, in illam intuentes, diuinitatis aliquid, in ea latere ſuſpicati, obruantur caligine, ſicque fiat, vt quam pulcherrimi aſtri creatori debeant venerationem eam rei deferant creatæ. Quo quid poteſt eſſe funeſtius? quid magis væſanum? Huic malo occurrens ſanctus doctor, oculos à ſordibus, & lippitudine iubet expurgare, vt Solis, in quarto, ab orbe condito die, matutinos ortus, ſine erroris caligine valeant ſpectare. Sol (inquit) *incipit ô homo! emunda oculos mentis, vt vaſe ſyncero ſcriptura diuina, munda fluenta ſuſcipiat, ne qua ingrediatur contagio. Præcedit Sol magno iubare diem, magno mundū complens lumine, vaporans calore. Caue, ô homo ſolam eius perpendere magnitudinē, ne nimius fulgor eius, aciem tuæ mentis obcæcet. Qui è regione in radium eius intendit, repercuſſo lumine, omnem ſubitò amittit aſpectum; ac niſi in cæteras partes vultum ſuum, oculoſq́; conuertat, æſtimat ſe nihil videre, & intuendi munere eſſe fraudatum. Si verò deflectat obtutū, in integrum ſibi officium perſeuerat. Caue igitur, ne tuum radius eius ex oriens confundat aſpectum. Ideò priùs firmamentum cœli aſpice, quod ante Solem factum eſt. Terram aſpice, quæ antequàm Sol prodiret, cœpit eſſe viſibilis, atque compoſita: germina eius aſpice anteriora Solis lumine. Antiquior rubus, quàm Sol: antiquior herba, quàm luna. Noli ergo Deū credere, cùm vides Dei munera eſſe prælata. Tres dies tranſacti ſunt (nempe antequam Deus dixerit, fiant luminaria in firmamento cœli.) Et Solem nemo quæſiuit, & luminis claritas abundauit. Habet enim, & dies ſuam* C D E

Gen. 1.

Multi Solis pulchritudine inuitati eum eſſe Deum putarūt.

Gen. 1.

A *lucem quæ præcurſor eſt Solis. Noli igitur te tanto ſplendori Solis temere committas.*

2. Illud infixum velim noſtris mentibus, quod mox ſubiungitur, vt cum Solem ſuſpicimus Solis conditorem veneremur. Ait enim ſanctus doctor, Solis pulchritudinem demiratus; *eum eſſe mundi oculum, iucunditatem diei, cœli pulchritudinem, naturæ gratiam, præſtantiam creaturæ.* Deinde addit: *quando hunc vides, authorem eius conſidera. Quando hunc miraris, lauda priùs ipſius creatorem: Si tam gratus eſt Sol, qui conſors, & particeps eſt creaturæ, quàm bonus eſt Sol ille iuſtitiæ? ſi tam velox iſte, vt rapidis curſibus, die, ac nocte luſtret omnia, quantus ille, qui vbique* B *ſemper eſt, & maieſtate ſua complet omnia? ſi admirabilis, qui iubetur exire, quàm ſupra admirationē, qui dicit Soli, & nō exoritur, vt legimus? ſi magnus eſt, qui per horarum vices, locis aut accedit, aut decedit quotidie qualis ille qui etiam cùm ſe exinaniret, vt nos eum poſſemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? ſi præſtantiſſimus, qui obiectu terræ patitur ſæpe defectus, quantæ maieſtatis, qui ait, Adhuc ego ſemel mouebo terram? Illum terra abſcondit: iſtius motum non poteſt ſuſtinere, niſi voluntatis eius ſubſtantia fulciatur? Si cæco damnum eſt, huius Solis gratiam non videre: quantò magis peccatori damnum, veri luminis munere defraudatum, perpetuæ noctis tenebras ſuſtinere?* Hæc Ambro- C ſius. Tu ergo cùm vides Solem, attende terram, quæ antè fundata eſt: attende herbam fœni, quæ præſtat ordinis priuilegio. Attende ligna, quæ plaudunt, quod luminibus cœli priora eſſe cœperunt. Quid (dicet aliquis) præuidit Dei ſapientia, vt prius inciperēt ligna eſſe, quàm illa duo mūdi lumina, quæ annū ducunt cœlo labentē: quippe quæ duo ſunt cœliſtis oculi firmamenti? Voluit profectò, vt cognoſcerent omnes diuinæ teſtimonio lectionis, terram ſine Sole poſſe eſſe fœcundam, & proprio fœtu, ſine calore Solis parturire. Quid, quod natura ipſa, voce quadam ſuo- D rum munerum clamat? Bonus quidem, & vtilis eſt Sol, ſed miniſterio, non imperio. Bonus meorum altor fructuum, ſed non auctor. Plerumque, & ipſe mihi damno eſt: interdum me aliquibus in locis indotatam relinquit. Non ſum ingrata conſeruo: mecum labori eſt mancipatus, mecum ſubiectus eſt vanitati, & corruptionis ſubditus ſeruituti. Meeum, *ingemiſcit, vt veniat adoptio filiorum,* qua poſſimus, & nos à ſeruitio liberari. Mecum aſſiſtens laudat authorem; Mecum hymnum dicit Domino Deo noſtro. Vbi Sol benedicit, ibi terra benedicit. Benedicunt ligna fructifera; benedicunt pecora, benedicunt volucres. In mari mala- E cia confectus, illum accuſat nauta: terram deſiderat. In montibus, illum paſtor ſudore declinans madidus ad virides feſtinat arbores, & ad fontes ſitiens laſſus accurrit. Vides non poſſe Solis pulchritudinem, eos in errorem inducere, qui rerum vim, ſe naturam ſcrutantur?

Solis conſideratio in Chriſti nos conſiderationem. Iob. 9.

Ioan. 1.

Ioel. 3.

Cur arbores prius procreata, quā Sol.

Rom. 8.

3. Iam ad ſigna veniamus. Ea tot ſunt, támque ſuperſpicua, vt ex iis homines facilè perſpiciant, non ſolùm ipſius Solis ſplendorem, quoquo verſus emicantem, ſed temporum etiam varietates: & interdum Dei ſceleribus offenſi minas: vt meritò cecinerit Regius Vates de cœleſtiū Sphærarum ordine, totiuſque mundi agens officio. Pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum:* ſeu quod idem eſt: Solem poſuit in tabernaculo ſuo, id eſt, in cœleſtibus Sphæris, ſiue (vt Hebræi transferunt.) *Soli in eis poſuit tentorium.* Vt ſcilicet intelligamus, in Sole Deum, tanquam in tentorij ſui parte ſpecio-

Pſal. 18.

In Sole, Dei oſtendiſque potentia, tanquam in ſede veſtigia.

ſiſſima,& maximè illuſtri ſuum habere, inſtar glorioſiſſimi monarchæ domicilium. Vnde dum Sol per totum excurrens mundum, veluti ipſius internuntius, numen eius, & potentiam depædicat, maieſtate plenus circumfulgurat certè in hoc Pſalmo, tria præcipuè in Sole conſiderat Propheta; formoſitatem; caloris vehementiam; & curſus celeritatem. Eius deinde pulchritudinem cōparat ſponſo: vim, & impetum; giganti, ſiue forti viro: thalamo ſimile facit inferius hemiſphærium, è quo, ab occaſu rediens in ortum, iubar ſuum, omnium gemmarum luce longè pulchrius, ſplendidè refundit.

D. Baſil.
Geneſ. 1.

4. Iure optimo, huius diuinę maieſtatis. & gloriæ pulcherrimi tentorij, naturam, & curſum conſiderans D. Baſilius in Hexamero; ſimulque illa Moſis verba Gen. 1. *Et ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos*: neceſſarias eſſe Solis, & Lunæ in hominum vita lationes affirmat. Si enim ſigna, quæ ab ipſis proficiſcuntur, vir prudens explorer, vtilitates maximas, in eorum inueniet obſeruatione. Plurima námq; de imbrium, & ventorum incurſu; Plurima de ſiccitatibus: non panca de vehementioribus flatuum ſtatis temporibus, aut in toto orbe, aut in orbis parte aliqua, agitationibus valebit ediſcere. Nam, & vnum eorum; quæ à Sole finnt, Dominus nobis tradidit, Matt. 16. his verbis; *Hodie tempeſtas erit, rutilat enim triſte cœlum.* Quorum verborum (vt Hieronym. interpretatur) hæc eſt ſententia: ex elementorum ordine, & matutino, veſpertinóque Solis conſpectu, poteſtis, ô Phariſæi, ſerenos, & pluuioſos dies prænoſcere: ex Prophetarum verò vaticiniis, cum vos legis doctores eſſe gloriemini, cognoſcere filij Dei quem præſentem cernitis, in terram aduentum non valetis? Luna quoque cùm caliginoſo circundatur humore, pluuiam portendit. Et cùm orbes ij Solem cingunt, quos in modum areæ videmus efformatos, aut, ingens imbrium vis, aut flatuum vehementium præmonetur concitatio. Quid quod virgulæ, arcus pluuij colore præditæ, cùm tectæ in nubibus apparēt, imbres ſæuos, aut atrociſſimas ventis debacchantibus, tempeſtates aut aeris omnino nō mediocrem ſignificant mutationem? Plurima quoque futurorum indicia in Luna ſolent rerum periti obſeruare, tanquam aëre vnà cum Lunæ formis; vices admittente. Quarto namque ab ortu die, vel tertio, vt D. Ambroſius mauult (vulgus hominum, quintum obſeruat) ſi tenuis ſit, puroque fulgeat nitore, puram prænuntiat ſerenitatem. Sin obtuſis cornibus, rubicundaque cernatur, aut impetu incaſuram è nubibus aquam: aut horridam minatur Auſtri concitationem. Quanto autem vitæ humanæ ſint emolumento; quantàmque eidem pręſtent vtilitatem profectæ ex hiſce luminibus obſeruationes, quis ignorat? Licet nautæ ſuam in portu continere nauem, ventorum, quæ incumbunt pericula præuidenti. Licet viatori, ex ipſa Solis, Lunáque in aëre præmōſtrata triſtitia temporis iniurias deuitare. Licet agricolis, qui in ſerendis ſeminibus ſtirpiumque cultu elaborant, omnium hinc officiorum; operumque exercendorum opportunitatem coniectare, tempuſque ſemper agrorum culturæ inuenire idoneum.

In Sole ſigna temporum apparent.
Math. 16.
Hieronymus.
Halo, pluuiæ, ſignum, aut venti.
In Luna futuri temporis indicia ſunt.

Signa in Sole & Luna.
Ioel. 2.

5. Quid, quod Chriſtus Dominus diſſolutionis etiam vniuerſi orbis, ſigna Solem daturum, & Lunam, & ſtellas prædixit? *Sol vertetur in ſanguinem, & Luna non dabit lucem ſuam, & ſtellæ cadent de cœlo. Erunt*, inquit, *ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* D. Chryſoſt. enarrans illa verba, Gen. 1. *Sint in ſigna*, &c. *Docere*, inquit, *nos vult diuina ſcriptura, quod horum luminarium curſus, ſcientiam nobis concedit temporum, & viciſſitudinis verſionum, numerum dierum, anni curriculum* &c. Theodor. eadem verba explicans, damnat imprimis Genethlialogiā; id eſt, ex hominis natiuitate diuinationem, quam vel ipſi ethnici Philoſophi, Pythagoras, Socrates, & Plato ſunt abominati. Deindè ait, ex his Solis, Lunæque ſignis didiciſſe nautas, quando oporteat nauigia ſubducere, aut deducere; vela pandere, aut colligere. Quid de ſtellis? longo temporum ſpatio ſtellarum ortus, atque obitus ſub cognitionem venerunt. Sępe etiam crinitarum ſtellarum exortum videntes ferarum, aut locuſtarum copiam experti ſunt. Complures etiam miſerabilem hominum internecionem, atque aduerſariorum inſultus ſunt paſſi.

Luc. 21.
Matth. 24.
Gen. 1.
Chryſoſt.
Theod.
Contra Genethliacos.

6. Plerique ex patribus, ne prædictus capitis primi Geneſeos locus, Genethliacis, quorum vaniſſima eſt ſcientia, ſuffragari videatur; ſignificaſſe Deum autumant ſignorum nomine, quædam rerum magnarum indicia, quæ in Sole futuris ſeculis erant conſpicienda; non autē iſta communia, quæ compertiſſima ſunt, aut ſaltem illa præcipue. Vnde Græcus interpres, referens Baſilium magnum, Cyrillum, & Apollinarium, qui aiunt, nihil aliud ſignificare luminaria, niſi tempora, dies, & annos, quamuis eis aſſentiatur, addit. *Facta ſunt tamen, & alia ſigna per ipſa luminaria; vt, cùm in cruce pendente Domino, hora ſexta, occidit Sol: ac rurſus ipſo nato, per diem ſtella apparuit*, &c. Diodorus quoque propoſita quæſtione, quomodo Sol, & Luna ſint in ſigna? *Fortaſſe*, inquit, *dictum eſt, erunt in ſigna, vt cùm Sol, & Luna ſtat, vt accidit ſub Ioſue vel, cùm Sol retrocedit, vt tempore Ezechiæ; vel, vt, cùm ſtella Magis apparuit.* Encherius, admittens fuiſſe à Deo conceſſa cœli luminaria, in ſigna temporum; negat ex his aſtris (in quo iudiciarij Mathematici confutantur) exprimi natiuitates, & vitæ, cuiuſque hominis progreſſum. Hugo de Sancto Vict. in annot. ſuper Geneſ. cap. 7. tria feciſſe Deum ait miræ virtutis, & efficaciæ; herbas, lapides, & ſtellas. Et quidem ſtellis præcipueque Soli, & Lunæ, vim ineſſe immutandi aërem, cuius interuentu, immutatio in corporibus efficiatur, à quibus propter affinitatem, & nimiā cum animis coniunctionem, promanant in homines triſtitiæ, lætitiæ, aliarumque affectionum permutationes. Quæ tamen affectiones, non ita animis inſident, cùm ab externa vi profluant, vt humanæ prudentiæ vim afferant, & liberum in tranſuerſum impellant arbitratum. Quod etiam annotauit Diuus Thom. 1. par. quæſt. 70. art. 2. addit 1. & 2.

Gen. 1.
Genethlialogia, eſt vaniſſima ſcientia.
Græcus Anonimus.
Baſil.
Cyrill.
Apollinar.
Matth. 26.
Diodorus.
Sol, & Luna ſunt in ſigna rerum ad fidem ſpectantium.
Eucher.
Hugo de Sancto Victore.
Vis lapidum, herbarum, & ſtellarum ad immutanda alia corpora.
D Thom.

7. Quæritur D. Baſilius, de Genethliacis, quod partem ſyderalis ſcientiæ, quæ in ortu verſatur, ſcripturæ ſanctæ defendere velint patrocinio; cùm dicitur de luminaribus mundi: *Erunt in ſigna*, &c. Sint, inquiunt (in ſigna, non eorum affectuum, quibus afficitur aër, neque mutationum temporum, ſed ſortis humanæ vitæ. *Prorſus*, inquit D. Baſil.) *non quod eſt, ſed quod eis placet, intelligunt. Quid enim aiunt? ſtellarum mirantium cum ipſis ſyderibus nexum, quæ ſigni fero in orbe ſunt collocata, ſi tali figura concurſus eorum fuerit, tales ortus hominum agere; ſin talis, contrariam ortus, variaq; ſortem efficere. Sed iſtorum elegāter propoſitæ opiniones perſimiles ſunt araneatum telis, in quas ſi culex, ſi muſca, ſi quid ima-*

D. Baſil.
Confutātur Genethliaci a D. Baſil.

lidum

ladum inciderit irretitum retinetur, euaderéque non poteſt: ſi validiuſcula irruperit beſtia, facilè admodum elabitur, & exiguas illas diſcindit telas, ac demolitur. In hos quoque inuehitur D. Auguſt. de Geneſi ad literam; dicens; *De fatis autem ſyderum quales libet eorum argutias, & quaſi de matheſi documentorum experimenta, quæ illi apoteleſmata vocant, omnino à noſtra fidei ſanitate reſpuamus. Talibus enim diſputationibus etiam orandi cauſas, à nobis auferre conantur, & impia peruerſitate, in malefactis, quæ rectiſſimè reprehenduntur excuſationes ingerunt; accuſantes potiùs Deum authorem ſyderum, quàm hominum ſcelera, &c.* D. Ambroſ. falſitatem pernicioſæ Genithliacorum doctrinæ deteſtatus, nullam à Sole, aut Luna, cæteriſque ſyderibus inuehi hominibus operandi neceſſitatem, ex eo confirmat; quòd multos videmus ereptos à peccatis, in meliorem conuerſos eſſe ſtatum. Nonne Apoſtolos, Chriſti ſanctificauit aduentus? Num latro, qui cum Chriſto cruci fuit affixus, beneficio natiuitatis ſuæ, an potiùs fidei confeſſione, æternam eſt, in momento ſalutem aſſecutus? Ionam in mare, non vis natiuitatis, ſed diuinæ præcipitauit diſſimulatio iuſſionis; eundémque cetus excipiens ad indicium futuri myſterij poſt triduum reuomuit, & prophetiæ merito, gratiæ reſeruauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum, Angelus Domini, non ſeries è ſtellarum liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam; & percuſſum à vipera; turbatúmque naufragio, non remedia natiuitatis, ſed deuotionis merita ſeruauerunt. Quid de illis, dicemus, qui Apoſtolorum meritis cùm eſſent mortui, reſurrexerunt? Num illos ſua natiuitas, an Apoſtolica ſuſcitauit gratia? Quid opus fuit, vt ſe ieiuniis, periculíſque committerent, ſi ad id, quod volebant, natiuitatis poterant beneficio peruenire? Quod ſi credidiſſent, dum expectant fatorum neceſſitatum, nunquam ad tantam perueniſſent gratiam. Inutilis igitur eſt iſta perſuaſio. Lege D. Auguſt. lib. 5. de ciuit. cap. 1. & D. Thom. opuſcul. de iudic. Aſtrol. D. Ambr. D. Baſil. & interpretes omnes, qui accuratè in Geneſim ſcripſerunt.

D. Auguſt. — *D. Ambroſ.* — *Gratia, non natiuitatis beneficium ſanctos fecit.* — *Ion. 1. & 2.* — *Luc. 23. Act. 9. Act. 28.* — *D. Auguſt. D. Thom. D. Ambroſ. D. Baſil.*

8. Sed his omiſſis ad ſigna iam veniamus, quibus Sol res prorſus magnas, & admirandas prænuntiauit. Primum, occurrit illud, de quo agitur Gen. 9. vbi Deus, poſt pollicitationem verbo factam, de non perdendis hominibus iterata aquarum inundatione, humanæ ſe attemperans conſuetudini, quæ in promiſſis ſtabilitatem externo aliquo indicio declaratam, & teſtatam eſſe volumus, addidit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram, &c.* Signum fœderis, Deus vocat iridem, quaſi dicat Deus (vt Chryſoſtomus interpretatur) ſi ſermo meus non ſufficit: ecce, & ſignum do, nunquam vlterius talem me pœnam inducturum. Sed quid irim eſſe putas? Profectò non eſt aliud, quàm Solis in nube imbrifera, tanquam in ſpeculo, emicans imago. Vnde Euſebius Emiſſ. *Nouis*, inquit, *Irim in laxitate imbrium fieri, iaciente Sole in imbriferas nubes, radios. Eſt itaque ſignum, diluuium vniuerſale, haudquaquam futurum eſſe, &c.* Pulchrè D. Ambroſ. Iridem propterea in nubibus poni ait in ſignum miſericordiæ, quia tunc maximè opus eſt diuinæ auxilio prouidentiæ, quando nubium agmina in procellas tempeſtatéſque coguntur. Ideóque dici: *Arcum meum ponam in nubibus*: non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagittæ eſt. Itaque non ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta: & ideò Dominus in nubibus arcum magis, quàm ſagittam ponit; id eſt, non illud, quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſoleat. Hæc ferè Ambroſ. Philo quoque Epiſcopus; Arcu in quo Solis imago exprimitur, ſymbolice inuiſibilis Dei potentiam ſignificari exiſtimat, quæ in cœlo ſerenitate laxato, & per nebulas extenſo exiſtens, non ſicut nubes ex toto in aquas reſoluit, ita vt in vniuerſum, diluuium aquarum fiat. Gubernat enim, & tanquam auriga regit aëris denſitatem, qui tunc maximè, ob ſatietatem (vt ita dicam) laſciuire ſolet, &c. Eucherius in hac ſolis inſinuata in nubes imagine, ignis, & aquæ naturam conſiderat. *Arcus*, inquit, *propter ſignum ſecuritatis in cœlo poſitus eſt. Et ipſum ſignum in igne & aqua oſtenditur, quia ex parte eſt cæruleus, & ex parte rubicundus; quia vtriuſque iudicij teſtis eſt, vnius videlicet facti, & alterius faciendi.* Hæc Eucherius, cui concinit Strabus dum ait; cæruleum colorem, iridi adeſſe extrinſecus, igneum verò intrinſecus. Vide ſignum fœderis æterni, in ſolis imagine, à Deo ipſo, poſt Noeticum diluuium fuiſſe conſtitutum.

Signa diuina in ſole obſeruata. — *Gen. 9.* — *Signum 1.* — *Iris eſt fœderis ſignum. Chryſoſt.* — *Emiſſen.* — *Ambroſ.* — *Iris ſignum miſericordiæ.* — *Arcus ſine ſagitta in nubibus.* — *Philo Epiſc.* — *Eucherius in iride ignem & aquam conſiderat.* — *Symbolum vtriuſque iudicij in iride.* — *Strabus.*

9. Quid cætera perſequar? Alterum ſignum legimus in ſomnio Ioſephi patriarchæ, in quo ipſũ à patre, & fratribus adorandum, Solis, Lunæ, & aſtrorum vndecim conſpectu præmonſtratum eſt. *Vidi*, inquit, *per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me, &c.*

Signum 2. — *Gen. 37.*

10. Tertium ſignũ, & valde mirabile eſt, quod in hoc capite narratur; in quo, & virtus diuina, & Ioſue ſanctitas eluxit. De hoc ſigno, ad ieiunij commendationem, ita Tertullianus aduerſus Pſychicos: *Ieſum Naue debellantem Amorrhæos, prandiſſe illa die exiſtimemus, qua ipſis elementis ſtationem imperauit? ſtetit Sol in Gabaon, & Luna in Aialon: ſtetit Sol, & Luna in ſtatione, donec victus eſt populus de inimicis ſuis: & ſtetit Sol in medio cœlo, & non accedebat in occaſum, & in finem diei vnius. Non fuit dies talis retro, & in nouiſſimo, vſque tam prolixus, vt exaudiret Deus hominem, parem ſcilicet Solis, inſtantem tandiu in officio ſtationem etiam ſera longiorem.* Hæc Tertull. cuius poſtrema verba ita Pamelius ex Hieronymo expreſſit: *Et mediam pluſqua vnius diei, victores exercitus protelaui.* Idem lib. 3. aduerſus Marcionem, de concordia patrum veteris, ac noui Teſtamenti, ſic ſcribit:

At Ieſus Naue filius Auſes antenocatus, &c.

Solem cum Luna ſtatuit, dum vinceret hoſtes, &c.

Retardato curſu Sol precibus Ioſue, propitium eſſe Hebræis cæleſtè numen ſignificauit; illorum vero hoſtibus offenſum.

Signum 3. — *Tertull.* — *Ieiunus Ioſue Solem ſtare fecit.* — *Tertull. Pamelius. Hieron.*

11. Quartum ſignum, de quo agitur 4. Reg. 20. & Iſa. 38. fuit retromeantis Solis decem lineis prodigium; ex quo Ezechias intellexit, donati ſibi à Deo, vt prædixerat Iſaias, quindecim annorum vitæ, quæ deplorata iam erat, incolumitatem. De quo miraculo, annotat. 6. agendum eſt.

Signum 4. 4. Reg. 20. Iſai. 38.

12. Quintum, aliqui colligunt ex 1. Paral. 4. vbi in enumeratione filiorum Iudæ, quidam cenſetur, qui ſtare fecit Solem. Hunc Rabanus, & Gloſſa dicunt fuiſſe Elimelech maritum Noemi, de qua agitur in lib. Ruth. Addúntque eo viuente, Solem ſtetiſſe, vt tanto miraculo viſo, legis præuaricatores, ad Dominũm mentẽ, & mores conuerterent. Quod quia facere noluerunt, idcirco fames graſſata eſt; & priùs quidem in tribu Iuda. Vnde inopia cogẽte, peregrinatus eſt Elimelech in terra Moab, & quia 1. Paral. 4. ſcriptum eſt: *Et qui ſtare fecit Solem*: aſſerunt prædicti authores ſe-

Signum 5. 1. Paral. 4. Raban. Gloſſa — *Ruth.* — *Statio Solis propter peccata* — *1. Paral. 4.*

cuti

cuti Rabbinos ad preces eius Solem ſtetiſſe; vt oſtenderetur hoc prodigio mutari rerum ſtatum, propter hominum obſtinatè peccantium improbitatem: ſed quid magis affine veritati ſit. Annot. 7. inueſtigabimus.

Signum 6.
D. Thom.

13. Sextum ſignum refert D.Thom. 3.part.qu. 36.art. 3. enumerans enim aliqua ſigna, quæ in Chriſti Domini natalem diem, aut paulò antè inciderunt; ait in Hiſpania tres apparuiſſe Soles paulatim in vnum coëuntes.

Tres Soles.

Quo ſigno Trinitatis indiuiſa vnitas à Chriſto edocenda, fuit præmonſtrata.

Bonauen.

D.Bonau. in lib. de quinque feſtiuitatibus pueri Ieſu: In nocte, qua Chriſtus natus eſt, *Tres*, inquit, *Soles apparuerunt in Oriente, & paulatim in vnum corpus ſolare ſunt redacti.*

Dion.

Dion lib. 45. ſcribit ætate Auguſti multa fuiſſe conſpecta prodigia.

Corona ſpicarũ ignita, & alia ſigna Chriſto nato apparuerunt.

Præter alia affirmat, viſam fuiſſe, ab Oriente in Occidentem diſcurrentem lampada: nouam ſtellam multis diebus conſpectam: Solem triplici præcinctum circulo, quorum vnus, ignita ſpicarum corona circundatus erat. Cæterùm hæc, quæ à Dione narrantur, ſub initium imperij Auguſti ante Chriſti natiuitatem contigere.

Euſeb.

Euſebius in Chronico, anno Iulij Cæſaris extremo, ante Chriſti orrum circiter quadrageſimum ſecundum, docet Romæ tres exortos Soles in eundem paulatim coiuiſſe orbem.

Oroſius.

Paulus Oroſius lib.6.cap.18. narrat paulò pòſt Iulij Cæſaris mortem, cùm Auguſtus ex Apollonia rediens, Romã ingrederetur, hora circiter diei tertia, repente liquido, ac puro cælo, circulum, in ſpeciem cæleſtis arcus, Solis ambiiſſe orbem:

Circulus in Sole ante Chriſti natiuitatem.

Quaſi vnum eum Auguſtum, potentiſſimum, ac ſolum clariſſimum in orbe futurum monſtraret; cuius tempore naſciturus eſſet, qui ipſum Solem, mundúmque totum feciſſet, & regeret.

Plinius.

Oroſio ſuccenturiatur Plinius lib.2.cap.28. *Cernuntur*, inquit, *circa Solis orbem verſicolores circuli, qualiter Auguſto Cæſare in prima iuuenta, vrbem intrante ad nomen ingens capeſſendum* Hæc Plinius, ſiue igitur in ipſa Chriſti natiuitate terni Soles in vnum coëuntes affulſerint: ſiue aliquot annos ante, animum induco meum, non tam id factum propter Auguſti imperium, quod Chriſti Domini natalibus felix fuit, quàm propter ipſum Chriſtum Solis, & totius naturæ conditorem.

Signum 7.
D. Antonius.

14. Septimum ſignum inuenies apud D. Anton. 1.part.hiſt.nu.4.cap.6.§.10. *Natus eſt* inquit, *Chriſtus eo tempore, quo erat pax in iſto orbe, quod nunquam contigerat iam inde à funere Numæ Pompilij. Quod Romani induſtria Octauiani tribuentes, voluerunt eum, vt Deum venerari. Ille Sibyllam propheteſſam aduocans ſcire voluit per oracula an alius maior eo eſſet naſciturus? Cùm ergo in die natalis Chriſti, concilium ſuper hanc rem conuocaſſet, & Sibylla in camera imperatoris, oraculis inſiſteret: in die media, circulus aureus apparuit circa Solem, & in medio virgo pulcherrima puerum geſtans in gremio.*

In die natalis Chriſti, in circulo aureo Virgo cum puero Ieſu, Auguſto apparuit.

Quod Sibylla Cæſari oſtendens dixit. Hic puer maior te eſt, & ideò ipſum adora. Audiáque eſt vox dicens: Hæc eſt ara cæli. Vnde ille Capitolij locus, vbi tunc erat palatium Octauiani, nunc eſt Eccleſia, & conuentus ordinis Minorum qui dicitur hodie, ſancta Maria. Ara cæli.

Sancta Maria Ara cæli.

Hæc D. Anton. paucis mutatis, aut detractis verbis, quæ tamen nihil ad ſententiam conferunt.

Bonau.

D.Bonau. in lib. citato, de quinque feſt. pueri Ieſu; huius ſigni meminit. *In die*, inquit, *media, circulus aureus apparuit circa Solem; & in medio circuli Virgo pulcherrima puerum geſtans in gremio, &c.*

Petrus à Nat.

Epiſcopus etiam Petrus à Natalibus, Oroſium citans, ſic ſcribit in ſuo Sanctorum catalogo: *Cùm Romani Octauianum pro Deo adorare vellent; ille, triduanas inducias petijt: Sibyllam aduocauit, & conſuluit. Cui, in die natalis Domini, in camera Cæſaris oranti media die, circulus aureus apparuit circa Solem, & in medio virgo puerum geſtans, & literis aureis inſcriptum: Hæc eſt ara filij Dei viuentis: Tunc Sibylla viſionem Auguſto oſtendit, & puerum illum ipſa die natũ dixit, quem Auguſto maiorem eſſe aſſeruit. Quem imperator adorans, eidem ſacrificauit; in quo loco nunc ædificata eſt Eccleſia, quæ dicitur, Sancta Maria, ara cæli.* Sunt qui de veritate huius ſigni dubitent, quòd nec patres illius meminerint, nec Sibylla aliqua, Auguſti ætate extiterit. Non eſt tamen cur rem, quæ idoneos habet authores, cùm pietatem foueat, impugnemus eo argumento, quòd à patribus nihil de eo ſit dictum. Multa namque ab illis prætermiſſa ſunt, quæ vulgo erant manifeſta, & poſterioribus ſeculis, monumentis ſunt tradita.

Sibyllini libri lecti, ab Auguſto.

Nec eo etiam, quòd nulla vixerit Sibylla Auguſti tempore, quæ circulum ei aureum, Virgine, & puero IESV inſignitum, poſſet oſtendere. Fas enim nobis eſt, Sibyllæ nomine, Sibyllæ verſus intelligere, quorum ductu, & quaſi magiſterio, ſigna illa viderit Auguſtus.

Baron Card.

Certè Cardinalis Baronius, in Apparatu, Sibyllam ait, pro Sibyllinis libris, quorum lectioni Auguſtus aſſueuerat vſurpari. Quid, ſi ætate Auguſti aliqua Sibylla ſuperſtes fuit, de cuius vitæ longitudine, faſti ſiluere?

Signum 8.
Dionyſ.
Eclipſis in morte Chriſti.

15. Octaui ſigni meminit Dionyſius Areopagita in epiſt. ad Polycarpum; quod eclipſis fuit Solis maximè memorabilis. Res ſic habet. Chriſto Domino mortem pro mundi ſalute patiente, Sol luc idiſſimum ſplendorem, media die ſubduxit, & occuluit; neutiquam ferens totius orbis opificem, ſuffixum crucis patibulo, ſe lucem miniſtrante, ab hominibus videri. Eámque ob rem nulli dum auditam, ac prorſus mirabilem, vehementi perculſus ſtupore Dionyſius, humanámq; ſupergrediens cognitionem, in hanc prorupit vocem: *Ignotus, & carne veſtitus Deus patitur, cuius gratia; denſa hac caligine, vniuerſa mundi moles obſcurata eſt, & concuſſa.*

Dionyſ.

De hac eclipſi in Epiſt. cit. ita ſcribit idem Dionyſius. *Quid de ea Solis eclipſi cenſes, quæ facta eſt Domino à ſalutari cruce pendente? Eramus enim tunc temporis ambo (nempe ego, & Apollophanes) apud Heliopolim, ſimúlque conſiſtebamus Lunam contuentes, ſtupendo, ac mirabili modo Soli incidentem: Neque enim tempus erat eiuſmodi vtriuſque coniunctionis. Rurſus ipſam contemplabamur ab hora nona ad vſque veſperam, ad diametrum ſolarem, præter ordinem naturæ, quamprimum reſtitutum. Noui planè Apollophanes eam lunæ incidentiam, ſpectantibus nobis, ab Oriente cœpiſſe, & ad vltimam vſque Solis pertigiſſe lineam; deinde reſiluiſſe. Deinnò, non ex eadem parte, & incidentiam ſimul, & repugnantiã contigit fieri; ſed ex oppoſita Solis diametro.* Hæc ille; affirmans Solem, hoc defectu indicaſſe, Solis iuſtitiæ, qui Chriſtus eſt, mortem pro mundi ſalute toleratam.

Cyrill.

16. Pulchrè de hoc ſigno à Cyrillo Hieroſolymitano ſcriptum eſt catech. 13. *De die*, inquit, *paſſionis Chriſti ita Zacharias. Et erit in die illa: non erit lumen, & erit frigus vna die. Frigus cùm eſſet, Petrus calefaciebat ſe. Et dies illa nota Domino. Multæ ſunt dies, ſed illa paſſionis eſt, quam fecit Dominus. Et neque dies, neque nox. Quale eſt hoc ænigma? interpretatur euangelium. Non erat dies; quia non perpetuò ab oriente vſque ad occaſum Sol lucebat: ſed à ſexta vſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt: in medio die inter*

Zach 14.

Matth. 27.
Qualis fuerit dies patiente Chriſto.

poſita

poſita ſunt tenebræ. Nominauit autem Deus tenebras A
Gen. 1. *noctem. Non erat tota lux, vt vocaretur dies, neque tota*
Chryſoſt. *tenebræ, vt vocaretur nox*, &c. D. Chryſoſt. *Non pote-*
rat, inquit, *creatura ferre iniuriam creatoris. Vnde Sol*
retraxit radios ſuos, ne videret impiorum facinora, &c.
Origenes. Origen. *Sicut Moſe* (inquit) *manus extendente in*
Matth. 27. *cælum, facta ſunt tenebræ ſuper Ægyptios: ſic & Chri-*
ſto manus extendente in cruce ad cælum ſuper populum,
qui clamauerat, Crucifige eum: facta ſunt tenebræ, & ab
omni lumine ſunt priuati: lumen autem fuit ſuper om-
nem reliquam terram, quod vbique illuminat omnem
Eccleſiam Dei in Chriſto, &c.

Auguſtinus. Egit multis in locis de hac eclipſi D. Auguſt.
Sed illud ad noſtrum facit inſtitutum, quod ſcri- B
ptum reliquit lib. 3. de ciuit. cap. 15. *Solis*, inquit,
defectio facta eſt, cùm Dominus crucifixus eſt crudelita-
te, atque impietate Iudæorum. Quam Solis defectionem,
non ex canonico ſyderum curſu accidiſſe, ſatis oſtenditur,
quòd tum erat paſcha Iudæorum, quod in plena Luna
ſolemniter agitur. Regularis autem Solis defectio, non-
niſi Lunæ fine contingit, &c. Præcemur Deum, vt
non occidat nobis Sol iuſtitiæ, ſicut occidit Iu-
dæis, in quorum regione, propterea tenebræ fa-
ctæ ſunt (vt Origen opinatur) reliquo orbe illu-
Malach. 4. minato. Sic enim vt Malachias ait cap. 4. Depul-
ſis ſcelerum tenebris, *Orietur nobis Sol iuſtitiæ, &*
Auguſtinus. *ſanitas in pennis eius*; Hoc eſt, vt Auguſtinus inter- C
pretatur, in protectione eius.

Signum 9. 17. Nonum ſignum, in obductione conſtitit,
qua Sol, natura ſtupente, lucem ſuam multos te-
xit dies. Cùm enim Hiſpania Maurorum ſeruitu-
Hiſpania à Mauris occupata fuit, victo Roderico. An. 714. ti magna ex parte ſubiecta eſſet, eò miſeriarum,
iam inde ab infelici Regis Roderici principatu
ventum eſt, vt cogerentur Chriſtiani annis ſingu-
lis (horret animus meminiſſe) tributi nomine, ſe-
xaginta virgines, quarum triginta nobiles eſſent,
Exactio tributi pudenda. totidem ex plebe, Saracenorum Regi, Cordu-
bam, ſuperbo tùnc imperio obtinenti, pendere,
vt pro illius arbitratu Mahometani milites, ea-
Prodigioſa Solis defectio. rum abuterentur, & pudicitia, & mancipio. Ecce D
tibi, Rem miram? oſtenſi tanto ſcelere numinis in
Sole apparuere indicia. In priuilegio votorum,
quæ ad expianda huiuſmodi prodigia, à Ferdi-
nando Goncali Caſtellæ Comite, Beato Æmilia-
no ſiue Miloni nuncupata ſunt, hodiéque ſoluũ-
tur: Et in monaſterio ordinis Benedictini, eidem
Prudentius Episc. Tudenſis in priuil. monaſt. Sancti Miſenis. Diuo dicato conſeruatur; (vt autor eſt D. Pru-
dentius, Epiſcopus Tudenſis prima parte funda-
tionum, cœnobiorum D. Benedicti, quæ à Regi-
bus in Hiſpania ſunt erecta) hæc ſunt verba, quæ
licet minùs polita, veritatem tamen exiſtimantur
continere. *In Era nongenteſima ſeptuageſima ſecunda*
XIIII. Kalend. Auguſti, Sol in die VI. Feria amittens E
lucendi virtutem, obſcuratus conſtitit ab hora ſecunda,
in tertiam, IIII. feria Idus Octobris. Colorem eiuſdem
Solis, multi cognouerunt effectum pallidum, &c. Hoc
ipſum prodigium explicatius refertur Hiſpano
idiomate, in quodam priuilegio Regis Ferdinan-
di hoc nomine IIII. Solem quippe, ſic lucis ſuæ
damna pertuliſſe commemorat, vt duos menſes,
& ſemis, mundus totus tenebreſceret. Hæc irati
numinis ſigna, à Sole, toto hoc tempore, profecta
alia ſunt cõſecuta vento Africo flante. Vnde ſub-
Porta flammea in Cælo viſa. ditur. Porta flaminea aperta eſt in Cælo. Ibant
ſtellæ huc atque illuc: & commouebant ſe, & ma-
ximè diſcurrebant contra ventum Africum. Mi-
rabantur gentes de his ſignis. A noctis mediæ
tempore vſque manè, fumicus vapor terræ ma-
gnam partem combuſſit. Additur in eadem hi-
ſtoria, perſuaſum fuiſſe multis, velle iratum nu-

A men, operoſam mundi molem abſumere incen- *Terra cõbuſtio.*
dio. Quæ perſuaſio tandiù durauit, quandiù
Sol in nubilo fuit. Sole, poſt hunc tenebrarum,
diuturnum horrorem, mundum, radio puriore il-
luſtrante, adeò mortales, malorum incurſione he-
betes erant, vt vix iam è ſacris, aut profanis ho- *Scientia faſtorũ in Hiſpania intermiſſa.*
minibus, (quæ ſæculi illius indocti extitit impe-
ritia) aliquis inueniretur, qui Kalendarum, aut fa-
ſtorum calleret ſcientiam. Tantus inerat menti-
bus ſtupor. Hæc monſtra, in ſuam rem fore Ma-
hometiſta prædicebant, ſed falſo. Nam tres Chri-
ſtiani principes, Ramirus, ſcilicet, Legionenſis
Rex: Ferdinandus Goncali Caſtellæ Comes; & *Occiduntur Maurorum legati.*
B Garcias Sanctius Rex Nauarræ, immaniſſimi fla-
gitij dedecus, quo Virginum pudor, Mahometi-
ſtis quot annis proſtituebatur, grauiter (vt par
erat) deteſtati; legatorum regis, qui eas, de mora
exigebant, cæde expiarunt. Cuius facti occaſio-
ne, cum Saracenis ad Simanchas, feliciter eſt de-
certatum. Adfuit Chriſtianis militibus, princi-
pum votis, & precibus placatum numen. Duo
námque albis inſidentes equis, à cœlo fulſere du
ces (D. Iacobum, & D. Æmilianum vulgo Milo- *D. Iacobus, & D. Æmilianus, equis albis inſidentes Mauris afferunt perniciem.*
nem autores nominant) qui noſtrorum aciem
præeuntes, Saracenos diſtrictis iugulabant gla-
diis: Viamque ad glorioſam victoriam, de barba-
C ris, qui in numeri eò loci conuenerant, reportan-
dam, noſtris aperuere. Tanti eſt peccatum depu-
liſſe. Sol deinceps Hiſpaniæ, purior illuxit, & hi-
larior. Auget huius hiſtoriæ fidem, præter alios, *Victoria Hiſpanorum contra Mahometiſtas.*
Sebaſtianus Epiſcopus Salmanticenſis in lib. M.
S. Cuius partem carpſit, D. Prudentius Tudenſis *D. Prudentius Epiſcopus.*
Epiſcopus loco indicato. §. 35.

Poſſem ex autorum mõnumentis exempla col-
ligere non pauca: ex quibus haud obſcurè intel-
ligitur, in Sole, à Deo exhibita ſæpius fuiſſe,
nunc proſperi, nunc aduerſi caſus non dubia ar-
gumenta, quæ quoniam vulgo nota ſunt, pru-
dens prætermitto.

D 18. Decimò, ſignum, quod maximè hominum *Signum 10.*
generi conſpicuum erit, habetur Luc. 21. *Erunt*
(inquit Chriſtus Dominus) *Signa in Sole & Luna,* *Signa in Sole, & Luna in fine mundi.*
& Stellis. Iudicij magni, ſignum fore ait, Solis, &
Lunæ obſcurationem: Hæc obſcuratio, qualis ſi *Luc. 21.*
futura, non vna eſt ſententia. Primam inculcat D.
Hieronymus. Ait enim, Solem, & Lunam obſcu- *Hieronymus.*
ratum iri, non diminutione luminis, ſed compa-
ratione eximiæ lucis, qua Chriſtus, cùm ad iudi-
candum venerit, circumamictus fulgebit. Idem
aſſerit Auguſt. de temp. ſerm. 130. Theophyl. & *Auguſtinus. Theophyl. Beda.*
Beda Luc. 21. Secunda eſt, non eſſe re ipſa obſcu-
randum Solem, ſed hoc loquendi ambitu, mæſti-
E tiam, & calamitates illius temporis ſignificari:
ſicut, cùm Iſaiæ 13. de Babylonis euerſione agi- *Iſai. 13.*
tur, hæc ſunt verba: *Obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo,*
& Luna non ſplendebit in lumine ſuo, &c. Senſus eſt,
Præ timoris magnitudine cuncta mortalibus te-
nebreſcent. Sol ipſe, Luna, & aſtra ſuum vide-
buntur negare fulgorem. Ad hunc tropum ac-
commodet D. Chryſoſt. orationem ſuam hom. 2.
ad Pop. Antioch. dum ciuitas vniuerſa mœret.
Ipſa, inquit, *aeris natura, & ſolarium radiorum circu-*
lus, nunc mihi quodammodò mœrere, & obtuſior lucere
videtur, &c. Nempe oculis triſtitia turbatis, ne-
quibant ciues, puro, ac liquido aſpectu, ſolarium *Chryſoſt.*
radiorum intueri lumen.

Tertia, quæ literæ eſt magis conſentanea, So- *Origenis ſententia de obſcuratione Solis in incendio.*
lem & Lunam, reipſa obſcuratum iri cenſet: non
quod (vt aliqui putarunt, quos refert Origenes)
nubes fumi, ex mundi ſupremo incẽdio excitatæ

hanc

hanc efficient caliginem. Prius enim Sol eſt priuandus lumine, quàm flamma orbem comburat: ſed luminis infuſcatione miraculo facta. Rectè Carthuſianus, Matth 24. obducendum caligine Solem, & Lunam affirmat, vel, quia diuina virtute ſuo priuabuntur lumine, vel, quia aliqua interponentur opaca corpora: Vel, denique quia Luna (quod in paſſione Christi accidit teſte Dionyſio Areopag.) Soli ſubiicietur. Caietanus Marc. 13. putat abſque eclipſi, & nubibus, Solem miraculo obſcurandum.

Carthuſ.

Dionyſ. Areopag. Epiſt. 7.

Caietani opinio de obſcuratione Solis in iudicio. Marc. 13.

Abulenſ.

Abulenſis Matth. 24. quæſt. 155. vno à quatuor modis fieri poſſe ait, huiuſmodi luminarium tenebras. Primò, per radiorum productionis ſubtractionem. Secundò, per alterius opaci corporis interpoſitionem. Tertiò, per lucis ſubtractionem, ita vt eo tempore non ſint luminoſa corpora. Quartò per eclipſim. Ex his modis, ſecundus huic doctori magis arridet. Mihi habitarum tunc Solem, & Lunam ſplendorem, probabiliùs eſt; eam tamen non eſſe communicandum rebus, impediente Deo illuminationem, per ſubtractionem concurſus, ſine quo ſplẽdor à nullo aſtro emitti poteſt. Sic in Babylonica fornace concurſum ſuum, ne ſanctos pueros ignis adureret, infrenauit Deus. Quare dies illi poſtremi, inſtar noctis erunt obſcuriſſimæ.

Obſcuratio Solis in die iudicii vnde proficiſcetur?

Quæri poteſt, quanta temporis mora hæ durabunt tenebræ? Abulenſ. ſuper cap. 24 Matthæi. *Erit*, inquit, *tanti temporis duratio, vt credatur veriſimiliter eſſe ſignum rei maximæ, & tamen non deſtruat viuentia. Hoc tempus ſatis eſt trium, aut quatuor horarum: quia tunc per omnes terras poterit manifeſtè videri.* Hæc ille, colligens id ſpatij ex mora trium horarum, qua Sol, patiente Domino, obductus eſt caligine. Mihi, vero magis affine eſt, non ſolùm per plures horas, ſed per aliquot dies eam caliginẽ perſeueraturam. Quidni? Nónne æquum eſt, vt tunc ſeneſcenti mundo, imò decrepito, ſua lumina, quæ illi oculorum inſtar ſunt, per plures dies hebeſcant, quàm olim adoleſcenti? Exodi 10. ſcriptum eſt. *Factæ ſunt tenebræ in vniuerſa terra Ægypti: Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, neque mouit ſe loco in quo erat, &c.* Quid ſi ſeptem diebus, aut pluribus duraturæ ſunt hæ tenebræ, ante mundi conflagrationem? At perniciem afferent hominibus? Afferent. Illam tamen quantam putas futuram, cùm paulò poſt in ipſa mundi ruina, omnia, quæ ſpirant, & viuunt, ſint peritura?

Abulenſis.

Duratio tenebrarum in die iudicij quanta?

Authoris ſententia

Exod. 10.

19. Porrò, Solem diuinæ miſericordiæ Symbolum eſſe, aduertit, D. Ambroſ. ſuper Pſal. 118. ſerm. 8. *Plena eſt terra*, inquit, *miſericordia Domini, quia omnibus data eſt remiſſio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur. Et hic quidem Sol quotidie ſuper omnes oritur. Myſticus autem Sol ille iuſtitiæ, omnibus ortus eſt: omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus resurrexit. Ideò autem paſſus eſt, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Chriſtum generali beneficio ſe fraudat; vt ſiquis clauſis feneſtris, radios Solis excludat, non ideò Sol, non ortus eſt omnibus, quia calore eius ſe ipſe fraudauit: Sed, quod Solis eſt, prærogatiuam ſuam ſeruat, quod imprudentis eſt, communis à ſe lucis gratiam excludit, &c.* Eſt illa Solis præclara laus, quòd, cùm Euangeliſta vellet Chriſti in monte Thabor, in ſpeciem gloriæ configurati, pulchritudinem demonſtrare, vultum illius inſtar Solis reſplenduiſſe dixit. *Reſplenduit*, inquit, *facies eius ſicut Sol.* Extitit è toto corpore, & membris Chriſti admirabilis ſplendor: in vultu tamen Solis inſtar, magis enituit.

D. Ambroſ.

Sol diuinæ miſericordiæ Symbolum.

Matth. 17.

Splendor vultus Chriſti Soli comparatur.

A

Fulgebant quidem Sancti in gloria ſicut Sol: Non tamen, eorum fulgor iuſtitiæ Soli æqualis extitet. Solis quidem ſplendor, ad ſanctorum dotes, quibus poſt hanc mortalem vitam ornabuntur, ſignificandas, paſſim aſſumitur; ſed aliter regi conuenit, aliter clienti: aliter Domino, aliter ſeruo. Vnde Chryſoſt. *Si facies*, inquit, *Domini reſplenduit ſicut Sol, & Sancti ſicut Sol fulgebunt; nunquid erit æqualis claritas Domini, & ſeruorum? nequaquàm. Sed quia nihil lucidius inuenitur Sole, idcircò ad manifeſtandum exemplum futuræ reſurrectionis; & facies Domini reſplendere, & iuſti fulgere dicuntur ſicut Sol, &c.*

Aliter Chriſtus aliter ſancti Soli comparantur.

Chryſoſt.

B

20. Quid, quod poſt mundi conflagrationem, hoc lucidiſſimum aſtru[m], locum, & lucem obtinebit, ſuæ congruentem naturæ? Renouabitur in die reſurrectionis futuræ mundus, taliſque euadet, vt nouum cœlum, & nouã terram, produci à Deo videri poſſit. Et terra quidem ab omni fæce expurgata, Orientis gemmas ſuo vincet fulgore. Excipiens enim Solis, non iam circuncurſantis, ſed inuariata ſtabilitate fixi, lucidiſſimos radios; illos multiplicato lucis fœnore ſplendidiores refundet. Aqua deinde, prout Deo placuerit, terram complexa, adamantis, & pellucidi Chryſtalli à Sole illuminati, fulgoris amplificati augebit repercuſſu. Neque tamen omnia terræ loca, pari illuſtrabuntur fulgore, aut pulchritudine. Illa námq; cœli pars, plus habebit lucis, & ornamẽti, in qua Sol conſiſtet. *Alia* quippe (vt Paulus ait) *eſt claritas Solis, alia lunæ.* Quare ea terræ pars lucidior quoque apparebit, quæ Soli magis ſubiicietur. Neque verò caſu Sol certo affigetur loco, ſed vbi ea fixio ad Dei gloriam magis conducet. Iam Sanctorum corpora, in ſtatum vitæ immortalis, reſurrectionis beneficio conformata, tanto collucebunt ſplendore, vt ſeptuplo Solem ſint ſuperatura. Vnde eas terræ partes, ſi quando libuerit huc deſcendere, quibus viciniora fuerint, multò reddent ſolito lucidiores.

Sol poſt diem iudicij ſtabit.

Terra fulgebit.

Elementorum renouatio.

C

1. Cor. 15.

Rich. in 4. d. 31.

Splendor corporum beatorum in reſurrectione qualis?

D

Annon experimur, (vt iam ad finem huius tractationis feſtinem) vix poſſe quempiam, gloriam, pulchritudinem, aut aliã rem quamlibet, inſigniter prædicabilem, verbis explicare, ſiue de cæleſtibus ſphæris, ſiue de Angelis, ſiue de Deo ipſo ſermo incidat, quin à Sole, aſtro videlicet omnium pulcherrimo ducatur comparatio? Qualis eſſet hominum vita ſine Sole? Qualis è conuerſo nunc eſt, dum cœlo, & Sole fruimur? *Oculus mundi eſt* (vt ait Ambroſ.) *Et vitæ amænitas. Ortus tenebras, & mærorem depellit. Occumbens, ſui relinquit deſiderium. Anni diuidit temporã; & multis interdum modis, diuinam hominum generi annuntiat voluntatem.* Stetit ille ad preces Ioſue; ſua ſignificans ſtatione, Hebræo populo concedi cæleſte patrocinium. Tanto diuini fauoris, & tam manifeſto indicio erecti Iſraelitæ, innumerabiles breui tempore, barbarorum regum fudêre exercitus. Valetudinis recuperandæ ſigna, Ezechiæ in Sole data ſunt. Regibus quoque aliis maximarum rerum indicia, indubitato præſagio, in hoc aſtro conſtitêre. Vnde illud.

Ambroſius.

E

Iſaiæ 38.

Virg. Georg.

— Solem quis dicere falſum
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudémque, & operta tumeſcere bella.

Verſ. 13.] Steterúntque Sol & Luna, &c.

An ſtante Sole, & Luna, ceſſauerit omnis motus omnium cælorum?

ANNOTATIO V.

Pars, quæ affirmat omnes orbes ceſſaſſe à motu probabilis eſt.
Auguſtinus.

1. HANC quæſtionem tractat D. Auguſt. lib. 2. de mirab. ſacræ ſcripturæ; in eámque fertur ſententiam, quæ longè probabiliſſima eſt, nimirum omnes cæleſtes ſphæras, atque adeò ipſum primum mobile, immotum cum Sole & Luna ſtetiſſe. *Hæc*, inquit, *luminarium mora, nihil nouum in natura commiſit. Etſi in miniſterio aliquid nouum aliquando natum oſtendit. Sed & illa varietas nihil in anni curſu, & reliquorum dierum commouit, dum pariter Sol & Luna, vnumquodque in ſuo ordine requieuit. Si enim vnum luminare curreret, dum alterum interim requieſceret, dierum & menſium & annorum aſſuetum curſum conturbaret. Dum autem vtrámque moram hanc habuit, quaſi poſt conſuetum diem in occaſus ſui limitem perrexit. Non enim quod ad belli illuminationem Luna tunc in præſentia Solis proficeret, ſtare imperatur: ſed nequid in congruo luminarium meatu per vnius quietem, & alterius curſum deſtrueretur.* & infrà. Lunam, ait, non tantùm quieuiſſe, ſed interim nihil incrementi, aut decrementi accepiſſe. Rationem verò reddit; quia ſi ſtans Luna creſceret, vel deficeret: lunare incrementum, vltra Solis curſum in cyclorum rationibus aliquid turbaret. Dum verò nihil in circuli in ſe reuertentis curſu, dies illa ſolito longior præbuit, tunc manifeſtum eſt, quod in illa ſuperueniente veſpera; vnius diei incrementum Luna, ſicut quotidiè ſolet, geſſit. Vide quæ ſequuntur.

Diony. Areop.

2. Idem ſentit D. Dionyſ. agens, námque in epiſt. ad Polycarpũ de ſtatione Solis & Lunæ, ſubiungit, *Ad dies totius menſuram in eiſdem ſignis omnia conſtiterunt, &c.*

3. In eadem ſententia eſt Abulenſ. quæſt. 22. colligítque grauiſſima incommoda ſi immoto Sole, cæteri orbes mouerentur. Illud verò argumentum hanc ſententiam valde confirmat, quia ad lucem præſtãdam victori populo, Lunæ retardatione opus non erat. Quare cum conſtet, eam cum Sole ſtetiſſe ad diuinam prouidentiam & ſapientiam mens fertur, quæ ita id miraculum edidit, vt nulla turbatio aſtrorum aut motuum ſequeretur, quam aſtronomi experiri poſſent. Vide Abulenſ. quæſt. 24. vbi enumerat multa abſurda, quæ ſequerentur ſi Luna dum Sol ſtabat, mota fuiſſet. Idem quæſt. 25. probat, impoſſibile eſſe aliquam ex inferioribus ſphæris motu raptus cieri, quia ſcilicet virtus primi mobilis rapientis, eas non poterat attingere. Et quæſt. 26. turbatum iri tempora manifeſtè probat, ſi Sole ſtante, ſuperiores orbes mouerentur, adeò, vt dies medij Iunij conſequerentur dies medij Decembris. Igitur dicendum eſt Sole ſtante contra Gabaon, totum cæleſtem chorum ſtetiſſe. Quæ ſtatio, ſi diu duraſſet, vt rectè aduertit Abulenſ. quæſt. 37. omnia animalia & plantæ perirent, ob harmoniam quatuor qualitatum, quibus conſtant exceſſu caloris, aut ſiccitatis diſſolubilem. Vide Abulenſ. cit. quæſt. 80. & quæſt. 81. & 82. vbi diſputat potuerintne orbes cæleſtes a curſu impediri ab Angelis, tam bonis quàm malis. Tandémque negat, niſi ex diuina iuſſione id per cauſam aliquã naturalem fieri poſſe. Ex dictis patet illud Habac. 3. *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarũ*

Abulenſ.

Si ſola ſtāte ſuperiores orbes mouerētur, multa ſequerentur incommoda.

A *tuarum ibunt, &c.* Commemorantur námque à propheta, quæ hic narrantur. Steterit quippe Sol & Luna donec Ioſue vinceret Amorrhæos. Quod additur, *in luce ſagittarum tuarum ibunt, &c.* Significant Solem & Lunam ad vocẽ & imperium Ioſue, in ſuis ſedibus ita conſtitiſſe, curſúſq; ſuos ad ſacri exercitus commoditatem attemperaſſe, vt luminaria, quæ virtute ac luce ſua, omnia moderari cõſueuerint, & à quibus rerum gerendarum tempora cunctæ res expectare & dimetiri ſolent, (vtpote, quæ in poteſtatẽ diei & noctis, & temporum ſint à Deo condita) eo tamen conflictus die ipſa lumina, curſús ſui modum, temporíſque rationem ab humano negotio deſumpſerint, ſeque impenderint ad victoriam de Hebræorum
B hoſtibus à Ioſue reportandam. Modus námque pugnæ, itineris modum Soli, & Lunæ præſcripſit. Meminit autem vates haſtę & telorum Dei, quoniam non tam humana, quam Dei virtute ea res perfecta eſt. Iſraelitæ igitur ibant in luce ſagittarum tuarum, & Sol, & Luna admodum armorum tuorum gradiebantur, cùm tu ô Domine in fremitu conculcabas terram, & in furore tuo, tonitruis, grandine, & fulminibus in Amorrhæorum Reges debacchante, barbaros milites obſtupefactos neci dabas.

C

Fueritne maius miraculum Solem ſtare, quod accidit ſub Ioſue, aut retrocedere, quod contigit ſub Ezechia?

ANNOTATIO VI.

1. DEI virtute ſpectata, non eſt maius miraculum in ſtatione Solis, quæ in regreſſu. Maior tamen admirabilitas eſſe poteſt in vno quàm in alio, ac proinde ſecundum humanum iudicium, maius eſt miraculum in Solis retroceſ-
D ſione, quæ narratur, 4. Reg. 20. vt expendit Dionyſ. Areopag. in epiſt. ad Polycarpum. *Erit*, inquit, *profectò maius atque mirabilius, &c. Et cum item alia quadam dies perpetuò lumine triplo fermè, quàm ſolet maior effecta eſt, & cælum intra viginti horas, quem iam exegerat curſum retrogrediens reperit, digniſſimíſq; miraculo contrariis orbitis tanta mora temporis remeat Sol, miro atque inſolito curſu, motum illum annuum varia temporum dimenſione conſtantem, intra decem horarum ſpatium contrahit, ipſúmque totum rurſus intra decem alias, nouam quandam tenens ſemitam conficit. Hoc profectò miraculum Babylonios tunc meritò terruit, & abſque pugna Ezechiæ (vt qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præſtare) ſubiecit.*
E Hæc Dionyſ.

4. Reg. 20.
Dionyſ.
Putat D. Dionyſ maius fuiſſe miraculum ſtatari in retroceſſione Solis quàm in ſtatione.

2. D. Auguſt. lib. 2. de Mirab. ſacr. ſcript. cap. 4. ad finem, quamuis miracula hæc non comparet, videtur tamen ſentire quandam notari æqualitatem ſecundum quam paria ſunt omnia quæ cernuntur in ſtatione & recurſu Solis. *Dum*, inquit, *hi circulorum totales recurſus in ſe congruè, & poſt illos cyclos, quibus in Sole & Luna mora, vel reditus ſigna, quomodo ſub* IESV, *vel ſub Ezechia factum legitur, apparuiſſe deſcribitur, ſine vlla varietate redeunt: manifeſtè intelligitur, quod non mora illa, aut reuerſio aliquid in luminarium, & temporum aſſueto curſu præpeditum, vel inſolitum reliquerunt, ſed quaſi per diem omnem in occaſus ſui (vt ſuprà dixi) limitem currunt*

D. Auguſt.

poſtquam

poſtquam illius ſolito longioris diei ſpatium peregerunt. Per quod videtur, quod nihil ad ſequẽtis noctis longitudinem tẽporis illa dies longa cõtulerit, cuius princeps pariter in die cum Sole diei præpoſito vnà requieuit. Hæc Auguſt.

Dionyſius. Lyranus.

3. Quid ſi magnitudinem miraculi, ex productiore die, cum Dionyſio quis velit æſtimare? Lyranus & alij affirmant, maiorem fuiſſe diem ſub Ioſue, eà ratione, quia ſupponunt decem lineas horologij Achaz non reddidiſſe decem horas, ſed quinque, & ſic dies ille creſceret horis 10. & non 20. (vt vult Dionyſius,) ſed 22. horarum. Addit diem ſub Ioſue fuiſſe horarum triginta ſex, nimirum, quia ille dies fuit duplus, nempe naturaliter decem & octo horarum propter ſolſtitium æſtiuale, & totidem ob geminationem ſupernaturalem. Hæc tamen opinio falſum ſupponit, nempe diem aliquem in terra Chanaan poſſe 18. horas exigere. Cùm enim hæc regio in tertio climate, vel principio quarti, vbi eſt Hieruſalẽ, ſita ſit, lõgiſſima dies 14. horis productior eſſe non poteſt. Quare dies ſub Ioſue 28. horas excedere non potuit.

Dies ſub Ioſue, vt quidam putant, fuit horarum. 36.

Regio Chanaan eſt in tertio climate.

4. Sunt qui dicant lineas ſingulas horologij Achaz continere ſingulas horas, atque adeò omnes decem; Solem verò retrocedendo 10. horas abſumpſiſſe, rediiſſe autem, vnde digreſſus eſt in inſtanti: quare fuiſſe diem naturalem auctum 10. tantùm horis. Repugnat huic ſententiæ retroceſſionis, & aſcenſionis per lineas eaſdem ratio manifeſta.

Diem ſub Ezechia 10. tantùm horis auctum aliqui dicunt.

5. Abulenſ. quæſt. 27. ſuper caput 20. lib. 4. Regum arbitratur diem ſub Ioſue fuiſſe duplicatum, quod ferè doctiores affirmant: at verò ſub Ezechia habuiſſe decem horas ſuprà curſum ſolitum: putat enim in regreſſione, & progreſſione, decem tantùm horas conſumptas. Siquidem duæ lineæ, vt ille cum Lyrano ait horologij, vnam horam reddebant, non duas, illius verba ſunt. Dicendum, quod dies ſub Ioſue fuit maior, primo, quia Ioſue 10. dicitur, *quod non fuit ante, nec poſt tam longa dies,* ſecundò, quia dies ſub Ioſue fuit propè ſolſtitium æſtiuale, & ſic eſſe 28. horarum, vel quaſi, & tamen dies ſub Ezechia dato, quod eſſet in ſolſtitio, non poterat eſſe maior, quàm 24. horarum, ſcilicet quatuordecim naturalium, & decem, quæ additæ ſunt, &c. Hæc opinio probabilis eſt. Mihi tamen vulgatior ſententia & communior placet, quæ plures horas tribuit diei, quo Sol ſub Ezechia retroceſſit. Hæc quippe Ducem habet Dionyſium eamque Lyranus non prorſus reiicit.

Abulenſ. putat ſub Ioſue diem fuiſſe duplicatũ ſub Ezechia. 10. horis auctum.

Ioſue. 10.

Communior ſententia plures horas tribuit diei ſub Ezechia, quã diei ſub Ioſue.

6. Eleuare nititur Paulus Burgenſis miraculum tempore Ezechiæ factum. In additione námque ad ſcholia Lyrani ſuper cap. 20. lib. 4. Reg. vbi dicitur: *vis, vt aſcendat vmbra* 10. *lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? &c.* Burgenſis verba ſunt, *ſalua ſemper ſanctorum doctorum autheritate hoc ſignũ ſecundum propriam ſignificationem literæ, necnon & rationis conuenien iam, non fuit factum in corpore Solis, nec in ipſius curſu naturali, neque in omnibus radiis à Sole per orbem præcedentibus, ſed tantùm radiis ſolaribus, qui horologium Achaz tangebant, & in vmbra ipſius horologij, à radijs ſolaribus, & interpoſitione corporis opaci, eiuſdem horologij cauſata.* Hæc Burgenſ. Vnde infert (quod ad rem facit) nimirum, licet hoc fuiſſet miraculum, quod nonniſi diuina poſſet perfici virtute, non tamen attingere ſummum gradum miraculorum, prout D. Auguſt. in epiſt. ad Voluſianum de miraculis loquitur, ibi námque Auguſt. ſic ſcribit. *In rebus mirabiliter factis,*

Burgenſis opinio.

4. Reg. 20.

Miraculum tempore Ezechiæ nõ fuiſſe factum in ipſo Sole, ſed in horologio, &c.

Auguſt.

A *tota ratio facti eſt potentia facientis: tamen quædam miracula per comparationem ad facultatem naturæ dicuntur aliis maiora.* Vnde elicit Burgenſ. inter omnia miracula, quæ à Deo tam in veteri, quàm in nouo teſtamento facta leguntur, ſummum gradum tenere illa, quæ nullo modo natura facere poteſt, vt ſunt retroceſſio Solis, & glorificatio corporis humani. Nam reſuſcitatio mortuorum ſeu illuminatio cæcorum à natiuitate, licet magna ſint miracula, non tamen attingũt ſummum gradum prædictum. Poteſt enim natura vitam introducere de nouo in corpore vitam non habente, licet non in corpore iam mortuo. Poteſt etiam præſtare viſum, ſed non cæco, vt latè explicat, D. Thom. 1. part. quæſt. 105. art. vltimo

Miracula, quæ nullo modo natura poteſt attingere, quænam ſint?

B in corpore. Miratur ergo Burgenſ. ſiquis dicat Deum voluiſſe edere miraculum in ſummo gradu, in ſignum ſanationis Ezechiæ, cùm ſatis fuerit, quodcunque, vel minimum patrare.

D. Thom.

7. Hanc tamen Burgenſ. ſententiam meritò impugnant viri docti, & pij. Primò, quia in miraculis, non eſt quærenda alia ratio præter diuinam voluntatem, vt docet Auguſt. lib. 21. de Ciuitat. cap. 7. quæ prout decet miracula nunc maiora, nunc minora, oculis obiicit. Deinde quia ſupponit, magnam turbationem futuram, ſi Sol ipſe retrocederet tempore Ezechiæ in tabulis Mathe-

Burgenſis opinio conuincitur falſitatis.

C maticis. Quæ ſuppoſitio falſa eſt. Ita námque Deus omnia attemperauit, vt nihil propterea turbaretur. Quod autem ait tempore Ioſue, non fuiſſe Aſtronomos, quis credat? Nam Ioſeph. tradit Abraham in Ægypto docuiſſe aſtronomiam, & hiſtoria ſcholaſtica refert Cham filium Noë, qui & Zoroaſtres vocatur cum regnaret in Thracia inueniſſe artem magicam, & ſeptem liberales artes ſcripſiſſe in 14. columnis in ſeptem æneis contra diluuium aquæ, & ſeptem lateritiis contra diluuium ignis. Quis verò neget vnam liberaliũ artium eſſe aſtronomiam? Præterea in Theorica Planetarum dicuntur, compoſitores tabularum ſuper Arim fuiſſe Nemroth, Hermes, Iconius

Ioſephus.

Cham Noe filius idem, qui Zoroaſtres inuentor artis magicæ & artium liberalium.

D Ptolomæus, &c. Quare non eſt cur Burgenſis dicat non fuiſſe ſub Ioſue aſtronomos, qui notarent varietatem in motibus cœli, poſt ſtationem Solis, quemadmodum extiterunt tempore Ezechiæ. Rectiùs dixiſſet, nullam fuiſſe factam mutationem, diuina virtute omnia ita diſponente, vt nihil miraculo, in poſterum turbaretur.

Tempore Ioſue & Ezechiæ non deerant aſtronomi.

8. Tertiò quia Burgenſ. admittere cogitur in ſua opinione multa miracula, vbi vnum ſufficit, quod eſt contra doctrinam Auguſtini de mirabilibus ſacræ ſcripturæ; ſola enim retroceſſio miraculoſa corporum, ſatis eſt, ad retroceſſionem vmbræ decem lineis. At iuxta Burgenſem opor-

Si modus explicandi retroceſſionem Solis tempore Ezechiæ ad mittantur opus erit multiplicare miracula.

E tet ſeparari radium à Sole: aut ſaltem affirmare illum radium in horologio Achaz non eſſe à Sole, ſed à Deo ſpecialiter creatum: aut conſeruatum accidens extra ſubiectum. Rurſum tribuere illi ſingulari luci, ſingularem motum, contrarium motui Solis & aliorum ſyderum, ſicut ſtellæ accidit, quæ duxit Magos ad præſepe. Item oportuiſſet illam lucem eſſe Sole clariorem, ne ſi minor eſſet, vt lux Lunæ, Sole præſente, nihil efficeret vmbrarum. Accedit Iſaiæ 38. non luci, ſed Soli ipſi tribui regreſſum. *Reuerſus eſt Sol decem lineis, &c.* Quod verò Burgenſ. extenuat cauſam miraculi, non ſatis probo. Ille enim ſolam cogitauit ſanitatem Ezechiæ; ſed multæ aliæ interuenerant, ob quas deceret tam inſigne fieri miraculum nempe fidei, quæ apud Iudæos erat ob im-

Matth. 2.

Iſai. 38.

pietatem Achaz; & Rabſacis blaſphæmias læſa reparatio. Chaldæorum quoque & gentium aliarum admiratio, ob quam venerunt Chaldæi, Hieroſolymam; vt cauſam tanti prodigij aſtronomis occulti, ſciſcitarentur; & ex reſponſione religionis veræ, veram imbiberent opinionem. Annon hæc magna?

Omnia miracula conſiderata Dei virtute paria ſunt.

9. His enarratis, vera ſententia eſt; omnia miracula conſiderata Dei virtute, qua fiunt, paria eſſe; Nihilominus quædam maiora dici aut minora, quod maiorem hominibus, aut minorem pariant admirationem. Vnde cùm maior admiratio ſit in Solis retroceſſione & mora lucis in noſtro hemiſpherio, facta tempore Ezechiæ, certum eſt ex hoc capite, hoc illo Ioſue, maius fuiſſe miraculum, quicquid dicat Abulenſ. quæſt. 88. & 89. Sequitur námque eam ſententiam, quę decem lineis horologij tribuit quinas tantùm horas. De myſtica ſignificatione ſtationis Solis, & Lunæ imperante Ioſue, ita Sedulius poëta lib. 1. carminum.

Maius miraculum fuit retroceſſionis quam ſtationis Solis ex parte admirationis.

Sedulius.

Sol ſtetit ad Gabaon, mediique cacumine cœli
Fixit anhelantem dilato veſpere lucem
Inſolitus frenare diem: nec luna cucurrit
Ordine pigra ſuo, donec populantibus armis
Feruidus ingentem gladius conſumeret hoſtem.
Coniurante polo; iam tunc famulata videbant
Sydera venturum præmiſſo nomine IESVM.

An præter ſtationem Solis factam tempore Ioſue, alia acciderit?

ANNOTATIO VII.

1. Paralip. 4.

1. LIB. 1. Paralip. cap. 4. hæc ſunt verba. *Filij Sela, filij Iuda, Her pater Lecha, & Laada pater Mareſa, & cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti, & qui ſtare fecit Solem, viriq; mendacij, & ſecurus, & intendens, &c.* Hæc verba obſcuriſſima ſunt, ſed intelligentur, ſi memineris, Iudam tres ex vxore genuiſſe filios, ſcilicet, Her, & Onam, & Selam, Selæ, liberi nepotéſque numerantur loco citato, ſcilicet, *Her pater Lecha, & Laada, &c. Et cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti*, id eſt, qui cum Beſeleel morati ſunt ad perficiendum opus tabernaculi, quod (authore Hieronis de locis Hebr. in Paralip.) domus iuramenti dicitur ſicut & tabernaculum fœderis, quia in eo fœdus Dei cum hominibus iuratum contineretur. Ex eodem Sela prognatus eſt, *qui ſtare fecit Solem*, hoc eſt, Elimelech maritus Noemi. *Viriq; mendacij & ſecurus & incendens*, hoc eſt Chelion, & Mahalon Elimelech filij. Qui idcirco viri mendacij vocantur, quia mentitæ ſint illis vxores pollicentes liberos, quos non pepererunt. Et terra Moab promittens vitam, quam ademit. Erant hi viri nobiles. Alter Ioas cognominebatur, id eſt, ſecurus. alter Saraph, id eſt, incendens.

Heironymus. *Quid ſit domus iuramenti.*

Elimelech ſtare fecit Solem.

2. Audiſti Elimelechum, feciſſe ſtare Solem? duratio tamen ſtationis non aſſignatur. Quare nihil hinc colligi poteſt contra ſententiam huius capitis, in quo dicitur, nec ante, nec poſt fuiſſe diem longiorem eo, quo Sol ſtetit ad imperium Ioſue. Quare, ſolùm inquirendus eſt verus ſenſus verborum Paralipomenon. Primùm aduerto, nec in Hebræo, nec in Gręco, 70. Interpretum contextu reperiri hæc verba, *qui ſtare fecit Solem.*

A Cæterùm, qui à D. Hieronym. non ſunt expuncta, vt conſtat ex traditionibus Hebr. in Paralip. & in Bibliis à Sixto V. emendatis relicta ſunt, certam & indubitatam habent authoritatem. Atque adeò non dubitant aliqui interpretes Solem ante tempora Ioſue ſtetiſſe. Id quomodo factum ſit, & cuius hominis cauſa, duntaxat indagant.

Hieronymus.

3. Rabanus, Gloſſ. ordin. & Hieronym. loco citato dicunt, eum, *qui ſtare fecit Solem*, fuiſſe Elimelech maritum Noemi, de qua agitur Ruth, cap. 1. patrem Mahalon, & Chelion, in cuius tempore Sol ſtetit propter præuaricatores legis, vt tanto miraculo viſo, conuerterentur ad Dominum. Quod quia facere contempſerunt, idcirco fames inualuit, & prius in tribu Iuda. Vnde inopia cogente, peregrinatus eſt Elimelech in terra Moab, & quia dicitur hic: *Qui ſtare fecit Solem*, aſſerunt precibus eius Solem ſtetiſſe. Ad oſtendendum hoc prodigio mutari ſtatum rerum propter peccatum populi.

Rabanus. Gloſſa. Hieronymus.

Elimelech maritus. Noemi. Ruth. 1.

B

Quia aliquid Deum ... ſtare Solem miraculo ... in terram Iuda.

Alij verò Hebræorum doctores, quos refert Abulenſ. quæſt. 113. ſuper cap. 4. lib. 1. Paral. dicunt, Elimelech non feciſſe ſtare Solem orationibus ſuis: quin potiùs ad confutandam illius auaritiam ſtetiſſe. Quippe qui cum duces eſſet, auaritia impellente, migrauerit in terram Moab relictis Iudæis contribulibus ſuis, qui ad leuandam famem illius benignitate indigebant. Quod ſcelus Deus morte filiorum puniuit, & ſterilitate: filiorum & vtriuſque nurus tanta paupertate, vt Ruth cogeretur ſpicas colligere, & Noëmi in patriam redire abſque marito & liberis.

Abulenſis. *Aliqui dicunt Solem ſtetiſſe ad confutandam Elimelech auaritiam qui ... ſcelus ... contribules.*

C

Damnat hæc interpretatio auaritiam. Vtraque verò probabilitatem aliquam habet, quia tempore Elimelech grauia fuerunt peccata, quibus fames, & ſtatio Solis pœna eſſe potuit. Sicut Eclypſis Solis tempore paſſionis apparuit, vt indicaret ſcelus crucifigentium Dominum. Matth. 27.

Eclypſis tempore paſſionis indicauit ſcelus crucifigentium Dominum. Matth. 27.

D 4. Porrò Abulenſ. Lyran. Caiet. & Hebræi aliquot; ita interpretantur, vt nulla Solis fiat mentio; ſintque hæc nomina virorum, qui à Sela prognati ſunt. *Ioquim*, quod nomen in Hebræo eſt, *qui ſtare fecit Solem*, & *Cozeba* hoc eſt, *mendacium*, ſic enim oppidum vocabatur, ob quod habitatores vocantur viri mendacij. Et ſecurus, id eſt, vir, cuius nomen Hebræum eſt Ioas, & incendens Hebraicè Saraph. Incendentem enim legendum eſt, non incedentem. Quæ interpretatio, ſi vera eſt. Nunquam Sol ante Ioſue ætatem ſtetit. Hi námque doctores nomina propria interpretari à noſtra vulgata editione putant, non verò ſignificationes eorum, quaſi rem factam inculcari.

Abulenſis. Lyranus. Caiet. Rabbini.

E 5. Ego in hanc feror ſententiam. Hebraicè námque ſic habetur. *Ve Ioquim, ve Anſe Cozeba, ve Ioas, ve Saraph, &c.* Primùm nomen *Ioquim*, transfert vulgata editio, *qui ſtare fecit Solem*, quod nomen deriuatur à verbo, *quum*, quod in *hiphil*, ſignificat, *ſtare fecit*, addidit interpretes de ſuo, *Solem*, niſi fortè in aliquo codice Hebræo, olim ita inuenit: certè 70. non addunt, *Solem.* Quare Abulenſ. Caiet. & Hebræi aliqui, nulla facta Solis mentione ita exponunt, vt ſint hæc virorum nomina, qui nati ſint ex Sela. Quaſi dicas, *Ortus eſt ex Sela Ioquim*, id eſt, *homo appellatus Ioquim & viri Cozeba*, id eſt, *viri loci habitatores, qui dicebatur Cozeba*, id eſt, *mendacium*; & *Ioas* & *Saraph*, nomina quoque ſunt propria principum. Suffragantur 70. qui

Abulenſis. Caietanus. Rabbini.

quod

quod interpres Latinus vertit, quaſi nomen compoſitæ figuræ. Et, *qui ſtare fecit Solem*, illi, *Ioachim* transferunt. Quod noſter vertit, *viri mendacij*, illi *viri Cozeba*. Quod noſter, *& ſecurus & incendens* illi, & *Ioas & Saraph*, &c. Itaque in Latina verſione exiſtimo. *Qui ſtare fecit Solem*, perinde nomen eſſe, atque illud, quod famoſus in noſtra Luſitania, hac ætate latro, vulgò dictus eſt, *Solpoſto*. Nā de Ioſue id dictam eſſe, qui affirmant, eo falluntur, quod Ioſue, non de tribu Iuda, ſed Ephraim duxerit origionem. Concedere autem Elimelech, aut alium præter Ioſue Solem ſtare feciſſe, alienum mihi videtur à viris doctis, & in ſacra ſcriptura verſatis, quales ſunt, D. Hieron. Rabanus, & author Gloſſæ, qui non tam ex ſua, quàm ex aliena videntur loqui ſententia, quoties aliquid huiuſmodi inculcant. Cur enim ille patrator tanti miraculi, nec inter Heroes ab Eccleſ. numeratur; nec alibi nominatur? ſi Elimelech id fecit, cur in hiſtoria Ruth id ſiletur? Profectò ſiquis contendat huius precibus Solem ſtetiſſe, non veram ſed metaphoricam debet intelligere ſtationem: qua nimirum ſignificetur ſiccitas, nimio, & diuturno Solis ardore famem inducens, quemadmodum accidit tempore Eliæ tribus annis cum dimidio; factum eſt enim cœlum æneum, & ob nimiam ſiccitatem, ſames & ſterilitas, Deo peccata puniente. Itaque ante Ioſue tempora Solem ſtetiſſe, curſúmque ſuum retardaſſe omnino negandum eſt.

Non ſtare fecit Solem præter Ioſue.

Acceptis à Deo beneficiis rectè ſe geßiſſe Ioſue, conſtat ex ſacra hiſtoria; Ezechiam verò non item.

ANNOTATIO VIII.

1. QVemadmodum magni eſt animi rebus aduerſis non deprimi: ita heroicæ virtutis eſt in proſperis non inſoleſcere. Qua in re quis noſtrum Ioſue non admiretur, qui patefacto Iordane, Hiericho euerſa, Regibus in fugam, Solis luce veluti ad obſequium fœnerata, compulſis, nihilo elatior viſus eſt? Deo victoriarum autori felicitatem aſcripſit, & ſi quid ſceleris in Iſraelitis deprehendit vltus eſt. Non ſic Ezechias; Etenim non ita multis diebus poſt donatam diuinitus valetudinem, & factam ſolis retroceſſionem; venerunt nuntij Regis Babylonis ad eum; vt & ſalutem illi gratularentur, & cauſam noui ſciſcitarentur prodigij, vt conſtat, 2. Paralip. 32. & Iſai. 39. vbi dicitur, quod Rex Babylonis miſit libros, & munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotaſſet, & conualuiſſet. Rex verò Ezechias, hac legatione, & rebus ſecundis, inſoleſcens, theſauros; & quicquid pretij erat in templo, regiaque ſuppellectile Babylonijs oſtendit nuntiis. In quo dupliciter peccauit. Primò, quia gratias Deo authori miraculi, de quo fuerat à legatis interrogatus non reddidit; gloriam ſibi corriuans. Vnde 2. Paral. 32. ſic ſcribitur. *Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram dereliquit eum Deus, &c.* Secundò, quia intumuit animo videns ſe magnifieri à potentiſſimo Babyloniæ rege, quem multi formidabant. At in oſtentatione theſaurorum & domus aromatum? Rab. Salom. peccaſſe ait, quia oſtenderit iis nuntiis vnctionem Regum & Sacerdotum: itémque pigmenta varia, & tabulas legis, quæ erant in arca fœderis. Id enim illicitū erat, Ezech. 44. *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſrael, eo quod inducitis filios alienos incircunciſos corde, & incircunciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domum meam, &c.* Sed credibile non eſt induxiſſe Ezechiam legatos hos in ſancta ſanctorum, & arcam illis oſtendiſſe, nedum aperuiſſe. Annon mortui ſunt de viris Bethſamitis, 1. Reg. cap. 6. quinquaginta millia, quia Arcam viderunt ſine operimentis? ſanè occideretur ipſe Ezechias, ſi id feciſſet. Quare nihil in templo oſtendit Ezechias legatis Babylonicis, ſed quicquid domi ſuæ habebat iuxta illud: *Nihil eſt quod non monſtrauerim eis in domo mea.* Nec verum eſt quod ait Magiſter hiſt. ſcholaſt. domum aromatum fuiſſe in templo Domini. Nec quod ait Epiphanius domum aromatum fuiſſe domum longiſſimā, quàm fecit Salomon iuxta præſcriptionem Dauid patris ſui occulti additus, quæ deprehendi ab vniuerſo populo nequiuit, pluribus quoque ſacerdotibus ignota. *Illic*, inquit Epiphanius, *poſuit Salomon aurum & aromata, quæ adducta fuerant de Æthiopia, in ea quoque erant poſtea ſepulchra prophetarum. Hoc ſecretum Dauid, & Salomonis, Ezechias gentibus denudauit, & oſſa paterna contaminauit ex præſentia prophanorum, & ab ipſo die ſterilis factus eſt, &c.* Quàm incerta ſint iſta oſtendit Abulenſ. ſuper 4. Reg. cap. 20. quæ. 39.

2. Paral 32. Iſai. 39.

Dupliciter peccauit Ezechias accepta legatione Regis Babylonis.
2. Paral. 32.

Rab. Salomon putat peccaſſe Ezechiam quod oſtenderit legatis vnctionis oleum, & tabulas legis, &c.
Ezech. 44.

1 Reg. 6.

Qui arcam videbant ſine operimentis moriebantur
Iſai 39.
2. Paral 32.

Hiſt ſcholaſt.
Epiphanius.

Aurum in ſepulchro Dauid tumulaſſe Salomonem aliqui putant
Epiphanius.

Abulenſ.
4 Reg. 20.

2. Vera igitur ſententia eſt, ob elationem cordis, & inanem gloriam peccaſſe Ezechiam in illa diuitiarum oſtentatione facta coram principibus, qui poſſent Regi Babylonis, quæ viderant nuntiare: illiúſque magnificentiam & domum deprædicare. Hæc autem gloriatio, in qua Dei mentio nulla audiebatur, profana fuit & mala. Prouenit autem hoc ei (inquit Abulenſ. qu. 40.) quia cum in omnibus actibus ſuis propriè egiſſet Deo adiuuante nunc Deus dereliquit eum, vt ageret à ſe ipſo, & ſic appareret, quale erat cor ſuum. Hæc ille: cui ſuffragantur illa verba, 2. Paralipom. 32. *In omnibus operibus ſuis fecit proſperè, quæ voluit: attamen in legatione principum Babylonis, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius, &c.* Pœna huius peccati fuit abductio diuitiarum Ezechiæ in Babylonē, iuxta illud Iſaiæ vaticinium, 2. Reg. 20. ad Ezechiam: *dies venient & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vſque ad diem hanc in Babylonem, nec remanebit quicquam, &c.* Dilata tamen fuit hæc pœna, ob pœnitentiam Ezechiæ, vſque ad captiuitatem, qua Iudæi in Babylonem tranſlati ſunt. Dicitur enim, 2. Paral. 32. *Humiliatus eſt Ezechias tam ipſe quam habitatores Hieruſalem; idcirco non venit ſuper eos ira Dei in diebus Ezechiæ, &c.*

Ezechias peccauit ob inanem gloriam.

Abulenſ.

2. Par. 32.

2. Reg. 20.

Pœna Ezechiæ quod oſtenderit theſauros fuit illorum deprædatio.

2 Paral 32. Dilata fuit pœna Ezechiæ ob pœnitentiam.

3. Imitemur ergo Ioſue, quem in proſperis iuxta, & aduerſis ad Deum recurrere paſſim videmus; nec ſibi rerum, numine propitio, geſtarum laudem aſcribere. Oſtentare alijs, quæ habemus Dei dona, periculoſum eſſe, ſuo Ezechias nos docet exemplo. Vnde Greg. lib. 8. Moral. cap. 30. in ſuam deſtructionem laborare putat, qui bona, quæ agunt alijs, quaſi diuitias congregatas oſtēdunt. *In eo*, inquit, *quod bona ſua patefaciunt, oſtendunt malignis ſpiritibus, quaſi inſidiantibus hoſtibus, quæ prædentur. Quorum profectò viam illā cunctis notiſſima Ezechiæ culpa ſignauit, quod poſtquàm vna*

Oſtentare alijs dona Dei periculoſum eſſe.
Greg. P.

prece, & ſub vnius noctis ſpatio, centum octoginta quinque millia hoſtium Angelo feriente proſtrauit: poſtquàm occaſui proximum ad altiora cœli ſpatia Solem reduxit: poſtquàm vitam propinquante iam termino, coarctatam in tempora longiora protelauit; ſuſceptis Babylonicis Regis nuntiis, bona omnia, quæ poſſidebat oſtendit; ſed pro- A
4 Reg 20. *pheta voce protinus audiuit, ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, in Babylonem, non relinquetur quicquam dicit Dominus, &c.* Amittunt igitur, qui magnis virtutibus pollét, quæ diutius comparauerant, cùm ſua bona inaniter produnt.
Pſal. 77. Hinc Pſal. 77. *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Quæ verba enarrans idem Greg. *Virtus, inquit, & pulchritudo arrogantium, inimici manibus traditur: quia omne bonum, quod per concupiſcentiam laudis oſtenditur; occultis aduerſarij iuris mancipatur.* B
Hoſtem prouocat ad rapinam qui ſuas ei diuitias oſtentat. *Hoſtes námque ad rapinam prouocat, qui ſuas eorum notitia, diuitias denudat, &c.*

LIBRI IOSVE

CAPITIS DECIMI.

SECTIO II.

Verſ. 15.] Reuerſuſq; eſt Ioſue cum
omni Iſrael in caſtra Galgalæ, &c. C
16. Nuntiatúmque eſt Ioſue, quod
17. inuenti eſſent quinque Reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda.
18. Qui præcepit ſociis, & ait: Volui-
19. te ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios qui
20. clauſos cuſtodiant. Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini ho-
21. ſtes, &c. Reuerſuſq; eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, &c. D
22. Præcepitq; Ioſue: Aperite os ſpe-
23. luncæ, & producite ad me quin-
24. que Reges, &c. Cúmque educti
25. eſſent ad eum, &c. ait ad princi-
26. pes exercitus, qui ſecum erant. Ite & ponite pedes ſuper colla Re-
27. gum iſtorum, &c Nolite timere,
28. &c. Sic enim faciet Dominus cũ-
29. ctis hoſtibus veſtris. Percuſſitq; Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſ- E
pēdit ſuper quinque ſtipites: fuerúntque ſuſpenſi, vſque ad veſpe-
30. ram. Cúmque occumberet Sol, præcepit ſociis vt deponerēt eos
31. de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam, in qua la-
32. tuerant, & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent vſ-
33. que in præſens. Eodem quoque die Macedam cepit Ioſue, & per-
34. cuſſit eam in ore gladij. Regémque illius interfecit, & omnes ha-
35. bitatores eius: non dimiſit in ea
36. ſaltem paruas reliquias. Fecitq; Regi Maceda, ſicut fecerat Regi
37. Hiericho, &c. Percuſſit itaque Ioſue omnem terram montanam, & meridianam, atque campeſtré,
38. & Aſedoth cum Regibus ſuis: nō dimiſit in ea vllas reliquias, ſed o-
39. mne quod ſpirare poterat interficit, ſicut præceperat ei Dominus
40. Deus Iſrael, à Cadeſbarne, vſquè
41. Gazam, omnem terram Gozen vſque Gabaon, vniuerſóſque Re-
42. ges & regiones eorum vno impe-
43. tu cepit, atque vaſtauit. Dominus enim Deus Iſrael pugnauit pro eo: reuerſúſque eſt cum omni Iſrael ad locum caſtrorum in Galgala.

Aliæ verſiones.

Hebraicè, Pro, *perſequimini hoſtes, &c.* Perſequimini inimicos veſtros, & caudam eorum cædite. Ne ſinatis eos ingredi vrbes ſuas.

Aliter. Pro, *Interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, &c.* Interfectos ſuſpendit, in quinque arboribus, & manſerunt ſuſpenſi vſque ad veſperam. Pro, *Dominus enim Deus Iſrael pugnauit pro eo, &c.* Quoniam Dominus Deus Iſrael pugnauit pro Iſraele. Pro, *Nullúſque contra filios Iſrael mutire auſus eſt, &c.* Vt nemo vel mutierit lingua ſua cõtra filios Iſrael: In ſcholio Vatab. Non mouit quiſquam linguam ſuam, id eſt, nemo vel verbo auſus eſt lædere Iſraelitas.

Ad locum caſtrorum: vbi, ſcilicet erat tabernaculum, vt illic ageret gratias Deo de tanta victoria.

Sept. Interp. Nihil habent diuerſum.

Explicatur contextus.

1. *Reuerſuſq; eſt Ioſue cum omni Iſrael in caſtra Galgalæ.*] Hæc Iſraelitarum in caſtra reuerſio narranda erat ad finem

huius

huius capitis, vt hiſtoriæ ſeries rectè texatur. Hic tamen ponitur vt ſignificetur, incolumes in caſtra rediiſſe poſt completum longiſſimum diem, quo Sol in medio cœli ſtetit. Nec tamen omnes reuerſi ſunt cõſummatè (vt inquit Caiet.) ſed inchoatiuè ea die ad Galgala, vbi erant tentoria, paruuli, mulieres, & armenta: Multi enim deſtinebantur in Maceda, & aliis ciuitatibus occupandis.

Caietanus.

Cæſaris celeritas in victoria gerenda.

Quis mihi nunc conferat rerum apud alias gentes celebraturum exempla, cum iis, quæ à piis hominibus diuina ope geruntur? Decantatiſſimum eſt illud Cæſaris dictum, veni, vidi, vici. Quid huic dicto, cum hac Ioſue victoria? Nulli homines comparandi ſunt cum illis, *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, obturauerunt ora leonum, effugauerunt aciem gladij, extinxerunt impetum ignis, fortes facti ſunt in bello.*

Hebr. 10.

2. *Fugerant enim quinque Reges, & ſe abſconderunt in ſpelunca vrbis Maceda.*] In fugam coniecti Reges omni comitatu deſtituti, ſimul vnum curſum tenuerunt, eundémque longiſſimum ad Makedam vſque vrbem: quam tamen ingreſſi non ſunt, fortè quia timuerunt, ne ab oppidanis proderentur. Abditi ſunt in ſpeluncam, ad quam illos compulit neceſſitas. Res nuntiata Ioſue. Ille ne intermittatur felix perſequendis hoſtes curſus, iubet magnis ſaxis oſtium præcludi exteriúſque opportuno militum delectorum præſidio communiri, ne quiſpiam poſſet illos inde liberare.

3. *Caſis ergò aduerſarijs plaga magna, & vſque ad internecionem pene conſumptis: hi qui Iſrael euadere potuerunt, ingreſſi ſunt ciuitates munitas.*] Huius ſacri prælij initia vidimus, & progreſſus, iam ſupereſt, exitus. Reges quinque capti & concluſi: copiæ ingentes fuſæ; ciuitates multæ vindicatæ ſunt. Fuiſſe plagam magnam Ammorrhæis impoſitam indicant ea verba quibus dicitur eos ad internecionem fuiſſe pene conſumptos. *Sarad*, verbum ſignificat effugere. Luſitanè, *acolherſe, ſaridim* interpretatur hic Hieronym. *eos, qui euadere potuerunt.* Verbi, *Beſalom*, ſignificationem, optimè reddunt illa verba, *Sani, & integro numero.* Præcepit autem Ioſue Satellitibus ſuis, vt aperto ore ſpeluncę, quinque, qui latebant, Reges, producerent, ſuíſque appellatos nominibus, & titulis coram ſe ſiſterent. Primoribus verò mandat, vt quinque Regum, quos vno die captos, victos, iacentéſque coram ſe videbat, colla pedibus premerent. *Ite*, inquit, *& ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum, &c. Sic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum, quos dimicabitis.*

Celeritas Ioſue in expugnandis hoſtibus.

Hieronymus.

4. Figura fuit Ioſue Chriſti Domini; de quo ſcriptum eſt Pſal. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Id eſt, procumbēt, & humum ferient. Chriſto tamen ſponte ſe Reges ſubijcient; iuxta illud Iſaiæ 49. *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Hunc morem, terram lingendi ſiue oſculandi ad Regum conſpectum, Aſſyriis olim & Saracenis familiarem fuiſſe nemo neſcit. Cotam Deo proſtrati Hebræis mos fuit. Imò & Gentilibus cùm opem, cæleſtem poſcebant. Vnde Liuius lib. 3. Dec. 1. ſtratæ paſſim matres, crinibus templa verrentes veniam irarum cæleſtium, finémque peſti expoſcunt, & Silius lib. 13.

Pſal. 71. *Ioſue figura Chriſti victoris.*

Iſa. 49.

Mos lingendi terram & adorandi Reges.

Liuius.

Silius.

Nunc propexis pectora barbis,
Verrere humum.

Eos, qui ſponte ſupplices ad terram ſe abiiciunt, A niſi lata præceſſerit ſententia, aut animus ipſe ſcelere obſirmatus ſit; quod accidit Amorrhæis, ſubleuant piæ Regum manus. Vnde Ouid. 2. de Ponto Eleg. 9.

Regium eſt parcere, &c., qui ſe demittant.

Ouidius.

Regia crede mihi res eſt ſuccurre lapſis
Conuenit, & tanto, quantus es ipſe viro.

Deinde.

Hoc tecum commune Deis, quod vtrique rogati
Supplicibus veſtris ferre ſoletis opem.

In eandem lib. 3. Annalium ſcribit Tacitus, *Cùm demittendo in Africam proconſule ſub Tiberio contēderetur, Caium, Seſtium Senatorem dixiſſe, Principes quidem inſtar Deorum eſſe; ſed neque à Dijs, niſi iuſtas ſupplicium preces audiri; neque quenquam in capitolium,* B *aliáue vrbis templa perfugere, vt eo ſubſidio ad flagitia vtatur, &c.* Non legimus veniam poſtulatam ab iis Regibus; ita in ſua erant obſtimati nequitia; ſed ſignis cogitet fuiſſe petitam, quamuis petitionis mentio non fiat, dico indignos eſſe, quibus vita concederetur, tum ob decretum legis Moſaicæ contra Chananæos; tum ob coniurationem contra Dei populum ab illis tanquam anteſignanis, conflatam.

Tacitus.

Digni veniā nō fuerunt quinque Amorrhæorum reges, quia coniurauerant primi.

5. *Cùmque occumberet Sol præcipit ſocijs, vt deponerent eos de patibulo: qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam, in qua latuerant.*] Voluit Ioſue, vt quinque Regum, qui primi contra Iſrael conſpirauerant, non ſolùm pedibus conculcarentur; ſed etiam in C eandem mortui includerentur ſpeluncam, quam viuentes ſibi latibulum fecerant, vt vicinæ gentes eo monumento territæ, contra Iſraelitas pugnare non auderent. Ad hæc Regum ſupplicia acceſſit Makeda expugnatio, cuius Rex, nō vt Rex Hai, qui viuus eſt captus, ſed vt Rex Hiericho, mortuus eſt ſuſpenſus. Mox Lebna proximam vrbem Regiam ſe propugnātem Ioſue cepit. Lachis, quod murorum præſidio fideret, obſidionem expectauit, quam tamen breuiſſimam paſſa eſt; Altero námque die quam expugnari cœpit, capta eſt. Hiram Regis Gazar conatibus obſtitit Ioſue, qui volentem Lachis opem ferre, intercepit, & cum populo, quem ductabat ad internecionem vſque debellauit. Atque hactenus Amor-D rhæos, & Heuæorum partem ſecundo curſu Ioſue vaſtauit ad terminos vſque Palæſtinorum, inde verò rurſus, verſus orientem iter faciēs. Quinque illorum Regum, qui vna die victi, & in crucem acti fuerant, regias vrbes mira celeritate recepit.

Multas vna die ciuitates Ioſue recepit.

6. *Aſcendit quoque cum omni Iſrael de Eglon, in Hebron & pugnauit contra eam, &c.*] In tanta hoſtium ſtrage, Dei ſingulari ope protecti Iſraelitæ, nulla ſui parte fuerunt imminuti, neque defeſſi, Hebron, vrbs in monte condita fuit, & magnis munita præſidiis, Gigantúmque fama, & nomine E celebris (aliàs, *Kiriatharbagh* dicta) ob quatuor inſignium virorum à quibus inhabita fuit nobilitatem. Hæc obſidionem non expectauit, ſed copiis ad pugnandum productis Hebræos anteuertit. Audita námque Regis ſui à Ioſue occiſi clade nouum ſubſtituit Regem, cuius nihilo felicior fuit auſpiciis. Dicitur autem Cariatharbe, id eſt, ciuitas quatuor virorum, non ſolum ob dictum cauſam, ſed etiam, quia quatuor illi viri, ſcilicet, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob in ea ſepulti ſunt. Licèt quidam ſuſpicentur Adam in monte Caluariæ fuiſſe tumulatum. Dicitur aliquādo etiam conuallis Mambre, vt aduertit Adrichomius, in theatro terræ ſanctæ. Regia olim fuit & Metropolis Philiſtinorum, domicilium quoque Ena-

Hebron gigantum patria.

Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob ſepulti in Hebron.

Adrichomius.

Hebron aßignata fuit in aſylum.

chim, id eſt, Gigantum, quibus à Caleb expugnatis vrbs aſſignata eſt in aſylum fugitiuis, & data Leuitis cum ſuburbanis agris, intra duo millia cubitorum. Reliquum agri ceſſit Caleb victori. Qua ſtatura fuerint Gigantes illi, ſcribit Adrichomius, & indicant illorum ſimulachra proceritate ingenti prædita. Vide Ioſeph. 5. Antiquit. 5. *Relinquebatur*, inquit, *adhuc genus Gigantum, qui propter corporum magnitudines, atque formas in nullo alijs hominibus proximas, vltra modum admirabiles, hactenus per eorum oſſa monſtrantur, &c.* Quæris cui tribui, Hebron ſorte obtigerit? Iudæ. In ea Dauid ſeptem annis regnauit, 2. Reg. 2. Hic Abſalon mentitus eſt votum, id eſt, orationem ſe facere velle, ſcilicet, in loco, in quo cadauera ſunt Abraham, Iſaac, & Iacob. Re autem verâ coniuratione facta, cum Achitophel, & multis aliis, regnum patris inuaſit, 2. Reg. 15. Luce Euangelij iam coruſcante prioratus fuit, & poſtea ſedes Epiſcopalis. Hodie autem præter ruinas nihil ibi cernitur. Proximè tamen ex Hebron noua extructa in loco ſpeluncæ duplicis, quæ cùm olim habuiſſet Eccleſiam Pontificia ſede nobilem, nunc Mahometiſtarum ritibus ſordidiſſimis inſeruit. Plura inuenies apud Adrichomium, alióſque locorum terræ ſanctæ ſcriptores.

Proceritas gigantum. — *Ioſephus.* — *Ceſſit Hebron tribui Iudæ.* — *2. Reg. 2.* — *2. Reg. 15.* — *Hebron nunc Mahometiſtarũ eſt.*

7. *Inde reuerſus in Dabir, cepit eam.*] Dabir, quæ in proximo erat, cùm Rege, recens ab oppidanis, in locum demortui ſuffecto poſt Hebron oppreſſit Ioſue. Feliciterq; progreſſus omnem percuſſit terram montanã, id eſt, vrbes, in ipſis montium culminibus, & præruptis poſitas rupibus: regionémque omnem meridianam, & campeſtrem, & media inter hæc nempe Aſeroth, quod vocabulum Latinus interpres, quia ſimplici Latino explicari haud potuit, reliquit. Significat autem Aſeroth, vt vertit Chald. Paraphr. Deſuſiones ex altitudine (Luſitanè, *agoas vertentes.* Omnes vrbes & villulas atque prædia, non minùs vbertate Soli, quàm hominum frequentia viſenda, vno bello obtinuit Ioſue.

8. *A Cadesbarne vſque Gazam, omnem terram Geſſen vſque Gabaon.*] In Exodo, & Numeris, celebris mentio fit Cadesbarne quæ eſt in extremis Arabiæ & Chanaan cõfinibus. Ad ortum meridiem verſus adiacet Iſraelitarum regioni. Gaza verò Palæſtinorum regia vrbs, territorium illa expeditione à Ioſue vendicatum terminabat ab occaſu: interiora terræ, & quicquid his terminis ab Oriente, & Septentrione concluditur, nomine terræ Geſſen ſignificatur. Eſt autem hæc Geſſen alia ab illa, quæ in Ægypto paſtionis cauſâ filiis Iacob, conceſſa fuit. In his vrbibus captis, Gabaon quoque numeratur. Hæc itaque omnia vno ſunt impetu expedita. Ioſue autem victor cum omni Iſrael, reuerſus eſt ad locum caſtrorũ in Galgala. Vbi, militibus in expeditionem eductis, reliqua plebs remanſerat. De hac ipſa reuerſione per anticipationem dictum eſt ſuprà verſ. 16. Hîc tamen tanquam in proprio loco de ea agendum fuit, rerum videlicet geſtarum partibus ſigillatim enumeratis, & enucleatè expoſitis.

Cadesbarne eſt in terminis Arabiæ, & Chanaan. — *Terra Geſſen duplex vna in Aegypto alia in Palæſtina.*

Verſ. 24.] Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum, &c. Nolite timere, &c. Sic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris aduerſus, quos dimicatis.

Vtrum inſtinctu diuino permotus fuerit Ioſue ad mortem ignominioſam quinque Regibus de ſpelunca productis inferendam?

ANNOTATIO I.

1. IVRE optimo mirari poſſumus, quinque Regum, vel inertiam, vel formidinem, qui præterquam quod turpi fuga bello elapſi ſpeluncam in qua laterent ingreſſi ſunt, inde produci ad mortem ignominioſam ſcientes, nec mutire quidem auſi ſunt. Saulis licet damnetur, illicitus modus, quo ſibi mortem conſciuit animus tamẽ, quo moriens anteuertere voluit iniurias ſibi à Phyliſtæis inferendas, gloriæ illi eſt, 1. Reg. 31. Quid quod pleríque Imperatores & Reges, ne venirent, in manus hoſtium, factum veneno accelerabant. Hi tamen, cùm ſcirent Regem Hiericho occiſum eſſe in bello, illiuſque cadauer in ſtipite ſuſpenſum. Regem quoque Hai ſimilia aut deteriora paſſum, è ſuis veluti inertia pecora, educuntur ſpeluncis. Annon præſtat mors glorioſa vitæ ignominioſæ? Regius animus in bello fugam, & latibula deteſtatur: mori vbi victoria non arridet, deputat glorioſum. Hæc cùm ita ſint, meritò ſuſpicatur Abulenſ. quæſt. 93. formidinem à Domino iniectam fuiſſe his Regibus, qua impliciti, progredi quò volebant haud poterant. Quam agnoſcens Ioſue militibus ſuis ait. *Nolite timere, nec paueatis*, ſcilicet iſtos Reges, quos conculcaſtis. Gedeon cum comprehendiſſet duos principes Madian, ſcilicet, Zebedee, & Salmana, iuſſit primogenito ſuo Iether vt occideret eos, vt patet Iudicum octauo, qui tamen non eduxit è vagina gladium, timebat enim, quia puer erat, nec videbat hoſtes antè pedibus conculcatos. At reges de quibus agimus, proſtrati erant, & conculcati, & metu diuinitus immiſſo ita fracti, vt vel pueri contra eos, ſine metu gladium poſſent ſtringere, idcircò ait Ioſue. *Nolite timere, nec paueatis.*

1. Reg. 31. — *Imperatores aliqui timentes ignominiam mortem veneno accelerarunt.* — *Abulenſis.* — *Iudic. 8. Iether primogenitus Gedeonis.*

2. Rupertus commentariorum in Ioſue lib. 1. cap. 22. Exaggerat peccata Chananæorum; atque ob ea, Deo permittente, turbari Regum conſilia affirmat, vt extrema quæque cum ſumma ignominia paterentur; iuſtitia diuina diu ad iracundiam laceſſita, pœnas tandem exigente. *Omnes*, inquit, *peccato ſuo duce congregati ſunt, vt perirent; quia videlicet Domini ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiam. Quare autem hoc Domini ſententiæ fuit? Videlicet, quia tam peſſimi erant, támque peccatores, vt ipſa eos terra meritò euomeret. Cum enim dixiſſet, qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur, &c. Cùm, inquam, hæc dixiſſet addit; ne & vos euomat terra quam intraturi eſtis, & habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus ſum eas, &c.* Iuſſit præterea Deus, Deut. 20. vt ciuitates, quæ oblatam pacem recuſarent expugnarentur, interfectis omnibus incolis. *Ne forte*, inquit, *doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt Diis ſuis & peccetis in Dominum Deum veſtrum, &c.*

Rupertus. — *Propter peccata Chananæorum, turbantur Regum conſilia.* — *Leuit. 18.* — *Deut. 20.*

3. Quod autem Ioſue, diuino impulſu actus, igno-

Ioſue impulſu diuino quinque Reges ignominioſa morte mulctauit.

ignominioſam intulerit Regibus mortem, uon eſt dubitandum, vt Rupert. annotauit. Quomodo enim abſque crudelitatis nota, ſi ſuo duceretur arbitrio, hæc ageret? Nec mortuis pepercit: Mortuorum quoque ceruices calcari pedibus iuſſit: cadauera ipſa patibulis affixit, ſanè miraculum grandinis, qua hoſtes innumeri occiſi ſuot, & Solis ſtatio Dei voluntatem, ad quam Ioſue ſuas confirmabat actiones, ſatis declararunt. A

Origen.

4. Origenes hom. 11. in Ioſue; non eſſe crudelitatis accuſandum Ioſue docet, vt quidam hæretici deblaterant, ſed potiùs laudandum, & imitandum; hic enim ſcribit. *Quid eſt*, inquit, *quod ab eis velut crudele culpatur? Hoc*, inquit, *quod ſcriptū eſt. Ponite pedes veſtros ſuper colla eorum, & interficite eos? Quid quod hac non crudelitas, ſed humanitas, & benignitas inuenitur? Vtinā, & tu talis eſſes, qui poneres pedes tuos ſuper ſerpentes, & conculcares draconem & baſiliſcum; id eſt regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati, vt illis omnibus interemptis qui in te regnabant opere peccati, ſolus in te regnet Chriſtus* IESVS. Hæc Origenes allegoriam, vt ſolet, magis ſequens quam hiſtoriam. Vera cauſa, cur Ioſue victor, nemine obſtrepente, ita attriuerit hos Reges, & cæteros, de quibus agitur cap. ſequenti; eſt quia tempus aduenerat, quo Deus prædixit Abrahæ, Gen. 15. poſſidendam eſſe terram Chanaan ab illius poſteritate, cùm adimpletæ eſſent Amorrhæoruo iniquitates. Theodor. quæſt. 11. ſuper Ioſue, quoſdam inſimulat qui Ioſue arguunt, quos reges trucidarit, & affixerit Cruci. Hos enim reprehenſores, nou aduertiſſe ait Ioſue, uon ſine Dei ductu id feciſſe, qui per Moſen præcepit, omnes interfici, qui peccatis fœdū in modum inquinati, terram illam incolarent. Similem ob cauſam, olim diluuium induxit, ac Sodomam, & Gomorrham igne couſumpſit. Iuſſit quoque Ioſue principum pedibus calcari Regum ceruices, vt audaciores facti, alacrius in acie conſiſterent. *Hoc ipſum*, inquit Theod. *Dominus noſter* IESVS *Chriſtus mandauit. Ecce enim ait, dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Vtinam ergo nobis detur facultas calcandi ceruices aduerſariorum.* Hæc Theodor. B C D

Ioſue non crudelis fuit, vt hæretici calumniantur, ſed iuſtus in puniendis regibus.

Verſ. 40. 41. 42. 43.] Percuſſit itaque Ioſue omnem terram mōtanam, & meridianam, &c. Vniuerſoſq; reges, & regiones eorum, vno impetu cepit, atque vaſtauit, &c. E

Cur Deus promiſſam terra Chanaan poſſeſſionem Abraha, diſtulerit, vſque ad tempora Ioſue, qui hic dicitur vaſtaſſe vno impetu, reges, & eorum regiones?

ANNOTATIO II.

Gen. 15.

1. DECIMO quinto cap. Geneſ. narratur Abraham Deo promittenti ſibi innumerabilem poſteritatem credidiſſe; idq; reputatum ei fuiſſe ad iuſtitiam. Mox additur prædictio ſeruitutis poſterorum eius & liberatio. Tandem ſacrificio & fœdere, terræ Chanaan promiſſio confirmatur, quæ tamen differtur illis verbis. *Generatione autem quarta reuertentur huc* (ſcilicet, poſteri tui poſt longam ſeruitutem) *necdum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus, &c.*

2. Cauſam dilationis tradit diſertis verbis Theod. quæſt. 64. in Gen. *Didicit ex his verbis Abraham rationem dilationis, ne quis ſuſpicaretur ob numeroſam incolarum multitudinem, non potuiſſe Deū tradere Hebræis poſſeſſionem, & dominium illius terræ. Idcircò dixit Deus Abrahæ, nondum impleta ſunt peccata Amorrhæorum vſque nunc, id eſt nondum illi digna tali exitio perpetrarunt. Non decet autem antè peccatum ex præſcientia futuri peccati pœnam infligere. Quod autem tempore illo Abrahæ fuerint in ea gente probi aliqui, & pij homines, cōſtat ex Melchiſedech, & Abimelech, & tribus fratribus habitantibus in Hebron cùm ipſo Abrahā tum fœdere, tum amicitia coniunctis.* Hæc Theodor. Quare nou exterminatæ ſunt illæ gētes viuente Abraham, & deinceps vſq; ad ætatem Ioſue, quia illorum peccata ad eum gradum & menſuram non peruenerant, vt talem mererentur vindictam.

Theodor. Gen. 15.

3. Quæres, quænam fuerint iniquitates, ob quarum complementum, gentes illæ patriis ſedibus exterminandæ erant? ex Leuit. 18. & Deut. 9. & 12. colligitur triplex earum genus primùm coniunctio matrimonialis cum mulieribus, nullo ſpectatio diſcrimine cognationis, & affinitatis. Alterum fuit peccatum nefandum ſiue commiſtio marium cum maribus, & quod horribilius eſt, cum beſtiis. Tertium fœdiſſima & multiplex idololatria, qua proprios filios, igni admotos, diis immolabant. Quibus ſceleribus, adeò illæ gentes deteſtabiles factæ ſunt, vt eas terra, quemadmodum ſcriptum eſt Leuit. 5. ſuſtinere ampliùs oou potuerit, ſed coacta fuerit emouere.

De peccatis Chananæorū ob quæ traditi ſunt in manus Iſraelitarum. Leuit. 18. Deut. 9. Deut. 12.

Leuit. 5.

4. Iam Amorrhæorum nomine, ſignificari omnes gentes terram Chanaan inhabitantes ſæpè diximus. Solùm uunc adiiciam, id prouenire fortè, quia impietatis immanitate, & proceritate corporis, cæteris Chananæis præſtarent, vel quia vltra, & citra Iordanem erant. Proceritas & robur eorum hyperbolica locutione declaratur. Amos 2. *Ego exterminaui Ammorrhæum cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipſe quaſi quercus.* Tanta autem erat Amorrhæorum improbitas, & morum truculentia, vt prouerbio olim locum fecerit, ad ſignificandam inſignem alicuius peruicaciam. Vnde Ezech. 16. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Gethæa, &c.*

Amorrhæorum nomine, omnes Chananæi ſignificantur.

Amos 2.

Ezech. 16.

5. Cæterùm Dei ſententia, differentis Chananæorum vaſtatiooem, quoad eorum iniquitates completæ eſſent, ſciſcitari uos cogit, quodnam ſit illud peccatorum complementum, antè quod Deus differt punitionem, illo verò poſito continuò irrogat ſupplicium. Cui difficultati reſpondeo iniquitatis vocabulum, accipi, tum pro culpa, tum pro pœna culpæ congruente. Si ergo loco Geneſ. citato pro culpa ſumatur, hic erit ſenſus. *Nondum completa ſunt iniquitates, &c.* Nondum eorum peccata ad eam peruenire menſuram, quàm cùm impleuerint, ſtatui inſigniter ea plectere vaſtatione gentis Amorrhææ. Fit enim plerúmque, vt Deus peccata alicuius populi, tandiù nōn puniat, & ſi multa ſint, quandiù certum terminum uon pertiugunt. At quis terminus? mouetur Deus ad puniendum populum. Primùm cùm viget graue aliquod peccatū, quod ita vul-

De complemento peccatorum, quo poſito Deus non differt pœnam.

Peccatum Sodomæ vulgatum erat.

gatum

gatum eſt, vt in tota communitate vix vnus, aut alter illius expers inueniatur. Talis fuit Reſp. Sodomitica, cui Deus ſe parciturum Abrahæ, Gen. 18. promiſit, ſi vel decem homines iuſti eſſent in ea: quos tamen non reperit. Secundò cum peccata abſque verecundia publicè fiunt, & de illis improbi gloriantur, Prou. 2. *Lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*. Hinc Iſai. 3. Extremum minatur Iudæis ſupplicium. *Peccatum*, inquit, *ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.* Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. Tertiò cùm peccata multum diúque vſitata & inueterata, curationem non admittunt. Quam ob cauſam Sapientiæ 12. de populis Chananæorum, ſiue Ægyptiorum dicitur naturalem fuiſſe eorum malitiam, atque immutabilem in perpetuum, &c. Et de Iudæis Hierem. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam & pardus varietates ſuas, &c.* & cap. 17. *Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.*

Gen. 18. — Peccata abſque verecundia. — Prou. 2. — Iſai. 3. — Sap. 12. — Hierem. 13. — Infrà 17.

6. Quid ſi populi alicuius impietas, & improbitas exitialis ſit, non ſolùm ſibi, ſed vniuerſæ hominum ſocietati? Implebitur ſane menſura totáque humana ſocietas plectetur, vt accidit tempore Noë, Gen. 6. paucis in Arca Noëtica ſeruatis; qui libidinis & crudelitatis expertes erant. Quid Pentapolitanam regionem exuſtam referam, ob nefandam libidinem, quæ Angelis in ſpecie humana comparentibus iniurioſa fuit? Decem Ægypti plagæ tyrannicam Hebræis illatam, vexationem, & peruicaciam aduerſus Deum repreſſerunt, vt patet à cap. 6. Exod. vſque ad 13. Quid Iudæi? Ob idololatriam, cædem prophetarum, & innocentum, præſertímque Meſſiæ, incendium, & vaſtitatem perpeſſi ſunt. Babyloniorum quoque & Chaldæorum, in populum Dei exercita crudelitas, & fœdiſſima ſuperſtitio, internecionem ipſis attulit, & vindictam, vt conſtat ex Iſaia & Hieremia. Quid Græcos memorem? fuit olim Græcia altrix bonarum artium, & armiſpotens nunc ob hæreſum pullulantium ſyluam, ſchiſmata, & ſuperbiam, qua Romanum Pontificem Eccleſiámque latinam contemnit, & odio proſequitur, barbaro infelix ſeruit Domino. Angliæ, quæ nunc in Catholicos inſanit, ſuum aderit ſcelerum complementum, &c.

Improbitas exitialis communitati prouocat iram Dei. — Gen. 6. — Exod. 6. — Iudæorum ſupplicium ob necem Meſſiæ. — Aſſyriorũ pœna ob crudelitatem exercitam in populum Dei. — Græcorũ pœna. Anglorũ ſchiſma.

7. Si verò iniquitas ſumatur pro pœna illorum verborum. *Nondum completa ſunt. &c.* Hic erit ſenſus. Nondum ventum eſt ad illud temporis complementum, ad quod diſtuli, vindictam iſtarum nationum. Eo complemento adueniente, puniam eas, & extremo mulctabo ſupplicio. Etenim Deus pœnam differt, vt multi interim corrigantur, qua dilatione vſus eſt, cum Iudæis non ſemel; tandémque tempore præfinito eos afflixit, immiſſis contra illos Chaldæis, vt conſtat ex Iſaia 10. *Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: in manu eius indignatio eius. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi, vt auferat ſpolia, & deripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum. Ipſe autem non ſic arbitrabitur; & cor eius non ita exiſtimabit.* & infrà. *Et erit cùm impleuerit Dominus omnia opera ſua in Monte Sion, & in Hieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius, &c.*

Iudæorum completa iniquitas. — Iſai. 10. — Vſus eſt Deus Aſſyriorũ armis ad vindictam Iudæorũ.

8. Sic Deus diſtulit aliquandiù ſupplicium inferendum Arianis aliíſque hæreticis, vt illorum flagello Eccleſiæ Catholicæ filios, qui à lege deſciuerant, corrigeret. Sic hodie Turcas tolerat, quia nondum completæ ſunt illorum iniquitates. Væ illis, qui non pœnitentes quotidiè peccatis peccata accumulant, nec ex dilatione pœnæ vtilitatem capiunt. Hi quamuis in ſpeluncas ſe abdant, inde Iuſſu Ioſue, hoc eſt IESV CHRISTI producentur ad ſupplicium, quod refugiebant, & conculcati intelligent, nullam, cùm aduenerit vindictæ tempus eſſe ſceleri latebram.

Turcarũ pœna differtur.

9. Nunc Dei tanta eſt benignitas, vt lentè procedat ad vindictam, & locum det iis etiam ad pœnitentiam, quos nouit obſtinatè in peccato morituros. Audi quid ſcriptum ſit, Sap. 12. *Poteras*, inquit, *eos verbo tuo ſimul exterminare, ſed partibus iudicans, dabas locum pœnitentiæ: non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Quod ſi homines iam morti debitos, cum tanta cruciaſti attentione dans tempus & locum per quæ poſſent mutari à malitia, &c.* Porrò iis, qui obſirmato ſunt animo in peccatis ob oculos debet obuerſari illa, D. Gregor. ſententia ſuper illa verba Ezech. 3. *Si conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Sic enim ſcribit. *Hoc nobis cum tremore conſiderandum eſt, quemadmodum iuſtus, & omnipotens Deus, cùm iraſcitur præcedentibus peccatis permittat, vt cæcata mens, etiam in alia delabatur. Vnde Moſes ait, nondum completa ſunt peccata Ammorrhæorum.* Et Paulus, (inquit) *vt impleant peccata ſua ſemper.* Et Ioannes in Apocalyp. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc*, & hoc loco, per Ezechielem, ait: *ponere ſe offendiculum coram eo, qui auertit ſe à iuſtitia. Ac ſi aperte dicat: quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit: iuſto eum iudicio deſerens ponam ei offendiculum, vt & alibi impingat.* Hæc D. Greg. Vbi explicat Deum ponere offendiculum homini, non eſſe eum premere ad peccandum, ſed nolle à peccato liberare, ſicut etiam de Pharaone dicitur, *ego indurabo cor eius.* Obdurare enim dicitur Deus cor peccantis, quia ab obduratione non liberat. Deus enim tempus nobis ad pœnitentiam miſericors concedit, ſed cùm pœnitere nolumus, tempus ipſum ad parcendum donatum diſtrictiùs ad feriendum conuertit, Rom. 2. *Ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Tempus largitus eſt Deus ad pœnitentiam Chananæis, eo miſeri abuſi ſunt ad peccandum creuit ad ſummum iniquitas. Quid Deus mittit Ioſue aduerſus obſtinatos peccatores, qui vel Reges ipſos conculcat, & ſtipiti affigit, vt cedat poſſeſſio iuſtis, qua indigni erant peccatores.

* * *

Dei indifferendo ſupplicio benignitas. — Sap. 12. — Audient obſtinati impœnitentes. — Gregor. — Ezech. 3. — Geneſ. 15. — Apoc. vlt. — Exod 10. — De obduratione Pharaonis. — Rom. 2.

IN CAPVT VNDECIMVM IOSVE.

PERIOCHA.

Admirandis exemplis cùm inſaniæ humanæ, tum prouidentiæ diuinæ oſtendit ſacer hiſtoricus poſt debellata, maximiſq́; confecta cladibus, quinque Amorrhæorum regna; breui, cætera ferè omnia Chananæorum oppida, quamuis potentiſſima victa fuiſſe, & peſſundata. Moliebantur Reges, coniunctis copiis, & magnitudine potentiæ præfidentes Iſraelitas, aut perdere, aut ſaltem è finibus terræ Chananitidis pellere; ignari nimirum, quod niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Vnde Lyricus:

Vis conſilî expers mole ruit ſua,
Vim temperatam, Dij quoque prouehunt
In maius: ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

Deſcribitur ergo hic 24 Regum aduerſus Ioſue, & Iſraelitas coniuratio; quam belli apparatus incredibilis, & conflictus vehemens conſecutus eſt: in quo victoria ad Hebræos fauente numine, inclinauit. Quæ tanti fuit, vt aditum aperuerit, ad pacificam terræ promiſſæ, non ſolùm poſſeſsionem, ſed etiam in aſſignatis à Ioſue cuiq́; tribui regionibus habitandi libertatem.

LIBRI IOSVE,

CAPITIS VNDECIMI.

SECTIO PRIMA.

Verſ. 1.] Quæ cum audiſſet Iabin Rex
Aſor, miſit ad Iobab regem Ma-
2. don, & ad Regem Semeron, at-
3. que ad regem Achſaph. Ad Re-
gem quoque Aquilonis, qui ha-
4. bitabant in montanis, & in pla-
nitie contra meridiem Cereroth,
in campeſtribus quoque, & re-
5. gionibus Dor iuxta mare, &c. E-
greſſiq́; ſunt omnes cum turmis
6. ſuis, populúſque multus nimis, ſi-
cut arena, quæ eſt in littore maris,
7. equi quoque, &c. Conuenerúnt-
que omnes reges iſti in vnum, &c.
8. Dixitq́; Dominus ad Ioſue: Ne ti-
meas eos, &c. Venitq́; Ioſue, & o-
9. mnis exercitus, &c. Qui percuſſe-
runt eos, & perſecuti ſunt vſque
10. ad Sidonem, &c. Equos eorum
ſubneruauit, currúſque combuſſit
11. igni. Reuerſúſque ſtatim cepit A-
ſor, & regem eius percuſſit gladio,

A ipſámque vrbem peremit incendio, &c.

Aliæ verſiones.

Hebraicè. Pro, *Venitq́ Ioſue, &c.* Venítque Ioſue, & omnis populus bellator cum eo aduerſus eos, ad aquas Meron repente, &c. Pro, *Aſor enim antiquitus, &c.* Aſor antea fuit caput omnium regnorum iſtorum.

B *Aliter.* Pro, *Equos eorum ſubneruauit, &c.* Equis eorum neruos incidit.

Sept Interp. Pro, *Conueneruntque omnes Reges iſti in vnum ad aquas Merom, vt pugnarent contra Iſrael, &c.* vertunt: Et conuenerunt omnes Reges ipſi, & coierunt in ipſum & caſtrametati ſunt ſuper aquam

C Maron ad debellandum Iſrael. Orig hom. 14. legit μερὼμ, aut μεῤῥὼν. Origenes.

Inexordio huius capitis, rectè aduertit Andreas Maſius longè diſceſſiſſe. 70. Interpretes ab Hebræo. Ná pro eo quod eſt, *à Septentrione*, dixe- Maſius.

runt.

runt, *à Sidone*, Niſi quis dicat eos pro Septentrionali plaga, Sidonem, quæ vrbs eſt Haſori, & Galgalis, aquilonalis reponere maluiſſe; eſt prætereà inter Aquilam & Symmachum, & inter Chaldæum, & Hebræum fontem diſcrimen, in quibuſdam nominibus: quod aduerto, vt prudens lector, vulgatam cæteris præferat editionem.

Aquila. Symmachus. Chald.

Explicatur contextus.

Labin Rex princeps coniurationis contra Ioſue.

1. Q*VÆ cum audiſſet Iabin rex Aſor. miſit ad Iobab Regem Madon, &c.*] Coniurationis contra Hebræos cogitatæ author & princeps fuit Iabin: qui inter omnes Chananæorum Reges, primas propterea obtinebat, quod regni potentiſſimi ſceptro poti-retur. Illic enim haud dubiè videtur Chanaan habitaſſe, qui proximam regionem, hoc eſt, Sidon primogenito ſuo tradidit. Dicitur enim Gen. 11. *Chanaan genuit Sidonem primogenitum ſuũ, &c.* Hunc ergo Regem tantùm abeſt, vt de quinque Regibus ſumptum ſupplicium, Gabaonitarúmque liberatio deterruerit, vt potiùs maiori aduerſus Hebræos odio Chananæos inflammarit, & ad ſpem erexerit victoriæ comparandæ. Concitat rex actutum vicinos reges ad ſociale bellum conſilium eſt, extrema omnia experiri. Omnes reges ad communem propugnationem vnum in locum conuocat. Eunt expediti curſores ad Iobab proximum, & regem Semeron remotiorem aliquanto verſus Auſtrum, & illo etiã magis remotum Regem Achſaph: quorum regna ſecundùm montoſa Thaboris loca adiacebant. Vltra hos, illis quinque occiſis, de quibus actum eſt cap. præcedenti, nulli iam ſupererant meridiem verſus. Non his contentus Iabin, ad Aquilonem, ortum & occaſum adhuc integros reges, qui plurimi erant, nuntios mittit, illiſque, vt in vnum locum conueniant, felicitati Iſraelitarum inuidens perſuadet.

Gen. 11.

Chananæorum fines.

2. *Ad Reges quoque Aquilonis, qui habitant in mõtanis, & in planitie contra meridiem Generoth, in campeſtribus quoque, & regionibus Dor, &c.*] Chananæorum fines, ſæpe vario nomine, cùm reuera iidem ſemper ſint in ſcriptura traduntur. Summa eſt. Ab ortu Iordanis labitur, ab occaſu mare magnum, quod Syriacum etiam, & mediterraneum vocant ab Auſtro eſt, Arabia, ab Aquilone mons Libanus. In capite præcedenti omnem ferè meridionalem tractum legimus à Ioſue expugnatum: non modicam verò partem ab ortu ipſo primo ingreſſu captam vt Hiericho, Hai, Et Bethel regiones & regna. Reliquæ erant Septentrionales, occiduæ, atque Orientales prouinciæ; Quarum Reges hîc fuerunt debellati. Ciuitas ergo Aſor prima belli ſignum extulit; ex ea conuocatis exercitibus, rauco ſtrepuerunt cornua cantu. Hinc ſecundùm Libani procurſum Septentrionalis tractus primùm petitus eſt: deinde ab ortu verſus meridiem montana viſuntur loca, & quorum depreſſione planicies apparet ſecundùm lacus eos, quos Iordanis efficit, Chriſti ætate Ge-

Ciuitas Aſor prima ſignum belli extulit.

A nezzar, ſiue Genezareth mare dictos, quondam Ceneroth, ſiue Chineroth. Ab his finibus ſi in occaſum redeas, regiones Dor ad mare vſque Syriacum tibi porrigentur. Habes omnia locorum ſitúſque genera, quæ hic in ſumma primùm indicantur. Gentium verò quibus hæ regiones incolebantur, nomina ſequens enumerat cõtextus. *Chananæum quoque ab Oriente & Occidente, & Amorrhæum, atque Hethæum ac Pherezæum, & Iebuzæum in montanis.* Vox *quoque* non coniunctionis, ſed expoſitionis gratia addita eſt, vt ſi dicas: Hæc quoque ſunt nomina gentium quæ in illis locis habitabant Chananæus ab Oriente, &c. Vide Ariam Montanum in ſacro apparatu lib. Cha-
B naan.

Montanus.

3. *Heuæum quoque qui habitat ad radices Hermon in terra Maſpha, &c.*] Proſequitur Gentium nominationem. Incolebant Heuæi, regionem proximam monti Hermon. Erat autem hic mons tantæ altitudinis, vt tanquam conſtituta ſpecula, totum proſpectaret Heuæorum agrum. Ob quam cauſam regioni illi, *Maſpha*, ſiue *Miſpha*, hoc eſt ſpecula, nomen inditum. Intrare potuit huius loci ſinis, & natura hoſtes ad proſpectanda Iſraelitarum caſtra.

Heuæi ... *Hermon altiſſimus mons eſt.* *Maſpha, id eſt, ſpecula.*

4. *Egreſſiq; ſunt omnes cum turmis ſuis, populúſque multus nimis, ſicut arena, quæ eſt in littore maris; equi quoque, & currus immenſæ multitudinis.*] In ſacris
C litteris, res quæ numerari vix poſſunt, ſtellis & maritimæ arenæ hyperbolica locutione comparantur, vt Gen. 22. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris*, & apud prophanos, eſt illud Claudiani lib. 1. in Eutropium.

Gen. 22.

Si pelagi fluctus, Libyæ ſi diſcis arenas
Eutropij numerabis heros, quot iura, quot ille
Mutauit tabulas, vel quanta vocabula vertit.

Hic ſi ad numerum reſpicias, hyperbole quidem eſt; ſi verò comparationem eò trahas, vt tota ſit in expreſſione multitudinis copiarum, quæ adeò denſæ, frequentéſque ſint, vt quacũque locus proſpectaretur vna eſſet agri facies populo coo-
D pertæ; non aliter atque iis, qui maris littus deſpiciunt, omne ſolum viſitur arena conſtratum; ſanè is mihi ſenſus neglecta hyperbole maximè probabitur. Non enim inquit homines multi, vt arenæ, quæ numerari nõ poſſũt; ſed populus multus nimis, ſicut arena; qua ſcilicet apparet in maris littore. Quod ita fieri neceſſe fuit tot Regibus & populis, vnà cõiunctis. De hoc apparatu bellico, quo barbari illi Reges in Iſraelitas irruerunt, ita Ioſeph. lib. 5. Antiquit. cap. 1. *Cùm de Hebræorum virtute ſermo per circuitum diſcurreret, ſtupor habebat omnes audientes. Caſtra autem metati ſunt ſuper eos Reges Chananæi, qui in campeſtribus erant, Palæſtinos ſecum ducentes: Totius autem exercitus multitu-*
E *do, peditum armatorum erant trecentum millia, & decem millia equitum & duo millia curruum, &c.* Paulò aliter Zonaras. *Chananæi, inquit, in exercitu habebant armatorum 300. millia equitum, 10. millia, & millia curruum 30, &c.*

Populus numeroſus arena & ſtellis comparatur.

Ioſeph.

Zonaras. Numerus exercitus, & ... Chananæorum.

5. *Conueneruntque omnes Reges iſti in vnum ad aquas Merom, vt pugnarent contra Iſrael, &c.*] Verbum, *conuenerunt*, magno conſilio inceptum hãc expeditionem fuiſſe ſignificat. Hebræa vox, IIVACHADV, non tantum corpore, ſed & concordi voto, ad locum & tempus præfixum concurriſſe indicat, vt pugnarent contra Iſrael: locus, aquæ Merom dicitur. Eſt autem vnus ex duobus lacubus, quos Iordanis efficit, antequam influat

Aquæ Merom ... lacus ...

in mare ſalis, ſiue ſalſiſſimum. Eſt hic & prior, & longè breuior. Iuxta hunc locum Hieronym. & Ioſephus, oppidum *Berothon*, ſiue *merotum*, ponunt, quo reges hi conuenerunt ad pugnandum contra Iſrael, nominis loci notatione fortaſſe impulſi. *Merom*, námque *exceſſum, ſuperioritatem*, & *ſublimitatem*, ſignificat. Fruſtra tamen contra Iſrael armantur, cùm illi Deus faueat. Nihil enim prodeſſe eis poterunt vires, conſilium, tempus, aut locus. Sicut enim cōtra Chriſtum inita principum, & Phariſæorum conſilia in nihilum reciderunt, vt cecinit Regius vates, Pſal. 2. *Aſtiterunt Reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, &c.* Móſq; additur. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Sic contra Ioſue, qui typum Chriſti in geſſit Chananæorum Reges deliberato conſilio coniurantes, nihil efficere valuerunt. Nulla ab illis earum rerum, quæ ad victoriam expectādam opportunæ eſſe potuerunt prætermiſſa eſt pars. Cæterùm Ioſue, qui vnico Dei præſidio nitebatur, audito huius coitionis nuntio, ſuas etiam partes curauit, eæ verò fuere Dei conſultatio & fides, atque obſeruantia. Ex ipſo námque oraculo intelligitur Deus rogatus fuiſſe atque conſultus.

Hieronymus. *Ioſephus.* *Nihil profuit Chananæis numeroſus exercitus &c.* *Pſal. 2.* *Deus Ioſue propitius in bello.*

6. *Dixitq; Dominus ad Ioſue, Ne timeas eos, cras hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael, &c.*] Non ſignificatur ignauus metus quo Ioſue cor conſtrictum ſit. Tantùm inſinuat exhortatio hæc, hoſtium maximam illam vim, atque manum, ſi humanis rationibus metiri contigerit, eſſe profectò terribilem, vtpote tot rerum variatum artificiis conflatam. Ideò Ioſue ſponte currens, incitatur magis his verbis. *Ne timeas eos.* In Hebr. eſt, *Ne timeas à faciebus eorum. Præſto tibi adero. Quippe illi non Iſraeli ſolùm, ſed & nomini meo, bellum inferunt. Quapropter ita illos frangam, vt veſtris manibus cras hac ipſa hora vulnerati, vel cæſi tradantur. Halalim*, námque vtrumque ſignificat, quod verbum Græci interpretes τετρωμένους verterunt, hoc eſt, *vulneratos*, ſiue *interfectos*. Se Deus illius victoriæ vnicum authorem fore pollicetur, ad eámque rem non ex humanis viribus, ſed ex miraculo definiendum, tempus & modum indicat. Tempus, illis verbis, *cras eadem hora*. Modum ſequentibus, *in conſpectu Iſrael*, hoc eſt, antequam ad manus ventum ſit.

Pollicetur Deus Ioſue facilem victoriam.

7. *Equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures.*] Dedocet hic Deus populum ſuum humanas opiniones, ſecundum quas vulgus hominum, in equis & curribus fidens, eos putat victores fore, qui iis rebus abundant. Vult enim, vt Iſraelitæ, iis tantùm belluis vtantur, quæ ad onera ferenda vſui eſſe poſſunt, non autem iis, quæ ad bellicam pertinent oſtentationem, quales ſunt equi. Ea etiam reiicit inſtrumenta, quæ ad pompam, & commoditatem comparantur, vt ſpe populus fidelis à ſolo Deo pendeat, quem cùm viderit in rebus deſperatis, miraculis coruſcare, aduerſariorum deiectionem intuentes, dicant, Pſal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Ipſi verò Dei & populi fideli hoſtes agnoſcant, verbum illud, quod diuinus intonat ſpiritus. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit.* Vide quæ annotauimus in Cant. Moſis, Deut. 14. Ioſephus timore perculſum fuiſſe Ioſue, & populum ſcribit lib. 5. Antiquit. cap. 2. *Turbabat*, inquit, *hæc multitudo ipſum* IESVM *& Iſraelitas, & ſperare meliora propter timoris magnitudinem dubitabant. Deo autem arguente timorem, promittente, quod vincerent inimicos, & iubente equos hoſtium ſubneruari curruſque incendi, dux fidens perrexit ad inimicos, & quinta die veniens circa eos congreſſus eſt, pugnáque fortis effecta eſt, & cædes fide potior quam poterit vel audiri.* Hæc ille. Idem tradit Zonaras Deo (inquit) victoriam pollicente, prælium atrox committitur, quo hoſtes vniuerſi paucis exceptis perierunt regibus etiam cæſis, &c.

Non vult Deus vt equi aut currus ſint in caſtris Iſraelitarum. *Pſal. 82. In Deo ſperandum.* *Deut. 14.* *Ioſephus.* *Zonaras.*

Animatus reſponſo diuino Ioſue, in hoſtes ſubitò irruit ad aquas Merom, *tradidítque illos Deus in manus Iſrael.* Quibus verbis victoriæ huius palmam Dei promiſſo, & virtuti adſcribit ſacer hiſtoricus. Deus námque tanto beneficio deuincire ſibi Iſraelitas voluit, vt in fide, & dilectione veri numinis, infidelium internecione conſpecta, magis, magíſque corroborarentur. Hinc illud Pſal. 104. *Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia, & dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant, &c.* Fuit etiam illud in cauſa, vt omnes nationes intelligerent Hebræos diuino fœdere ac niti præſidio.

Victoria numeroſi exercitus parta à Ioſue, Deo aſcribitur. *Pſal. 104.*

8. *Qui percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt vſque ad Sidonem, &c.*] Habes argumentum euidens animi ac promptitudinis in Iſraele: metus verò ac turbationis in hoſte. Fugæ circuitio & longitudo, vtriuſque rei fidem facit, adiuncta locorum notatione. Enimuerò aquas Merō ad ipſum Chananeæ terminum, verſus Orientem eſſe conſtat. Siquidem Iordanis, qui hunc lacum priorem efficit ad Orientem ſpectat Sidon verò cognomento magna, verſus occaſum, in ipſo ſita erat magni maris littore. Deinde ad Maſerephoth, vel Maſrephoth maim, vt legit Mōtanus, hoc eſt ad exuſtiones aquarum reuerſi ſunt, tam fugientes Chananæi, quàm inſequentes Iſraelitæ vſque ad campum Maſphæ, ſiue vallem montibus illis adiacētem, quos ſpeculum vocari diximus, & ſecūdum libanum eſt. Fuga itaque producta eſt, ab ortu primum longo tractu ad occaſum, deinde ab occiduo limite ortum verſus per aquas exuſtas, nuſquam latebra vlla occurrente, quæ inuiſum Deo populum ab Iſraelitarum protegeret inſectatione. Vide quæ Andreas Maſius in hunc locum ſcripſit. Quod additur, *vt nullas dimitteret ex eis reliquias*, ſignificat Hebræos nemini eorum hoſtium, quos aſſequi potuerunt pepercſſe. *Sarid* hoc loco *reliquum*, aut *reiectum*, ſignificat. Potuerunt quidem aliqui ex tanta multitudine, vel effugere, vel occultari, ne occiderentur. Nemo tamen ex iis, quos Hebræi contigère, ſeruatus eſt.

Promptitudo in Iſraelitis ad pugnandum, metus Chananæis iniectus. *Sidon magna.* *Montanus.* *Maſrephot ſignificat aquarū exuſtiones.* *Fuga Regū Chananæorum.* *Maſius.*

9. *Fecitque ſicut præceperat ei Dominus, equos eorum ſubneruauit, curruſque combuſſit igne.*] Nihil antiquius Ioſue fuit, quàm Dei iuſſis obſequi. Neque verò omnes currus exuſti ſunt, ſed ij tantùm, qui ad bellum comparati, ea forma ſunt, qua ad bellicum apparatum inſeruiunt. Equi verò non occiſi, ſed eneruati ſunt, vt curſui inepti redderentur, curſu námque plurimum in bello valent.

Ioſue currus cōbuſſit, & equos ſubneruauit.

10. 11. *Reuerſúſque ſtatim cepit Aſor, & regem eius percuſſit gladio, &c. Ipſámque vrbem peremit incendio.*] Parta victoria, mox Ioſue, Deo id ſuggerente, primariam & maximam vrbem Aſor aggreſſus eſt, quam imminutam exercitu illo, qui nuper fuſus & cæſus fuerat, obſidione, & irruptione haud difficile, fuit capere. Hic Regem

Prima vrbs capta Aſor, exciſo illius Rege.

Lyranus.

Ioſue ferro trucidauit, ſiue is ex bello fugiens huc ſe receperit, ſiue occiſi in bello hæres fuerit. Lyra hunc Regem propterea occiſum fuiſſe putat, quia ſocialis belli autor & princeps fuit. Vnde aſylum illi eſſe nequiuit ciuitas, ad quam ex bello fuga ſe proripuit. Certè *Aſor* (inquit ſacer textus) *inter omnia regna hæc principatum tenebat.* Intellige non principatum totius Palæſtinæ, ſed eorum tantùm regnorum, quæ hoc capite numerata ſunt. Rex itaque occiſus, & vrbs incenſa eſt, vt hoc exemplo deterriti Reges alij, & populi nihil ſimile molirentur.

12. 13. *Et omnes per circuitum, ciuitates, reges quoque earum cepit, &c. Abſque vrbibus, quæ erant in collibus, & in tumulis ſitæ, &c. Vnam tantùm Aſor muniſſimam flamma conſumpſit, &c.*] Ne fas erat Iſraelitis eam legem non obſeruare, quam Moſes acceptam à Deo Ioſue commendauit. Legis ſumma erat, vt belli autoribus cæſis, vrbibus omnibus parceretur, iis exceptis, quas Deus exuri, & dirui vellet; qualis fuit Hiericho, Hai, & Aſor. Quod ſequitur, *Abſque vrbibus, quæ erant in collibus, &c.* Hebraicè; Chal. & Græcè; ita habet, *verumtamen vrbes omnes quæ ſtabant ſuper tumulos ſuos, non combuſſit Iſrael, excepta Aſor, quam ſolam incendit Ioſue.*

Montana oppida non incendebant Hebræi ſed campeſtria.

Montanus.

Inſinuatur, vt Montanus exiſtimat vrbes, villas & oppida, pleráque in agris poſita ſi non ab Hebræis, quod plerúmque fiebat, ab ipſis tamen hoſtibus, commoditatis omnis, quam ex illis habere poterant Iſraelitæ, auertendæ conſilio, diruta fuiſſe & incenſa. Miror Caietanum annotaſſe hîc, contrarietatem vulgatæ editionis cum Hebraica litera. Idem enim ſignificatur ſenſu exceptiuo, dum dicitur: *Abſque vrbibus, quæ erant in collibus, &c.* Vt habet vulgata editio; quod exprimit. Hebræa litera, quæ verbum ex verbo ſi reddas, ita ſonat. *Tantùm omnes ciuitates ſtantes ſuper robur ſuum non combuſſit eas Iſrael: niſi Aſor ſolam ipſam combuſſit Ioſue*, dicitur, *ſtantes ſuper robur, ſuum*; vt intelligas diſcrimen inter has ciuitates, quæ muro erant circundatæ, & alias abſque murò, vel ſemidirutas. Abulenſ. quæſt. 6. quærit cur de vrbibus, quæ erant in collibus ſola ciuitas Aſor cremata ſit? & confutata Lyrani reſponſione dicentis; Id propterea factum, quia Iabin non ſolùm ſæuus hoſtis fuit; ſed etiam cæteros Reges in Iſraelem conuocauit, affirmat eam cauſam eſſe, quia timuit Ioſue, ne ſi ſtantem vrbem regiam & munitiſſimam viderent, Chananæi, occaſionem explorarent, qua Iudæos vi inde pellerent; quò vrbe regia cui multæ aliæ ſubditæ erant, iterum aliquando potirentur: vt reuerâ, ſi non tunc, quia incenſa fuit; multis poſt annis ea potiti ſunt Ethnici, vt conſtat de Iabin qui fuit Rex Aſor tempore Debboræ propheriſſæ, dominatúſque eſt in Iſraelem decem annis, ſicut ſcriptum eſt Iudicum 4. Aduertit etiam Abulenſ. non fuiſſe Aſor ſuppoſitam interdicto. ſicut Hiericho & Hai; Hai enim non poterant poſt incenſionem Iudæi reparare: Aſor verò, & alias ſine anathemate incenſas, poterant ſine vllo piaculo.

Caietanus.

Abulenſ.

Cur ſola Aſor ex vrbibus montanis cremata ſit?

Iudic. 4.

14. *Omnem prædam iſtarum vrbium, ac iumenta, diuiſerunt ſibi filij Iſrael, cunctis hominibus interfectis.*] Omnis præda, vel in rebus inanimatis eſt, vt in auro, gemmis veſtibus, & huiuſmodi; vel in rebus animatis, vt iumentis, & aliis pecoribus. Hebraicè, *Salal*, Idem fere eſt, quod Latinis, *exuuiæ & ſpolium. Behemah*. verò omne genus beſtiarum quæ nobis vſui eſſe poſſunt, vt pecora ac iumenta. Omnem ergò prædam ſiue ex vrbibus, ſiue ex agris collectam, Dominis interfectis, partiti ſunt Iſraelitæ inter ſe.

Omnis præda, aut in rebus animatis ſita eſt, aut animæ expertibus.

15. *Sicut præceperat Dominus Moſi, ſeruo ſuo, ita præcepit Moſes Ioſue, & ille vniuerſa compleuit: non præteriit de vniuerſis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moſi, &c.*] Laudatur Ioſue, quod nihil timerè, aut parum conſideratè egerit. Alte inſederat animo pij ducis, id quod ab oraculo cap. 1. huius libri audiuit; (*confortare & eſto robuſtus; tu enim ſorte diuides populo huic terram pro qua iuraui patribus tuis, vt traderem eam illis: confortare & eſto robuſtus, valdè, vt cuſtodias, & facias omnem leges quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus; nec declines ab ea ad dexteram, vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta quæ agis, &c.* Hoc ergò oraculo admonitus Ioſue, quicquid vel ad priuatam ſuorum rationem, vel publicam belli, aut iuſtitiæ adminiſtrationem pertinebat ad legis diuinæ amuſſim, conformabat. Vnde, nihil inconſultè, nihil crudeliter nihil ambitioſè, aut auarè geſſit. Quid enim mali ab eo patrari potuit, qui (vt ait hic ſacer hiſtoricus.) *Non præteriit de vniuerſis mandatis nec vnum quidem verbum.* Illud rectè aduertit Abulenſ. quæſt. 6. his verbis, non ſignificari à Ioſue obſeruari omnia præcepta; ſed tantùm, nulla eum vſum fuiſſe legis præuaricatione. Differunt enim hæc. Nam ad obſeruandum omnia legis præcepta; requiritur ſingulorum exercitatio; quam ille habere non potuit, præſertim quoad ceremonialia, niſi pace in Chananæorũ terra cõſtituta. Ad non præuaricandum aliquod præceptum ſatis eſt, actum illi contrarium non admittere. Itaque conſtat ad nullius præcepti ceremonialis obſeruationem aſtrictos fuiſſe Iudæos, toto tempore, quo contra Chananæos à Ioſue pugnatum eſt.

Exacti Iuſſa Dei, & Moſis præcepta impleuit.

Abulenſ.

Verſ. 1.] Quæ cùm audiſſet Iabin rex Aſor, miſit ad Iobab regem Madon, &c.

Allegorica expoſitio hiſtoriæ Regis Iabin vicinos Reges, & populos, in Iſraelitas concitantis ex qua perſpicitur dæmonis, omnes in nos Tartari furias conuocantis ſolicitudo.

ANNOTATIO I.

1. QVAMVIS mei inſtituti non ſit paſſim in allegoriis immorari; operæpretium tamen eſſe exiſtimo, quæ ad mores pertinent, & vitæ inſtitutionem, interdum miſcere; vt Lector cum hiſtoriæ explicatione, fructum aliquem percipiat ſpiritalem. Atque, vt à Gloſ. ord. capiamus exordium: hanc ex ea elicimus philoſophiam. Præcedenti capite annotauimus, quinque Regum, qui debellati ſunt nominibus, quinque corporis ſenſus, in nos, carnis, cui ſeruiunt impulſu, inſurgentes, intelligi. In hoc verò capite, difficilius molitur hoſtis bellum; Etenim Rex Iabin, qui aduertentiam, vel intelligentiam ſignificat; omnes partes animæ, quæ ſpirituales ſunt, concutit. Emendicat opem Iabinus hic, qui dæmon

Gloſſa.

Rex Iabin ſignificat dæmonem multis cõtra nos opibus inſurgentem.

eſt

eſt perſpicax & callidus; dicitúrque intelligentia, quia naturalia (vt Theologi docent) etiam poſt peccatum, integra in eo remanſerunt, emendicat inquam, præſidium à vicinis, & ſibi ſubditis dæmonibus, qui ſicut diuerſi ſunt, ita diuerſis nos vitiis impugnant. Vocat igitur regem Madon, qui interpretatur contradictio, dæmonémque denotat, qui ad repugnandum prælatis, ſubditos hortatur, & regem Semeron, qui interpretatur vepres dolẽtis, ſiue ſpina inferens dolorem, hoc eſt dæmonem, qui ad detractionem, detractori, & ei de quo detrahitur, dolorem pariẽtem, inſtar ſpinæ, mentes concitat. Ad Regem quoque Achſaph, qui interpretatur fractura, quia ad frangendam datæ fidei cõſtantiam impellit. Vocat etiam Chananæum, qui interpretatur commutatio Amorrhæorum, id eſt amarum: Hethæũ id eſt, ſtupidũ: Phereſæum, id eſt, diuidentem, Iebuſæum, id eſt, conculcantem, Heuæum, id eſt, ferocem. Quorſum, inquis, vt in mercimoniis nulla ſit fides, in ſocietate hominum æſtuet inuidia, in negotiis interueniat accidia. Inter fratres ſeminetur diſcordia, inter Dei ſeruos ſit aliquis, qui nitatur cæteros conculcare. Denique, vt ira excandeſcat, qui mitis iubetur eſſe. Omnes iſti per quos ſpiritus maligni ſignificantur, à Ioſue debellantur, quia Chriſti ope, qui eſt verus Ioſue à populo Chriſtiano, ſuperantur.

Rex Madon ſignificat dæmonem, qui ſubditos excitat ad repugnandum prælatis.

Rex Semerõ dæmon eſt detractionẽ concitans.

Achſaph, id eſt. fractura.

Chananæus, id eſt, cõmutatio.

Amorrhæus, id eſt, amarus.

Hethæus, id eſt, ſtupidus.

Phereſæus, id eſt, diuidens.

Iebuſæus, id eſt, conculcans.

Heuæus, id eſt, ferox.

2. Similem ex Origene hom. 14. in Ioſue allegoriam licet venerari, qualis eſt illa, qua docemur, ex profligatis à Ioſue Amorrhæorum regibus, modũ inire, quo vitia, quæ in noſtro regnant mortali corpore, profligemus. Vnde Origen. Pax redditur animæ ſi ex ea hoſtes peccata, ſcilicet, & vitia propellantur. Ideò ſecundum traditionem IESV Chriſti legentes iſta, armamur & concitamur ad prælium, ſed contra hoſtes, qui de corde noſtro procedunt, cogitationes ſcilicet malas, furta, falſa teſtimonia, & huiuſmodi vt nullum relinquamus, qui ſaluus fiat, aut reſpiret. His enim victis, vincemus etiam aërias poteſtates, & regno ſuo (quod intra nos eſt) ſupra vitiorum ſedes locauerant, depellemus. Superiùs rex Hieruſalem congregauit ſecum, 4. Reges contra Ioſue & contra filios Iſrael. Nunc autem non vnus congregat quatuor, aut quinque, ſed multitudinem nimiam. Vnde dicitur. *Vt autem audiuit Iabin Rex Aſor, miſit, &c.* Vides quanta aduerſus IESVM & Dei populum contrariarum virtutum concitantur examina? Hi enim dæmones ante aduentum Chriſti, quieti & ſecuri animas poſſidentes regnabant, ſed vbi gratia, & miſericordia Saluatoris apparuit, & piè viuere docuit, antiqui poſſeſſores ad pugnam prouocantur, etſi opprimantur primi, multò plures conſurgunt. Et ſi ſecundi victi fuerint, alij nequiores exurgent, Primus omnium & autor belli, qui ad coniurationem inuitat, ipſe eſt Iabin Rex Aſor qui interpretatur ſenſus, vel prudentia, De hoc ſenſu Iſaias. Vt habet hic Origen. *Et inducam ſuper te ſenſum magnum principem Aſſyriorum, qui dixit, mea virtute faciam, & ſapientia ſenſus mei auferam fines Gentium, &c.* Serpens quoque in paradiſo fuiſſe deſcribitur, prudentior omnibus beſtiis, & villicus iniquitatis prudentior fuiſſe dicitur. *Aſor*, verò interpretatur, *aula*. Eſt ergò omnis terra aula huius regis, qui eſt diabolus, & fortis ille armatus, qui in aula ſua ſecurus dormit, vſque dum veniat fortior, qui illum alliget & auferat, quæ poſſidet.

Origenes.

Victoria Ioſue de tot bus barbarorum tenetat quæ vinci mus peccata.

Dæmones ante aduentum Chriſti animas quietè obtinebant.

Cap 30 & 50.

Aſor, id eſt, aula.

A 3. Coniuratio Iabini, omnes conuocat dæmones, & inprimis Iobab regem Madon, & conueniunt in Meron: mittit, inquam, ad aliam virtutem inimicam, quæ amaritudinum rex eſt, quo ſcilicet autores omnes amaritudines mortalibus accedunt, nimirum diuerſa peccati genera. Nihil enim amarius peccato, etſi quædã dulcia videantur in principio. Vnde Salomon, *in nouiſſimis felle amarius inuenies, &c.* Iuſtitia initio amara videtur, in fine melle dulcior, cum virtutis fructum attulerit. Miſit ergo ad Iobab amaritudinis regem, &c.

Nihil amarius peccato.

Prouer. 5.

4. Miſit quoque, vt alios omittam, ad Araban, id eſt, inſidias, hoc eſt ad virtutes inſidiatrices, B quæ animas, non vi nec apertè, ſed inprouiſis inſidiis decipiunt. Vnde, *inſidiatur in abſcõdito, quaſi leo in ſpelunca ſua, inſidiatur, vt rapiat pauperem.* Mittit etiam in Ceneroth, quod interpretatur quaſi lucernæ, non lucernæ. Aliud enim eſt lucerna, aliud quaſi lucerna. Lucerna ardens erat Ioannes, quia erat Angelus lucis. Quaſi lucerna eſt ille, qui *transfigurat ſe in Angelum lucis, &c.* Vides multis modis ſignificari ſpiritualium bellorum ſtrepitum? in ſolo IESV ſpes eſt victoriæ. Ille ingreditur atrium armati Iabini, eúmque domo pellit, ſpoliiſque detractis, pacem nobis tribuit.

Araban, id eſt inſidiæ.

Pſal. 9.

Ceneroth, id eſt quaſi lucerna.

2. Cor. 11.

C *Verſ. 1.*] Rex Aſor miſit ad Iobab regem Madon.

Quæ ciuitas fuerit Aſor, & Madon? itémque de regno Semeron, & Achſaph.

ANNOTATIO II.

1. EIVS Aſoris hic mentionem fieri non dubito, quæ haud procul poſita fuit à Cedes, D in ſuperiore Galilæa, quam gentium vocant. In ea namque Chananææ parte verſamur quæ Galgalis eſt aquilonalis. Ab hac Aſore campis illis inditum eſt nomen, inter ipſam & Cedes iacentes, in quibus vt apud Ioſephum lib. 13. cap. 8. & 1. Machab. 11. ſcriptum eſt, Ionathas Machabæus aduerſus Demetrij copias ſingulare edidit ſuæ fortitudinis ſpecimen. Fuerunt etiam aliæ Aſores in tribu Iudæ, de quibus dicetur, cum inciderit occaſio. Maſius doctè aduertit ſuper cap. 11. Ioſue, hallucinari eos, qui hanc, de qua agimus exiſtimabant fuiſſe Tobiæ patriam. Patria nàmque Tobiæ ſiue vrbs, quæ à 70. Interpr. Θιßης appellata eſt à ſiniſtro ciuitatem Sephet, vt in latino Tobia ſcriptum eſt, atque Cedes Nephthalim, vt in Græco eſt, Aſor verò noſtra, vt ex Geographicis conſtat tabulis, à dextris, vtrámque harum vrbiũ ſpectat. Fuit hæc ciuitas capta à Theglath Phalaſar. Vnà cum vicina Cedes, cùm ille tribum Nephthalim cogeret exulatum abire in Aſſyriam, vt 4. Reg. 15. proditum eſt memoriæ. Extare adhuc vrbius iſtius veſtigia circiter 30. millib. paſſ. à Tyro Orientem verſus, quidam cenſent, alij 24. duntaxat.

E

Ioſephus.

1. Mach. 11.

Maſius.

Patria Tobiæ.

4. Reg. 15.

2. De vrbe Madon nihil ex ſacra hiſtoria cõperiri nobis eſt. De Semeron, vnde Samaria nomen celebratiſſimum, & accepit & prouinciæ dedit, fas eſt multa prodere: ſed quod neceſſe eſt tantùm explicabo. Enim verò, quod tempore Ioſue

Initium Samariæ a Semer.

A oppidum erat ignobile & à Semer Domino mõtis, quo tempore ſcripta eſt hæc hiſtoria Semetó vocabatur, multis poſt annis. in nobiliſſimam, & regiam creuit ciuitatem; de cuius initiis, 3. Reg. 16. ita ſcriptum eſt. *Anno triceſimo primo Aſa regis Iuda regnauit Amri ſuper Iſrael duodecim annis. In Therſa regnauit ſex annis. Emitque montem Samariæ à Semer, vel, vt legit Maſius, Semer, duobus talentis argenti, & ædificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat nomine Semer Domini montis Samariam, &c.* De hac ciuitate, quæ inter Iudæam & Galilæam interiacet, accuratè agit Ioſeph. lib. 3. de bello Iudaic. cap. 2. Porrò montem iſtum, in B quo ab Amri ædificata fuit Samaria, ea eſſe forma narrant, qui viderunt, vt conipinus planè figuram referat ad radicem montis, muro per ambitum circumducto. Eius ſummum verticem arx Regis occupabat; reliquas partes ædes ciuium confertim cooperiebant. Eam Benadab quamtumuis longa obſidione vexatam capere non potuit, vt patet 4. Reg. 6. Salmanaſat verò poſtquàm per triennium circuncidiſſet, demum ea poritus eſt; decémque tribus tranſtulit in Aſſyriam; quarum tributum illa diu regia fuerat, 4. Reg. 17. Poſteris temporibus, vt autor eſt Ioſeph. Antiq. lib. 11. c. 17. & lib. 15. cap. 10. Hyrcanus, qui Dauidis ſepul- C chrum recludere auſus eſt, & ter mille talenta inde ſuſtulit; ad extremam famam annali redactam obſidione, & expugnatam demum complanauit. Herodes Magnus cum multis modis Auguſti gloriæ applaudere vellet, denuò ædificatã, Schaſten nominauit. Eius ciues iam inde à Salomonis exceſſu facta tribuum diuiſione à Iudæis ſemper alieniores extiterunt. Nam præter alienationem ab hoc diſſidio inchoatam; auxit auerſionem illa cauſa, quod multi peregrinæ religionis homines, illuc poſt commigrarunt à Salmanaſare, ſiue Sennacherib. in modum coloniæ miſſi; quos Iudæi à flumine Cutha, cuius in Perſide fuerant accolæ, D Cuthæos appellant. vt autor eſt Ioſephus loco citato; apud quem multa de hoc hominum genere inuenies ad finem lib. 6. Antiquitatum, & apud R. Abraham leuitam in libro ſuæ Cabbalæ, quo ſuæ gentis hiſtorias copioſè, perſequitur. Quid ſi Cuthæos dixerimus eos eſſe populos, quos Diodorus ſiculus Coſſæos nominat? Non oberit quod is lib. 17. in Montoſis Mediæ locis eos collocat; Nam Ioſephus ex Perſide, & ex Media fuiſſe emiſſos narrat. Porrò Samaria octo aut nouem Italicis, milliaribus a Sichem verſus Orientem ſita eſt. Therſa verò, quæ ante ædificatam ab Amri Samariam, regum Iſrael ſedes fuerat poſt tri- E buum ſeceſſionem aberat à Samaria in edito monte, ipſa etiam conſpicua verſus Africum ſiue vulturnũ, horarum trium circiter itinere, vt Brocardus autor eſt.

1. Reg. 16. — *Ioſephus.* — *Samariæ vrbis figura.* — *Benadab capere non potuit Samariam 4. Reg. 6.* — *4. Reg. 17.* — *Ioſephus.* — *Hyrcanus ex ſepulchro Dauid ter mille talenta ſuſtulit.* — *Herodes Samariam vocauit Sebaſten.* — *Diſſidij inter Iudæos & Samaritanos initium.* — *Ioſephus.* — *Qui fuerint Cuthæi.* — *R. Abraham.* — *Diodorus.* — *Therſa ante Samariam Regum Iſrael ſedes fuit.* — *Brocard.*

3. Achſaph, quæ aliàs Axab ſiue Axaph, Hieronymo Aciſaph dicitur; regalis tempore Ioſue fuit vrbs in tribu Aſer, quà ad Septentrionem terminatur ſupra Aſor. De hac vrbe agitur cap. 12. & 16. huius libri. Aduertit Maſius hoc loco errorem contineri in lib. de locis Hebraic. cum villa Chaſulus, ſubſtructa illius veſtigiis dicitur, quæ ſita eſt ad radices mõtis Thabor, millibus paſſuum octo duntaxat à Diocæſatea, hoc eſt Sephori; Multò enim longiùs ad Septentrionem recedit, vt vera docet Geographia. Minùs longè, ſed errare tamen etiam illos affirmat, qui hanc noſtram Achſaph collocant à Ptolemaide. quà Tyrum iter eſt, nouies milleſimo paſſu. Siquidem vrbs A illa Achziph vocatur nun Achſaph.

Achſaph, quæ vrbs fuerit. — *Hieronymus* — *Maſius.*

4. Nomina regionum aut vrbium, aut lacuum, quæ hic afferuntur, eò ſpectant, vt intelligas vniuerſitatem regum omnium, qui iſtam Chananææ partem, de qua agimus, ſuis obtinebant ditionibus. Eamque deinde vniuerſitatem diduci, atque diſtrahi diuerſorum locorum nominatis qualitatibus. Illud enim, *In montanis*, ad eos reges, qui in Libano aut prope regnabant, pertinet; vt Ioſephus ſentire videtur. Illud verò, *& in planitie contra meridiem Ceneroth*, ad ſuperioris Galilææ dynaſtas. Aut ſi mauis, particulam, *in planitie*, eſſe vniuersè poſitam, pro iis regibus omnibus accipe, B qui plana loca, vel quam in hac Chananææ parte obtinebant; Deinde plana loca diuidi dices in ea, quæ ad meridiem, ſiue Geneſaram ſpectant (eſt enim Ceneroth ſiue Geneſata comparatione Libani Auſtralis) & in ea quæ ad vallem illuſtrem; ſiue regiam pertinent. Hæc enim, demiſſiur eſt, & ſecundum Iordanis porrecta ripam. Tandemque in ea, quæ in Dor iacebant regione, verſus Cœſaream Palæſtinæ ſub Carmelo. De his hæc ſint ſatis. De Cereroth ſiue Geneſara, alibi agetur opportunius. Solet enim Deus ſuis adeſſe, cùm hoſtium fidei riment aut multitudinem, aut ſæuitiam. Quod expertus eſt Theodoſius Imp. pugna- C turus contra Eugenium. Cum enim ſuis diffideret viribus, totam noctem tranſegit in precibus. Sub galli tamen cantum (vt autor eſt Theodor. lib. 5. c. 14.) Somno oppreſſus, vidit duos viros candido amictu ornatos, albis equis velu, qui ipſum bono animo eſſe iuſſerunt: ſe anteſignatos miſſos. Alterũq; eſſe Ioannem Euangeliſtã. Alterum Philippũ Apoſtolum. Igitur prima luce collatis ſignis, ventus aduerſos hoſtes feriens, iacula ab ipſis contorta, in eoſdem retorſit, inſignémque peperit Theodoſio victoriam. Idem Theodor. refert cum Roilas Scytharum dux aduerſus Theodoſium iuniorem cum maximo pergeret exerci- D tu, & iam Conſtantinopolim appropinquaret Deum immiſſis fulminibus, ac facibus è cœlo, cunctas eius copias Chriſtiano, pióque imperatori inimicas, momento diſſipaſſe. Iam quantum illud eſt, quod eiuſdem Theodoſij duce Ardaburio pugnante, Angeli militibus eius ad bellum euntibus ſpem dedere victoriæ, & ſe pugnaturos dixere? Accidit, inito prælio, vt Sarraceni. quibus per ſe imprimis fidebant, timore à Deo iniecto, viderentur ſibi videre ſecludi à Romanis. Quocircà in fugam cõiecti in Euphratem ſe præcipites dedere: vbique periere centum virorum millia, &c. Et eſt, qui dubitet adeſſe diuinam opem E pro pietate pugnantibus? Iubet Deus equorum neruos incidi, & currus incẽdi, vt intelligat Ioſue ſine his præſidiis humanis, victores fore, vt pollicitas eſt Iſraelitas.

Ioſephus.

Verſ. 6.] Equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures.

Cur iubeantur equi ſubneruari & currus incendi? & de myſtico ſenſu.

ANNOTATIO III.

1. IN equis, aut curribus fiduciam Hebræo populo conſtituendam eſſe ſæpe Deus in-

terdixit

terdixit. Atque hoc loco, equi propterea iubentur ſubneruari, currúſque incendi; ne quod diuina gerendum eſt virtute in Chananæorum expugnatione; id equorum robori, aut curulibus inſtrumentis, humana mens aſcribat.

Myſtica interpretatio.

2. Myſticè hæc ſubneruatio equorum; ſignificat, appetitus, qui inſtar indomiti equi ad vitia plerunque fertur, impediendum eſſe curſum quo ad peccatum ruit. Peccato námque animus non aliter atque corpus, ferro perit, Epheſ. 6. armis cœleſtibus nos Apoſtolus, non equis ad bellum contra Tartareos hoſtes inſtruit. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.* R. Dauid Kimhi, equorum pedes ait, eſſe ipſorum fulcimenta; quorum ſi neruos incideris, nullus deinde fuerit eius animalis vſus. Eſt ergo ac ſi iubeat equos prorſus perdere. Nimirum (vt Maſius annotat) nolebat Deus, vt ſui, illis ab hoſtibus captis, in bello verentur aliquando. Atque huc quoque illa ſpectabat lex, Deut. 17. ne ſuum regem paterentur multos ſibi equos comparare. Illiuſmodi enim adminiculis vtens opinionem auxilij diuini minuere facilè potuiſſet; cui fidere planè oportebat. Vnde Pſalm. 147. non placere Deo equorum robur, aut fortia virorum crura, ſed eos, qui in ſua miſericordia ſperant, & Pſalm. 20. curruum, & equorum fiduciam Regius vates damnat. Quod ſine his humanis præſidiis Hebræi ſæpè ſteterint & liberati ſint. Ceteróqui enim fas erat animalia hoſtium in prædam abducere. Nam deuictis Madianitis ſupra ſexagies mille aſinos abegerunt Iſraelitæ, Num. 31. At equi, curſúſque falcati bellica erant inſtrumenta. Hæc ad anagogen facilè trahi poſſunt. Annon ſunt nerui vitiorum, propenſiones, & mores corrupti? Hos neruos illide; & appetitum, fomitémque peccati, qui equo comparatur, ſubneruabis. Quid ſi manſuefiant animi affectus? illis in iumẽtis & adiumentis placidè vti poteris.

Epheſ. 6. — *R. Dauid.* — *Maſius.* — *Deut. 17.* — *Prohibebatur rex Iſrael multos ſibi equos comparare.* — *Pſal. 147.* — *Pſal. 20.* — *Num. 31.* — *Animi affectus inordinati, inſtar equorum ſunt enecandi, domandi.*

Procopius.

3. Aduertit Procopius, mandari Ioſue, vt eorum, qui à Septentrione vna inſurrexerant, equis neruos incidat. Nam lex: *non multiplicabit*, inquit, *nempe Rex tuus ſibi equos*, itémque, vt currus comburat, quemadmodum Ægyptiorum ſunt ſubmerſi. Hæc enim molitio belli à Septentrione profecta, frigoris vim ſignificat, qua aſtrictus animus ad humana præſidia, Dei oblitus conuertitur: ſubneruentur hi equi, & incendãtur hi currus, in quibus, qui ſpem locauerit, non gloriam, ſed ignominiam reportabit.

Deut. 17.

Origenes.

4. Quærit hoc loco Orig. cur equi iubeantur ſubneruari qui vſui eſſe poſſunt victoribus; contra verò iumentis vita concedatur? Reſpondet hom. 15. in Ioſ. Filij Iſrael nunquam referuntur equis vti. Lex quoque nihil de equis, ſed de aſinis mandat, vt de animalibus ad labores, & onera portanda valde idoneis. Quid quod equi magis ad perditionem hominum nati, quàm ad vtilitatem à pleriſque exiſtimantur? Quod ſi hæc ratio alicui non placet, ad ſignificationem ſtylum conuertimus. Eſt (inquit Origen.) equus laſciui motus animal, & ſuperbæ ceruicis. Aſini verò frequenter gentes ſignificant, quod ipſe Saluator ſupra aſinum ſedens oſtendit, qui nunquam equo ſediſſe refertur, & mittens diſcipulos ad ſoluendam aſinam, & pullum dicit: *Dicite quia Dominus eo opus habet*, & ſedens ſuper eum ingreditur Hieruſalem. *Vnde ecce rex tuus venit tibi manſuetus, &c.* Qui ergò ſuper aſinum ſedet exterminat currus Ephrem, & equum de Hieruſalem. Equi verò, qui exterminantur & currus, ſignificant eos, qui per ſuperbiam, & laſciuiam de cœlo ceciderunt, quãdo ſecuti ſunt eum, qui ait: *Ponam ſuper nubem ſedem meam.* Inde forſitan dicitur: *Fallax equus ad ſalutem*; & de his, quæ in dæmonibus confidebãt. *Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri, &c.* Significantur per equos & currus dæmones: paſſiones quoque corporis, id eſt, libido, ſuperbia, laſciuia, & leuitas, quibus infelix anima velut equitans fertur ad præcipitia. Subneruatur equus, quando abſtinentia corpus humiliatur, & igni currus exuruntur, cum illud impletur. *Ignem veni mittere in terram, &c.* de quo dicitur: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, &c.* Siquis ergo ex his, quæ dicimus, verbis Dei ſtimulatus compungitur; & heri, qui tãquam equus in libidinem ferebatur; hodie pœnitet, conuertitur, & publicam vitam amplectitur; videbitur gladio verbi Dei ſubneruaſſe equos. Quorum autem ſubneruantur equi? labiis, ſcilicet, qui prudentia & ſenſus interpretatur. Illius, ſcilicet, de quo dicitur: *Prudentia carnis inimica eſt Deo.* & alibi: *inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Hæc ferè Orig.

Cur equi iubeantur ſubneruari, & non item iumenta, — *Equus laſciui motus animal, & ſuperbæ ceruicis.* — *Matth. 21.* — *Zach. 9.* — *Iſai. 14.* — *Pſal. 32.* — *Subneruatur equus myſticè quando corpus minutur, humiliatur.* — *Luc. 24.* — *Rom 8.* — *Coloſſ. 2.*

5. Iubemur ergo ſubneruare gladio ſpirituali omnem equitatum vitiorum, currus quoque incendere, hoc eſt omnem elationem reſecare. Omnis equitatus vitiorum ſubneruandus eſt. Hi ſunt hoſtes qui nos impugnant præſto ſemper ad rixam, à qua nemo eſt liber, dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. *Volumus*, inquit Auguſt. *vt nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus, Velimus nolimus habemus illas. Titillant, blandiuntur, ſtimulant: premuntur, ſed non extinguntur. Ergo quandiu hic viuitur fratres, ſic eſt: ſicut & nos, qui ſenuimus in iſta militia minores quidem hoſtes habemus: ſed tamen habemus. Fatigati ſunt hoſtes noſtri iam per ætatem, ſed tamen, etiam fatigati non ceſſant qualibuſcunque motibus infeſtare ſenectutis quietem. Acrior pugna iuuenum eſt. Nouimus eam, tranſiuimus per eam. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem, vt non ea quæ vultis faciatis. Quid enim vultis ô ſancti, ô boni præliatores? vt non ſint omnino concupiſcentiæ? Exercete bellum, ſperate triumphum. Non regnet*, inquit Paulus, Rom. 6. *in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis eius. Pugnat, pugnat contra nos peccatum, ſed non regnet, id eſt, ad obediendum deſideriis eius. Si cœperitis obedire, regnat peccatum:* Hæc Auguſt. Reges ergo, id eſt, præcipua vitiorum capita, ante omnia, truncandi ſunt ſub Ioſue noſtro, id eſt Chriſto, cæteræ deinde, etiam minimæ vitiorum fibræ, ſtirpitus euellendæ. Quod dicitur: *percuſſit omnes, vt nullas dimitteret ex eis reliquias*; Aliqui legunt, *vt non remittatur vllus, qui reſpiret.* Non ſufficit iram, ne homicidium ſequatur, frenare; nec ob metum à furto abſtinere; omnes vitiorum motus, qui hoſtes ſunt animæ ita ſuffocandi ſunt, vt ne motus quidem iræ locum habeat. *Ipſa*, inquit Orig. *conturbatio indecens eſt ei, qui ſub* I E S V *duce militat. Cogitationes malæ, dum paruæ ſunt, Chriſto iubente iugulandæ ſunt, & ad petram, qui eſt ipſe Chriſtus allidendæ, vt nihil in nobis reſideat quod reſpiret, &c.* Hoc nobis ſuadet Apoſtolus, Rom. 6. *Non regnet*, inquit, *peccatum in veſtro mortali corpore.* Poſtquàm venit I E S V, & occidit omnes reges, qui regnabant in nobis, & interficere præcepit, qui aliquẽ viuum in ſe ſeruauerit; in exercitu I E S V eſſe nõ poterit, ſi regnat in te auaritia, iactantia, libido, vel aliquid huiuſmodi, non es Iſraeliticus miles, nec imples præceptum, quod dedit Dominus Ioſue. *Filia*, inquit Pſalmographus, *Babylonis miſera*,

beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Vide Auguſt. ſuper hunc verſiculum, c[illegible] certè Deum mandantem tot regum, & animaliu. [illegible]cciſiones, vrbiumq; incendia, à ſuſpicione crudelitatis liberat. quæ.16. in Ioſue.

LIBRI IOSVE

CAPITIS VNDECIMI.
SECTIO II.

*Verſ.*16.] Cepit itaque Ioſue omnem terram montanam, & meridia-
17. nam,&c. & partem montis, quæ aſcendit Seir vſque Baalgad per planitiem Libani, ſubter mōtem Hermon: omnes reges eorum
18. percuſſit, & occidit. Multo tempore pugnauit Ioſue contra re-
19. ges iſtos. Non fuit ciuitas, quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon:
20. omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael,&caderent,
21. & non mererentur vllam clemētiam,ac perirent: ſicut præceperat
22. Dominus Moſi. In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron & Dabir,& Anab,& de omni monte Iuda, & Iſrael: vrbéſque eorum deleuit.
23. Non reliquit vnū de ſtirpe Enacim in terra filiorū Iſrael: abſque ciuitatibus Gaza,& Geth:& Azoto, in quibus ſolùm relicti ſunt. Cepit ergo Ioſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moſen, & tradidit eam in poſſeſſionem filiis Iſrael,ſecundùm partes, & tribus ſuas, quieuítque terra à prælijs.

Alia verſiones.

Hebraicè, Pro, *Non fuit ciuitas, quæ ſe traderet,&c.* Non fuit ciuitas,quæ pacem fecerit cum filiis Iſrael, præter Heuæos habitatores Gabaon,omnes ceperunt in prælio, &c.

Aliter. Pro, *Non fuit ciuitas, &c.* Nec fuit vlla ciuitas,quæ ſe non traderet filiis Iſrael, exceptis Heuæis, qui habitabant in Gabaon: ſed bello, omnes ciuitates obtinuerunt, ſiquidem à Domino hoc fuit, qui confortabat cor illorum, vt bello reſiſterent Iſraeli: vtq; illi eos internecioni darēt, nec vlla eis miſericordia exhiberetur, &c.

Sept.Interp. Pro, *aquas Maſerephoth*, vertunt, vſque ad campos Maſſochad. Alij libri μασρεφὼτ μαΘὶμ: quod Chaldæus interpretatur, ſalinas aquarum, ſcilicet Hieron. de locis Hebraicis Maſrephoth. Pro, *Omnes bellando cepit. Domini enim ſententia, &c.* vertunt. Omnia ceperunt in bello: quia per Dominum factum eſt confortari cor eorum. Pro, *De omni monte Iuda*, vertunt, de omni genere Iſrael. Complu.de omni monte Iuda & Iſrael.

Explicatur contextus.

16. CEpit itaque Ioſue omnem terram montanam, & meridianam,terramq́, Goſen, &c.] Nullis munitionibus aut artificio obſiſtere potuerūt, indigenæ Iſraelitis quin duce Ioſue loca omnia ad quæ appulerint continuatis ceperint victoriis. Id verò vniuerſaliter primum hoc verſu proponitur; deinde autem ſigillatim. Appellatur hic terra montana, Septentrionalis tractus, qui opponitur meridiano. Vocabulum verò Goſen,vel Gezen,vt legit Abulenſ. qu. 9. vel Geſſen,vt Mōtanus, nuſquam alias in deſcriptionibus ſacris præterquam in hoc libro inuenitur; éſtque alia ab illa,quæ Iſraelitis à Pharaone in Ægypto data fuit. Arias Montanus,deſcriptionis rationem obſeruans, opinatur hoc nomen non proprium regionis alicuius eſſe, ſed commune eorum locorum quæ pecoribus paſcendis, idonea eſſent, inditúmque ab Hebræis ad illius Ægyptij agri imitationem,qui conſpacuus erat. Quam verò occidentalem hic legimus; ex Hebræo vocabulo, cāpeſtrem & planam eſſe dicimus. Fauet huic interpretationi Chaldæus, qui totum hunc verſum, ita paraphraſticè vertit; *& poſſedit Iſrael omnem terram hanc montis, & omnem terram Auſtri, & omnem terram Goſen, & depreſſionem, & planitiem & montem Iſrael, & depreſſionem eius, &c.* Vocat Goſen terram, quam hic Geſſen appellant Abulenſ. & Montanus. Vtroque enim modo pronuntiari ſolet. Scribunt authores Midras, merito quodam Iudæ factum eſſe, vt terra Geſſen ex Ægypto abſorta in hunc Chananitidis agrum migraret.

Abulenſis. *Montanus.* *Goſen, nomen eſt commune agris compaſcuis.* *Rabbinorum commentum.*

Mons Iſrael, vt Andreas Maſius putat, tractus eſt montis, in quo Samaria poſteà condita fuit.

Maſius.

Idem

Idem ſentit Montanus,& probat ex Ioannis verhis cap. 4. vbi legimus. *Abut uerum* IESVS *in Galilaam,oportebat autem eum tranſire per Samariã, venit ergo in ciuitatem Samaria, qua dicitur Sichar, &c.* & infrà. *Domine vides,quia propheta es tu,patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet,&c.* In eadem ſententia eſt Caietan. *Suſpicor*, inquit *montem Iſrael appellari montem illum, quem Iacob dicit,* Geneſ. 48. *Tuliſſe de manu Amorrhai suis bello, & ideò appellari montem Iſrael, tanquam proprium ipſius Iacob,qui vocatus eſt Iſrael.*

Mons Iſrael dicitur ille tractus in quo eſt Samaria.
Caietanus.
Gen. 48.

17. *Et partem montis qui aſcendit Seir vſque Baalgad,per planitiem libani ſubter montem Hermon, omnes reges eorum cepit,&c.*] De Occidentali,& Oriẽtali termino, iam ſuperius dictum eſt. Hic totius regionis ſumma deſcriptio proponitur Meridionali, & Septentrionali plaga comprehenſa. Eſt autem huius verſus ſententia, omnia loca fuiſſe debellata, tam interiora terrarum quàm terminos ipſos nempe montem, qui ad Idumæorum Seir pertinet, & cætera omnia interiecta vſque ad vrbem Baalgad, quæ ita vocata fuit à Fortuna, quæ in ea colebatur, ſignificat autem Libanus candorem, Hermon verò exciſionem. Ita inter varij ominis loca,inſaniens ſuperſtitio, Fortunæ, vel Felicitati, aras ſacrauerat, quæ tamen nihil, contra Iſrael prodeſſe potuit. Porrò Seir montes, qui ab Auſtro claudunt Chananæum incolebant Idumæi ab Eſau prognati. Libanus verò à Borea Syriæ Damaſcenæ limes eſt Reges omnes harum regionum, cepit Ioſue, & occidit. In Hebr. nequid ad eruditionem deſideres, ita habetur. *A monte Leui qui aſcendit in Seir,&c.* Hoc eſt à monte depexo, ſiue detonſo, vt à latinis vocantur, qui neque rupium aſperitate, neque arborum denſitate horreſcunt, qui aſcendit in Seir, cuius nomen horridum,piloſum & aſperum ſonat, &c.

B

In vrbe Baalgad colebatur Fortuna.

Seir piloſum & aſperum ſonat.

C

18. *Multo tempore pugnauit Ioſue contra Reges iſtos, &c.*]Narrato vrbis Aſor incendio,& quarundam vrbium excidio,nequis,putaret,breuiſſimo temporis ſpatio omnia hæc confecta fuiſſe, additur: *multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos*,nempe à tranſmiſſi Iordanis die, vſque ad agrorum partitionem,ſeptem continuis annis, vt in ſacro apparatu in lib. Dan. obſeruat Montanus. Huius protectæ expugnationis rationem tradit Moſes, Deuter. 7. *Non timebis*, inquit, *eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis, ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te beſtia terra,&c.* Similis ratio traditur, Sap. 12. *Illos*, inquit, *antiquos in habitatores terra Sancta tua, quos exhorruiſti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & ſacrificia iniuſta, & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, &c. Perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum,vt dignam perciperet peregrinationem puerorum Dei,qua tibi omnium charior eſt terra. Sed & his tanquam hominibus pepercisti,& miſiſti antecesſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello ſubycere impios iuſtis aut beſtijs ſauis, aut verbo duro ſimul exterminare, ſed partibus iudicans dabas locum pænitentia, non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio ipſorum in perpetuum &c.* Itaque dilatio hæc ideò conceſſa fuit, vt excitatis ſcripturæ locis conſtat, vt & Iſraelitæ, varijs euentis, quanta eſſet Dei in ſe benignitas,admonerentur,

D

Contra Reges pugnauit Ioſue, 7. annis a die tranſitus Iordanis
Montanus.
Deut. 7.

Sap. 12.

E

Peccata Chananæorum, & obſtinata malitia.

A & hoſtes miraculis territi, ſi non omnes ſaltem aliqui, poſthabitis idolis, verum numen agnoſcerent.

19. *Non fuit ciuitas,qua ſe traderet filiis Iſrael,prater Heuaum,qui habitat in Gabaon,omnes enim bellando cepit.*] Quædam exemplaria habent. *Non fuit ciuitas qua ſe non traderet filijs Iſrael:* Caietanus corruptam eſſe putãt hanc lectionem, & ab Hebræo fonte diſcrepare. Aliqui tamen viri docti antiquitatem prædictæ lectionis, & græcam verſionem magnifacientes ita verbum negatum, *non ſe traderet*, interpretantur, vt non deditionem prælio,aut ante prælium factam,ſed expugnationem ſignificet. Quippe nulla ciuitas præter Heuæos

Varia lectio.
Caiet.

B ſeſe vltro Hebræis tradidit, ſed omnes vi captæ ſunt. Cæterùm correcta exemplaria. qualia ſunt, quæ habemus ex noua Sixti V. editione,ſic legut. Non fuit Ciuitas, quæ ſe traderet. In fontè verſus hic ſic ex verbo habet. *Non fuit vrbs, qua pacem faceret cum filiis Iſrael prater Heuaum habitantes Gabaon, omnes ceperunt in bello.* Itaque præter Gabaonitarum illas quatuor vrbes omnes pugnando captæ fuerunt. Ita explicat D. Auguſt. in quæſtionibus ſuper Ioſue. Præſertim quæſt. 17. vbi quærit, quomodo verum ſit, quod hic dicitur, *omnes bellando cepit*, cum nec poſtea tempore Iudicum,nec Regum omnes omnino illarum,ſeptẽ

Sixti V. editio emendata prafertur aliis.

Auguſtinus

C gentium ciuitates capere Hebræi potuerint? exiſtimat autem ſic intelligẽdum eſſe, quod ad nullam ciuitatem pugnando acceſſerit Ioſue, quam non ceperit. Cæterum Ioſue non ad omnes acceſſit,ſed ad eas,quæ erant in regionibus hic enumeratis. Has verò omnes bello cepit, D. Auguſt. ſequitur Maſius.

20. *Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum,& pugnarent contra Iſrael & caderent,& non mererentur vllam clementiam ac perirent, ſicut & praceperat Dominus Moſi.*] His verbis apertè docemur, ſi Chananæi petiiſſent pacem ſuſcepto veri Dei cultu,eos incolumes futuros Deleti tamẽ ſunt,quia induratio meruit,vt penitus extinguerentur. Vnde Caiet. colligit decreta Dei, de

Si Chananai pacem petiiſſent ſuſcepto veri Dei cultu, non periiſſent.
Caietan.

D Chananæorum deletione conditionem inuolucre,nimirum omnes,quos non pœniteret ſui erroris extinctum iri, Soli enim delendi erant abſque vllo fœdere, qui obdurato animo Iſraeli reſiſterent,non verò illi,quos pœniteret, quales fuerũt Soli Gabaonitæ, ſuffragatur huic expoſitioni Theodor. quæſt. 11. in Ioſue. *Hoc ſermone*, inquit, *docemur Deum omnia cum trutina, & menſura gubernantem, permiſiſſe iſtis, vt ex aduerſo pugnarent contra Iſraelitas, ne conſequerentur vllam veniam, ſed iuxta diuinam ſententiam delerentur. Quantum ad reliquos populos, Deus Iſraelis dederat legem, vt ſi obſidentibus Iſraelitis oppidum aliquod, legationem mitterent illi, & amicitiam poſtularent, ſuſciperent legationem & obſidionem ſoluerent, inita pace cum illis.* Hæc Theodor.

Theodoret.

E

D. Auguſt. quæſt. 18. in Ioſue, Pro, *indurare* legit, *confortare*; ſed tantundem eſt iuxta explicationem illius. *Ita*, inquit, *dictum eſt per Dominum confortari,id eſt obdurari cor eorum,ſicut de Pharaone, quod diuino alióque iudicio fieri dubitandum non eſt, cum deſerit Deus,& praſidet inimicus, &c.* Vide,quæ inferius annotanda ſunt; in Hebræo eſt. *Quia a Domino fuit ad indurandum cor eorum, ad occurrendum pralio Iſrael,vt vaſtare faceret eos,vt non eſſet illis clementia,ſed ad excidendum eos,ſicut praceperat Dominus Moſi.* Noſter interpres, detracta horridiore coniunctionum repetitione, ſenſum eundem

D. Auguſtin.

Chananæi Reges nullam meruiſunt clementiam, Deo permittente, vt fruſtra obſiſterent Iſraelitis.

reddidit. Quaſi dicat, Deo iudice effectum eſt, vt illorum corda indurarentur, vnumque eſſet contumax propoſitum, Iſraelitas non pace, aut alia conditione, ſed prælio excipiendi; vt non mererentur vllam clementiam, hoc eſt, vt nulla clementia erga eos vterentur Iſraelitæ, ſe expugnati, funditus perirent. Fuerat enim lege diuina per Moſen ſcripta cautum, ne vlli ex iis parceretur, qui oblatam pacis conditionem, belli optione mutarent.

Caietanus. *Indurare cor, & roborare quid ſit?*

Aduerte etiam ex Caiet. & aliis quod Latini dicunt indurare cor; Hebraicè dici *roborare cor.* Ad effectum namque huiuſmodi duo concurrunt; vnum ſcilicet nagatiuum (vt ſcholæ loquuntur) hoc eſt negatio diuinæ gratiæ inclinantis cor ad ea, quæ Dei ſunt efficaciter ſectanda. Alterum poſitiuum, videlicèt pronitas firmitáſque animi ad repugnandum Iſraelitis, tanquam hoſtibus. Et illud quidem (inquit Caiet.) à Deo negatiuè; hoc autem fuit a Deo poſitiuè. Omnis enim actio, cum omni poſitiua conditione in quocunque peccatore, etiam in dæmonibus, eſt à Deo effectiuè, &c.

21. *In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & omni monte Iuda, & Iſrael abſque ciuitatibus Gaza, &c.*] Hactenus cõmemorata ſunt bella, quæ Hebræi à Chananæorum gente ſibi illata, ſuſtinuerunt, & confecerunt. Duobus his verſibus eorum præliorum mentio fit, quæ ab Hebræis Ioſue duce & aggreſſore ſunt inita. Quod vt meliùs percipias, recole gentes, quas Num. 14. exploratores olim à Moſe miſſi ſe vidiſſe retulerunt. *Cultores*, inquiunt, *fortiſſimos, & vrbes grandes, atque muratas, ſtirpem Enac vidimus ibi Amalec habitat in meridie: Hethæus, & Iebuſæus & Amorrhæus in montanis. Chananeus verò moratur, iuxta mare & circa fluenta Iordanis*; & inferiùs. *Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos, populus, quem proſpeximus proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ, videbamur, &c.* Difficilè expugnari poſſe hanc terram exploratores contendebant, ob duo populorum genera. Alterum filiorum Chanaã, quos & magnos, & fortiſſimos, & in munitiſſimis oppidis habitare renuntiabant, adeóque feros eſſe aiebant, vt alij alios deuorarent. Alterum verò prodigioſæ magnitudinis, & ferocitatis, ex Enac cuius in illis regionibus nomen, ob proceritatem & ſæuitiam fuerat formidabile. Territi Iſraelitæ hoc nuntio reuerti in Ægyptum volebant, niſi Ioſue, & Caleb, qui veſtimenta ſciderunt, hanc addidiſſent orationem. *Terra quam circuiuimus valdè bona eſt, &c. Nolite rebelles eſſe contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius; quia ſicut panem ita poſſumus eos deuorare; receſſit ab eis omne præſidium. Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere, &c.*

Num. 14.

Gigantum proceritas, & robur.

Ioſue & Caleb populum nuntiis auditis exanimatum ſpe vincendi gigantes, erexerunt.

Senſus ergo huius loci eſt. *In tempore illo, &c.* Id eſt, cùm iam Chananæorum gentes omne quæ bellum intulerant exciſæ penitus eſſent. Ioſue ipſe, qui fide fractos olim Hebræorum animos, ad ſpem erexerat etiam Gigantes conculcandi, vltro venit, & occidit Enacim, hoc eſt gentem proceræ ſtaturæ, quæ ab Enacim prognata & in editis locis habitans, omnibus, terrori erat. Vocat hic montes Iuda & Iſrael eos, qui ad tractum regionis Iudæ, & Samariæ pertinent. Aduertit, Lyra, quod hic dicitur de montanis Hebron intelligendum eſſe quoad partem aliquam tantùm; ſiquidem aliqui Gigantes remanſerant; Quos Caleb poſteà interfecit, vt inferius narratur cap 15. Niſi dicas, factum Caleb hic poni per anticipationem, & aſcribi Ioſue; eo quod Caleb data eſt illa terra Ioſue conceſſione, vt infra cap. 14. Sacra refert hiſtoria. Hinc explicationi conſentaneum eſt, id quod habetur Iudic. 1. de expugnatione Hebron poſt Ioſue mortem. Fortè Ioſue in debellatione gigantum Hebron, adfuit Calebo tanquam Imperator, cui ſubditus erat Caleb, & idcirco illi potiſſimùm aſcribitur res geſta.

Lyranus.

Quæ hic narrantur infra cap. 14. & 15. magis explicantur.

Iudic. 1.

Hebron expugnata poſt Ioſue mortem fuit.

22. *Non reliquit vllum de ſtirpe Enacim in terra filiorum Iſrael: abſque ciuitatibus Gaza & Geth, & Azoto, in quibus ſolum relicti ſunt.*] Cæteris Gigantibus extinctis Dei prouidentia, & iudicio quidam ex hoc Enac genere, in Palæſtinæ vrbibus reliqui fuere apud Gazam, & Azotum, quos à tribu Iudæ in Iudicum libro legimus deletos, ac penitus extinctos. At cur hic relicti? Nimirum Palæſtinæ regio non fuit eo tempore expugnata, in qua vrbes illæ: Cur non expugnata, vel quia tot expugnatis vrbibus, Hebræos, vlteriusbellum gerere piguerit: ſiue quod illa loca conſultò à Ioſue prætermiſſa fuerint, ne maius ſpatiũ occuparetur, quã quod inhabitari ab Iſraelitis poſſet. Quid ſi id etiam factum fuit, vt vicini hoſtes ad acuendam Iſraelitarum, ne otio torpeſcerent, virtutem relinquerentur. Hæc etiam ſumma ſequenti verſu ponitur.

Cur gigantes aliqui relicti.

23. *Cepit ergo Ioſue omnem terram ſicut locutus eſt Dominus ad Moſem, & tradidit eam in poſſeſſionem filijs Iſrael ſecundum partes, & tribus ſuas, quieuitque terra à prælijs.*] Capta omni terra, quam occupare voluerunt Iſraelitæ, ceſſatum eſt à prælijs, non quidem omnibus; ſed communibus toti populo duntaxat. Nam particularibus præliis à quibuſdam tribubus, deinceps diu certatum eſt. Capta igitur eſt vniuerſa terra, ſicut initio Ioſue dixerat Deus. *Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri vobis tradam, ſicut locutus ſum Moſi.* Quod ſanè ad promiſſionis diuinæ impletionem attinet, nihil deſiderari poteſt adeò domita omnis terra fuit; vt nullus deinceps vel princeps Iſraelitis de diuidendis agris & poſſidendis agentibus, obſtiterit. *Tradidit* (inquit, ſacer hiſtoricus) *eam in poſſeſſionem filiis Iſrael ſecundum partes & tribus ſuas.* In quibus verbis intelligimus, & diuiſionem illa maiorem in 9. partes cum dimidia, quæ à Ioſue terminis conſtitutis facta eſt (coniunctio námque, *&*, hic expoſitiuè ponitur quaſi id eſt) *& illam*, quæ à proceribus, cuiuſque tribus ſigillatim per familias eſt inſtituta. Dum dicitur: *quieuit terra à prælijs*; per terram, intelligimus, terræ habitatores eodem tropo, quo à Latino poeta dictum eſt, Cœlo gratiſſimus amnis. Metionymia enim eſt cùm cœlum accipitur, pro cœlicolis; & terra pro terræ cultoribus. Bellum itaque nullum, illa tempeſtate, ſublatis hoſtibus validioribus & attritis, illatum eſt Iſraeli; ac propterea partitioni, miſſis Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribu Manaſſe trans Iordanem, animum Ioſue adiecit.

Ioſue 1.

Quomodo tempore Ioſue quieuerit terra à prœliis.

Verſ. 18. 19.] Omnes Reges eorum cepit, percuſſit, & occidit. Multo tẽpore pugnauit Ioſue contra Reges iſtos.

De pugna, contra dæmones impellentes ad diuerſa vitia, & quomodo, duce IESV *conculcandi ſunt?*

ANNOTATIO I.

Origenes.

1. PLACEAT cum Origene aliquem fructum ex hiſtoria ſacra colligere, qui hom. 15. in Ioſue expendens hæc verba. *Omnes Reges eorum cepit Ioſue, &c.* Spirituale cogitat prælium, in quo qui IESVM ducem ſequuntur, captos derident
B hoſtes, & iugulant vſque ad internecionem. Omnes ergo occidit IESVS, qui exierãt ad bellum. Superior enim omnibus eſt IESVS Dei verbum & ſapientia. Vnde Paulus, 1. Cor. 6. inſurgentes in nos vitiorum exercitus, quibus ductores præpoſiti ſunt. Tartarei reges, conſiderans, & quid nobis Chriſtus contulerit, ait, *& hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti.* Multo tempore pugnatum eſt contra reges iſtos, ſed victoria, nonniſi duce IESV, qui omnes capit & perimit, parta eſt. A Domino namque factum eſt, vt obſtinato impetu concurrerent in prælium contra electos, vt
C victi ingemiſcerent & perirent. Dum enim ad pugnam non prouocant, expugnari nequeunt. Ideò dicitur Deus incitare ſpiritus virtuti contrarios, vt nos exerceant, & tandem à nobis victi pereant. Profectò Origen. putat, infinitam eſſe huiuſmodi ſpiritum, quos aduerſarias virtutes vocat, multitudinem. *Per ſingulos pene homines,* inquit, *aliqui ſunt ſpiritus, qui diuerſa peccatorum genera moliuntur. Eſt ſpiritus fornicationis, eſt ſpiritus iræ, eſt alius auaritiæ, eſt ſuperbiæ, iſ verò ſpiritus, multiplices ſunt. Neque vnus eſt ſpiritus iræ, qui diuerſis in locis, diuerſos homines agitet, ſed plures pluribus in locis, ne quis ſe, quod alius ira tentetur, ab hoſte ſimili, liberum*
D *putet.* Deinde addit (quod valdè notandum eſt.) *Puto vnum eſſe ſpiritum fornicationis, & innumeros, qui in hoc officio ei pareant, & per ſingulos homines diuerſi ſpiritus ſub ipſo principe militantes, qui ad huiuſmodi peccata eos ſolicitent. Similiter iracundiæ principem vnum eſſe arbitror, & innumeros ſub ipſo, & idem de cæteris peccatis ſentiendum. Ideò non vnus principatus dicitur ab Apoſtolo, ſed plures; contra quos nobis pugna eſt. Eſſe tamen reor omnium horum principem in nequitia eminentiorem, qui totum mundum, quem iſti ſpeciatim ſolicitant, velut omnium principum dux, & totius militiæ magiſter exagitet, qui per Iabin ſignificatur, &c.*

2. Tandem in allegorica explicatione perſiſtens credit, eum dæmonem, qui ſemel à quoli-
E bet electo victus ſit, nunquam amplius, contra eum, arma ſumpturum. Imò neque contra alium hominem ſicut ille ſpiritus, qui Luc. 8. rogabat IESVM, ne in abyſſum mitteretur conſequens videtur quod ſinguli victi, vel in abyſſum, vel in exteriores tenebras, vel in alium locum abducantur à iuſto iudice Chriſto, & inde eſſe quod plurimo numero dæmonum iam deuicto, ad fidem gentes venire permittentur.

3. Ne quis tamen ad mythologiam trahat, quod dicitur ſingulis peccantibus, plurima ineſſe dæmonia, recordetur illas dæmoniaci, qui Marci 5. dicitur in ſepulchris habitare, & interrogatus à Chriſto, quod tibi nomen eſt? reſpondit, legio. Quid ergo mirum ſi per ſingula genera peccato-

1.Cor.6.

Victoria parta a nobis duce Ieſu de Regibus Tartareis.

Multi dæmones vni principi ad nocendũ militãt.

In vnoquoque peccati genere vnus eſt dæmon induſtior cui multi parent.

Marc. 5.

Quid ſit legio dæmonum apud Marcum.

A rum ſinguli dæmones adſcribãtur, cum ſcriptum ſit in vno homine integram fuiſſe legionem? ſint in manibus noſtris gladij ancipites, qui perimant ductores harum nequitiarum ſpiritus. Sic enim *Deus pacis*, vt Paulus ait, Rom. 16. *conteret Satanam ſub pedibus veſtris.* Hinc aliquis obiiciet, ſi vnus eſt Satanas, quomodo poteſt contritus eſſe & iterum operari? Ait Origen. *Tot putandi ſunt Satanæ, quot ſunt, qui opera eius faciunt.* In libello quoq; qui appellatur teſtamentum, 12. patriarcharum qui non habetur in canone, quod per ſingulos peccantes, ſinguli Satanæ intelligi debeant. Præterea Satanas aduerſarius dicitur.
B Omnes ergò, qui aduerſantur voluntati Dei Satanæ poſſunt dici: Beatus eſt ergo, qui ſpiritualem machæram tenens, non aufert eam à cruoribus horum hoſtium. Vnde Hierem. 48. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, & aufert gladium ſuum à ſanguine iniquorum.* Profectò Reges hos & principes tenebrarum, qui ad vitia nos impellunt, interficimus, cum opera eorum non facimus verbi Dei gladio, ſub IESV, duce noſtro vtentes. Eſt nobis dum pugnamus in vero Ioſue ſpes noſtra Cur autem dæmones non omnibus æqualiter cedant, qui IESVM inuocant: Cauſam reddit D. Auguſtin. lib. 83. quæſt. 79. tom. 4. *Maligni*, inquit, *ſpiritus nullo modo audent*
C *ſigna nominis Chriſti contemnere. Non autem ſemper cedunt, quia fortè neſcientibus hominibus, aliud iubetur diuinitus, vel ad confundendos malos, cùm eos oportet confundi: ſicut de Sceuæ filiis in Act. Apoſtolorum cap. 19. legimus. Quibus ait immũdus ſpiritus* IESVM *ſcio, & Paulũ noui, vos autem qui eſtis? vel ad cõmendandos bonos, vt proficiant in fide: atque iſta, non iactanter, ſed vtiliter poſſint. Vel ad diſcernenda dona membrorũ Eccleſiæ ſicut Apoſtolus dicit? Nũquid omnes virtutes? Nũquid omnes dona habent curationũ?* 1. Cor. 12. Petrus Chryſ. expendens illa verba. *Fili accedẽs ad ſeruitutem Dei ſta in timore, &c. Mundus*, inquit, *quod de diabolo pari iure dici poteſt, aduerſus deſertores ſuos*
D *fortius pugnat. & egrediente vita ſecularis illecebras, grauior congreſſus expectat. Nam & in exitu Iſrael de Ægypto Pharao vehementius excandeſcit. Et Satanas egrediens ab homine, quem ab infantia tenuerat, ipſius grauius in egreſſu diſcerpit, &c.* Illud conſolari nos poteſt, quòd Bernard. ait ſerm. 39. Poſſe nimirum ab inimico excitari tentationis motum, in nobis tamen eſſe, ſi voluerimus, dare, ſeu negare conſenſum. Vnde Chryſoſtom. ſuper illud Matth. 4. *Mitte te deorſum*, ait. *Non impulit, non tetigit, ſed tantùm dixit. Mitte te deorſum, vt intelligamus, quod qui obedit diabolo ipſe ſe deijcit. Diabolus enim ſuggerere poteſt, cogere non poteſt.* Quare licèt innumeri ſint dæmones, quibus ad nequitiam genus humanum impellitur, Verbi Dei gladio, ſub
E IESV duce noſtro vtamur. Hoc gladio, imitantes Ioſue, qui omnes Reges Chananæorum cepit, & occidit, & vitiorum omnium copias, delebimus, illarum ducibus conſtrictis, & pede conculcatis. Pugnauit quidem Ioſue multo tempore cõtra Reges Chananæorum, vt intelligamus bellum nobis perpetuum cum vitiis gerendum eſſe. victis namque per continentiam noſtram, manſuetudinem miſericordiam, & huiuſmodi virtutes nequiſſimis hoſtibus, penitúſque profligato ſpiritu fornicationis, iræ, furoris, auaritiæ, & cæteris huiuſmodi, erumpent mox in nos alij fortaſſe nequiores; ſuccedéntque feſſis, recentes, nec nos reſpirare ſinent, niſi ſubneruatis gladio, verbi Dei eorum equis, & incenſis curribus, hoc eſt ap-

Rom 16.

Origenes. Tot numerantur Satanæ, quot ſunt, qui illius opera faciunt.

Satanas, id eſt aduerſarius.

Hierem 48

1. Cor. 12.

Matth 4.

petitionibus effrenatis,& tentationū exordiis,in defeſſo labore,in pugna perſeuerauimus.

Verſ. 20.] Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moſi.

Quo ſpectet decretum indurationis Regum Chanaan, ob quam indigni miſericordia fuerunt?

ANNOTATIO II.

1. OMISSIS longiſſimis diſputationibus de obduratione peccatorum, in quibus præter ſanctos patres ſcholiaſtici Theologi inſudant; quod ad præſentem locum attinet, ſatis eſt ſcire, indurationem diuina ſententia, & iudicio Chananæis accidiſſe, vt occaſio eſſet, & opportunitas vltionis inferendæ peccatis grauiſſimis, ipſam indurationis ſententiam præcedentibus: ita nimirum, vt induratio prima peccati cauſa non ſit, ſed patrato obſtinatè peccato, & iam reprehenſo, nec tamen emendato adueniat. Cùm verò delictum augeat ſupplicium, vt maturetur, efficit.

Obduratio peccato aduenit reprehenſo, ſed nō emendato.

2. Igitur cùm quæritur cauſa indurationis tanquam ſcopus, ob quem permittatur, aſſignari ſolet, ſupplicium à Deo irrogandum; videlicet; quod huiuſmodi hominum induratione paratum iam, atque decretum iudicium exerceatur; ſic Pharao Maris rubri Hebræis aperti vias, cum curribus & equitibus ingrediens; iudicium in ſe Dei, ob indurationem exerceri ſenſit. Hinc illæ voces: *Fugiamus Iſraelem, quia Dominus pugnat pro eis.*

3. Ratio verò cur Pharao & Ægyptij fuerunt indurati; non inuidioſæ Dei voluntati, ſed præcedenti ipſorum culpæ indurationis permiſſione dignæ aſcribitur. Nihil enim Deus odit eorum, quæ fecit; ſed vt iuſtiſſimus Iudex patrata ab hominibus ſcelera lata ſententia vlciſcitur. Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram? abſit, alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? *Abſit à te* (inquit Abraham Gen. 18.) *vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio; fiátque iuſtus ſicut impius, non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram.* Hinc docemur, nullum à Deo ſupplicium aduerſus homines præter ipſorum culpam conſtitui, aut exerceri. Neque quod peccatum ab hominibus fiat, à Deo proficiſci, ſed ipſos ſibi & culpam & interitum moliri. Vnde Oſeæ 1. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.*

Induratio Pharaonis, & Ægyptiorum non Dei voluntati ſed illorum culpæ adſcribitur.

Geneſ.18.

Oſeæ. 1.

4. Quod ſi iudicium aliquod exerceri contingat, cuius nos ratio lateat, non propterea ratio deſiderari putanda eſt. Certè in ſacris literis, nullum graue iudicium refertur, cuius non indicetur ratio in vno vel alio loco, & quidem indurationis Pharaonis latæ ſententiæ ratio, ab ipſo Deo priùs opportunè, expoſita fuerat. Pertinax nimirum illius regis propoſitum, Iſraelitas [illegible] perden-

Nullum inducitur ſupplicium à Deo, quin culpa præcedat.

Pharaonis obſtinatus animus punitur induratione, &c.

A di, vel in ſordidis operibus fatigandi, negata ſemper abeundi facultate, Exod. 5. *Sed ego ſcio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam.* Vides Regis obſtinationem, conſequi indurationis iudicium, ad vltionis accelerationem. Itaque indurationem ipſam, pœnæ, malo animo dignæ excepere. Quoties putas admonitum fuiſſe, non ſolùm verbis, ſed ſignis Pharaonem antequam Deus extremum ſupplicium illius attulit indurationi? Exod. 10. poſt multa ſigna in Ægypto edita, hoc indicauit Deus Pharaoni. *Ingredere,* inquit, *ad Pharaonem; ego enim induraui cor eius, & ſeruorum illius, vt faciam ſigna hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties*

Exod 5.

Exod.10.

B *contriuerim Ægyptios.* Conſtat profectò ex his verbis, vaſa illa, iræ, quæ ſua malitia ad interitum apta erant, in multa patientia ſuſtinuiſſe Deum, antequam potentiam ſuam & iram oſtenderet. Quid de Chananæis? Expectauit Dominus ſeculis pluribus quam quatuor; mores turpiſſimos vidit. Obtulit eorum auribus famam miraculorum, quæ quadraginta annis exhibita ſunt in ſolitudine; multa inſuper obſeruata ſunt, illorum oculis diuinæ voluntatis, quæ Hebræis fauebat indicia; multi etiam terrores, ni eos pœnituiſſet propoſiti, pax oblata. Nunquam tamen illorum cor ad pietatem commotum fuit. Audi quid diuinus

Vaſa iræ ſuſtinuit Deus, quam [illegible] inferni.

Sap.12.

C intonet ſpiritus, Sap. 12. *Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ; non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum; & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, &c.*

5. Sciebat Deus Chananæos non mutatum iri, ab illa inſita malitia; memor tamen clementiæ, per multos annos diſtulit ſupplicium. Cúmque ſceleratiſſimos mores exuere, nec cogitarent quidem, vt dignas tandem tantis flagitiis pœnas ſubirent, diuino decreto indurati ſunt, id quod contextus ipſe ſignificat. Non enim dicitur, Domini ſententiam fuiſſe, vt ipſi culpam committerent, quam ob rem pœna mulctarentur; ſed vt

Diſtulit Deus Chananæorum ſupplicium quos ſciebat obſtinatè peccaturos.

D eorum, qui ob ſcelera innumera, iam damnati erant, corda vt pugnarent, indurarentur. Atque hanc ſententiam, reddunt Hebraica, Chaldaica, & græca verba. Huc ergò ſpectat decretum indurationis regum Chanaan, vt appareat, ob inſitam malitiam, & morum prauitatem, à qua noluerunt vnquam emergere, inflictum illis, diuino iudicio fuiſſe ſuppliciū, quippe qui indigni fuerint omni commiſeratione.

Verſ. 20.] Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum.

E

Quid ſit indurare cor? & ob quam culpam Deus dicatur cor indurare?

ANNOTATIO III.

1. DIVVS Greg. lib. 1. hom. 11. ſuper Ezech. ad finem rectè explicat quid ſit obdurari cor à Deo; idque nunquam fieri ſtatuit, niſi quia peccator tempore ad pœnitentiam conceſſo, abutitur, quod & Chananæis, & Pharaoni acci-

Greg.P.

diſſe,

Nunquam aliquis permittitur indurari, niſi cum abutitur tempore ad pœnitentiam præſtituto.

diſſe, ex præcedent. annot. ſatis conſtat. Hi enim peccatis, peccata ſemper accumularunt: tantùm abeſt, vt diuinis admonitionibus parere vellent. Hinc obduratum cor eos habuiſſe dicimus, quã obdurationem Deus ob peccata tanquam pœna induxerit ſeu permiſerit, vt loquitur D. Gregor. *Hoc*, inquit, *cum tremore conſiderandum eſt, quomodo iuſtus, & omnipotens Deus, cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit, vt cæcata mens etiam in aliis labatur. Vnde Moſes ait: Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum. Dauid quoque ait, Appone iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum, vt non intrent in iuſtitia tua.* & Oſeas 5. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit; ſanguis enim ſanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, vt ante oculos adiunctis iniquitatibus, anima cruentetur. Paulus Apoſtolus ait, vt impleant peccata ſua ſemper. Ioanni quoque per Angelum dicitur. Qui nocet noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc,* & Ezech. 3. ait Dominus, *ſi conuerſus iuſtus, à iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ac ſi dicat. Quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit, iuſto eum iudicio deſerens, ponam ei, vt & alibi impingat. Quod tamen Domini ponere,* inquit Greg. *eſt nequaquam ad peccandum premere, ſed nolle à peccato liberare, ſicut de Pharaone dicitur. Ego indurabo cor eius. Non enim cor peccantis Dominus obdurat, ſed obdurare dicitur, cùm ab obduratione non liberat. Miſericors enim Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat, ſed cùm eius gratiæ patientiam nos ad augmẽtum vertimus culpæ, hoc ipſum tempus quod ad parcendum piè diſpoſuit, diſtrictius ad feriendum vertit. Vnde ſcriptum eſt, Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm duritiam autem tuam, & cor impœnitens theſauriſas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. De benignitate ergo omnipotentis Dei, iram ſibi in die iræ reprobus theſaurizat, quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur ipſum remedium gratiæ, vertit in augmentum culpæ, & quia homo deſerere malum non vult, vt viuat, auget vnde moriatur.* Hæc D. Greg.

Oſee 5.

1. Timot. 2.

Apocal. vlt.

Ezech 3.

Quid ſit obduratio à Deo.

Rom. 2.

2. Idem lib. 11. Moral. cap. 5. dimiſſionem & incluſionem vocat obdurationem. Enarrans enim illud Iob. *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet, ſi incluſerit hominem, nemo eſt, qui aperiat. Omnipotens,* inquit, *Deus humanum cor deſtruit, cum relinquit; ædificat, cum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit; ſed recedendo: quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa. Vnde plerunque fit, vt cùm audientis cor exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incaſſum exterius à prædicatore moueatur. Hinc Salomon ait, conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Nec mirum, ſi à corde reprobo prædicator minimè auditur, dum nonnunquam, ipſe quoque Dominus in his, quæ loquitur, reſiſtentium moribus impugnatur. Hinc eſt enim, quod Cain, & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat, &c.* Atq; hæc de dimiſſione peccatoris.

Eccl. 7.

Cain diuina voce admonitus, non eſt mutatus, quia obſtinauerat cor. Gen. 4.

3. Deinde explicans illud quod ſequitur, *ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. Omnis homo,* inquit, *per id quod malè agit, quid ſibi aliud, quàm conſcientiæ ſuæ carcerem facit? vt hunc animi reatus premat, etiamſi nemo exterius accuſet. Qui cùm iudicante Deo in malitiæ ſuæ cæcitate relinquitur, quaſi intra ſemetipſum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam ſæpe nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, ſed quia eorundem actuum ponderе premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi à ſemetipſis exire non poſſunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod rectè ſe agere æſtimant, in grauiores culpas vertunt, fitq; modo miſerabili, vt quod exitum putant, hoc incluſionem inueniant. Sic videlicet reprobus Iudas cum mortem ſibi contra peccatum intulit ad æternæ mortis ſupplicia peruenit, & peius de peccato pœnituit, quam peccauit. Dicatur ergo ſi incluſerit hominem, nemo eſt qui aperiat: quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obuiat iuſtitiæ relinquentis, Includere itaque Dei eſt, clauſis non aperire. Vnde & ad Moſen dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in ſuorum operum tenebris relinquit. Quaſi enim aperire hanc incluſionem voluit Iſaac primogenito filio, cùm hunc fratri præponere benedicendo conatus eſt, ſed filium, quem pater voluit, Dominus reprobauit, & quem Dominus voluit pater etiam nolendo benedixit: vt qui primogenita fratri pro eſca vendiderat, primogenitorum benedictionem non acciperet, quam ex cupidine gulæ reliquiſſet: qui terrena ambiens, fugitiua ſequens, hæreditare cupiens benedictionem, reprobatus eſt; Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam. Quia videlicet fructum non habent lamenta, quæ ſtudent cum gemitu deſiderare peritura. Aperire itaque Iſaac nec filio potuit, quem Deus omnipotens iuſto iudicio in ſuæ carcere malitiæ incluſit.* Hæc D. Gregor. Ex quibus conſtat indurationem, qua roboratur cor & obfirmatur contra ſtudioſas actiones nihil aliud eſſe, quàm dimiſſionem qua videlicet Deus hominem ob grauia peccata deſerit, & incluſionem, qua Deus in vitiorum carcerem ſe includentem, etiam ipſe includere dicitur, dum exeũdi modum non manifeſtat.

Peccator per culpam conſcientiæ ſuæ carcerem facit.

Mala conſuetudo inſtar carceris eſt, à quo peccator exire nequit.

Eſau non inuenit pœnitentiæ locum cũ quæſiſſet eam.

Dimiſſio, & incluſio quid ſit?

4. D. Auguſt. quæſt. 18. ſuper Exod. de indurationem Pharaonis agens, de qua ita philoſophamur, atque de induratione Chananæorum; ad culpam malæ voluntatis refert meritum indurationis, non autem ad decretum & ſententiam, qua Deus voluit, vt induraretur. Hæc enim ſententia præcedentem hominis culpam ſupponit. *Vt tale* inquit, *cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, ſed potius ad impietatem, vitij proprij fuit. Quod verò facta ſunt ea quibus cor ſuo vitio, tam malignum reſiſteret iuſſionis Dei, hoc eſt enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat, diſpenſationis fuit diuinæ, qua tali cordi non ſolùm iuſta, ſed euidenter iuſta pœna parabatur; qua timentes Deum corrigerentur.* Hæc Auguſt. Suffragatur D. Chryſoſt. ſuper cap. 12. Ioan. expendens illud Exod. *Indurabo cor Pharaonis*, & dictum Apoſtoli ad Rom. 2. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum:* ſic enim ait. *Non hæc à Deo ſed ab aliorum malitia proueniunt. Cùm deſerimur à Deo, tradimur diabolo, in cuius poteſtatem redacti, innumeris malis afficimur, vt ergo auditorem perterreat, ſcriptura (inquit) indurauit & tradidit. Quod enim ipſe non ſolùm non tradat, ſed ne derelinquat quidem, niſi velimus, audi quid dicat? Nonne peccata veſtra diuidunt me à vobis.* Hæc Chryſoſt. ſimilem explicationem habes apud Eucherium de formulis ſpiritualibus. *Indurare*, inquit, *Deus dicitur, non quod per omnipotentiam corda impiorum induret, quod impium eſt credere; ſed quod eorum exigentibus meritis, duritiam cordis, qua ipſi omnia mala perpetrant, non auferi, &c.*

Meritum indurationis refert Auguſt. ad culpam malæ voluntatis non ad Dei decretum

Chryſoſt. Ioan 12. Rom 2.

Iſai. 59.

Eucherius.

5. Author catenæ in Exodum cap. 7. *Pharao,* inquit, *fuit ſibi ipſi cauſa indurationis, & non Deus. Fuit quidem Deus occaſio, verum haud aliter, quam lapis in via, qui prætereuntibus iter oſtendit, in quem in*

Autor catenæ in Exodum.

circun-

Oſee. 13.

circumſpectius impingit. Noluit enim Pharao cognoſcere Dominum, & dum eum Deus patienter ſuſtineret, obſtinatior fiebat, malus eius animus, atque hoc ipſo ſibi ipſi fuit cauſa ſuæ perditionis iuxta illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael. &c.

6. Habes quid ſit indurare cor, & ob quam cauſam id accidat ſupereſt, vt à Deo mite & molle cor efflagitemus, ne cum Chananæis regibus, in ſcelere obſtinatè perſeuerātes, indigni iudicemur diuinæ benignitatis beneficio; ſicut illi iudicati ſunt.

Verſ. 20.] Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur, &c. Et ne mererentur vllam clementiam.

Non indurari cor hominis, qui inter ſpem & metum, licet peccauerit pœnitentiam agit.

ANNOTATIO IIII.

Chryſoſt.

1. CVRANDVM eſt, ne vita noſtra eò labatur, vt includi in deſperationis carcerem, è quo exitus non ſit mereamur. *Peccaſti*, inquit Chryſoſtom. homil. 9. de pœnitent. tom. 5. *Eccleſiam ingredere atque tuum dele peccatum. Quoties cecideris in foro, toties exurgis: ſic quoties peccaueris, peccati pœniteat, neque deſperes. Tametſi ſecundò pœniteat, neque animo conſternatus à ſpe repoſitarum bonorum cadas, quamuis nouiſſimo in vita die peccaueris, ingredere, pœnitentiam age medecinæ locus eſt hic, non iudicii Deo dic peccatum tuum.* Hæc ille: muniens animum contra deſperationem, quæ obdurationi proxima eſt. Inter ſpem & metum tranſigenda eſt vita; Has duas veluti anchoras in fulcimentum nauiculæ, qua ad portum ſalutis tendimus parabat Paulus Galatis cap 4. quoties illos videbat in ſalo huius vitæ, de ſalute periclitari, Dolebat cum illos videbat, aut otio torpentes, peccatis abſque ſcrupulo inquinari; aut præ deſperatione, Barathro includi diffidentiæ; imitatus ergo in his procellis piſces, qui fœtus, quos iam ediderant, dum teneri ſunt, ſæuiente tempeſtate in vterū, iterum abdunt; vt iterum emittant; ait: *Filioli mei, quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* Alibi generans, inquit, *in Chriſto* IESV. *Ego vos genui*, Illic progeniem tantummodo oſtendere voluit; hic verò, & partū. Quomodo enim (inquit Chryſ. hom. 10. de pœnitentia) filios vocat, nondum enixos? Si enim parturit, nondum peperit. Vt diſcas quod is priùs eos parturiuit doloribus, quod ſatis illis fuerat ad ruborem: ſi enim, inquit, ſemel factus ſum pater, debitúmque in vos partum toleraui; vos verò filij facti eſtis, quomodo me ad ſecundos iterum dolores mittitis? Intolerabile fuerat poſt conuerſionem videre quoſdam ad impietatem ſponte declinare. Quare acriter, & omni muliere paſſibiliùs ingemiſcebat, dicens. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* Id autem dixit, & fidere, & timere volens. Cum enim oſtendit non formatum in ipſis Chriſtum, timorem incuſſit: cum demonſtrat poſſe formari; fidem voluit. In eo enim quod dicit, *donec formetur*, vtraque ſunt oſtendentis quodque nondum formatus eſt, & formari poſſe. Hæc Chryſ. oſtendens ex verbis Apoſtoli opem diuinam dum viuimus præſto nobis eſſe ad ſalutem, niſi Dei benignitate aut otio languentes, aut deſperatione proſtrati abuti velimus.

Non debet deſpondere animum qui ſæpius peccat, ſed ad pœnitentiam confugere.

Galat. 4.

Quædam piſces in procella piſciculos ſuos in ventrem includunt dū ſæuit mare.

1. Corint. 4.

Chryſoſt.

Paulus ſe patrē exhibebat Galatis.

2. Sunt huius rei exempla in vtramque partem non vulgaria. Diabolus ante ruinam bonus erat, pigritans verò & deſperans cecidit; tantaque obrutus malitia eſt, & in poſterum non reſurgeret. Quod enim bonus erat, audi eū, qui dicit. *Vidi Satanam velut fulgur deſcendentem de cœlo.* Fulguris enim ſimilitudo, & claritatem priſtinæ conuerſationis oſtendit, & naturæ acumen. Paulus blaſphemus erat, & perſecutor, & contumelioſus: vbi verò deſudauit, & ſpe non decidit; Exurrexit par Angelis effectus. Iudas Apoſtolus erat, ſed pigritans, factus eſt proditor. Latro item poſt tantum malitiæ, vbi ſpe non lapſus eſt, ante omnes paradiſum ingreditur Phariſæus cōfidens, quaſi ſua elatus virtute, ab altitudine cecidit in profundum: Publicanus non fidens ſic erectus eſt, vt illum præueniret; Quid Niniuitas memorem? vrbs integra, etiam poſt latam ſententiam, qua videbatur de ſpe deijci, ad pœnitentiam conuerſa confidit poſſe ſibi peccatum condonari; nec ſpe fruſtrata eſt.

Luc. 10.

1.Tim. 6

Luc. 6.

Luc. 18.

3. Profectò non tam lætum reddit diabolum culpa, quàm veniæ deſperatio. Supra peccatum Paulus timuit fornicario deſperationem. Vnde Corinthijs ſcribens, ſic ait. *Omnino auditur in vobis fornicatio, & talis, qua nec inter gentes nominatur.* Non dixit quam nec in gentibus audent: ſed neque nominatur, quod illis vel nomine ſolo intolerabile eſt, vos ipſi opere auſi eſtis. *Et vos inflati eſtis.* Et non dixit, ille inflatus. Sed eum (inquit Chryſ.) qui peccauerat dimittens, ſanos alloquitur; quēadmodum medici faciunt, ægros dimittentes, adhærentes affantur. Hi omnes in culpa erant, nequaquam corripientes, neq; terrentes. Non vult, vt inceſtuoſus ille abſorbeatur triſtitia, & deſperet; Agit cum ijs, quibus familiæ Chriſti cura erat, vt ſuo officio defungentes, nunc aſperitate, nunc lenitate ad ſpem veniæ pœnitentem alliciant. Meminerat Paulus Iudæ eò obdurati, quod ab ſpe veniæ exciderat; cui quanto ſtudio à diabolo iniecta ſit diffidentia, quæ eſt obdurationis & cæcitatis emiſſaria, exprimit eodē loco Chryſ. vt callidi hoſtis ſuaſionem vitemus, cui ſi quis aurem præbet, induratus perit, vide quid Iudæ acciderit? Pœnituit Iudam. *Peccaui*, inquit, *Tradens ſanguinem iuſtum.* Audiuit hæc diabolus nouit in melius viam capientem, & ad ſalutem tendentem, timuitque mutationem. Clementem (inquit) Dominum habet, cùm traditurus eum fuerat plorauit, atque ipſum miris prouocauit modis, nunc multò fortiùs correptum, & peccatum fatentem trahet. Idcircò enim crucifigi voluit. Quid ergo fecit? Exterruit eum, & obtenebrauit mæroris magnitudine effugauit, perſecutus eſt, ad laqueum duxit atque è præſenti expulit vita, pœnitentiæque propoſito priuauit. Quoniam ſi vixiſſet, & ipſe fortè ſaluatus foret. Argumentum à crucifixoribus ſumitur. Si enim hos, qui eum crucifixerant ſaluauit & ipſe in cruce exiſtens indulgentiam poſtulauit: conſtat, quod & ipſum proditorem dignè pœnitentem, cum manſuetudine ſuſcepiſſet. Sed ille præſeruati in medicina non tulit, mærore nimis abſorptus: ſimile quid Paulus timens, Corinthios ſolicitabat vt eriperent de faucibus diaboli hominem. Fuerat enim

1.Cor. 5.

Similitudo.

Chryſoſt.

Matt. 27.

ille fornicator iuſſu Apoſtoli traditus ſatanæ, timebat deſperationem, qui iuſſerat, idcircò charitatem commendat erga pœnitentem: *Ne forte*, inquit, *nimia abſorbeatur triſtitia* Nam, quæ in peccatis ſalutaris eſt mœſtitia, exitialis immoderata fit.

4. Quod ſupereſt, vocanti Deo ad ſalutem, quandiu viuimus cor docile præbeamus, ſicut nos hortatur Regius vates, Pſal.94. dicens, *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione.* Multa ergò cum ſpe adhærentes virtuti, & pœnitentiam maiorem in modum oſtendentes: Hic vniuerſa deponamus peccata, vt multa cum fiducia coram Chriſto in tribunali ſedenti ſtare poſſimus, regnúmque illius poſſidere: vide ſi placet quæ annotauimus 1. ad Timot. 4. in illa verba, *cauteriatam habentium conſcientiam*, ſicut enim ſerui emptitij, vt noti ſint, impreſſo cuti ſtigmate, ſignatur, ſic illi, qui obſtinate in peccatis viuunt diaboli candenti ferro notatam habent animam, iuxta illud Rom. 11. *Et dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.* Vbi Chryſ. hom. 19. Spiritum compunctionis, dici à Paulo interpretatur habitum animæ, ad id quod peius eſt, immedicabiliter ſe habentem. Idem ſentit Orig ſuper eandem Epiſt. cap. 2. ſumit D. Paulos eo loco autoritatem ex Iſai. 29. iuxta lectionem 70. ſenſus autem eſt, permiſit eos Deus incidere in ſoporem quendam, & ſtuporem: quo effectum eſt, vt non videant veritatem præ inſenſibilitate, quam appellat ſpiritum compunctionis, id eſt, ſpiritum quaſi punctis ſignatum, & obduratum. Non debet tamen homo deſperare licet magnis ſit flagitijs adſtructus. Deus enim autor non eſt obſtinationis, ſed ipſi homines ſua prauitate. Certè Dei patientia, & lenitate non ad peccandi licentiam, ſed ad reſcipiſcendi, vti deberent occaſionem.

Psal. 94.
1. Tim 4.
Rom. 11.
Chryſoſt.
Rom. 2.
Origen.
Iſai. 29.

A Prauitatum námque non magis autor Deus dici debet, quam magiſtratus ſuppliciorum, quibus ſontes, ob ſua peccata condemnat: aut quàm benignus herus augeſcentis in ſeruo improbitatis, pro qua tãdem meritam ab illo repoſcit pœnam. Audi Baſil. in Orat. Quod Deus non ſit cauſa malorum: *Obſtinauit* (inquit) *Pharaonem Deus, cum per longam huius patiẽtiam, & ſupplicij procraſtinationem, illius flagitij augeſcerent: vt tandem vbi ad vltimum excreuiſſent terminum eius peccata, illuſtrius fieret diuinum, quo periturus eſſet iudicium. Itaque cum à minoribus* B *progreſſus flagellis Deus, maioribus, atque maioribus eum plectere pergeret, neque emolliret tamen obſtinatum, comperit patientia, lenitatis que ſua illum eſſe contemptorem, atque ipſo vſu aduerſus plagas occalluiſſe. Et tamen nec ſic quidem ipſum morte mulctauit, donec ſe ipſe ſubmergeret: Cum auſus eſſet præ ſuperbia, eadem, qua iuſti inſiſtere via: atque exiſtimaſſet, vt Dei populo, ſic ſibi peruium fore rubrum mare.* Hæc D. Baſil. Porrò ne abſtruſa, & valdè occulta prædeſti- C nationis myſteria in baratheũ erroris quempiam abſorbeãt dum ignorat quo pacto diſpenſentur, religiosè ea, & ſubmiſſe adorẽt vt ſcribit Auguſt. lib. 1. quæſt. 2. tom. 4. ad ſimplicium: non autem curioſis inueſtiget oculis. Aliter id tibi accidet, quod noſtro ſeculo multis contigit hæreſum ductoribus, qui ad res ſacras inſolenti ingenio accedere conantes, horrendas in Eccleſia voces edidere: ac tandem ſui parum compotes, à profundo deſperationis Chao ſunt deuorati. Vide, quæ in hanc materiam D dicta ſunt à D. Ambroſ. ſuper cap. 9. Epiſt. ad Rom. Et à D. Aug. in lib. de prædeſt. & gratia.

* * *

Sept. Interp. Pro, & à ſolitudine vſque ad mare Ceneroth contra Orientem, & vſque ad mare deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum. Verrunt, & Araba vſque ad mare Ceneroth, ad Orientem, & vſque ad mare Araba mare Salis ab Oriente per viámque ad Aſimoth, &c.

Pro, *Aſimoth*, vulgata habet *Betſimoth*, quod ſignificat *domum ſolitudinum*, Alij βηθσιμὼθ.

Explicatur contextus.

1. H*I ſunt Reges, quos percuſſerunt filij Iſrael.*] Cùm ſacri ſcriptoris deinceps inſtitutum ſit, vniuerſæ terræ quæ Iſraelitis ceſſit, diſtributionem exponere, ſiue illa citrà, ſiue vltra Iordanem iaceat: primum tanquam Epilogo quodam, adducuntur in memoriam loca omnia Moſis vel Ioſue auſpiciis debellata, quippe quæ ad diſtributionem pertinent? Sed cur id fiat nominatis Regibus potius, quam locis ipſis, ſi quis petat, duplex ſuccurrit ratio; vna, quia id ad narrationis compendium facit; cùm in vnius regis ditione multa fuerint oppida, & villulæ, quas moleſtum eſſet ſigillatim recenſere, vt aduertit Iſidorus Clarius; Altera, quia cùm fuerint ſemper apud omnes gentes Regis nomen, & dignitas ampliſſima; iis nominatis illuſtrior redditur parta ab Iſraelitis victoria & auguſtior. Porrò R. Leui. F. Gerſonis nominari hic exiſtimat filios Iſrael à quibus interfecti ſunt Reges, qui erant trans Iordanem; non autem Moſen; vt intelligamus, non virtuti Moſis eam victoriam aſcribendam, ſed fœderi, quod olim Deus cum Iſraele, illiuſque poſteris pepigerat, ſed cur Ioſue mentio fit, cum expugnatæ ſub illo vrbes commemorantur? Num quia CHRISTI IESV. Typus fuit, atque adeò voluit ſpiritus ſanctus nobis ſignificare à vero Ioſue, omnem perdere victoriam omnémque felicitatem? Fortè id propterea fit, quia in hoc libro non perindè Moſis atque Ioſue facta, narrantur, ſicut aliis in locis Moſis præclara geſta, prout ratio hiſtoriæ poſcebat, ſunt præſcripta. Cæterùm hic Iſraelitis Regum occiſio tribuitur, vt Dei beneficia erga populum ſuum, ex tot principum ſtragibus, manifeſta ſint Reges námque 33. non tantum fuderunt Iſraelitæ, ſed eorum etiam regiones bello obtinuerunt. Duo victi ſunt viuente Moſe trans Iordanem reliqui imperante Ioſue, infra fines terræ promiſſæ. Non attigerunt tamen vrbes, quinque Regum Philiſtinorum; aliáque oppida ab aliis regibus inhabitata. Etenim, vt Abulenſ. hic quæſt. 1. annotauit in tota terra promiſſionis pluſquàm ſexaginta reges numerari poterant: quorum oppida omnia nunquam omnino expugnata ſunt, niſi Dauid regnante.

Iſidorus. Clarius.

R. Leui. F.

Abulenſ.

Cur ſeuerè animaduerſum eſt in omnes Chananæorum Reges?

2. Quæri hic poteſt, cur animaduerſum eſt à filiis Iſrael in omnes Reges, quos bello vicerunt? nec ſolùm animaduerſum, ſed etiam fœdum in modum? Horum interitus non tantùm neceſſarius erat vt in præſens victoria conſtaret; ſed etiá, ne populus qui Regum nutu facilè commouetur, eorum acerbiſſimo cruciatu publicè conſpecto noui aliquid moliretur. Exemplo namque irrogati ſupplicij iis, quibus dignatas patrocinari poterat, deterrita plebs, arma ponit; & obedire magis, quam periclitari ſtudet, & quidem licèt aliquibus nationibus nefas videatur, in prælio Reges occidere ſi capi poſſint: Iudæis tamen nullo interpoſito, ſeruitutis, aut tributi pacto, id licuit vt conſtat ex præcepto, quo Deus Hebræos aſtringit, Deut. 20. Hinc factum eſt, vt Samuel, 1. Regum 15. Agag Regem Amalech quem Saul iniqua pietate commotus ſeruauerat, occiderit. Ioſue verò cùm in vulgus Chananæorum gladio tãtùm vſus plerúnque fuerit; Regibus fœdum mortis genus, & ignominioſum intulit Annon Rex Hai affixus eſt patibulo? Quinque Reges, quando Sol ad Gabaon ſtetit, ex ſpelunca vrbis Maceda, ad quam confugerant, vi extracti, nonne antequam ſuſpendio vitam finirent, principum Iſraelitarum pedibus colla ſubiicere coacti ſunt? Hunc morem, poſt Ioſue mortem, ſecuti ſunt Iſraelitæ, qui pugnantes contra Adonibezech ſub cuius menſa 70. Reges manuũ, pedumque ſummitatibus abſciſſis, fruſtis panum, tanquam canes alebantur; ſimilem illi pœnam irrogarant. Ad hunc modum ſublatis regnorum cum ignominia ſummis verticibus, haud difficile fuit terram iugulatis incolis. Vt lex præceperat occupari. Quid ſi inito pacis fœdere, de vitæ incolumitate paciſci vellent Chananæi? Fruſtra id tentarent, ſciebant enim Iudæi ex oraculis, ſi quos ex Chananæis innoxios dimitterent, eos fore ſibi, tanquam clauos in oculis, & lanceas in lateribus.

Præcepto diuino compellebantur Iudæi occidere omnes Chananæos.

Deut 20.

1. Reg. 15.

Ioſue. 8. iuſta. cap. 10.

Iudic. 1.

Non poterant Iſraelitæ cum Chananæis paciſcem coluntate.

Poſſederunt terram eorum trans Iordanem ad Solis ortum, à torrente Arnon, vſque ad montem Hermon, & omnem orientalem plagam, quæ reſpicit ſolitudinem, &c.] Deſcribitur terræ ſitus victis regibus poſſeſſæ; primúmque illa duo regna, quæ ſub imperio Moſis, occiſis eorum regibus, ceſſerunt trans Iordanem, ad Orientalẽ plagam. Rubenitis Gaaniditis, & dimidiæ tribui Manaſſe. Eſt autem Hermon quædam montis Libani pars; verſus Orientem. Arnon verò fluuius eſt Moabitas ſeiungens ab Amorrhæis cis Iordanem poſitis, vt ex lib. Numerorum cap. 21. conſtat. Is autore Ioſepho Antiq. lib. 4. cap. 14. per prærupta ab Arabicis delapſus montibus, in Aſphaltitem lacum, quod eſt mare mortuum, non procul à Iordanis oſtio, ſe exonerat. Iſraelitæ námque partim per ſolitudinem, partim per ea loca, quæ in poſterorum Eſau, & Loth erant ditione iter facientes, ad quærendas poſſeſſiones, tranſmiſſo tandem Arnone, arma expediuere, quibus præclaris ſunt potiti victoriis, quæ hic commemorantur. Nam neque poſteros Eſau, qui ad montem Seir habitabant: neq; Moabitas, aut Ammonitas, vtpote progeniem Loth lædere fas erat. Planities verò Orientalis, de qua hic agitur ea eſt, quæ alias campeſtria Moab dici ſolent, hoc eſt campi illi, qui ab Arnone, aduerſus ſiniſtrum Iordanem, & dextros montes Arabicos, ſurſum porrecti iacent, ſed de his mox.

Num. 21.
Ioſephus.
Arnon flu.

3. *Sehon rex Amorrhæorum, qui habitauit in Heſebon dominatus eſt ab Aroer, quæ ſita eſt ſupra ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad. vſque ad torrentem Iaboc, qui eſt terminus filiorum Ammon, &c.*] Vniuerſitatem regionis ab Iſraelitis trans Iordanem occupatæ, quam præ-

A cedenti verſu propoſuit ſacer hiſtoricus; iam ſingulis explicat locorum deſcriptionibus. Primùm autem ſermo eſt de Sehonis regna; quia is primus, Hebræis Arnonem tranſgreſſis occurrens, vitæ pariter & regni iacturam fecit. Deſcriptio regni Sehonis eadem hic eſt, in duob° verſibus, atq; Deut. 2. num. 36 ea ſic habet. Latus regni Sehonis Orienti oppoſitum, ab vrbe Araer, quam Arnon aluit, protendebatur ſurſum per Galaaditidem vſque ad Iaboc, qui torrens ditionem hanc ab Ammonitarum finibus ſic diuidit, quemadmodum Arnon à Moabitarum. Aroer verò, quæ ſæpe ſolet dici, Ar, ea eſt vrbs, quã Græci *ἀρεόπολιν*, vocant Hebræi *Rabbath Moab*, quaſi dicas vr-
B bem frequentiſſimam Moabitarum. Cæterùm fines aquilonales ſecundum Iaboc fere ad lacum vſque Tibiriadis ſiue Geneſareth, qua is Orienti obiicitur deſcendit. Atque hinc latus occidentale ſecundùm Iordanem vſque ad mare ſalſum, quod Aſphaltiten lacum vocant, protenditur: qua nimirum parte id mare Orienti obiectum eſt: quaq; iter eſt ad Bethſimoth. Denique ab illo maris ſalſi loco, vſque ad Phaſgæ montis radices, patent termini Auſtrales; quos aquarum è montibus altiſſimis effuſiones claudunt, vt Aſroth ſiue Aſedoth & phaſga, voces indicant. Vt enim Arias Montanus annotauit, nomina ita reliquit Latinus interpres, vt legerat. nempe *Aſedoth &*
C *Phaſga. Aſedoth* quippe, idem eſt quod *effuſiones*; *Phaſga* ſiue *Phiſga*. Chald. Paraph. *culmen* interpretatur. Luſitanè huiuſmodi loca dicuntur, *Agoas vertentes, do cume dos montes*. Culmina autẽ hęc ſunt montis Abarem, qua ſubiecta illi Aroer vrbs deſpicitur. Hæc eadem loca Ioſephus lib. 4. antiq. ſic complexus eſt. *Situm eſt*, inquit, *regnum Sehonis, inter tria flumina, quaſi inſula. Nam à meridie cingitur Arnone. A Septentrione Iabor: at Occidentem, ripa Iordanis terminat.* Hæc ille; cuius deſcriptioni vt perfecta ſit Arabiæ montes Orienti opponere neceſſum eſt.

Hæc loca, multis retrò ſeculis ante Moſis & Ioſue tempora, incoluerant Moabitæ, qui trans
D Arnonem habitauerant, vt docet Moſes, Numerorum 21. verſibus ex ſacris annalibus productis. *Arnon*, inquit, *terminus eſt Moab diuidens Moabitas & Amorrhæos. Unde dicitur in libro bellorum Domini, ſicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon; ſcopuli torrentium inclinati ſunt vt requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum, &c.* Moabitis tamen profligatis, Amorrhæi maximam huius regni partem bello occupatã ſub aduentum Iſraelitarum obtinebant. Quare inique (vt inquit Maſius) Ammonitæ hæc loca repetunt ab Iſraelitis (Iudic. 11.) tanquam per vim quondam iſti, ab illorum maioribus, ea eripuiſſent.

E HeſebonSchonis regiam ita deſcribit Euſeb. in lib. de locis Hebr. *Eſt*, inquit, *Heſebon ciuitas Sehonis regis Amorrhæorum in Galaaditide, quæ cum fuiſſet ante Moabitarum, ab Amorrhæis bello iure poſſeſſa eſt; meminit eius Hieremias, & Iſaias in viſione contra Moab. Porrò nunc vocatur Esbus: vrbs inſignis Arabiæ, in montibus, qui ſunt contra Hiericho, viginti ab Iordane milib. paſſ. diſtans. Fuit autem in tribu Ruben ſeparata Leuitis.* Hæc ille, an verò ſi in hæreditate Gaditarum annumeranda infrà cap. 21. explicabitur. Cur verò Salomon cant. 7. oculos ſponſæ comparet cum piſcinis Heſebon, in annotationibus declarandum eſt. Maſius non dubitat Heſebon eſſe vrbem, quam Ptolomæus Esbutam nominat.

Sehon Arnonem tranſgreſſis primus occurrit.
Deut. 2.
Iabor torrens.
Mare ſalſum ſiue Aſphaltites.
Montanus.
Ioſephus.
Regnum Sehonis inter tres amnes
Num. 21.
Maſius.
Iudic. 11.
Heſebon Sehonis regia.
Euſebius.
Cant. 7.
Maſius.

3. *Et à ſolitudine, vſque ad mare Cenereth, contra Orientem, & vſque ad mare deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum ad Orientalem plagam, per viam, quæ ducit Bethſimoth, & ab auſtrali parte, quæ ſubiacet Aſedoth Phaſga, &c.*] Vocatur in ſacro eloquio, ager montibus adiacens idémque planiſſimus atque paſcuus, *Gharaba*. Latinus interpres nunc *ſolitudinem*, nunc *deſertum*, interdum *planitiem* nominat quod Chald. etiam facit. Græcanica verſio, vocabulum ipſum *Araba* reliquit, atque hinc Arabas nomen fuiſſe mutuatos, cum Aria Montano multi exiſtimant. Vltra Iaboc ergo fluuium, ager planiſſimus erat, Sehonis regno contentus qui ad eum vſque lacum porrigitur, quem Iordanis præcipuè efficit, quémque ob citharæ ſimilitudinem, *Cinereth*, ſiue *Chynereth*: Syriaca verò lingua *Genzar*, ſiue *Genazareth*: Græca autem Tyberiadis mare appellant. Nec hic Sehonis ditio claudebatur. Ab Orientali enim littore, ſiue margine, adhuc ſibi vindicabat quicquid iugeri erat. Ab vſque locum illum, in quem poſtremum Iordanis influit, hoc eſt vſque ad mare ſalſiſſimum, ſiue Aſphaltiten. Porrò Iaboc (vt aduertit Abulenſ. hic quæſt. 4.) torrens eſt, vbi Iacob luctatus eſt cum Angelo. Geneſ. 32. diſtatq; à Iordane duobus milliaribus; Addunt quidam poſt luctam Iacob, vocatum fuiſſe torrentem Iacob ſiue Iaboc. Pro, *Ab auſtrali parte quæ ſubiacet Aſedoth phaſga*, legit Maſius, ex Hebræo, *Ab auſtro verò ſub deuexis Phaſga*, Additque hunc commentarium. Deſignat nobis fines Auſtrales regni Sehonis, ab Iordanis, ſiue Arnonis oſtio (ſunt enim iſta inter ſe vicina) aduerſus Arnonis curſum, vſque ad radices montis Abarim productos. Nam hinc ſurſum auſpicabamur Orienti oppoſitos terminos: *Phaſga* enim ſiue loci proprium nomen eſt, ſiue *verticem*, ſiue *præruptum* aut *cauum ſaxum* ſignificat, planè montis Abarim pars intelligi debet; ea videlicet, ſub qua Aroer vrbs, ſita erat, quam nuper dicebamus. Latini interpretis quædam exemplaria malè legunt quæ ſubiacet Aſedoth vſque Phaſga. Nam illud Aſedoth, ita verbũ, Phaſga conſtructione hęret, vt aduerbio loci interpoſito, minimè fuerit ab eo ſeparandum, certè eadem ille verba, alibi rectè cõuertit, *radices montis Phaſga*. Nam אשדות. *Aſedoth*, radices montium, eáſque partes, quibus illi deuexiores fiunt, ſignificat. Hæc ille. Phaſga verò, vt ex initio horum commentarior conſtat, & ex Deut. 34.) collis eſt altiſſimus, in monte Abarim in tranſitu Nebo. Vnde Moſes totam terram nouem tribuum, & dimidiæ contemplatus quam Deus Iſraelitis promiſerat, iubente Domino. Centum & viginti natus annos, mortuus eſt, vt dictum eſt cap. vlt. Deut.

4. *Terminus Og regis Baſan de reliquiis Raphaim, qui habitauit in Aſtaroth & in Edrai, & dominatus eſt in monte Hermon, & in Salecha a que in vniuerſa Baſan vſque ad terminos Geſſuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Heſebon, &c.*] Senſus eſt termini ditionis Regis Og ab Auſtrali plaga ſunt illa duo loca prædicta, in quibus nimirum coniungitur latus Auſtrale Orientali in Aſedoth; & latus meredianum Occidentali in Phaſga. Cæterùm Regem Og ex gigantum genere, & ex regiis vrbibus, ſacra hiſtoria ampliſſimum fuiſſe indicat; quippe qui ex antiquis illis & monſtroſis hominibus, qui Raphaim, hoc eſt terræ filij, atque ex ſpeluncis procreati dicebantur. progenitus: corporis magnitudinem & vitæ genus efferum oſtentabat. Gigantes verò illos ab

Montanus.
Vnde Arabibus nomen inditum ſit.
Cinereth, eſt locus Citharæ ſimilis.
Abulenſ.
Iaboc torrens eſt, in quo Iacob obluctatus eſt cum Angelo. Geneſ. 32.
Maſius.
Phaſga collis eſt altiſſimus.
Deut. 34.
Deut. vlt.
Termini regni Og.
Og Rex ex gigantum genere.

Ammonitis olim exciſos legimus, Deut.2. Quorum tamen, & genus, & nomen Og Rex Baſan ſub aduentum Iſraelitarum in fines ditionis ſuæ, adhuc tuebatur, vtpote ex aliquo ab illis ſuperſtite oriundus. Huic duæ inſignes & planè regiæ metropoles erant Aſtaroth à felicitate ſic dicta, & Edrai, quam Ptolomæus locat ſecundum Arabum agros, & Adaram nominat. Vide Euſeb. de locis Hebr. & Ariam Montanum hoc loco. Baſan verò regio eſt, quæ ſexaginta vrbes muris & vectibus munitas complectitur. Eas omnes Iſraelitæ, vt Deuteronomij 3. ſcriptum eſt, à ſe occupatas complanauerunt; Chald. Paraphr. hanc vbique vocat *Mathanan*, fortaſſis, quia ſuo tempore ſic vulgò vocabatur; *Batanaam* appellat Ptolomæus. Meminit etiam Euſeb. de loco Hebr. Mathanan, quam ad Arnonem locat; ſed non video quomodo regioni nomen dare potuit, in qua non erat ſita; Fortè pro Arnon, Iaboc ſcribi debet. Continet autem regio Baſanitis partem Galaaditidis, quæ à Iaboc in Septentrionem porrigitur; atque inſuper Trachonitidem, & Gaulonitidem. Claudit mons Hermon Septentrionem: Occidenti obiicitur Iordanis: Orienti mons Galaad, & procurrentia Hermonis iuga.

5. Quod verò Og memoratur fuiſſe de Gigantum ſtirpe, id R. Salomon, & Iudæi nonnulli ad tempora Abrahami referunt, quibus Chodorlaomor, aliique reges, de quibus agitur Gen. 14. necem attulerunt ad Aſtaroth Carnaim; quam hîc ſimpliciter Aſtaroth vocari cum D. Hieronymo autumat, R. Moſes Gerundenſis: quod tamen reliquias fuiſſe dicitur Og, etſi non regem ex illorum gigantum ſtirpe fuiſſe, id ſpectare potiùs puto ad cladem, quæ ab Ammonitis longo poſt interuallo, monſtroſæ illi hominum ſtirpi eſt illata, cum denuò in illis maiorum ſuorum ſedibus conſediſſent, vt ſcribitur Deut. 2. & 3. Id certè videtur ſignificare lectulus ille ferreus, nouem cubitos habens longitudinis, & 4. latitudinis quem Ammonitæ oſtentabant in ſua Rabbath Moſis tempore, tanquam illuſtris victoriæ à ſe partæ, monimentum. Og námque ab Ammonitarum gladio ad vicinos Amorrhæos fortè clapſus, ob ſingularem corporis magnitudinem, & robur de reliquiis gigantum, rex eſt creatus.

Verbum רפאים *Rephaim*, quod 70. & Chald. gigantes interpretantur, Latinus interpres Aquilam, Symmachum, & Theodotionem imitatus, non mutauit. Vulgus Iudæorum admirandæ magnitudinis homines ſic eſſe dictos arbitratur, formata à verbo רפה. *Rapha*, appellatione, quòd nimirum præ formidine, quotquot illos aſpiciunt viribus deſtituantur. Alij putant *Raphaim* vocari, quaſi ſub terra agentes, quibus ſubſeruit illud,

Terra feros partus, immania monſtra gigantes
Edidit, &c.

Nehmanus, quem citat Maſius, non ſine probabili ratione exiſtimat Heuæorum id eſſe cognomen. Nam, cùm Heuæi in lingua ſancta à ſerpentibus dicti ſint, qui terræ incolunt cauernas, rectè appellantur iidem Raphaim, id eſt, terræ incolæ. Hac enim etymologia vſus eſt hoc verbo præter alios Iſaias cap. 26.

6. Porrò, Hermon mons eſt libani pars, terminus Iſraeliticæ terræ, trans Iordanem, cum Paneadi iminere Hieronymus ait, idque ſe ab Hebræis didiciſſe. Olim ad Heuæos, quorum terra Maſpha dicebatur, pertinebat, vt patet ex cap. præcedenti; Hos cùm Manaſſe tribus dimidia expuliſſet, eorum agros & vrbes in ſortem accepit. Hunc tantæ ferunt eſſe altitudinis, vt in media æſtate niuibus, quæ ad æſtiua pocula frigefacienda Tyrum deferantur, ſit coopertus. Triplex huic nomen. A Phœnicibus *Sireon*, ab Amorrhæis *Sanir* appellatur, Deut.3. A Moſe, Deut. 4. *Sehon*, à poſſeſſoribus nomine: De hoc monte, 1. Paralip. 5. A nonnullis tres numerantur Hermonij montes: vnus eſt hic, de quo agimus, qui, vt aiunt, Trachonitidem ambit perueniens vſque ad Damaſcum, interquam, & Cæſaream Philippi Libano copulatur. Alter iuxta Iordanem, non procul à Gelboe monte attollitur, qui etiam Ciſon torrẽtem diuidit, & minor Hermon vocatur, de quo Pſalm. 41. *Memor ero tui Iordanis & Hermonij à monte modico*, & Pſalm. 132. *Sicut ros Hermon, &c.* Cùm enim inter duos effluat amnes, rore frequẽti madet. Tertius verò collis quidam eſt exiguus à minore Hermon deſcendens iuxta montem Thabor, de quo Pſalm. 88. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Hunc puto vocari à D. Hieronymo in vita Paulæ Hermonim: quippe qui ſit depreſſum quoddam iugum, quod à monte Hermon verſus montem Thabor procedit, ſub quo ſita eſt Endor. *Scandebat* (inquit Hieronym.) *montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus. Aſpiciebat procul montes Hermon, & Hermonim, & campos latiſſimos Galilææ, in quibus Siſara, & omnis exercitus eius, Barach vincente, proſtratus eſt, &c.* Ad huius montis radicem verſus Aquilonem, ſita eſt Naim, quam Ciſon torrens alluit. Nehmanus putat vocabulum Hermon, non proprium eſſe certi loci nomen, ſed Libani epitheton eſſe ab inhoſpitalitate ſiue vaſtitate, quam ſignificat Libano attributum. Nec immeritò. Nam Libanus in iis certè locis, quæ plurima in eo ſunt, niue cooperta, & frigore rigida, nullum præbet humano generi ſui vſum. Quin & Sanir, niuoſum interpretatur. Quæ ſententia non videtur abſurda. Quanquam & hoc credibile exiſtimem partes eas, quæ ad Oriẽtem ſpectant, cæteris eſſe rigidiores, & ob id Hermonis nomen ſibi peculiariter vindicare.

7. Hic mons Regi Baſan terminus ab Arcto fuit, vſque ad vrbem Selecham, quæ poſtrema ab Aquilone erat verſus Orientem: à qua deinde Baſſanæa regio, Græcis Bethanæa dicta à Septentrionali plaga confines habet Geſſuræos & Machatæos, qui Armeniorum partem dicuntur obtinuiſſe: deinde verò Galaatidis tractu, hoc eſt, dimidia parte ab Oriẽte ad meridiẽ procurrebatur, quouſq; attingeret Sehonis fines. Enimuerò Sehõ, & Og agrũ Galaad partiebãtur, Iaboc amne interfluente. Vtrum verò Geſſur & Geſſuri ſint idẽ, diſputat Abulenſ. ad finem quæ.6. & in principio qu.7. & Maſius hoc loco: qui etiam de Machathæis agit, quos Chald. vocat Epicæreos fortaſſis à fluuio Epicæro. Eſt autem Machati, vel Meachati vrbs tribus Manaſſes olim Amorrhæorum ſita ſuper Iordane iuxta montem Hermon, regia Aram, hoc eſt Syriæ partis, quæ Geſſuri dicitur, fit huius mentio, Deut. 3. & 1. Paralip. 4. & ca. 13. huius libri. Quid his regibus acciderit, ſequens docet contextus.

8. *Moſes famulus Domini, & filij Iſrael percuſſerunt eos, tradidítq; terram eorum Moſes, in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis; & dimidiæ tribus Manaſſe, &c.*] Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, victos, funditúſque exciſos indicat verbum, *percuſſerunt*: Particula, *famulus Domini, & filij Iſrael*, docet, eam victoriam, vltra promiſſionem factam

Margin notes (left): Deut.2. *Ammonitæ gigantes exciderunt.* — *Aſtaroth, ciuitas regia à felicitate dicta.* — *Edrai quoque regia vrbs.* — *Baſan regio 60. vrbes obtinet.* — Deut.3. Chald.Parap. — Ptolomæus. Euſebius. — *Fines Baſanitidis regionis.* — Gen.14. — Hieron. R.Moſes. — Deut.2. & 3. — *Lectulus gigantis.* — רפאים. 70.Chald. Symmachus. Aquila Theodotio. — Ouid. — Nehmanus. Maſius. — *Heuæi à ſerpẽtibus dicti.* — Iſai. 26. — *Hermõ Paneadi imminet.* Hieron.

Margin notes (right): *Heuæorum terra ceſſit Manaſſe tribui.* — *Hermon ſemper niuoſum, tria habet nomina.* Deut.3 & 4. 1.Paral 5. — Pſal. 41. Pſal 132. — Pſal 88. Hieronym. — Iudic 4. & 5. — *Naim alluitur à Ciſon torrente.* Nehmanus. — *Libanus in quibuſdã locis niuoſus inhoſpitalis eſt.* — Abulenſ. Maſius. Ptolomæus. — Deut.3. 1.Par.4. Ioſ. 13.

patribus, non autem præter Dei conſilium partam eſſe: indulgente nimirum numine aliquid vltra promiſſum, & duci, cui fauebat, & populo, cui,vt pater præerat. Hoc actuatium, Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſes à Moſe repetitur hic attributum, vt firma intelligatur eſſe ea conditione, quæ initio libri huius commemorata eſt.

Verſ. 1.] Hi ſunt Reges, quos percuſſerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iordanem, &c.

An fas fuerit Iſraelitis conſidere trans Iordanem in terris duorum regum, quos Moſes bello vicit?

ANNOTATIO I.

1. NON poſſum non mirari, quàm accuratè fines certi Iſraelitarū poſſeſſionibus ſint circumpoſiti; An myſterij in his aliquid? Nimirum voluit benigniſſimus Deus ſuos Hebræos ſeorſim à gentibus prophanis, collocatos eſſe: vt ea etiam re,notum omnibus eſſet, quanti ille ſacrum ſuum cœtum faciat. Fines verò terræ promiſſæ exigui erant;quippe qui,vt Brochardus ait, in deſcrip. terræ ſanctæ,longitudinem 67. leucarum non ſuperabant: latitudo longè minor. Cum verò videamus percuſſos ab Iſraelitis Reges, & eorum regiones vltra præſcriptos fines occupatas & poſſeſſas, quæri ſolet an fas illis fuerit hoc facere? Etenim diuinæ promiſſiones omnes, ad eam ſolam ſpectaſſe terram videntur, quæ ab Oriente Iordane claudebatur. In pœnam quoque rebellantis animi Moſes & Aaron à Deo mulctati; hanc non viderant. Quare occupatio terræ trans Iordanem,de qua agimus nihil aliud videri poteſt, quàm terminos hæreditatis ab ipſo Deo olim poſitos,refigere,ſeque à communi ſocietate fœderis diuini ſubducere,atque emancipare.

Fines terræ promiſſæ exigui. Brochard.

Longitudo 67. leucarum.

2. Aliqui,quibus ego aſſentior,affirmāt,Deum non ita arctaſſe Iſraelitarum fines, vt vellet eos intra Iordanem,& mare mortuum, tanquam pecudes intra caulas, è quibus egredi non poſſent, includere: ſolùm id loci deſtinaſſe, vt in eo ſedes eſſet religionis & diuini cultus. Quare promiſſiones illas Dei Abrahamo, & cæteris patribus toties factas,regiones etiam duorum regum, qui erant trans Iordanem eſſe complexas tanquam cum reliqua Chananæa coniunctas, quanuis interlaberetur Iordanis. Enimuerò ad illas vſque ſe propagarat Chanaan poſteritas, cuius terram omnem, Deus olim Abrahæ donauerat,cæleſtique decreto ſanxerat, impij aui nepotes ab Iſraelitis eſſe excindendos. Iam Sehon,& Og Amorrhæorum,qui à Chanaan prognati erant, prolem eſſe, teſtata res eſt. Vnde Abulenſ.ſuper cap. 1. Ioſue, quæ 21. falſum eſſe demonſtrat, terram promiſſionis à parte Orientali, Iordane definiri. Termini námque,qui ponuntur,Num. 34. definiunt ſolùm terram,quæ tranſito Iordane aſſignanda erat Iſraeli.& tradenda; non verò totam terram promiſſionis.ſic enim ſcriptum eſt. *Cùm ingreſſi fueritis terram Chanaan, & in poſſeſſionem vobis ſorte ceciderit,his finibus terminabitur,&c.* En ſolùm agit de terra non expugnata,ſed non expugnanda. Vnde concludit Abulenſ. Moſen intraſſe terram promiſſionis ſi de tota terra promiſſionis ſermo ſit. Conſentit cum Abulenſi Andreas Maſius, cui ego libenter accedo. Nam, quod illa, quæ citra Iordanem eſt terra, plerunque ſola videri poteſt promiſſa cum Iordanis populo traiiciendus obiicitur: id duas fieri ob cauſas exiſtimari licet; tum quia præcipua illa portio erat, tum quia in ea ſalutis humanæ myſterium, olim mundo denuntiari debebat auguſtiſſimo numinis ſacrario illic collato. Moſi verò & Aaroni pro magno ſupplicio fuit, quod prohibiti ſint tranſmittere Iordanem. Non quod ſola illa terra Iſraelitis fuerit promiſſa,ſed quia ſola ſacro cultui erat dicanda, & patriarcharum veſtigiis colenda. An tam affixas humi habebant viri ſanctiſſimi cogitationes,vt ſolos agros, & vrbes illius prouinciæ cuperent poſſidere? Haudquaquam Dei cultum, quem vt conſtituerant tot grauiſſimos exantlauerant labores,ob oculos habebant: illicque erigere ſacrarium peroptabant.

Deus non ita arctauit Iſraelitarum fines, vt ſolùm intra Iordanē vellet eos manere.

Abulenſ. Ioſue 1.

Num. 34.

Maſius.

Pœna fuit Moſi & Aaroni non tranſiſſe Iordanem.

3. Quin & ingens illos cura angebat, ne vt ad Cadeſbarne acciderat,noua aliqua populi peruicacia, dilationis optati euentus, aut noui erroris cauſam afferret, certè ad hanc Moſis ſolicitudinem aliqua ex parte leuandam, videtur Deus è montis faſtigio, terram peculiariter promiſſam trans Iordanem illi oſtendiſſe,ſimúlque mandaſſe, vt Ioſue animos addat, populo pro ſe traducturo. Quis enim putet ſolo conſpectu diuitis prouinciæ voluiſſe Deum oculos Moſis,tanquam auari hominis cuiuſpiam demulcere; ac non potiùs certa ſpe ſtatim ad implendi antiquam promiſſionem? Sed dices: ſi hæc Sehon & Og regna ad terram promiſſam pertinebant, in eáque populus iam erat inductus, cur Moſes adhuc de euentu promiſſionum ſolicitus erat? Nempe,quia tunc demum iure hæreditas populi futura erat hæc pars; cum illa, quæ vltra Iordanem ſperabatur, occuparetur, & Dei cultus in ea effloreſceret. Hinc Moſes grauiter eos reprehendit, qui trans Iordanem ſedes habere voluerunt, antequā terra, quæ diuino cultui erat dicanda obtineretur. Dictitabant enim: *Ne nos facias tranſire Iordanem.* Enimuerò,vt nuper dixi,hæc pars ſine illa altera, in qua diuinus cultus ſedem habiturus erat,in hæreditatem vindicari non poterat. Idcircò Moſes hos poſtulatores quietis ignauiæ arguebat,& exploratorum ſimiles eſſe dicebat, qui populum à promiſſa terra ante annos xxxviij. deterruerant: non verò quod hæc quoque pars ad promiſſionem non pertineret. Quid quod Deus illam Iſraeli addicit, Deut. 2. *Surgite*, inquit, *& tranſite torrentem Arnon, ecce tradidi in manu tua Sehon regem Heſebon Amorrhæum, & terram eius incipe poſſidere, &c.* Et rurſus de Og ſimilia facit verba: vbi verbum poſſidendi, ius indicat hæreditarium. Nec verò,ſic loquentem Deum ante hac audiuimus de terris Amalech,aut aliarum gentiū, contra quas iter agentes Hebræi pugnarūt; nec ipſos Hebræos petentes hæreditatem.

Cur Moſes & Aaron Cinnanaa deſiderio flagrarent.

Tunc demum terra trans Iordanem erat futura Hebræorū hæreditas, cum citra tabem ſ[...]geretur.

Num. 32. v. 22 & 28.

Deut. 2.

Exod. 17.

4. Ad hæc,illæ duæ diuiſæ Iordane interfluente, prouinciæ, vel ideò ambæ terra promiſſa videri poſſunt, quia duas populi Dei Reſpub. adūbrarunt: quarum alteram conſtituit Moſes, alteram Chriſtus. Moſes quippe eos, qui primi editi in lucem fuerant Ruben,ſcilicet Gad, & Manaſſen, vltra Iordanem collocauit. Et qui Moſis legiſla-

Duæ Iudæorū habitationes per Iordanem diſtinctæ quid adumbrent?

giſlatione, Deum venerati ſunt, primus dici poſ- A
ſunt Eccleſiæ partus. Qui autem poſt illos nati ſunt, eos Ioſue, hoc eſt IESVS CHRISTVS per Iordanem, hoc eſt per baptiſmum; in eam introduxit terram, quæ per excellentiam promiſſa dicitur, & in qua ſola verus Dei cultus viget.

Eccleſia eſt vera terra promiſſionis.

Rurſus, vt illi qui trans Iordanem remanſerant, ſacris ritè operari, niſi tranſmiſſo Iordane in cætum eorum aggregati, qui Ioſue ducem ſecuti fuerant, non potuerunt; ita neque ij, qui ſub lege Moſaica erant, verè Deum colebant, niſi per fidem ad Ioſue, hoc eſt IESVM CHRISTVM illiúſque myſteria tranſirent. Quid, quod Manaſſis tribus, partim vltrà Iordanem à Moſe collocatur, partim cum Ioſue tranſit Iordanem, ad terram ſanctiorem? Nunquid, non id nobis indicat, multo Iudæorum ad Chriſti caſtra conuolaſſe?

Multi Iudæi ad Chriſti caſtra cõuolarunt.

B

5. Hactenùs, quæ probabiliora ſunt expoſui. Non repugnabo tamen ſiquis dixerit illas duas tribus, & dimidiam, antiquũ Dei fœdus, ſuis ipſorum cõmodis poſt habuiſſe; & ſcelerata quadã improbitate, eas ſedes extra terram promiſſam, à Moſe ſibi aſſignari petiuiſſe. Deum verò, vetus promiſſum arcano quodam conſilio auxiſſe, noua liberalitate; & peccantibus filiis, eam noxã remiſiſſe; cæca cupiditate, in occaſionẽ, illuſtris beneficiis conuerſa. Animaduertat interim lector, eas tribus, quæ opibus præ cæteris abundabant, extra ſanctiorem terræ partem manere voluiſſe.

Tribus quæ ditiores erant, extra ſanctiorũ terram manere voluerunt.

C

Nimirum illud certum eſt, diuites haud facilè ad cœlum iter ſuſcipere. Vnde 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua quæ mergunt homines in interitum.* Vide, quæ apud Apoſtolum annotauimus in hæc verba. O maximam mentium cæcitatem, vt noxiatam ſollicitè experamus, fugientia perſequamur; retineamus aliena, quæ nos in exitium ſumus commenti, & dum alimenta quærere nos putamus, illum offendimus, qui nos alit, à quo ſolo pendet vita noſtra. Melius eſt cum ſanctis in tegurio indigere, quàm cum peccatoribus in aula abundare quò mihi ad tam breuem vitam tantùm viaticum. Meritò exclamat D. Bern. ſerm. 4. contra auaros. *Filij*, inquit, *Adam, quid vobis cum terrenis diuitijs, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? Aurum, & argẽtum, vere terra eſt rubea, & alba quam ſolis error hominum facit pretioſam. Denique ſi veſtra ſunt, tollite ea vobiſcum. Veræ diuitiæ non opes ſunt, ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, vt in perpetuum diues fiat, &c.* D Chryſoſt. ſuper Epiſt. ad Hebr. ſerm. 2. Diuites eò reputat miſeros quod peccatis impunitis moriantur. *Si poſſibile*, inquit, *eſſet in diuites vindictam procedere, videres ex eis carceres repleri vniuerſos. Sed cum omnibus malis ſuis, hoc malum habent diuitiæ, quod in malignitate peccantes ab vltionibus erunt, &c.* Exiguo, cultu natura contenta. *Nemo* (inquit Seneca Epiſt. 20.) *naſcitur diues. Quiſquis exit in lucem iuſſus eſt pane, & lacte eſſe contentus. Ab his initijs, nobis regna non ſufficiunt.* Idem Epiſt. 16. *Si ad naturam*, inquit, *viuas, nunquam eris pauper: Si ad opiniones, nunquam eris diues. Exiguum natura deſiderat: Opinio, immanſum, &c. Victu ergo moderato contenti, iuſtorum ſequamur veſtigia.* Eamus duce Ioſue, tranſito Iordane, in terram ſanctorum; terram Amorrhæorum regum relinquamus iis, qui nihil, niſi quo diteſcant, meditantur.

Matth. 19.
Marc. 10.
Pſal. 64.
1. Tim. 6.

D

E

Verſ. 2.] Sehon rex Amorrhæorum, qui habitauit in Heſebon, &c.

Cur oculi ſponſæ comparentur piſcinis Heſebon, cuius hic ſit mentio.

ANNOTATIO II.

1. HESEBON vrbem eſſe diximus trans Iordanem in ſorte Ruben, in qua olim Sehonis Amorrhæi regia fuit, ſtagnis aquíſque abundans. Cur autem Salomon cant. 7. oculos ſponſæ ſuæ comparet cum piſcinis Heſebon, non ita liquet. Erant hæ piſcinæ ad portam Bathrabbim, hoc eſt, vt arbitratur Maſius, ad eam portam, qua ibatur ad vicinam Philadelphiam. Huic enim vrbi apud Hebræos nomen erat Rabbathammon. Cæterùm Ludouicus Legionenſis explicans illa verba, *Oculi tui, ſicut piſcinæ Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis*, opinatur Bathrabbim; portæ quidem ciuitatis nomen eſſe; ſed non ita vocari, quod per eam Philadelphiam iretur, vt Maſius ait (quamuis id dici poſſe, non neget) ſed quod iuxta illam, forum eſſet peramplum, & multorum hominum capax. Itaque forum ipſum, vt (ille inquit) Bathrabim appellabatur, id eſt, grandè & peramplum forum, cui foro, quæ propinquior erat vrbis porta ex eo patrio caſu, porta bathrabbim, id eſt porta filiæ multitudinis dicta eſt. Solent námque illuſtrium Ciuitatum portæ nomen ſortiri, vel quòd venientes ex vicina vrbe excipiant: vel quia ſoli obuerſæ ſint, aut ex vſu, ſiue euentum aliquo: Aut denique ex commoditate aliqua fori, aut loci alterius cui coniunguntur? ſunt huius rei exempla plurima; quæ ſciens prætermitto, quia facile occurrunt.

Cant. 7.

Maſius.

Piſcinæ ſponſæ ſimiles, erant in porta Bethrabim id eſt in porta multitudinis.

2. Sed quid eſt in piſcina, quod ad pulchros oculos ſpectet? Primum amplitudo. Nam magni oculi, & vt vulgò loquimur, *raſgados*, pulchri habentur. Ex quo Homerus Iunonem *βοῶπιδα* nominat, oculorum iuſtam & decentem, vt credo, exprimens magnitudinem. | Deinde ſerenitas: Ex quo lepor quidam, & ſplendor exiſtit. Poſtremò, quietis & ſtabilitatis ſignificatio. Nam, quorum crebrò palpebra, atque oculi magna celeritate mouentur, aut timidos reputamus, aut prorſus vafros, & fallaces. Oculi porrò, qui in ſponſa laudantur, vt conſtat ex Lentuli epiſtola ad ſenatum Romanum à Iudæa, vbi agebat, ſcripta, de qua Euſeb. lib. 2. & D. Anton. 1. par. hiſt. titul. 5. cap. 7. §. 7. Sic enim habet. *Aſpectum habebat ſimplicem, & maturum. Oculis, glaucis, variis & claris exiſtentibus, &c.* Et venerabilis Beda in illa verba Ioan. 6. *Cùm ſubleuaſſet ergo* IESVS *oculos, &c.* Modeſtiam & ſtabilitatem oculorum Chriſti annotat; inquit enim, *Dicit Euangeliſta, videlicet cùm ſubleuaſſet oculo* IESVS *vt diſceremus, quod oculos non erigebat huc atque illuc, &c.* Poterat & miſericordiam in oculis expendere; ſiquidem miſericors Dominus, miſericordes oculis quos Eccleſia virgini quoq; illius matri ſolet attribuere, infameſcentem populum, epulum largiturus conuertit, & ante oculos panes conſtitui ſibi iubet,

Quid in piſcina ſpectet ad pulchros oculos?

Oculi mobiles ſignificant timidos, & fallaces.

Euſeb.
D Antonin.
Epiſtol. Lentuli de Chriſto.

Beda
Ioan 6.

Chriſti modeſtia in oculis, & miſericordia.

Pſal. 9.
Exod. 25.

vt pauperes cùm pane indigent, ad eum, *cuius oculi in pauperem reſpiciunt*, confugiant. Hinc illud præceptum, Exod. 25. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper, &c.* Propoſita cum panibus menſa ante Deum; ſignificat ab illo præueniri neceſſitatem noſtram, & offerri menſam, ne occaſione paupertatis, iuſti peccent Ioſephus & alij Hebræi, ſimilem fuiſſe autumant hanc menſam Delphico tripodi, vnde reddebantur oracula. Magiſter hiſt. ſchol. ex Hebræorum doctrina refert cælaturas huius menſæ fuiſſe tot imagines regum, quot futuri erant reges in Hieruſalem à Dauide vſq; ad Sedechiam per lineam rectam propagandi. Abulenſis hoc ipſum repetens, aduertit nihil hic factum cõtra legem, Exod. 21. & Deut. 4. interdicentem imaginum ſculpturum. Id enim in altari, vbi adorationis locus erat fieri lex vetuit, non in ornatu menſæ, quæ detecta à nemine videri potuit, niſi à ſacerdotibus, quibus apponendi, & detrahendi panes, ius erat; ſic etiam Seraphini erant in propitiatorio, ad quod ſolis ſacerdotibus patebat aditus.

Panes propoſitionis ſignificant Dei miſericordiam, menſam nobis proponentem
Delphico tripodi ſimilis menſa.
Hiſt. ſchol.
Cælaturæ menſæ panum tot erant, quot futuri erant Reges. Cur id factum?
Abulenſ.
Deuter. 4.

3. Porrò ſimilis tripodi Delphico dicitur menſa panum, non quia redderentur ex ea oracula, ſed quia propoſitis panibus Deus iis reſpondere videatur, qui pane, aut aliis rebus ad vitam neceſſariis indigentes cum eo expoſtulant. Nihil (inquit) eſt cur quiſquam de mea debeat prouidentia dubitare, qui ante oculos ad largienda beneficia ſemper intentos menſam habeo ſculptura referens regum imagines, regium eſſe indicat, de pane clientum, cogitare. Vnde Iſai. 3. qui ſe panem non habere agnoſcebat, & veſtem minùs ſe aptum putauit, vt in regem eligeretur. Cùm enim illi diceretur. *Princeps eſto noſter, reſpondit. Non ſum medicus, & in domo mea nõ eſt panis, neq; veſtimentum, nolite conſtituere me principem populi, &c.* Et quidem Pharao, de futura fame ſolicitus, noctes & dies fuit: ad eámque leuandam Patriarchæ Ioſeph vſus eſt induſtria. Erat in eadem menſa duplex corona aurea, vt intelligamus duplici dignos corona eſſe, qui animi & corporis neceſſitatibus alimento doctrinæ, & panis ſubueniunt.

Prouidẽtia Dei quam imitari Reges debent, oſtenditur in mẽſa panum.
Iſai. 3.
Pharao de futura populi fame ſolicitus vſus eſt Ioſephi prudentia.

4. Quid quod eadem vox Hebræa, pro qua vulgatus interpres piſcinas vertit, oculos ſimul & fontes aquarum ſignificat. Id fortè accidit, quod oculorum natura, aquæ quandam ſimilitudinem obtinet, vt autor eſt Ariſt. 2. de partibus animalium cap. 10. & lib. 2. de generatione cap. 10. Imò non ſimilitudinem ſolùm, ſed etiam naturã. Vnde ſi lædantur actutum, in lacrymas tanquã in aquarum fontes reſoluuntur. Hinc cant. 5. *Sponſa oculos ſponſi eleganter, columbis comparauit ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ. Et reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Poſſumus in oculis piſcinis & fontibus Heſebon comparatis, diuinorum copiam beneficiorũ conſiderare, quibus illi locupletantur, qui diuino ſponſo, id eſt Chriſto, & diuinæ ſponſæ, id eſt Beatæ virgini, amico & deuoto affectu coniuncti ſunt. Chriſtus enim & Maria duæ ſunt veluti portæ filiæ multitudinis, hoc eſt, quæ omnem excipiunt fidelium multitudinem, & piſcinas, ſiue fontes obtinent gratiæ, quam facilè ad ſe venientibus communicant. Theodoretus quidem enarrans hæc verba. *Oculi tui ſicut piſcinæ, &c. Docet, inquit, ſponſus animarum piarum oculos eſſe veluti piſcinas quaſdam, quæ diuina fluenta ſuſcipiunt, atque exundant perpetuo, propter multitudinem diuinorum, quæ illis ſubinde reuelantur, & propter excellentum*

Oculi cur ſimiles fontibus?
Ariſtot.
Oculi ſi lædantur in lacrymas abeunt.
Cant. 5.
Chriſtus, & Maria veluti duæ ſunt portæ excipiẽtes omnem multitudinem.
Theodoretus.

A *cognitionem rerum diuinarum, &c.* Vide ſi placet D. Ambr. in Pſal. 118. ſerm. 16. vbi ad abundantiã quo que refert prædictorum verborum allegoria, *Stagna, inquit, in Heſebon quid eſt, niſi in cogitationibus rationalibus abundantia, quæ eſt in portis Eccleſiæ, cui meritò defertur multitudo doctrinæ, &c.* Alluſit autem Ambroſ. ad etymologiam vocis *Heſebon*, quæ ſignificat *cogitationem*; quo vocabulo Aquila in ſua verſione eſt vſus. Hæc dicta ſint, vt innoteſcat, quid ſit cur piſcinis Heſebon de qua hic & ſequenti capite mentio eſt, oculi ſponſæ comparentur. Eo enim loco Salomon, quicquid locorum in Palæſtina pulchri & amœni commendatione viſendũ eſt ad ſponſæ laudes, per compa-
B rationẽ myſticè transfert. Quare ineſt in piſcina Heſebon myſtica Chriſti, & eius ſponſæ, miſericordiæ laus. Hoc illi homines intellexerũt, qui paſti à Chriſto, pane in deſerto multiplicato, eum Ioan. 6. regem acclamare voluerunt. Inter ſomnia quibus Ioſeph. Gen. 37. ſe prælatum fratribus agnouit, vidit manipulum ſuum eleuari ſupra fratrum manipulos. Erãt enim illi, preſſi annonæ caritate Ægyptum adituri, & ipſum propter panem ſperatũ adoraturi. Quod annotauit Theod. quæſt. 93. in Geneſ. Profectò, qui panem ſeruat in horreis, quo alat fameſcentes, dignus eſt imperio. Hinc olim in ſummi ſacerdotis conſecratione,
C præter alias ceremonias, ipſe iam initiatus, caniſtrum panibus plenum, in ſublime coram Deo attollebat, nimirum, vt omnes intelligerent, ad ſummum Pontif. pertinere, egeſtati ſuorum ſubditorum conſulere. Quod aduertit D. Thomas. *Offerebatur, inquit, vitulus pro peccato: aries in holocauſtum: auis in hoſtiam pacificam: caniſtrum panis, vt ſciret ſacerdos, ſe aſſumpturum, illius ſeruitium, qui pane cœleſti, hoc eſt manna pauit filios Iſrael in deſerto, &c.* Colendus igitur omni cum veneratione eſt. qui cibo paſcendi populum negotium ſumit. Siue cibus ille cæleſtis ſit, quod Deus, qui ſolus potuit, fecit: ſiue alius leuandæ hominum neceſſitati opportunus.

Ambroſius, Pſal. 118.
Heſebon, id eſt cogitatio.
Aquila.

D

LIBRI IOSVE,
CAPITIS DVODECIMI
SECTIO II.

Verſ. 7.] Hi ſunt Reges terræ, quos
8. percuſſit Ioſue, & filij Iſrael trans
9. Iordanem ad occidentalem pla-
10. gam Baalgad in Campo Libani,
11. vſque ad montem, cuius pars aſ-
12. cendit in Seir: tradidítque eam
E 13. Ioſue in poſſeſſionem tribubus
14. Iſrael ſingulis partes ſuas, tam
15. in montanis, quàm in planis,
16. atque campeſtribus. In Aſedoth,
17. & in ſolitudine, ac in meridie
18. Hethæus fuit, & Amorrhæus,
19. Chananæus, & Pherezæus, He-
20. uæus, & Iebuſæus, Rex Hieri-
21. 22. cho vnus, &c. Omnes reges tri-
23. 24. ginta vnus.

Sept.

Aliæ verſiones.

Hebraicè, Pagnin & Vatab.& ferè interpretes alij nihil afferunt, quod notatu dignum ſit. Solum Chald. Pro, *cuius pars aſcendit in Seir*, vertit, vſq; ad montem partitionis, ſignificans, montem, quo aſcenditur in Seir ramentum eſſe montium Seir.

Sept. Interp. Pro, *Omnes reges triginta vnus*, vertunt, *Omnes hi reges viginti nouem*, & ſic habent biblia iuſſu Sixti V. correcta in alijs verò exemplaribus legimus τριάκοντα, καὶ εἷς, id eſt, *triginta vnus.*

Explicatur contextus.

7. HI ſunt *Reges terræ, quos percuſſit Ioſue.*] Regionis expugnatę ſūma deſcriptio certis proponitur terminis, quæ videlicet vitra ſexaginta Hiſpanicas paraſangas, vt Arias Montanus hic annotauit, quas leucas vulgò appellamus, ſiue Italica milliaria circiter ducenta latitudine complectabatur, ſi latitudinem metiamur à meridie ad aquilonem, ex coſmographiæ nouæ præceptis; longitudinem verò ab occaſu ad ortum obſeruemus, quam regio illa ad nonaginta circiter paſſuum millia extendebat. Ad mirandam profectò cœli temperiem, agrorúmque libertatem indicat tum exiguum ſpatium tot ciuitatibus, oppidis, pagis tótque hominibus refertiſſimum.

8. *Trans Iordanem ad Occidentalem plagam, à Baalgad in campo libani, vſque ad montem, cuius pars aſcēdit in Seir, &c.*] Hoc eſt ab altera Iordanis ripa, quæ ab ortu trāſmiſſis Occidētalis eſt, &c. verò à Borea in Auſtrū ſecūdum latitudinem occiſi ſunt, reges omnes, qui ſceptrum obtinebant ab vrbe Baalgad in radicibus libani adiacente campo, vſque ad montem, per quem in eam aſcenditur regionem, quæ Seir dicitur. Erat autem Seir regio Idumæis Eſau poſteris à Deo conceſſa, Deut. 2. cuius mons Chananitidem claudebat à meridie verſus Boream. Porrò præpoſitio, *trans*, vt noſtra hæc expoſitio indicat, ſic accipi debet, vt Lector, vnà cū Hebræis ex Arabia venientibus Iordanem tranſmiſerit, quibus terra citra Iordanem, Orientalis, trans Iordanem verò Occidentalis erat. Ex Hebræo ita licet vertere, *trans Iordanem aduerſus mare.* Non enim videtur explicari hic, quātùm ſpatij ſecundum longitudinem ab Iſraelitis ſub Ioſue fuerit occupatum, ſed duntaxat ſecundum latitudinem. Hæc enim ferè tota fuit debellata: longitudo verò non item: quippe cum Sidō, Azotus, Aſcalon, Gaza omniſque maritima ora, intacta tunc fuerit. Erat autem, vt id quoque dicamus, libanus, in cuius campo erat Baalgad mōs, qui terram promiſſam verſus Septentrionem terminabat, ſicut Idumæorum montes ab Auſtro de quibus Deut. 2. *Ne moueamini contra eos, neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium, &c.* Habent aliquot biblia, *vſque*

A *ad montem Libani, cuius pars, &c.* Correcta tamen exemplaria, vt Louanienſe, Platiniana, omnia & hoc, quo vtimur ex editione Sixti V. expungunt hoc loco genitiuum, *Libani*, habentque, *vſque ad montem cuius pars aſcendit, &c.* Ita quoque Chaldæus, & Græci interpretes legunt: quod planè cū Hebraica lectione, & cum re ipſa conuenit. Vt enim ex altera parte Libani campus, ita ex altera Seir montes ſiue aſcenſus in illos expugnatæ regiones fines hic indicant.

9. *Tradiditque eam Ioſue in poſſeſſionem tribulus Iſrael, ſingulis partes ſuas.*] Hanc omnē terrā à Ioſue aſſignatam fuiſſe tribubus nouem, & dimidiæ
B ſacra hiſtoria teſtatur, vt non minus his, quàm duabus, & dimidiæ legitima huius regionis conſtiterit poſſeſſio. Quod ait, *ſingulis partes ſuas*, indicat donatas ſingulis tribubus ſuas partes ſecundū diuiſiones à Ioſue factas; ita vt nulla tribus, vel ſuam reliquerit, vel alienam occuparit hæreditatem, vel agrum, ſitúmque ſuum, cum altero permutauerit, quin potiùs, quæ vnicuique ſors obuenerit ea ſolum adita fuerit, perpetuóq; nomine obtenta.

10. *Tam in montanis quam in planis atque campeſtribus. In Aſedoth, & in ſolitudine, at in meridie Hethæus fuit, & Amorrhæus, Chananæus, & Pherezæus, Heuæus, & Iebuſæus.*] Agrorū varij ſitus, & natura
C recenſentur aut enim montiū ac cliuitates ſunt, & prærupta iuga: aut profundæ valles ſunt; aut plana loca, ſiue campeſtria, ſiue Araba vt Græci interpretes, vocant, ne vocem Hebræam mutent, aut montium colliumque de cliuitates, quas *Aſdoth* Hebræi appellant, ſiue *Aſedoth*, Chaldæus, *effuſiones è culmine*, Luſitanè, *agoas vertentes*, vel etiam in longum porrectus ager eſt, neque arbores, neque ſaxa continens, vulgo, *paramos* vocant, Latinus interpres *ſolitudinem*: aut ſterilior aliquátò campus ſiue tractus eſt Solem excipiens meridianū. Hæc ſumma diuiſio terræ promiſſa, quam omnem cultam inhabitatámque fuiſſe à regibus indicat hic locus, qui omnes à Ioſue, & Iſraelitis fuerint occiſi propriiſque ſpoliati regnis. Familiæ autem, ad quas Reges debellati pertinuerūt. Hæ ſunt, *Hethæus, &c.*

Agrorum varij ſitus; aut enim depreßi ſunt, aut montani.

D
11. *Rex Hiericho vnus: Rex Hai, quæ eſt ex latere Bethel vnus: Rex Hieruſalem vnus: Rex Hebron vnus &c.*] Ipſa duntaxat rerum capita hactenus eſſe narrata indicat regum nonnullorum mentio, quorum adhuc in victorijs commentarijs ſacra hiſtoria non meminit. Conſtitit autem ſingulis his regibus ius integrum ſuæ ciuitatis, & oppidorum, quæ illis ſubdita erant, & minorum principum adminiſtrabantur imperio. Porrò hæc nominum & titulorum recenſio ex dignitate & antiquitate locorum ipſorum petita videtur. Exiſtimat námque non ſine veri ſimili coniectura Arias
E Montanus, poſt diuiſas, & confuſas apud Babel linguas, à Chanaan ex regione Sanaar necne potes migrantes, vrbem Hiericho, traiecto Iordane, imprimis ædificaſſe; deincepſque voluentibus ſeculis, populiſque creſcentibus, cæteras præcipuas ciuitates extructas. Hai, per vicinam Bethel quodammodo oſtenditur, quia fuit altera eodem nomine apud Ammonitas, vt Hieremias 49. author eſt, *Vlula (inquit) Heſebon quoniam vaſtata eſt Hai.* Puto Iachanan quoque vicinam Carmelo dici, vt ab alia eiuſdem nominis diſtinguatur Saron vrbs hoc loco, non regio eſt, cuius integrum nomen fuit Laſſaron, ſicque Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè hoc loco appellatur in actis Apoſtolorum Aſſaron dicitur; Facilè námque ſeculis, & populis,

Regum 31. qui à Ioſue victi ſunt omnia, & regna.

Montanus.

Hierem. 49. Hai.

Laſſaron.

Ioſephus.

Samaria à Semero venditore.

lis mutatis, nomina quoque vrbium, additis aut detractis literis mutantur. Rex Semeron dicitur hic Rex loci, qui poſteà nomen dedit Samariæ, quæ Meron cognominatur: quia (vt autor eſt Ioſephus Antiq. lib. 8. cap. 12.) hoc illi quondam nomen erat, priuſquã à montis venditore Semero dicta fuit Samaria, Gader, Horma, Arad, vrbes fuere in Iudæ poſſeſſionibus, ſicut & Taphua à pomis dictum oppidum. Sed de his vrbibus agẽdum eſt, cùm ſua tribus cuiúſque hæreditas deſcribetur.

Verſ. 7.] Hi ſunt reges, quos percuſſerunt filij Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iordanem ad ſolis ortum, &c.

Reges vocat Origenes per allegoriam vitioſos affectus, & dæmones, quos duce vero Ioſue expugnare oportet.

ANNOTATIO I.

Origenes.

Dæmones primarij, alios habent inferioris ordinis adminiſtros.

1. SVnt in nobis affectus vitioſi, qui ad ſpiritibus malignis in prælium intra nos, contra ſtudioſas actiones incitãtur; ſunt autem innumeri ſpiritus, qui ſub vno principe militant, in perniciem noſtram incumbentes. *Non eſt* (inquit, Orig. hom. 16. in Ioſue) *putandum quod vnus fornicationis ſpiritus ſeducat eum, qui verbi gratia, in Britãnijs fornicatur, & illum, qui in India, & alijs in locis; neque vnum eſſe ira ſpiritum, qui diuerſis in locis, diuerſos homines agitet: ſed puto principem quidem fornicationis ſpirituum vnum eſſe; innumeros verò eſſe, qui in hoc ei officio pareant, & per ſingulos quoſque homines, diuerſi ſpiritus ſub eo principe militantes ad huiuſcemodi eos peccata ſolicitent, ſimiliter & iracundiæ ſpiritum, principem vnum eſſe arbitror, innumeros verò eſſe ſub ipſo agentes. Similiter & auaritiæ vnũ eſſe principem ſic & ſuperbiæ, & cæterorum malorum. Et ideò non vnus principatus dicitur in contrarijs virtutibus ab Apoſtolo, ſed plures aduerſum, quos pugnam eſſe nobis ſcribit, &c.* Addit Origenes: his omnibus principibus, eſſe aliquem in nequitia, & in ſcelere celſiorem, qui totum mundum, quem iſti ad peccata ſinguli per peccatorum ſpecies pro parte ſolicitant ſolus, velut omnium principum dux, & totius nefandæ militiæ magiſter, exagitet. Cuius figuram geſſit Iabin, qui cæteros reges Chananæorum in Ioſue impulit, & prudentiam ſiue ſenſum carnis ipſo nomine ſignificat.

2. Confirmat deinde Origenes, multa vacare dæmonia, ſingulis, qui peccant, ex reſponſione illius, qui (vt dicitur Luc. 8.) in ſepulchris habitabat dæmonium patiens. Ait enim ſibi nomen eſſe legio, quia multa eſſent dæmonia, & certè Regius vates, Pſal. 100. Hoc ipſum agnoſcens *in matutino* (inquit) *interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini, omnes operantes iniquitatem.* Ac ſi dicat, ſummo manè, antequã inualeſcerent, excindebam atque expurgam (hæc enim ſonant Hebræa) terram ab improbis, vt in ciuitate, in qua Deus colitur, pietas, & iuſtitia vigerant. Cum manè ſurgimus, non eſt dæmoni, aut vitio

A alicui parcendum quo ciuitas Dei, quæ eſt anima noſtra, virtutibus ſolùm, præbeat hoſpitiũ. Damnatur Saulis miſericordia, 1. Reg. 18. quòd Agag Regi, qui typus eſt dæmonis neglecta diuina iuſſione perpecerit ſinguli Tartareæ militiæ Satellites cum ipſo duce à nobis ope diuini Ioſue ſuſtultis, ſunt iugulandi.

Gladio opus vti contra aduerſarias poteſtates.

3. Cùm tot ergo ſint hoſtes, in nos regia ſiue tirãnica potiùs potentia inſurgentes, opus eſt gladio fortitudinis ſub Ioſue, hoc eſt Chriſto, vt terra promiſſa, cum veris Iſraelitis potiamur. Sint in manibus gladij ancipites ad oppugnãdas poteſtates contrarias anceps gladius, verbũm Dei, & doctrina Eccleſiæ. *Hoc munus* (inquit Apoſt.) *Deus*

Rom. 16.

B *pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris.* Interpretatur autem Origenes Satanæ nomen ex teſtamento duodecim Patriarcharum, quem librum alioqui apocryphum eſſe agnoſcit, per ſingulos peccantes, ſingulos Satanas intelligi oportere quòd ex nominis Hebræi etymologia colligit. *Satanas* (inquit) *aduerſarius dicitur.* Omnes ergò, qui aduerſantur Dei voluntati Satanæ poſſunt dici: & poſt pauca, *Beatus eſt, qui indeſinenter ſpiritalem machæram tenens, non aufert eam à ceruicibus horum hoſtium, de quibus ſuperius memorauimus, ſicut & Hieremias Propheta dicit, Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, & maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. Hoc ſi ſecundum literam intelligamus,*

Origen.

Peccator quilibet Satanas eſt.

Hierem. 48.

C *neceſſe erit nos indeſinenter ſanguinem fundere. Sed Iudæis hoc, quia caro ſunt, & ſanguis. videatur mihi autem præſtet Dominus nunquam negligere opera Domini, nec auferre ſpiritalem gladium verbi Dei à ſanguine contrariarum virtutum, & mortificare eas in vnoquoq; auditorum.* Hæc Orig. Porrò verba illa ex Hieremia: *Maledictus, &c.* Hunc habent literalem ſenſum: Maledictus, qui doloſè ſe geſſerit, in vaſtanda Moab. Et qui amouerit gladium ſuum à ſanguine Moabitarum. Vocat opus Dei expugnationem Moabitarum quemadmodum in cap. præcedenti idem Hieremias vocauerat mucronem Domini quod hæc omnia mandato Dei fierent. Septuag. pro, *fraudelenter*, tranſtulerunt, *negligenter*, quã lectionem ſequitur Origenes cæterùm Theo-

Theodoretus.

D doretus ex literali ſenſu, ad ſpiritalem tranſuolãs poſt Originem, *ſi iuſſu Dei*, inquit, *ſermo Propheticus ſubdit maledictioni eos, qui negligenter occidunt: quantas nos pœnas exoluemus, ſi munus ſpiritale paruipenderimus? ſic enim opus Dei eſt. quod ait Apoſtolus Coloſ. 3. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: quod ipſe diligenter faciebat. Unde ait, caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Hic eſt gladius de quo Chriſtus, non veni mittere pacem, ſed gladium: qui deuorare debet carnes, id eſt carnales concupiſcentias, & opera omnia carnis, quæ manifeſta eſſe dicit Apoſtolus, Gal. 5. Maledictus autem qui opus hoc Dei facit fraudulenter, vel negligenter & qui prohibet gladiũ ſuum à ſanguine. Si enim

Coloſ. 3. 1. Cor. 9. Matt. 10.

E ſecundum carnem vixeritis moriemini, Rom. 8.

Origenes.

4. Expendit Origenes ad finem hom. citatæ illa verba, *Cepit* IESVS *omnem terram, ſicut mandauit Dominus Moſi.* Ille IESVS inquit, filius Naue, non video, quod ceperit omnem terrã. Quantùm enim terræ cepit, qui Iudæam tenuit ſolam: Noſter autem Dominus IESVS, ipſe verè cepit omnem terram, in eo, quod ex omni terra atque ex omnibus nationibus ad eum concurrit gentium multitudo. Nec verò quieuit omnino terra à bellis viuente Ioſue; quieſcit tamen in nobis poſt peccatorum remiſſionem, duce IESV Chriſto, quando iam in te non pugnat caro aduerſus

Verus IESVS cepit omnem terram, quæ quamuis à prælijs vi[...]

ſpiritum.

Hierem. 48.

ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Felix ille, cui dicere Angeli poſſunt, debellatos hoſtes ſpiritales cum priocipe ſuo videntes. *Quomodo confracta eſt virga fortis baculus glorioſus?* Chald. Paraphra. *Quomodo confractus eſt rex malignus; dominator tribulans?* Per virgam & baculum, ſceptrum, atq; adeò regnum peccati, intellige virinte iuſti ex diuina gratia operantis contritum: vides affectus vitioſos ſpiritibus nequiſſimis, animum ſubiiciétes, reges vocari; qnos oportet gladio verbi iugulare? Vides parari pacem non poſſe, niſi Chriſto, regnum ſuum in nobis ex illius præſcripto pugnantibus, tanquam in terra promiſſa, conſtituente? Age ergò, atque ab vmbra mortis, io qua fortè infeliciter ſedes, in puluerem deſcende regum caſtra, dnce Chriſto, & auſpice debellaturus. Pax enim tunc iucunda eſt, & diuturna, cùm poſt cruentum certamen conſtituitur. Dum viuimus pugna nobis opus eſt. Virturem nobis à Deo ante oculos poſitam, affirmat Heſiodus, vt cum ſudore obtineatur. Eſt virtus ſimilis virgini pulcherrimæ, in turri cuſtoditæ, pto qua certandum eſt, & quam aſſequi non poteſt, niſi qui gigantem illius cuſtodem Marte vicerit, vt eſt in fabulis. *Laboribus*, inquit Epicarmus, *vendidit nobis omnia bona Deus.* Rectè Theodoricus Gothorum rex (vt refert Caſſiod. lib. 1. var. epiſt. 40. *Sicut duris laboribus*, inqnit, *inſtruitur natura humana; ita per otia torpeſcens* [illegible]*quatur.* Hinc Ariſtophanes paupertatem [illegible] probántem, ſe cauſam eſſe omnium bonorum, quæ homines haberant. Quomodo rogas? Nempe quod eius metu, artes quibus diuitiæ parantur, ab hominibus inuentæ fuerunt. Acuenda igitur induſtria eſt, & cum vitiis pro virtutum theſauro pugnandum. Otioſitas enim multam docuit malitiam, & latus nudum hoſtium mucroni relinquit. *Non veni Chriſtus pacem mittere, ſed gladium.* Pacem, aduentu ſuo, hominibus denuntiauit, vitiis bellum. Iſaias cap. 2. de aduentu Meſſiæ agens: *Non leuabit*, inquit, *gens contra gentem gladium.* Ideóque conflabunt gladios in vomeres. Verùm cum flagitiis, ſiue à dæmone ſiue ab amicis, aut inimicis ſolicitemur, ad mortem vſque confligendum eſt, vide epiſt. D. Hieronymi ad Ruſticum.

Verſ. 6.] Moſes famulus Domini, & filij Iſrael percuſſerunt eos, tradiditq; terram eorum Moſes in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe?

Moris eſſe diuini pulſis de loco, in quo habitant ingratis ciuibus iuſtos inducere in cæleſtium donorum poſſeſſionem.

ANNOTATIO II.

1. MOSES dux Hebræorum, diuina ſecutus imperia, qua pergebat Arcam Dei, præferens legis tabulas; hoc eſt Dei mandata cõſeruabat, omnem deteſtans picturam, aut ſimulacrum, quod ad ſui cultum oculos intuentium allicere poſſet. Nec verò ſolùm ipſe, ſed etiam cæteri Iſraelitarum principes, idola omnia, quibus gentes honorem deferebant, tanquam peritiſſimi, id ætatis concionatores, nihil eſſe proclamantes, & veri Dei numen commendantes, infidelitatis fœditatem, oculis, qua factis, qua dictis ſubiiciebant. Moris enim diuini eſt, cum punire vult ob ſcelera populum aliquem, priùs nuntios mittere, qui futura denuntient ſupplicia, vt Dominus, qui ad miſerandum magis, quàm ad puniendum propenſus eſt; *iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cùm iudicaueris.* Sic Loth præmiſit Sodomæ incendendæ. Ionam in Niniuem, quæ niſi conuerteretur, ſubuertenda erat. Abraham in terram Chanaan, iam olim; poſteà verò Moſen, & Ioſue veram religionem annuntiantes, & idololatriam, gentiúmque turpiter viuentium, mores, verbis & vitæ exemplo condemnantes. Habes Matth. 21. in parabola de vinea huius doctrinæ theatrum, permiſit námque paterfamilias alios, atque alios redditurum exactores; qui cùm lapidibus à locatoribus vineæ percuterentur exarſit Dominus vineæ in ſtudium vindictæ.

Præmittit Deus puniturus ſupplicia, ſuos præcones, vt homines reſipiſcãt

Pſal 50.
Gen. 18.
Gen 19.
Matth. 21.

2. Porrò, antequam Deus pellat de habitatione ſua antiquos cultores, aut aliter puniat, id exigit, qnod ſuum eſt; aut ſaltem oculis ſubiicit peccati fœditatem, vt mundo atteſtante, ſcelerati antequàm pereant, ſuam videant impietatem. Procopius Gazæus in comment. ſuper cap. 7. Exodi, de pœnis irrogatis Ægypto, ita ediſſerit: *Pœnæ*, inquit, *irrogantur, numero decem. Denarius enim numerus eſt perfectus. Sic illi ad ſummam venerant vitiorum. Quare meritò tot ſubiiciuntur pœnis. Verum pœnæ à conſuetis differunt. Deus enim ſtatuit impiorum corrumpere terram per elementa ex quibus conſtructus eſt mundus, vt, vel hoc intelligatur, penes quem ſit ſumma rerum. Tres ſunt plagæ, quæ eliciuntur ex denſiſſimis elementis, nempe, terra, & aqua. Tres ex aëre & igne. Septima communicat cum prædictis vtriſque. Tres, quæ adhuc reſtant, vt denarius expleatur ſibi vendicat Deus.* Hæc ille. Qui ingenioſè interrogat, cur Deus voluit, vt primùm plagarum à Moſe patratum miraculum, in aquis Nili, ſanguinis oſtenſio eſſet? Reſpondétque Ægyptios coouinci illa oſtenſione crudelitatis, qua pueros Hebræos in aquas Nili proiecerunt. Iuſtificatur ergo Deus puniturus Ægyptios, atque adeò ſanguis innocentium puerorum à Nilo deuoratus teſtificetur, Regis impij & clientum immanitatem. Ipſemet Nilus, quem Ægyptij adorabaot, & cui ſacrificia offerebant, in illos ſanguine, quem abſconderat, oſtenſo teſtimonium fert, & ſuos damnat cultores, vt iuſtificetur Domious in operibus ſuis. Quid, quòd Chriſtus Dominus in parabola vineæ, ſic ante oculos Scribarum & Phariſæorum poſuit ſynagogæ corruptam diſciplinam, & legis ſibi commiſſæ, violationem, vt ipſi in ſe, neſcientes ſententiam tulerint, dicentes: *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis:* Mox ſe ipſos veluti io ſpeculo agnouerunt, ſed inutiliter, quia in peccato obſorduerant. At ſanctus Dauid videns in ſpeculo parabolæ ſibi à Nathan propoſitæ peccatum ſuum, Pſalm. 37. ait: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* & in alio Pſal. ita Deus expoſtulat cum peccatore. *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis? arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Alij legunt: *Ordinabo contra te faciem tuam:* hoc eſt, quaſi in aciem redigam tua peccata: vt veluti militarem qnendam ordinem ea intuens, perhorreſcas. Non ſtatuam tua peccata ante te, tanquam phantaſma, quod citò euaneſcat

Procopius. Exod 7. Cur plagæ Ægypti decem fuerint?

Pœnæ per elementa impiis ponit.

Plagæ Ægypti.

Nilus in ſanguinem conuerſus, videat Ægyptiorum, qui pueros proiiciebant in flumen crudelitatem

Matth 21.

Pſal 37.

neſcat, ſed quod diu perſeueret. Certè cùm alicui obuerſatur animo ſuum ſcelus, ipſe in ſe ſeueriùs animaduertit, quàm Deus, Quidni? 2. Reg. 12. Dauid audita parabola vnicæ ouis iniuſtæ manducatæ: *Filius eſt*, inquit, *mortis, qui hanc rem fecit*; Deus tamen, morte filij regis, atrox peccatum, non alio ſupplicio expiari decreuit. In iudiciis diuinis elucet Dei miſericordia ſi noſtra cum illius iudiciis, iudicia comparemus: vnde illud Pſalm. 67. *Dum diſcernit cœleſtis reges: niue dealbabuntur in Selmon mons Dei, mons pinguis.* Hoc eſt: quoties Deus iudicat reges terræ in Eccleſia, quæ per montem Selmon ſignificatur, candidior illa niue, & nitidior apparet. Vnde alia verſio habet, *Niueſcet, ſiue dealbabitur, vt Selmon.* A

2. Reg. 12.

Pſal. 67.

Eccleſia niteſcit cùm Deus reges terræ iudicat.

3. Quid, quod Selmon, vmbroſum ſignificat? Eſt enim hic mons vmbris opacus; atque ob eam cauſam niues diutius, quibus euteſcit conſeruat. Iudicia Dei erga reges, ſeuera interdum vidétur, quia obſcuræ ſunt nobis ſuppliciorum cauſæ; eniteſcunt tamen plerumque. ſicut nix in monte Eccleſiæ. Durum videtur, 1. Reg. 15. ſupplicium, quo affectus eſt Saul, quod non obſeruato præcepto Dei, pecudes abegerit, & res quaſdam cum rege Agag ex Amalechitarum ſpoliis pretioſas. Duriùs fortaſſe iudicabitur, quòd Deus Angelũ miſerit deſtricto gladio, terrorem & minas Dauidi proponentem, 2. Reg. 24. quod gloriolæ velificatus populum numerari iuſſerit: ſed montem Eccleſiæ ſanctæ aſpice, inter has vmbras, ſuper niuem candicantem. Saul, tam arctè volebat ſua iuſſa à ſubditis impleri, vt Ionathas, quod præ fame vix oculos habens, fauum mellis guſtauerit, non audita ieiunij per præconem regis facta denuntiatione, tantum non ſit occiſus. Atqui homo erat Saul. Quid Deus aget contra legis ſuæ præuaricatores? Quid Dauid? Numerari populum iuſſu regis leue videtur & piabile; Cæterùm cum Deus Dauidi pollicitus ſemper fuerit diuinam opem: quid opus erat numerare populum? An vt fideret copiis & exercitibus ex innumerabili populo conflatis? Næ id in iniuriam numinis, cui fidere debuit in periculis, ceſſit. Iuſtificatur ergò Deus, & vincit quoties illius facta cum noſtris committimus. Vides reges, & populos trans Iordanem babitantes à Moſe, & Iſraelitis exciſos? iudicia Dei expende, & illud potiſſimùm quod Chriſtus Dominus Phariſæis ad finem parabolæ de vinea ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ablatum eſt regnum ab Idololatris, duce Moſe, & datum Iſraelitis, veri numinis cultoribus. Ab iis quoque, quòd Deum deſeruerint, ſublatum poſteà eſt, & gentibus ad Chriſtum conuerſis, traditum. B C D

Cùm videmus iudicia Dei ſeuera, vt in Saulem, & Dauidem, &c. oportet iuſtitiam diuinam commẽdare.

1 Reg. 15. 2. Reg. 24.

Saul ſua præcepta ſeruari volebat adhibita ſeueritate omni emnibus.

Dauid, cui aderat Deus, numerare populũ non debuit.

4. Quid Germani, quid Britanni hæretici tument? & inſanientes dicunt catholicam Eccleſiam coanguſtandam? Eſt Eccleſia Dei fœmina illa pulchra, vt Luna, & vt Sol electa, quæ Ioanni Euangeliſtæ apparuit, Apoc. 12. habens pennas aquilarum; ſcitque detrimenta, quæ apud quaſdam gentes patitur, apud alias de loco in locum auolans compenſare, Mich. 1. illi dictũ eſt. *Dilata, vt aquila caluitium tuum.* Aquilæ in ſenectute pennæ decidunt, non vt nuda plumis ſit, ſed vt antiquis nouæ, & meliores ſuccedant. Sic ab Eccleſia, ſi regna aliqua deſciſcant, nihil pulchritudinis deperit, quin alibi regnorum nouè ad eam accedentium, ſplendore penſetur. Pontifici Romano, quoties contra rebelles Eccleſiæ principes, aut populos excommunicationis fulmina molitur accommodari puto illud Iob 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Ah miſeri hæretici, ad Aquilonem in Dei Eccleſiam ore fœdo, conuitia deſpumantes; videte, ſi oculos habetis, Lunæ & Soli Eccleſiam propterea comparari, vt Auguſt. epiſt. 119. annotauit; quia hæc aſtra, quanuis aliquando interpoſitione nubium, aut terræ lateant, nunquam lucem amittunt. Quod Eccleſiæ accidit plerunque, latet illa interdum, vt nunc in Británia & in Germaniæ aliquibus prouinciis, non quia ſplendoris ſui iacturam aliquam fecerit, ſed quia vos, oculis rudis plebeculæ & principum interdum, quos à recto auocat libido, nubes & fumos inanium opinionum, ita offunditis, vt cœlum nequeant ſuſpicere. *Adhuc habet Eccleſia*, (inquit Aug. ſuper Matth.) *quo creſcat, donec illud impleatur: Dominabitur à mari vſque ad mare:* Hilarius de Trin. lib. 4. *Hoc Eccleſiæ proprium eſt, vt tunc vincat, cum læditur: tunc intelligat cum arguitur: Tunc obtineat, cum deſeritur, Dum opprimitur creſcit. Tunc ſtat, cùm ſuperari videtur.* Greg. PP. ſuper illud Iob. *Qui facit Arcturum, &c.* lib. 9. Mor. *Arcturus*, inquit, *ſemper verſatur, & nunquam mergitur: ſic Eccleſia perſecutiones tolerat, ſed ſine defectu perdurat.* Caſſiod. in Pſalm. *Nouit*, inquit, *Eccleſia triumphare de ſuis cladibus. Fletibus paſcitur: ieiuniis reficitur, & inde creſcit, vnde mundus deficit, &c.* Differt Deus pœnam, qua nunc populi nonnulli digni ſunt, quod fidem deſeruerint, ſed non obliuiſcitur. Vos ergo, qui Eccleſiæ Catholicæ fidem deſeruiſtis, timete. Vos Bernardus, quod vitia fœda in domum Dei, quæ eſt Eccleſia intuleritis, & templum Dei ſpeluncam latronum feceritis, proditores vocat. Vos obediẽtiam Apoſtolicæ ſedi negaſtis. Idcircò id vobis accidet, quod riuo ſine fonte; quod ramis ſine arbore: quod membris ſine capite. Quod ſi moris eſt diuini, vt plerunque ingratos incolas, loco pulſos, ignominia affici permittat, & extremis interdum vitæ detrimentis; quod accidit Regi Baſan, & regi Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem; num vos, quorum inſignis eſt impietas, vſque ad tertiam & quartam generationem impunè abibitis? Non ſolis Iudæis dictum arbitror. *Auferetur à vobis regnum:* quanuis ſi ſoli adeſſent cùm à Chriſto futura Hieroſolymorum euerſio prænuntiata fuit; ſed vobis etiam, omnibúſque populis, ingratis Iudæis, ſimilibus? E A B C D

Eccleſia eſt mulier pulchra vt Luna. Apoc. 12.

Mich. 1.

Eccleſia cõpenſat ſua detrimenta, &c.

Iob. 34.

Pis in quo recedunt ab Eccleſia per hæreſim ſubſtituuntur alii. Auguſtin.

Verſ. 7.] Hi ſunt reges, quos percuſſit Ioſue, & filij Iſrael, trans Iordanem ad occidentalem plagam, à Baalgad, &c. Rex Hiericho vnus: rex Hai vnus: rex Hieruſalem vnus: rex Hebron, &c. E

De 7. gentibus, quarum regiones promiſſæ fuerant Iſraeli, & de vrbibus, quas Ioſue ex regibus 31. à ſe deuinctis vindicauit.

ANNOTATIO III.

1. NVMERANTVR hic ſex gentes terræ Chanaan Iſraeli à Deo promiſſæ, his verbis

bis: *A meridie Hethaeus fuit & Amorrhaeus, Chananaeus, & Pherezaeus, Heuaeus, & Iebuzaeus:* Nam gentes decem Geneſ. 15. Abrahæ promiſſas, vel dicendum eſt iniis comprehendi: vel, ſi id non placet; dic, ſeptem duntaxat Iſraeli promitti, quarum hic ſex numerantur; tres verò alias ab Ammonitis, Moabitis, & Idumæis accipi qui populi ad Abraham etiam pertinebant; Idumæi nimirum per Eſau; Ammonitæ verò & Moabitæ per Loth; cuius filiis benefecit Deus propter Abraham. Quia tamen (vt bene aduertit Abulenſ. hic quæſt. 9. ad finem) hi populi non obſeruauerunt circunſionem, non eſt credibile ad eos attinuiſſe Abrahæ promiſſiones: Alioqui diceret aliquis, nihil prærogatiuæ habuiſſe circunſionem in Iudæis, & exactam diuinæ legis obſeruationem. Cùm tamen Apoſtolus cap. 3. ad Rom. dicat. *Quid amplius eſt Iudaeo, aut quae vtilitas circuncisionis? Multum per omnem modum: primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Domini,* id eſt factæ ſunt eis promiſſiones, & non alijs gentibus, quales erant populi, circunſionem repudiantes, licet Abraham cognatione attingerent, vt Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ. Quare in illa enumeratione decem gentium quæ legitur, Geneſ. 15. probabile eſt, vt Abulenſis opinatur, nihil addi ad ſeptem gentes, quæ hic recenſentur: Imò omnes gentes Abrahæ poſteritati promiſſæ nominatione pauciorum, ex more ſacræ ſcripturæ intelligi ſolent, cum ſermo incidit de tota terra Chanaan, vt patet, non ſolùm ex hoc loco, ſed etiam ex alijs, vt cap. Exod. 23. vbi cùm Deus loqueretur de omnibus Iudæorum hoſtibus ab Angelo, aut delendis, aut in fugam conijciendis, ſolùm expreſſi ſũt Heuæi, Hethæi, Chananæi; & hoc loco Gergeſſæi, commemoratis, ſex tantum populis, ſubticentur. Quod non fit, vt quidã falsò putant, quod Gergeſæi non pugnauerint contra Iſraelitas. Contrarium, námque conſtat, Deuter. 7. Sed quia exiguus eſt populus, vel quod magis è re ipſa eſt, quia in ſex alijs intelligitur cõprehẽdi. De cæteris regionibus Heuæis, Hethæis, aut alijs populis ex 7. qui numerari ſolent ſparſim aliqua hactenus dicta ſunt, & paſſim dicuntur: ac proindè ad regum, qui hic ſigillatim numerantur, vrbes primarias, ſiquid notatu dignum in eis erit, populorum ſeptem ampliori commemoratione prætermiſſa veniamus.

Gen. 15. — Abulenſ. — Rom. 3. — Gen. 15. — *Septẽ gentes intelliguntur in ſcriptura etiam ſ pauciores numerantur.* — Exod. 23. — Deuter. 7.

A B C D

1. *Rex Hiericho vnus.*] Fit primùm mentio regis Hiericho, quia hic primus, tranſito Iordane ab Iſraelitis, incenſa ciuitate, & anathemati data, interfectus eſt. Eſt autem Hiericho in ſorte tribus Beniamin, & prima in ciuitatibus eius nuncupatur infra, cap. 18. Abulenſ. quæſt. 10. ſex leucis, & dimidia eam diſtare ait ab Hieruſalem; Brochardus verò ſeptem. Hic Rahab meretrix excepit miſſos à Ioſue exploratores. Et Zachæus ſtatura puſillus in arborem Sicomorũ aſcẽdit, vt Chriſtũ videret. De hac vrbe egreſſi ſunt 42. pueri illudẽtes Heliſæo, & dicẽtes, *Aſcende calue*, qui à duobus vrſis occiſi ſũt, vna leuca ab vrbe Hiericho eſt mõs altiſſimus, qui Quarentana idcircò vulgò appellatur, quia Dominus in eo, quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunauit. Eſt mons hic aſcenſu difficilis, habétque ab vno latere fontem, cuius amaras aquas dulces miraculo reddidit Heliſæus; copia verò aquarum hinc effluentium, iuxta Galgalam tanta eſt, vt impulſis prius moralibus rotis, in riuos, deinde diuiſæ hortos irrigent & prata.

Ioſue 6. — Abulenſ. — Luc. 19. — Brochard in deſcript. Hieruſal. — *Hiericho monumenta aliqua.* — 4. Reg. 2. — *Mons Quarentena.* — *Fons Eliſæi.* — Brochardus.

E

2. *Rex Hai, quae eſt ex latere Bethel vnus.*] Hai poſt Hierico à Ioſue capta, & euerſa eſt: Rege illius cruci ſuffixo, & ad portam tumulato. Hæc vrbs eſt in tribu Beniamin, ſicut & Bethel, & Bethauẽ. Non fuit tamen capta Bethel, niſi poſt mortem Ioſue, vt dicitur Iudic. 1. Porrò inter Bethel, & Hai media erat vallis, in qua multos annos Abraham, erecto ad ſacrificandum Domino, altari habitauit.

Ioſue cap. 7. — Iudic. 1. — Gen. 12.

3. *Rex Hieruſalem vnus.*] Hic fuit Rex Adoniſedech præcipuus inter illos quinque, qui pugnauerunt contra Gabaon. Ipſe enim conuocauit quatuor alios reges, qui ſe in ſpeluncas vrbis Maceda occultantes à Ioſue in patibulum ſublati ſunt vſque ad ſolis occaſum. Quamuis autem Rex Hieruſalem prehenſus à Ioſue & occiſus fuit, tamen vrbs ipſa, nonniſi poſt illius mortem capta eſt à filijs Iuda, vt patet Iudic. 1. Vnde quamuis in tribu Beniamin ſita ſit, à filijs Iuda fuit inhabitata. De ea ita ferè Brochard.

Ioſue 10. — Iudic. 1. Et Ioſue 15.

Hieruſalem ciuitas Dei ſumi, de qua dicta ſunt glorioſa, poſita eſt in terra montoſa; montes enim ſunt in circuitu eius, diſtat ab Arone triginta ſex leucis, quæ ſcilicet eſt contra Aquilonem. A Sebaſte verò ſiue Samaria diſtat ſedecim leucis. A Sichem octo. A Nazareth viginti ſeptem. Et hæc loca omnia ſunt verſus Aquilonem. Ab Ioppe verò diſtat octo leucis, inter Occidentem, & Aquilonem. A Hiericho ſeptem verſus Orientem, à Bethleem duabus: ab Hebron octo, & hæ ciuitates ſunt ad Auſtrum, &c. De monte Sion, Turri Dauid, Monte Moria, de ſepulchro Dominico, Caluariæ loco, & portis octo, quibus exitus & ingreſſus patet, vide Brochardum, Chriſtianum Adrichomium, Arandam, & cæteros, qui de Hieroſolimis ſcripſerunt.

Hieruſalem ſitus, &c. — Brochardus. Adrichomiũ. Arandam.

4. *Rex Hebrõ vnus.*] Hebrõ, vel Chebron, ciuitas eſt in ſortis Iudæ vmbilico ab Hieruſalem, Auſtrum verſus millib. 22. ſecundum Hieronym. diſtans, ſita in monte; atque vt vetuſtatem noris 7. annis antiquior fertur Thanim Ægypti vrbe vetuſtiſſima, vt habetur, Num. 13. Fuit olim Palæſtinorum metropolis poſteà Abraham ſedes poſt relictam Meſopotaniam, vt ait Ioſephus: quæ vbi ab illius poſteris Ægyptiaca profectione, eſſet derelicta in gigantum, & filiorum Enach, ceſſit habitaculum; donec Caleb, illis à ſe expugnantis, ſuam fecit, à cuius filio Hebron, nominatam quidã volunt, cũ ante, *Zariatharbe*, hoc eſt ciuitas Arbee, quod ſonat Hebræis *quatuor*, nuncuparetur. Sic dictam aliqui volunt à quatuor Iudeæ gentis heroïbus, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob, quos ibidem aiunt ſepultos. Sunt qui Adã ex hoc numero eximentes, Caleb quartum faciãt, vt autor eſt D. Hieron. in epitaphio Paulæ. Quidam ab Arba huius vrbis, principe, quatuor gigantum comitatu pollentem. Ad hanc vrbem ſolam veniſſe dicũtur exploratores Iudæorum, cùm Moſis iuſſu terram Chanaan luſtrarunt: quippe qui videntes gigantum procera corpora territi, Hebræis ſua debent, ne eò intrarent, Num. 13. In Hebron dicitur ex luto formatus Adam ibidémque de paradiſo pulſus vexiſſe, & ſepultus fuiſſe, vt colligit Abulenſ. & alij ex illis verbis, cap. 14. huius libri: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*; id eſt primus hominũ parens, ſitus eſt inter Enacim, hoc eſt inter gigantes, qui habitabant in Hebron. Eſt autem iuxta Hebron vallis lacrimarum, quæ ideò ſic dicitur, inquit Abulenſ. quæſt. 12. quia in ea Adam centum annis luxit filium ſuum Abel occiſum à Cain; in qua poſtea monitus ab

Hebron, cur Cariatharbe? — Num 13. — D. Hieronym. — Num. 13. — *Adam ſepultus in Hebron.* — Ioſue 14. — *Vallis lacrymarum Adami de ſiderio Abelo.*

Angelo cognouit Euam vxorem ne ſancta poſteritas interciſa foret: & ne ſaluator, de iniquo ſemine naſceretur.

Ciuitas ſacerdotalis, & refugij.

1.Reg. 2.
1.Paral. 3.

Hæc quoque ciuitas facta poſteà ſacerdotalis eſt, & fugitiuorum refugium. In eà poterioribus ſeculis Dauid, annis ſeptem & ſex menſes regnauit, vt legitur 2.Reg.2.& 1.Paralip.3. Sextò ab ea milliari fuit conuallis Mambre, vbi diu Abraham ſub ilice habitauit. Eſt & in Hebron ſpelunca duplex, quæ vel hodie oſtenditur, & quæ in ſepulturam Saræ empta fuit; & nunc a Sarracenis magna ſuperſtitione colitur. Ad ſecũdum milliare Loth ſepulchrum viſitur.

Brochardus. Ilex Mambre.

5\. Brochardus ſcribit ilicem Mambre; ad tempora Theodoſij perſeueraſſe; atque eam, quæ nũc illius loco viſitur progerminaſſe. Addit per dimidiam leucam verſus dexteram eſſe Hebron ciuitatem illam veterem ſuam in monte, in quo hodie præter magnas ruinas, nihil cernitur. Hebron noua non procul extructa eſt, in loco ſcilicet, vbi erat ſpelunca duplex, vbi ſepulti ſunt Adam, & Eua: Abraham & Sara: Iſaac & Rebecca: Iacob & Lia, &c. Deinde addit Brochardus. A ſpelunca duplici, ad Occidentem, ad iactum ſagittæ, eſt ager Damaſcenus, vbi plaſmatus dicitur Adam, habétque argillam rubeam, flexibilem in modum ceræ, quæ per Camelos in magna quantitate in Ægyptum, Æthiopiam, Indiam, & alia loca deportatur. Nam, abutuntur ea in varias ſuperſtitiones, &c. Abulenſ. quæſt. 12. de hac ipſa terra rubea ita ſcribit. Ab incolis effoditur & comeditur, & pro ſpecie aromatica in Ægypto cariſſimè venditur. In quo ſatis magnum apparet miraculum; quia quantum ager ille profundè effoſus fuerit toto anno ad educendam terram: tãtum anno ſequenti reparatur: ita vt ſemper terra inde effodiatur, nec tamen deficiat, &c. Hactenus de Hebron.

Ager Damaſcenus in quo effictus eſt Adam ex limo pretioſo.

Terra ex qua Adam effformatus eſt rubea & pretioſa.

6\. *Rex Ierimoth vnus: rex Lachis vnus: rex Eglon vnus.*] Ierimoth, Lachis & Eglon ciuitates ſunt in ſorte Iudæ, quorum Reges quia contra Gabaonitas cum Hebræis fœderatos pugnauerunt ex ſpelunca cum duobus alijs detracti, iuſſu Ioſue in patibulum acti ſunt.

Rex Gazer vnus.] Ordo temporis, quo ſequentes reges occiſi ſunt, colligi ex ſcriptura ſacra non poteſt. Gazer in ſorte eſt Ephraim. Ephraitæ namque Chananæos illius ciues tributo vſque ad Samuelis tempora, cùm ſcriptus eſt hic liber obnoxios, in deditionem acceperunt, vt patet infrà cap.16.

Rex Dabir vnus.] In hac vrbe, ſicut & in Hebrõ habitauerunt gigantes, vt patet ex illis verbis cap. præcedentis, *in illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, Dabir, & Anab.* De hac vrbe, an fuerit bis capta ſemel à Ioſue, & iterum ab Othoniele diſputat Abulenſ. ad finem cap. 11 De hac vrbe locutus eſt Caleb, dicens: *Qui percuſſerit Cariath ſepher.* (Sic enim tunc vocabitur Dabir) *dabo ei Axam filiam meam, &c.* Porrò *Cariathſepher*, idem eſt atque *ciuitas literarum.* Hinc ad mores trahi poteſt non ſine magno præmio adiri Acedemias quæ ciuitates ſunt literarum. Multis enim ſcientiæ, quæ in illis traduntur, inſtar ſunt Gigantum. Tanta eſt in addiſcendo difficultas. Meritò igitur victori promittitur Axa, quæ adornatam ſignificat. Nam qui difficultates rei literariæ euincit, non ſolùm ad gradus Academicos cum honore promouetur, sed alijs etiam beneficijs adornari ſolet. Dabir autem, quo nomine eadem ciuitas olim afficiebatur, iuxta Hieron. ſignificat oratorium: vt intelligas orationem cum literis coniungendam. Hæc victa fuit ab Othoniele, qui ſignificat horam Dei, ſiue tempus Dei. Quem ducem, tempus diuinis precibus dantem, ſi ſequantur Academici, *ibunt de virtute in virtutem* (vt dicitur Pſal. 83. ſiue vt Chald. vertit) *Progredientibus iuſtis de domo ſanctuarij, in domum doctrinæ, apparebit labor legis ab ipſis ſuſceptus coram Domino, &c.* Vide quæ annotauimus tom. 2. cap. 15. v. 16. 17. &c.

Iudic. 1.
Academia, quæ ciuitates ſunt literarum nõ ſine magno præmio adiri ſolent.
Hieronym.
Dabir, idest oratorium.
Pſal. 83.

Rex Gader vnus: rex Herma vnus: rex Hered vnus: rex Odullam vnus: rex Maceda vnus.] Hæ quinque ciuitates numerantur in ſorte Iudæ.

7\. *Rex Bethel vnus.*] Cùm Bethel non fuerit capta viuente Ioſue, ſed poſt illius mortem, alterum è duobus dicendum eſt; videlicet regem Bethel, cuius hic meminit ſacra hiſtoria, vnum fuiſſe ex eorum numero, qui contra Iſraelitas ad aquas Meron pugnantes occiſi ſunt à Ioſue; ciuitate illius intacta vel ſaltem fieri hic mentionem Regum, qui vel viuente, vel mortuo Ioſue ab Iſraelitis interfecti ſunt. Atqui Rex Bethel, de quo agitur, tunc eſt occiſus, quando illius ciuitas ab Hebræis poſt mortem Ioſue capta eſt, vt ſcriptum eſt Iudic.1. *Iudic. 1.*

Rex Taphua vnus: rex Opher vnus: rex Aphec vnus.] Taphua vrbs eſt in Tribu Iuda vt patet infrà cap. 15. Nam alia huic cognominis in finibus ſortis Ephraim non tam ciuitas eſt, quàm oppidulum, aut viculus. Opher vix ſciri poteſt, ad quam tribum ſpectauerit; non numeratur enim in ſortitione terræ ſanctæ, vt patet infrà cap. 16. 17. & 19. Aphec verò eſt in tribu Aſſer vt conſtat ex cap. 19. iuxta regionem Philiſtinorum. Vnde 1.Reg.4. Philiſtini iter facientes contra Iudæos caſtra dicuntur fixiſſe in Aphec, ſiue Apheca. Aliam verò eſſe Aphec in tribu Iuda colligit hic Abulenſ. *Ioſue 16.17.19.* *1.Reg. 4.* *Abulenſ.*

8\. *Rex Saron vnus: rex Madon vnus: rex Aſor vnus.*] Saron non inuenitur in nominibus vrbium, quæ ſorte Iſraeli datæ ſunt. Aliqui putant eam hic nominari, quæ inuenitur in ſorte Iſſachar infrà cap. 19. & vocatur Seron. In Hebræo eſt Laſaron. Madon quoque non nominatur in diſcriptione ſortis alicuius tribus. De Aſor cuius rex erat Iabin, dictum eſt cap. præcedenti: Nominatur autem hæc ciuitas bis in Iudæ ſorte infrà cap.15. & ſemel in ſorte Nephtalim; de qua putat Abulenſ. fieri hic mentionem, quod Regem haberet magni nominis, cùm duæ illæ, quæ ceſſerunt tribui Iudæ exiguæ eſſent, nec regem haberent. *Ioſue 19.* *Ioſue 19.* *Abulenſ.*

Rex Semeron vnus: Rex Achſaph vnus; Rex Thenac vnus.] Semeron eſt in tribu Zabulon, vt patet ex cap.19. fuitque contra Ioſue illius Rex inuitatus à Iabin; occiſúſque eſt ad aquas Meron. Aliqui putant, hanc eſſe Samariam; cæterùm Samaria, cum hæc contigerunt, nondum condita erat, ſed multo poſt tempore, ab Amri Rege Iſrael de ſtirpe Hieroboam, 3.Reg.16. Achſaph eſt in tribu Aſer, nec multùm diſtat à Sameron. Thenac eſt in ſorte filiorum Manaſſe Occidentem verſus, vt patet infrà cap.17. *3.Reg. 16.*

9\. *Rex Mageddo vnus: Rex Cades vnus: Rex Iachanan Carmeli vnus.*] Maggedo eſt in tribu dimidia Manaſſe prope Thenac. In ea relicti ſunt Chananæi cum onere pendendi tributum, vt conſtat ex Iudic. 1. Hic eſt ille campus, in quo Ioſias à ſagittarijs, Pharaonis vulneratus incredibili bo- *Iudic. 1.*

nis omnibus ſui deſiderio relicto diem obiit. Hinc ille planctus cantorum, & cantatricum, quem metro alligauit Hieremias in lib. Threnorum, vt patet ex 2. Paralip. 35. & 4. Reg. 23. De quo etiam Zach. 12. Cades in Galilæa eſt in ſorte Nephtalim, vt infrà conſtabit cap. 19. & 20. Eſt autem vna ex aſſignatis in refugium homicidis. Rex Iachanan Carmeli ciuitati Iachanan dominabatur, & prouinciæ, cui Carmelus nomen dedit. Huius vrbis non eſt mentio vlla in deſcriptione ſortium. Sunt qui legant, *rex Iachanan vnus: rex Carmeli vnus*, cùm ex Hebræo fonte vnus tantùm colligatur. Accedit ſecundùm illam interpunctionem, non 31. ſed 32. Reges numerandos, cum ad finem cap. duntaxat 31. numerentur.

2. Paralip. 35. 4. Reg. 23. Zach. 12. Ioſ. 19. & 20.

10. *Rex Dor, & prouinciæ Dor vnus: rex gentium Galgal, vnus.*] Rex Dor prouinciam habuit Dor vrbi quæ ad mare occiduum erat cognominem; in tribu Manaſſe, vt patet infrà cap. 17. & Iudic. 1. Ciues Dor Chananæi erant; hi vectigales Iudæis facti ſunt cùm non potuerint extingui, aut omnino excludi ante mortem Ioſue. Hallucinantur qui Dor & Endor eandem faciunt ciuitatem, aſſerentes Endor hoc differre à Dor, quod aſſumat in compoſitionem *En*, quæ particula, *colorem, fontem*, & *oculum* Hebraicè ſignificet. Sunt námque duæ ciuitates; ambæ in tribu Manaſſe, vt infrà dicetur cap. 17. In Endor habitauit Pythoniſſa, quam conſuluit Saul. 1. Reg. 28. Galgal hic ciuitas eſt, quæ propterea gentium nuncupari videtur; quia in ea variæ erant gentes, vt putat Lyranus, velut Abulenſ. quæſt. 14. mauult, rex gentium dicitur rex Galgal, quia intra fines ſui regni, clientes habebat ex ſeptem gentibus Chananæorum, eò commorandi cauſa appulſos. Porrò illorum improbanda eſt opinio, qui Galilæam gentium, in qua eſt tribus Zabulon, & Nephtalim, & mare Geneſareth, ſiue Galilææ hîc intelligunt. Etenim nec Galilæam, nec vt probabile eſt, illius regem attigit Ioſue. Nam cap. 13. ſequenti dicitur; *Terra latiſſima derelicta eſt; quæ nec dum ſorte diuiſa eſt. Omnis videlicet Galilæa, &c.*

Ioſ. 17. Iudic. 1.

In Endor habitauit Pythoniſſa 1. Reg. 28.

Lyranus. Abulenſ.

Galilæam gentium non attigit Ioſue.

Rex Therſa vnus: omnes reges triginta vnus.] Therſa nec in Iuda, nec Beniamin eſt: ſed ad Ephraim pertinet; atque adeo ad regem Iſrael ſiue decem tribuum, qui morabatur in Therſa, vt dicitur 3. Reg. 16. Summa omnium Regum, qui à Ioſue occiſi ſunt, vnus & triginta ſunt, etenim duos, quos Moſes occidit; ad hanc ſummam non pertinent.

3. Reg. 16. Reges occidit Ioſue. 31.

Hinc patet, ſublatis Regibus perfidis, & in malitia obfirmatis; facile fuiſſe Ioſue, eorum regna, & ditionem, ſibi obedientem reddere. Nam ipſos Reges ad virtutis aliquam partem allicere, cum duro corde eſſent, & ad malum obfirmato, vix ſpes erat. Vnde maius miraculum reputat D. Chryſ. quod Dauid, ad lacrymas permouerit obfirmatū in malitia Saülem, quam quod Moſes de petra aquas exire fecerit. Fuit Chriſti Domini, in hoc facto ſicut in multis, aliis, figura noſter Ioſue quippe qui Archiſynagogos & ſcribas ipſamque ſynagogam penitus extinxit; His autem de poſſeſſione deiectis, non fuit difficile ab obſequium diuinæ legis nouæq; gratiæ, populos trahere Ob duritiam namque principum Iudæorum prædixit Domin⁹ fore, vt auferretur ab eis regnū; ipſamq; Hieroſolymā, ita euerſum iri, vt non relinqueretur lapis ſuper lapidem. Quod aduertens Cyrill. Hieroſolymit. catach. 10. *Sonitu ſolo*, inquit, *typicus ille* IESVS *proſtrauit muros Hiericho: & propter dictū* IESV *non relinquetur lapis ſuper lapidem, cecidit hoc coram nobis Iudæorum templum, &c.* Porrò extincto Iudæorum regno & ſacerdotio; Chriſti regnum & ſacerdotium, vt populus electus Deo ſuo ritè deſeruiret in mundum ſubintrauit. In quo non potuit ſolus Ioſue perfectum typum Chriſti gerere, ſaluationem quidem potuit IESVS nomine ſignificare; non tamen ſacerdotium. Quod cognoſcens Moſes (vt in eadem catacheſi idem Cyrill. annotauit) duobus viris omnium excellentiſſimis, duas haſce contulit appellationes. Alterum quidem ſui principatus ſucceſſorem Naue, IESVM nominauit. Alterum verò fratrem ſuum Aaronem, Chriſtum appellauit: vt per duo homines excellentes, & ſummi ſacerdotis ſimul, & regis dignitas futuri vnius IESV CHRISTI componeretur. Hæc de ingreſſu filiorum Iſrael in terram Canaam, Regúmque interitu atque vrbium, quæ à barbaris & idolorum cultoribus obtinebantur expugnatione; déque illuſtribus magni imperatatoris Ioſue, factis, dixiſſe ſit ſatis. Supereſt curæ noſtræ, pars altera, quam Deo viuente, propediem ſimili ſtylo locupletatam, & vt amici optant, luculentam dabimus.

D. Chry. Hom. de Dauide & Saule.

Maius miraculum fuit Sauli ad lacrymas permouere, quam aquam de petra elicere.

Cyrillus.

Extincto regno & ſacerdotio Iudæorum, Chriſti ſucceſſit ſacerdotium, & regnum.

Duodecim libri Ioſue præcedentium capitum, Anacephaleoſis.

SECTIO I.

1. INTRA ſeptem annos à Ioſue debellatam eſſe Chananæam communior, & vt meus fert animus, verior opinio eſt. Res intra hanc annorum hebdomadam geſtas, duodecim quæ hactenus enarrauimus complectuntur capita. In quibus illud prudenti rerum æſtimatori mirum videri iure debet, quod innumeræ prope res, & ad Ioſue virtutem Deíque gloriam prædicandam, intra duos prædicti ſeptennij menſes. (Tot enim, & non plures tam arduæ & perdifficili rerum molitioni attribuendi ſunt, ſi ab ipſo Ioſue libri exordio, vſque ad imperatam Soli cap. 10. ſtationem conficias ephemerida patratæ commemorantur. Singulas ergo res, cum Dei laude, intra bimeſtre ſpatium confectas, in ſingulos vtriuſque menſis, tanquam faſtorum dies conferam; ea re, ni fallor, apud beneuolum lectorem gratiam initurus. Quod enim reliquo tempori dandum eſt, id duobus capitibus vndecimo nimirum, & duodecimo explicatur.

2. Rerum ab Iſraelitis ſub Ioſue duce geſtarum ſeries; in qua ea ſubiciuntur oculis, quæ in menſe Niſan, qui primus eſt anni primi ingreſſionis in terram promiſſam inchoata ſunt, & fauente numine confecta.

Menſis primus Hebrais Niſan.

3. 1. Neomenia. { Hæc nobis dies Dominica. ☉
2. Miſſi à Ioſue exploratores: Et primus dies in quo latuerunt.
3. Dies ſecundus latebræ exploratorum.
4. Tertius dies latebræ: idémque dies reditionis eorum ad ſuum ducem.
5. Niſi malis inſequentem diem dilatam fuiſſe reditionem.
7. Sabbathum, in quo promulgata eſt preparatio ad Iordanis tranſitum.
8. { Hæc dies nobis eſt dominica. ☉
Cap. 3. 9. Feſtinatio Hebræorum eſt Iordanis ripam.
Cap. 4. 10. Tranſitus Iordanis: Caſtrorũ in Galgalis metatio: lapidum duodecim erectio.
Cap. 5. 11. Circunciſio promulgata & ſtatim facta.
14. Sabbathum. Paſcha veſperi, in memoriam liberationis Ægyptiacæ.
15. Initiũ anni 41. poſt egreſſionem ex Ægypto: qui ann⁹ primus fuit ingreſſionis in terrã promiſſam. { Hæc dies nobis dominica. ☉
16. Dies ſecundus azymorum, in quo manipulus ſpicarum oblatus eſt.

A 17. Dies tertius azymorum; in quo ceſſauit manna.
18. Dies quartus azymorum.
19. Quintus azymorum.
20. Sextus azymorum.
21. Sabbathum, Septimus azymorum.
22. Circuitio prima Hierichũtinæ vrbis. { Hæc nobis dies dominica. ☉ Cap. 6.
23. Secunda.
24. Tertia.
25. Quarta.
26. Quinta.
27. Sexta.
B 28. Sabbathum peragitur ſeptima circuitio, & Hiericho expugnatur.
29. Vrbis eiuſdem conflagratio. { Hæc nobis dies dominica. ☉
30.

Menſis ſecundus Hebrais Iiar.

1. Neomenia. Cap. 6.
C 2. Bellum Hai primò illatum. Cap. 7.
3. Achan lapidatur, & comburitur. Cap. 8.
{ 4. Bellum Hai ſecundo illatum, & confectum.
5.
6. Itum eſt ad Hebal, & Garizim. } { Nobis dominica dies. ☉
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13. Reditus in Galgala. { Nobis dominica dies. Cap. 9.
D 14. Fœdus cum Gabaonitis firmatum eſt. Ex quo rumor, & belli contra eos apparatus.
16. Fraus Gabaonitarum deprehenditur.
17. } Belli contra Gabaonitas apparatus.
18.
19.
20. ☉ { Nobis dies dominica. ☉
21.
22.
23.
24.
25.
26. Cap. 10.
E 27. { Steterunt Sol & Luna. { Nobis dies dominica. ☉
28.
29. } Hi dies dati victoriæ proſequendæ.
30.

4. Multorum opinio eſt Solem ſtetiſſe 27. die menſis ſecundi, vt ſubiecta oculis Chronica tabella indicat. Quanam eius diei hora cœperit ſtare, in eo triplex eſt opinio. Caietanus hoc loco: Abulenſis quæſt. 12. Sulpitius lib. 1. ſuæ hiſtoriæ, & alij veſpertinum tempus fuiſſe aſſerunt, cùm Solam præcipitaret in occaſum. Idque confirmant; tum quia non impetrare niteretur Ioſue eam Solis moram, niſi aduentantem timeret noctem; tum quia manifeſtè videtur, Solem propeaſſe in occaſum quo tempore infrenatus eſt; Alioqui non dixiſſet illi Ioſue, Expecta (vt in Hebræo nonnulli legunt.) Sunt qui cum noſtro Se- Caietan. Abulenſ. Sulpitius.

rario

Serarius. Lyranus. Vatabl. Montanus. Theodor.

rario in cap. 10. huius lib. quæſt. 22. ipſam deſignent meredieі horam. Mihi tertia ſententia magis placet, quam Lyranus, Vatablus, & Montanus amplectuntur, horam hanc fuiſſe meredianam, ſiue anguſtè ſumatur meridies, ſiue amplè pro tempore horæ meridianæ propinquo. Ad hanc ſententiam libenter accedit Theodor. quæſt. 13. in Ioſue, dum ait: *Sicut pugnante propheta Sol ſtetit, ita dum Saluator noſter morte ſua, mortem diſſolueret, Sol meridie continuit radios ſuos, & tenebris repleuit terram, &c.* Author quoque mirabil. ſacræ ſcripturæ lib. 2. cap. 4. ſi eſt ipſius Auguſt. *Ieſu,* inquit, *Soli in medio die præcepit, vt ne ſe moueret.* Rabbini præterea, dum aiunt in medio cœlo interquieuiſſe Solem, & omnes, qui meridiei meminere, non mathematico intelligunt in puncto moram, ſed meridiem, vt vulgò ſolet deſignari: Quod Sedulius lib. 1. expreſſit, dum ait; ſtetiſſe Solem, atque in medio cœli faſtigio anhelantem fixiſſe lucem dilato veſpere; ſignificat námque vulgò veſperam non dici, niſi cùm Sol à puncto meridiei aliquomodo ad occaſum deflectit.

Heb. doctores. Sedulius.

5. Scio pleróſque ex Hebræis doctoribus, Solis & Lunæ ſtationem, in menſem quartum, eiúſque menſis diem tertium contuliſſe. Lego in eruditiſſimis commentariis Serarij noſtri, in quartum tertij menſis diem, videri cecidiſſe hoc miraculum. Neutri tamen aſſentior opinioni. Nec enim idonea redditur cauſa, cur ea dilatio fieri debeat. Elegiſſe autem doctores Hebræi, tertium diem menſis quarti, quàm alium videntur, vt ſabbathi ſui ſanctimoniæ, id factum adſcribant. Quemadmodum noſter Serarius quartum diem tertij menſis, qui Dominicus eſt, deſignare malint, quàm tertium, vt ſuo ſeruiret in legem gratiæ affectui. Nos verò 27. diem inſigni huic miraculo ſtatuentes, in die, quæ nobis eſt Dominica ſtetiſſe Solem & Lunam, abſque vlla chronologiæ facta vi, affirmamus.

Serarius. Hebræi Doct.

Opiniones ſeptem circa Solis, & Lunæ, ſtationis moram.

SECTIO II.

Rabbini aliqui.

6.1. NEgat quieuiſſe Solem, ſed viſum diem illum ſolito longiorem, quia ſolſtitium erat.

S. Macarius hom. 5. Tolet. 2. de gen. c. 11. q. 10.

2. Duas horas ſtetiſſe ait.

3. Tres.

4. Quæ communior eſt, 12. itaut lex eius diei fuerit 24. horarum.

5. Horas tribuit 24. itaut lux horis 36. perdurauerit, & totus dies 48.

Barg. Chald. cap. 7. cantic.

6. Horas 36. integras ſtetiſſe.

7. Numerat horas quietis huius 42. vel 54. Totum enim diem illum ait fuiſſe horarum 66.

Authores humiliarũ Hebr.

7. In hac opinionũ diuerſitate eam nos ſecuti ſumus, quæ affinior verò viſa fuit 1. 2. & 3. exploſis. Nunc illud aduertimus, quod ad tropologiam facit; docti nos Ioſue exemplo, in rebus arduis & periculis, Dei, aut virtutis cauſa ſuſceptis, magna cum fiducia & orationis ardore accedere. Si enim oportuerit, Solis ad occaſum præcipitis curſus infrenabitur. Quod non ſolùm tempore Ioſue accidiſſe hiſtoriæ prodũt, ſed etiam in lege gratiæ aliquid ſimile eueniſſe ſcribitur in vitis patrum, lib. 1. cap. 16. & libr. 1. exemplorum. Cùm enim Mutius Eremita, ad inuiſendos fratres, quos ipſe inſtituerat, relicto tantiſper antiquo domicilio pergeret, ſcirétque diuino afflatu, eum, quem potiſſimum inuiſere ægrotorum optabat moriturum; Solem, qui ad occaſum feſtinabat, ne noctu cogeretur, iter facere, ſic allocutus eſt: *In nomine Ieſu Chriſti Domini noſtri, ſta paulisper in itinere tuo, & expecta me donec ad vicum perueniam.* At ille, cùm iam aliquantulum mergi cœpiſſet, ex parte reſtitit, nec prius occubuit, quam homo Dei perueniret ad vicum. Mirabantur omnes, quod tot horas Sol ſtaret; quibus ait Mutius. Non meminiſtis illud: *ſi habueritis fidem, &c.* At ille, cùm intellexiſſent, eius fide, ipſum Solem ſtetiſſe timore magno perterriti ſunt: plurimíque eorum illius ſe doctrinæ, & conuictui adiunxerunt.

Palladius. exempl. lib. 1. exem. 11. Abbas Mutius. *Solem ſtetiſſe non ſemel confirmatur.* Turpinus.

8. Turpinus in Caroli Magni vita, cap. 28. *Ilico,* inquit, *& poſt illos currente, cum ſua tota militia, Sol ſtetit immobilis, & prolongata eſt dies illa ſpatio quaſi trium dierum.* Turpino tamen fidem hiſtoria, aut nullam, aut perexiguam tribuendam eſſe, non ſemel illuſtriſſimus Cardinalis Baronius aduertit. Et quidem merito. Quid enim cauſæ ſit, cùm rem tantam & tam ſtupendam, ſi reuera accidit, cæteri illius temporis hiſtorici preſſere ſilentio? De ſtatione Solis tempore Ezechiæ facta; & quid ſentiant ſacri interpretes de eo loco 1. Paralip. 4. in quo illius fit mentio, *qui ſtare fecit Solem,* ſuo loco diximus.

Baronius. Iſaiæ 38. 1. Paral. 4.

9. Illud duntaxat intimis hominum infixum ſentibus eſſe volo; nihil non à Deo piis precibus impetrari poſſe, quod Dei gloriam queat apud mortales reddere illuſtriorem. Notum eſt ex Euſebio lib. 5. cap. 5. & Tertul. in Apologetico, è Chriſtianorum legione precibus, tum vtilem pluuiam legioni ſuæ fuiſſe impetratam; tum contra hoſtes fulmina, & vim procellæ formidabilẽ: ſic vt propterea ab Imperatore Antonino, licet ethnico, κεραυνοβόλος, ſiue fulminatrix, ea legio fuerit nuncupata. In Perſarum copias, elephantibus, equis, militibus, omníque bellico apparatu inſtructiſſimas Niſibin obſidentes, nonne precibus, & lacrymis ſancti Iacobi, vrbis illius Epiſcopi, immiſſa à Deo eſt, muſcarum, & culicum vis maxima; Regémque barbarum, numeroſo præſidentem exercitu, ita deterruit, vt ſoluta obſidione, reuerti in Perſidem, turbata caſtra compulerit? In Attilan, Aureham obſidentem; Sanctus Amianus, eius vrbis Epiſcopus tonitrua, & fulmina oratione exciuit, atque hoc cæleſti præſidio miſerè obſeſſis, laxamentum dedit. Quid Theodoſium referam? Nónne (vt author eſt Sozom. lib. 3. & Claud. lib. 1. de 3. conſul. Honorij) illius obſecratione ſagittæ; ex hoſtili arcu emiſſæ, re flante vento, & conatum impium confutante, in emittentium pectora ſunt conuerſæ? Profectò Panicis terroribus, grandine fulguribus, & cum neceſſe fuerit, Angelorum præſentia, ſuis Deus in periculis adeſt: Plenæ exemplorum ſunt hiſtoriæ, tam ſacræ, quam profanæ indicant: quid factum ſit, Deo ſuos, in rebus afflictiſſimis protegente, multa, quæ cùm alibi, tum in tota Palæſtina viſuntur, rerum maximarum monumenta: *Cùm Samuel offerret holocauſtum, Philiſtijm*

Euſeb. Tertul. *Orationis vis.* *Theodor. in vita Beati Iacobi.* S. Amianus. Sozom. Claud. 1. Reg. 7.

inire prælium contra Iſrael. Intonuit autem fragore magno Dominus in die illa ſuper Philiſtijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſrael. Tulit autem Samuel lapidem vnum inter Maſphath, & inter Sen, & vocauit nomen loci illius; lapis adiut rij. Dixitq́, hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus. Felix panoplia eſt Dei auxilium. Vide quæ in primam Diui Pauli epiſtolam ad Timotheum cap. 2. annotauimus.

Felix panoplia.

De bellis in terra Chanaam à Ioſue geſtis, poſt partam ſtatione Solis victoriam, vſque ad finem anni ſeptimi.

SECTIO III.

10. POſt Gabaoniticã obſidionem aduentu Ioſue ſolutam, & partam, ſtupente mũdo, de quinque regibus victoriam, Iabin Rex Aſor, multos dynaſtas, & populos innumeros contra Iſraelitas concitauit, vt cap. 11. ſacra refert hiſtoria; Cæterùm diuina ope ſuffultus Ioſue, cæſa hoſtium innumerabili multitudine, eos qui terga verterunt, ita perſecutus eſt, vt eadem opera, multas vrbes & regna occupauerit, aut vaſtauerit.

11. Porrò capite 12. huius libri, Reges vnus & triginta profligati, & cæſi numerantur: non tamen temporis, quo tot, & tam inſignes res patratæ ſunt, vlla extat definitio. Nos ſecuti communiorem ſententiam, ſeptem ferè annos numeramus. Infra quod ſpatium multa accidiſſe credibile eſt, quæ ſacræ literæ ſilent; fortè quia in harum rerum commemoratione parum ineſt vtilitatis, vel quia prætermittenda ea fuerunt, quæ in regnorum, aut prouinciarum longi temporis debellatione ſolent euenire. Quale eſt illud, quod aſſeuerat Thargum Chald. cant. 3. verſ. 8. *Quando audierunt,* inquit, *ſeptem populi, quòd filij Iſrael poſſeſſuri erant terram ipſorum, ſurrexerunt ſimul, & ſucciderunt arbores, & obturauerunt fontes aquarum, & destruxerunt arbores ſuas, & fugerunt, &c.* Abdidiſſe ſe Chananæos, Ioſue impetum fugientes, in ſpeluncis quæ erant prope Hiericho, in hiſtoria Lauſiaca cap. 106. refert Palladius. Quomodo autem multi, Chananæa relicta, in regiones alias abierint, ſcribit Procopius lib. 4. de bello Vuandalico: *Ieſus Naue,* inquit, *qui & in Palæſtinam populum introduxit, ac virtutem ſuprà hominis naturam longè oſtendens, regionem habuit. Vnde gentes euertens multas ciuitates facilè parauit, ac omnibus inexpugnabilis viſus. Tunc igitur vniuerſa regio maritima, à Sidone, vſque Ægypti fines, Phœnicia eſt appellata. Hic populi numeroſi habitauêre Gergeſæi, Iebuſæi, aliáque habentes nomina in Hebræis voluminibus memorata. Qui cùm inexpugnabilem conſpicerent aduenarum exercitum, patrios fines deſerentes, in Ægyptum vicinam demigrarunt; ibiq́, numero: ac ſobole creſcentes; cùm non ſatis commodum tantæ multitudini locum inuenissent, in Africam penetrauere: vbi ciuitates quàm plures habitantes, omnem eum tractum vſque ad Herculis columnas tenuerunt, ſemiphœnicia lingua, ac dialecto vtentes. Oppidúmque Tingin ſitu munitiſſimum, in Numidia ædificauerunt, vbi duæ ex albo lapide columnæ prope magnum fontem conſtitutæ, in quibus Phœnicum lingua, literæ inciſæ ſunt huiuſmodi.* Nos à facie fugimus IESV prædonis filij Naue. *Hi demum, quod nulli ſint eis antiquiores, Africæ indigenæ dicuntur eſſe. Cuius rei gratia, Rex quondam eorum Antæus, qui in palæſtra, cum Hercule congreſſus eſt, terræ filius eſt appellatus, &c.* Addit Procopius, in eandem poſtea Lybiam, ex regione eadem veniſſe Phœniſſam, Didonem, & Carthaginem condidiſſe. Suffragantur Procopio multi & graues auctores cum D. Auguſtino in expoſitione inchoata epiſtolæ ad Romanos. Aben Eſra ſcribit ſe ab antiquioribus audiuiſſe Rabbinis, in Germaniam, etiam victos, & fugatos à Ioſue Chananæos deueniſſe.

Thargum.

Palladius.

Procopius.

Chananæi in Africam Tingitanam venerunt.

Antæus rex.

D. Auguſt.

Aben Eſra

An præter bella, quorum meminit ſacra ſcriptura, alia conſpecta ſint à Ioſue?

SECTIO IIII.

12. REferunt ex Hebræorum libris, præſertímque ex catena R. Godoliæ authores aliqui huiuſcemodi hiſtoriam. Expugnata Chananæa à Ioſue, triginta & vno Regum interitus, accidit, vt Rex Armeniæ minoris, ab vno ex interfectio regibus prognatus nomine Schobach, 45. Reges Medorum ac Perſarum congregaret: quibus acceſſerat in ſocietatem Iapheth. Gigas robuſtiſſimus, & infinita ferè militum multitudo.

Godolias in Schalſheleth, fol. 96.

Horum Regum, è tabellarij manu, acceptis literis Ioſue, quibus ad pugnandum prouocabatur, & perlectis coram populo: cùm è 45. Regibus ſingulos LX. millia hominum ducturos Iſraelitæ audirent, gemitu, & comploratu dolorem declararunt. Ioſue verò, populo ad ſpem victoriæ commemoratione diuini auxilij excitato, epiſtolam ſcripſit, qua contemptis, tot Regum copiis, ad futurum ſe dixit illis, Dei ſui ope innixum, ante paucos dies: *Etſi vobiſcum eſt,* inquit, *Iaphet ille robuſtus, nobiſcum eſt robuſtorum robuſtiſſimus, excelſus ſuper omnem excelſum.*

13. Dimiſſo tabellario, qui ordinem exercitus Iſraelitici, & Ioſue prudentiam, & ſtaturam, quæ fuit cubitorum quinque bene perſpexerat: Ioſue, accinctus operi cum XII. bellatorum fortium millibus, ad Reges, antequam illo caſtra mouerant, aut quicquam è propinquo molirentur profectus eſt. Admiratus eſt Rex minoris Armeniæ, Scobach, Iſraelitici exercitus ordinem: Cui mater Naga, quæ malefica erat: *Ne timeas,* inquit, *fili, quia intra ſeptem fereos muros, ita includam Iſraelitas iſtos, vt vbi ſint ignorent.* Idque ſuis præſtigiis effecit. Rei in dignitate permotus Ioſue per literas ad ſe euocauit Phinees ſacerdotem, venit autem columba ſub tempus veſpertinum, cuius alis epiſtolam Ioſue alligauit, quæ ab illius euolans manibus, ad locum deuenit, in quo erat Ianiach, qui columbam cum vidiſſet, & apprehendiſſet, epiſtolam accepit; Qua perlecta, equo inſidens, clamare cœpit; *Gladius Domino.* Mox congregati Iſraelitæ ad eum, &

Statura Ioſue qualis?

Phi-

Phinees vndequaque. Cum vidiſſet Sabachimater aduentantes Hebræorum acies, dixit filio ſuo. *Vidi aſcendentem ab Oriente ſtellam, & non eſt ſapientia, neque conſilium in ſapientia mea, quia coacta ſum vires ante ſtellam prohibere.* Iratus filius iuſſit eam è muro deijci. Venit autem Ianiach aciéq; inſtructa, Sobach Regem interfecit. Venit autem & Phinees, & tubarum clangore diſrupti ſunt muri, primo vnus, deinde alij omnes. Egreſſi mox ſunt Iſraelitæ (qui videlicet muris ſeptem magicis incontationibus fuerant incluſi) hoſtéſque ſuos, ad vnum omnes interfecerunt. Hactenus breui complexus ſum Epitome; quæ fusè alij de hæc bello ſcribunt. Vellem tamen hæc perſuaſum eſſe prudenti lectori: hæc pauca, quæ de multis

A carpſi, non propterea à me commemorari, quod ea digna putem mentione. Quid enim vtilitatis eſſe poteſt in fabulis, & deliramentis Iudæorum narrandis? Sedné videar in ijs peruidendis parum diligens, quæ alij (forté quia minus Iudaicas faſtidiunt nænias) commemoratione non indigna putarunt. Alia bella, nec intra Plæſtinam, nec extra à Ioſue confecta inuenio. Quare huic anacephaleoſi, adhibitæ coronide, ad alia, quæ noſtri ſunt inſtituti ſtylum conuertamus.

* * *

Laus Deo, & B. Virgini.

FINIS PRIMI TOMI.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HIS COMMENTARIIS I. TOMI, VEL EXPLANANTVR, VEL ILLVSTRANTVR.

Litera L. Lectori commendatam hiſtor. ſignificat, P. Præfationem :C. Caput: S, Sectionem :T. Textum : A. Annotationem: N. Numerum:

EX LIBRO GENESIS

Cap. 1. FActvm eſt manè & veſperè dies vnus.P.ſ.6.n.6.
4. Concidit vultus eius. c.5.ſ.2.a.6.n.2
Occidi virum in vulnus meum: ſeptuplum vltio dabitur de Cain:De Lamech verò, &c.c.7. ſ.3.a.2.n.6
Ecce eiicis me hodie à facie tua, &c.& poſuit Deus ſignum ſuper eum.c.7.ſ.3.a.2.n.6. & 7.
8. Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. c.7.ſ.3.a.7.n.7
9. Maledictus puer Chanaan, ſeruus ſeruorum. c.1.ſ.2.a.2.n. 4
13. Homines autem Sodomitæ peſſimi, & peccatores coram Domino, c.1.ſ.3.a.4.n.12.
Omnem terram,quam conſpicis,tibi dabo. P. ſ.6.n.3
Loth vidit omnem circa regionem Iordanis. c.1.ſ.2.a.4 n.7
15. Sciro prænoſcens quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum, in terra non ſua,& ſubiicient eos ſeruituti,& affligent eos 400.annis. P.ſ.5. n.2.
Nondom completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum,&c.c.10.ſ.1.a.3.n.4
17. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum. c.5.ſ.1.a.2.n.1
19. Habeo duas filias,&c. abutimini eis,&c.dummodo nihil faciatis mali viris, &c.c.2.ſ.2.l.n.7 &,c.2.ſ.2.a.6.n.4
21. In Iſaac vocabitur tibi ſemen.P.ſ.5.n.3
22. Ego & puer reuertemur.c.2.ſ.2.a.2.n.16
26. Poſt cibũ & potũ intrauerunt. c.2.ſ.3.a.4.n.2
27. Ego ſum Eſau primogenitus tuus. c.2.ſ.2.a. 3.n,1
Eſau vir piloſos,& ego lænis.c.1.ſ.8.a.2.n.9
In me ſit iſta maledictio.ibid.num. 10.&.c. 1. ſ.2.a.4.n.1
Nnne ergo,fili mi,acquieſce conſiliis meis.c.2. ſ.8.a.2.n.16
42. Exploratores eſtis per vitam Pharaonis.c.2. ſ.2.a.2.n.16
49. Dan coluber, &c.c.1.ſ.7.a.1.n.2.
Lauabit in vino ſtolam ſuam, &c.c.5.ſ.2.a.8. n.5
Diſſoluta ſont vincula brachiorum eius per manus potentis Iacob.c.5.ſ.3.a.2.n.2
Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia, &c. c.6.ſ.2,a.5.n.2.
Catulus Leonis Iudas.c.1.ſ.7.a.1.n.2

EXODI

Cap. 1. Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit illis domos.c 2.ſ.2.a.2 n.8.&.9
3. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob,&c. c.1.ſ.2.a.3.n.6
Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. c.1.ſ.5.a.4. n.6.&.7
Frater tuus erit propheta tuus.ibid. n.13.
Solue calceamentũ, &c.c.5 ſ.3.t.16.&a.6.n.2
4. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui. c.5.ſ.1.a.3.n.1
Sponſus ſanguinum tu mihi es, propter circumciſionem.ibid.n.2.& a 8.n.1.2.3.&c.
6. Apparui in Deo omnipotente, &c. & nomen meum Adonai non manifeſtaui eis, &c. c.7.ſ.2.a.7.n.2
10. Ego indurabo cor eius.c.10.ſ.2.a.2.n.9.&.c. 11.ſ.2.n.4.&.a.3.&c.
12. Tollat quiſque agnum,&c.& ſeruabitis eum, &c.c.5.ſ.2.a.15.&c.
Iuxta quem ritum tolleris & hœdum.a.20.n.3
13. Non immolabis ſuper fermentatum ſanguinem hoſtiæ.c. 5.ſ.5.T.n. 16.
Tulit qooque Moſes oſſa Ioſeph, &c.c.3.ſ.2.a. 4.n.1.
14. Abſtulit illud Dominus,flante vento, &c. a.9.n.3
15. Equom & aſcenſorem deiecit in mare.c.1.ſ.6. a.8.n.3
Dominus quaſi vir bellator.&c.c.1.ſ.7.a.6.n.3
16. Manhum?quod ſignificat qoid eſt boc?c.5.ſ. 2.a.22.n.3
20. Viſitans iniquitatem, &c. in tertiam & quartam generationem.c.7.ſ.1.a.1.n.6
23. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c.Et eſt nomen meum in illo. P.ſ.2. n.8.ibid.
Emittens priùs crabrones.&c. c.1.ſ.2.a.4.n.9
24. Ædificauit altare & duodecim titolos, c.4. ſ.vnica,c.T.2
25. Loquar ad te de medio duorum cherubim, &c.c.3.ſ.1.a.3.n.1
Omnia fac,ſicut oſtenſum eſt tibi in monte. c. 1.ſ.8.a.2. n.4

Pones ſuper menſam meam panes propoſitionis in conſpectu meo, c.12.ſ.1.a.2.n.2.& 3
33. Ioſue filius Nun, puer Moſis, non recedebat à tabernaculo. P.ſ.2.n.6

LEVITICI

Cap. 6. Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, &c.c.5.ſ.8.n.2
Egreſſus ignis à Domino, &c. ibidem
23. Sumetiſque vobis fructus arboris pulcherrimæ.c.5.ſ.2.a.6. n.6
Spatulas palmarum, & Ramos ligni denſarum frondium, & ſalices, &c. & lætabimini, &c. ibidem
25. Sanctificabis annum quinquageſimum, &c. Ipſe eſt enim Iubileus,&c.c.5.ſ.1.a.5. &c.
Terrebit eos ſonitus folij volãtis,c.2.ſ.3.a.1.n.3
26. Nec titulos erigetis;nec inſignem lapidem, c.4.ſ.1.a.3.n.1.&c.

NVMERORVM

Cap. 10. Clangetis vlulantibus tubis,&c.c.6.T. n.12.& 17
11. Cùmque deſcenderet ros, deſcendebat pariter & man. c.5.ſ.2.a.24.n.11.
Populus faciebat ex manna tortulas, &c.c.1.ſ. 7.a.1 n. 2
12. Ore ad os loquor ei, & palam non per ænigmata,&c. P.ſ.6.tit.de laud.Moſis.n.7
17. Non multiplicabit rex tuus ſibi equos, &c. c.11.ſ.1.a.3.n.3. & 4.
20. Audite,rebelles & increduli,&c.c.1.ſ.1.T.n.4
21. Nauſeat anima noſtra ſuper cibo, &c.c.5.ſ.2 a.23.n 1
25. Initiatúſq;eſt Belphegor, &c. c.1.ſ.2.a.2.n.4
27. Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare terram, &c.P.ſ.6.n.6.
Ibis ad populum tuum ſicut iuit Aaron,frater tuus,quia offendiſti me,&c.ibidem
Tolle Ioſue filium Nun,virum,in quo eſt Spiritus Domini, & pone manum tuam ſuper eum, &c.P.ſ.6.tit. De ſucceſſ.n.4.
Eleazar Sacerdos conſulet Dominum, &c.c.1. ſ. 7. a. 4. n. 2.
36. Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua.c.6.ſ.3.a.4.n.4

DEVTERONOMII

Cap. 7. Crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos,donec deleat omnes. &c.l.n.2.
11. Omnis locus quem calcauerit pes veſter,&c. c.1.ſ 3.a.4.n.9.& 13.
16. Immolabis Phaſe de ouibus & de bobus,&c. c.5.ſ.1. T.n.11
17. Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni, deſcribet ſibi Deuteron.legis huius. c.1.ſ.6 a.5.n.3
23. Benedictus in latitudine Gad,&c. Vidit quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus, &c. P.ſ.6. n.10
31. Ponite librum in latere Arcæ fœderis. c.3.ſ. 1.a.4.n. 6
32. Quando diuidebat Altiſſ. gentes, c.5.ſ.3.a.5. n.1.
Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit,&c.c.1. ſ.3.a.4.n.9.& 13.
Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam,&c.Et non ingredieris ad eam, &c. P.ſ.5. n.2.
Præuaricati eſtis contra me ad aquas contradictionis. Ibid.
34. Mortuus eſt Moſes in terra Moab,iubente Domino,& non cognouit homo ſepulchrum eius P.ſ. 6.n.3.4
Et ſepeliuit eum Dominus, &c.ibid.
Poſt mortem Moſis Ioſue,filius Nun,repletus eſt ſpiritu Sapientiæ, quia Moſes poſuit ſuper eum manus ſuas. P.ſ.5.n.2
Et oſtendit ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan, P.ſ.6.n.2
Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael ſicut Moſes P.ſ.6.tit.de laudibus Moſis,n.7.

IVDICVM

Cap. 3. Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit,vt erudiret in eis Iſraelem, c.1.ſ.4.a.2. n.5
3. & 4. Suſcitauit eis Saluatorem, &c. c.3.ſ.1.a. 5.n.4
4. In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara. P.ſ.1. n.2

RVTH

Cap. 1. Populus tuus,populus meus,&c. c.2.ſ.1. a.3.n.1
4. Domus diſcalceati, &c.c.5.ſ.3.a.6.n.1

EX I. REGVM

Cap. 3. Loquere Domine quia audit ſeruus tuus. c.1.ſ.8.a.2.n.6
5. Caput Dagon & duæ palmæ manuum eius abſciſæ erant ſuper limen.c.3.ſ.2.a.3.n. 1.

EX II. REGVM

1. Conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt,&c. P.ſ.6.n.2.tit.de comploratu,&c.
12. Peccaui Domino,c.6.ſ. 1.a.2,n.8
13. Quia blaſphemare feciſti,&c. filius qui natus eſt tibi,morietur,c.7.ſ.3.a.4.n.3
18. Abſalon erexerat ſibi titulum, &c.Et appellatur manus Abſalon.c.4 ſ.1.a.3.n.2

EX III. REGVM

Cap. 8. In arca nihil erat aliud,niſi duæ tabulæ. c.3.ſ.1.a.4.n.1
9. Et relictus ſum ego ſolus, c.1.ſ.2.a.3.n.6
10. Vniuerſa terra deſiderabat videre vultum Salomonis,c.1.ſ.3.T.1.Regina Saba, &c.ibid.
15. Tolle tibi decem ſciſſuras, &c. P. ſ.5.n.5
16. In diebus illis ædificauit Ahiel de Bethel Hiericho,&c.Et poſuit portas eius,&c.c.6.ſ.2 T.3.
20. Dij montium Dij eorum, c.2.ſ.3.T.n.4

EX IV. REGVM

Cap. 1. Si homo Dei ſum,deſcendat ignis de cælo,&c.c.1.ſ.2.a.3. n.5
2. Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? c. 3.ſ.1.a.9.n.1

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

Cap. 4. Et cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti, & qui ſtare fecit ſolem.c.10.ſ.1.a.7.n.1.&c.
15. Cùmque adiuuiſſet Dominus Leuitas, qui portabant arcam, cap.3.ſ.1.a.2.n.5.

EX II. PARALIPOMENΩN

Cap. 7. Fecítque die octauo collectam,&c. c.5.ſ.2.a.7.n.4.
12. Seruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ,&c.c.1.ſ.2.an.2.n.4.
26. Non eſt tui officij Ozia, adolere incenſum. c.3.ſ.2.a.2.n.6.
34. Librum legis inueni in domo Domini.c.3.ſ.1.a.4.n.6.

EX I. ESDRÆ SEV

NEHEMIÆ

3. Surrexit Ioſue filius Ioſedec, & fratres eius ſacerdotes.P.ſ.5.n.6.

EX II. ESDRÆ

Cap. 8. Fecerúntque ſibi tabernacula vnus quiſque in domate ſuo, & in atrus ſuis, &c.c.5.ſ.2.a.6.n.3.

EX TOBIA

Cap. 3. Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, c.1.ſ.3.a.1.n.5.
5. Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius,c.2.ſ.2.a.3.n.6.

EX IVDITH

Cap. 5. Achior reſpondit,&c.Iſti pede ſicco fundum maris pertranſierunt, &c. c.3.ſ.2.a.9.n.5
8. Faciat Deus conſilium meum,c.2.ſ.T.n.4.
9. Deus Patris mei Simeon,qui dediſti illi gaudium in defenſionem alienigenarum, &c. c.6.ſ.2.a.5.n.2.
10. Sandalia eius,rapuerunt oculos eius, c.5.ſ.3.a.7.n.1.
Fugi,quia futurum agnoui,vt dentur nobis in deprædationem, c.2.ſ.2.T.n.14.
11. Ego adducam te per mediam Hieruſalem, &c.ibidem.
vlt. Erat virtuti caſtitas adiuncta,c.2.ſ.2.a.2.n.14

ESTHER

Cap. 6. Sic honorabitur, quem rex voluerit,&c. c.1.ſ.6.a.8.n.5.
9. Nec eſt vlla ciuitas, in qua dies Phurim, id eſt,ſortium,non obſeruetur à Iudæis, c.5.ſ.2.a.11.n.2.

IOB

Cap. 1. Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob?&c.c.1.ſ.2.n.3
Pereat dies, in qua natus ſum, &c. c.6.ſ.3.a.6.&c.
6. Confuſi ſunt, quia ſperaui; &c. & pudore cooperti ſunt,c.5.ſ.1.a.1.n.5.
9. Deus,ſub quo curuantur,qui portant orbem. c.1.ſ.6.a.8.n.2.
Qui facit Arcturum, &c. c.12.ſ.2.a.2.n.4.
10. Protegunt vmbræ, vmbram eius, c.8.ſ.1.a.4.n.10.
16. Irruit in me quaſi Gigas,c.1.ſ.6.a.8.
20. Confringens nudauit pauperē, &c. c.7.ſ.3.a.3.n.5.&.6.
23. Qui facit concordiam in ſublimibus, c.5.ſ.3.a.5.n.2.
24. De ciuitatibus fecerunt viros gemere,& anima vulneratorum clamauit,&c.c.7.ſ.2.a.4.n.1.
26. Gigantes gemunt ſub aquis, c.3.ſ.2. T. n.4.
34. Qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi.c.7.ſ.1.a.4.n.3.
38. Cùm me laudarent aſtra matutina,&c. c.10.ſ.1.a.4.n.7.
Concentum cæli quis dormire facit? ibidem, & cap.10.ſ.1.a.4.

EX LIBRO PSALMORVM

Pſal. 1. Beatus vir qui non abiit,&c.totus Pſalm. explicatur, c.1.ſ.6.a.7.n.1.&c.
2. Aſtiterunt reges terræ, &c. totus Pſalmus explicatus.c.9.ſ.1.a.2.n.2
4. A fructu frumenti,vini,& olei, &c. c.1.ſ 3.a.1.n.10.
Et ſcitote quoniam, &c. c.1.ſ.1.T.n.2.&.3.
11. O Domine,quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ,&c.c.1.ſ.2.a.1.n.3.
16. Erue à framea, Deus, animam meam.c.8.ſ.1.a.3.n.7.
19. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt; nos autem, &c.c.1.ſ.6.a.8.n.4.
32. Non Saluatur Rex per multam virtutem, &c.fallax equus ad ſalutem, &c. c.1.ſ.6.a.8.n.2.
Erit firmamentum in terra, in ſummis montium. c.5.ſ.2.a.24.n.14.
33. Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies, &c.c.6.ſ.3.a.3.n.2.
34. Omnia oſſa mea dicent, Domine,quis ſimilis tibi?c.8.ſ.1.a.3.n.8.
Cùm mihi moleſti eſſent,induebar cilicio.c.7.ſ.2.a.1.n 9.
39. In capite libri ſcriptum eſt,&c.c.1.ſ 8.a.1.n.5.
43. Neque enim in gladio ſuo poſſederunt terram,&c.ſed dextera tua, &c.1.n.3.
49. Congregate ſanctos eius qui ordinant teſtamentum,&c.c.4.ſ.1.T.2.
51. Sicut nouacula acuta feciſti dolum. c.9.ſ.2.a.4.n.1.
Videbunt iuſti,& timebunt, &c. c.5.ſ.2.a.10.n.3.
57. Lætabitur iuſtus,cùm viderit vindictam,manus ſuas lauabit in ſanguine, &c. c.5.ſ.2.a.10.n.3
58. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos:ne quando obliuiſcantur populi mei,&c.c.1 ſ.3.a.3.n.8. ad finem.
59. In Idumæam extendam calceamentum. c.5.ſ.3. T.13
67. Currus Dei decem millibus multiplex, c.1.ſ.8.a.1.n.4
Dum diſcernit cæleſtis reges, &c. in Selmon, &c.c.12 ſ.2.a. 2.n.3
71. Reges Arabum & Saba dona adducent,&c. c.1.ſ.3.T.n.1.
Adorabunt eum omnes Reges terræ, &c.c.5.ſ.1.T.14.

Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent c. 10. ſ. 2. ſ. 4
77. Deſiderium eorum attulit eis, &c. c. 5. ſ. 2. a.22. n.5
Adhuc eſcæ eorum erant,&c.& ira Dei, &c.c. 5.ſ.2.a.24.n.12
Miſit io eos iram indignationis ſuæ, &c. immiſſionem per Angelos malos.l.n.2
80. Buccinate in Neomenia,&c.c.5.ſ.2. a. 2.n.4
82. Fac illis ſicut Madian,& Siſaræ,&c.c.7.ſ.2.a. 4.n.8 9.&c.
86. Memor ero Rahab & Babylonis, &c. c.2.ſ. 1.a.4.& ſ.4.a.3.n.3
90. Scuto circumdabit te veritas, &c. c.8.ſ.1.a. 3.n.1
90. Qui habitat in adiutorio altiſſimi,in protectione,&c.c.1.ſ 7.a 6.n.3
97. In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ c. 6.ſ.1 a 5.n.11
100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ,vt diſperderem,&c.c.1.ſ.1.a.1.n.2
102. Periatunt propter iniquitatem ſuam. c.5.ſ. 1.a.1.n.7
105. Stetit Phinees,& placauit,& ceſſauit quaſſatio,& reputatum eſt ei in iuſtitiam.P.ſ.5.n.4
Stetit Phinees,& placauit,&c.c.1.T.n.3.
108. Conſtitue ſuper eum peccatorem,& diabolus ſtet,&c.c.6.ſ.3.a.5.n.10
Epiſcopatum eius accipiat alter.ibid.ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius,ibid.
109. De Torrente in via bibet, &c. c. 4.ſ. 1. a. 4.n.1
113. In exitu Iſrael,&c. Domus Iacob, &c.c.2.ſ. 2.a.2.n.16
118. A mandatis tuis intellexi, quia lex tua meditatio mea eſt.c.1.ſ.6.a.6.n.1
125 In conuertendo Dominus captiuitatem Sion. c.6.ſ.1.a.5.n.12
Facti ſumus ſicut conſolati, Ibid.n.12

EX PROVERBIORVM LIBRO

Cap. 5. Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius.&c.c.1.ſ.2.a.2.n.4
7. Serua legem meam quaſi pupillam oculi tui,&c.c.1.ſ.6.a.7.n.3
16. Sortes in ſinû mittuntur,&c.c.7.ſ.2.a.10.n.7
24. Nouiſſimè ego egi pœnitentiam.c. 7.ſ.3.a. 7.n.6
ibid. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij,ita qui tribuit inſipienti honorem.c.7.ſ. 3.a.7.n.5
30. Date ſiceram mœrentibus, & vinum, &c.c. 7.ſ.3.a.1.n.1

EX LIBRO ECCLESIASTÆ

Cap. 1. Da partem ſeptem, necnon & octo c. 5.ſ.1.a.7.n.7
Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas. ibid.
4. Melius eſt,duos eſſe ſimul,quàm vnum: habent enim emolumentum,c.2.T.n.4

EX CANTICO CANTICORVM

Cap. 1. Indica mihi quem diligit anima mea: vbi paſcas,vbi cubes &c.c.6.ſ.2.T.6
Sicut pelles Salomonis a.5.ſ.2.a.6.n.4. Tabernacula Cedar,&c.ibid.
3. Cùm pertranſiſſem eos,inueni quem diligit anima mea,c.6.ſ.2.a.1.n.5
4. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.P.ſ.6.n.13
Veni, coronaberis de vertice Amana, &c. de cubilibus leonum,&c.c.6.ſ.3.a.4.n.4
Mille clypei pendent ex ea,omnis, &c.c.8.ſ.1. a.4 n.8
7 Oculi tui ſicut piſcinæ Heſebon,&c.c.12.ſ.1. a.2 &c.
8. Fortis eſt vt mors,dilectio, &c. c. 6. ſ. 1.a.5. 0 14
Lampades eius,lampades ignis,&c.ibid.

EX LIBRO SAPIENTIÆ

Cap. 1. Os quod mentitur, occidit animam. c.2.ſ.2.a.2.0.4
5. Spes impij tanquã lanugo.&c.c.7.ſ.1.a.5.n.3
6. Iudicium duriſſimum in iis qui præſunt, fiet.c.1.ſ.8.a.3.n.4
13. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos c.1.ſ.1.a.1 n.6
16. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, omne delectamentum in ſe habente.c.5.ſ.2.a. 24.n.12
19. Terra apparuit arida,&c.& campus germinans de profundo nimio.c.3.ſ.2.T.n.4
Omnipotens ſermo,&c.durus bellator,&c.c. 5.ſ.2.a.12 n.2

EX LIBRO ECCLESIASTICI

Cap. 44. Teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſet diluuio omnis caro.c.1. ſ.1.T.n.2
45. Dilectus Deo & hominibus Moſes.c.1.ſ.1. T.n.4
46. Fortis in bello IESVS, filius Naue. &c. explicatur totus locus.P.ſ.2.n.2.3.& 5
Annon in iracundia eius impeditus eſt ſol.&c. ibid.n.5
Maximus in ſalutem electorum Dei, &c. P.ſ. 3.n.4
Nonne vna dies facta eſt quaſi duo. c. 10.ſ. 1. a.4.n.8
50. Simon,Oniæ filius,Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum P.ſ.5.n.8.

EX LIBRO ISAIÆ

Cap. 1. Principes tui infideles,ſocij furum, &c. c.1.ſ.2.a.3.0.4
6. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant.c.6.ſ.2.T.6
7. Pete tibi ſignum à Domino, &c. c.3.ſ. 2.a. 6.n. 4
Ecce virgo concipiet & pariet, &c. ibid. n.5. &c.4.ſ.1.a.2.n.1
Caput Syriæ Damaſcus.c.1.ſ.3.a.1.n.9
11. Prædabuntur filios Orientis c.1.ſ.3.a.1.n.6
Filij Ammon obedientes erunt,ibid.n.7
Erit iuſtitia cingulum lumborum eius,&c.c.2. ſ.4.a.1.n 10
14. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, &c. ſimilis ero Altiſſimo,c.7.ſ.3.a.2.0.7.
22. Sciet populus meus nomen meum.c. 7. ſ.2. a.6.n.6.
31. Væ qui deſcendunt in Ægyptũ.c.1.ſ.6.a.8.n.4
38. Solue faſciculos deprimentes, &c.c.7.ſ.2.a. 6.n.6

Ecce reuerti faciam vmbram linearum in horologio Achaz c.1.ſ.2.a.3. n. 5
45. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, &c. c.1.ſ.5.a.3.n. 3
50. Dominus aperuit mihi aurem,&c.c.1. ſ.8.a.2.n. 6
53. Vidimus eum,& non erat ei ſpecies,&c.c. 6. ſ.2. T. 6
54. Dilata locum tentorij tui, & pelles,&c. c. 2. ſ.1.a.4.n. 2
58. Frange eſurienti panẽ tuum, c.1.ſ.6. a. 7. n.1.
61. Spiritus Domini ſuper me,&c. c.1.ſ.8.a.1.n.2
vlt. Videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me,vermis eorum non morietur,&c. c.5.ſ.2.a.11. n.4

IEREMIÆ

Cap. 1. AAA, Domine Deus,neſcio loqui, quia puer ego ſum. c.7.ſ.2. T. 7
Virgam vigilantem ego video c.8.ſ.1.a.1.n.11.
2. Tranſite ad Inſulas Cethim. &c. c.7.ſ. 2. a. 8. n. 2
3. Non dicent vltra,Arca teſtamenti Domini. c. 3.ſ.1.a.5.n.3
7. Tonde capillum tuum,& proiice.&c. c.7.ſ.2. a.2.n.3
13. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam? &c. c.10.ſ.2.a.2.n.5
15. Si ſteterint Moſes, & Samuel &c.c.8.ſ.1. a. 1. n. 4
17. Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in vngue adamantino. Ibidem.
18. Pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei. c.1.ſ.6.a.3.n.1
31. Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum præſcribam eas, &c. P. tit. de Inſcriptione, n.1

THRENORVM

Cap. 4. Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum,&c. c.7.ſ.1.a.1.n.8

BARVCH

Cap. 1. Emite holocauſtomata,& thus,& facite manna,& offerte pro peccato, &c. c. 8. ſ. 2. a.2.n.13

EZECHIELIS

Cap. 1. Et factum eſt in trigeſimo anno.&c.c. 1. ſ.1.T.n.1
13. Væ,quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito, & ceruicalia ſub capite,&c.c.2.ſ. 1.a.4.n.1
18. Filius non portabit iniquitatem patris;ſed anima quæ peccauerit,ipſa morietur.c.7.ſ.1.a.1. &c.& cap.7.ſ.3.a. 4.n. 4
In quacumque hora ingemuerit, &c. c.1.ſ.1. T.n.4.
21. Stetit Rex Babylonis in biuio, &c. c.7. ſ.2. a.11. n.1.
29. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus. c.7.ſ.2.a.2.n.4.
35. Operiam, cùm extinctus fueris,cælos. P.ſ. 6. n.11.

DANIELIS

Cap. 5. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.c. 6.ſ.3.a.3.n.7.
7. Daniel ſomnium vidit: viſio autem capitis eius in cubiculo ſuo,&c.c.1.ſ.1.a. 1. n. 2.
10. Michael vnus de principibus primis. &c.c.5. ſ.3.a.3.n. 8.
Et nunc reuertor, vt prælier aduerſus Principem Perſarum.a.4.n.4.

OSEE

Cap. 1. Quoniam adhuc modicum & viſitabo ſanguinem Iezrael.c.1.ſ.8.a.1.n.7.
4. Sanguis ſanguinem tetigit c.8.ſ.1.a.1.n.8.
5. Ephraim, & Iſrael non eſt abſconditus, &c. ſpiritus fornicationum in medio eorum. c. 7. ſ.2.a.8.n.1.&c.
Vlulate in Bethauen,poſt tergum tuum Beniamin. c.7.ſ.1. T. 9.
10. Ephraim vitula docta diligere trituram c.1. ſ.2.a.1.n.4.
Vaccas Bethauen coluerunt, &c. c.7.ſ.1.T.9.
11. Vitis frondoſa Iſrael.c.4.ſ.1.a.1.n.3.
12. Etinualuit ad Angelum,&c. fleuit & rogauit eum.c.5.ſ.3.a.1.n.1.

IOEL

Cap. 2. Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes, &c.c.8.ſ.2.a.2.n.2.

AMOS

Cap.6. Tranſite in Chalena, & videte. c.1.ſ.3. a. 1.n.3.
7. Ecce ego ponam trullam in medio populi mei,&c.c.7.ſ.3.a.1.n.5.
8. Quid tu vides Amos? & dixit; vncinum pomorum,&c. c.7.ſ.3.a.3.n. 2.

IONÆ

Cap. 1. Surge,vade in Ciuitatem.&c.c.1.ſ.2.a.4. n.8
4. Afflictus eſt Ionas afflictione magna,& orauit,&c.c.7.ſ.2. a.4.n.4.

MICHEÆ

Cap. 1. Dilata, vt aquila, caluitium tuum, &c. c.12.ſ.2.a.2.n.3.
Si aperueris cælum, tremor mentes occupabit. c. 6. ſ.1. a.2.n.4.
6. Et ſolicitum ambulare cum Deo tuo. c.1. ſ.5. T. 2.

NAHVM

Cap. 2. Clypeus fortium eius,ignitus, &c.c.8.ſ. 1. a.4.n.6.

HABACVC

Cap. 3. Sol, & Luna ſteterunt,&c. c.10.ſ.1.a.5. n.3.
3. Turbabuntur pelles terræ Madian. c.5.ſ.2.a. 6. n. 4.
Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. L.n. 1.
Ante faciem eius ibit mors. Egredietur Diabolus ante pedes eius.ibi. & n.2.
Stetit & menſus eſt terram &c. incuruati ſunt

colles mundi ab itineribus æternitatis eius, &c.pro iniquitate,&c.ibidem, n.4.
Deus ab Auſtro veniet,&c.P.ſ.2.n.8.

SOPHONIÆ

Cap. 1. Præparauit Dominus hoſtiam: ſanctificauit vocatos ſuos.c.3.ſ.1.T.n.12.

AGGÆI

Cap. 1. Afferte lignum & ædificate domum,&c. c.3.ſ.1.a.5.n.5.

ZACHARIÆ

Cap. 1. Iratus ſum parum, ipſi adiuuerunt in malum,c.1.ſ.8.a.1.n.1.
1 Reuertar ad Hieruſalem in miſericordiis, &c. ibidem.
Perpendiculum extendetur, &c.ibidem.
3. Oſtendit mihi Dominus Iesvm Sacerdotem magnum.P.ſ.5.n.6.
Ecce quatuor quadrigæ egredientes, &c. c.1.ſ.6.a.8.n.4.
Poſuit cor ſuum vt adamantem, c.7.ſ.3. a.1. n.9
Exulta filia Sion,&c.Ecce Rex tuus venit,&c. c.8.ſ.1.a.4.n.14.
13. Et erit in die illa, confundentur prophetæ c.3.ſ.2.a.6.n.6.
14. Et erit neque dies, neque nox,&c.c.10.ſ.1. a.4. Appen. n.16.
Anathema non erit ampliùs,c.6.ſ.2.a.1.n.4.

EX LIB. I. MACHABÆORVM.

Cap. 3. Facile eſt concludi multos in manu paucorum,c.1.ſ.6.a.1.n.6.

EX II.

Cap. 1. Vt & vos agatis diem ſcenopegiæ, & diem ignis, qui datus eſt, quando Nehemias, &c.c.5.ſ.2.a.8.n.2.
2. Veniens Hieremias, inuenit locum ſpeluncæ: & tabernaculum,& Arcam,&c.& oſtium obſtruxit, &c. P.ſ.6.n.5.&,c.3.ſ.1.a.5.n.2

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HIS COMMENTARIIS ILLVSTRANTVR EX NOVO TESTAMENTO.

EX EVANGELIO MATTHÆI

CAP. 1. IVDAS genuit Phares & Zaram de Thamar, c.7. ſ.1.a.2.n.1.
Salmon autem genuit Obed.&c.c.6.ſ.3.T.8.
Et non cognouit eam, donec peperit, &c.c. 3.ſ.1.a. 5.n.3.
2. Procidentes adorauerunt eum, &c. c.7.ſ.2.a. 3.n.1. &c.
3. De lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, c.4.ſ.1. T.n.8.
Pœnitentiam agite, &c. c.5.ſ.2.a.5.n.3.
Parate viam Domini, c.1.ſ.8.a. 8.n. 4.
4. Secutæ ſunt eum turbæ à Galilæa & Decapoli, c.1.ſ.3. a.2.n.9.
Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. P. ſ.6.n. 2.
Si Filius Dei es, dic vt lapides, &c. c.2.ſ.2.a.4.n.1
Patrem habemus Abraham. c.7.ſ.1.T.4
Si Filius Dei es, c.8.ſ.1.a.6.n.14.
5. Cùm offers munus tuum ante altare, &c.c.8. ſ.2.a.2.n.9.
Si dextera tua ſcandalizauerit te, &c. c.7.ſ.1.a.4. n.2.
Si quis te percuſſerit in dextera maxilla, c.7.ſ.2.a. 1.n.7.
9. Iudicantes duodecim tribus Iſrael, c.4.ſ.1.a. 4.n.6.
10. Nolite cogitare, qualiter aut quid loquamini, &c.c.2.ſ.1.a.1.n.1.
12. Abiit Ieſus per ſata Sabbatho, c. 5.ſ. 2.a.1.n.6.
Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo, c.6.ſ.1.a.5.n.14.
15. Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam, & c. c.5.ſ.5.T.13.
16. Tu es Petrus & ſuper hanc petram, c.4.ſ. 1.a. 4.n.5.
Tibi dabo claues, &c. c.5.ſ.2.a.3.n.6
17. Reſplenduit facies eius ſicut Sol, &c. c.10.ſ. 1.a.4.ann.4. append.n.19.
18. Væ autem homini illi, per quem ſcandalum venit, &c. c.1.ſ.8.a.3.n.2. & 4
20. Calicem quidem meum bibetis, &c. P. ſ.6. n.10.
21. Malos malè perdet, & vineam, &c. c.12.ſ.2. A.2.n.2.
Meretrices, & publicani præcedent vos in Regnum Dei, &c. P.ſ. 2. n.9.
Et ſepe circumdedit ei, &c.c. 1.ſ.6.a.7.n.1.
Publicani & meretrices præcedent vos, &c. c. 2.ſ.1.a.4.n. 3.
23. Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol, &c. c.3.ſ.2.a. 3.n.5.
Dilatant enim phylacteria ſua, &c.c.1.ſ.6.a.5.n.5
24. Duo erunt in agro, vnus aſſumetur, &c. duæ molentes, &c.c.2.ſ.3.a.2.n.4.
Erunt ſigna in Sole & Luna, c.5.ſ.1.a.1.n.6.
Apparebit ſignum, &c. & plangent omnes tribus, c.8.ſ.1.a.1.n.10
Habetis cuſtodiam, &c. cuſtodite ſicut ſcitis, c.8. ſ.1.a.6.n.6
25. Diſcedite à me maledicti, c.2.ſ.6.a. 7.n.5
26. Non introierunt prætorium, ne contaminarentur, c.5.ſ.2.a.18.n.5
Ieſũ quæritis crucifixũ, ſurrexit, &c. c.6.ſ.2.a.1.n.5
Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, c.7.ſ.1. T.1.
27. Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, &c.c.11 ſ.2.a. 4. n. 3.
Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, &c.c.2.ſ. 4.T. 3
Sanguis eius ſuper nos, & filios noſtros Ibid.
Vas ergo poſitum erat aceto plenum, &c.c. 7.ſ.3. a.1.n. 1.
Ab hora ſexta, &c. Tenebræ factæ ſunt, c.10.ſ.2. a.4.in Append.eiuſdem ann.n.16.
Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, &c. c.6.ſ. 3. T.16.
28. Veſperè autem Sabbathi quæ luceſcit in prima Sabbathi, &c.c.5.ſ.2.a.16.n.6
vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas, &c. Euntes, docete omnes gentes, &c.c.1.ſ.7.a.3.n.3.

EX MARCO

Cap. 1. Si Filius Dei es, &c.c.2.ſ.2.a 4.n.1.
7. Inter medios fines Decapoleos, c.1.ſ.3.a.1. n. 5.
8. Qui non accipit crucem ſuam quotidie, &c. c.8.ſ.1.a.6.n.18.
11. Iam non ex te quiſquam fructum manducet, c.6.ſ.3.a.5.n.12.
14. Prima die azymorum, quando Paſcha, &c. c.5.ſ.2.a.17.n.1.
Venit in domum Simonis leproſi, &c.c. 2.ſ.1.a. 2.n.1.
15 Verè homo hic, Filius Dei erat, c.1. ſ.8.a.8.n.7
Erat paraſceue, quod erat ante Sabbathum, c.5.ſ.2.a.18.n.6
vlt. Euntes in mundum, &c. prædicate Euangelium omni creaturæ, c.1.ſ.8.a. 1. n.6.

EX LVCA

Cap. 1. Ecce Ancilla Domini, &c. c.1.ſ.2.a.1 num.3

2. Accepit eum Simeon in vlnas, c.2.ſ.1.a.2.n.5
Completi ſunt dies vt circuncideretur puer, c.5. ſ.1.a.7.n.3. &c.
miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam, &c.c. 5.ſ.3.a.2.n.1
7. Mulier in ciuitate peccatrix, c.2.ſ.1.a.1.n.3
9. Ite in mundum vniuerſum, &c.c. 1. ſ.7.a. 3.no.3
10. Domine, etiam dæmonia ſubiciuntur nobis, &c.c.1.ſ.2.a.3.n.5.
11. Beati qui audiunt & cuſtodiunt illud, c. 1.ſ. 8.a.2.n.6
13. Niſi pœnitétiam egeritis, omnes ſimul peribitis c.7.ſ.1.a.2.n. 6
Multi recumbent cum Abraham, Iſaac, &c.c. 2.ſ.2.a.3. n. 5. & ſ.4.a. 1.nu.4
14. Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur, c.1.ſ.5. a.4.n.15
15. Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore, &c.c.5.ſ.2.a.9.n.4
18. Ieiunabis in ſabbatho c.5.ſ.2.a.1.n.12, &c.& a.14.n.5
Factum eſt autem in ſabbatho, ſecundo primo, &c.ibid.n.6
19. Cùm appropinquaret ciuitati, fleuit, &c.c.2. ſ.2.a.6.n.2
Zachæus ſtatura puſillus erat, &c. c.1.ſ.5.a.4. n.16.
21. Erunt ſigna in Sole & Luna, c.10.ſ.1.a.4. append.n.18
22. Appropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha, &c.c.5.ſ.2.T.n.10
Venit dies azymorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha c.5.ſ.2.a.17.n.1
23. Dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat, c.5.ſ.2.a.16.n.7
Meméto mei dum veneris in regnum tuum, c.7.ſ.3.a.2.n.7.& 8
24. Nõne cor noſtrum ardens erat dum loqueretur, &c.c.2.ſ.4.a.1.n.5.

EX IOHANNE

Cap. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, c.2.ſ.1.a.3.n.6
Non ſum dignus, vt eius ſoluam corrigiam, &c.c.5.ſ.3.a.7.n.1
Cùm guſtaſſet Architriclinus aquam vinum factam, &c.c.5.ſ.2.a.24.n.2
Soluite templum hoc, & in triduo, &c. c.2.ſ.2. a.3.n.7.
Ante diem feſtum Paſchæ c. 5.ſ. 2.a.17.n.1. &c. Item.a.18.n.8.
5. Ecce ſanus factus es, iam ampliùs noli peccare.c.6.ſ.2.a.4.n.4.
6. Quæritis me, non quia videritis ſigna, ſed quia ſaturati eſtis, c.5.ſ.2.a.25.n.1
Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, & cæt.ibidem.n.3
Non Moſes dedit vobis panem de cœlo; ſed Pater meus.ibidem.
Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.c.5.ſ.2.a. 24.n.5
Cùm ſubleuaſſet oculos IESVS c. 12.ſ.1.a. 2.n.2
8. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, c.1.ſ.6.a.2.n.1
Nónne bene dicimus nos, &c. quia dæmonium habes? c.6.ſ.2.a.1.n.6.
Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati c.9.ſ.2. a.5.n.6
9. Nos Moſis diſcipuli ſumus, P.ſ.6.de laudibus Moſis, n.7
10. Quouſque animam noſtram tollis? c. 5.ſ.2. a.6.n.9
Facta ſunt encænia Hieroſolymis, & hyems erat, c.5.ſ.2.a.9
11. Erat Bethania ab Hierus. quaſi ſtadiis quindecim, &c.c.5.ſ.2.a.1.n.4
13. Linteo præcinxit ſe c 1.ſ.2.a.1.n.3
Nunc clarificatus eſt filius hominis c. 7.ſ. 3.a. 7.n.11
14. Et, ſi abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam & aſſumã vos ad me, P. ſ.2.n.8
Docebit vos omnia, &c.P.ſ.7.n.1.tit.de inſcriptione Libri
16. Confidite; ego vici mundum c.6.ſ.1. a.1.n.5
Cùm venerit paraclitus ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, &c.c.1.ſ.7.a.3.n.2
Si filius Dei es, deſcende de cruce c. 8.ſ.1.a. 3.n.4
20. Vna ſabbathi Maria Magdalene cùm adhuc tenebræ eſſent, venit ad monumentum c. 3.ſ. 1.T.n.2
Noli me tangere c.1.ſ.8.a.2.n.7
21. Sic eum volo manere, donec veniam, P.ſ. 6.n.9

EX ACTIS APOSTOLORVM

Cap. 1. Hic IESVS qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet, &c. duo viri in veſtibus albis, &c.c. 8.ſ.1.a.4.n.6
Igitur qui conuenerant, interrogabant, &c. Domine, ſi in tempore hoc? &c.c.7.ſ.2.a.51. nu.6
Viri Galilæi, quid hic ſtatis? c. 5. ſ.1. T.n.13
Sabbathi habens iter, &c.c.5.ſ.2.a.1.n.3.& 4
2. Dum complerentur dies Pentecoſtes c. 5.ſ. 2.a.3.& cæt.
2. Factus eſt repente de cœlo ſonus, &c.c.1. ſ.8. a 1.n.2
5. Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum c.7.ſ.3.a.6.n.1.2, &c.
7. De Abraham, &c. cùm eſſet in Meſopotamia priùs quàm moraretur in Charan. c.1.ſ.3. a.1.n.2
Exiſtimabat (ſcil. Moſes) intelligere fratres quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem c.2.ſ.2.a.6.n.7
8. Eunuchus Candacis Reginæ, & cæt. tamquam ouis, & cæt. a.19.n.6. quaſi agnus, &c.c. 5.ſ.2.a.6.n.3
13. Deus plebis Iſrael elegit patres noſtros, & plebem exaltauit, cùm eſſent incolæ in terra Ægypti, & cæt. ſorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt 450. annos, &c. P.ſ.5.n. 2.3.&c.
Dedit illis Saul filium Cis virum de tribu Beniamin annis 40.ibid.n.5
Ingreſſi vna ſabbathorum ſederunt c.5.ſ.2.a.1. nu.7
18. Erant autem ſcenofactoriæ artis, &c. c.5.ſ.2. a.6.n.3
19. IESVM ſcio, & Paulum noui: vos autem, qui eſtis? c.11.ſ.2.a.1.n.3

EX EPIST. AD ROMANOS

Cap. 1. Et inter ſe inuicem cogitationibus accu-

ſantibus & defendentibus,c.5.ſ.1.a.t.n.6.
2. Quicumque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt c.1.ſ.6.a.7.n.4
Iudæo primum & Græco.c.9.ſ.1.a.1.n.6
Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.c.11.ſ.2.a.3.n.4
6. Chriſtus qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.c.1.ſ.5.a.4.n.10
7. Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me.c.1.ſ.6.a.3.n.2
8. Nec enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore,&c.ſed, &c.in quo clamamus, Abba,Pater.c.1.ſ.2.a.1.n.3
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?c.6.ſ.2.a.4.n.1
11. Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.c.11.ſ.2.a.4.n.4
16. Deus pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris.c.12.ſ.2.a.1.n.2

EX I. AD CORINTHIOS

Cap. 1. Iudæi ſigna petunt, &c.c.1.ſ.7.a.5.n.4
5. Auditur inter vos fornicatio, & cet. c.11.ſ.2.a.4.n.3
9. Omnis,qui in agone contendit, &c c.7.ſ.2.a.1.n.6
10. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra,&c.c.1.ſ.1.T.n.5
Omnes in Moſe baptizati ſunt.c.1.ſ.7.a.7.n.2
Petra autem erat Chriſtus.c.5.ſ.1.a.2.n. 6.& 7
Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, c.5 ſ.2 a.24. n.6.
Eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt. ibidem
11. Debet mulier velamen habere,etiam propter Angelos.c.3.ſ.1.T.15
13. Videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate. P.ſ.6. tit.de laud. Moſ.n.7
14. Qui Prophetat,Eccleſiam Dei ædificat.c.1.ſ.5.a.n.4 n.13
15. Vbi eſt mors,ſtimulus tuus?l.n.2
16. De collectis autem,quæ fiunt, & cet. c.5.ſ.2.a. 7.n.3

EX II. AD CORINTHIOS

Cap.12. Scio hominem in Chriſto,&c.raptum huiuſmodi vſque ad 3. cœlum. P. ſ.6. tit. de laud.Moſ.n.7

EX EPIST. AD GALATAS

Cap. 2. Quomodo tu,&c.cogis gentes Iudaizare c.1.ſ.8.a.3.n.3
Subintrauerunt explorare libertatem noſtram.c.2.ſ.1.a.1.n.2.
3. Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris.c.5.ſ.3.a.3.n.5
6. Mihi abſit gloriari,niſi in cruce Domini noſtri,&c.c.8.ſ.1.a.6.n.18

AD EPHESIOS

Cap. 2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum,&c.c.4.ſ.1.a.4.n.2
3. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis,quæ ſit latitudo & longitudo,&c.c.8.ſ.1.a.5.n.10

AD PHILIPPENSES

Cap. 2. Dedit ei nomen , quod eſt ſuper omne nomen.c.1.ſ.8.a.t.n.4.&c.4
3. Quæ ſurſum ſunt quærite,vbi Chriſtus eſt,& cæt.c.1.ſ.3.a.3.n.8

AD COLOSSENSES

Cap. 3. Mortificate membra veſtra,quæ ſunt ſuper terram.c.12.ſ.2.a 2.n.3

AD THESSALONICENSES

Cap. 4. Rapiemur obuiam Chriſto in aëra , & ſic ſemper cum Domino erimus. c. 3. ſ. 2. a. 10.n.1
Ipſe dominus in iuſſu, &c. & in tuba Dei deſcendet de cœlo , & mortui , qui in Chriſto ſunt,reſurgent primi.c.6.ſ.1.a.5.n.15

I. AD TIMOTHEVM

Cap. 4. Dum venio,attende lectioni.c.6.ſ.1.a 5 n 4
Cauteriatam habentium conſcientiam.c. 11. ſ 2.a.4.n.4

II. AD TIMOTHEVM

Cap. 3. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum,&c.l.n 1
Quemadmodum Iannes & Mambres reſtiterunt Moſi,&c.c 3 ſ.1 a.4 n 4
4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, c. 3. ſ. 2.a. 3.n.5
Liberauit me de ore leonis,c.6.ſ.3.a.3.n.5
Alexander ærarius ; reddet illi Dominus ſecundùm opera eius,&c cap 6.ſ.3.a.5.n.11

AD TITVM

Cap. 3. Eramus aliquando nos inſipientes , increduli, errantes,&c.c.10.ſ.1.a 1.n 4

AD HEBRÆOS

Cap. 1. Multifariàm , &c. locutus eſt nobis in Filio,c.1.ſ.6.a.2.n.2
2. Propter paſſionem mortis , gloria & honore coronatus eſt.c.4 ſ.1.a.4.n 1
Nuſquam Angelos apprehendit , c. 6.ſ.2.a. 1. n.5
6. Abrahæ namque promittens Deus,&c iurauit per ſemetipſum , &c. multiplicabo te, &c.c.1.ſ.6.a.2.n.1
9. Tabernaculum quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habens thuribulum,&c.c.3.ſ.1.a. 4.n.1.& 4
In priori tabernaculo ſemper introibât Sacerdotes,&c. ſolus ſummus Pontifex ſemel in anno,c 8 ſ.2.a.2 n.6
11. Iuxta fidem defuncti ſunt iſti , non acceptis repromiſſionibus,c.1.ſ.6.a.2.n 2
Spem quam ſicut anchoram habemus ,&c.c 1.ſ.6.a.2 n.3.& 5
Secundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus,c.1.ſ.6.a 2.n.6
Præcurſor pro nobis,c.1.ſ.6 a.1.n.5

13. Habemus

13. Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. c.8.ſ.2.a.1.n.12

EX I. PETRI

Cap. 2. Omnis Prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit, &c.l.n.1
3. Octo animæ ſaluæ factę ſunt per aquam. c.5.ſ.1.a.7.n.7

EX II. PETRI

Cap. 1. Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, &c.c.6.ſ.1.a.5.n.4.

EX I. IOANNIS

Cap. 1. Si dixerimus, quia peccatum onn habemus, &c. veritas in nobis non eſt.c.7.ſ.2.T.11
2. Mundus peribit, & omnia quæ in mundo ſunt.c.6.ſ.1.a.4.n.5
5. Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt & concupiſcentia oculorum, c.6.ſ.1.a.1.n.5

IVDÆ APOSTOLI

Cap. 1. Cùm Michael Archangelus cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moſis corpore, &c. Non eſt auſus, &c. Imperet tibi Deus, &c.P.ſ.6.n.4
Hi autem quęcunque ignorant, blaſphemant. ibid.

APOCALYPSIS B. IOANNIS

Cap. 4. Et Iris erat in circuitu Throni, &c. c.4.ſ.1.a.4.n.5.§.4
5. Vidi Agnum ſtantem, habentem cornua.7. & oculos 7. qui ſunt 7. ſpiritus Dei miſſi. & cæt.c.5.ſ.1.a.4.n.2
6. Vſquequò Domine non vindicas ſanguinem? &c.c.5.ſ.2.a.10.n.3
Et ecce equus pallidus c.1.ſ.6.a.8.n.4
10. Oportet te iterum prophetare gentibus, &c.P.ſ. 6. n. 2. monebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiá egeris. P.ſ.6.n.8
11. Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus 1260. amicti ſaccis, &c. Hi ſunt duæ oliuæ.P.ſ.6.n.6
12. Signum magnū in cœlo; & ecce draco, &c. c.5.ſ.2.a.5.n.3
18. Væ, væ, ciuitas illa magna, Babylon.c.6.ſ.1.a.2.n.2
19. & 22. Cecidi ante pedes eius, vt adorarem, c.5.ſ.3.T.10
Conſeruus tuus ſum, &c. ibid.
21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, c.4.ſ.1.a.4.n.6

INDEX

INDEX ANNOTATIONVM MORALIVM, QVÆ AD SACRÆ IOSVE HISTORIÆ VBERIOREM EXPLICATIONEM ET SACRARVM CONCIONVM vſum, ſingulis huius operis capitum ſectionibus adhibentur.

Litera P. ſignificat præfationem, C. caput, S. ſectionem, T. textum, A. annotationem, N. numerum.

PRÆFATIO

Continet 8. Sectiones.

1. *DE Ioſue imperio, & pietate anacephalæoſis.*
2. *De nomine & factis Ioſue, Ducis Hebræorum clariſſimi, qui multis modis Chriſti Domini figura fuit.*
3. *Quam autoritatem habeat apud Hebræos liber Ioſue; & à quo ſcriptus ſit?*
4. *A quo fuerit Ioſue liber in Latinam linguam translatus?*
5. *De annis, quibus in Ægypto vixit Iſraeliticus populus.*
Quiſnam fuerit illius ſtatus, imperante Ioſue?
6. *De morte Moſis & ſucceſſione Ioſue.*
7. *Inſcriptio libri Ioſue.*
8. *Vita Ioſue.*

CAP. I. LIB. IOSVE

Continet ſectiones octo.

Sectio I. continet annotationes quatuor.

1. *AN in vigilia locutus ſit Deus cum Ioſue?*
2. *Cur Ioſue dicatur Miniſter Moſis?*
3. *An vocabulo Domini loquentis intelligatur perſona diuina?*
4. *Cur Deus tam benignè alloquatur Ioſue?*

SECTIO II.

Continet annotationes quatuor.

1. *QVare dicatur Moſes iterum ſeruus Dei?*
2. *Gloriatur Deus in ſeruis ſuis, nedum in Moſe.*
3. *De Iordane, quem iubetur Ioſue tranſmittere.*
4. *Promittitur Iſraelitis terra Chanaan, tranſito Iordane.*

SECTIO III.

Continet annotationes duas.

1. *DE Syriæ partibus, quarum vna eſt terra promiſſionis, de qua agimus.*
2. *De ſeptima parte Syriæ, quæ terra promiſſa fuit Hebræis, & illius nominibus.*

SECTIO IIII.

Quatuor continet annotationes.

1. *QVinam ſint termini terræ promiſſionis iuxta diuerſas aſſignationes ſacræ ſcripturæ?*
2. *Quare Iudæi totam terram promiſſam initio non occupauerint?*
3. *Quàm exiguis finibus contineatur terra promiſſa, de qua Iudæi gloriantur? & cur aliis gentibus toties fuerit tradita?*
4. *Quarè Paleſtina ſiue terra promiſſionis Regio tantopere commendetur?*

SECTIO V.

Quatuor continet annotationes.

1. *QVod auxilium, & quandiu duraturum Deus Ioſue promittit?*
2. *Magnum beneficium fuit, Moſen, & Ioſue in Hebræorum Principes à Deo eligi.*
3. *Nõ potuiſſe Ioſue ſine præſenti Dei auxilio peruicacem Hebræorum gentem rectè gubernare.*
4. *Explicantur illa verba:* Sicut fui cum Moſe, ita ero tecũ, nõ dimittã, nec derelinquã te, *&c.*

SECTIO VI.

Octo continet annotationes.

1. *COnfortat, & præficit Deus Ioſue diſtributioni terræ, quam promiſerat patribus.*
2. *De promiſſione iurata patribus, dandi eorum poſteris terram, iuxta interpretationem D. Pauli ad Hebræos. 6*
3. *De confortatione neceſſaria Ioſuè, vt obſeruet omnem legem.*
4. *Quam legem ſignificauerit Deus præcepiſſe Moſen Ioſue obſeruandam.*
5. *Commendatur legis obſeruatio, lectio, & meditatio, populo Dei.*
6 *Vtilitas meditationis aſſiduæ diuinæ legis.*
7. *Quanti facere debeamus legem Euangelicam, commendatio legis ſcriptæ nos admonet.*
8. *De tertia confortatione neceſſaria, vt Ioſue omnem abiiciat timorem.*

SECTIO VII.

Septem continet annotationes.

1. QVinam dicantur Principes populi, qui annuntiaturi erãt præparationem ad tranſitum Iordanis,intra triduum indictam?
2. Quinam cibi iubeantur præparari ad Iordanis tranſitum,Mannáne,an alij?
3. Quid ſignificetur per præparationem trium dierum ante tranſitum Iordanis?
4. An Ioſue diuinam ſequutus diſpoſitionem dixeris; poſt diem tertium tranſibitis Iordanem?
5. Verúmne ſit quod narrat hiſtoria ſcholaſt. expectaſſe tres dies,Hebræos,vt diminuerentur aquæ Iordanis,& vt moueretur nubes?
6. De fœdere inito à Moſe cum Ruben, Gad, & dimidia tribu Manaſſe.
7. De myſtica ſignificatione auxilij, quod præſtiterunt duæ,& ſemis tribus fratribus ſuis.

SECTIO VIII

Tres continet annotationes.

1. PErfectam obedientiam promittunt Rubenitæ, & Gaditæ ſuo Duci, dicentes,omnia quæ præcepiſti nobis,faciemus.
2. De obedientia prælatis debita, quid Patres ſentiant.
3. Principes præire debent exemplo ſubditis, quibus imperant.

CAP. II

Quatuor continet ſectiones.

SECTIO I

Annotationes quatuor continet.

1. REctène fecerit Ioſue,mittens exploratores?
2. Quomodo tranſierint exploratores Iordanem,& domum Rahab elegerint?
Rahab an fuerit caupona?
3. Cur Chriſtus de obſcuris, aut flagitioſis progenitoribus,qualis fuit Rahab,naſci voluerit?
4. De myſtica ad Rahab exploratorum miſſione.

SECTIO II

Sex continet annotationes.

1. HEbræorum opinio de occultatione exploratorum,quibus fauet Lyranus.
2. De mendacio, quo vſa eſt Rahab ad occultandos exploratores.
3. An Iacob excuſari poſſit ab officioſo mendacio, dicens: Ego ſum primogenitus tuus Eſau?
4. An peccauerit Iacob,piloſas manus ſimulans?
5. Peccaueritne leuiùs Rahab mentiendo,an Ægyptiæ obſtetrices?
6. An Rahab,abſcondens exploratores,rea ſit proditionis patriæ?

SECTIO III

Annotationes quinque continet.

1. QVomodo nouerit Rahab tradendam terram Hebræis? ait enim: Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram?
2. Potueritne Rahab naturaliter cognoſcere vim, & Omnipotentiam quam hic Deo attribuit?
3. An ratum, & firmum fuerit iuramentum,ab exploratoribus præſtitum, de incolumitate Rahab & illius domo?
4. Cur non petierint exploratores à Rahab,ſe illos non prodituram?
5. De conſilio Rahab,dicentis exploratoribus: Ad montana conſcendite.

SECTIO IV

Duas continet annotationes.

1. AN ſit aliqua alluſio Cant. 4. in illis verbis: Vitta coccinea labia tua,ad funiculum coccineum,de quo hic agitur?
2. Allegoria funiculi coccinei, quo ſignificatur Chriſti ſanguis in mundi ſalutem effuſus.

CAP. III

Duas continet ſectiones.

SECTIO I

Sex continet annotationes.

1. CVr Ioſue præceperit,arcam antecedere,nulla facta de nube mentione?
2. De nomine & fabrica Arcæ, quam præcedere Ioſue iuſſit.
3. Quid ſit propitiatoriũ,Arcæ fœderis impoſitum?
4. Quid incluſum fuerit in Arca fœderis tempore Ioſue?
5. Fueritne hæc ipſa Arca, quam Ioſue præcedere iuſſit,in primo & ſecundo templo collocata?
6. An Dominus immediatè locutus fuerit cum Ioſue,dicens: Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael, &c. & qualis promittatur exaltatio?

SECTIO II

Continet annotationes decem.

ANte annotationem primam quæritur, quare mare ſolitudinis & mare mortuum,dicatur lacus,in quem influit Iordanis?
1. Habueritne Ioſue iuriſdictionem aliquam ſuper ſacerdotes?
2. Habeántne in lege gratiæ Principes laici poteſtatem in ſacerdotes & res Eccleſiaſticas, ſicut olim habuit Ioſue?
3. De Arcæ fœderis veneratione, & myſtico ſignificatu.
4. An præter Arcam fœderis, Arca oſſium Ioſeph tranſierit Iordanem?
5. Audiueritne Ioſue intra ſancta ſanctorum, an extra Deum loquentem?
6. An Iſraelitæ ſine haſitatione ſperare poſſent extinctionem Chananæorum,eo tantùm, quòd Ioſue id Iordanis diuiſione confirmaret?
7. An vera ſint, quæ Ioſephus ſcribit de diuiſione & tranſitu Iordanis?
8. De origine & incremento Iordanis.
9. Miraculum diuiſionis aquarum maris rubri & Iordanis.
10. Exponitur allegoria tranſitus Arcæ, & populi Hebræi per Iordanem.

CAP. IV

SECTIO VNICA

Quatuor continet annotationes.

1. POtueritne Arca fœderis, & populus ſine miraculo tranſire Iordanem?
2. De ſignis,quibus Deus ſua beneficia conſeruari apud homines voluit?
3. Vtrùm erectio lapidum,facta iuſſu Ioſue, cõtraria ſit legi,Leuit. 26. Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem.
4. Quid per duodecim lapides magnos,in Iordano & in Galgalis erectos,ſignificetur?

CAP. V

Tres continet ſectiones.

SECTIO I

Annotationes nouem complectitur.

1. *VNdenam potiſſimùm ortus ſit metus, quo conſternati ſunt Reges Chanaan ſub aduentum Hebræorum?*
2. *An Iudæis præceptum fuerit aut conſuetudo vtendi cultris lapideis in circumciſione?*
3. *An Sephora caſu, vſa fuerit cultro lapideo, Exod. 4. in circumciſione filij ſui, ne Moſes occideretur?*
4. *Quanti Deus fecerit olim præceptum circumciſionis, oſtenditur ex comminatione Angeli, facta Moſi, ob filium incircumciſum.*
5. *An omiſſio circũciſionis in deſerto, expers culpæ fuerit?*
6. *Cur Deus tranſito Iordane præceperit ſecundam circumciſionem, quadraginta annis intermiſſam?*
7. *Poteritne a quolibet miniſtro Iudæus, vel etiam à ſe ipſo circumcidi: Item de Chriſti Domini circumciſione.*
8. *Explicãtur verba Exod. 4. in quibus agitur de Sephora poſt circumciſionem filij ſui, quæ ſic habent:* Tetigitque pedes eius, & ait, ſpõſus ſanguinum tu mihi es: & dimiſit eum, poſtquam dixerat: ſponſus ſanguinum tu mihi es ob circumciſionem.
9. *Vocatúmque eſt nomen loci illius, Galgala, vſque ad præſentem diem.*

SECTIO II

Annotationes 24. complectitur.

1. *DE ſabbati nomine, ſanctitate, & antiquitate.*
2. *De Neomeniis, ſiue Kalendarum feſto.*
3. *De feſto Pentecoſtes, ſiue hebdomadarum.*
4. *De ſolennitatibus menſis ſeptimi, videlicet tubarũ, Expiationis, Tabernaculorum, cœtus, ſiue collecta.*
5. *De altera celebritate menſis Septembris, hoc eſt, de die expiationis.*
6. *De tertia celebritate menſis Septembris, hoc eſt, tabernaculorum, ſiue ſcenopegia.*
7. *De quarta celebritate menſis Septẽbris, quæ cœtus, ſiue collecta appellatur.*
8. *An præter celebritates præcedentes, aliæ fuerint in veteri teſtamento?*
9. *Dies encæniorum, ſiue templi dedicatio.*
10. *De die cædis Nicanoris.*
11. *De die Mardochæi, ſiue ſortium.*
12. *Sitne paſcha, ſiue phaſe, eadem celebritas cum feſto azymorum?*
13. *An menſis, in quo iubetur immolari agnus, fuerit primus.*
14. *De menſe Niſan, qui primus eſt Hebræis, aliorúmque menſium nominibus?*
15. *Cur voluerit Deus, vt agnus immolandus à decima die Domini ſeruaretur.*
16. *Quodnam diei tempus ſignificetur, cùm dicitur factum fuiſſe phaſe quarta decima die ad veſperum.*
17. *Concilietur D. Ioannes dicens, Chriſtum cœnaſſe* ante diem feſtum Paſchæ, *cum cæteris Euangeliſtis, qui ſcribunt, Chriſtum comediſſe paſcha primo die azymorum.*
18. *An Chriſtus celebrauerit paſcha in poſteriori veſpera diei decimi quarti, ſicut præſcriptum erat Iudæis.*
19. *Vera ſententia de die, quo Chriſtus celebrauit paſcha.*
20. *An præter agnum potuerit in phaſe immolari hœdus, vel aliud animal.*
21. *Et comederunt de frugibus terræ, die altero azymos panes, & polentam eiuſdem anni.*
Cur voluerit Deus celebrari azyma.
22. *Quonam die manna pluerit in deſerto, & in quo defecerit?*
23. *Cur Iudæi deficiente manna, nullum triſtitiæ ſignum ediderunt?*
24. *Quam benignè Chriſtus pro manna deficiente, manna abſconditum in lege gratiæ nobis donauerit.*

SECTIO III

Continet annotationes octo.

1. *NVm oratione, & lacrymis impetrauerit Ioſue à Deo Angeli apparitionem, quemadmodum Iacob & alij Patres?*
2. *Cur Angelus, euaginato gladio, Ioſue apparuerit?*
3. *Fueritne is, qui Ioſue apparuit, filius Dei? an potiùs Michael, aut Gabriel?*
4. *Ex quo Angelorum ordine ſit Michael, qui ſe dicit Principem exercitus Dei, & quomodo venerit auxilio Gabrieli?*
5. *Quiſnam fuerit Princeps Regni Perſarum, qui viginti & vno diebus reſtitit Michaeli?*
6. *Myſtica aliquot interpretationes, cùr Moſes & Ioſue iuſſi fuerint ſoluere calceamenta.*
7. *An Chriſtus Dominus vſus ſit calceis, quemadmodum Moſes & Ioſue vſi ſunt?*
8. *Cur Ioſue non interrogauerit ad quem vſum ſpectaret imperata pedum nuditas?*

CAP. VI

Tres continet ſectiones.

SECTIO I

Quinque continet annotationes.

1. *EXpugnatio Hiericho duce Ioſue ſignificat victoriam, quã Eccleſia, duce Ieſu, nunc reportat, perfectam in fine mundi reportatura.*
2. *Cur Hiericho, funditus Dei iuſſu euertenda, toties ante euerſionem iubetur circumdari?*
3. *Vociferatione populi, & tubarum ſono cadentes muri, indicant quantum valeant ad mundi, & peccati deſtructionem concordiæ affectus, & ſacerdotum prædicatio.*
4. *Quare populo ſilentiũ indicitur, non verò ſacerdotibus?*
5. *De feſto anni quinquageſimi, qui Iubileus dicitur; & quales fuerint ibi cæna, quarum in iubileo vſus eſt. Deriuatio, & ſignificatio iubilei. n. 10.*

SECTIO II

Annotationes ſex complectitur.

1. *QVanam ſignificatione vſurpet ſacra ſcriptura vocem Anathema?*
2. *An Anathema ſimile fuerit excommunicationi, & quomodo à veteribus impoſitum ſit.*
3. *Cur Hebræi Deo obtulerint Hiericho potiùs, quàm aliam vrbem terræ promiſſæ. Et nihil ceſſerit expugnatoribus, ſicut metalla Deo?*
4. *Quantam fiduciam ſalutis æternæ à Deo ſperandæ peccatrici animæ, vera ad Deum conuerſio afferat, clamante Ioſue, qui Redemptoris noſtri typus eſt:* viuat Rahab meretrix!
5. *Quonam pacto pro vnius peccato, tota aliquando punitur communitas?*
6. *Quomodo Hiericho euerſa ab Hebræis ſignificet vrbis euerſionem, in qua ſua peccatum habet præſidia.*

SECTIO III

Sex continet annotationes.

1. *Vtrũ muri Hiericho à Deo abſq; vllo Angelorũ miniſterio*

ſterio diruti ſint, antequam vrbs incenderetur.

2. *An ſoli repoſita fuerint in theſauris domus Domini, quatuor metalla hic ennumerata.*
3. *Prouidentia Ioſue in conſeruanda Rahab curam indicat Dei, qua illos tuetur, & remunerat, qui fidei bona opera aſſociant.*
4. *An licuerit Salmoni, Principi tribus Iuda, vxorem ducere Rahab Chananæam?*
5. *Quàm varij fuerint olim ritus in imprecationibus adhiberi ſoliti.*
6. *An licuerit Iobo malè precari Diei, in qua natus eſt. ſicut licuit Ioſue, ei maledicere, qui ſuſcitaret Hiericho?*

CAP. VII

In ſectiones tres diſpeſcitur.

SECTIO I

In annotationes quinque diuiditur.

1. *QVomodo propter alienum peccatum aliqui à Deo ſoleant iuſtè puniri?*
2. *Vnde conſtet, Achan fuiſſe nobilem? & quid myſterij lateat in ordine, quo nati ſunt Phares & Zaram, iuxta caput 38. Geneſeos.*
3. *Cur non liceat hominibus iraſci contra innocentes, eóſque, ſicut Deus interdum facit, pro alieno peccato punire?*
4. *Deum interdum iraſci contra populum aliquem, ob peccatum vel vnius hominis non punitum ab eis, qui præſunt, Origenis & Auguſtini ſententia.*
5. *Nihil firmitatis ineſſe in humanis conſiliis, ſi Dei fauore destituamur.*

SECTIO II

In annotationes 11. tribuitur.

1. *QVid apud ſacros, & profanos ſcriptores, veſtium dilaceratio ſignificet?*
2. *Quorſum ſpectarit olim iactatio pulueris, & de more radendi caput & barbam.*
3. *Quo geſtu corporis ſe comparauerint olim patres & viri ſancti ad orandum?*
4. *Explicatur oratio, qua Ioſue pronus in terram cadens, Deum allocutus eſt.*
5. *Quantùm fiat à viris ſanctis diuini nominis gloria? & quodnam potiſſimum ſit nomen Dei magnum?*
6. *Quid ſentiant Hebræi de nomine Dei magno tetragrammaton?*
7. *Cur pro magno nomine ſiue tetragrammaton ponatur Exodi 6. Adonai, cùm dicitur:* Et nomen meum Adonai non indicaui eis.
8. *Peccatum, cauſam fuiſſe cladis, Iſraeli illatæ, diuino oraculo agnoſcit Ioſue, & quam deteſtandum ſit, & fugiendum omne peccatum?*
9. *Quiſnam modus fuerit obſeruatus in applicandis ad Dominum tribubus & familiis per ſortes, vt deprehenderetur reus?*
10. *Quem modum inierit Ioſue in ſortibus ad manifeſtationem rei, publicè educendis?*
11. *Vtrùm vſus ſortium licitus ſit.*

SECTIO III

Annotationes ſeptem complectitur.

1. *PRudentia Ioſue in promouendo Achan ad confeſſionem criminis, ne præ contumacia, cum corpore animi iacturam faceret.*
2. *Quam vtilis fuerit Achan peccati confeſſio.*
3. *Quam deteſtanda ſit auaritiæ labes, quæ Achan ad ſacrilegam impulit rapinam.*
4. *Quomodo iuſtè ducti ſint ad ſupplicium innocentes filij & filiæ Achan vnà cum patre, peccati Reo.*
5. *Cur, cùm Deus præceperit deprehenſum in ſacrilegio igne cremari, Achan lapidum ictibus interfici iuſſus ſit?*
6. *An æquior ſit opinio, quæ Achan ſalutem æternam conſecutum fuiſſe ait, illa, quæ contrarium aſſerit.*
7. *Cur olim extructi fuerint acerui in monumentum pœnarum, quæ aliquibus irrogatæ ſunt flagitiis? & de placato numine morte Achan.*

CAP. VIII

Continet duas ſectiones.

SECTIO I

Annotationes ſex complectitur.

1. *QVæ ciuitas fuerit Hai, de cuius oppugnatione agitur, & quàm timenda ſit ſententia ob ſcelera in populum aliquem pronunciata.*
2. *An licitum ſit in bellis vti inſidiis?*
3. *Eleuatione Clypei, quo ſuos erexit ad pugnam, figura fuit Ioſue Chriſti Domini, Clypeo nos diuinitatis protegentis, & ad victoriam hortantis.*
4. *De myſtica clypei ſignificatione, & de conſtantia Dei in præſtanda iuſtis cœleſti ope.*
5. *Quod genus tormẽti, & quam multiplex fuerit crux, vt intelligatur, qualis ea extiterit, in quam egit Ioſue Regem Hai.*
6. *Poſt fixionem, quomodo Rex Hai, & alij damnati, mortui in cruce fuerint, & ex ea depoſiti?*

SECTIO II

Annotationes tres habet.

1. *QViſnam primum altare Domino ædificauerit, & quid Ioſue permouerit ad erectionem altaris?*
2. *Vnde ſumptum ſit altaris nomen? deque illius vſu. Item quomodo intelligendi ſint aliquot loci ſcripturæ, in quibus agitur de altari?*
3. *An ſolus decalogus ſcriptus fuerit in lapidibus, de quibus hic agitur?*

CAP. IX

Duas continet ſectiones.

SECTIO I

Annotationes duas complectitur.

1. *CVr in enumeratione populorum terræ Chanaan, prætermiſſi ſunt Gergeſæi? & de effectu conſilij Regum Chanaan.*
2. *De inani coniuratione Iudæorum contra Chriſtum, & impiorum contra iuſtos, allegorica interpretatio.*

SECTIO II

Annotationes quinque continet.

1. *CVr Gabaonitæ fraude, quæ citò aperienda erat, vſi fuerint, & de commentis, & idiomate, & peccato illorum.*
2. *Quid ſit, os Domini interrogare? & cur deceptus ſit Ioſue?*
3. *An iuramẽtum, Gabaonitis præſtitum, obligandi vim habuerit?*
4. *An fides ſeruanda ſit iis, qui fraude vtuntur?*
5. *Cautè agendum eſſe cum fallacibus, & quamuis interdum illis parcatur conuincendi tamen ſunt, & aliqua pœna, exemplo Ioſue, plectendi.*

CAP.

CAP. X

Duas continet ſectiones.

SECTIO I

Continet annotationes octo.

1. *CElerituate Ioſue, defendentis Gabaonitas ab exercitu quinque Amorrhæorum Regum, ſignificari Chriſti in ſuis iuuandis celerem aduentum.*
2. *Quomodo immiſerit Deus terrorem ſuper quinque Amorrhæorum Reges, pugnantes contra Gabaonitas?*
3. *Quinam lapides magni fuerint, qui e cælo lapſi Chananæos occiderunt?*
4. *De admirabili ſtatione ſolis ad preces Ioſue.*

Appendix annotationis 4. de pulchritudine Solis, & ſignis, quibus Deus in hoc aſtro oſtendit, cùm ſecundas res, tum aduerſas ſæpè prænuntiat.

5. *An ſtante Sole & Luna, ceſſauerit omnis motus omnium cælorum?*
6. *Fueritne maius miraculum ſolem ſtare, quod accidit ſub Ioſue, an retrocedere, quod contigit ſub Ezechia.*
7. *An præter ſtationem ſolis, factum tempore Ioſue, alia acciderit?*
8. *Acceptis à Deo beneficiis rectè ſe geſſiſſe Ioſue, conſtat ex ſacra hiſtoria; Ezechiam verò non item.*

SECTIO II

Annotationes duas complectitur.

1. *VTrùm inſtinctu diuino permotus fuerit Ioſue ad mortem ignominioſam quinque Regibus, de ſpelunca productis, inferendam?*
2. *Cur Deus promiſſam terræ Chanaan poſſeſſionem Abrahæ, diſtulerit vſque ad tempora Ioſue, qui hic dicitur vaſtaſſe vno impetu Reges & eorum Regiones.*

CAPVT II

Continet ſectiones duas.

SECTIO I

Annotationes tres complectitur.

1. *ALlegorica expoſitio Hiſtoriæ Regis Iabin, vicinos Reges, & populos in Iſraelitas concitantis, ex qua perſpicitur, dæmonis, omnes in nos Tartari furias conuocantis, ſolicitudo.*
2. *Quæ ciuitas fuerit Aſor & Madon: itemque de regno Semeron & Achſaph.*
3. *Cur iubeantur equi ſubneruari, & currus incendi; & de myſtico ſenſu.*

SECTIO II

Continet annotationes quatuor.

1. *DE pugna contra dæmones, impellentes ad diuerſa vitia, & quo modo duce Ioſue ſint conculcandi?*
2. *Quò ſpectet decretum indurationis Regum Chanaan, ob quam indigni miſericordia fuerunt?*
3. *Quid ſit indurare cor? & ob quam culpam Deus dicatur cor indurare?*
4. *Non indurari cor hominis, qui inter ſpem & metum, licèt peccauerit, pœnitentiam agit.*

CAP. XII

Sectiones duas continet.

SECTIO I

Continet annotationes duas.

1. *AN fuerit fas Iſraelitis conſidere trans-Iordanem in terra duorum Regum, quos Moſes bello vicit?*
2. *Cur oculi ſponſæ Cant. 7. comparantur piſcinis Heſebon, cuius hic fit mentio.*

SECTIO II

Annotationes tres complectitur.

1. *REges vocat Origenes per allegoriam, vitioſos affectus & dæmones, quos, duce vero Ioſue, expugnare oportet.*
2. *Moris eſſe diuini, pulſis de loco, in quo habitant ingratis poſſeſſoribus; iuſtos inducere in cæleſtium donorum poſſeſſionem.*
3. *De ſeptem gentibus, quarum regiones promiſſæ fuerant Iſraeli, & de vrbibus, quas Ioſue ex Regibus 31. à ſe deuictis, vindicauit.*

INDEX ALPHABETICVS
RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Littera L. Commendationem hiſtoriæ ad lectorem, P. Præfationem, S. Sectionem, A. Annotationem, T. textum, N. numerum marginalem ſignificat.

A

Aaron.

AARONI negatum fuit beneficium videndi terram promiſſam, quod Moſi ob meritum obedientiæ conceſſum fuit. P ſ 6 n. t.
De peccato, ob quod Deus interdixit Moſi & Aaroni ingreſſu in terrã promiſsã P. ſ. 6 n. 2.
Aaron quomodo Propheta c. 1. ſ 5 a. 4 n. 3.
Aaron interpres Moſis, accipiebat a Moſe, quæ loqui & facere opus erat, ibidem.
Aaroni, & Moſi pœna fuit, terram promiſſam non intraſſe. c. 12. ſ. 3 a. 1. n. 2.
Cur hi duo patres Chananææ deſiderio flagrauerint n. 3.

Abraham.

Abrahæ nepotes non diſſimiles. l. n. 1.
Abrahamus, Pater Iſraelitici populi P. ſ. 5. n 2.
Abrahæ peculiariter promiſſa fuit terra Chanaan, cùm ibi moraretur: cuius poſteri multos annos eam ſunt adepti. P ſ 5 o 3
Abraham nec paſſum terræ ſanctæ poſſedit, locum tantùm emit ad ſepulturam c. 1. ſ 4 a 3 n 8.
Explicatur locus Apoſtoli ad Hebræos. 6. de promiſſione facta Abrahæ, patriæ cæleſtis. c. 1 ſ. 6. a 2. n. 1.
Abraham, ſibi a Deo promiſſa, partim ipſe accepit, partim ipſius poſteri. ibidem.
Abrahæ obedientia, deuotio, &c. c 6 ſ 3 a. 3 n. 4.
Abraham, pater credentium. n. 5 Sinus Abrahæ. ibidem.

Abnegatio & abdicatio.

Abdicatio facta in honorem Dei c. 6. ſ 2. T. 5.
Religioſi, diuitias abdicant a ſe. T. 5.
Iſraelitæ Deo conſecrarunt metalla, &c. T. 6.
Perfectæ abdicationis Typus T 6.
Ad Ieſum accedunt, qui mundo abrenuntiant & pompis. c. 6. ſ 2. a. 6. n. 4 & 5.

Abraſio Capitis & Capillorum.

De more radendi caput & barbam apud varias gentes, & de iactatione pulueris c. 7 ſ 2. a. 2. per totum.
Tonſio capitis, ad luctum pertinet n 5.
Caluitium etiam, & barbæ abraſio n. 3.
Tonſio barbæ, aliquando captiuitatis & opprobrij iudicium fuit n 4
Luſitani antiquiſſimi corpus promiſſo capillo tegebant o 4.
Barbæ & comæ prolixitas, aliquando luctum indicat o 5.
Sacrificati ſolebant capilli o 7.
Milites ſuos Alexander radere barbam cogebat. n. 6.

Academia.

Academiæ, quæ ciuitates ſunt litterarum, cur adeundæ c. 12. ſ [illegible] a 3 n 5.
Cariathſepher, id eſt, ciuitas literarum, capta fuit ab Othoniele, ibidem.

Aceruus.

Aceruus lapidum, eſt ignominiæ nota. c. 7 ſ 3 a. 7. n 5.
Quid ſit aceruus Mercurij, apud Salomonem n. 5.
Aceruus lapidum, res viliſſima ibidem.

Achan.

Non erant Iſraelitæ victuri, niſi puniretur Achan. c. 6. ſ. 2. T. 10.
Sacrilegium in furto Achan c. 7. ſ 1. T. 6.
De domo Achan 36. occiſi ſunt pro numero interfectorum apud Hai T. 14.
Achan ſe, & Tribum ſuam furto fœdauit. c. 7 ſ 2 a. 2. n. 7.
Cur Achan non fugit, videns ſe puniendum: c. 7. ſ. 2. a. 9 n. 4.
Achan pœnituit de furto c. 7. ſ. 3. a 2. n. 2.
Grauiora fuerunt peccata Nabuchodonoſoris, quàm Achan. n 4
Quomodo iuſtè ducti ſint ad ſupplicium filij Achan damnati. c. 7. ſ. 3. a. 4.

Adam.

Adami poſt peccatum, exilium prope Damaſcum, vbi cernitur locus occiſionis Abelis; & conuerſionis D. Pauli. c. 1. ſ. 3. a. 1. n. 10.
Adamum non tam diabolus, quàm ſua ignauia læſit. c. 5 ſ. 1. a. n. 4.
Adam, per peccatum iniuſtus. c. 10. ſ. 1. a. 2. n 6.
Adam, ſepultus eſt in Hebron. c 12 [illegible] a 3 n. 4.
De valle lacrymarum Adami, deſiderio Abelis ibidem.
Terra agri Damaſceni, ex qua Adam efformatus eſt, qualis. n 5.

Adamas.

Hircinus ſanguis mollit adamantem. c. 7. ſ. 3. a. 1. n. 4.
Adamas ſiderites perforatur alio adamante. n. 5.

Adoratio.

Prophetia de Chriſto Rege, vbique adorando. c. 1. ſ. 3. T. 1.
Genuflexio Epiſcoporum coram Rege, qualis. c. 1. ſ. 6. a. 3. n 4.
Adoratio quid ſit? c. 7. ſ 2 a 3. n. 3.
Ioſue, ſeniores, fœminæ, & pueri adorauerunt Deum, ſacco induti &c. n 4.
Explicatur oratio, qua Ioſue, pronus in terram cadẽs, Deum allocutus eſt. a 4 latè.

Ægyptus, Ægyptij.

Variæ opiniones circa tempus commorationis Iſraelitarum in Ægypto. P. ſ 5 n. 2.
Conciliantur loci ſcripturæ, agentes de tempore, quo Hebræi manſuerunt in Ægypto n 5
Iudæi, annis 87. aut circiter ſeruierunt Ægyptiis. ibidem.
Ægyptij in Tauro Apim colebant. c. 5 ſ. 2. a. 10 n. 5.
Nilus, in ſanguinem conuerſus, indicat Ægyptiorum pueros in fluuium occidentium ſæuitiam. c. 12. ſ. 2. a. 2. n. 2.

Agnus Paſchalis.

Decima die menſis primi eligebatur Agnus Paſchalis. 14.

luna immolandus. c. 4. ſ. 1 T. 15.
Præceptum hoc, ſolùm Hebræos arctauit eo anno, quo de Ægypto exierunt. ibid
Cur Agnus immolandus, a 10. die ſeruatus? c. 5. ſ. 2. a. 15.
Agni Dei quælibet particula, magna eſt virtute. c. 2. ſ. 2. a. 10. n 3.
Agni eſus non ad ſaturitatem ſpectabat, ſed ad religionem n. 3.
Cur agnus potiùs, aut hœdus, quàm aliud animal immolabatur? n. 5.

Altare.

Iſue altare erexit in Galgalis. c 4. ſ. 1. T. 10.
Vbi Arca erat, non erat opus altari ad ſacrificandum præter altare holocauſtorum. T. 20.
Vtris ſanctis licuit olim alibi ſacrificare, quàm vbi eſſet Arca, &c. T. 21.
Cur altare de lapidibus impolitis factum? c. 8. ſ. 1. T. 5.
Inſcriptio Altaris. T. 3.
Quiſnam primum altare Deo ædificauerit? a. 1. per totum.
Quid Ioſue ad erectionem altaris permonerit? ibidem.
Vnde ſumptum ſit altaris nomen, déque illius vſu. a. 2. per totum.
Explicantur aliquot loci, in quibus agitur de altari. Ibidem.

Allegoria.

Allegorica expoſitio myſterij Trinitatis. c 1. ſ 7. a. 7. n 5.
Plures reges occiſos à Ioſue, quàm a Moſe, quid allegoricè ſignificet: ibidem.
Allegoria funiculi coccinei. c. 2. ſ. 4. a. 2. per totum.
Exponitur allegoria tranſitus Arcæ & populi Hebræi per Iordanem c. 3. ſ. 1. a 10.

Amœnitas.

Amœnitas regionis interamnenſis, occaſio fuit quibuſdam, conſtituendi in ea campos Elyſios c. 1 ſ. 4. a. 3. n 8.

Amor Dei & proximi.

Elias & Enoch amantes ſalutis hominum in fine mundi. P. ſ. 6 n. 9
Charitas Moſis in Iſraëlitas. c. 1. ſ. 1. a. 2. n. 4.
Moſes populum Dei hæredem omnium bonorum inſtituit. ibidem.
Ioſue imitatus eſt charitatem Moſis, omnia populo largientis. ibidem.
Mutua charitas inter Chriſtianos. c. 2. ſ. 5 T 8.
Non licet optare malum alicui. c. 2. ſ. 2. a 6. n. 2.
Fas eſt flere ruinam ciuitatis, quam Deus ob ſcelera tradit hoſtibus diripiendam. n. 2.
Ignis feſtus dies apud Hebræos, ſignificat ardorem charitatis c 5 ſ 2 a. 8 n. 5.
Chriſtus coarctabatur ob dilationem mortis mundo neceſſariam. n. 5.
Qui ignem amoris diuini non conſeruat, ſentiet ignem vltionis. ibi.
Res Benomotapiæ ignem clientibus impertit, ad ſignificandum amorem, &c. n. 5.
Charitas in nouo Teſtamento. c. 6. ſ. 1. a. 5. n. 14.
Alas habet charitas. n. 14.
Charitas Chriſti, deſcendentis ad inferos n 14.
Charitas Pauli & Moſis erga populum. c. 6. ſ 2. a. 1 n. 3.
Amor populi mutuus, cor vnum facit. c. 7. ſ. 1. T. 16.

Amorrhæi.

Amorrhæi non fuerunt omnino extincti ab Iſraelitis. c. 5. ſ. 1. T. 1.
Ob completam Amorrhæorum iniquitatem, Hiericho extinguitur. c. 6 ſ. 2. T 15.

Ananias & Saphira.

D Petrus hos duos coniuges non priuauit bonis ſpiritalibus, nec ſepultura. c 7. ſ. 3. a. 6. n. 1.
Num ſalui facti ſunt, n. 3.

Anathema.

Quanam ſignificatione vſurpetur in ſcriptura vox, anathema? c. 6. ſ. 2. a. 1. per totum.
Excidium mundi, vltimum vocatur anathema. T. 5.
Quærendus eſt Deus ante tempus anathematis. T. 5.
An anathema ſimile fuerit excommunicationi? & quomodo a veteribus impoſitum ſit? a. 2. per totum.
Anathema, quo damnabantur vrbes. n 1
Chananæorum vrbibus quale anathema impoſitum? T. 2.

Angelus, Archangelus.

Archangeli Michaelis modeſtia in increpatione diaboli altercantis de Moſis corpore P ſ. 6. n 4
Lucifer in donis naturæ ſuperior fuit Michaele. ibidem.
Angeli dicuntur portare orbem. c. 1. ſ. 6. a. 8. n 2.
Angeli ſignificantur per exploratores miſſos à Ioſue. c. 2. ſ. 1. a 4 n. 2.
Angeli dicuntur filij gratiæ & gloriæ. c. 5 ſ. 2. a. 3. n. 7.
Seraphini ab incendio nomen habent. c. 2. ſ 4 a 1. n 5.
Cherubinorum, qui in Arca erant, figuræ. c. 3. ſ. 1. a. 3. n. 2.
Cur Deus dicatur ſedere ſuper Cherubinos? n. 2.
Summus ſacerdos fumum excitabat è thymiamate, ne videretur Angelus, qui loquebatur de Propitiatorio. c 3. ſ. 2. a. 5. n. 3.
Ab Angelo incutitur timor Moſi, vt vxorē & filios dimittat, ad liberationem populi proficiſcens c. 5. ſ. 1. a. 4. n 4.
Singulis prouinciis Angeli dati. c. 5. ſ. 3. T. 6.
Michael cuſtos populi Hebræi. T. 7.
Angeli ad conſolandum interdum miſſi. T. 9.
Iacob periclitanti Angeli adfuerunt. T. 9.
Angeli in Chriſto agnoſcunt dignitatem humanæ naturæ. T. 10.
Angelis debetur dulia, ibidem.
Sanctitas loci, in quo Angelus apparuit Ioſue. T. 15.
Cur Angelus euaginato gladio Ioſue apparuerit? c. 5. ſ. 3. a. 2.
Angeli aliter in natiuitate veſtiti apparuere, aliter in aſcenſione. a. 2. n. 2.
Fueritne is, qui Ioſue apparuit, Filius Dei? an potiùs Michael, aut Gabriel? a. 3.
De Principe Perſarum, qui 21. diebus reſtitit Michaeli. a. 3. latè.
An Princeps regni Perſarum fuerit malus Angelus? n. 2.

Anima.

Vocat Deus animam ad ſalutem ex piorum cœtu. c. 6. ſ. 5. a. 3. n 4.
Eruit Deus animam de locis, quibus irretitur peccatis ad præmia. n 5.
Sub protectione diuina, anima noſtra gladius eſt contra inimicos ſalutis c. 8. ſ. 1. a. 3 n 7.
Anima ſine Deo nihil poteſt. n. 7.

Annus.

Septimus annus dicitur ſabbathum terræ, & annus remiſſionis. c 5. ſ. 2 a. 12. n 5.
Annus quinquageſimus, iubilæo celebris. ibidem.
Duplex annus, ſacer & vulgaris a. 1 5. n. 1.
Thalmudici, anni 7. requiem, & anni 50. Iubilæum, aliter computant. a. 15. n. 3.
Annus ſacer Hebræorum, cur à Martio initium ſumat? n. 3.
Iudæi in 7. anno, & 50. initium anni ducebant ab Autumno. ibidem.
Intra anni ſpatium tota terra habitabilis, ſecundùm longitudinem poteſt percurri. c. 9. ſ. 2. a. 1. n. 3.

Antichriſtus.

Antichriſti nomen conſtabit. 666. literis. c 5. ſ. 1. a. 7. n. 8.

Antigonus.

Antigoni ſententia, notans imprudentiam filij, rogantis patrem, vt ſecretum aperiret. c. 2. ſ. 1. T. 3.

Apoſtoli.

Apoſtoli ſunt Principes, qui nos hortantur ad vitam æternam. c. 1. ſ. 7. a 3. n. 15.
Sicut Ioſue præcepit principibus, vt denuntiarent præparationem: ita Chriſtus Apoſtolis, &c n. 3
Apoſtoli iubentur prædicare pœnitentiam, in qua ineſt præparatio ad mortem. n. 3.

Balthaſar.

Balthaſar, ſeuerè punitus, quia videns, quæ Deus coram patre illius fecit, vitam non correxit, c.7.ſ.3 a 2 n.6.

Baſan.

Regio Baſan 60. vrbes obtinet. c. 22.ſ.1. T.4.
Fines huius regionis. ibidem.

Benedictio.

Moſes moriturus ſingulis tribubus benedixit P.ſ.6.n.1.
Benedictio obedientiæ. c.1.ſ.8.a.2.n.8.
Cæca obedientia. n.9.
Effectus benedictionis, & maledictionis. c.6 ſ.3. T.13.
Maledictio Noë contra Chanaam. Optanda parentum benedictio. c 6. ſ.3. a.4. n.8.
Per maledictionem ſterilitas, per bened. fœcunditas inducitus. n.9.

Beneficium.

Paucis verbis Deus multa complectitur beneficia, non ſic homines. c.1. ſ.6. a.1. n 8 Gratia citò ſeneſcit ibidem.
De ſignis quibus Deus conſeruat ſua beneficia apud homines voluit. c 4. ſ 1. a.2. latè
Acceptis a Deo beneficiis rectè vſus eſt Ioſue. c.10 ſ.1. a 8.
Ezechias poſt acceptum beneficium peccauit, quòd imprudenter oſtenderit theſauros, & gloriatus ſit. n.1.& 2.

Bethauen.

Bethauen, i. domus Idoli, ob vitulos Hieroboam. c.7. ſ.1. T.9.

Bethel, & Luza.

Bethel vocatur aliquando Bethauen, i. domus Idoli: cur? c.7. ſ 1. T.8.
Luza, poſtea Bethel, i. domus Dei. n 9.
Duplex Bethel. ibid.

Bellum, pugna.

Deus pro Iſraelitis pugnat. c.1. ſ.1. a.4. n.9.
Non minùs pugnandum pro legibus quàm pro mœnibus. c.1. ſ.6. T.1.
Leonidas erigit animos pugnantium propoſita mortis gloria. a.6. n.10.
Dictator creabatur à Romanis tempore belli. c 3 ſ.2. a.1.n.3.
Miſera conditio oppugnantium, & oppugnatorum. c.3.ſ.2. a 22. n.8.
Conficere bellum arte, laudabile eſt. c.8 ſ.1. a.2. n.5.
In bello iuſto pugnare licet ex inſidiis. n 7.
Numerus exercitus Chananæorum contra Ioſue. c.11. ſ.1. T.4
Deus Ioſue propitius in bello. T.5.
Non vult Deus, vt equi, aut currus ſint in caſtris Iſraelitarum. T.7.
Promptitudo Iſraelitarum ad pugnam ſub Ioſue. T.8.
Quomodo ſub Ioſue quieuerit terra a prælijs? c.11.ſ.2. n. 28.

C.

Cain.

Cur 7. peccatis Cain 7. reſpondent ſupplicia? c.7.ſ.3.a.2.n.6.
Explicantur illa verba: *de Lamech autem ſeptuagies ſepties* n.7.
Cain, audita Dei voce, non eſt immutatus, quia obdurauerat cor. c.11. ſ.2. a.3.

Caleb.

Caleb & Ioſue, populum ad ſpem vincendi gigantes, erexerunt c 11. ſ.2. T.21.
Caleb interfecit gigantes in Hebron. n 21.

Caluitium.

Caluitium, & barbæ abraſio, cur fieret? c.7. ſ.2. a 2. n.3.

Calceus, calceamenta.

Quid ſit ſoluere calceamentum? c.5. ſ.3. T.12.
Pellis calceorum peccati ſignum gerit. T.13.
Iudæi in Ægypto non iubentur nudare pedes: cur? T.13
Recedente Angelo, Ioſue calceos induit. T.15.
Cur Moſes & Ioſue ſoluere calceos iubeantur? c.5. ſ.3. a.3 per totum.

Canticum, & Carmen.

Platonici Sirenas in cælo canentes conſtituunt. c.10. ſ.1. a.4. n.6.
Quid vocet Iob concentum cæli? n.6.
Aſtra matutina quomodo laudent Deum? n 7.
Aſtra dicuntur laudare Deum ob motum. n.7.

Caſtitas.

Deus per ſe iis loquitur, qui munda habent corpora. P. ſ. 7. n. 1.
Hiſtoriæ profanæ nocent caſtitati. ibidem.
Ioſue, fortitudinem cum caſtitate copulauit. P.ſ.8.n 2.
Continentia, & caſtitas in rebus magnis neceſſaria. c.5. ſ.3. a.4. n 4.

Chananæi.

Deus tandiu in Chananæos, morte & diabolo ſatellitibus ſuis vſus eſt, donec ſtetit, & terram Iſraeli partitus eſt. 1. n.3
Dei præſentia proſtrauit Chananæos coram Iſraelitis. ibidem.
Chananæi formidabant Ioſue, vt hominem Deo charum. c 1. ſ 7 a.5. n.2.
Chananæi robuſtiores erant Iudæis; metu tamen fracti ſunt. c.2. ſ.3 a.1. n 1.
Ex altari, & monumentis à Iudæis erectis, intellexerũt Chananæi eos velle dominari. c.9. ſ.1. T 1.
Chananæorum de expugnandis Iſraelitis conſilium. T 3
Cur Gergeſæi prætermittuntur in enumerandis Chananæis? a. 1. per totum.
De effectu conſilij Regum Chanaan. ibidem.
Quales fuerint lapides grandinis, qui Chananæos occiderunt? c.10. ſ.1. a 3. per totum.
Peccata Chananæorum. c.11. ſ.2 T.18.
Si Chananæi pacem petiiſſent, ſuſcepto Dei cultu, non perirent n.20.
Chananæi reges, nullam meriti ſunt clementiam n 20.
Diſtulit Deus ſupplicium Chananæorum, quos ſciebat obſtinatè peccaturos. c.11. ſ 2. a.2. n.3.
Præcepto diuino compellebantur Iudæi occidere omnes Chananæos. c.12. ſ 1. T.2.
Non poterant cum Chananæis paciſci de vitæ incolumitate. T.2.

Chriſtus, Chriſti myſteria.

Chriſtus Rex Iudæorum, in humilitate natus eſt, quia ſalnate, non terrere ſtuduit. P.ſ.2. n.9.
Chriſti tempore vulgaris lingua erat Syriaca. P.ſ 3. n.6.
Moſes Chriſti morientis typus. P.ſ 6. n 3.
Chriſtus nihil reliquit ſcriptum. P.ſ 7. n.1.
Chriſtus quinque modis Deus, iuxta Hilariũ. c.1.ſ.5.a.4.n 8.
Chriſtus aliter Deus dicitur, atque Moſes. n.10.
Moſes enim Deus dicitur nuncupatiuè tantùm, &c n.10.
Chriſtus dicitur præcurſor terræ promiſſæ, ſicut Ioſue, & Sacerdos. c.1. ſ.6 a.2. n.5.
Aduocatus eſt noſter. n 6.
In Genealogia Chriſti cur peccatrices aſſumuntur? c 2. ſ.1. a.3. n.2.
Tres Reges prætermittuntur in genealogia Chriſti, quia in impietate perſeuerarunt vſque ad mortem. a 3. n 1.
Cur de peccatoribus natus eſt Chriſtus? n.5.
Chriſti ſanguis in mundi ſalutem effuſus ſignificatur in allegoria funiculi coccinei. c.2. ſ.4. a.2. latè
Chriſti ſanguis ſalutem pollicetur. n.1.
Verbi incarnatio dicitur ab Orig. feneſtra deitatis. c.2. ſ 4. a.2 n 2.
Facies Dei, eſt Chriſti humanitas, &c. c 3. ſ.1 a 4. n.5.
Cherubini myſteria Chriſti in typo reuerentur. n.5.
Chriſto accommodatur Arca myſticè. c 3. ſ 2. a.3. n.6.
Chriſtus exaltatur in baptiſmo. a.10 n 9.
Chriſtus Galilæus, id eſt rotator, quia idololatriã & mundum torſit. c 3 ſ.1. T.13.
Quid dicendum de pellicula Chriſti Domini 8. die circumciſi? a 7. n.3.
Calcatæ in oppido, non ita procul ab vrbe, ſeruatur pellicula circunciſionis. n.3.

Aſor ciuitas, prima ſignum belli coniuratis extulit. n.2.

Conſcientia.

Ipſa ſcelerum conſcientia pœna eſt. c.7.ſ.2. a.4. n.2.
Conſcientia domeſticum eſt & verum Tribunal. c.10. ſ.3. a.3. n.4.
Peccator per culpam conſcientiæ ſuæ carcerem facit. c. 11. ſ.2.a.3.n.3.

Conſilium.

Conſilium Dei multiplex, in excitandis Iudæis ad cupiditatem terræ promiſſæ. c.1.ſ.4.a.3. n.7.
Fallitur, & punitur Ioſue, quòd in fœdere Gabaonitarũ non conſuluerit Deum. c.1. ſ.5. T.1.
Sacerdotis conſilium, magni faciendum c.1. ſ.7. a.4. n.1.
Arcana Principum conſilia paucis aperienda ſunt. c.2. ſ.1. T.4.
In conſiliis tres virtutes ſpectandæ, fides, charitas, prudentia. c.2. ſ.3. a.5. n.1.
Conſilium petendum à viris probis & prudentibus. ibidem.
Ioſeph optimus conſiliarius, etiam in carcere. n.1.
Qui caſtus eſt & iuſtus, optimus conſiliarius eſt. n.1.
In conſiliis capiendis audiendus eſt interdum gregarius miles. c.9. ſ.2. T.8.
Gabaonitarum prudens conſilium. T.11.

Conſuetudo.

Mala conſuetudo, inſtar carceris eſt, à quo peccator vix exit. c.11. ſ.2. a.3. n.3.

Contemplatio.

Vide, Oratio & meditatio.

Multæ vtilitates conſequuntur meditationem legis. c. 1. ſ.6. a.5. n.1.

Cor.

Cor durum non recipit Deum. c.7. ſ.3. a.1. n.4.
Seueritas diuini iudicij contra duros corde. n.5.
Quid ſit indurare cor? c.11. ſ.2. a.3.
Ob quam culpam dicatur Deus indurare cor? ibidem.
Non induratur cor hominis, qui aliquo modo pœnitentiã agit. c.11. ſ.2. a.4.

Cornua.

Cornua in manibus Dei quæ? L. n.1.
Ventilare cornu hoſtes, quid ſit? ibidem.
Deus Morte & diabolo, tamquam cornibus, in ſuos hoſtes fertur. L. n.2.
Cornu olei, vnctioni Regum & ſacerdotum inſeruit. L.n.2.

Corpus.

Diabolus voluit impedire occultationem corporis Moſis. P. ſ. 6. n.5.
Moſis corpus vbi eſſet, reuelatum fuit Hieremiæ. ibidem.

Crux.

Chriſtus in cruce niger apparuit Iudæis: latroni, formoſus. c.1. ſ.8. a.2. n.7.
Latro fortior in cruce. c.2. ſ.1. a 4. n.3.
Vbi funiculus coccineus, qui crucem ſignificat, apparet, ibi immunitas eſt ab anathemate. c.2. ſ 4. T.6.
In cocco, ſpecies crucis irrutilat. c.2. ſ.4. a.1. n.6.
Crux, eſt funiculus coccineus in domo Eccleſiæ, in quo omnes prædeſtinati ſaluantur. n.3.
In die iudicij cognoſcenda eſt Eccleſia & illius filij, ſigno crucis. n.3.
In domo eccleſiæ, funiculi coccinei, id eſt, crucis, ſignaculo ſaluantur. ibi.
Corpora damnatorum, eodem, quo plectebãtur die, de cruce deponi & ſepeliri oportebat. c.5. ſ.2. a.19. n. 9. vide, clypeus, &c.
Chriſtus in cruce totus, in ſalutem noſtram, exhibet ſe totum? c.8. ſ.1. a.4. n.17.
Quod genus tormenti, & quàm multiplex fuerit crux? a.5. latè.
De ſuffixione, depoſitione, &c. ibidem.
Crucis figuram referunt multa. n.9.
Cupido affixus cruci. n.3.
Conſtantini crux in labaro. n.10.
Cruces in vſu apud omnes ferè gentes. n.11.
Crux Chriſti ex quo ligno facta? n.12.
Furca ſucceſſit cruci, iubente Conſtantino. n.16.
Ritus crucifigendi. a.6. n.1.
B. Andreas biduo in cruce vixit. n.4.
Quid dicendum de fulcimento pedum? n.2.
Diebus nouem aliqui viui in cruce. n.4.
Titulus crucis n.3.
Iudæi crurifragio fatum accelerabant. n.4.
Lanceatis accelerata mors. n.4.
Cuſtodia ad crucem cur adhibita? n.6.
De cuſtodia, petita à Pilato. n 7.
De commutatione ignominiæ crucis, in gloriam, & de crucifixione iuſtorum cum Chriſto. a.7. per totum.
Crux, moderatrix voluptatum. n.10.
Quid ſit: *Dominus regnauit à ligno?* n.11.
Quid ſit, mitti lignum in panem, apud Hieremiam? n. 11.
Quomodo Chriſtus de cruce ventilabit gentes? n.13.
Viri iuſti carnem crucifigunt. n.18.
Crux in cælo ſplendens, conſolabitur iuſtos. n.19.
Signum quod apparebit in die iudicij. n.19.
Crucifigendi, ante mortem verberabantur. n.20.
Quid Chriſtus? ibidem.

Cyrus.

Cyrus ſuper Gaidẽ caſtrametatus, alueum illius exſiccauit, apertis. 460. foſſis. c.4. ſ.1. a.1. n.1.

D.

Dauid.

Dauid cur dicatur maximus Prophetarum? P. ſ. 6. &c. de laudibus Moſis. n.8.
Dauidi peccanti, Deus diſtulit pœnam in tempus, quo eſſet ei medicina. c.6. ſ.1. a.2. n.9.
Dauidis pœnitentia. c.7. ſ.2. a.1. n.9.
Dauid, cui aderat Deus, numerare populum nõ debuit. c.12. ſ.2. a.2. n.3.

Damnati ad mortem.

Damnatis ad mortem vinum porrigitur: apud Iudæos etiam acetum. c.7. ſ.3. a.1. n.1.
Acetum Chriſto oblatum. n.1.
Hyſſopum, aceto miſtum, exanimatis animum reparat. ibidem.
Cur damnatis, ſicera, vinum, aut acetum dabatur? n.2.
Damnantur Gabaonitæ, non ad mortem, ſed ad ſeruitia ſolenni ritu. c.9. ſ.2. T. 24. & 25.

Dæmones, Diabolus.

Terror immiſſus à Deo in hoſtes populi ſui, diabolus dicitur. L. n.2.
Quomodo diabolus Chriſto oſtendit omnia regna mundi? P. ſ. 6. n. 2.
Dæmones, & Magi nihil efficere poſſunt in cæleſtibus ſphæris. c.1. ſ.5 a.1. n.2.
Dæmones, à quibuſdam dicuntur portare orbem, & adiuratores fortitudinis. c.1. ſ.6. a.8. n.2.
Alligato diabolo, Angeli exultarunt. c.6. ſ.1. a.3. n.3.
Diabolus peccata exigit, quaſi tributum. c.8. ſ.1. a.4. n. 14.
Dæmonis, omnes in nos Tartari furias conuocantis, ſolicitudo. c.11. ſ.1. a.1. per totum.
Rex Iabin, ſignificat dæmonem, magnis opibus in nos armatum. n.1.
Rex Medon, dæmonem, qui ſubditos excitat contra prælatos. n.1.
Rex Semeron, dæmon eſt, detractionem concitans. ibidem.
Dæmones, ante aduentum Chriſti, animas quieti obtinebant. n.2.
De pugna contra dæmones, impellentes ad diuerſa vitia. c.15. ſ.2. a.1.
Multi dæmones, vni Principi ad nocendum militant. ibidem.
In vnoquoque peccati genere vnus eſt dæmon inductor. n. 1.
Quid ſit legio dæmonum? n.3.
Dæmones primarij alios habent ſibi à mandatis. c.12. ſ.2. a.1. n.1.
Peccator quiliber, Satanas eſt. n.2.

Dentes

Dentes.

Dentes conferunt ad pulchritudinem. P.ſ.6. n.13.
Zenobiæ dentes, margaritarum inſtar. ibidem.
Dentes, qui neminem lædunt maledicentiæ morſu, quales habuit Moſes, digni ſunt diuturnitate. ibidem.

Deus, & Dij, Trinitas.

Dei in promiſſis conſtans decretum. I. n.1.
Pro iniquitate Deus, non pœnis afflixit Iſraelem, ſed donis cumulauit. I. n.4.
Deum, & ſacerdotes in dubiis conſulunt boni Principes. I. n.5.
Deus locutus eſt aliquando in ſomniis Moſi, ſolebat loqui in vigilia. c.1. ſ.1. a.1. n.2.
Locutus eſt Ioſue in vigilia ibidem.
Opera Trinitatis ad extra, ſunt indiuiſa. c.1. ſ.1. a.3 n.6.
Vox Angeli audita eſt, Patris nomine in Chriſti baptiſmate. ibidem.
Initio rerum gerendarum, Deus familiariter egit cum Ioſue, vt animos ei adderet. a.4 n.1.
Imperfecta cognitio Trinitatis. c.1. ſ.7. a.7. n.5.
Studia nationum ad peculiaria Numina. c.2. ſ.1. a.3 n.1.
Scientia attributorum Dei vix magnis philoſophis conceditur. c.2. ſ.3. a.2 n.2.
Nullus philoſophus Deo attribuit omnipotētiam ſine præſidio fidei. n.3.
Cur Ariſt. Deo omnipotentiam non attribuit? ibidem.
An Deus immediatè locutus fuerit cum Ioſue? c.3. ſ.1. a.6.
Loquebatur Deus cum Ioſue, vt cum ſeruo, &c. n.1.
El, ſignificat Deum fortem. c.3. ſ.2. T.2.
Cum Ioſue loquebatur Deus ad oſtium tabernaculi, vel ex nube. c.3. ſ.2. a.5. n.1.
Quanti fiat à ſanctis diuini nominis gloria. c.7. ſ.2. a.5.
Deus vel ſola fama ſui nominis populum protexit. n.1.

Dina, filia Iacob.

Stuprum illatum Dinæ, punitur excidio vrbis. c.6 ſ.2. a.5. n.2.
Iudith laudat vindictam ſumptam de hoc ſtupro. ibid.

Diuitiæ, diues.

In anno 7. qui annus remiſſionis dicitur, larga erat diuitum in pauperes indulgentia. c.6. ſ.1. a.5 n.1.
In eo, debita remittebantur ciuibus, non advenis. n.3.
Qui rem aliquam Hiericho vſurpauerit, ſibi & aliis nocebit. c.6. ſ.2 T.10.
Tribus, quæ ditiores erant, extra ſanctorum terram manſere c.12 ſ.1. a.1. n.5.
Diuites, eo reputari debent miſeri, quòd, peccatis impunitis, moriantur. n.5.

E.

Eccleſia.

Prophetia de Eccleſiæ dilatatione. c.2. ſ.1. a.4. n.2.
Rahab figura Eccleſiæ n.3.
Habet Eccleſia protectionem Doctorum, &c. c.8. ſ.1. a.4. n.14
Vocat Chriſtus Iudæos ad Eccleſiam n.16.
Eccleſia niteſcit, cùm Deus reges terræ iudicat. c.12. ſ.2. a.2. n.4.
Eccleſia, *eſt mulier pulchra vt Luna*. n.4.
Pro his, qui per hæreſim ab Eccleſia recedunt, ſubſtituuntur multi n.4.
Eccleſia, dum opprimitur, creſcit ibidem.

Eclipſis, defectio ſolis.

Eclipſis in morte Chriſti mirabilis. c.10 ſ.1. App. a.4 n.15.
Qualis fuerit dies illa? n.16
Prodigioſa ſolis defectio per duos ferè menſes & ſemis. n.17.
Porta flammea in cælo viſa, ibidem.
Eclipſis patiente Chriſto indicauit ſcelus crucifigentium Dominum. a.7. n.3.

Electio.

Iuſſu Dei impoſuit Moſes manus Ioſue. P.ſ.6. Tit. *iuſſu Dei*, &c. n.4.
Cur Moſes filios ſuos, aut fratris, non præpoſuerit Ioſue? ibidem.
Ioſue electus præmiſſa precatione. ibidem.
Moſes moriturus electum Ioſue populo commendauit. n.5.
D. Baſilius moriturus quoſdam viros virtute claros ad gradus Eccleſiaſticos promouit. n.5.
Deus ſignis mirabilibus electum Ioſue in ducem populi decorauit. ibid.
Ioſue meruit eligi loco Moſis in prophetam, ducem, & ſaluatorem. c.1. ſ.1. a.2. n.4.
Quales eligendi ſint prælati? c.2. ſ.3. a.5. n.3.
Iudicabunt populum omni hora. ibidem.

Eleemoſyna.

Lex Euangelica commendat eleemoſynam. c.1. ſ.6. a.7. n.10.
Frangendus panis, vt danti ſit & accipienti ſolatium. ibidem.
Eleemoſynæ accommodatur illud: *Da partem 7. necnon & octo*, &c. c.5. ſ.1. a.7. n.7.

Ephod.

Modus conſulendi Deum per Ephod. c.7. ſ.2. a.11 n.6.
Deus res futuras ſignificabat ſplendore gemmarum. n.7.
Opinio Hebræorum de Ephod. n.7.
Sacerdote ſummo, ſacrum geſtamen inſpiciente, & chartulas educente, ſortes coram Ioſue exierunt. ibidem.
Deſiit fulgor apparere in Ephod, ducentis ferè annis ante Chriſti mortem, a.12. n.8.

Epiſtola.

Opinio negantium, epiſtolam ad Hebræos eſſe canonicam, reiicitur. c.3 ſ.1. a.4 n.4.
Non rectè Caiet. autorem epiſt. ad Hebræos, vt imperitum ſubnotat. n.4.

Equus, & Currus.

Gigantes & equi ob velocitatem coniunguntur. c.1. ſ.6 a.8. n.3.
Quatuor equi apud Zachariam, imperia ſignificant. n.4
Pallidus equus cæterorum retardat curſum ibidem.
Equum, D. Auguſt. interpretatur dignitatis ſedem n.5.
Ioſue currus combuſſit, & equos ſubneruauit c.11. ſ.1. T.9.
Cur iubeantur equi ſubneruari, & currus incendi? c.11 ſ.1. a.3. per totum.
Prohibebatur Rex Iſrael multos ſibi equos comparare. n.2.
Animi affectus inordinati, equis comparantur. n.2. & 3.
Omnis equitatus vitiorum ſubneruandus. n.5.

Eſau, Edon, & Seir.

Seir, quo vocabulo Eſau denotatur, piloſum & aſperum ſonat. c.11. ſ.2. T.17.
Eſau quomodo non inuenerit pœnitentiæ locum. &c. c.11. ſ.2. a.3. n.3.

Euangelium, Euangelica lex.

Commendatio legis ſcriptæ, nos admonet quanti facere debeamus legem Euangelicam. c.1. ſ.6. a.7. in tit.
Hæc inſtar eſt ſolis, &c. n.1.
Spes eſt, & vinea Chriſti. n.1.
Dicitur ſuſcitatio. ibidem.
A Filio Dei fuit promulgata n.2.
Lex in oculis, & in manibus geſtetur. n.1.
Fractione tabularum legis, ſignificatur remittendum de ſeueritate. n.2.
Potentia tubæ Euangelicæ. c.6 ſ.1. a.4. n.5.
Virtus prædicationis efficax. n.5.
Lectio Deuteronomij, ſignificat lectionem Euāgelij, in quo eſt ſecunda lex. c.8. ſ.2. T.8.

Euchariſtia.

Reuerentia, quæ exhibebatur Arcæ, Typus fuit illius, quam debemus Euchariſtiæ. c.3. ſ.2. T.15.
Angeli aſtant Chriſto in Euch. ibidem.
Sequi debemus Euchariſtiam, cùm effertur ad ægrotos. c.3. ſ.1. T.15.
Ornatus Arcæ incedentis per ſolitudinem: qualis decet ornatus Euch. &c n.16.
Euchariſtia Arcæ typo ſignificata, confert ſanctificationem. c.3. ſ.2. a.3. n.3.

Euchariſtia in manna ſignificata. n 6.
Cum ſacra Euchariſtia non debent collocari diuorum reliquiæ in eadem ara a 4 n. 5
Panis Euchariſticus præfertur manna c 5 ſ 2 a 15 n 3.
Quomodo Chriſtus panis verus dicatur? n 4
Panis Chriſti, vitam conſeruat immortalem n. 5
Quam benignè Chriſtus, pro manna deficiente, Euchariſtiā nobis donauit. a. 14 copioſè.
Chriſtus eſt manna abſconditum. n 1.
Præparatio ad Euchariſtiam n. 6
Manna, multis modis Euchariſtiam figurauit. n 7.
Angeli aſſiſtunt Euchariſtiæ n 8.
Quandiu durabit in hac vita Euchariſtia? n. 10.
Seminis coriandri quælibet particula germinat, ita Euchariſtici panis, &c n. 11.
Sic viue, vt quotidie merearis ſumere Euchariſtiam. n 13
Nomen petræ, mellis, ac fontis, ſapientiæ, Euchariſtiæ aptatur n. 14.
Poſt ſumptionem Euchariſtiæ cum Angelis agendum. ibidem.
Reuerentia coram Euchariſtia c. 7. ſ. 5. T. 5.
Proſtratio Ioſue coram Arca. T. 5.

Exemplum

Vis exempli c 1. ſ 8 a 3. n. 1.
Principes præire debent exemplo ſubditis, quibus imperāt. ibidem. vſque ad finem.
Exempla cogunt quodammodo ſubditos. n 3.
Scandalum in prælatis punitur acerbiùs n 2.
Scandalum, vocatur homicidium n 5.
Ioſue, exemplo præit iis qui alios regunt a. 3 n 5.
[illegible] Deos aſſiſtit. ibidem.
Exemplum Moſis in recuſandis honoribus. n 6.
Eum Deus, vt bene præſit, adiuuat ibidem.
Aliis vt perſuadeas, in te, & tuis exemplum ede. c 3. ſ. 1. a. 3 n. 7.
Augetur pœna iis, qui exemplis conſpectis, vitam non corrigunt c. 7 ſ 3. a. 1. n. 6. & 7.

Exercitus.

Vexilliferi quatuor erant in exercitu Hebræorum. c. 1. ſ 7 a . n .
[illegible] Hebræorum in ſolitudine metatio. ibidem.
Qualia fuerint ſigna & vexilla Hebræis? ibidem.

Exploratores.

Promulgatio tranſitus Iordanis, poſt reditum exploratorū. c. 1. ſ. 7. a 4 n. 4.
Exploratores duo mittuntur à Ioſue. c. 2. ſ 1. T. 1.
Putantur eſſe Phinees, & Caleb. n. 3.
Cur pauci, iique ſecretò mittuntur? n 3.
Exploratores occultabant multis modis Chananæis cauſam ſui aduentus. n 4
Explorate, in vtramque partem ſumitur. c 2. ſ 1. a 1. n. 1.
Moſes miſit exploratores, anno ſecundo altero ab exitu de Ægypto: Ioſue in principio anni. 41 n 3
Exploratores miſſi a Ioſue ſignificant Angelos & prædicatores c. 2. ſ 3. a 4 n 1.
Exploratores Ioſue, nouerant ſe, quamuis proderentur, non occidendos. c. 2 ſ 3. a 3. n. 3.

Ezechias.

Dies vnus, ætate Ezechiæ, 32 complexus eſt horas c. 10. ſ. 1. a. 4 n 8
Ezechias dicitur peccaſſe, quòd oſtenderit legatis oleum vnctionis & tabulas legis c 10. ſ 1 a 8 n. 1.
Dilata fuit pœna Ezechiæ, ob pœnitentiam. n 2.
Hoſtem prouocauit ad rapinam, oſtenſis ſuis opibus. n 3.

F.

Fama.

Fama diuiſionis maris rubri & Iordanis, qualis? c. 3. ſ. 2 a. 9. n. 5.
Fama ſemper augeſcit, affingens aliquid vero. c. 5 ſ 1. T 3.
Timor infamiæ, animos ſolicitat. c. 7. ſ. 2. T 14.
Fama augeſcit. T 15.
Fama nominis Dei. 16.

Fertilitas.

Terræ ſanctæ mira fertilitas. c 1. ſ. 4 a 4. n 9.
Fertilitas, lactis & mellis nomine ſignificatur. c. 5 ſ. 1. T. 10

Fides diuina & humana.

Fides certior eſt oculis; illi ſimilis eſt obedientia. c. 1. ſ. 8. a. 1. n 7.
Quid ſit, *noli me tangere*? ibidem.
Gloria reſurgentis Chriſti non ſenſu, ſed fide æſtimanda. ibidem.
Sine oculis pingitur fides. ibidem.
Optat Seneca, vt bona fide omnia tranſigantur abſque ſcriptio. c. 2. ſ. 4. T. 6.

Filij.

Heli, etſi iuſtus, periit, quia peccantes filios non puniuit. c. 1 ſ 6 a. 4. n. 5.
Eius filius quiſque dicitur in ſcrip. cuius mores imitatur. c. 1. ſ 8 a 5 n. 1.
Filij non ſunt contemnendi, licèt vitium præceſſerit in parentibus. c. 1 ſ. 1. a. 3. n. 5.
Qui propria virtute decoratur, parentum non decoloratur opprobriis n 5.
Filius quaſi ædificium eſt patris. c. 2. ſ 1. a 1 n 16.
Meliùs relinquitur in factis memoria parentum, quàm in filiis ineptis ad res gerendas. c. 4. ſ. 1. a 3 n. 2.
Filij, peccatis parentum aſſueti, procliuiores ad peccandum. c. 7 ſ 1 a. 1 n. 11.
Filij Achan, & tota domus, ob peccatū patris, mulctati ſunt ſupplicio. a. 3 n. 1.
Filij Achan adducti ſunt ad ſpectaculum patris lapidati: cur? c. 7. ſ 3. T 9.

Fornicatio.

Phinees occidit Zambri ſcortatorem. c 2. ſ. 1 T. 3.
Phogor, turpitudinis idolum ſicut Priapus. ibidem.

Fratres.

Iuuandi ſunt fratres in laboribus. c. 1. ſ. 7. a 7 n. 1.
Phares & Zaram, fratres vterini, quomodo nati? &c. c. 7. ſ. 1. a. 8.

G.

Gabaon, Gabaonitæ.

Gabaonitæ, in pœnam mēdacij, aquam & ligna in ſanctuarium portabant c 5 ſ 1. a 8. n. 1.
Gabaonitæ ſibi conſuluerunt c 9 ſ. 2. T 2.
Gabaonitarum artificium. T 5 & 7.
Gabaonitæ, aquatores, & lignatores conſtituuntur. c. 9. ſ. 1 T. 21.
Onera ſeruitutis impoſita Gabaonitis T. 21.
Cur Gabaonitæ vſi ſint fraude, quæ ſtatim aperienda erat? & de commentis & peccato, &c c. 9. ſ. 1. a. 1. per totum.

Gabriel Archangelus.

Quo habitu Gabriel apparuerit Virgini Mariæ? c. 5. ſ. 3. a. 2 n. 1.
Gabrielis habitus mirabilis. n. 2.
Prædixit Gabriel, Hebræorum vincula cum honore ſoluenda. n. 5.
Gabrielem apparuiſſe Ioſue putat Abulenſis. a. 3. n 8.
Gabriel dicitur duxiſſe columnam nubis. n. 8.
Munus procurandi libertatem Iudæorum, Michaeli & Gabrieli datum. c. 5. ſ. 3. a. 4 n 3.

Galgala.

Galgala, à Iordane tribus aberāt leucis. c. 4. ſ. 1. T. 18.
Quid ſignificet hæc vox? c. 5. ſ 1. T. 13.
Iudæi locum primum terræ promiſſæ Galgala, i. libertatem, vocarunt. T. 14.
Galgalæ deſcriptio, vbi Hebræi primùm reſpirarunt. c. 5. ſ 9 n 8
Diſcipuli Eliæ & Eliſæi, viuebant in Galgalis. n 8
Commoratio in Galgalis, ob dolorem vulnerum. c. 5. ſ. 2. T. 2.

Gaudium, lætitia.

Gaudium præcedit luctus c. 2 ſ 1. a. 4. n. 4.
Sanctorum lætitia poſt vitæ huius pugnas c 5 ſ 1. a. 10 n. 3.
Bonos afficit lætitiam impiorum punitio. c. 7. ſ. 3. a. 7. a. 9.

Cælum proiectis Angelis, Apoſtatis, exhilaratum eſt. n 9.
Superſtite peccato, pax non eſt. n 10.
Mortuo Saule, regnat Dauid, & mortuo Archelao, venit Ieſus in patriam ſuam. ibidem.
Exeunte Iuda è cœna, glorificatus eſt Filius hominis. n. 15.

Gemma, lapillus.

Duo Onychini lapides ex humeris ſummi ſacerdotis emicabant c 5 ſ 1 a. 5. n. 5
De gemmis multa habes. c. 4. ſ 1. n. 4. à n. 5. &c.

Genethliaci.

Genethlialogia eſt vaniſſima ſcientia. c. 10. ſ. 1. App. ſ 4. n. 6.
Confutantur Genethliaci a D Baſilio. n. 7.
Natiuitas non facit ſanctos, ſed gratia. ibidem.

Grando.

Grando tantæ magnitudinis aliquando decidit, vt homines & pecora occiderit. c. 10 ſ 1. a. 5. n. 1.
Plaga grandinis in Ægypto, qualis? ibid.
Grando ante eam plagam, in Ægypto viſa non fuit. n. 2.
Angeli deiiciebant lapides grandinis. n. 3.
Grando propter peccata. n. 4.

Gratiarum actio.

Vtiliter gratias Deo agimus. c 5. ſ 2. a. 2. n 3.
Vera gratiarum actio eſt, quæ non iubetur, ſed defertur. c. 8. ſ 2. a. 1. n 3.
Orauit Ioſue Deum, & gratias egit, cùm ſtare fecit ſolem. c. 10. ſ. 1. T. 10.

Gratitudo.

Celebritas paſchæ, Pentecoſtes, & cæteræ apud Hebræos, ſigna ſunt, quibus recoluntur beneficia diuina. c. 4 ſ 1. a. 2. n 4.
Sic Agnus paſchalis, & Azymi panes. ibidem. n. 3.
Deus imperium Ægypti dedit Nabuchodonoſori pro Tyri oppugnatione, in qua diuinæ obſecutus eſt voluntati. c. 7. ſ. 1. a. 8 n 6.

Gula.

Hebræi fameſcentes, maluerunt greges ſeruare ad ſacrificia, quàm illis veſci. c. 5. ſ. 2. a. 21. n. 5.
Hebræorum gula poſcit exquiſitas epulas. n. 5.

H.

Hæretici.

Meritò hæretici comburuntur in lege gratiæ. c 3 ſ. 1. a 6. n 5.
Calumnia Hæreticorum futilis. c. 9. ſ. 2 a 5 n. 4.
Hæretici arguunt Ioſue crudelitatis, quòd iuſſerit 5. reges conculcari c. 10. ſ 1 a. 1. n 5.
Multi hæretici a profundo deſperationis chao ſunt deuorati. c. 11. ſ. 2. a. 4. n 4.

Hai.

Ciues Haj animoſiores extitêre Hierichuntinis. c. 6. ſ 1. T 2.
Rex Haj in crucem actus. T 5.
Iudæi fracti laſſitudine, terga verterunt apud Haj. c. 7. ſ. 1. T. 15.
Ab oppidanis Hai vinci, probro fuit Iſraëli. c. 7. ſ 2. T. 14.
Rex Haj quomodo depoſitus de cruce? c 7. ſ 3. a 7. n. 2.
Rex Haj viuus capitur, & cruci ſuffigitur. c. 8. ſ. 1. T 9.
Haj facta eſt ſuis ipſius ſepulchrum. n. 11.
Quæ ciuitas fuerit Haj? a. 11. n. 1.
Secunda poſt ingreſſum fuit oppugnata. n 1.

Hebræi. Vide *Iudæi.*

Hebræorum in Babylonem ſub Sedecia abductio & captiuitas. P ſ. 5. n. 5.
Eorundem captiuitates. ibidem.
Non fuit promiſſis Hebræis tota terra inhabitabilis. c. 1. ſ 3. T 1.
Non ſinit Deus pugnare Hebræos contra filios Eſau, fratres ſuos. c. 1. ſ. 3. T. 2.
Hebræi primùm agnum paſchalem comederunt in Ægypto, in Rameſſe. c 2. ſ 3. T. 7.
Hebræis præcepit Deus, vt non parcerent Chananæis. T. 7.
Hebræis dedit Deus 40. annis manna; veſtes & calceos eiſdem conſeruauit c 3. ſ. 1. a. 5. n. 1.
An Hebræi ſine hæſitatione ſperare poſſent extinctionem Chananæorum, eò tantum quòd Ioſue id diuiſione Iordanis confirmaret? c. 3 ſ. 1. a 6.
Hebræis in deſerto non erat opus ſigno diſtinctiuo. c 5. ſ. 1. T. 7
Filij eorum qui per 40. annos mortui ſunt in deſerto, non fuerant circumciſi. c. 5. ſ. 1. n. 7.

Hebron.

Hebron, cur Cariatharbe dicta? c. 12. ſ. 1. a. 3. n. 4.
Hebron ciuitas ſacerdotalis, & refugij n 4.

Hiericho.

Rex Hiericho munit ciuitatem contra Iſraelitas c 2. ſ. 1 T. 1.
Exploratorum vrbis, & munitionum ſcrutatio: Regis Hiericho ſolicitudo n. 3.
Hiericho Magna ciuitas n. 5.
Brochardi tempore Hiericho reddita erat in ſpeciem pagi octo vicinis inhabitati. c 4. ſ. 1. T. 10.
Hiericho erat humanis viribus vix expugnabilis. c 6. ſ. 1. T. 1.
Obſidio Hierichuntinorum. T 2.
In 7 die concidunt muri Hiericho. T. 10.
Muri ſubito terram deuorat. T. 13.
Vndique patuit ingreſſus victoribus. T. 14.
Expugnatio Hiericho, duce Ioſue, quid ſignificet? c. 6 ſ 1. a. 1.
Cur Hebræi Hiericho potiùs obtulerint Deo, quam aliam vrbem? c. 6 ſ. 2. a 3 per totum.
Cur nihil ceſſerit expugnatoribus, ſicut metalla Deo? n 7
Hiericho lunam ſignificat; & locum odoratum, propter roſas & balſamum. a. 6. n. 3.
Hiericho nomine odorem præferebat; intus venenum latebat. n. 9.
Duo cæci ſanati prope Hiericho. n. 4.
Reædificator Hiericho punitur filiorum orbitate. c. 6. ſ. 3. T. 12.
Prohibetur hæc reædificatio vbique T 13.
An muri Hiericho miniſterio Angelorum corruerint? c. 6. ſ 3. a. 1.
An repoſita fuerint metalla Hierichûtina in theſauris Domini, quæ numerantur, & non alia. a 2.
R. Salomon ait, omnes Reges habuiſſe palatia in Hiericho. c. 7. ſ. 3. T. 6.

Hieruſalem.

Hieruſalem incenſa anno à templo ædificato. 470. P. ſ. 5. n. 5.
Ob magiſtratuū ſcelera, in populum deriuata, punitur Hieruſalem. c. 1 ſ 6 a 3. n 4.
Hieruſalem, ſi Romani ei parcerent, erat tandem vaſtanda à Numine, ob Chriſti mortem, &c c 8. ſ. 1. a 1. n. 10.
Hieruſalem ſitus, &c. c. 12. ſ 2. a. 3. n. 3.

Hiſpania.

Hiſpania quando occupata fuit à Mahometiſtis? c. 10 ſ 1. Appen. a 4 n. 17.
Prodigioſa ſolis defectio in Hiſpania, porta flammea, terræ combuſtio, ſcientia faſtorum in Hiſpania intermiſſa. ibidem.
Exactio tributi pudenda, à Mauris impoſita Hiſpanis. ibidem.
Occiduntur legati Mahometani, exigentes tributum. n. 17.
D. Iacobus, & D. Milo pro Hiſpanis inſidentes equis albis, Mauris perniciem afferunt. ibidem.

Homo, Humanus.

Diſpoſitio ex humana prudentia rebus data, à Deo interdū mutatur c 1 ſ 7 a 4. n. 1 &c.
Homines olim robuſtiores & proceriores quam nunc. c. 4. ſ. 1. T. 2.

Honeſtas.

Filij incredulitatis ſunt, qui perſuaderi ad honeſta nolunt. c. 1. ſ. 6. a 3. n. 4.

Hoſpitium.

Hoſpitium Rahab habebat, immunitatem. c 2. ſ 1 T 4

Ius

Ius hoſpitij olim ſanctum. n. 7.
Hoſpites, inſidiantes Regi legitimo, magiſtratui ſunt tradendi. c. 2. ſ. 2. T. 7.
Teſſera hoſpitalitatis, conteſſeratio, &c. n 8.
Receptatores criminoſorum puniuntur. n. 10.
Hoſpes non eſt tradendus oppreſſoribus, niſi inſidiator ſit. a. 6. n. 5.

Humilitas.

Ioſue humilis erigitur ad magna. c. 1. ſ. 5. a. 4. n. 14.
Humilitas, Regina virtutum. ibidem.
Moſes humilis audiuit ſe Deum eſſe Regis. n. 14.
Quantum ſe deiecit Moſes, tãtum a Deo ſublimis eſt factus, imperando, vt Deus, elementis. n. 15.
Superbia, ne vileſcat, humilitate palliate ſe appetit. ibidem.
Humilitas conſeruat virtutem. c. 1. ſ 6. a. 6. n. 2.
Baptiſtæ humilitas. c 5. ſ. 3. a. 7. n 2.
Non tam ſequitur turba, cùm audit ſublimia, quàm cùm humilia. n 3.
Monachus quomodo vicerit vanam gloriam? n. 4.
Deflendi ſunt, qui ab humilitate ad honores aſcendentes, faſtoſi ſunt. ibidem.

Hymnus, honor diuinus.

Confeſſio laudis diuinæ, magis cernitur in re, quàm in voce. c. 6. ſ. 2. a. 2. n. 2.

I.

Iacob.

Timuit Iacob, ne malediceretur à patre, conſuluitque matrem c. 1 ſ 8. a 1. n 9.
Acquieſcit Iacob dicto matris, à Deo inſtructæ. n. 10.
An Iacob excuſari poſſit a mendacio, dicens: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*? c. 2. ſ. 2. a. 5. latè.
Myſtica interpretatio verborum Iacob eximit eum à mendacio n. 3.
An peccauerit piloſas manus ſimulans. a. 4 per totum.
Iacob luctans eſt cum Angelo, iuxta torrentem Iaboc c. 12. ſ. 1. T. 3.

Idolum, Idololatria.

Phogor, Idolum Moabitarum. P. ſ 6. n 3.
Ioſue ſemper victor extitit, quippe ſub illius ductu, Idolorum cultus abominationi fuit: imò Dei cultus floruit, &c. c 1. ſ. 5. a. 1. n. 4.
Idolo Moloch, qui erat Saturnus, Ethnici filios immolabant. c. 6. ſ. 2. a. 5. n. 1.
Effigies huius Idoli. ibidem.
Mundi eſt imago. ibidem.

Iehouah, Dei nomen.

Dei nomen tetragrammaton ſæpius in lib. Ioſue repetitur. c 1. ſ. 6. T. 5.
Adonai, & Iehoua, cur à Ioſue vſurpantur? c. 7 ſ 2. T. 7.
Nomen tetragrammaton in templo ſolùm pronunciari, & in benedictionibus, mos erat. c. 7. ſ. 2 a. 5
Cur in Canticis canticorum Dei nomen non apponatur? n. 6.
Quadripartita nominum Dei diuiſio n. 1.
Iehoua, omnium nominum Dei præſtantiſſimum. n. 2.
Cur dicatur 12. & 42. literarum nominibus exponi? n. 5.
Simeon vltimus fuit ſacerdos, qui in templo nomen Dei magnum ſcitè pronunciauit. n. 7.
Cur Exodi 6. pro Iehoua ponatur Adonai? a. 7. per totum.
Nomen Dei quadriliterum venerationi fuit, etiam gentilibus. n. 2.
Alexander, Dei nomen reueritus. ibidem.
Variè auctores efferunt Dei nomen. n. 3.
Pro nomine quadrilitero ponitur Adonai cur? n. 4.

Ieiunium.

De ieiuniis Hebræorum c. 5. ſ. 2. a. 11. n. 5.
Ieiunia Hebræorum 26 ſingulis annis. ſ. 2. a. 14. n. 5.
Ex præſcripto Rabbinorum, duo ſingulis hebdomadis. ibidem.
Ieiunium, & oratio vſque ad veſperam. c. 7. ſ. 1. T. 3.
Pulueris inſpetſio T. 5.
Ieiunus Ioſue ſolem ſtare fecit. c. 10. ſ. 1. App. a 4. n. 10.

Ieſus.

Ioſue, figura Chriſti vſque ad nominis expreſſionem. P. ſ. 2. n 8.
Comparatio Ioſue cum Ieſu. n 9.
Ioſue, imago erat Domini Ieſu, cùm dixit: *Viuat Rahab.* n. 9.
Græcè, pro Ioſue, ſemper legimus Ieſum. c. 1. ſ. 1. a. 3. n. 6.
Nomen Ieſus victoriam attulit contra Hiericho prælantibus. c. 2 ſ. 4 a. 2. n. 5.
Octauo die, cum circuncisione, nomen impoſitum eſt Chriſto c. 5. ſ. 1. a. 7. n. 6.
Literæ nominis Ieſu habent myſticam interpretationem. n. 6. & 7.
Vbi exercenda ſeueritas, adſunt miniſtri, deeſt Ieſus. ibidem.
Quid ſit tenere Ieſum? c. 6. ſ. 2. a. 1. n. 5.
Multi Ieſum inueniunt in laboribus. T. 5.
Qui ſe ad Ieſum adiungit, multorum ſubiectus eſt inimicitias, &c. c. 10. ſ. . . a 1 n. 1.
Glorioſum eſt, ſub Ieſu pugnare. n. 7.
Tres duces, quòd pro Chriſto ſub Iuliano baltheum reliquerint, Imperatores fuerunt. n. 8.

Iephthe.

Iephte filius fuit meretricis c. 2. ſ. 1 a. 3 n 5.
Iephte iurauit, & vouit temerè. c. 9. ſ. 2. a. 4. n. 1.

Ignis dati dies.

Miraculum ignis dati ſacrificante Nehemia. c. 5. ſ. 2. a. 8 n. 2.
Ignis ad ſacrificia quomodo conſeruatus? n. 2.
Ignis ad ſacrificia è cælo lapſus, durauit vſque ad captiuitatem Babylonicam. n 3.
Incertum quo die ignis datus ſit. n. 4.
Nadab & Abiu mortui ſunt, quia igne communi ſacrificarunt. n. 2.
Myſtica interpretatio ignis. n. 5.

Imitatio maiorum.

Ioſue imitator Moſis. c. 1. ſ. 1. a. 2. n. 3.
D. Baſilium multi imitati ſunt, etiam in corporis vitiis ob amorem virtutis. ibidem.
Imitatores Baſilij, ſimiles Echus, quæ non integram vocem reddit. ibidem.
Ioſue imitatus eſt charitatem Moſis, omnia populo largientis. n 4.
Filij imitatores parentum iniquorum puniuntur à Deo. c. 7. ſ. 1 a. 1. n. 7.
Solam idololatriæ imitationem puniri in filiis, putauit R. Moſes. n. 7.

Imprecatio.

Imprecatio Dauidis grauiſſima contra Doëg Idumæum. L. 1. n. 2.
Rex Balac quod armis non potuit, imprecationibus arioli conducti nititur impetrare c. 2. ſ. 3 a. 1. n. 1.
Ioſue Anathemate damnat Hiericho. c 6. ſ 2 T. 3.
Quàm varij ritus olim fuerint in imprecationibus c. 6 ſ. 5. a. 5. per totum.

Inferorum loca.

Sera pœnitentia, & inutilis apud inferos. c. 7. ſ. 1. a. 5. n. 3.
De carcere, in quo nõ erat aqua, id eſt, de limbo, eruit Chriſtus iuſtos. c. 8. ſ. 1. a. 4 n. 16.

Ingratitudo.

Exempla vltionis diuinæ contra ingratos. c. 1. ſ. 4 a. 4. n. 12.
Iudæa poſt beneficia, Deo fuit iniurioſa. n. 13.
Ingratitudo Iudæorum erga Chriſtum. c. 9. ſ. 2. a. 2. n 6.

Erecti ſunt duodecim lapides, ad arguendos beneficiorum Dei immemores. Significant 12. Apoſtolos, condemnaturos in iudicio ingratos c 4. ſ. 1. a. 4 n 7.
In lapidibus, a Ioſue erectis, inciſa erant nomina tribuum ad memoriam miraculi. n. 8.

Inſidiæ.

Inſidiæ mandantur fieri contra iniuſtos poſſeſſores. c. 8. ſ. 1. T. 1.
Inſidiarum conſilium. T. 2.
An licitum ſit in bellis vti inſidiis? c. 8. ſ. 1. a. 2. per totum.
Qui iuſtè pugnat, poteſt inſidiis vti. n. 1.
Strategema quid ſit? n. 4.
Achæi turpe putarunt, hoſtem dolo vincere. n. 4.
Nefas eſt, fidem datam hoſtibus fallere. n. 2.
Bene interpretatur Diuus Chryſoſtomus doli vocabulum n. 6.

Ioannes Baptiſta.

Origenes putauit, Baptiſtā fuiſſe Angelum, in carne viuentem. c 2. ſ. 8. a. 4. n. 5.
Humilitas Baptiſtæ. c. 5. ſ. 3 a. 6 n. 2.
An vſus ſit calceis? &c. ibidem.

Ioannes Euangeliſta.

Non eſt in Paradiſo terreſtri. P. ſ. 6 n. 8.
Non eſt prædicaturus tempore Antichriſti. poſt Hieroſolymam euerſam mortuus eſt n 9.
Probabile eſt, B. Ioannem poſt mortem mox rediuiuum in cælum abiiſſe. Quomodo bibit calicem Paſſionis? P. ſ. 6. n. 10.

Iob.

Obiicitur dæmoni Iob titulo ſerui Dei. c. 1. ſ. 2. a. 1. n. 3.
Pyramis B. Iob in Idumæa eſt. c. 5. ſ. 2. a. 8. n 1.
An licuerit Iob maledicere diei, in qua natus eſt? c. 6. ſ. 3. a 6. latè.
Iob videns amicos, non bene ſentientes de prouidentia, doloris indicem edidit vocem n. 13.

Iordanis.

Deſcriptio Iordanis. c. 1. ſ. 2 a. 3.
Ior & Dan, duo fontes Iordanis. Panium, fons Iordanis, qui a rotunditate phiala dicitur ibidem.
Iordanis in lacum Genezareth, ſiue Tyberiadis primum ſe infundit, Deinde in Aſphaltiten. a 3 n. 7.
Ripæ Iordanis textæ arundinetis. ibid.
Iordanis ſignificat riuum iudicij, eſt typus pœnitentiæ. ibidem.
Diuiſio Iordanis facta eſt, quo tempore aquæ intumuerant. c. 1. ſ 7. a. 5. n 5.
Dei gloria in diuiſione Iordanis. ibidem.
Tres dies commorati ſunt ad ripas Iordanis Hebræi, vt maiur eſtaret miraculum diuiſi fluminis c 3 ſ 1. T. 7.
An vera ſint, quæ Ioſeph. ſcribit de tranſitu Iordanis? c. 3. ſ. 1 a 7.
De origine & incremento Iordanis a 8.
Iordanis ter diuiſus fuit. c. 3 ſ. 2. a. 9 n. 1.
Potueritne Arca, & populus ſine miraculo tranſire Iordanem? c. 4 ſ. 1. a. 1.

Ioſeph.

Obedientiæ ornamenta in Ioſeph. c. 1. ſ 8 a. 1. n 4.
An præter Arcam fœderis, arca oſſium Ioſeph tranſierit Iordanem? c 3. ſ. 2 a. 4.
Arca oſſium Ioſeph ita portabatur, vt miraculum diuiſi Iordanis illi non attribueretur n. 2.
Ioſeph, oſſa ſua Chriſti pedibus optabat premi. n. 2.

Ioſephus Hiſtoriographus.

Ioſephus aliquando diſcrepat à ſacra ſcriptura, vt placeat Romanis c. 3 ſ. 1 a 7 n. 2.
Videtur exiſtimaſſe, mare rubrum ſine miraculo præbuiſſe iter Hebræis. n. 3.

Ioſue.

Ioſue, exemplar boni ducis I. n. 1.
Ioſue in præfectura ſolicitus valde fuit. ibidem.
Prudens in militum diſſidiis componendis, in precibus aſſiduus I. n. 8.
Ioſue Præſagia P. ſ. 1. n. 1.
Ioſue magiſtratus: vixit, regnāte Cadmo, annis ſeptem: innumeras ſuo imperio adiecit vrbes ibidem.
Hebræorum dux fuit poſt Moſen annis circiter. 27. P. ſ. 2. n. 1.
Sunt qui nomen Ioſue, non idem eſſe putant, quod Ieſus. P. ſ. 2. n. 1.
Ioſue prophetico ſpiritu fuit afflatus. P ſ. 2. n. 2.
Ioſue nomine & factis typum geſſit Saluatoris. ibid. n. 3.
Fortitudine & induſtria Hai occupauit n 4.
Laudatur, quia a puero miniſter fuit Moſis. Itémque conuictor, & particeps adminiſtrationis Reipublicæ. n. 6.
Fuit typus Chriſti in introductione populi in terram promiſſam. n. 7.
Auſes antea vocabatur ibidem.
Solem ſtare fecit: diuinæ virtuti confidebat. P. ſ. 2. n. 5.
Ioſue fuit typus Chriſti reſurgentis & in cælum ingredientis cum triumpho: cælebs fuit. n. 9. & 10.
Ioſue, filius Ioſedec, Pontifex ſummus P ſ 5 n. 6.
Ioſue elegit ſibi monticulum, in quo ſepeliretur, opes reiiciens. P. ſ. 8 n. 1.
Ioſue analogicè Deus dici poteſt, ſicut Moſes. c. 1. ſ. 5. a 4. n 11.
Ioſue voci Deus obediuit ibidem.
Ei loco prophetæ datus Eleazarus n. 14.
Ioſue humilis erigitur ad magna n. 14.
Ioſue, boni & vigilantis ducis exemplum. c. 4 T 1.
In ingreſſu terræ ſanctæ, a legis obſeruatione, ſe auſpicatur. c. 5. ſ. 1. T. 3.
Exequi fecit præceptum circumciſionis per Sacerdotes & Leuitas. T. 5.
Ioſue ſub Moſe bis victor. c. 5. ſ 3 T. 3.
Celeritas Ioſue, in opprimendis quinque Regibus. c. 10. ſ. 1. T. 6.
Ioſue, figura Chriſti victoris. c. 10 ſ. 1. T. 4.
Multas vna die occupauit Ioſue ciuitates. n. 3.
Cur Amorrhæorum quinque Regibus non pepercit? n. 4.
Impulſu diuino eos ignominioſè occidit. a. 1. n. 3.
Cur Deus, promiſſam Abrahæ poſteris terram Chanaan, diſtulerit poſſidendam tradere vſque ad tempora Ioſue? a. 2. per totum.

Ira, furor.

Furor populi, mitigatur pollicitatione cibi. c 5 ſ. 2. a. 12. n. 2.
Comminatio Dei in 3. & 4. generationem. c. 7. ſ. 1. a. 1. n. 9. latè.
Cælo irato omnia turbantur. c. 7 ſ. 1. a. 1. n. 2.
Noſtris peccatis Barbari fortes ſunt. c. 8. ſ. 1 a 1. n 12.
Ab irato Deo flagella immittuntur. n. 11.

Iris.

Iris, ſignum fœderis. c. 1. ſ. 5. T. 2.
Iris eſt fœderis Index, & ſignum miſericordiæ. c. 10. ſ. 1. App. An 4. n 8.
Eocherius in Iride ignem & aquam conſiderat. n. 8.
Arcus ſine ſagitta in nubibus quorſum? ibidem.
Symbolum eſt Iris vtriuſque iudicij. ibidem.

Iſaac.

Obedientiæ, in Iſaac ſene & cæco, adhuc viget ſenſus, i. [illegible] c. 1. ſ. 8. a. 1. n 7.

Iubileus annus.

Buccinæ iubilei, cur ita dictæ? c 6 ſ. 1. T. 9.
Fueritne argenteæ T 9.
Arietinis buccinis indicabatur aduentus anni iubilei. T 8.
Quinquageſimus annus erat iubileo celebris. T. 8.
Libertas ſeruis dabatur ibidem.
Iobel vocabulum Arabicum ibidem.
De feſto quinquageſimi anni, buccinis & remiſſionibus, &c. c 6. ſ 1. a. 5 copioſè.
Seruus, qui anno 7. manſit apud Dominum, anno iubilei

libertate donatur. c 6 ſ.1. a 3. n. 7.
Anno iubilei, redibant ſine pretio antiquis dominis hæreditates n. 8.
Iubilei deriuatio & ſignificatio. n. 10.

Iubilus.

Iubilus, eſt clamor qui fit ſono, ſonum excipiente, eſt affectus concordiæ. c 6 ſ 1. a 3. n. 1.
Quomodo beatus populus, qui ſcit iubilationem? n. 2. & 3.

Iudæa, & Iudæi.

Iudæi in Ægypto formam Reipublicæ non habuerunt. P. ſ 5 n. 10.
Iudæi ob peccata ſpoliati ſunt terra promiſſa. c. 1. ſ. 4 a. 3. n. 7.
Balſamum, ſola Iudæa habet (inquit Plin.) ſed falsò. c. 1. ſ. 4. a. 4. n. 11.
In media terra ſedem obtinet. n. 12.
Patria fuit Prophetarum & Patriarcharum n. 13.
Iudæi ſub Ioſue deteſtabantur idola. c. 1. ſ. 6. a. 3. n. 1.
Iudæorum fides miraculis fulcitur ſ. 7. a 5. n. 4.
Iudæi ſunt baiuli legis. a. 7. n. 2.
Iudæis credibilis eſt verbi incarnatio. c 2. ſ. 2. a. 1 n. 2.
Victima, vocatur multitudo Iudæorum occidenda. c. 3. ſ. 1. T. 12.
Iudæi, Deum propter cibum, non propter Deum quærebãt. c. 5 ſ. 2 a. 1 3. n. 1. &c.
Cur Iudæi non doluerunt deficiente manna? n 3.
Manna, dicebatur impropriè panis de cælo. ibidem.
Iudæi de ventre cogitabant. n. 3.
Iudæi maledicere aliis ſolent. c. 6. ſ. 3. a. 4. n. 12.
Cur Chriſtum non recipiunt? n. 13.
Tribus vicibus quotidie maledicunt deſerenti Iudaiſmum. n. 13.
Hodie pro Idolis, pecunias colunt. n. 13.
Vſuris inhiantes, ex rapina viuunt ibidem.
Iudæi olim ad idola proni; nunc legem Moſis, quæ iam ceſſauit, ſeruare nituntur c. 7. ſ. 2. a. 8. n. 3.
Propter idololatriam crebrò Deus Iudæos puniuit. n. 4.
Plangent Iudæi in iudicio, quòd Chriſto fuerint rebelles. c 8. ſ. 1 a 1 n. 10.
Iudæi, qui adhuc expectant Chriſtũ, dicuntur vincti ſpei. c. 8. ſ 1 a 4 n. 16.
Iudæorum ſupplicium ob necem Meſſiæ. c. 10. ſ. 2. a. 2. n. 6.
Iudæorum completa iniquitas n. 7. vſus eſt Deus Aſſyriorum armis, ad vindictam Iudæorum. ibidem.
Extincto Iudæorum Regno & ſacerdotio, ſucceſſit Chriſti regnum & ſacerdotium. c. 12. ſ. 2. a. 3. n. 10.

Iuramentum.

Liberat fidem ſuam Deus iuramento obligatam patribus. c. 1. ſ 6. a 1. n. 11.
De promiſſione iurata patribus. a. 2 n 2.
Omnis controuerſiæ finis, eſt iuramentum. n. 3.
Duæ res immobiles apud Paulum ſunt, promiſſio & iuramentum. ibid.
Rahab dimittit de feneſtra exploratores obligatos iuramento, c. 2. ſ. 3 t. 1.
Quiſque iurat per numen, quod colit. t. 12.
Iuratio, a Mauris & Iudæis qualis exigatur. t. 12.
Iuramentum eſt ſignum veritatis niſi ſubſit cauillatio. t. 13.
Licet petere iuramentum ab infidelibus. c. 2. ſ. 3. a. 4. n. 2.
Infidelis tenetur ad iuramenti impletionem: quomodo? ibidem.
Gloſſa iuris de iuramento exponitur. n. 3.
Periurium, grauius peccatum eſt, quàm homicidium. n. 4.
Gentiles iurabant per Iouem lapidem n 3.
Iuramentum, eſt vitta coccinea in labijs c 2. ſ. 4 a. 3. n. 10.
Exactè ſeruat Ioſue iuramentum. c. 6 ſ. 3. t. 1.
Sedechias periurus punitur. c 8. ſ 1 a. 1. n. 11.
Bellum iuratum. c 9. ſ. 1. t 1.
Parcunt Hebræi Gabaonitis ob reuerentiam iuramenti. c. 9. ſ. 2. t. 17.
Optimates cenſent ſeruandum iuramentum. t 19.
An iuramentum Gabaonitis præſtitum, obligandi vim habuerit? c. 9 ſ. 2. a. 3 per totum.

Iuſſio, Imperium.

Prælatus, per Iordanem, id eſt, per fluuium iudicij, ducit ſuos ad cælum. c. 1. ſ. 2 a 7. n. 3.
Quidquid Deus iubet, ius eſt. c. 2. ſ. 2. a. 6. n. 6.
Tenetur exequi diuinã voluntatem, qui iubetur à Deo occidere quempiam. ibidem.
Regula obedientiæ erga Dei iuſſa, cùm certò conſtat ab illo manare. ibid.
Altera regula, iuxta quam oportet Deo obedire n. 7.
Monarchicum imperium præſtat Ariſtocratiæ, & Democratiæ. c. 3. ſ. 2 a. 1. n. 3.
Cur cùm Deus iuſſerit Achan igne comburi, lapidum ictibus occiſus eſt? c. 7. ſ. 3. a. 5.
Num de igne æterno locutus eſt Deus? n. 6.

Iuſtitia, & iniuſtitia.

Deus dicitur cum his ambulare, qui legis iuſtitiam ſeruant. c 1. ſ 5 t 2.
Noe iuſtus, ſuam ſanctitatem videtur obtuliſſe Deo, tanquam pretium redemptionis mundi, diluuio perituri. ibidem.
Vnus iuſtus ſufficit ad placandum Deum iratum alicui hominum cœtui. c. 1 ſ 5. T. 2.
Malis Deus ſæpe vtitur ad diuinæ iuſtitiæ executionem. c. 6. ſ. 2. a. 5 n. 3.
Quomodo propter alienum peccatum aliqui iuſtè à Deo puniantur. c. 7 ſ 1. a. 1. per totum.
Pœna propriè applicatur culpæ, qua iuſtitia violatur. n. 2.
Innocentes, pœna corporali iuſtè interdum puniuntur cum ſontibus. n 5.
Sceptrum iuſtitiæ inflexibile contra obſtinatos. c 9. ſ. 1. a. 2 n 5.
Iudæi ob mortem Chriſti puniti, deinceps facti ſunt, ſicut vas perditum. n. 5.
Aſtuti defugiunt eorum tribunal, à quibus cõuinci poſſunt. c. 9. ſ 2 a 5 n. 1.
Cùm videmus iudicia Dei ſeuerá, illius oportet iuſtitiã cõmendare c. 1 2. ſ. 2. a. 2. n. 3.

L.

Laban.

Iacob & Laban iurant per ſuum quiſque Deum. c. 2. ſ. 3. a. 4 n. 2.

Labor.

Labor piſcationis non dedecet honeſtos viros; c. 1. ſ. 4. a 2. n 5.
Chriſtianis commendatur labor. ibidem.

Lacrymæ, gemitus.

Dicuntur lacrymæ redemptrices, quibus in funere pauperes demortuum plorant. P. ſ. 6 Tit. de comploratu. n. 2.
Lacrymæ in funere Valentiniani & Theodoſij. c 6. ſ. 2. a. 4. n. 3.
Vis lacrymarum: Dauid gemitus. n. 3.

Leuitæ.

Leuitæ in deſerto circunciſi ſunt. c 5. ſ. 1. T. 11.
Neque in Sculptura vituli, neque in adoratione peccauerunt. T. 11.
Leuitæ numerabantur in Rationali cum 12. Tribubus; nõ in diuiſione agrorum: cur? c. 7. ſ. 2. a. 9. n. 1.

Lex, mandatum.

Qui in cultu Dei & legis non perſeuerant, promiſſiones diuinas non aſſequuntur. c. 1. ſ 6. a. 3. n. 1.
Legis Moſaicæ onus graue. n. 2.
Importabilia præcepta, quæ dicantur. n. 4.
Solum Decalogum Deus per ſe condidit, cæteras leges per Moſem c. 1. ſ. 6 a 4 n. 5
Commendatur legis obſeruatio; lectio, & meditatio. a. 5.
Lex ignea dicitur, ob efficaciam. c. 2. ſ. 4. a 1. n 5.
Ceremoniæ legis Moſaicæ ſunt aquæ inferiores Iordanis, quæ ad mare mortuum lapſæ ſunt. c. 3 ſ. 2. a 10. n 2.

Tabulæ legis, in Arca conditæ ſunt, ne quis negaret legem a Deo datam. c 4 ſ.1. a.1. n.4.
Non aſtringebantur Hebræi in terra promiſſa ſeruare integram legem antequam pax eſſet. c 5. ſ.1. a.6. n.1.
Primi alicuius legis tranſgreſſores grauiùs puniuntur. c 7. ſ 3, a 5 n.7.
Poſtquam tabernaculum fuit in Silo, perfecta legis obſeruatio inducta eſt. n.2.
Exemplo eſt Achan. n. 7.
Legis præcepta. 613 c. 8. ſ. 2. a. 3. n. 1.
Præcepto Moſis ſatisfactum eſt à Ioſue inſcripto in erectis lapidibus decalogo, cum benedictionibus & maledict. n. 4.
Obedientia Ioſue in exequendis mandatis. n 4.

Libri Canonici.

Sixti V. Pont. editio ſacrorum lib. & 70. interp. emendata tranſlatio. L. n.7.
Sequitur autor vulgatam & emendatam editionem. ibidem.
Tres librorum ordines apud Hebræos; legales, prophetales, agiographi. P.ſ.3. n.1.
Ruth, & Threni, inter prophetales libros rectè numerantur. ibidem.
Hebræi non recipiunt Iudith, Mach. Sap. Eccleſ. Tob. in canonem. n.2.
Eccleſia aptiùs, quàm Synagoga diffiniuit libros canonicos n. 2.
Quo ordine, & à quibus ſcripti ſint? ibid.
Libri Sap. dubius autor. ibid.
Tobias, & Iudith, habentur apud Chaldæos. Primus Machabæorum Hebraicè inuenitur ſcriptus. n.2.
An Ioſue ſcripſerit ſuum librum? ſitne prophetalis. n. 3. & 4.
Duæ verſiones, Patrum ætate celebres, & de aliis editionibus. P.ſ.4 n.1.
Editio vulgata à Trid. approbatur. ibidem.
Concilium Trident. in decreto de libris canonicis, nihil diffinit de Hebræis, & Græcis exemplaribus. n.2.
Ioſue liber, Latinitate à Diuo Hieronymo tranſlatore, vel correctore, donatus eſt. n. 2.
Tranſlatio. 70. interp. ibidem.
Biblia à D. Hiero. tranſlatore vel correctore nobis relicta, excellunt aliis verſionibus. P.ſ.4. n.2. ad finem.
Sacri libri ab Eſdra reparati ſunt: Is, characteres, qui apud Hebræos in vſu ſunt, inuenit. P.ſ.5. n 6. & 7.
De libro Iuſtorum, & libro bellorum Domini. c.10. ſ.1. n.13. & 16.

Lingua.

Multis, quæ alta voce fit lectio, exercitium eſt. c. 1. ſ. 4. a. 1. n. 5.
Lingua, igne amoris diuini, & proximi, concitata, vittæ coccineæ inſtar eſt: non autem, quæ conuitiis aſſueſcit. c.2 ſ 4 a.2. n 6.
Lingula aurea ab Achan rapta, fortè idolum fuit. c.7. ſ.2. a. 8. n. 4.

Loca ſacra, & res ſacræ.

Vide templum.

Sanctificatio, & mundities neceſſaria eſt ad tractandas res ſacras. c.3. ſ.1. n. 11.
Thuribulum aliquando erat intra Sancta Sanctorum, aliquando extra. c.3. ſ.1. a 4. n 4.
Ara ſuffumigatoria. ibidem.

Loth.

Loth admonuit Sodomitas ſui ſceleris c.2. ſ.2. T.7.
Arcet Loth, obſtinatè peccantes, a maiori flagitio, minoris culpæ occaſione oblata ibid.
Loth excuſatur a culpa ibidem.
Loth hoſpites ſuos ab iniuria vindicare voluit. c. 2. ſ. 2. a. 6. n. 5.

Luctus, & comploratio.

Luctus in morte Moſis, triginta dierum. P ſ. 6. n 11.
Dies luctus 30. dati ſunt Moſi, & Aaroni. 70. verò Iacobo Patriarchæ P. ſ. 6. Tit. de comploratu. n.1.
Non deliberatur de Principe futuro antequam iuſta defuncto perſoluantur. ibidem.
Luctus in funere Theodoſij Maioris & in funere Valentiniani. ibidem.
Funus Satyri fratris D Ambroſij. ibid.
Dauid laudat in funere Saule & Abnerem ducem ſtrenuum. ibidem
Mos laudandi in funere defunctos. ibidem.

M.

Magiſtratus.

Ioſue, & Moſis magiſtratus, ampliorem habuit poteſtatem, quàm Iudicum, qui illos conſequuti ſunt. P.ſ.5. n.10.
Nouos magiſtratus Deus ſignis conſpicuos reddit. c.1. ſ. 7. a. 5. n. 5.
Ioſue miraculo decoratur in exordio ſui principatus. ibidem.
Qui captant magiſtratus, id quod oneris eſt, reiiciūt in alienos humeros. c.1. ſ.8. a.3 n.6.
Magiſtratus ferè ſenes olim eligebantur. c.7. ſ.2. T.4.

Maledictio; maledicere.

Inuenitur in ſacris literis maledictio malis parata. c. 1. ſ. 6. a. 7. n. 5.
Quid ſit volumen volans? ibidem.
Lex quare dicatur maledictio? ibidem.
Nihil maledictione parentum, pernicioſius eſſe poteſt filiis. c.1. ſ.8. a.2. n.9.
Maledictiones 30. in Iudam iactatæ c.6. ſ.3. a.4 n.10.
Ficulnea à Chriſto maledicta. n. 11.
Duplex maledictum in Scriptura a. 6. n. 13.
Sancti, ad maledicendum mouentur, zelo iuſtitiæ. a 6. n.13.

Manna.

Manna vltra vnum diem non conſeruabatur: ceſſauit. 15. die primi menſis. c.2. ſ.7. a.2. n.1.
Ex manna fiebant tortulæ. n. 2.
Non poterat præparari in multos dies. ibid.
Iudæis dum peregrinati ſunt, dedit Deus manna. n.4.
Ceſſauit manna, quia Iudæi veſci cœperunt frugibus terræ, antequam ſoluerent primitias ſecundùm legem. n. 5.
Manna datur Iudæis deficiente Ægyptiaca farina. c 5. ſ.2. a. 21. n. 1.
Quonam die manna pluerit in deſerto, & in quo defecerit? a. 22.
In Dominica die 16. Aprilis primum de cælo pluit manna. n. 1.
Manna quaſi ſemen coriandri album. n.3.
40. annis datum. ibidem.
Defecit Manna die 15. primi menſis n. 7.
Cur Iudæi deficiente manna, nullum triſtitiæ ſignum ediderunt? a. 13 n.1. &c.

Mardochæi dies.

Pœna propoſita non flectenti genu Mardochæo. c. 5. ſ. 1. a. 10.
Indicta celebritas à Mardochæo. n.2.
Ibidem de Ieiunio Eſther.

Mare magnum: Mare rubrum, &c.

Mare magnum in Script. vocatur Mediterraneum. c. 1. ſ. 4. T.1.
Non ſunt Hebræi mare ingreſſi in prima die profectionis de Ægypto. c.2. ſ 3. T.7.
Via in mari rubro diuinitus facta graminea fuit. c. 3. ſ. 2. T. 4.
Angeli viam ſine impedimento Iſraelitis præpararunt. T.4.
Pentapolis fuit, vbi mare mortuum poſtea. T 6.
Quare mare mortuum, & mare ſolitudinis dicatur lacus, in quem influit Iordanis? T. 6.
Aquæ Iordanis abſorbentur in mari mortuo. ibidem.
Mare mortuum neque piſces, neque viuum aliquid habet. T.7.

Aqua illius non eluit ſordes. ibidem.
Huius maris aqua, vim habet igneam & ſulphuream. T.8.
Dicitur mare diaboli, id, in quo fuit Sodoma T.8
Quid ſenſerint aliqui Ethnici de tranſitu maris rubri ? c 3. ſ. 1. a. 7. n 3.
Quid dicendum de mari Phamphylico ? ibidem.

B. Maria, Dei Mater; & Maria, ſoror Aaron.

Natiuitas Mariæ, ſororis Moſis, amara fuit: Virginis Mariæ læta. P. ſ. 5 n 3.
B. Mariæ nobilitas qualis ? c. 2. ſ. 1. a. 3. n. 6.
B. Maria impediuit dæmonem, ne ſuffocaret B Antonium. Luſ. c. 2. ſ. 2. T. 1.
Chriſtus in vtero vires ſuppeditabat Virgini matri. c. 3. ſ. 1. a. 2. n 5.
Arca abſcondita eſt Dei prouidentia in ſpelunca, ne Iudæi ad illam ſemper hiarent, ſeque ad Virginem, quæ fuit Arca diuinitatis, colendam pararent. a. 4. n. 5.

Maria Magdalene.

Maria Magdalene, quia plus tribuit oculo, quàm oraculo, non tangit Chriſtum. c 1. ſ. 8. a. 2 n. 7.
Soli Iudæ diſplicuit effuſio vnguenti Magdalenæ. c. 7. ſ. 1. T. 1.

Martyr, Martyrum.

Quomodo intelligatur præceptum, quo iuſſit Chriſtus non præmeditari quomodo reſpondendum ſit Tyrannis ? c 2. ſ. 1. a. 1. n. 1.
Clamant Martyres, hoc eſt, ipſorum animæ, & non ſolùm ſanguis. c. 5. ſ. 2. a. 10. n. 3.
Clamor Martyrum. ibidem.

Mendacium, Fraus.

Mendacium officioſum. c. 2. ſ. 2. T. 9.
De mendacio, quo vſa eſt Rahab, ad occultandos exploratores. c. 2. ſ. 2. a. 2. latè.
Nec pro vita ſeruanda mentiri licet. n. 3.
Iob, oſor mendacij. n. 7.
De mendacio obſtetricum. n 8.
Obſtetrices ſuam magis, quàm puerorum vitam, tueri mendacio curarunt. n 9.
Mendacij intrinſeca malitia cohoneſtari nequit. n. 10.
Deus non remunerauit mendacium obſtetricum, ſed pietatem. n. 11.
Ioſeph Patriarcha & Abraham excuſantur à mendacio. n. 16.
Peccauerítne Rahab leuiùs, mentiendo; an obſtetrices Ægyptiæ? c. 2. ſ. 2. a. 5. per totum.
Cappadocum, & Gabaonitarum mendax ingenium. c. 9. ſ. 2. a 4. n 2.
Quædam nationes naturâ mendaces. n. 2.
Cautè agendum cum fraudulentis. a. 5.
Aliqua pœna ſunt plectendi. ibidem.

Menſis.

In Paleſtina, in menſe Martij ſunt fruges præmaturæ. c. 3. ſ. 2. a. 8. n. 3.
Martius in Palæſtina dicebatur, menſis nouarum frugum. n. 3.
Duplex menſis primus apud Hebræos. c. 5. ſ. 2. a. 13. n. 1.
Menſes apud Hebræos non diſtinguebantur ſuis nominibus, niſi poſtquam itum eſt in captiuitatem. a. 14.
Cur September dicatur menſis fortium? n. 2.
Menſium nomina apud Hebræos. n. 3.
Iudæis erat aliquando 13. menſis. n. 4.
Primus menſis à Nouilunio ſumebat exordium. n. 6.

Meſſias, Vide Chriſtus.

Arca, & reliqua ornamenta veteris legis ſublata ſunt, vt aula venturo Meſſiæ vacua relinqueretur. c. 3. ſ. 1. a. 5. n. 4.
Tribus Iuda magnificabat, propter Meſſiam ex ea naſciturũ. c. 7. ſ. 1. a. 2. n. 1.

Phares, Pater Meſſiæ. n. 2.
Quid illi acciderit in ortu? ibidem.

Michael. vide Angel. & Gabriel.

Michael Princeps exercitus Domini. c. 5. ſ. 3. T. 5.
Iuuit Gabrielem. ibidem.
Ex quo ordine ſit Michael, & quomodo venerit auxilio Gabrieli ? a. 3. n. 1. latè.

Miracula.

Miracula Ioſue duce patrata l. n 8.
Comparantur miracula patrata à Moſe cum miraculis Ioſue. c. . ſ. 5 a. 1. n 2.
Nefas eſt poſcere miracula, cùm humanæ vires ſuppetunt. c. 1. ſ. 7. a. 6. n 4.
Eliguntur viri, qui miraculum diuiſi Iordanis teſtificentur. c 3. ſ 2. T. 4.
Helias ignem de cœlo deuocauit c 3. ſ. 2. a. 6. n. 2.
Moſes, Ioſue, Gedeon miraculis clari fuerunt. n. 3. & 4.
Miraculum diuiſionis maris rubri & Iordanis copioſè. c. 3 ſ. 2. a. 9.
Fueritne maius miraculum diuiſionis maris rubri, quàm Iordanis ? c. 3. ſ. 2. a. 9.
Rab. Salomon putat, Arcam cum Sacerdotibus ex alueo Iordanis per aërem volaſſe. c. 4. ſ. 1. T. 14.
Fuerítne maius miraculum, ſolem ſtare, quod accidit ſub Ioſue; an retrocedere tempore Ezechiæ ? c. 10. ſ. 1. a. 6. per totum.
Miraculum ſub Ezechia in ſole factum, Burgẽſis in ſolo horologio extitiſſe putauit. n. 6.
Miracula, quæ nullo modo poteſt natura attingere. a 6. n. 6.
Spectata Dei virtute, omnia miracula paria ſunt. n. 9.

Miſericordia.

Miſcenda eſt lenitas ſeueritati: in Arca cum tabulis virga ſimul & manna erat: quid hæc ſignificent. c. 1. ſ. 8. a. 3. n. 6.
Viri ſancti lacrymis Deum flectunt c. 5 ſ. 3. a. 1. n. 1.
Mora hebdomadæ ad circuitionem Hiericho, data eſt ad pœnitentiam. c. 6. ſ. 1. a. 1 n 4.
Miſericordia tardat Deum, ne ſubitò deſtruat n. 4.
Deus vtiliter expectat, antequam puniat. n. 5.
Ad primum pœnitentiæ gemitum Deus occurrit. n. 8.
Deus poſt punita ſcelera, exhibet miſericordiam. c. 7. ſ. 3. a. 7 n 6.
Poſt interitum peccati, adeſt benignitas Dei n. 7.
Amat Deus nos n 8.
Xenocrates fouit in ſinu paſſerculum ad ſe confugientem; quid Deus? n 8.
Ioſue illis pepercit, quos iure poterat occidere. c 9 ſ. 2 a. 4. n. 3.
Fraudulentis interdum parcendum n. 4.
Deus miſericordia temperat ſupplicia. c. 10 ſ. 1. a. 3. n. 4.
Dei in differendo ſupplicio benignitas. c 10. ſ. 2 a. 2. 9.
Qui peccauit, ad pœnitentiam confugiat; præſto erit miſericordia. c. 11. ſ. 2. a. 4 n. 1.
Paulus ſe patrem miſericordem exhibet Galatis. n. 1.
Niniue miſericordiam ſortita eſt. n. 2.
Iudas, niſi ſe occidiſſet, fortè ſalutem aſſequeretur. c. 11. ſ. 2. a 4. n. 3.
In oculis Chriſti modeſtia & miſericordia. c. 12. ſ. 1. a. 2. n 2.
Panes propoſitionis ſignificant Dei miſericordiam, menſam nobis parantem n 3.
Prouidentia Dei & miſericordia oſtenditur in menſa panum. n. 3.
Pharao de populi fame ſollicitus. ibidem.
Chriſtus, & Virgo Maria, ſunt veluti duæ portæ, benignè nos excipientes n. 4.
Qui panem ſeruat, vt alat famelicos, vt Ioſeph, dignus eſt imperio. ibidem.

Montes terræ ſanctæ.

Ex monte Nebo, ex quo diabolus oſtendit omnia regna mundi, Matth. 4. vidit Moſes terram promiſſam. P. ſ. 6. n. 2.
Deus montes terræ ſanctæ ſibi ſacrauit. c. 4. ſ. 1. a. 4 n. 3.

In vno iugo Hieroſolymitani montis erat templum, in alio domus Regia: illud, dicebatur Moria; hoc, Sion. n. 3.
Mons Iſrael, dicitur ille tractus, in quo eſt Samaria. c. 1. ſ. 2. T. 16.
Hermon Paneadi imminet. c. 12. ſ. 2. T. 6.
Libanus in locis niuoſis, inhoſpitalis eſt. T. 6.

Mors.

Mors & diabolus, veluti ſatellites ſunt diuinæ iuſtitiæ. L. n. 1.
Vaſa interfectionis. L. n. 2.
Mortis aculeus. ibidem. n 2.
Amor populi in Moſem, in morte declaratur. P. ſ. 6. n. 3.
Amor populi erga D. Baſilium, in funere declaratus. P. ſ. 6. Tit. de comploratu. n. 1. Vide luctum & compl. ſupra.
Duo errores, circa mortem Moſis exorti, confutantur. c. 1. ſ. 2. T. 1.
Nec Abſalonem equus, nec fortitudo Sanſonem à morte exemit. c. 2. ſ 6. a. 8 n. 4.
Sanguis, dicitur eſſe ſuper caput alicuius, cùm propter culpam moritur. c. 2 ſ 4. T. 3.
Hebræi iudices, aliquem reum mortis iudicaturi, manus abluebant. n. 3.
Pilatus abluit manus poſt ſententiam mortis. ibidem.
Qui tangebat morticinum, immundus erat. 7. diebus. c. 3. ſ. 2. a. 4. n. 2.
Innocentibus, mortis atrocitas ad coronam facit. c. 7. ſ. 3. a 4. n. 4.
Cur mortem ſuam Chriſtus, glorificationem appellat? a. 7. n. 11.

Moſes.

Facies Moſis ſplendida, in cuius manibus cornua, id eſt, Legis tabulæ. L. n. 1.
Moſes felix in nominibus imponendis. P. ſ. 2. n. 1.
Nomen impoſuit Ioſue, quo vſus eſt miniſtro & amanuenſi. P. ſ. 2. n. 1.
Nomen impoſuit Ioſue, quo vſus eſt miniſtro & amanuenſi. P. ſ 2 n. 1.
Moſis & Ioſue iuriſdictio amplior fuit quàm Iudicum. P. ſ. 5. n. 4.
Moſes, Rex, legiſlator, & Pontifex. P. ſ. 5. n. 10.
Moriturus aſcendit in montem Nebo, qui eſt pars montis Abarim. P ſ 6. n. 1.
Hinc videt diſtinctè terram promiſſam. ibidem.
Moritur abſque vllo doloris ſenſu. P. ſ. 6. n. 3.
Eius obedientia vſque ad mortem. ibid.
Nube tectus moritur. ibidem.
Eius mite ingenium. ibid.
Moſes non eſt viuus in paradiſo, ſicut Elias. P. ſ. 6. n. 6.
Moſes omnibus veteris teſtamenti prophetis excelluit. P. ſ. 6 tit. laudes Moſis, n. 7.
Viditne diuinam eſſentiam. ibidem.
In quibus excelluerit aliis prophetis. ibidem. n. 8.
Hæreſis affirmantium Moſen fuiſſe damnatum. c. 1. ſ. 1. T n. 4.
Moſes peccauit venialiter ex omiſſione, ad aquas contradictionis. ibidem.
Moſes conditor noui cultus. ibidem.
Gratus Deo, mitiſſimus. ibidem.
Moſis elogia. c. 1. ſ. 1. a 1. n. 2.
Moſi data eſt poteſtas aduerſùs Pharaonem, qua cogeretur dimittere populum. c 1. ſ. 5. a. 4. n. 9.
Moſen & Ioſue Deus fecit populo venerabiles. c. 3. ſ. 1. T. 17.
Mortuo Moſe, nubes non apparuit ampliùs. c. 3. ſ. 1. a. 1. n. 1.
Moſes non per ſacerdotem, ſed per ſe, Deum conſulebat. c. 3. ſ. 1. a. 6. n. 1.
Moſes puer, impoſitum ſibi diadema reiecit, & conculcauit. c. 5 ſ. 1. a. 4. n. 1.
Angelus terruit Moſen, vt dimitteret vxorem iturus enim erat ad res magnas. n. 4.

Mundus, Mundi finis.

In fine Mundi, quicquid alij dicant, non videtur Arca fœderis in medium adducenda, ſicut crux, c. 3. ſ. 1. a. 5. n. 3.
Arcam fœderis manifeſtandam Iudæis in fine mundi aliqui putant. n. 6.
Turbatio hominum in extremo mundi tempore. c. 5. ſ. 1. a. 1. n. 6.
Hebræi mundum creatum dicunt 25. Septembris, & Adam in vltimo ibidem.
In verno Æquinoctio mundus creatus eſt.
Mundus plenus erat Idololatria & fallaciis, antequam à Chriſto vinceretur. c 6. ſ. 1. a. 1. n 3.
Conſummatio futuri mundi quomodo fiet? n. 5.
Quamuis Chriſtus vicerit mundum, vult ne arma abiiciamus, n 5.
Fugiendæ ſunt euagationes mentis ad res mundi. c. 6. ſ 2. T. 6.
Miracula patrata, vt Iſraelitæ ſub Ioſue bono eſſent animo. c. 9. ſ. 1. a 1. n. 8.
Deo, contra peccatum, armamentarium eſt mundus. c. 10. ſ. 2. a. 3. n. 4.

Munus, ſiue oblatio.

Munera minora, & maiora Deo oblata. c. 8. ſ. 2. a. 2. n. 9.
Antiochus Soter iuſſit offerri taurum in templo, cornibus auro ductili obtectis. n. 9.

Murmurare.

Iſraelitæ, qui dixerunt dolere ſe, quòd exierint de Ægypto, mortui ſunt in ſolitudine. c. 7. ſ. 2. T. 6.
Verba Ioſue, non murmur continent, ſed dolorem. T. 10.

N.

Nabuchodonoſor.

Nabuchodonoſor, à ſuis omnino deſtitutus, Dei miſericordia reſipuit. c. 6. ſ 3. a. 3. n. 6.
Cur Deus locum dederit pœnitentiæ huic Regi, non verò Balthaſari, eius filio? n. 7.
Nabuchodonoſor dilatione pœnæ abuſus eſt ad ſuperbiam. c. 7. ſ. 3. a. 2. n. 5.

Natiuitas Chriſti.

Herode, in Regem ab Auguſto confirmato, Chriſtus natus eſt. P. ſ. 5. n. 9.
Chriſtus quingentis annis poſt Iſaiæ vaticinium: *ecce virgo*, &c. de Virgine natus eſt. c. 3. ſ. 2. a. 6. n. 5.
Epiphanius ait, Chriſtum in loco in quo natus eſt, circumciſum. c. 5. ſ. 1. a. 7. n. 4.
Roſæ Hierichuntinæ, Virginei partus in nocte Natalis Domini reddunt teſtimonium. c. 6. ſ. 2. a 6. n. 1.
Corona ſpicata ignita, & alia ſigna, Chriſto nato, apparuerunt. c. 10. ſ. 1 App. ſ. 4 n. 13.
Circulus in ſole, ante Chriſti natalitia. n. 13.
In die natalis Chriſti, in circulo aureo, Virgo cum puero Ieſu apparuit. n. 14.

Neomenia, feſtum Iudæorum.

Quid ſignificet Neomenia? c. 5. ſ. 2. a 2.
Ethnici ſacrificabant in plenilunio; Iudæi in nouilunio. n. 3. & 4.
Quid ſit buccinare in Neomenia? n. 4.
Neomenia Septembris celebrior. n. 4.
Iudæi lunam nouam, tubæ ſonitu ſignificant. n. 2.

Nicanoris dies.

Cædis Nicanoris dies ſuperbiam confutat. c. 5. ſ. 2. a. 10.
Celebratur pridie Mardochæi diei. n. 2.
Vltiò de Nicanore accepta a Numine. n. 2.
Myſtica interpretatio huius feſti. n. 3.

Nobilitas.

Nobilitas cum virtute copulata magni facienda eſt. c 2. ſ. 1 a. 3. n. 6.
Ignobiles habendi qui vitioſi ſunt, c. 7. ſ. 1. T. 4.

Eſau,

ſau, Achan, &c ignobiles reparandi. T. 5
Vnde conſtet, Achan fuiſſe nobilem? c. 7. ſ. 1. a. 1.
Neceſſitas nobilibus imponitur ſequendi veſtigia maiorum. n. 7.
Nobilitas ſtudioſis actionibus fulcitur c. 7. ſ. 1. T. 1.
Qui improbus eſt, fruſtra gloriatur parentum titulis ibidem.

Nouitij.

Non admittebantur olim ad Monaſterium, niſi qui nulla recuſabant impenſa. c. 5. ſ. 3. a. 8. n. 1.
Duo exempla ſubijciuntur. n. 2.
Quidam illæſus ex igne exiit. n. 3.
Ingreſſuro cœnobium, prima lex, obedientia eſt. n. 3.
Qui impediunt ingreſſum religionis, peremptores ſunt, non parentes. c. 6. ſ. 4. T. 6.

Nubes, columna nubis.

Poſt mortem Moſis, columna nubis non dirigebat Caſtra. c. 1. ſ. 7. a. 5. n. 4.
Loco nubis poſt mortem Moſis ſuccedit arca. c. 3. ſ. 1. T. 4.

O.

Obduratio Cordis.

Quò ſpectet decretum obdurationis Regum Chanaam? c. 11. ſ. 1. a. 1.
Induratio Pharaonis & Ægyptiorum, illorum culpæ adſcribitur. n. 3.
Obſtinatus animus punitur induratione. n. 4.

Obedientia.

Ob meritum obedientiæ conſolatur Deus Moſen conſpectu terræ promiſſæ. P. ſ. 6. n. 1.
Exigit Deus promptam obedientiam. c. 1. ſ. 2. a. 3. n. 8.
Excitatur Ioſue ad tranſeundum Iordanem, Dei pollicitatione. a. 4. n. 9.
Promptitudo Ioſue in exequendis diuinis mandatis. c. 1. ſ. 7. T. 2.
Non diſtulit executionem mandati. n. 4.
Obedientia populi, ſub Ioſue inſignis. c. 1. ſ. 8. T. 1 & 2.
Laudantur qui ſemper obedientes fuêre. n. 4.
Duplex obedientia. n. 6.
Inobedientes lapidibus obruebantur. n. 7.
Obedientia in Chriſti hiſtoria primo loco ponitur. a. 1. n. 5.
Obedientiæ ornamenta in Chriſto, ſignificata in Ioſeph. n. 4.
Qui prælatis & parentibus obediunt, decorantur à Deo. n. 4.
Multa hîc de obedientia.
Iehu, quia in omnibus non obediuit, punitur. n. 9.
Pauli obedientia. n. 6.
De obedientia, prælatis debita, quid patres ſentiant? c. 1. ſ. 8. a. 2. copioſè.
Autem quam inobedientia claudit, aperit obedientia. ibidem. n. 6.
Iehu, quia voluntatem Dei executus eſt, promittitur regnũ. c. 2. ſ. 1. a. 3. n. 3.
Prælati eſt, diſcutere: ſubditi, obedire. c. 5. ſ. 3. a. 8.
Multa hîc de obedientia.
Cæco affectu obediant religioſi prælatis. n. 2.
Cæcam obedientiam Deus miraculis decorauit. n. 3.
Deſcriptio obedientiæ. n. 1.

Og Rex.

Termini Regni Og c. 12. ſ. 1. T. 4.
Og Rex, ex Gigantum genere. T. 4.
Lectus huius gigantis. ibidem.

Oraculum.

Ioſue poterat conſulere oraculum per Eleazarum ſacerdotem. c. 1. ſ. 1. a. 1.
Errauit Ioſue, non conſulens Deum per ſacerdotem. c. 1. ſ. 7. a. 4. n. 2.
Ideo autem id permiſit Deus, vt cautior fieret. ibidem.
Audieritne Ioſue intra Sancta Sanctorum, an extra, Deum loquentem? c. 3. ſ. 1. a. 5.
Soli Moſes & ſummus ſacerdos ingredi poterant ſanctuarium. c. 7. ſ. 2. T. 6.
Debuit Ioſue cõſulere oraculum in fœdere Gabaonitarum. c. 9. ſ. 2. T. 14.
Quid ſit, os Domini interrogare? & cur deceptus ſit Ioſue? c. 9. ſ. 2. a. 1. per totum.
Triplex modus conſulendi Deum. n. 2.

Oratio, preces, &c.

Prophetæ aliquando internam orationem iungunt cum externa. c. 1. ſ. 1. T. 1.
Fauor eſt Principis, non remittere ſupplicum preces ad prætorianos. c. 1. ſ. 1. a. 1. n. 1.
Eliſæus non ſtatim diuiſit Iordanem, cùm voluit, quia non inuocauit Deum. c. 3. ſ. 2. a. 9. n. 1.
Orationi vacabat Ioſue, cùm Angelum vidit. c. 5. ſ. 3. a. 1.
Iacob lacrymis, & oratione vicit Angelum. c. 5. ſ. 3. a. 1. n. 1.
Cur Ioſue & Daniel orauerint? n. 2.
Captiuitas Iudæorum, oratione Danielis ſoluta fuit. n. 3.
Oratio Deum lenit, lacryma cogit. n. 5.
Quædam Deus ſtatuit non concedere, niſi præmiſſis precibus. c. 7. ſ. 2. T. 3.
Flectitur Deus precibus & ieiunio. c. 7. ſ. 2. T. 8.
Quo geſtu corporis orauerint olim viri ſancti. c. 7. ſ. 2. a. 1.
Veteres aliquando ſtantes adorabant Deum. n. 1.
Aliquando procidebant in genua. n. 2.
Oratio Moſis & Samuelis pro inimicis. c. 8. ſ. 1. a. 1. n. 4.

Otium, ſecuritas.

Quietem, quam, vt Deam, Romani coluerunt, in vrbẽ nunquam induxerunt. c. 1. ſ. 4. a. 1. n. 5.
Infirmis animis hoſtis eſt ſecuritas. ibid.
Infantes & mulieres dicuntur, qui nihil agunt, aut ſcribunt memoria dignum. c. 1. ſ. 7. a. 7. n. 1.
Feſtinatio tranſeuntium Iordanem, ſignificat, non patere otioſis in cælum aditum. c. 4. ſ. 1. a. 4. n. 1.

P.

Panis, Polenta.

Polenta à Iudæis quomodo fiebat? c. 5. ſ. 2. T. 20.
Ex hordeo fiebat. ibidem.
Numquam manna Iudæis conceſſum, poſt paſcha celebratum a Ioſue. T. 22.
Polenta ex frugibus toſtis. c. 5. ſ. 2. n. 6.

Paſcha, Azyma.

Diſtinguntur azymi à paſcha: quomodo? c. 5. ſ. 1. T. 4.
Paſcha, non eſt vox Græca, ſed Hebræa, ſignificans tranſitum. T. 7.
In ſacrificio agni quiſque ſacerdotis vicem gerebat. T. 9.
Paſcha, vocantur interdum immolationes paſchales 7 dierum. T. 11.
Dies paſchæ, non poterat poſtponi, aut anteuerti, niſi ob duas cauſas. T. 14.
Iudæis prohibitum erat habere domi fermentum in veſpere paſchatis. T. 16.
Excluſo fermentato, fas erat veſci Agno. T. 16.
Nefas erat veſci agno, in aqua cocto. c. 5. ſ. 1. a. 12.
Azymi panes inſipidi, & valetudini contrarij. n. 1.
Quodnam diei tempus ſignificetur, dum dicitur factum phaſe ad veſperam? Vide totum locum.
Sententiæ 4. de veſpere, in quo fiebat phaſe. n. 9.
Iudæi ferè putant fas eſſe Agno paſchali operam dare à meridie diei 14. vſque ad 18. horam eiuſdem diei. ibidem.
Eſus agni, & azymorum. n. 10.
Conciliatur Ioannes, dicens Chriſtum cœnaſſe, *ante diem feſtum paſchæ*; cum cæteris Euangeliſtis. a. 17. vide totum.
[illegible] pedum & cœna legalis. n. 2.
Cur 14 dies dicatur a tribus Euangeliſtis prima azymorum? n. 3.

Chriſtum comediſſe paſchalē agnum 13. die,& paſſum fuiſſe 14 potarunt aliqui. a.18. o.1.
Græcorum opinio. ibidem.
Iudæi non diſtulerunt paſcha propter Chriſti mortem. ibidem.
Vera ſententia de die, quo Chriſtus celebrauit paſcha. a. 19.
De myſtica agni immolatione. o. 6.
An præter agnum, potuerit immolari in phaſe, hœdus, aut aliud animal? a. 20.
Cur voluerit Deus celebrari azyma. a. 21.

Paraſceue.

Die Veneris noluerunt Iudæi ingredi prætorium Pilati, ne contaminarentur, &c. T. 12.
Paraſceue, quid ſit? c 5. ſ. 2. a. 18. o. 6.

Patres, Parentes.

Patrum omnium, & præſertim Hieronymi & Auguſtini, imitanda eſt parcitas in conferendis codicibus mſſ. L. n.7.
Quid auxilij conferant Patres, & Prophetæ Chriſtianis? c. 1. ſ. 7. a 7 n. 1.
D. Auguſtinus adſcribit inobedientiæ parentum incircunciſion filios in deſerto. c. 5. ſ. 1. a. 5. o.4.
Animus, in dolore mortis filij, non turbatus. c. 7. ſ. 2. a. 3. n 3.
Peccatum Parentum, non in filiis, ſed in nepotibus, ſi mali ſunt, punitur. c. 7. ſ. 2. a. 4. n. 3.

Pauper.

Lex pauperum neceſſitati conſuluit in 7. anno. c. 6. ſ. 1. a. 5. n. 13.
Supplicium à Deo immiſſum in pauperum oppreſſores. c. 8. ſ. 1. a. 1. n. 9.

Peccatum, pœnitentia.

Non laudaſſe Deum, cùm debuit laudari, culpa fuit. c. 1. ſ. 1. T 4.
Si nos peccati pœnituerit; Chriſtus legem ſcribet in corde. c. 11. ſ. 6. a. 7. n. 2.
Deus, iniecto timore, homines affligit, in peccati pœnam. c 2. ſ. 3. a. 1 n. 3.
Timor, iniectus à Deo in peccati pœnam, haurit omnes vires. ibidem.
Samuel pluuias & tonitrua precibus obtinuit à Deo, vt populus agnoſceret peccatum ſuum. c. 3. ſ. 2. a 8. o. 2.
Omnis creatura, peccatori hoſtis eſt, iuſtis verò benigna. c. 3. ſ. 2. a. 10.
Iuſtis omnis creatura famulatur. o. 2.
Conuerſio peccatoris ad Deum, inſtar Iordanis conuerſi retrorſum. o. 7.
Promiſſiones diuinæ intelliguntur implendæ, niſi peccata obſtiterint. c. 5. ſ. 1. n.9.
Cain, poſt peccatum, timor & dolor occupauit. c. 5. ſ. 1. a. 1. n. 6.
Quomodo perierint Iuliani Apoſtatæ ſceleratiſſimi, ſequaces. n 7.
Eiuſdem interitus. ibid.
Plaga grandinis, ob ſcelera, immiſſa. ibidem.
Deus, verberibus peccata compeſcit. ibidem.
Dies feſtus vocatur afflictio animæ pro peccato. c. 5. ſ. 2. a. 5. o. 3.
Feſtum tubarum præcedit expiationem, quia ex prædicatione oritur pœnitentia n 3
Peccatores, veluti cruciatij, ſemper pendentes torquentur. a 6 n. 9
Peccatis profanatur templum Dei, id eſt, animus. a. 9. n. 4.
Feſtum encæniorum in nobis agitur, cùm animus per pœnitentiam renouatur. n. 4.
Samuel pro Saule deprecans, non eſt exauditus, quia Saulem non pœnitebat culpæ. c. 6. ſ. 1. a. 1. o. 8.
Pœnitentia, eſt repudiatio voluptatis. c. 6. ſ. 2. a. 4. n. 1.
Pœnitentium rara exempla. n. 1.
Rahab exemplum pœnitentis. ibidem.
Pœnitentiæ ex conuerſione Rahab effectus expenduntur. n. 4.
Ignem peccati extinguit lacryma. c. 6. ſ. 2. a 4 n. 4.
Ex peccato triſtitiæ & mala alia oriuntur. o 4.
Quomodo pro vnius peccato, tota aliquando punitur communitas? a. 5. per totum.
Pondus peccati omnia deprimit. n. 7.
Peccantium fugienda ſocietas. o. 7.
Ob vnius culpam minatur Deus pœnam multitudini n. 8.
Euerſio Hiericho ſignificat euerſionem vrbis, vbi peccatum ſua habet præſidia a. 6.
Expiat Deus ſupplicio peccatum c. 7. ſ. 2. T. 6.
Sancti ad impetrandam miſericordiam, aliena peccata, ſua faciunt. T. 12.
Sex circunſtantiæ peccati Achan. c. 7. ſ. 2. T. 10.
Signa pœnitentiæ. c. 7. ſ. 2. a. 1. o. 9.
Peccatum, Iſraelitis cauſa fuit cladis. a. 8.
Vitandum omne peccatum. Cur Deus peccatum occultum punit? n. 2.
Peccatori hoſtis eſt omnis creatura. c. 7. ſ. 2. a. 8. n. 6.
De complemento peccatorum, quo poſito, Deus non differt pœnam. c. 10. ſ. 2. a. 2. n. 5.

Pentecoſte, ſiue feſtum hebdomadarum.

Pentecoſte, dicitur feſtum hebdomadarum. c. 5. ſ. 2. a. 3.
Celebritas hæc abſoluebatur vno die. n. 5.
In Pentecoſte, à ſolo opere ſeruili abſtinebant Iudæi. n. 5.
Duo panes oblati Deo in Pentecoſte, quid ſignificent? o. 6.
Numerus quinquagenarius eſt perfectæ remiſſionis.

Pharao.

Flagellatio Dei profuit Nabuchodonoſori, non Pharaoni. c. 7. ſ. 3. a. 2. n 3.
De obduratione Pharaonis. c. 10. ſ. 2. a. 2. o. 9.

Phariſæi.

Oſtentatio Phariſaica in phylacteriis & fimbriis. c. 1. ſ. 6. a. 5. n. 5.
Fimbriæ inſertas habebant ſpinas, vt Phariſæi puncti, legis admonerentur & cæli, &c ibidem.
Cur a Phariſæis dilatabantur fimbriæ? n. 6.

Philiſtini.

Philiſtini, à Meſraim progeniti ſunt. c. 9. ſ. 1. a. 1. n. 5.

Pompeius Magnus.

Pompeius vi ingreſſus eſt templum: nihil rapuit; Iudæos tamen Romanis fecit ſtipendiarios. P. ſ. 5. o. 9.

Pontifex, Epiſcopus.

Vide Sacerdos.

Alexander Magnus Iaddum Pontificem veneratur, & Dei nomen adorat. P. ſ. 5. n. 8.
A Ioſue, filio Ioſedec, vſque ad Alexandrum 6. numerantur Pontifices. ibidem.
Laudatur Simon Pontifex, Oniæ filius. ibidem.
Simonis Pontif. laus. c. 1. ſ. 5. T. 2.
Epiſcopi, quomodo ſuper regna ſint conſtituti? c. 3. ſ. 2. a. 2. n. 6.
Optimum eſſet, ſi Principes in controuerſiis ad Summ. Pontif. confugerent. c. 10. ſ. 1. T. 1.

Prædeſtinati, & reprobati.

Prædeſtinationis mirabiles effectus. c. 2. ſ. 3. a. 2. n. 4.
E duobus latronibus, cruci ſuffixis, vnus aſſumitur ad ſalutē, alter reprobatur. ibidem.
Reprobi propter electos viuunt. c. 9. ſ. 2. a. 5. n. 7.
Quomodo improbi vtiles ſiot bonis? n. 7.
Gabaonitæ eos ſignificant, qui non ſunt ſoliciti de ſalute animæ. ibidem.

De

De prædeſtinationis myſterio, in quo grauiter hæretici hallucinati ſunt. c.11.ſ.2.a.4.n 4.

Prædicator. prædicatio.

Prædicatores ad gentes miſſi tamquam exploratores. c.2.ſ.1.a 4.n.1.
Mali concionatores, & plauſibiles. ibidem.
Prædicatoribus dicitur, vt humilia refugiant, ſublimia prædicent. c.2.ſ.3.a.5 n.3.
Prædicatores, ſunt labia Eccleſiæ coccinea. c. 2. ſ. 4. a. 1.n.8.
Olim populus ſtans audiebat concionem. c. 5. ſ.2. a. 1.n. 7.
Terna monachorum millia in vno loco. c.5.ſ.3. a.8. n. 1.

Prælatus. Vide princeps.

Contra ambitioſos prælatos. P.ſ.6 n 3.
Prælati cùm arguunt ſubditos, abſtinere debent à conuitiis. P.ſ.6.n.4.
Donum ſapientiæ prælatis neceſſarium. P. ſ. 6. Tit. ſucceſſio Ioſue.n 3.
D. Bernardus, rectè prælatū definit. ibidem
Vbi malitiæ iuncta eſt potentia, aliquid prælato præſumendum ſupra hominem ibidem.
Puniuntur in prælatis ſua, & aliena peccata. c.1.ſ 6. a. 3.n.3.
Mali prælati onera imponunt quæ ipſi nolunt ferre. n. 4.
Prælatus conſulat peccatoris verecundiæ, magis tamen ſanitati. c 6.ſ.1.a 4 n 4.
Explicanda eſt opportunitas ad corripiendum. c. 7. ſ. 1. a. 4. n. 3.
Qui diſſimulat, nocet plerumque. n.3.

Præuaricari.

Præuaricari in litigiis quid ſit? c. 7.ſ.1. T.1.
Præuaricari eſt fidem debitam homini, vel negotio prodere. T.2.
Interpres Latinus ſæpe vtitur præuaricandi verbo? n. 2.

Primogeniti, & primogenitura.

Qui à Moſe acceperunt terram trans Iordanem; primo geniti erant; c. 1. ſ 7.a.7.n.1.
Cur permiſit Deus, vt Iacob per deceptionem primogenituram obtineret? c 2.ſ.2.a.4 n 5.
Primogenita Ægypti occiſa ſunt peſte. T 8.

Princeps Rex.

Principes, inſtar collium ſunt. I. n.4.
Principem decet eſſe pium, & ſtabilem Dei cultorem. I. n.6.
Facilis hominum gubernatio, ſi adſit prudentia. P. ſ. 1. n. 1.
Valentiniano Imp. inerat annorum immaturitas, & conſiliorum ſenectus. P. ſ. 6. Tit de comploratu. n. 2.
Non dedecent Principes laborioſæ exercitationes. c. 1. ſ. 4. a.1.n 5.
Psaphon, Rex Libyæ, artificio voluit Deus haberi. c.2.ſ.4.a 3. n 8 ad finem.
Homines gubernare difficilius eſt, quàm greges. ibidem.
Reges dicuntur paſtores c. 1.ſ.5 a. 3.n 1.
Animi induſtria confert ad regimen. n.2.
Recta gubernatio a Deo prouenit. n.3.
Deus, Cyrum elegit in Principem Perſarum propter populum ſuum. n.3.
Commendatur nouo Regi lectio, & obſeruatio legis. c. 1.ſ.6. a.5 n 3.
Reges, quomodo portent orbem? c 1.ſ.6 a 8.n 2.
Corona Regum indicat potentiam. ibidem.
Malus Princeps quaſi clibanus. c. 1.ſ 8.a.3.n 3.
Exquirit Deus ſanguinem de manu Principum. n 4.
Quattuor res Principi neceſſariæ ſunt, vt optimus ſit. c. 3 ſ.1.a.6.n.1.
Ioſue a Deo decoratur, vt optimus Princeps appareat. n. 3.
Principes olim, à religione, rerum gerendarum ſumpſere exordia c 3.ſ 2.T.5.
Ioſue primum negotium auſpicatur, oſtenſa arca. T. 3
Error aſſerentium, Eccleſ. regimen ad reges pertinere. c 3.ſ. 2. a 2.
Confutantur hæretici. n.2.
Hæretici qui Eccleſiaſticos ſubiiciunt laicis magiſtratibus, ex Iudæis ferè ſunt. n 5.
Reges Chriſtiani ſubiiciuntur ſuis epiſcopis, vt paſtores ſunt. c. 3.ſ.2.a.2.n.6.
Tyrannicè gubernant Principes, qui ſacris ſe ingerunt. n. 6.
Non diuitiis Principes magni fiunt, ſed Dei obſequio. c. 6. ſ 3.T.14.
Quid Ioſue? n. 14. & 15.
Deiicitur de Regno Saul ob inobedientiam. c.6.ſ 3 a. 2.n 4.
Regum, qui à Ioſue victi ſunt, nomina & regna. c.12. ſ. 2. T. 12.
Reges vocat Origenes, vitioſos affectus, & dæmones i eor? a.2 n. 1.
Gladiis oportet vti contra aduerſarias poteſtates. n. 2.

Principatus, Regnum, Populus.

Diuiſionem Regni, factam tempore Roboam, religionis diuiſio, & ſchiſma conſecutum eſt P ſ.5.n 5.
Monarchicus principatus, minus periculi habet, quàm populi aut optimatum. c.3 ſ a a 1 n.3.
Affligitur Ioſue, ſciens hærere peccatum populo. c.7.ſ.1. a. 1 n 1.
Quinque Regum principatus poſtquam a Ioſue victi ſunt, venerunt in poteſtatem populi Dei. c. 10. ſ. 1. a 1. n 4.
De Regnis. 7 gentium Chananæorum. c. 12. ſ. 2. a. 3.
De Regnis & vrbibus, quas Ioſue ex 31. Regibus obtinuit. ibidem.

Propheta.

Moſes Prophetam habuit Aaronem: quomodo? c. 5. ſ.5 a.4. n. 12.
Prophetæ ſunt enunciatores verborum Dei. ibidem.
Quid ſit, Prophetam eſſe, & prophetare? n. 12.
Triplex Prophetæ acceptio Ibidem.
Prophetæ olim videntes. n. 13.
Prophetare, aliquando eſt diuinas laudes canere: interdum furere, ibid.
Quomodo dicatur cadauer Eliſæi prophetaſſe? ibidem.
Daniel Antichriſti fraudes aperit c 1.ſ 7.a.7.n.2.
Ezechielis quadriformes Rotæ. ibidem.

Proſperitas.

Accedere Reip. proſperitas non poteſt, niſi diuinis obediat mandatis. c.1.ſ 5 a 2.n.7.
Deus noluit populum rebus lætis exhilarare, donec officium luctus Moſi perſolueretur. c. 1.ſ.1 2.4 n 4.

Prouidentia.

Dei prouidentia in excitandis viris. Reip. vtilibus. c 1 ſ.3 a. 2.n 5.
Fœminæ, aliquando Reip vtiles, ibidem.
In omnibus mundi ætatibus Deus viros Reip. vtiles propoſuit n 6.
Apud Gentiles diuinæ prouidentiæ exempla n.6.
Prouidentia Ioſue, in conſeruanda Rahab, Dei curam indicat, qua ſociantes fidei opera bona, tuetur. c. 6.ſ 5.

Prudentia.

Stultitiam ſimulare in loco, prudentia eſt. c. 2. ſ. 1. T.4.

Dauid apud Achis finxit ſe ſatuum.ibidem.

R

Rabbini.

Rabbinorum falſa interpretatio illorum verborum : *omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* c. 1. ſ. 3. T. 1.
Rab.Salomon putat Phinees fuiſſe Angelum. c. 2. ſ. 2. a. 1. n. 1.

Rahab.

Fueritne Rahab meretrix, an caupona? c. 2. ſ. 1. T. 6.
Fuit felix prole Regum. n. 7.
Cur ad domum Rahab diuerterint exploratores? c. 2. ſ. 1. a. 2. n. 2.
Lyranus non admittit, Rahab fuiſſe meretricem? n 3.
Rahab nupſit Salomoni: cur? n. 3.
Meruit nominari in Genealogia Saluatoris. a. 3. n. 1.
Rahab à Deo illuſtrata. c. 2. ſ. 2. T. 8.
Culmis lini abſcondit exploratores. T. 12.
An Rahab abſcondens exploratores, rea ſit proditionis patriæ? c. 2. ſ. 2. a. 6. per totum.
Excuſatur à culpa. n. 3
Voluit Rahab ſibi & ſuis conſulere, ſeruatis exploratoribus. n 4.
Non conſtat, Rahab motam fuiſſe à Deo, ad concurrendum cum Hebræis ad patriæ ſuæ euerſionem. n. 7.
Quomodo nouerit Rahab tradendam terram Hebræis? c. 2. ſ. 3. a. 1. per totum.
Potueritne Rahab naturaliter cognoſcere omnipotentiam, quam Deo attribuit? a. 2. per totum.
Fiducia ſalutis ſperandæ ex conuerſione Rahab. c. 6. ſ. 2. a. 4. per totum.
Explicantur illa verba, *Viuat Rahab meretrix,* ibidem.
Rahab nupſit Salomoni, ex qua Chriſtus. c. 6. ſ. 3. T. 8.

Religioſi, regulæ.

Laudantur Religioſi obſeruantes exactè regulam. c. 1. ſ. 6. a. 5. n. 2. vide. a 5. & 6.
Cum hilaritate ſeruiendum Deo, a 5. n. 6.
Qui operatur, ne erret, legem in particulari meditetur. a. 6 n 1.
Pſ primus explicatur. ibidem.
Iuſti, plantæ irriguæ comparantur, &c. n. 4.
Vituperantur, qui ad canones religionis, mores non accommodant c. 1. ſ 8. a. 1. n. 1.
Obedire oportet, etiam malis prælatis, optandum tamen, vt Deus illis adſit. n. 3.
Vide, votum & obedientia.
Religioſi ſoluant calceamenta, quibus detinentur in conuentu, ituri quò Deus iubet c. 5. ſ. 3. a. 6. n. 2.
Religioſi calceos exuunt, & veſtes pretioſas. n. 6.
Virtus prima in monachis, obedientia. c. 5. ſ. 3. a. 8. n. 1.
Qui deficiunt à religioſo inſtituto, ferè ſunt peſſimi. c. 9. ſ. 2. a. 5. n. 6.
Sunt Apoſtatæ, Gabaonitis fraudulentis ſimiles. ibidem.

Reſpublica.

Reſpublicæ ex populorum pio in Deum affectu efflorеſcunt. L. n. 6.
Reip. Hebrææ ſtatus primus 1. P. ſ. 5. n. 1.
Secundus. n. 5.
Tertius. n 6.
Hic ſtatus inchoatur poſt reuerſionem populi de Babylone. P ſ 5 n 6.
Tres ſtatus Iſraelitici populi poſt ingreſſum terræ ſanctæ. P. ſ. 5. n. 10. & ſupra, a. n. 1. &c.
Dux populi Dei Reſp. adumbratæ. c. 12. ſ. 1. a. 1. n. 4.
Reſpublica Chriſti, eſt vera promiſſionis terra. n. 4.
Multi, ex Repub. Moſaica ad Chriſtianam conuolarunt. ibidem.
Pulſis de loco ingratis ciuibus, inducit iuſtitiæ & miſericordiæ arbiter Deus, iuſtos in bonorum poſſeſſionem. cap. 12. ſ. 2. a. 2.
Præmittit Deus, inflicturus ſupplicia, ſuos in Rempub. præcurſores, vt impij reſipiſcant. n. 1.

S

Sabbatum.

Vnde deriuetur Sabbati nomen? c. 5. ſ. 2. a. 1.
Quid de Sabbato ſentiant Ethnici? n. 1.
Sabbatum pro quouis feſto. n. 2.
Cibi in ſabbato parari non poterant. n. 2.
Iter ſabbati. n. 3.
Sabbati diem Iudæi ob idololatriam aliquando ignorarunt. n. 6.
Iudæi ſedentes, in ſabbato ſcripturam audiebant. n. 7.
Cur dixerit Ioannes, *magnum diem ſabbati?* c. 5. ſ. 2. a. 12. n. 7.

Sacerdos, Sacerdotium.

A Phinee vſque ad Heli, ſeries ducitur ſummorũ ſacerdotum non intermiſſa. P. ſ. 5. n. 4.
Heli primus ex familia Ithamar, in quem deriuatus eſt Pontificatus vſque ad tempora Salomonis, ibidem.
Sacerdotium à domo Eleazari tranſlatum eſt, quia illius poſteri negligenter obibant ſuum munus. n. 5.
Sadoc Pontifex ex familia Eleazari. ibidem.
Nomine Angelorum, ſacerdotes aliquando intelliguntur. c. 3. ſ. 1. T. 15.
Sacerdotes ſunt interpretes diuinæ voluntatis. c. 3. ſ. 1. a. 6. n. 1.
In tranſitu Iordanis, nõ Leuitæ, ſed ſacerdotes arcam exportarunt. c. 3. ſ. 2. T. 2.
Sacerdotum eſt, viam aperire in cælum. T. 4.
Habueritne Ioſue iuriſdictionem ſupra ſacerdotes? c. 3. ſ. 2. a. 1.
Quid cæteri Principes? c. 3 ſ. 2. a. 1.
Non decet in lege gratiæ, vt ſacerdotes ſubiiciantur laicis Principibus. n. 3.
Sacerdotes illuminant populum. c. 3. ſ. 2. a. 10. n. 3. & 4.
Sacerdotes propinquiores ſunt miniſteriis ſacris. n. 6.
Sacerdotes olim interdum pugnabant, non tamen cogebantur, vt laici Si occidebant hoſtes, non incurrebãt pœnas, vt nunc accidit. T. 17.
Sacerdotes belli tempore non intermiſerunt officia diuina. c 8. ſ. 2 a. 2. n. 9.
Inſulati ſacerdotes inter victimas occiſi. n. 9.
De ingreſſu ſummi ſacerdotis in ſancta ſanctorum: c. 8. ſ. 2. a. 2. n. 10.

Salomon.

Non fuit Rex totius terræ. c. 1. ſ. 3. T. 2.
Regina Saba, non attulit Salomoni munera, tamquam tributum. ibidem.
Salomon Rex fuit totius Palæſtinæ. c. 1. ſ. 3. a. 2. n. 5.
Tempore Salomonis in Arca ſolùm erant tabulæ legis. c. 3 ſ. 1. a. 4. n. 5.

Salus æterna, & ſaluare.

Spes cæleſtium bonorum, eſt ſolatium, anchora, &c. c. 1 ſ. 6. a. 2. n 4.
Chriſtus dicitur præcurſor terræ promiſſæ, ſicut Ioſue, &c. n. 5.
Domos in cælo paratas obſtetricibus, parcentibus pueris Hebræorum, opinio, eſt. c. 2. ſ. 2. a. 1. n. 15.
Æternæ vitæ promiſſio propria eſt Euangelij. c. 2. ſ. 2 a. 4. n. 4.
Quid de Achan, Salomone, Anania, & Saphira dicendum ſit? c. 7. ſ. 3. a. 6 per totum.
Periculoſiùs diffinitur, aliquem damnari, quàm ſaluari. n 4.
Gedeon inter ſanctos numeratur. a. 6. n. 5.
Dubitatio de ſalute Salomonis admonet non differendam pœnitentiam. n. 6.

Gabaonitæ,eorum qui ſaluandi ſunt, figura fuerunt; c.9. ſ.2.a.5.n.2.

Samaria.

Initium Samariæ à Semero.c 11.ſ.1.a 2.n.2.
Samariæ vrbis figura.ibidem.
Benadab capere non potuit Samariam.Herodes Samariam vocauit Sebaſten: Diſſidij inter Iudæos & Samaritanos initium.n.2.

Sanctificare,Sanctificatio.

Sanctificate populum,eſt conuocate.c.7.ſ.2.T.22.
Sanctificatio,eſt præparatio ad rem ſanctam.T.23.
Sanctificati vocantur à Deo Chaldæi Hebræos punituri.c.7. ſ.2.a.8.n.5.

Saul.

Saul ſua præcepta ſeruari volebat,adhibita ſeueritate: diuina contemnebat.c.12.ſ.2.a.2.n.3.
Maius miraculum fuit, Saulem ad lacrymas permouere, quàm de petra aquam elicere.c.12.ſ.2.a.3.n.10.

Sciſſio veſtium.

Sciſſa veſtis, indicium eſt triſtitiæ, & doloris. c.7.ſ.1. T.1.
Quid apud ſacros, & profanos ſcriptores ſciſſio veſtium ſignificet?c.7 ſ.2.a.1. per totum.
Dilacerabant veſtes Hebræi,audita blaſphemia, aut nuntio infauſto n 2.
Variæ cauſæ dilacerandi veſtes n.4.&c.

Scriptura ſacra.

Sacri libri omnes Reip.vtiles L.n.1.
Liber Ioſue vtilitatem continet,& rerum admirabilium hiſtoriam.ibidem.
In re grammatica non oportet immorari, nec in codicum & idiomatum pertinaci collatione.L n 7.
Eſdras conſeruauit ſacros libros, eóſque poſt captiuitatem, promulgauit.P.ſ 5.n.7.
Arcanæ interpretationes legis non vulgandæ.
Scriptura ſolet per anticipationem quædam narrare. c.1.ſ 7.a.4 n.3.
Anno 7. legebatur liber Deuteronom. c.6.ſ.1. a. 5. n. 4.
Multa hîc de vtilitate ſacræ lectionis.

Senſus corporis.

Quid in piſcina ſpectet ad pulchros oculos? c.12. ſ. 1. a.2. n.2.
Oculi mobiles,ſignificant timidos & fallaces.n.2.
Oculi,cur ſimiles fontibus?n.4.
Si læduntur,in lacrymas abeunt.ibid

Sepulchrum,ſepultura.

Sepultura Ioſue,indicat Virgines mori in perfectiſſimo ſui principatu.P ſ.3.n.10.
Rabbini dicunt, Moſem ſe ipſum ſepeliuiſſe,fuit tamen eius ſepulchrum occultum, ne, vt Deus, coleretur. P.ſ 6. n. 4.
Explicatur contentio de Moſis corpore.ibidem.
Corpus Moſis in valle terræ Moab ſepultum fuit; carere ſepultura, cenſetur pœna P.ſ.6.n.10.
De tempore, quo venerunt piæ mulieres ad ſepulchrum Chriſti.c.3.ſ.1.T.2.
Expiatur terra ſepultis cadaueribus c 8.ſ.1.T.12.
Cura ſepeliendi oſſa demortuorum. T.12.
Aurum in ſepulchro Dauidis,tumulaſſe Salomonem, aliqui ſcribunt.c.10,ſ.1.a.8.n.1.
Abraham,Iſaac,Iacob,& Adam ſepulti in Hebron cum vxoribus.c 10.ſ.2.T 6.
Hyrcanus ex ſepulchro Dauid ter mille talenta ſuſtulit. c.11.ſ.1.a.2.n.2.

Serui Dei,& ſancti.

Vocari ſeruum Dei,honor eſt.c.1.ſ 2.a.1.n.2.
Nobilis ſeruitus,ſine timore eſt. ibidem.n.3.
Magnum eſt,vocari Dei ſeruum: obiicitur Iob dæmoni titulo ſerui Dei.ibidem.
Sacrificare,eſt ſeruire Deo.ibid.
Seruitus Dei non tollit ingenuitatem.ibidem.
Seruus ſeruorum cur dicatur Chanaam?n.4.
Summus Pontif. cur ſeruus ſeruorum velit dici? ibidem.
Diſcrimen inter Dei,& mundi ſeruitutem.ibidem.
Iugum Diaboli graue,ibidem.
Communicat Deus ſeruis ſuis poteſtatem patrandi miracula.c.1.ſ.2.a.2.n 6.
Serui Dei appellatio, Deum ſignificat homini addictum. n.6.
Deus in quolibet ſeruo ſuo gloriatur, vt in Abraham, &c. ibidem.
Si vnicum Loth Abraham repræſentaret,propter hunc toti populo parceret Deus.c.1 ſ 2.a.2 n.6.
Sancti portare orbem, quo ſenſu dicantur? c 1.ſ. 6. a. 8. n.2.
Sancti veteris teſtamenti, quaſi armati præcedunt Chriſtianos in tranſitu vitæ.c.1.ſ.7 a.7.n.1.
Rubor,index gratiæ,apparuit in vultu Sancti Stephani c.2. ſ.4.a.1.n.9.
Didicit Eliſæus,ex ſanct. Heliæ merito,gratiam prophetandi,& aperiendi Iordanem, ſibi donatam.c.3.ſ.2.a.9.n.1.
Seruorum Dei vincula, in aurum conuertuntur. c.5 ſ.3. a.2.n.2.
Sancti dolent,cùm timent imminutionem honoris Dei. c.7 ſ.2.a 4.n.6.
Sancti dicuntur abſconditi,& protecti à Deo n.7.
Orantes Sanctos cur Deus aliquando non audiat? c. 8. ſ.1. a.1.n.4.
Qui ſimplici corde Deo ſeruiunt, benedictionem merentur,vt Abraham: qui ficto,maledictionem,vt Gabaonitæ. c 9 ſ.2.T.24.
Cum Iſraelitis computari mauult Orig. quàm cum Gabaonitis.c.9.ſ.2.a.5.n.5.
Honorificum eſt,quocumque modo ſeruire Deo.n 7.

Silentium,ſermo.

Silentium commendatur à Ioſue militibus,Hiericho oppugnaturis.c 6 ſ.1.T 21.& 22.
Impetrauit Ioſue ſilentium à militibus.T.21.
Nullum fuit auditum murmur,poſt indictum ſilentium. T.22.
Silentij lex ſublata.T.26.
Sacerdotibus non eſt indictum ſilentium: cur? c.6.ſ.2.a.1. n 2.
Quare populo ſilentium indicitur, non verò ſacerdotibus? a. 4.
Numquam potuit Moſes,ſilentium à Iudæis murmurantibus impetrare,Ioſue potuit.n 2
Sacerdos iubetur non tacere, ſed tuba canere, n 4.
Præbet occaſionem peccati prælatis, ſubditorum murmur. n.2.

Sol, & Luna.

Curſus ſolis, Gigantum celeritati comparatur. c.1. ſ. 6. a. 8. n. 3.
Contra Chananæos extitêre ſigna in ſole. c.5.ſ.1.a 2. n. 6.
Erunt ſigna in ſole & Luna. Interpretatio D. Hieronymi. n. 6.
Quid ſit Luna prima? c.5.ſ.2.a 2 n.2.
Hiericho Lunam ſignificat.c.6.ſ.1.a 4 n.3.
Stantem ſolem tempore Ioſue, gentes barbaræ non notarunt c.6.ſ.3.T.15.
An retrogredi ſolem maius miraculum fuerit, quàm ſtare? T.16.
Steteritne Sol; in medio noſtri hemiſphærij? c. 10. ſ.1. T.17.
Hebræorum quorundam falſa opinio de ſtatione ſolis. T.18.
In quo menſe ſteterit ſol?T.19.
Admirabilis ſtatio Solis ad preces Ioſue. c.10.ſ.1.a. 4. per totum.
Omnes ſphæras cæleſtes cum ſole & Luna ſtetiſſe probabile eſt.n.3.

Sol præcipitabat in Occaſum, quando iuſſus eſt ſtare. n. 4.
Frænauit quodammodo ſolem Ioſue o. 5.
Quanta fuerit mora ſolis ſtantis? o. 8.
De pulchritudine ſolis App. 2. 4. n. 1.
De ſignis, quibus Deus in ſole oſtendit, cùm ſecundas res cum aduerſas prænuntiat n. 2.
Cur arbores priùs creatæ, quam Sol? n. 2.
In ſole, Dei oſtenditur maieſtas n. 3.
In ſole ſigna temporum apparent. n. 4.
Signa in ſole & Luna. n. 5.
Sol & Luna, in ſigna rerum. n. 6.
Solis ſtatio propter peccatum n. 12.
Prodigioſa ſolis defectio, vltra bimeſtre ſpatium. o. 17.
Signa in Sole & Luna, in fine mundi. n. 18.
Origenis, Caietani, Abulenſis de obſcuratione ſolis in die iudicij, ſententiæ n. 18.
Autoris ſententia. ibidem.
Sol diuinæ miſericordiæ ſymbolum n. 19.
Soli comparatur lux vultus Chriſti & ſanctorum. ibidem.
Sol poſt diem iudicij ſtabit ibidem.
An ſtante Sole & Luna, ceſſauerit omnis motus cælorum? c. 10. ſ. 1. a. 4. per totum.
An verum ſit, ſtetiſſe ſolem tempore Elimelech. c. 10. ſ. 1. a. 7.

Solarium.

Solarium domus, ſiue tectum apud Hebræos. c. c. ſ. a. T. 1 c.
Et etiam inſtrumentum, quo horæ ad ſolem notantur. ibidem.

Solemnitates Iudaicæ menſis ſeptimi.

Deus ſeruabat ab incurſu hoſtium domos euntium ter in anno in Hieruſalem. c. 5. ſ. 1. a. 6. n. 5.
Menſis. 7. ſacer 4. feſtis. c. 5. ſ. a. 2. 4. n. 1.
Feſtum tubarum quomodo agebatur? n. 1.
In eo petebãt Iudæi liberari a periculis, ſicut Iſaac à morte. n. 2.
Figurabat lætitiam Eccleſiæ in conuerſione gentium. o. 2.
Feſtum expiationis celebratur in memoriam peccati remiſſi, quando adoratus eſt vitulus. c. 5. ſ. a. 2. 5.
In eo populus ad veniam promerendam parabatur. n. 1.
In illius ieiunio abſtinendum à cibo, potu, vxoribus, balneis, & à calcie. n. 2.
Parari nihil eibi in hoc feſto poterat. n. 2.
In hoc ſolùm die fas erat ſummo ſacerdoti ingredi ſancta Sanctorum. a.
Feſtum tabernaculorum? c. 5. ſ. 2. a. 6.
De forma tabernaculorum, materia, & loco. n. 5.
Iudæi in hac ſolemnitate, 4. arborum ramos in manibus præferebant. n. 5.
Cur rami citri, myrti, ſalicis, & palmæ electi? n. 6.
Allegoria tabernaculorum n. 8.
Agitur nunc in Spiritu. n. 8.
Quid ſignificent rami geſtati in hoc feſto? n. 9.
Feſtum cœtus ſiue collectæ. a. 7.
Colligebatur pecunia ad ſumptus templi. n. 5.
Collectæ nomen quid ſignificet? o. 5.
Celebritas hæc congregationem iuſtorum futuram denotat. n. 5.
Feſti dies apud Hebræos peragebantur à veſpera ad veſperam a. 16. n. 5.

Sortes, &c.

Dies ſortium cur dictus? c. 5. ſ. c. a. 11. n. c.
Sortes in luctus commutatæ, cùm de percuſſoribus triumphant n. 4.
Modus, quo applicatæ ſunt tribus, & familiæ ad Dominum per ſortes, vt deprehenderetur reus. c. 7. ſ. 2. a. 9. latè.
Modus, quo Ioſue eduxit ſortem ad manifeſtandum reum. a. 10.
Sortes coniectæ in inuolucrum. n. 7.
Achan, educta ſorte, reus declaratur n. 8.
An vſus ſortium ſit licitus? & de variis modis ſortis licitæ, & illicitæ a. 12.
Sortes, quibus D. Matthias electus fuit, quales? n. 6.
Modus conſulendi Deum. n. 6.

Supplicium, pœna.

Lapides grandinis miſſi de cælo contra hoſtes Hebræorum. P. ſ. 2. n. 5.
Theodoſius, criminum pœnas indulgẽtia præueniebat. P. ſ. 6. &c de compl. n. 2.
Noluit Deus Moſi condonare pœnam temporariam, quam meruit ob peccatum contradictionis. c. 1. ſ. 2. T. 4.
Eam pœnam Moſes acceptauit. ibidem.
Supplicium multorum ob vnius peccatum. c. 6. ſ. a. a. 5. n. 6.
Interdicitur Eccleſia ob vnius peccatum. n. 6.
Pœnæ ciuiles in reos duntaxat feruntur. c. 7. ſ. 1. a. 3. n. 1.
Duplex diuinæ vindictæ genus n. 1.
Pœna corporali nemo mulctatur, humano iudicio, niſi pro peccato proprio. n. 4.
Quædam peccata hic a Deo puniuntur n. 6.
Moſes ob peccatum vituli, occidit 3. millia. n. 7.
Peccata impunita nocent multis a. 4. n. 1.
Propter vnum Achan peccantem puniuntur Iſraelitæ. n. 2.
Supplicio mulctandis, priùs ore frenato collũ fune innectebatur c. 7. ſ. a. a. 4. n. c.
Ægyptij Reges ferculis oblectabant damnatos n. 2.
Cumulus ſaxorum ſuper cadauer Achan. c. 7. ſ. 5. T. 11.
Punito ſceleris auctore, Deus placatur. T. 12.
Cur olim extructi fuerint acerui in monumentum pœnarum? c. 7. ſ. 5. n. 7.
Ad memoriam peccati Achan 70 filiorum illius capita, cophinis allata, Iehu in acervum coniecit. n. 4.
Solos pœna a ſupplicio liberat, quos imitantur. c. 8. ſ. 2. a. 1. n. 2.
Quattuor genera ſuppliciorum. n. 4.
Magna ſupplicia Dei præceſſiſſe peccata populi, credibile eſt. o. 5.
Pœnarum inſtrumenta n. 5.
Cur plagæ Ægypti decem fuerint? c. 12. ſ. 2. a. 2. n. 2.
Deus per elementa impios punit. ibidem.

Syria.

Prouincia eſt Orientis ampliſſima. c. 1. ſ. 5. a. 1.
In decem partes diuiditur. Nos in ſeptem eam includemus n. 1.
Prima pars Syriæ eſt Meſopotamia, cuius multæ ſunt vrbes. n. 2. 3 & 4.
Altera pars dicitur Aram, Soba, à Chald. Capadocia. n. 5.
Tertia dicitur Apamea, & Cæle, &c. n. 6.
Quarta Comagena, vbi nati Lucianus Atheos, & Paulus Samoſatenus o. 7.
Quinta eſt Phœnicia, & Syrophœnicia, vbi Tyrus. n. 8.
Sexta Syria Damaſci continens 160. ciuitates, & Libanum. n. 9 & 10.
De parte Syriæ, quæ terra promiſſa fuit Hebræis, & illius nominibus, longitudine, ornamentis. c. 1. ſ. 5 a. 2.

T

Tabernaculorum feſtum.

Tabernaculorum origo apud Iudæos c. 4. ſ. 2. a. 1. o. 4.
De feſto tabernaculorum, ſiue ſcenopegia. vide v. *ſolemnitates Iudaica*. Tabernaculum primo die menſis cur erigi iuſſerit Deus? c. 5. ſ. 2. a. 13. n. 5.

Templum, ſiue ædes ſacra.

Fueritne Arca, quam Ioſue præcedere iuſſit, ingredientes Iordanem in primo & 2. templo collocata? c. 5. ſ. 1. a. 5. latè.
Chriſti ætate, non fuiſſe in templo Arcam fœderis, probabile eſt. a. 5. n. 5.
Thalmudici tradunt in nouiſſimo templo nihil aliud videri, quàm thuribolum lapidi impoſitum ibidem.
Quinque res defuerunt in 2. templo, Arca, &c. c. 3. ſ. 1. a. 5. n. 5.
Secundum templum præſtat primo, ob præſentiam, Verbi caro facti. o. 5.
Encænia ſiue templi dedicatio. c. 5. ſ. 2. a. 9.
Tres dedicationes templi. n. 2.
Dedicatio facta a Iuda Machabæo ſolùm celebrabatur. n. 2.

Variæ

Variæ ſententiæ circa feſtum dedicationis.n.3.
Hoc feſtum in Decembrem incurrebat.n 3.
Myſtica interpretatio.n 4.
Quattuor templi atria c.8 ſ.2.a.2.n.3.
Salomonis & Herodis templum.n 5.
Locus,in quo ſacerdotes orabant.n 7.

Tentatio.

Euangeliſtæ re ipſa eueniſſe Chriſti tentationes ſignificant. P ſ.6.n.2.
Duo peccata populi: vnum iurgij contra Moſen: Alterum tentationis contra Deum.c.6.ſ 1.a.4 n.2.

Terra promiſſionis, ſiue ſancta.

Deſcriptio terræ ſanctæ in lib Ioſue præ oculis habenda. L. n.7.
Terra promiſſionis latè & preſsè ſumitur,ibidem.
In eam preſsè ſumptam Moſes non intrauit.P.ſ.6.n.2.
Terra ſancta deſcribitur.c 1.ſ.3.a.2.
Decorata fuit Chriſti Domini vita,morte,&c.n.2.
Quatuor nominibus afficitur.n.3.
Hæc terra non tam data, quàm reſtituta Hebræis.n.4.
Cur dicatur Paleſtina.n.4.
Cur Iudæa?n.5.
Quàm exiguis finibus contineatur terra promiſſa, de qua gloriantur Iudæi?c.1.ſ.4.a 3
Numquam tota deuenit in poſſeſſionem Iudæorum pacificam.n.7.
Duplex terra Hebræis promiſſa.c.9 ſ.1.a.1.n.5.
Ferè in terra Chanaam.7 gentes numerantur.n 4.
De impletione promiſſionis factæ Abrahæ, de poſſeſſione terræ ſanctæ.n.5.
In terra promiſſionis quinquaginta erant Reges. c.10.ſ. 1. T.4.

Teſtamentum.

Vetus teſtamentum eſt figura noui.P.ſ.2.n.8.
Vetus Teſtamentum numquam nominat regnum cælorum. c.1.ſ 4.a.3.n.7.
Quid ſit Teſtamentum æternum?c.1.ſ.5.T.2.
Quatuor genera bonorum promiſſa in veteri Teſtamento. c 2.ſ 2.a.4.n.4.
Teſtamentum 12.Patriarcharum.c 6.ſ.2.a.5.n.4.
Diſponere Teſtamentum quid ſit?c.7.ſ.2.a.4.n.8.
Alcoranus , eſt Teſtamentum ab impiis diſpoſitum. n.8.

Timor & Tremor,&c.

Timebat Ioſue, ne ex fragilitate Deum fortè offenderet. c. 1 ſ.6.a.1.n.7.
Metuere,& timere differunt.c.1 ſ.6 a.8.n.1.
Habent fruſtra gladium,quibus deeſt cor.c.2.ſ.3.T.4.
Timor iniectus eſt diuinitus Chananæis.T.6.
Timor per hyperbolem ſignificatus.T.7.
Languor cordis efficit,vt reſiſtere incumbenti malo nũ poſſimus.T.10.
Deliquij cauſa,& fatigationis origo.T.10.
Vnde ortus ſit metus Chananæis ſub aduentum Hebræorum?c.5.ſ.1.a.1.per totum.
Timor augetur ex ſcelerum conſcientia.n.2.
Diſſolui cor dicitur cùm præ metu nihil virium relinquitur. c.7 ſ.1.T.17.
Quomodo immiſerit Deus timorem in 5.Reges Amorrhæorum.c.10 ſ.1.a.1.per totum.

Titulus.

Duodecim lapides eriguntur in Galgalis c.4.ſ.1.T.2.
In monte Sinai duodecim tituli erecti , in quibus erat decalogus.T.2.
In Iordane erecti.12.lapides. T.8.
Vtrùm erectio lapidis,in titulum ſit contra legem Leuit.26. c.4 ſ.1 a.3.
Lapis inſignis,& tituli,quinam prohibiti.n.1.
Titulus Abſalonis n.2.
Columnæ,pyramides,& fornices,dicuntur tituli.n.3.
Iacob erexit lapidem in titulumn.3.
Titulus,ſiue manus Abſalonis c.7.ſ.3.a.7.n.3.

Tobias.

Patria Tobiæ.c.11.ſ.1.a.2.n.1.

Tribulatio.Plaga.

B. Iobi virtus,in ærumnis elucet magis.c.5.ſ.1.a.1.n.3.
Diabolus,& Amici Iobum afflictum ad peccandum ſtimulabant.n 3.
Non erat Iobo tanta fiducia antequam affligeretur. n 3.
Sunt qui Deum non agnoſcant , niſi cùm vident plagas. n 5.
Poſt tribulationes,tribuit Deus victoriam,& gaudium. c 7. ſ.3.a 7.n.13.
Sancti optant pro Chriſto pati n.14.

Tribus Iſrael.

Vnaquæque tribus Principem ſuum habebat. c.1.ſ.7.a.1 n.1.
Ob paſtionem dimidia tribus Manaſſæ manſit trans Iordanem.a.6 n.2.
Vnaquæque tribus,oſſa ſui Patriarchæ ex Ægypto exportauit.c 3.ſ.2.a.4.n 3.
Vndecim Patriarchæ non leguntur adiuraſſe Hebræos, vt ſua oſſa ex Ægypto transferrent ibidem.
Decem tribus numquam liberatæ ſunt à captiuitate. c.5.ſ.3. a.5 n.2.
Cur redierit in Patriam tribus Iudæ?ibidem.
An fas fuerit duabus,& dimidiæ tribui Iſrael conſidere trans Iordanem?c.12.ſ.1.a.1.per totum.
Deus nòn ita illorum arctauit fines, vt vellet eos intra Iordanem manere duntaxat.n.2.

Tuba.

Bellum contra Hiericho,tubæ clangor, & inſula ſacerdotalis confecit.c.2.ſ.4 a.2 n.3.
Duplex ſignificatiõ mouendi caſtra Hebræis; vna, tubis dabatur;altera,Area præeunte.c.3 ſ.1.a.1.n.3.
Argenteæ tubæ,& corneæ.c.5 ſ.2.a 2.n 4.
Septem tubæ ex cornibus arietinis.c.6.ſ.1.T.6.

Tumultus bellicus,vide Bellum.

Solùm Fœminæ,& pueri ſinuntur à Moſe quiete frui , belli tempore.c.1.ſ.7.a 7 n.1.
Modus mouendi caſtra audito ſigno.cap.3.T.3.

Triumphus.

Romæ,in Arca Triumphali Titi non viſitur Arca fœderis, ſed menſa aurea.c 3.ſ 1.a 5.n.3.
Inter opima ſpolia in triumpho Titi , lex nouiſſimum ſpolium fuit.n 3.
Titus non tulit Arcam inter ſpolia ibidem.

V

Verbum Dei.

Ipſum Dei verbum loquitur,vbi promittitur Moſi ſucceſſor qui vocatur Angelus,& Ieſus, ſicut ipſum verbum. P. ſ. 2. n. 8.
Angelum , qui apparuit Ioſue,putant aliqui fuiſſe verbum diuinum.c.5.ſ.3.T.5.

Victoria. Victores.

Victores ſub Iudæis,non obtinuerũt totam terram promiſſam cur.c.1 ſ.4.a.2.n.4.
Imò nec ſub Dauide. n 5.
Aod victor occiſo Rege Moabitarum c.2.ſ.1.a 2 n.1.
Rahab obſequiis delinit,quos victores fore ſciebat. c.2.ſ.3. T 3.
Victoria de duobus Amorrhæorum regibus.T.8.
Sine armis paratur victoria cùm Deus adeſt. c.5. ſ.3.a.6. n 5.
Parauit Deus victoriam Gedeoni immiſſo ſomnio Madianitis.c 10 ſ 1.a2.n.3.
Ioſaphat ineruentam ſuis obtinuit victoriam.n 4.
Victoria numeroſi exercitus parta a Ioſue, Deo adſcribitur. c.11.ſ.1.T.7.
Victoria Ioſue de Regibus Barbaris,eam denotat,qua vincimus peccata.c.11.ſ.1.a.1,n.2.

Virginitas.Virgines.

Virgines moriũtur in perfectiſſimo ſui principatu. P ſ.2 n.10

Seruatæ ſunt virgines in excidio vrbis. c. 6. ſ. 3. a. 3. n. 3.

Virtus.

Virtus ſudore eſt paranda.L.n.8.
Ioſue virtutis pulchritudinem ſemper eſt admiratus. P. ſ. 1. n. 1.
Medium virtus obtinet e.1.ſ.6.a.5.n.2.
Virtus animum ornat.e.5.ſ.1.a.1.n.3.
Pellit timores.ibidem.
Meritò timent, qui conſcientiam internæ virtutis non habent.n 6.
Multo labore paratur virtus.e.12 ſ.2.a.1.n.4.

Viſitatio, viſitare peccantes.

Qui alios peccare faciunt, viſitantur, vel puniuntur. e.1.ſ.8 a.1.n.8.
Poſteri Iehu, quia non obedierunt Deo, puniti ſunt.n.7.

Vita.

Beneficia ſunt Dei, vita & dies boni.e.6.ſ.3.a.1.n.2.
Hæc vita optatur longa, quia non poteſt eſſe ſempiterna. n. 2.
Quid ſit redimere tempus? ibidem.
Similitudinibus exprimitur fallax vitæ felicitas. e.7.ſ.1.a. 5. n.4. & 5.

Vitium.

Exemplo ſuo nos docuit Ioſue, iugulatis vitiis ad cælum iter patere.L.n.8.
Vitioſis, qui ſolam terram cogitant, timor ſuperueniet. c. 5. ſ.1.a.1.n.6.
Verus Ieſus cepit omnem terram, vitiis debellatis. c.12.ſ.2. a.1.n.4.

Vocatio Dei.

De ſcelerum latibulis nos Deus euocat.e.6.ſ.3.a.3.n 5.
Prauæ conſuetudinis vis perſpicitur, cùm nos Deus abſtrahit a vitiis.n 6.
Auguſtinus quid ſentiat? n 6.
Peccator conſtringitur vitiis, quaſi catena.n.6.
Dei prouidentia in vocatione hominum ad ſalutem. ibidem.

Votum.

Voti obedientiæ conditio eſt, vt honeſta & licita imperentur.e.1.ſ.8.T.5.
Inobedientem populum Deus grauiter punit.a.1.n.1.
Monaſtici inſtituti regulæ obſeruandæ, vt ædificentur muri Hieruſalem.ibidem.
Vide v.Religioſi.regula &c.
Iacob tres indicauit res, quibus Deus colitur: altare, oleum, votum.c.4.ſ.1.a.2.n.2.
Renouatio votorum, inſtar nouilunij.c.5.ſ.2 a.2.n.5.
Melius eſt non vouere, quàm id vouere, quod Deo diſplicet. c.9.ſ.2.a.4 n.1.

Vulgus.

Qui vulgi captant fauorem, puniuntur à Deo.P.ſ.1.n.2.

Zelus.

Leuitarum in occidendis adoratoribus vituli, zelus.c.5.ſ.1. T. 11.
Optant ſancti vindictam impiorum Zelo iuſtitiæ. c. 5. ſ. 2. a 10.n.3.

Zoroaſtres.

Cham, Noe filius, idem qui Zoroaſtres, inuentor artis magicæ, & artium liberalium.c.10.ſ.1.a.6.n.7.

152 08 73